PROPUGNACULUM HUMANAE LIBERTATIS, SEU CONTROUERSIAR UM, PRO...

Gabriele Pennotto, Charles Audran

Digitized by Google

8
5 N
1

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

54-G-1

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

PROPVGNACVLVM

HVMANÆ LIBERTATIS,

SEV

CONTROVERSIARVM, PRO HVMANI ARBITRII libertate contra Philoſophos, Aſtrologos, iudiciarios, & Hæreticos tuenda, & cum certitudine Diuinæ Præſcientiæ, immobilitate Diuini Decreti, & efficacia Diuinæ notionis concilianda,

LIBRI DECEM.

GABRIELE PENNOTTO NOVARIENSE,
ex Ordine Canonicorum Regularium, Abbate Sanctæ Mariæ Pacis de Vrbe, Congregationis Lateranenſis in Romana Curia Procuratore Generali, ac Theologo, Autore.

NVNC PRIMVM IN LVCEM PRODEVNT.



LVGDVNI,
Sumptibus Iacobi Cardon & Petri Cauellat.

M. DC. XXIV.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

SANCTISSIMO
DOMINO NOSTRO
VRBANO VIII.
PONT. MAX.

GABRIEL PENNOTTVS SERVVS HVMILIS
aternam Regni coronam.

ETsi ea eſt improborum ingeniorum in aduerſando veritati perfracta nimis licentia, PATER BEATISSIME, vt vix aliquod reperiatur effatum adeò certum, & conſtans, quod non audeat ore ſacrilego vel prophanare, vel ſaltem in contentionem adducere; nullum tamen eſſe videtur, cui oppugnando, & euertendo maiori ſtudio, conatúque deſudauerint inimici veritatis, quàm ei, quod in actibus humanis, præſertim in operibus pietatis, libertatem aſſeuerat arbitrij. Etenim antiquus noſtræ ſalutis hoſtis, cùm ad cæteros Catholicæ fidei articulos oppugnandos vnum, aut alterum Hæreticorum manipulum excitauerit; tamen contra ipſam arbitrij libertatem omnibus ſuis copiis, cunctóque agmine certans, omnia Philoſophorum, Mathematicorum, & Hæreticorum ſemper armauit ingenia: ſcilicet pro comperto habens, illa ſemel de medio ſublata, Religionem, pietatem, ſanctas leges, ſtudia virtutum, ipſam denique, in qua nituntur omnia, Catholicam fidem vno ictu funditus interire; nec relinqui prorſus aliquem virtuti locum, aut vitio, aut laudi, aut vituperationi; ſed poſſe homines quodcunque ſcelus, etſi grauiſſimum, pari confidentia perpetrare. Hinc inter eos, qui in Eccleſia Catholi-

Digitized by Google

ca pro veritate certauerunt, illi mihi de tota Christiana Republica optimè mereri semper visi sunt, qui eidem libertati ab inimicis defendendæ, vel à cauillis Hæreticorum explicandæ, ac præsertim cũ Diuina præscientia, Diuinísque decretis, necnon cum Diuina efficientia conciliandæ, suos labores impenderunt; non propter hoc solum quòd hæc de arbitrij libertate quæstio maximi ponderis sit, & cum præcipuis fidei dogmatibus arctissimè colligata: sed quòd de illa benè, aut malè sentire, tanti interfit, vt rerum magistra experientia nos docente, exploratum habeamus, quotquot permittente Deo circa illam errauerunt, omnem prorsus timorem, & pudorem exutos, ad scelera quæque grauissima præcipites cucurrisse. Hanc autem animarum iacturam sanè grauissimam sæpius mecum reputans, PATER BEATISSIME, dum ante paucos annos in scholis Theologicis adhuc versarer, rem non pœnitendam me facturũ existimaui, si Generalẽ aliquã defensionẽ humanæ libertatis, contra omnes illius oppugnatores, siue priscos, siue recentiores, neque Hæreticos tantùm, verùm etiam Philosophos, & Mathematicos, quos vocant iudiciarios (quod ante hanc diem à nullo Scholasticorum, aut etiam Sanctorum Patrum tentatum animaduerteram) Diuini ope luminis instaurarem. Quam cùm pro viribus vtcunque absolutam typis committere decreuissem, Diuino factum consilio crediderim, vt opere nedum perfecto, sed duorum Pontificũ Sanctitatis Vestræ Prædecessorũ, Pauli V. & Greg. X V. Sanctæ recordationis pedibus submisso, & alterius quidem iussu explorato, alterius verò rescripto ad prælum dimisso, illius nihilominus editio in hoc felicissimum mihi tempus reiecta fuerit, in quo concederetur, sapientissimi illius Architectorum Principis consilium exequi, quo monemur in magnis, & præclaris ædificiis construendis, non solùm interiores aditus, aulas, triclinia, secretioraque cubicula, verùm etiam ipsas ædium fores, & frontes exquisitis, tum sculpturæ, tũ picturę luminibus decorare, scilicet Augustissimo tuo nomine, PATER BEATISSIME, tanquã emblemate clarissimo huius operis vestibulum, & frontẽ consignare. Sicut enim satis esse videbatur ad interiorem huius qualiscunque fabricæ decorem, ipsa de quibus agitur, rerũ dignitas, & eminentia, vt sunt Diuina rerum omnium præscientia, ineffabilis Dei Prouidentia, creatarum rerum intellectu præditarum, vel prædestinatio ad vitam, vel designatio ad pœnam, Diuinæ efficientiæ vis, & horum omnium cum arbitrij libertate conciliatio, quibus nihil esse videtur in tota re Theologica, vel scitu difficilius, atque optabilius, vel ad veritatem Catholicam ab hostibus tuendam validius, vel denique ad vitam, ac mores rectè componendos vtilius; sic ad externum splendorem ipsi conciliandum, & augendum, nihil præstantius, excellentiúsque potuisset accidere, quàm vt Vrbani V I I I. Pontificis Maximi

ximi ſanctiſſimo nomine illius faciem exornarem. Et quid eſt, quod abs te exornari, illuſtraríque non poſſit, Pontificum maxime? Qui in iſto ſupremo rerum humanarum faſtigio, ſingulari Dei prouidentia, communíque totius Orbis Chriſtiani lætitia, vti ſol in medio firmamento militantis Eccleſiæ conſtitutus, vniuerſam Chriſti Rempublicã cœleſti lumine comples, & recreas. At hęc Pontificiæ dignitatis laus ſit (quanquam nemo tanta gratulatione Princeps excipitur, qui non Principatu dignus exiſtimetur.) Quid illa, quæ tua planè ſunt? Morum innocentium candor, atque integer vitæ tenor, quem ne Roma quidem perpetua arcanorum indagatrix arguere vnquam potuit? Quid rerum ſcientia, legum peritia, antiquitatis eruditio, & amœniorum literarum inſita animo facultas, vt naſcenti tibi adſtitiſſe Muſarum chorus (quod olim prouerbio dicebatur) ac labia contigiſſe videatur? Quid prudentia, iudiciíque maturitas in Regiæ legationis munere grauiſſimis, moleſtiſſimíſque temporibus obeundo? Quid æquitas, dum aut Legatus populos ſanctiſſimè regeres, aut iuſtitiæ Præfectus cauſas per tot annos integerrimè cognoſceres? Quæ profectò virtutes, aliæque complures iuſtius tibi, ſanctiúſque Pontificios faſces promeruerunt, quàm eos aliquis vnquam incenſus gloriæ cupiditate quæſierit. Quid hæc, inquam, omnia, ſiue publica Pontificiæ dignitatis munera, ſiue priuatæ pectoris tui dotes, nónne exornando huic operi, ac luci tenebris meis afferendæ, felici conſpiratione conuenire dicenda ſunt?

Hunc igitur, BEATISSIME PATER, qualemcunque tenuitatis meæ laborem, tanquam obſeruantiæ non ſolùm meę, ſed totius etiam Lateranenſis noſtræ familiæ, tibi deuinctiſſmæ, perexiguum quidem, at certiſſimum teſtimonium, tuis pedibus prouolutus dico, ſacróque. Qui ſi acerrimo tuo iudicio non improbabitur, in ſpẽ venero, & maximum ei lumen acceſſurum, & aduerſantium conatus non formidaturum opus, tanti Principis ſigno communitum. Ipſe interim Deum optimum precari non deſinam, vt Sanctitatem tuam, Eccleſiæ Catholicæ nunquam non profuturam, quàm diutiſſimè ſoſpitet, conſiliorúmque tuorum curſum feliciſſimum velit.

Digitized by Google

Admodum Reu. Patris fratris Bonauenturæ Passeri Nolani Regentis, ac Rectoris Seraphici Collegij Sancti Bonauenturæ Almæ Vrbis, qui iussu Illustrissimorum, & Reuerendissimorum DD. Cardinalium sanctæ Generalis Inquisitionis hoc opus recognouit, de eodem opere censuræ eisdem Illustrissimis DD. Cardinalibus exhibita.

VOLVMEN magnum, quod *Propugnaculum humanæ libertatis contra impios fati assertores* inscribitur, Gabrielis Pennotti Nouarensis, ex ordine Canonicorum Sancti Augustini Congregationis Lateranensis iussu Cardinalium Sanctissimæ Inquisitionis mihi, vt exactè perlustraretur, traditum, qua potui solertia, & vigilantia perlegi, ipsámque nunquam satis explicatam complectens materiam diuinorum auxiliorum ex animo considerauí. Quod cùm multa bona, eaque præclara, & pro humanæ libertatis defensione scitu digna contineat, nihilque in illo sit, quod bonis moribus, aut sanctæ fidei officiat, imò potiùs sacræ Theologiæ professoribus proficiat, dignum proinde diiudicaui, vt typis mandari ritè possit.

Fr. BONAVENTVRA PASSERVS NOLANVS Regens, ac Rector Seraphici Collegij Sancti Bonauenturæ Almæ Vrbis.

Supplicatio

Digitized by Google

Supplicatio Sanctiſſimo Domino noſtro GREGORIO Papæ XV. pro licentia ipſum opus imprimendi ab Autore porrecta.

BEATISSIME PATER;

SANCTITATIS Veſtræ deuotus, & humilis ſeruus, & Orator D. Gabriel Pennottus Abbas Sancti Iuliani Spoleti Ordinis Canonicorum Regul. Lateranenſis cupiens typis committere volumen decem librorum controuerſiarum à ſe ſcriptorum contra varias Hæreticorum ſectas, peonon contra Philoſophos, & Aſtrologos iudiciarios, pro defenſione liberi arbitrij humani, in quibus incidenter tanguntur quædam quæſtiones ſpectantes ad materiam de diuinis Auxiliis, ob connexionem inſeparabilem, quam cum ipſa materia de diuinis Auxiliis habet materia, quam contra Hæreticos in dictis libris diſputat; ad euitandas difficultates, quæ illi fieri potuiſſent in dicti voluminis impreſſione, ipſum cum omni ſubmiſſione ſanctæ memoriæ Paulo V. Summo Pontifici obtulit, & Sanctæ Sedis Apoſtolicæ cenſuræ ſuppoſuit.

Cùm autem prædictum volumen viſum, & examinatum fuerit non ſolùm à Theologis ad id deputatis, verùm etiam ab Illuſtriſſimis DD. Cardinalibus Bellarmino, & Cremonenſi tunc ſanctæ Generalis Inquiſitionis Commiſſario, & ab omnibus iudicatum fuerit opus vtile, & Eccleſiæ Catholicæ fructuoſum, idem Orator humiliter ſupplicat per Sanctitatem Veſtram committi alicui ex Illuſtriſſimis DD. Cardinalibus Theologis, vt de qualitate prædicti operis habita ſpeciali informatione, & conſtito quòd in eo nihil ſit, quod puritatem ſanctæ Fidei Catholicæ, aut bonos mores, aut aliquem Doctorem Catholicum offendat, ei facultatem concedere dignetur, quatenus prædictum opus typis imprimatur.

Sanctiſſimi Domini Noſtri GREGORII Papæ XV. Reſcriptum à tergo:

Dominis Cardinalibus Bellarmino, & Scaliæ.

Facultas ab eiſdem Illuſtriſſimis DD. Cardinalibus conceſſa, quatenus prædictum opus imprimi poſſit, & propria manu illorum ſcripta.

Die 22. Iunij 1621.

Commiſſione à Sanctiſſimo Domino Noſtro nobis facta concedimus, vt prædictum volumen imprimi poſſit, & ita affirmo
Ego Cardinalis BELLARMINVS.

Etſi opus ipſum videre non potuerim, tamen cùm viſum fuerit, prout in memoriali exponitur, idem affirmo
Ego Cardinalis CREMONENSIS.

Marcus Antonius Florentinus Abbas Generalis Congregationis Canonicorum Regularium Lateranenſium.

IBI Dilecto nobis in Chriſto Patri D. Gabrieli Nouarienſi, Canonico noſtro profeſſo, Abbati Sanctæ Mariæ Pacis de Vrbe, noſtræ Congregationis in Romana Curia Procuratori Generali, & Sacræ Theologiæ Magiſtro, ſalutem in Domino. Vt volumen controuerſiarum pro humani arbitrij libertate tuenda, Propugnaculum humanæ libertatis nuncupatum, typis committere valeas attenta recognitione, & approbatione Adm. Reu. Patris Fratris Bonauenturæ Paſſeri Nolani, ab Illuſtriſſimis & Reuerēdiſſimis DD. Cardinalibus Sanctę Generalis Inquiſitionis ad ipſum opus reuidendum, & examinandum ſpecialiter deputatis; necnon etiam reſcripto Sanctiſſimi Domini noſtri Gregorij Papæ XV. & facultate ab Illuſtriſſimis & Reuerendiſſimis DD. Cardinalibus Bellarmino, & Scalia, tibi ſuper hoc ſpecialiter conceſſa, quantum ad nos ſpectat, facultatem concedimus. In quorum fidem præſentes manu propria ſignatas, & ſigillo noſtro munitas fieri iuſſimus. Datas Papiæ in Canonica noſtra S. Petri in Cælo Aureo, die 27. menſis Iulij 1624.

D. MARCVS ANTONIVS Abbas Generalis.

Approbatio Theologorum.

NOs infraſcripti Sacræ Theologiæ Doctores fidem facimus, perlectum à nobis librum qui inſcribitur, *Propugnaculum humanæ libertatis, Gabriele Pennotto*, &c. *auctore*, in quo nihil fidei Orthodoxæ, Catholicæ, & Apoſtolicæ contrarium animaduerſum. Lugduni 19. Auguſti 1624.

FR. ROBERTVS BERTHELOT Epiſc. Damaſc.

DEVILE.

R. D. D. Thomæ de Meſchatin la Faye huius libri imprimendi facultas.

THOMAS DE MESCHATIN LA FAYE, Comes, Canonicus, & Camerarius Eccleſiæ Lugdunenſis, & Vicarius Generalis in Archiepiſcopatu Lugdunenſi: Opus inſcriptum, *Propugnaculum humanæ libertatis, Gabriele Pennotto*, &c. *auctore*, à Theologis approbatum, vt in lucem edatur facultatem concedo. Lugduni die 21. Auguſti. 1624.

MESCHATIN LA FAYE.

Digitized by Google

PRIVILEGE DV ROY.

LOVYS par la grace de Dieu Roy de France & de Nauarre, A nos amez, & feaux Conſeillers les gens tenans nos Cours de Parlemens, Baillifs, Seneſchaux, Preuoſts, Iuges, ou leurs Lieutenans, & à tous nos autres Iuſticiers, ou ſubiects qu'il appartiendra, Salut. Noſtre cher & bien-aymé Gabriel Pennotus Abbé de Nouare, de l'Ordre des Chanoines reguliers de Lateran, nous a fait dire & remonſtrer, qu'il a compoſé depuis n'agueres vn liure intitulé, *Propugnaculum humanæ libertatis*, qu'il deſireroit faire imprimer dans la ville de Rome, & d'autant qu'il craindroit qu'il ne fut apres imprimé és pays, & Royaumes de noſtre obeyſſance, & qu'il ne fuſt par ce moyen priué du fruict de ſon labeur, & de la grande deſpence qu'il luy conuient faire pour l'impreſſion dudict liure, s'il ne luy eſtoit ſurce pourueu de nos lettres neceſſaires: Nous à ces cauſes, mettans en conſideration l'affection que ledit Pennotus a touſiours faict paroiſtre au bien de noſtre ſeruice, luy auons permis, octroyé & accordé, permettons, octroyons & accordons par ces preſentes qu'il puiſſe, & luy ſoit loiſible faire imprimer en ladicte ville, & diſtribuer tant dedans que dehors ceſtuy noſtre Royaume ledict liure, pendant le terme & eſpace de dix ans, à compter du iour & datte de l'impreſſion dudict liure, ſans qu'autre que le ſuppliant ou ceux qui auront droict & pouuoir de luy le puiſſent imprimer, ou faire imprimer, vendre ou diſtribuer pendant ledict temps à peine de confiſcation de tous les exemplaires, & d'amende arbitraire. Si vous mandons, & à chacun de vous endroict ſoy commettons, ſi comme à luy appartiendra, que de noſtre preſent priuilege & permiſſion, & du contenu en iceluy vous faictes, ſouffrez iceluy ſuppliant, & ceux qui aurout charge de luy, iouyr & vſer plainement, & paiſiblement. Car tel eſt noſtre plaiſir. Nonobſtant quelconques lettres à ce contraires. Donné au Camp deuant Montauban, le 18. iour de Septembre, l'An de grace mil ſix cents vingt & vn, & de noſtre Regne le douxieſme.

Par le Roy en ſon Conſeil,

BARAT.

QVOD

Digitized by Google

QVOD *Christianissimi Regis Galliarum Ludouici XIII. Priuilegio dato apud Montem Albanum die XVIII. Septembris* 1621. *cautum fuerit, ne quis librum controuersiarum, cuius est titulus,* Propugnaculum humanæ libertatis, Gabriele Pennotto Nouariense, ex ordine Canonicorum Regularium Congregationis Lateranensis Abbate, ac Theologo autore, *in Regnis, & locis eiusdem Christianissimi Regis ditioni subiectis imprimere audeat, sub pœnis in dicto Priuilegio contentis, idem autor Magnificis & egregiis librorum impressoribus* IACOBO CARDON, *&* PETRO CAVELLAT, *vt dictum librum imprimere, ac distribuere valeant, Priuilegium sibi factum, in illos transferendo, liberam facultatem concedit. In quorum fidem præsens chirographum manu propria scripsit, & subscripsit. Romæ in Canonica Abbatiali sanctæ Mariæ Pacis Idibus Januarij M.DC.XXIV.*

ITA affirmo, & concedo ego D. GABRIEL PENNOTTVS Nouariensis, Abbas S. Iuliani ex ordine Canonicorum Regularium Congregationis Lateranensis manu propria.

SINGV

Digitized by Google

SINGVLORVM LIBRORVM
TOTIVS OPERIS ARGVMENTA.

LIB. I. LIBERTATIS natura, & conditiones declarantur.

II. Oſtenditur, eſſe in homine etiam ſuppoſito peccato veram arbitrij libertatem.

III. Non lædi veram libertatem per certitudinem diuinæ Præſcientiæ.

IV. Non tolli per efficax Decretum diuinæ voluntatis.

V. Non impediri per ordinem immutabilem diuinæ Prouidentiæ.

VI. Non minui per immobilitatem diuinæ Prædeſtinationis.

VII. Non auferri per diuinam Reprobationem.

VIII. Non excludi per efficacem cauſalitatem, & motionem diuinam ordinis naturalis.

IX. Non prohiberi per efficacem motionem diuinam ordinis ſupernaturalis, ſiue per efficaciam diuinæ gratiæ.

X. Non remoueri per influxus corporum cœleſtium, & aſpectus ſyderum.

INDEX

Digitized by Google

INDEX
CAPITVM CVIVSLIBET
LIBRI.

CAP. I. EXPLICATVR varia acceptio, & vſus nominis Neceſſarium.
II. Declaratur multiplex acceptio huius nominis, Contingens.
III. Aſſignatur multiplex acceptio liberi, & libertatis.
IV. Declaratur etymologia, & varia acceptio huius nominis, Fatum.
V. Proponitur inueſtiganda libertatis quidditas.
VI. Radicem veræ libertatis in indifferentia Iudicij ſitam eſſe.
VII. Libertatem non in intellectu, ſed in voluntate formaliter reſidere.
VIII. Non ſufficere ad veram libertatem indifferentiam obiecti, ſed requiri indifferentiam potentiæ, & qualis illa eſſe debeat.
IX. Non ſufficere indifferentiam paſſiuam, ſed requiri indifferentiam actiuam voluntatis ad veram rationem libertatis.
X. Requiri ad perfectam libertatem indifferentiam potentiæ non ſolùm in actu primo, ſed etiam in actu ſecundo, & quo ad vſum.
XI. Ad veram libertatem in actu ſecundo, & in exercitio requiri indifferentiam in potentia, vel contrarietatis, vel ſaltem contradictionis.
XII. Tres aliæ conditiones ad veram libertatem in actu ſecundo requiſitæ explicantur.
XIII. Duæ aliæ conditiones ad veram libertatem neceſſariò requiſitæ.
XIV. Quis ſit proprius actus liber.
XV. Dubium proponitur, An vera libertas omnem abſolutam neceſſitatem excludat.
XVI. Caluini ſententia de libertate reiicitur, & oppoſita firmatur.
XVII. Argumentis pro ſententia Caluini ſit ſatis.
XVIII. An arbitrij libertas aliquam neceſſitatem admittat, quæ ſit neceſſitas antecedens proueniens ex cauſa extrinſeca, & ſententia affirmans proponitur.
XIX. Sententia negans vt probabilior rationibus comprobatur.
XX. Soluuntur argumenta prioris opinionis.
XXI. An electio ſupponat in intellectu iudicium practicum determinatum de re eligibili, refertur prima opinio affirmans.
XXII. Secunda opinio expenditur, & veritas aperitur.
XXIII. An poſito iudicio practico vltimatè determinato neceſſariò ſequatur electio, opinio id affirmans reiicitur.
XXIV. Sententia negans probatur, & ſoluuntur argumenta primæ opinionis.
XXV. Eadem ſententia negans auctoritate confirmatur, & per diſtinctionem ambæ opiniones conciliantur.
XXVI. An propoſitis voluntati duobus obiectis æqualibus, & ſub eiſdem omnino rationibus, voluntas pro ſola ſua libertate poſſit vnum eligere, altero dimiſſo, referuntur opiniones Doctorum.
XXVII. Dubium propoſitum reſoluitur, & argumentis vtriuſque partis ſit ſatis.
XXVIII. A quónam voluntas primò incipiat moueri.
XXIX. Quæ ſint illa requiſita, quibus poſitis in voluntate, illa poteſt operari, vel non operari.
XXX. Verus, ac legitimus ſenſus huius propoſitionis, Potentia libera eſt illa, quæ poſitis omnibus requiſitis in actu primo poteſt operari, vel non operari, declaratur.
XXXI. Explicatur acceptio ſenſus diuiſi, & compoſiti, & argumenta capite præcedenti adducta ſoluuntur.
XXXII. Pro quo inſtanti ſit vera iſta propoſitio, Potentia libera eſt quæ, &c.
XXXIII. Variæ definitiones liberi arbitrij, & libertatis ex antecedentibus colliguntur.

LIBER

Liber II. continet Cap. 18.

I. *Probatur, esse in homine veram libertatem libro superiori declaratam, & varij errores negantium liberum arbitrium referuntur, & in primis illorum, qui dixerunt, omnia ex absoluta necessitate euenire.*

II. *Tres alij errores negantium liberum arbitrium ex certitudine diuinæ Præscientiæ ex diuino decreto, ac Prouidentia.*

III. *Alij tres errores negantium arbitrij libertatem ex diuina Prædestinatione, Reprobatione, & causalitate.*

IV. *Tres alij errores auferentium liberum arbitrium ex serie secundarum causarum; ex constitutionibus Astrorum, & peccato Adæ.*

V. *Probatur liberum arbitrium ex diuina Scriptura.*

VI. *Alia diuinæ Scripturæ testimonia ad idem probandum afferuntur.*

VII. *Secunda demonstratio humanæ libertatis ex antiquissima totius Ecclesiæ traditione, ac consensione.*

VIII. *Tertia demonstratio ex doctrina D. Augustini, quam recipit Caluinus.*

IX. *Dubia quædam, quæ ex D. Augustino insurgere videntur, tolluntur.*

X. *Quarta demonstratio deducta ex perfectionibus diuinis.*

XI. *Quinta, & sexta demonstratio ex perfectione vniuersi, & ex natura peccati.*

XII. *Septima, & octaua demonstratio ex cultu sanctæ Religionis, & ex legibus diuinis, & humanis.*

XIII. *Nona, & Decima demonstratio ex diuinis exhortationibus, obiurgationibus, & humanis consultationibus.*

XIV. *Vndecima, & Duodecima ex studio moralis Philosophiæ, & artium.*

XV. *Tres aliæ eiusdem humani arbitrij demonstrationes afferuntur.*

XVI. *Argumenta aduersariorum ex diuina Scriptura soluuntur.*

XVII. *Alia argumenta sumpta ex diuinis Scripturis soluuntur.*

XVIII. *Soluuntur argumenta sumpta ex autoritate Patrum, & Philosophorum.*

Liber III. continet Cap 30.

I. *Prima controuersia proponitur, & quædam scitu necessaria ad intelligentiam difficultatum in ea occurrentium præmittuntur.*

II. *Circa primum dubium cap. 1. propositum opiniones Philosophorum negantes recensentur.*

III. *Quorundam Doctorum Catholicorum sententia de scientia Dei minus probabiles referuntur.*

IV. *Primum dubium per conclusiones resoluitur.*

V. *Argumenta contra doctrinam capitis præcedentis afferuntur, & soluuntur.*

VI. *Dubium secundum, An Deus videat creaturas immediatè in seipsis, resoluitur.*

VII. *Argumenta contra doctrinam capitis superioris soluuntur.*

VIII. *Dubium tertium de modo, quo Deus videt res in diuina essentia, de quo tres sententiæ Doctorum expenduntur.*

IX. *An, & quomodo Diuina essentia repræsentet creaturas per modum Ideæ, & quid sit ipsa Idea.*

X. *An, & quomodo Ideæ conferant ad notitiam rerum generabilium, & corruptibilium.*

XI. *Proponitur secunda controuersia principalis, An certitudo diuinæ præscientiæ imponat necessitatem rebus præscitis.*

XII. *An scientia Dei sit causa rerum contingentium, & quomodo.*

XIII. *An scientia sit causa rerum magis immediata quàm voluntas.*

XIV. *Contra doctrinam trium capitum præcedentium dubia mouentur, & soluuntur.*

XV. *Primus modus conciliandi rerum contingentium cum certitudine diuinæ præscientiæ ex præsentialitate earundem rerum ipsi Deo in æternitate.*

XVI. *Primus modus An, & quomodo omnes res sint Deo præsentes ab æterno.*

XVII. *Coëxistentia rerum in æternitate, quam nonnulli defendunt ex D. Thom. & eius expositoribus, refutatur.*

XVIII. *An ratio conciliandi sumpta ex rerum præsentialitate rectè explicata sit sufficiens.*
XIX. *Argumenta contra eandem rationem D. Thomæ afferuntur, ac soluuntur.*
XX. *An ex sola inspectione secundarum causarum contingentium possit Deus futura contingentia certò, ac infallibiliter nosse.*
XXI. *Vtrum in efficaci Decreto Diuinæ voluntatis possint futura contingentia infallibiliter cognosci.*
XXII. *An in decreto Diuino possint cognosci actus moraliter mali.*
XXIII. *An præscito decreto absoluto, & efficaci possit concipi in Deo perfecta notitia futurorum contingentium.*
XXIV. *Tres alij modi cognoscendi futura contingentia à Scholasticis excogitati expenduntur.*
XXV. *Tertia controuersia proponitur, An sit in Deo scientia futurorum contingentium conditionatorum, & sensus quæstionis aperitur.*
XXVI. *Opiniones Doctorum recensentur.*
XXVII. *Probatur esse verè in Deo notitiam futurorum contingentium conditionatorum.*
XXVIII. *Eandem scientiam futurorum conditionatorum non esse fundatam in æterno decreto prædeterminandi physicè secundas causas contingentes.*
XXIX. *Eadem sententia autoritate Scholasticorum, & ratione Theologica probatur.*
XXX. *Aduersariorum argumenta proferuntur, & soluuntur.*

Liber IV. continet Cap. 24.

I. *Prima controuersia proponitur, & ratio dubitandi, ac dubia in ea latentia detegutur.*
II. *Expenduntur 2. & 3. dubium cap. superiori proposita, An Deus alia à se velit liberè, & an libera voluntas dicat perfectionem in Deo.*
III. *Secunda controuersia proponitur, An aliorum à se Deus sit causa per suam voluntatem, & sensus quæstionis declaratur.*
IV. *Afferuntur argumenta aduersariorum contra Dei in agendo libertatem.*
V. *Deum plura facere posse, quàm actu faciat.*
VI. *An si Deus ageret ad extra ex necessitate naturæ, adhuc posset esse in rebus contingentia.*
VII. *Corollaria nonnulla deducuntur, quibus radix contingentiæ, & libertatis aperitur.*
VIII. *Proponitur tertia controuersia, An omnes actus humani sint ab æterno prædefiniti.*
IX. *An actus liberi moraliter boni, & indifferentes sint efficaciter prædefiniti ante præscientiam liberæ determinationis voluntatis creatæ ad eosdem actus.*
X. *Nonnulla fundamenta ad propositam controuersiam dirimendam iaciuntur.*
XI. *Proposita controuersia per conclusiones resoluitur.*
XII. *Actus liberos non fuisse efficaciter prædefinitos ante inspectam determinationem voluntatis, & hoc pro scientiam liberam.*
XIII. *Argumenta contra doctrinam traditam cap. 11. soluuntur.*
XIV. *Actus liberos ordinis supernaturalis non esse efficaciter prædefinitos ante omnem præscientiam liberæ determinationis voluntatis creatæ.*
XV. *Proponuntur, & soluuntur Argumenta aduersariorum.*
XVI. *Actus moraliter malos non esse efficaciter prædefinitos, ostenditur.*
XVII. *Reeluduntur Aduersarijs nonnulla refugia.*
XVIII. *Alia rationibus eadem veritas comprobatur.*
XIX. *Hæreticorum argumenta afferuntur, & soluuntur.*
XX. *An omnis voluntas in Deo sit efficax.*
XXI. *Quid sit voluntas antecedens, quid consequens.*
XXII. *Quæ voluntas in Deo sit efficax, quæ inefficax.*
XXIII. *Quinta controuersia, An efficacia diuini Decreti tollat humani arbitrij libertatem, & tres modi hæc ad inuicem conciliandi expenduntur.*
XXIV. *Quartus modus conciliandi arbitrij libertatem cum diuino Decreto explicatur, ac defenditur.*

Digitized by Google

INDEX CAPITVM.

Liber V. continet Cap. 20.

I. *Quid, & quotuplex ſit prouidentia in Deo explicatur.*
II. *An de intrinſeca ratione prouidentiæ ſit finis aſſecutio.*
III. *Multiplex prouidentiæ diuiſio aſſignatur, & declaratur.*
IV. *Quod nam ſit obiectum diuinæ prouidentiæ, circa quod illa verſatur.*
V. *Probatur, Deum habere prouidentiam rerum humanarum.*
VI. *Soluuntur Philoſophorum argumenta contra Dei prouidentiam, & cauſæ aſſignantur, ob quas probi in hac vita infelices, improbi autem felices viuere, vtplurimum permittuntur.*
VII. *An aliquis effectus poſſit appellari contingens comparatione diuinæ Prouidentiæ.*
VIII. *Non ſolùm bona, ſed etiam mala, certiſſimæ Dei Prouidentiæ eſſe ſubiecta.*
IX. *An, & quomodo malum culpæ cadat ſub prouidentia.*
X. *Omnes homines per Dei prouidentiam eſſe ordinatos in finem ſupernaturalem æternæ beatitudinis.*
XI. *Aliis argumentis eadem veritas oſtenditur.*
XII. *Probatur rurſus eadem veritas ex euerſione præcipui fundamenti aduerſariorum.*
XIII. *Nonnulla diuinæ Scripturæ teſtimonia, quæ contra doctrinam traditam c. 10. videntur militare, legitimè explicantur præſertim Epiſtola D. Pauli ad Romanos.*
XIV. *Expenditur nonum caput eiuſdem Epiſtolæ ad Romanos.*
XV. *Aliis teſtimonijs diuinæ Scripturæ, in quibus aduerſarij vim faciunt, ſit ſatis.*
XVI. *Alia Argumenta ex autoritate D. Auguſtini deprompta expenduntur, & ſoluuntur, & quantum authoritatis habeat doctrina D. Aug.*
XVII. *Quis ſit legitimus ſenſus ab Auguſtino in locis cap. præcedēti allegatis intētus explicatur.*
XVIII. *An ordo diuinæ Prouidentiæ ſit omnino immutabilis.*
XIX. *Quæ ſit ratio immutabilitatis ordinis diuinæ Prouidentiæ.*
XX. *Argumenta Aduerſariorum afferuntur, & ſoluuntur.*

Liber VI. continet Cap. 36.

I. *Nomen prædeſtinationis explicatur.*
II. *Quid ſit Prædeſtinatio, & an ſit ſpecies prouidentiæ.*
III. *Quodnam ſit obiectum prædeſtinationis.*
IV. *An Chriſtus ſit prædeſtinatus.*
V. *Chriſtum non ſolum fuiſſe prædeſtinatum, ſed etiam caput Prædeſtinatorum.*
VI. *Qua ratione Chriſtus dicatur caput Prædeſtinatorum explicatur, & argumenta contra veritatem proponuntur, & ſoluuntur.*
VII. *Proponitur controuerſia de cauſis prædeſtinationis, & nonnulla neceſſaria ad ſtatum eiuſdem controuerſiæ intelligendum præmittuntur.*
VIII. *Errores Origeniſtarum, Pelagianorum, & Semipelagianorum de cauſis prædeſtinationis referuntur.*
IX. *Refertur ſententia priſcorum Patrum in ſpecie minus probabilis, eáque Catholicè explicatur iuxta ſenſum ab illis intentum.*
X. *Opiniones quorundam Scholaſticorum de cauſis prædeſtinationis ad primam gratiam minus probabiles reiiciuntur.*
XI. *Prædeſtinationis ad primam gratiam nullam omnino cauſam poſſe aſſignari ex parte prædeſtinati.*
XII. *Argumenta aduerſariorū contra gratuitam Prædeſtinationem afferuntur, & ſoluuntur.*
XIII. *Alia argumenta ſumpta ex authoritate Scholaſticorum afferuntur, ac ſoluuntur.*
XIV. *Proponitur ſecundum dubium, An ex parte prædeſtinati poſſit aſſignari aliqua ratio, ob quam præparatio gratiæ ſortiatur in prædeſtinatis effectum gratiæ prædeſtinationis, & opiniones referuntur.*
XV. *Probatur 2. opinio capite præcedenti recitata.*
XVI. *Afferuntur, & ſoluuntur argumenta aduerſariorum contra doctrinam cap. præcedentis.*
XVII. *An ex parte prædeſtinati detur cauſa huius effectus, qui eſt perſeuerantia in bono vſque in finem.*

XVIII. *Mouentur quædam argumenta contra doctrinam cap. præcedentis, & soluuntur.*
XIX. *An donum finalis perseuerantiæ aliquo modo cadat sub nostro merito.*
XX. *An ex parte prædestinati detur causa prædestinationis ad gloriam.*
XXI. *Sententia affirmans, vt verior autoritate & ratione probatur.*
XXII. *Eadem sententia testimoniis Patrum confirmatur.*
XXIII. *Eadem sententia rationibus Theologicis euidenter confirmatur.*
XXIV. *Argumenta aduersariorum ex DD. Scripturis, & Conciliis deprompta adducuntur, & soluuntur.*
XXV. *Argumentum sumptum ab anteritate D. Augustini expenditur, & Augustinum nostræ sententiæ ostenditur apertissimè fauere.*
XXVI. *Alia argumenta contra eandem sententiam proponuntur, illisque respondetur.*
XXVII. *An detur causa nostræ Prædestinationis ex parte Christi.*
XXVIII. *Dubium cap. præcedenti propositum resolnitur.*
XXIX. *Afferuntur, & soluuntur argumenta contra doctrinam capitis præcedentis.*
XXX. *Vtrum Christus meruerit electis prædestinationem comparatiuam.*
XXXI. *An purus homo posit alteri homini mereri prædestinationem comparatiuam.*
XXXII. *An prædestinatio sit omnino certa.*
XXXIII. *Quæ sit certitudo eiusdem prædestinationis.*
XXXIV. *Certitudinem prædestinationis non tollere arbitrij nostri libertatem.*
XXXV. *Eadem veritas magis probatur, & nonnulli errores confutantur.*
XXXVI. *Nullum viatorem absque speciali reuelatione certò scire posse, se esse de numero prædestinatorum.*

Liber VII. continet Cap. 22.

I. *Quid sit reprobatio declaratur.*
II. *Quos actus intellectus, & voluntatis intrinsecè concludat.*
III. *Vtrum ante præuisum peccatum fuerit in Deo efficax decretum excludendi reprobos ab æterna beatitudine.*
IV. *Argumenta aduersariorum proponuntur, & soluuntur.*
V. *Quo fine Deus peccata fieri permittat.*
VI. *Proponitur quæstio de causis reprobationis, & dubia in ea latentia reteguntur.*
VII. *Opinio quædam circa primum dubium proponitur, & reiicitur.*
VIII. *An detur ex parte reprobi causa, ob quam ille non fuerit prædestinatus.*
IX. *An ex parte eiusdem reprobi detur causa finalis illius obdurationis, sententia quorundam minus probabilis refertur.*
X. *Eadem sententia refutatur, & vera solutio dubij propositi adhibetur.*
XI. *An si daretur reprobatio negatiua, posset illius causa assignari ex parte reprobi.*
XII. *An reprobationis positiuæ quoad integrum illius effectum detur causa ex parte reprobi.*
XIII. *Dubium propositum cap. præcedenti per conclusiones resoluitur.*
XIV. *Ex dictis deducitur, per certitudinē reprobationis nullo modo impediri nostrā libertatē.*
XV. *Proponitur quæstio de effectibus reprobationis, & præcipua dubia, quæ circa illam emergunt, reteguntur.*
XVI. *An peccatum sit effectus reprobationis.*
XVII. *An sit aliquod peccatum in hac vita irremissibile.*
XVIII. *Argumenta hæreticorum proponuntur, & soluuntur.*
XIX. *Nullum quantumuis impium, in hac vita auxiliis ad salutem necessariis esse à Deo destitutum.*
XX. *Proposita dubitatio per conclusiones resoluitur.*
XXI. *Necipsos etiam paruulos in vteris matrum morientes fuisse verè destitutos eisdem auxiliis necessariis ad salutem.*
XXII. *Proponuntur, ac resoluuntur argumenta aduersariorum.*

Liber VIII. habet Cap. 28.

I. *Controuersia proponitur de primo rerum Principio, & varij errores referuntur.*
II. *Senserint ne Aristoteles & Auer. mundum pendere à Deo verè efficienter.*

Propos

Digitized by Google

III. *Propoſita difficultas per Concluſiones reſoluitur.*
IV. *Mundum non ab æterno, ſed in tempore à Deo conditum fuiſſe.*
V. *Mundum non ex præiacente ſubiecto, ſed ex nihilo fuiſſe creatum.*
VI. *Omnes mundi partes eſſentiales Deum per ſe ipſum immediatè condidiſſe.*
VII. *An creatura potuerit aſſumi à Deo vt inſtrumentum ad aliquid creandum.*
VIII. *Argumenta Scholaſticorum contra ſententiam Magiſtri ſententiarum ſoluuntur.*
IX. *Vndenam ſit malum in rebus.*
X. *An malum ſit aliqua natura.*
XI. *Quid ſit malum degeneris moris, varia referuntur opiniones.*
XII. *Quænam opinio ſit probabilior, aperitur, & argumenta contraria ſoluuntur.*
XIII. *Deum mali culpæ nullo modo eſſe authorem.*
XIV. *Soluuntur argumenta hæreticorum contra doctrinam cap. præcedentis.*
XV. *An Deus cooperetur cum ſecundis cauſis immediatè ad illarum actiones.*
XVI. *Argumenta Durandi proponuntur, ac ſoluuntur.*
XVII. *Secundas cauſas verè, & propriè operari, non autem ſolum Deum in illis.*
XVIII. *Argumenta contra doctrinam cap. præcedentis afferuntur, & ſoluuntur.*
XIX. *An concurſus Dei cum ſecundis cauſis ſit influxus in ipſas ſecundas cauſas, an in ſolas illarum actiones opiniones variæ recenſentur.*
XX. *Sententia D. Thomæ explicatur, & defenditur.*
XXI. *Dubium propoſitum per Concluſiones reſoluitur.*
XXII. *Adiicitur tertia concluſio ad idem dubium magis explicandum.*
XXIII. *Obiectionibus aduerſariorum contra concluſiones fit ſatis.*
XXIV. *Voluntatem creatam minimè prædeterminari per diuinum concurſum generalem ad actus liberos in particulari, & quoad exercitium.*
XXV. *Eadem ſententia rationibus Theologicis firmatur.*
XXVI. *Obiectiones aduerſariorum tolluntur.*
XXVII. *Concurſum Dei generalem ad actus liberos voluntatis creatæ cum ipſa voluntate ex ſe indifferentem eſſe, & determinari per concurſum eiuſdem voluntatis creatæ.*
XXVIII. *Totius libri Concluſio, & argumenti Caluiniani confutatio, ex efficacia diuinæ motionis contra arbitrij libertatem deſumpti.*

Liber IX. continet Cap. 16.

I. *Aſſignatur multiplex gratiæ acceptio, ac diuiſio eiuſdem gratiæ, in gratis datam & gratum facientem.*
II. *Aſſignatur ſecunda diuiſio gratiæ gratum facientis, in actualem, & habitualem.*
III. *Tertia diuiſio gratiæ in excitantem, & adiuuantem, præuenientem, & ſubſequentem.*
IV. *Quarta diuiſio gratiæ in ſufficientem & efficacem.*
V. *Obiectiones contra doctrinam cap. præcedentis tolluntur.*
VI. *Quinta diuiſio gratiæ in operantem, & cooperantem.*
VII. *Nonnulla fundamenta iaciuntur ad explicandum, quid ſit gratia operans, & cooperans.*
VIII. *Quid ſit gratia operans, & cooperans quibuſdam propoſitionibus aperitur.*
IX. *Quis ſit proprius gratiæ operantis effectus explicatur.*
X. *Per efficaciam gratiæ operantis non tolli humani arbitrij libertatem.*
XI. *Doctrina capite præcedenti explicata auctoritate Sanctorum, & ratione probatur.*
XII. *Soluuntur argumenta hæreticorum ex ſacris Scripturis petita.*
XIII. *Alia argumenta ex authoritate D. Auguſtini deprompta ſoluuntur.*
XIV. *Referuntur tres modi conciliandi arbitrij libertatem cum efficacia gratiæ operantis.*
XV. *Quartus modus conciliandi eandem libertatem explicatur, & probatur.*
XVI. *Nonnulla argumenta contra doctrinam capitis præcedentis proponuntur, & ſoluuntur.*

Liber X. continet Cap. 11.

I. *Varij errores Mathematicorum contra arbitrij libertatem recenſentur.*
II. *Artem iudiciariam ſemper fuiſſe ab Eccleſia, & Patribus reprobatam, & illius exercitium omnibus Catholicis interdictum.*

III. *Præcluditur refugium Genethliacorum, & decreta Principum ſecularium contra illos edita recenſentur.*

IV. *Artem iudiciariam iure ab Eccleſia, & ſæculi Principibus damnatam.*

V. *Sidera voluntates humanas directè, ac immediatè non monere, nec humanas electiones cauſare.*

VI. *Varia corporis humani temperamenta, ingenia, propenſiones, & mores à corpore cæleſti, vt cauſa particulari, & immediata minimè pendere.*

VII. *Non poſſe Mathematicos futuros humanæ vitæ euentus, qui ex libera voluntate pendent, certò præuidere.*

VIII. *Multoque minus poſſe occultas cordium cogitationes, & miracula, quæ diuina virtute ſupra curſum naturæ fiunt, præuidere.*

IX. *Aſtra non ſolùm non eſſe cauſas futurorum effectuum cõtingentiũ, ſed nec etiam ſigna.*

X. *Non poſſe ex veris Aſtrologorum Iudiciariorum prædictionibus veritatem artis iudiciariæ probari.*

XI. *Quas ob cauſas nonnunquam Iudiciarij futuros euentus præter artem diuinent.*

INDEX

INDEX
PRÆCIPVARVM CONTROVERSIARVM
QVÆ IN HOC OPERE EXAMINANTVR

Libro primo.

I. CONTROVERSIA *versatur circa explicationem horum quatuor nominum, Necessarium, Contingens, Liberum, & Fatum cap. 1. & 3. sequent.*

II. *Controuersia versatur circa proprium genus, & propriam differentiam liberi arbitrij cap. 6. & nouem sequentibus.*

III. *An vera libertas omnem necessitatem excludat cap. 15. & quinque seq.*

IV. *Versatur circa iudicium practicum necessarium ad electionem cap. 21. & sex sequent.*

V. *Versatur circa propositionem illam, Potentia libera est illa, quæ positis omnibus requisitis in actu primo, &c. cap. 28. & sequentibus vsque ad finem.*

Lib 2. vnica tantùm controuersia continetur.

An in homine sit liberum arbitrium.

Lib. 3. continentur tres controuersiæ principales.

I. *An in Deo sit certa, & distincta notitia futurorum contingentium cap. 1. vsque ad decimum.*

II. *An certitudo diuinæ Præscientiæ imponat necessitatem euentus rebus præscitis, cap. 11. vsque ad vigesimum quartum.*

III. *An sit in Deo scientia futurorum contingentium conditionatorum, cap. 25. vsque ad finem libri.*

Lib. 4. Quinque controuersiæ principales tractantur.

I. *An Deus velit aliquid extra se cap. 1. & 2.*

II. *An aliorum à se Deus sit causa per voluntatem cap. 3. vsque ad septimum.*

III. *An actus humani etiam liberi sint efficaciter ab æterno prædefiniti cap. 8. vsque ad decimum nonum.*

IV. *An omnis Dei voluntas sit efficax cap. 20. vsque ad 22.*

V. *An efficax Dei decretum impediat arbitrij libertatem cap. 23. & 24.*

Lib. 5. Quatuor controuersiæ habentur.

I. *An in Deo sit Prouidentia, & quid illa sit cap. 1. & duob. sequentibus.*

II. *Quodnam sit obiectum diuinæ prouidentiæ cap. 4. vsque ad nonum.*

III. *An homines per Dei prouidentiam sint verè ordinati in finem supernaturalem æternæ beatitudinis cap. 10. vsque ad 17.*

IV. *An ordo prouidentiæ sit omnino immutabilis cap. 18. vsque ad finem.*

Lib. 6. Quatuor controuersiæ principales dirimuntur.

I. *An, & quid sit Prædestinatio cap. 1. & 2.*

II. *Quodnam sit obiectum diuinæ prædestinationis cap. 3. vsque ad 6.*

III. *De causis prædestinationis cap. 7. vsque ad trigesimum primum.*

IV. *De certitudine eiusdem prædestinationis cap 23. vsque ad finem.*

Libro septimo.

I. *Quid sit reprobatio cap. 1. vsque ad 5.*

II. *Quæ sint illius causæ cap. 6. vsque ad 14.*

Qui

III. *Qui sint reprobationis effectus cap. 15. vsque ad finem.*

Libro octauo.

I. *De primo omnium rerum principio cap. 1. vsque ad 8.*
II. *Vnde nam sit malum in rebus cap. 9. vsque ad 14.*
III. *De diuina cooperatione cum secundis causis cap. 15. vsque ad 18.*
IV. *An concursus Dei cum secundis causis sit influxus in ipsas causas, an solùm in illarum actiones, & effectus cap. 19. vsque ad finem.*

Libro nono.

I. *De multiplici gratia acceptione, & diuisione cap. 1. vsque ad 9.*
II. *An per efficaciam gratiæ operantis impediatur arbitrij libertas in operibus pietatis, cap. 10. vsque ad finem.*

Libro decimo.

I. *An ars Iudiciaria sit licita cap. 1. vsque ad 4.*
II. *An Astra mouere possint humanas voluntates cap. 5. vsque ad 8.*
III. *An Astra sint signa futurorum contingentium cap. 9. vsque ad finem.*

PRÆFA

Digitized by Google

PRÆFATIO,

QVA

INTENTIO AVTORIS, ET TOTIVS operis diuiſio, & ordo explicatur.

LIBERTATEM humanæ voluntatis in operibus tum naturæ, tum gratiæ contra impios aſſertores fatalis neceſſitatis hoc noſtro qualicunque opere pro Dei gloria defendendam ſuſcipimus: prouinciam valdè vtilem, & noſtra opinione apprimè neceſſariam, ſed opus difficile, ac ſummopere laborioſum, in quo priuſquam cum hoſtibus veritatis congrediamur, tria loco præfationis operæpretium eſſe ducimus breuiter explicare, videlicet quodnam monſtri genus ſit illud, contra quod pugnam aggredimur: quæ cauſæ ad congrediendum impellant: & qua ratione ipſum congreſſum inſtituere velimus. Quale ſit monſtrum, contra quod pugnam inſtauramus, ex hoc facilè patet, quòd cùm omnes hæreſes monſtra ſint immaniſſima à Diabolo ad Eccleſiam Catholicam labefactandam ex inferno aduocata, cùm etiam inter hæreſes ſint aliæ aliis deteriores, & pernicioſiores, nulla pernicioſior, neque humanæ ſaluti, & Chriſtianæ religioni, vel ipſimet Deo inimica magis vnquam extitit, ea, quæ hominem arbitrij libertate priuat, & omnes humanæ vitæ euentus fatali, ac ineuitabili ſupponit neceſſitati. Hæc profectò beſtia illa eſt immaniſſima, plena nominibus blaſphemiæ ab Apoſtolo Ioanne Apocal. cap. 17. depicta, quæ habet capita ſeptem, & cornua decem, & mulierem meretricem defert calicem tenentem plenum omnis immunditiæ, & abominationis. Eſt quippe beſtia, quæ homini vſum rationis adimens, illum beſtiis perſimilem facit: homo nanque ſola ratione omnium ſapientum conſenſu à beſtiis differt; ſed qui hominibus arbitrij libertatem aufert, etiam vſum rationis adimit, quippe quæ ex ſententia D. Bernardi, Alexandri, & multorum Philoſophorum, vt in progreſſu patebit, arbitrij libertatem intrinſecè, & eſſentialiter requirit. Ergo beſtias, & homines pares facit, nihilque inter beſtias, & homines diſtinguit. Dicitur autem hæc beſtia blaſphemiæ nominibus plena, & meritò quidem, quia aliæ hæreſes licèt de Deo, & de ſacroſanctæ fidei Catholicæ dogmatibus minùs rectè loquantur, & ſentiant, non tamen ad tantam impudentiam peruenerunt, vt Deum conuitiis, & probris laceſſere, & ſcelerum autorem illum facere auſæ vnquam fuerint: at ſoli impudentiſſimi aſſertores fatalis neceſſitatis ad eam impudentiæ, ac improbitatis metam deueniunt, vt non contenti omnia Chriſtianæ religionis fundamenta euertiſſe, omnibus virtutibus interdixiſſe, 1.

Digitized by Google

monachorum vota proſcripſiſſe, Sanctorum imagines deleuiſſe, conculcaſſe, cineres è propriis tumulis turbauiſſe, illorum venerationem prohibuiſſe, animas fidelium perſecutos fuiſſe, vt charorũ ſuffragiis priuarent, aduersùs Deum ipſum ſeſe erigẽtes & in blaſphemias execrãdas os ſuum aperientes, illum atrociſſimis contumeliis, & probris vrgere non erubeſcant. Quæ namque blaſphemia magis atrox, quod conuitium magis execrandum excogitari poteſt, quàm dicere, Deum omnia mala opera æquè vt bona in hominibus operari, & non minùs eſſe proprium opus Dei proditionem Iudæ, quàm pœnitentiam Petri, & non ſolùm Deum peccata in hominibus operari, ſed etiam ad ipſa peccata
Auguſtinus. vel inuitos homines compellere? Nam, vt D. Auguſtini verbis vtamur in libro ad articulos ſibi falsò impoſitos, ad 2. *Si obiceretur ipſi Diabolo, quòd talium facinorum ipſe autor, ipſe eſſet incenſor, puto quòd aliqua ratione exonerare ſe hac poſſet inuidia; & talium ſcelerum patratores de ipſorum voluntate vinceret, quia etſi delectatus eſt furore peccantium, probaret tamen ſe non inuliſſe vim criminum.* & nihilominus, quod vel de ipſo Diabolo dici non poteſt, Deo tribuere non verentur hi perditiſſimi nebulones.

II. Habet etiam hæc beſtia ſæuiſſima ſeptem capita, quia non vnum, ſed ſeptem præcipuè ſunt capita, ex quibus aſſertores fatalis neceſſitatis humani arbitrij libertatem negant, quorum primum eſt, vt illi fingunt, omnia ex abſoluta neceſſitate in mundo euenire. Secundum, Deum agere ad extra ex neceſſitate naturæ. Tertium, præſcientiæ diuinæ infallibilitas. Quartum, diuini decreti immobilitas. Quintum, efficacia diuinæ motionis. Sextum, aſpectus ſyderum, quibus putant humanas voluntates eſſe ſubiectas, ac ligatas. Septimum tandem caput eſt peccatum Adæ. Porrò ex his ſeptem capitibus decem cornua naſcuntur, nimirum decem ſectæ tum Philoſophorum, & Mathematicorum, tum etiam hæreticorum, humani arbitrij libertatem oppugnantium. Prima illorum, qui liberum arbitrium negant, quia putant omnia euenire ex abſoluta neceſſitate, vt Heraclitus, & Democritus, quibus nonnulli adiungunt Ioannem VVicleffum. Secunda illorum, qui liberum arbitrium negant, quia putant, Deum agere ad extra ex neceſſitate naturæ, vt Empedocles, & ſecundùm aliquos Ariſtoteles & Plato. Tertia illorum, qui putant, certitudinem diuinæ præſcientiæ pugnare cum ipſa arbitrij libertate, vt Heſiodus, & Ioannes VVicleffus. Quarta Stoicorum, qui libertatem humanam ex efficacia diuinorum decretorum ſubuertunt, cum quibus quamplures hæretici conſentiunt. Quinta Caluinitarum, qui eandem arbitrij libertatem ex ordine immutabili diuinæ prouidentiæ auferunt. Sexta illorum hæreticorum, qui Prædeſtinati appellantur, hi ex vi diuinæ prædeſtinationis, & reprobationis arbitrij libertatem adimunt. Septima quorundam Philoſophorum, quos Caluinitæ ſequuntur, per efficaciam diuinæ motionis ipſam libertatem arbitrij tollentium. Octaua eorum, qui eandem arbitrij libertatem negant ob efficaciam diuinæ gratiæ. Nona Mathematicorum iudiciariorum humanas voluntates fatalibus ſtellis ſubiicientium. Decima tandem Lutheri, & Caluini, qui aſſerunt, liberum arbitrium Adamo peccante in hominibus extinctum fuiſſe. de quibus ſectis lib 2. fuſiùs dicetur.

III. Tandem fert hoc monſtrum mulierem meretricem, quæ calicem tenet omnis immunditiæ, & abominationis plenum, quia nulla eſt hæreſis, ob quam faciliùs homines in vitia quæque nefandiſſima, & turpiſſima defluant, ea, quæ humani arbitrij libertatem negat, quam qui ſemel imbiberunt, omni religione ablegata, omnibus virtutibus conculcatis bibunt velut aquam iniquitatem, & ventrem cum Venere pro Diis colentes, omne genus turpitudinis præconiis, & laudibus

laudibus efferre non erubeſcunt. *Noſtri temporis hæreſiarchæ* (inquit Stapletonius) *omnes flagitioſi, & perditiſſimæ vitæ homines erant. Martinus Lutherus, Buccerus, Petrus Martyr, Oecolampadius Monachi apoſtatæ erant, & inceſtis nuptiis ſe contaminauerunt. Joannes Caluinus in ſua ciuitate Nouioduno peculatus, & ſodomiæ conuictus indulgentia Epiſcopi dimiſſus eſt, vt poſtea hæreſiarcha fieret. Theodorus Beza beneficiis ſuis diuerſis hominibus bis diuĕditis ex agro Pariſienſi Genuam profugit, homo ita flagitioſè turpis, vt præpoſteram libidinem ſuam verſibus toti mundo prædicare eum non puduerit.* Hi verò præcipui huius erroris patroni, ac defenſores extiterunt. Sed quid mirum? habet enim hic error arctiſſimam quandam neceſſitudinem, & propinquitatem cum illis duobus erroribus, qui omnem religionem, pietatem, & omne virtutis ſtudium vnico ictu funditus ſubuertunt, nimirum cum Atheiſmo, & cum illo, qui aſſerit, animam hominis cum corpore interire. Sic enim Lindano referente in ſuo Dubitantio quamplures illius ſectatores apud Genueam pro Purgatorio, Miſſa, & Romano Pontifice abrogandis congregati poſt longam conſultationem tandem concluſerunt: *Aſſeramus, animam vnà cum corpore interire. Sic Purgatorium, vnà cum Miſſa, & Romano Pontifice abolebimus.* Conſequenter profectò, nam animæ rationalis immortalitate ſemel negata, neceſſe erit omnem religionem, & omne ſtudium virtutis vno ictu ruere, & funditus interire. Hinc facilè videas, quàm dirum, & immane ſit monſtrum, contra quod hîc ſumus cum auxilij diuini confidentia pugnaturi.

Thomas Stapletonius.

Lindanus.

Iam verò cauſa, quæ nos poſt tot, támque præclaros eruditiſſimorum Doctorum congreſſus, poſt tot doctiſſimas lucubrationes, ſolidiſſimáſque diſputationes contra huius erroris aſſertores in lucem editas, ad eundem congreſſum denuò excitauit, triplex potiſſimùm extitit: & prima quidem diuini honoris contra tam execrandas blaſphemias vindicandi zelus, necnon etiam cõmunis libertatis ſeruandæ humano, naturali, ac etiam diuino iure firmata obligatio. Nam ſi communem Reipublicæ libertatem nõ ſolùm Proceres, & Optimates, ſed infimi, ac vulgares quique pro poſſe tueri, & pro illa ſeruanda opes, & vires & animam ipſam, ſi opus ſit, effundere iubemur, quantò magis veram arbitrij libertatem nobis à Deo donatam, & à Ieſu Chriſto Saluatore noſtro reparatam Catholici quique docti, & indocti, defendere tenemur? Et ſi maledicta, & conuitia in terrenos Principes coniecta, ſub perduellionis reatu non ſolùm prodere, ſed vindicare nonnunquam iubemur, quantò magis probra, & maledicta in ipſum Deum cõiecta ab iſtis impudentiſſimis fati aſſertoribus, qui ſuorum ſcelerum illum autorem faciunt, ſi non verberibus, ſaltem verbis retundere, & pro viribus caſtigare debemus?

IV.

Alia inſuper ratio acceſſit, quæ nos ad hanc prouinciam obeundam non leuiter mouit, quòd, vt S. Pater Auguſtinus non ſemel docet, cùm de fide agitur contra hæreticos, optimè fecerint, ſi plures ſcribant, etiamſi in eodem penè argumento verſentur, eiſdem fermè periodis eadem repetentes. Nam ipſa experientia docente vna, & eadem res, quæ ex vnius ore aut calamo vix cum maxima difficultate percipi poteſt, ex alterius, mira facilitate ſtatim percipitur; quod cùm nonnulli in noſtris prælectionibus, dum Scholaſticam Theologiam profiteremur, ſe expertos non ſemel dixerint, ídque præcipuè cùm ad aliquam huius argumenti partem explicádam accederemus, nec me lateat ipſas prælectiones in albeolis exceptas etiam apud aliquos viros doctos fuiſſe inuulgatas, ſæpè rogatus, ac iuſſus vt integram tractationem circa hoc ipſum argumentum in lucem emitterem, votis amicorum, & præceptis ſuperiorum non acquieſcere nec poteram, nec debebam.

Auguſtinus lib. 1. de Trinitate cap. 3. & lib. contra mẽdacium cap. 6.

Digitized by Google

v. Quibus omnibus illud tandem acceſſit, quòd etſi quamplures grauiſſimi, ac præclariſſimi viri in aliqua eiuſdem argumenti parte explicanda ſuos labores impenderunt, nullus tamen, quod videre potuerim, illud ex integro perſtrinxit. Scripſerunt nonnulli contra antiquos Philoſophos, alij contra Aſtrologos genethliacos, alij aduersùs priſcos hæreticos, Gnoſticos, Priſcillianiſtas, Manichæos, alij contra recentiores, VVicleffum, Lutherum, Caluinum, Bezam, Bucerum: nullus ex toto (vti aiunt) aſſe hoc argumentum abſoluit. Noſtri autem inſtituti ratio eſt, quantum Deo adiuuante per virium tenuitatem conceſſum fuerit, omnia ad præſens argumentum ſpectantia hoc volumine perſtringere, ita contra hæreticos diſputationem dirigendo, vt Philoſophorum, & Aſtrologorum iudiciariorum errores irrefutatos minimè relinquamus, & nihil ex iis, quæ ad integram eiuſdem argumenti tractationem deſiderari poſſunt, in hoc opere prætermittamus.

VI. Et quoniam aduerſarij veritatis, non ex vno, ſed multiplici capite arbitrij libertatem impugnant, vt dictum fuit, vt ea omnia, quæ ad hanc tractationem ſpectant, aliquo certo ordine perſtringamus, totam tractationem in decem libros partimur, in quorum primo veram ipſius libertatis humanæ quidditatem, & naturam iuxta legitimum ſenſum diuinæ Scripturæ, & Sanctorum Patrum aperiemus.

In ſecundo oſtendemus eſſe in homine veram arbitrij libertatem primo libro explicatam, etiam ſuppoſito peccato Adæ.

In tertio, non lædi humanam libertatē per certitudinē diuinæ præſcientiæ.

In quarto, non tolli eandem libertatem per decretum efficax diuinæ voluntatis.

In quinto, non impediri per ordinem immutabilem diuinæ prouidentiæ.

In ſexto, non minui per immutabilitatem diuinæ prædeſtinationis.

In ſeptimo, non auferri per diuinam reprobationem.

In octauo, non excludi per efficaciam diuinæ cauſalitatis ordinis naturalis.

In nono, non prohiberi per efficaciam diuinæ gratiæ.

In decimo tandem, non eſſe humanas voluntates fatalibus ſtellis alligatas, neque per influxus corporum cæleſtium arbitrij libertatem aliquo pacto remoueri.

Porrò hæc omnia methodo, & via ſcholaſtica tractanda ſuſcipimus, quæ ad veritatem è tenebris eruendam & errores conuincendos magis conducit, ita in aduerſarios Catholicæ veritatis diſputationem dirigentes, vt tamen quæſtiones inter ſolos Doctores Catholicos diſputatas, quarum ſolutio ad præſens argumentum eſt ſcitu neceſſaria, minimè intactas omittamus, ea quidem lege, ac moderatione, vt in erroribus eiiciendis, quos S. Romana Eccleſia columna veritatis reiicit, & damnat, toti incumbamus: de opinionibus verò Catholicorum, quæ liberæ Theologorum diſputationi relinquuntur, ita arbitremur, vt ſententias oppoſitas noſtræ opinioni, ne minima quidem nota afficere audeamus. Quippe qui iuxta D. Patris Auguſtini ſententiam & documentum libros ita ſcribimus, vt ſcribendo proficiamus, & proficiendo ſcribamus, & de opinionibus Doctorum cum animi ſubmiſſione pro libertate per ſanctā ſedem Apoſtolicam omnibus facta, non tanquam iudices definimus, ſed vt Doctores opinamur: quíque non ſolùm præſentem tractationem, ſed alia omnia noſtra dicta, ſcripta, ac ſcribenda, non ſolùm ipſius S. R. E. ſed cuiuſcunque Catholici Doctoris cenſuræ prompto animo, & ſincera mente ſubiicimus, & ſubiecta profitemur.

Auguſt. lib. 3. de Trinit. cap. 1. & dono perſeuerantiæ cap. 21.

PROPV



Ad finem primi capitis primi libri pag. 5.

Vtam multiplex NECESSARII diuiſio & acc



ceptio faciliùs percipiatur, ſequens ſubiicitur tabella.

lis appellatur Violentum.
tur Coactum.
tantùm, quod vocatur Neceſſarium Logicum, vel Metaphyſicum, vt iſta: Homo eſt animal rationale.

- ſimpliciter, quod nam aliud
  - Neceſſarium abſolutiſſimè ab intrinſeco, & extrinſeco, vt Deus.
  - Neceſſarium ab intrinſeco, vt Angelus, & Anima rationalis.
  - Neceſſarium non ab intrinſeco, neque ab extrinſeco, ſed quia tranſiuit in præteritum, quo pacto D. Thomas vocat propoſitiones de præterito ſimpliciter neceſſarias.
- ex ſuppoſitione, quæ dicit ſolam poſitionem vnius ad alterum, ſi illud ponatur in eſſe, vt cùm dico; Si ambulat, mouetur.
- od eſt duplex eſt
  - Neceſſarium, quia illius ſignificatum habet in ſe aliquam neceſſitatem, ſed illa non ponitur in rerum natura, niſi poſito aliquo alio. quod duplex eſt, aliud enim eſt
    - Neceſſarium ex ſuppoſitione antecedēte, & iſtud eſt triplex: quia vel eſt
      - Neceſſarium neceſſitate cauſæ efficientis extrinſecæ, quod duplex eſt, aliud eſt enim
        - Neceſſarium à cauſa extrinſeca naturaliter determinata ad ſic agendum, quod dicitur neceſſarium neceſſitate naturalis determinationis. hoc modo motus ſphæræ cœleſtis dicitur neceſſarius, & hominem eſſe animal riſibile, eſt neceſſarium.
        - Neceſſarium à cauſa extrinſeca, quæ non eſt naturaliter determinata ad agendum, ſed tamen poſita illius cauſalitate cauſa inferior non poteſt non ponere ſuum effectum. hoc pacto Stoici ponebant in noſtra voluntate neceſſitatem proueniētem ex decreto diuinæ voluntatis.
      - Neceſſarium neceſſitate cauſæ finalis. quod duplex eſt: quia aliud eſt
        - Neceſſarium ſimpliciter ad finem, vt cibus volenti viuere.
        - Neceſſarium ad bene eſſe, vt equus volenti iter facere.
      - Neceſſarium ex neceſſitate cauſæ intrinſecæ. quo pacto dicunt Philoſophi, omne compoſitum ex materia, & forma neceſſariò eſſe corruptibile.
    - Neceſſarium ex ſuppoſitione conſequente, vel comitante. quod eſt duplex, nam aliud eſt
      - Neceſſarium neceſſitate, quæ excludit eſſe actus oppoſiti, non tamen potentiam ad actum oppoſitum. vt cùm dico: Si te currentem video, neceſſe eſt te currere.
      - Neceſſarium neceſſitate, quæ excludit actum oppoſitum, & potentiam ad eundem actum. vt cùm dico: Si Deus præſciuit hoc futurum, neceſſariò erit.

r determinatum ad agendum in vniuerſali, ſed non in particulari ad hunc, aut ad illum effectum, vt cœlum

tum ad particularem effectum, quoad ſpecificationem actus, non quoad exercitium, vt voluntas reſpectu
; vltimi finis.
tum etiam in exercitio, vt ignis ad calefaciendum.
tud eſt duplex, nam aliud eſt naturaliter

Digitized by Google

Digitized by Google

PROPVGNACVLI
HVMANÆ LIBERTATIS
LIBER PRIMVS.
IN QVO
Vera ipſius libertatis natura explicatur.

PROOEMIVM.

Tullius. AVTOR eſt Marcus Tullius lib. 1. Rhetoricorum, & Officiorum primo, omnem, quæ de aliqua re tractatio inſtituēda eſt, ab ipſa rei definitione inchoari debere: veræ namque definitionis ea eſt vis, atque proprietas, teſte Auerroe lib. 4. Phyſicorum comm. 31. & 4. cæli comm. 2. vt omnem quæſtionem & dubitationem contingentem circa rem definitam diſſoluere poſſit, & diſterminare. Aggreſſuri itaque defenſionem humanæ libertatis contra hoſtes catholicæ veritatis, cum auxilij diuini confidentia hanc tractationem ab ipſa definitione libertatis inchoandam eſſe exiſtimamus. Quod eo libentiùs efficimus, quòd de ſubiecto non ſolùm an ſit, ſed etiam quid ſit, iuxta doctri-
Auerroes. Ariſtoteles. B. Thomas. nam Ariſtotelis in Analyticis neceſſe eſt præcognoſcere, & iuxta ſententiam B. Thomæ 1. part. quæſt. 2. art. 2. ad 2. quæſtio, an res ſit, notitiam quidditatis eiuſdem rei ſaltem confuſam neceſſariò ſupponit: quod etiam plures iique graues autores, & cum primis docti ante nos fecerunt, tunc præſertim, quando de libero arbitrio illos agere oportebat. Licèt enim quæſtio, an res ſit, ad quæſtionem quid ſit, vt in pluribus ſoleat præponi, tamen cùm de libero arbitrio agitur, niſi veram, & exactam libertatis naturam, & quidditatem, perfectè aſſequamur, neque ſi in nobis liberum arbitrium verè exiſtat, rectè poterimus demonſtrare. Fuerunt enim, & ſunt etiamnunc hæretici, qui veram arbitrij libertatem negantes, tamen quomodocunque vſurpato nomine libertatis, homines libero arbitrio præditos eſſe non negant. Certè Ioannes VVicleffus l. 3. Triſalogi c. 28.
VVicleff. Caluinus. referente VValdenſi lib. 1. doctrinalis fidei c. 22. id cõcedit. Caluinus quoque aduersùs Pighiũ lib. 2. ita ſcribit: *Si coactioni opponatur libertas, liberum eſſe arbitriũ, & conſtanter aſſeuero, & pro hæretico habeo, quiſquis ſecus ſentiat, ſi hoc liberũ vocetur, quia nõ cogatur, aut violẽter trahatur externo motu, ſed ſponte agatur ſua: ſed cùm aliud prorſus vulgo concipiant, dũ hoc epitheton hõmini attribuunt, vel audunt, vel legunt, & ad facultates, virésque referant, & imaginatio hæc in*

mentem veniat, habere ſub poteſtate ſua bonum, & malum, vt alterum eligere ſuapte natura queat, hac cauſa eſt, cur mihi diſpliceat.

Igitur priuſquam ad vlteriora progrediamur, in hoc primo libro erit nobis ipſa libertatis natura, & eſſentia diligenter inueſtiganda, & explicanda. Et quoniam in ſcientiis verborum æquiuocatio ſummopere vitari debet, præſertim cùm de fide agitur, quia multoties ex verbis inordinatè prolatis hæreſes naſcuntur, vt D. Hieron. à Ma-
Hieronymus. giſtro ſententiarum lib. 4. diſt. 13. relatus docet; idcirco ante omnia operæpretium eſſe ducimus, explicare varias acceptiones tum iſtarum vocum, *liberum arbitrium*, & *libertas*, tum aliarum nonnullarum, quarum frequentior erit vſus in hac noſtra tractatione. In ſumma totum hunc primum librum in tres partes principales diuidimus, in quarum prima explicabitur varia, ac multiplex acceptio iſtorum nominum, *Neceſſarium, Contingens, Fatum, Liberum, Neceſſitas, Contingentia, Fatalis neceſſitas, & Libertas*. In ſecunda venabimur veram definitionem liberi arbitrij, ac libertatis, illius proprium genus, & proprias differentias inueſtigando. In tertia circa ipſam definitionem grauiora quædam dubia mouebuntur, quorum ſolutio ad exactam eiuſdem libertatis naturam intelligendam apprimè conducit.

CAPVT I.

Varia, & multiplex acceptio neceſſarij, & neceſſitatis aſſignatur, & declaratur.

NECESSARIVM, ſi vocis etymologiam at- 1.
tendamus, ſignificat omne illud, quod non eſſe non poteſt, vt D. Thom. 1. part. quæſt. 82. art. 1. D. Thomas.
adnotauit. dicitur enim neceſſariũ à *ne*, id eſt, nõ, & verbo *ceſſare*, quaſi non potens ceſſare. Quamobrem tot modis dicitur aliquid neceſſariũ, quot modis impoſſibile eſt illud non eſſe. Prima igitur diuiſione diuiditur neceſſarium in illud, quod eſt neceſſarium ſecundùm naturam, & illud quod eſt neceſſarium contra naturam. Rurſus neceſſarium contra naturam duplex eſt, nam aliud eſt neceſſarium contra naturam agentem abſque cognitione, Auerroes.
quod proprio nomine appellatur *violentum* 1. lib. de Cælo comm. 62. aliud verò eſt neceſſarium contra naturam agentem per cognitionem, &

Digitized by Google

iſtud proprio nomine vocatur coactum, quamuis ſæpe alterum pro altero ſumatur. Neceſſarium ſecundùm naturam duplex eſt, aliud quod eſt neceſſarium in eſſendo, aliud quod eſt neceſſarium in cauſando. Adhuc neceſſarium in eſſendo duplex eſt, aliud quod eſt neceſſarium neceſſitate eſſentiæ tantùm, & iſtud appellatur neceſſarium logicum, ſeu metaphyſicum, quo pacto vocantur propoſitiones neceſſariæ illæ, quarum prædicata & ſubiecta habent adinuicem inſeparabilem, & neceſſariam connexionem. Iuxta hanc acceptionem neceſſarij intelligendi ſunt D. Thom. 1. part. quæſt. 10. art. 3. ad 3. & quæſt. 16. art. 7. ad 4. & alij Theologi & Philoſophi, cùm dicunt, rerum eſſentias eſſe neceſſarias, & æternas. Aliud autem dicitur neceſſarium neceſſitate exiſtentiæ, & eſt illud, quod non poteſt non exiſtere, quod neceſſarium adhuc duplex eſt, aliud ſimpliciter & abſolutè, aliud verò ex ſola ſuppoſitione.

D. Thom.

Neceſſarium ſimpliciter, & abſolutè neceſſitate exiſtentiæ eſt etiam duplex, aliud, quod eſt ſimpliciter, & abſolutiſſime omnibus modis neceſſarium tam ab intrinſeco, quàm ab extrinſeco. Hoc pacto ſolus Deus dicitur ens ſimpliciter, & abſolutiſſimè neceſſarium: quia nullo modo poteſt non exiſtere, & habet eſſe omnibus modis independens, & inuariabile, & nihil præter Deum hoc pacto dici poteſt ens neceſſarium, ſed omnia ſunt entia poſſibilia, & contingentia. In hoc ſenſu dixerunt Sophronius in confeſſione ſuæ fidei, quæ in ſexta Synodo in Trullo celebrata actione vndecima recipitur, & probatur, necnon Damaſcenus lib. 2. de fide cap. 3. Angelum non natura, ſed gratia immortalitatem conſecutum, quibus in ſuo Timæo Plato conſimilia docuerat. Aliud autem eſt neceſſarium abſolutè, & neceſſitate exiſtentiæ, non tamen omnibus modis, ſed ſolùm ab intrinſeco, & hoc modo omnis ſubſtantia, quæ caret interno principio ſuæ corruptionis, poteſt vocari ens neceſſarium, etiamſi pendeat ab aliquo principio externo in exiſtendo. Hoc neceſſarium appellatur neceſſarium phyſicum; & iuxta hanc neceſſarij acceptionem Angeli, anima rationalis, corpora cæleſtia, & prima materia paſſim ab omnibus Philoſophis & Theologis appellari ſolent entia neceſſaria, licèt pédeant à prima cauſa, à qua illis communicatum eſt eſſe etiam ad mentem Philoſophorum, vt lib. 8. dicemus.

Sophron. Damaſcen. Plato.

II. Neceſſarium ex ſuppoſitione ipſum quoque duplex eſt, aliud ex ſuppoſitione antecedente, aliud ex ſuppoſitione conſequente, ſiue concomitante ipſam rem, vt euidenter colligitur ex D. Patre Auguſt. lib. 5. de Ciuitate cap. 10. & ex D. Anſelmo in lib. Cur Deus homo cap. 18. vbi vtramque neceſſitatem definiens ſic ait: *Eſt neceſſitas præcedens, quæ cauſa eſt, vt ſit res; & eſt neceſſitas ſequens, quam res facit; præcedens, & efficiens neceſſitas eſt, cùm dicitur calum volui, quia neceſſe eſt, vt calum volvatur: ſequens verò, & quæ nihil efficit, ſed fit, eſt cùm dico, te ex neceſſitate loqui, quia loqueris: cùm enim hoc dico, ſignifico, nihil facere poſſe, vt dum loqueris, non loquaris, non quod aliquid te cogat ad loquendum, nam violentia naturalis conditionis cogit calum volui, ſe verò nulla neceſſitas facit loqui.*

Auguſt. Anſelmus.

Neceſſitas ex ſuppoſitione antecedenti adhuc eſt duplex, alia quæ prouenit ex ſuppoſitione cauſæ finalis, alia proueniēs ex ſuppoſitione aliarum cauſarum, maximè efficientium. Neceſſitas ex ſuppoſitione cauſæ finalis ſine dubio eſt ex ſuppoſitione antecedenti, finis enim eſt prima cauſa in ordine cauſarum, quæ mouet cauſam efficientem ad agendum, vt ſatis conſtat ex bona philoſophia: hæc igitur neceſſitas eſt adhuc duplex, alia ſimpliciter, alia ſecundùm quid, & ad benè eſſe. Neceſſarium ſimpliciter, & abſolutè ex ſuppoſitione finis dicitur omne medium abſolutè neceſſarium ad conſequendum finem, ſuppoſita intentione efficaci eiuſdem finis, quod idcirco in ſcholis dicitur neceſſarium ſimpliciter ad finem. v. g. cibus eſt ad vitam abſolutè, & ſimpliciter neceſſarius. Neceſſarium ſecundùm quid, & ad benè eſſe eſt illud, ſine quo finis conſequi poteſt, licèt non ita facilè, vt equus volenti iter facere. Neceſſitas ex ſuppoſitione antecedente proueniente ex aliis cauſis præter finalem adhuc eſt duplex, alia proueniens ex cauſis intrinſecis, & naturaliter determinatis, quo pacto omne conſtans ex materia eiuſdem rationis, cum materia horum inferiorum, neceſſe eſt tandem corrumpi, vt ait Philoſophus 1. de cælo text. 136. 7. Metaphyſ. text. 22. 53. lib. 12. text. 30. & lib. 14. cap. 3. Eadem ratione dicimus, omne rationale neceſſariò eſſe riſibile. In hoc etiam ſenſu dixit D. Anſelmus loco proximè allegato, *quòd violentia naturalis conditionis cogit calum volui.* & vniuerſaliter omnis effectus proueniens ex cauſa naturaliter determinata ad producendum ipſum effectum, dicitur neceſſarius neceſſitate ex ſuppoſitione antecedenti, quæ vocatur neceſſitas naturalis determinationis, ſeu conditionis: licèt D. Anſelmus impropriè eam vocet violentiam naturalis conditionis. Alia verò eſt neceſſitas ex ſuppoſitione antecedenti, quæ prouenit à cauſa extrinſeca, & non naturaliter determinata ad producendū effectum; quæ idcirco poteſt poni, & non poni: ſed tamen illa poſita, vltima cauſa, quæ eſt illi ſubordinata, non poteſt non ponere ſuum effectum. talis erat neceſſitas illa fatalis, quam aſſerebant Stoici, prouenientē ex ſuppoſitione diuinæ præſcientiæ, & diuinæ voluntatis, cuius meminit Auguſtinus lib. 5. de Ciuitate cap. 9. & 10. quā Thomas VValdenſis lib. 1. doctrinalis fidei cap. 23. num. 7. ex ſententia eiuſdem Auguſtini vocat neceſſitatem ab extrinſeco. Eiuſdem generis eſt neceſſitas, quam admittebant alij ab eodem VValdenſi relati eodem lib. cap. 28. vocantes eam neceſſitatem reſpectiuam, obligantem tamen ad euentum effectus. *Non ſum* (inquit) *pauci hominum, nec in Scripturis ſacris indocti, quorum aliqui non multum ante nos conceſſerunt, ponentes in Scripturis neceſſitatem futurorum euentuum, ſed cauentes abſolutam, reſpectiuam eſſe dixerunt, & præuenientem quemcunque futurum effectum: ne propter contingentiam liberam res futura neceſſaria macula fallibilitatis concludi poſſet, vel certiſſime prophetæ.* Et infrà declarans ex illorum ſententia, vnde iſta reſpectiua neceſſitas proueniat, ſubiungit: *ſubdit tamen, quòd iſta neceſſitas libertati non repugnat arbitrij; eo quòd duplicem cauſam reſpiciat, cauſam ſuperiorem, penes quam neceſſitatem ſuam habet, ſcilicet ſcientiam, & voluntatem diuinam, & aliquam cauſam mediam reſpicit pro cauſa ſecunda, per quam prouidit Deus, rem talem eſſe futuram*, &c. *& ſic in ſecundis cauſis eſt libertas, & poſſibilitas aliter euenienda, non autem in primis.* Quam ſententiam parum conſentaneam exiſtimat diuinæ Scripturæ, & Catholicæ veritati. legatur totum illud caput.

Auguſtinus. Thomas VValdenſis. Auguſtinus. Anſelmus.

III. Neceſſitas ex ſuppoſitione comitante, vel conſequente à D. Auguſtino citato lib. 5. de Ciuitate cap. 10. vocatur neceſſitas exiſtens intra voluntatem, & à D. Anſelmo neceſſitas, quam ipſa res facit. Hæc neceſſitas duplex eſt, alia quæ excludit eſſe

III. Auguſtinus. Anſelmus.

eſſe actus oppoſiti actui inexiſtenti, non tamen excludit poſſe ſuccedere actum oppoſitum: vt cùm dico, ſi video te currentem, neceſſe eſt, te currere; ſuppoſito enim, quòd videam te currentem, hæc ſuppoſitio excludit eſſe actus oppoſiti, qui eſt non currere, non tamen excludit poſſe ſuccedere actum oppoſitum, qui eſt non currere. De hac neceſſitate loquitur Philoſophus 1. Peri-
Ariſtoteles. hermenias cap. vltimo, cùm ait: *Omne quod eſt, dũ eſt neceſſe eſt eſſe.* Alia verò eſt neceſſitas, quæ non ſolùm excludit eſſe actus oppoſiti actui inexiſtẽti, ſed etiam poſſe ſuccedere ipſum actum oppoſitum: & hæc vocatur neceſſitas infallibilitatis, & immutabilitatis, ſecundùm quam dicimus, omne, quod Deus ab æterno præſcinit, & voluit, eſſe futurum, neceſſariò eſſe futurum: quia licèt liberum fuerit Deo velle, quidquid voluit ad extra, & non velle, & ex conſequenti ſcire, eſſe futurum, vel non futurum, tamen ſuppoſito, quod ſemel voluerit efficaciter, hoc eſſe futurum, & ſciuerit certò futurum eſſe, talis ſuppoſitio excludit poſſe ineſſe diuino intellectui, & diuinæ voluntati actus oppoſitos, propter inuariabilitatem, & immutabilitatem diuinæ voluntatis, & diuini intellectus. Vtraque neceſſitas ex ſuppoſitione conſequenti vocatur à Patribus, & Scholaſticis neceſſitas conſequentiæ, aut conditionalis, aut in ſenſu compoſito, aut neceſſitas de dicto, vt mul-
Aluarez. tis teſtimoniis probat Didacus Aluarez diſp. 25. de diuinis Auxiliis, quamuis ibi loci nitatur oſtẽdere, ſub iſtis acceptionibus comprehendi à D. Thoma, & aliis Doctoribus non ſolam neceſſitatem ex ſuppoſitione conſequente, vel comitante, ſed etiam antecedente, quod vtrùm verum ſit, verſatis in arte relinquo iudicandum.

IV. Vnum tamen eſt hîc notandum ex Ferrarienſe
Ferrarienſis. 1. contra Gentes cap. 67. circa quintam rationem. §. *ſed tamen aduertendum.* quandoque à D. Thoma neceſſarium ex ſuppoſitione vocari neceſſarium abſolutè, vt cùm dicit, hoc antecedens: Deus ſciuit hoc eſſe futurum, eſſe neceſſarium abſolutè, quod alia ratione dicitur abſolutè neceſſarium ab ea, quæ à nobis hîc explicata eſt, vt ibi videri poteſt apud illum. Et præter rationem ab illo ibi loci aſſignatam, alia fortaſſe clarior poteſt aſſignari: quia duobus modis intelligi poteſt, aliquid eſſe neceſſarium ex ſuppoſitione, vno modo, quia nullam dicit neceſſitatem in ſe, ſed dicit ſolùm neceſſariam dependentiam, & conſecutionem ad alterum, ſi illud ponatur. quo pacto dicimus, quòd iſta propoſitio eſt neceſſaria, ſi homo ambulat, mouetur, in hac enim propoſitione non dicimus aliquid eſſe neceſſarium in ſe, quoad ſuum ſignificatum, ſed ſolùm dicimus eſſe ordinem neceſſarium inter antecedens, & conſequẽs, vt vnum non poſſit poniſſine altero. Alio modo, quia licèt illud ſit neceſſarium aliquo modo in ſe, & quoad ſuum ſignificatum, tamen illud ſignificatum, cui ineſt neceſſitas, non ponitur in rerum natura, niſi priùs intelligamus poni aliquid aliud, à quo illud quodammodo pendet. hoc pacto dicimus, hanc propoſitionem, Deus ſciuit Antichriſtum eſſe futurum, eſſe neceſſariam ex ſuppoſitione; licèt enim aliquo modo ſit neceſſaria in ſe, & ratione ſui ſignificati, diuina enim præſcientia ratione ſuæ infallibilitatis, & immutabilitatis habet eſſe neceſſarium: tamen iſtud ſignificatum non poneretur in Deo, niſi ſuppoſito libero decreto diuino, quo ab æterno ſtatuit ipſum Antichriſtum creare. Dicuntur itaque huiuſmodi propoſitiones neceſſariæ abſolutè, non quatenus neceſſarium abſolutè accipitur, vt contradiſtinctum ab omni eo, quod eſt neceſſarium ex ſuppoſitione ſiue primo, ſiue etiam ſecundo modo: ſed ſolùm, quatenus neceſſarium abſolutè accipitur, vt contradiſtinctum à neceſſario ex ſuppoſitione primo modo dicta, iuxta quam acceptionẽ nonnunquam Theologi vocant etiam propoſitiones contingentes de præterito abſolutè neceſſarias: vt, v. g. Adam fuit. De qua re dicetur lib. 3. cap. 11. num. 6.

Neceſſarium in agendo illud dicitur, quod vel V.
à natura, vel à ſuperiori cauſa eſt naturaliter determinatum ad agendum, ita vt non poſſit non agere. Eſt autem neceſſitas in agendo diſtincta à neceſſitate in eſſendo, quia aliquid eſt neceſſariũ in eſſendo, quod tamen non eſt neceſſarium in agendo, vt Deus reſpectu eorum, quæ agit ad extra, & eſt aliquid neceſſarium in agendo, quod non eſt neceſſarium in eſſendo, vt ſi contingenter generetur ignis in aëre, ille non poterit non comburere, tamen habebit eſſe contingens, non neceſſarium. Porrò duplex eſt agens neceſſarium, aliud quod eſt quidem naturaliter determinatum ad agendum, non tamen eſt naturaliter determinatum ad iſtam actionem, aut ad iſtum effectum, ſed determinatur ad particularem effectum ex adiunctione, & concurſu aliarum cauſarum. hoc pacto corpus cæleſte dicitur agere neceſſariò in hæc inferiora. Aliud verò eſt agens neceſſarium naturaliter determinatum ad particularem effectum vel ad particularem actionem. Quod adhuc duobus modis poteſt intelligi, vno modo, vt ſit determinatum naturaliter ad ſic agendum ſolùm quoad ſpecificationem actus, non autem quoad exercitium ipſius actus. Hoc pacto dicimus hominem naturaliter appetere vltimum finem, qui eſt beatitudo. Alio modo, vt ſit determinatum ad ſic agendum, non ſolùm quoad ſpecificationem actus, ſiue, quod idem eſt, in ſubiecta materia, quoad actum primum, ſed etiam quoad exercitium ipſius actus, & quoad actum ſecundum, quo pacto Deus naturaliter diligit ſeipſum, & ignis naturaliter calefacit.

Quæ omnia ſimul colligendo apparet, qua- VI.
tuordecim modis poſſe aliquod dici neceſſarium. Primò neceſſitate violentiæ. Secundò neceſſitate coactionis. Tertiò neceſſitate eſſentialis connexionis terminorum. Quartò neceſſitate exiſtentiæ abſolutiſſima ab intrinſeco, & extrinſeco per negationem cuiuſcunque dependentiæ ab alio in eſſendo. Quintò neceſſitate abſoluta exiſtentiæ ab intrinſeco tantùm, non autem ab extrinſeco, neque per negationem dependentiæ ab alio in eſſendo. Sextò neceſſitate ex ſuppoſitione antecedenti cauſæ finalis abſoluta, quæ dicitur neceſſitas ſimpliciter ad finem. Septimò neceſſitate ex ſuppoſitione eiuſdem cauſæ finalis, quæ dicitur ſecundùm quid, ſiue ad benè eſſe. Octauò neceſſitate ex ſuppoſitione antecedenti aliarum cauſarum intrinſecarum, quæ dicitur neceſſitas naturalis determinationis, & abſoluta. Nonò neceſſitate antecedenti prouenient ex cauſis extrinſecis, quam alij vocant reſpectiuam. Decimò neceſſitate ex ſuppoſitione comitante, vel conſequente, quæ excludit actum oppoſitum actui inexiſtenti, non tamen excludit, poſſe ſuccedere ipſum actum oppoſitum, quæ ſimpliciter dicitur neceſſitas conſequentiæ. Vndecimò neceſſitate ex ſuppoſitione comitante, vel conſequente, quæ non ſolùm excludit actum oppoſitum, ſed etiam poſſe ſuccedere ipſum actũ oppoſitum, quæ dici-

tur neceſſitas immutabilitatis, & infallibilitatis. Duodecimò dicitur aliquid neceſſarium in agendo, quod tamẽ non eſt de ſe determinatum ad talem actionem. Decimotertiò quod eſt determinatũ ad actionem quoad ſpecificationem actus, non quoad illius exercitium. Decimoquartò quod eſt determinatum ad particularem actionem, non ſolùm quoad ſpecificationem actus, ſed etiam quoad exercitium ipſius actus. Illæ acceptiones ſunt diligenter præ oculis tenendæ.

CAPVT II.

Aſſignatur, & declaratur multiplex acceptio contingentis.

I. VSus nominum contingentis, & contingentiæ fortaſſe minùs frequens eſt in diuina Scriptura in ea ſignificatione, iuxta quam vtuntur his nominibus Theologi, Philoſophi, ac Dialectici. Nam ſi autoritates diuinæ Scripturę inſpiciamus, illud ſolet contingens appellari, quod euenit agenti à conſilio præter illius exſpectationem, aut intentionem, quod à Philoſophis vocatur fortuitum, ſicut contingentiam eodem modo acceptam pro euentu alicuius effectus præter exſpectationem agentis vocant fortunam. At licèt non reperiantur hæc nomina, reperiuntur tamen alia tum nomina, tum verba, eandem prorsùs ſignificationem redolentia: accipitur namque nomen contingentis à Scholaſticis, non pro omni re, quæ quoquo modo euenit, ſed pro re, quæ ita euenit, vt poſſit euenire, & non euenire, ſiue pro eo omni, cui ex ſe neque conuenit eſſe, neque repugnat eſſe; ſicut è contrario neceſſarium vocatur illud, cui ex ſe conuenit eſſe, & repugnat non eſſe. immò verò ſunt nonnulli Theologi non infimi, qui cenſeant iuxta hanc ſignificationem accepto nomine contingentis, neceſſarium, & contingens eſſe modos intrinſecos entis, diuidentes ipſum ens latiſſimè ſumptum, ita vt omne ens neceſſariò ſit vel neceſſarium, vel contingens. Addunt inſuper contingentiam vniuerſaliſſimè ſumptam non dicere defectum, aut deformitatem, aut priuationem in ipſo contingente, ſicut dicit peccatum moris, vel etiam peccatum naturæ, vt claudicatio in tibia: ſed dicere modum poſitiuum entis, ſicut neceſſitas dicit alium modum poſitiuum. ita ſentit Scotus 1. diſ. 39. in fine, & quoad 1. dictum videtur conſentire D. Thom. 1. part. quæſt. 22. art. 4. ad 3. licèt quoad vtrumque oppoſitum doceat Caietan. 1. part. quæſt. 19. art. 3. circa reſponſionem ad 5. de qua re hîc locus non eſt diſputandi.

Scotus. D.Thom. Caietan.

II. Sufficiat nobis, neceſſarium & contingens accipi in ſcholis, prout ſignificant modos oppoſitos entis. Vnde ſicut duplex eſt neceſſarium in eſſendo, & in cauſando, ita duplex eſt contingens, aliud in eſſendo, aliud in cauſando. Contingens in eſſendo duplex eſt, aliud logicum, aliud phyſicum ſeu metaphyſicum (nihil enim differunt quantum ad hoc contingens phyſicum, & metaphyſicum.) Contingens logicum eſt propoſitio, cuius termini non habent adinuicem neceſſariam cõnexionem, quæ dicitur propoſitio poſſibilis, ſeu de poſſibili. Contingens phyſicum, ſeu metaphyſicum eſt effectus, cui ex ſe, & comparatione ſuæ cauſæ neque neceſſariò conuenit eſſe, neque repugnat eſſe, ſed poteſt eſſe, & non eſſe, quod alio nomine appellatur poſſibile: vt enim notat Scotus 1. priorum q. 30. poſſibile duobus modis accipitur, vno modo, vt opponitur impoſſibili, & ſic eſt nomen generi-

Scotus.

cum ad contingens, & neceſſarium: alio modo vt opponitur neceſſario, & ſic idem eſt quod contingens.

III. Quia verò contingens in eſſendo dicitur per comparationem ad cauſam, à qua effectus pendet in eſſendo, ideo notandum, quòd duobus modis aliquid poteſt dici contingens, vno modo comparatione primæ cauſæ vniuerſaliſſimæ: hoc pacto omne ens creatum poteſt dici contingens, & poſſibile, quatenus ita pendet à prima cauſa, vt ſi illa ſuum influxum ſubtraheret, quod poſſet pro ſua libertate, omne ens creatum deſineret eſſe, vt dictum eſt cap. præcedenti n. 1. In hoc ſenſu dixit Dauid Pſal. 101. corpora cæleſtia veteraſcere, & perire. *Opera manuum tuarum ſunt cæli. Ipſi peribũt, tu autem permanes.* Et Auicenna dixit, ſecundas intelligentias eſſe entia poſſibilia, qui modus dicendi receptus eſt à Damaſceno, & Sophronio. Alio modo poteſt dici effectus contingens comparatione ſecundarum cauſarum, à quibus ita habet eſſe, vt poſſit non eſſe, & illud eſt, quod propriè vocatur contingens, ad differentiam eorum entiũ, quæ ſui eſſe cauſam habent neceſſariam. Hoc autem contingens ſecundo modo acceptum adhuc duplex eſt; aliud quod prouenit contingenter à ſua cauſa propter intrinſecam vim, & libertatem ipſius ſecundæ cauſæ ad producendum, vel non producendum effectum: hoc contingens proprio nomine vocatur effectus liber, ſeu liberè proueniens. Aliud verò, quod prouenit contingenter ab ipſa cauſa propter illius imperfectionem, & debilitatem: quia licèt ſit determinata ad producendum ipſum effectum, tamen poteſt impediri per concurſum alterius cauſæ, & iſtud à Scholaſticis propriſſimè vocatur contingens ad differentiam liberi.

Auicenna. Damaſcen. Sophron. D.Thom.

IV. Eſt tamen vlteriùs adhuc notandum, quòd quandoque cauſa ſecunda poteſt impediri à productione ſui effectus, ſed de facto non impeditur; & tunc nihilominus poteſt dici, quòd contingenter agat, & effectus productus à cauſa impedibili, licèt non impedita, dicitur verè effectus contingens, non enim ad hoc, vt effectus dicatur contingens, neceſſe eſt, vt cauſa impediatur de facto, neque quòd producat effectum, ad quem producendum ipſa cauſa non ſit naturaliter ordinata. In hoc ſenſu dixit D. Thom. 1. part. quæſt. 14. art. 13. ad 1. quòd germinatio plantæ reſpectu ſuæ cauſæ proximæ eſt contingens. & alibi, quòd ignis generat ignem contingenter. quod primo aſpectu videri alicui poterit minùs conuenienter dictũ, cùm planta naturaliter ſit ordinata ad generandam plantam, & ignis ignem: ſed dicitur huiuſmodi generatio contingens, non quòd non ſit ſecundùm ordinem, & intentionem naturę, ſed quia impediri poteſt ab aliis cauſis. Quandoque verò cauſa naturalis impeditur à productione effectus, ad quem iuxta primã naturæ inſtitutionem, & intentionẽ erat ordinata, producitque effectũ minùs principaliter intentum, vt cùm animal quadrupes producit animal bipes. & iſte effectus proprio nomine vocatur monſtrum. inter hæc duo genera effectuum contingentium diſcrimen eſt, quòd primi generis vt in pluribus, & ferè ſemper euenĩut; ſecundi autem generis rarò, & vt in paucioribus. Omnia verò relumendo, ſex ſunt contingentis acceptiones. Primò enim accipitur pro eo quod accidit præter intentionem agentis à conſilio, & illius exſpectationem, quod dicitur fortuitum, vel caſuale. hæc acceptio eſt frequentiſſima in diuina Scriptura. Secundò dicitur contingens omne

D.Thom.

ens

ens creatum comparatione primæ cauſæ, à qua omnia in eſſe dependent. Tertiò dicitur contingens effectus proueniens à voluntate libera, quatenus libera eſt, qui propriè dicitur effectus liber. Quartò dicitur cõtingẽs effectus productus à cauſa naturali impedibili per concurſum aliarũ cauſarum, ad quem tamen producendum ipſa cauſa naturalis eſt principaliter à natura ordinata. Quintò dicitur contingens effectus monſtruoſus, quem producit cauſa naturalis impedita à productione effectus principaliter intenti. Sextò dicitur contingens propoſitio cuius termini non habent ad inuicem neceſſariam connexionem. Ex his acceptionibus tertia, quarta, & ſexta præcipuè deſeruiunt noſtro inſtituto in hac tractatione. De contingentibus verò iuxta tertiam, quartam, & D.Thom. quintam acceptionem videri poteſt D. Thom. 1. Periherm. lect. 13. & lib. 2. Phyſic. lect. 8. & 6. Metaph. lect. 2. Secunda verò contingentis acceptio minùs vſu recepta eſt in ſcholis, vt ſcilicet dicamus abſque diſtinctione, omnem ſubſtãtiam creatam eſſe ens contingens ex eo, quòd pẽdeat in ſuo eſſe à Deo, immo verò diſtinguunt Theologi entia creata in neceſſaria, cuiuſmodi ſunt Angeli, animæ humanæ, & corpora cæleſtia; & in cõtingẽtia, cuiuſmodi sũt entia generabilia, & corruptibilia.

VI. Quod verò commentantur nonnulli recentiores, ſolos effectus liberos dici vere & propriè cõtingentes, quia ſimpliciter, & ab intrinſeco tales ſunt: effectus verò aliarum cauſarum naturalium ſolùm ab extrinſeco, & ſecundùm quid tales appellari poſſe, mihi non probatur: quia ſicut ab intrinſeca virtute, & libertate voluntatis prouenit, vt poſſit effectum ſuum producere, vel non producere: ita ex intrinſeca debilitate, & imperfectione aliarum ſecundarum cauſarum naturalium oritur, quòd poſſint ab aliis cauſis impediri à productione ſuorum effectuum.

Pari modo de contingente in cauſando dicendum eſt, iſtud contingens nihil aliud eſſe, niſi cauſam, cui ex ſe neceſſariò non conuenit producere effectum, neque ex ſe neceſſariò illi repugnat, ſed effectum ita producit, vt poſſit non producere. Hæc cauſa contingens duplex eſt, altera cui conuenit talis modus agendi ob ſuam intrinſecã perfectionem, & libertatem, & iſta dicitur cauſa libera: altera, cui conuenit iſte modus cauſandi ob ſuam debilitatem, & imperfectionem, & hæc propriè vocatur cauſa contingens. Quòd autem causã poſſe effectũ producere, vel nõ producere, non sẽper proueniat ex imperfectione, & debilitate ipſius cauſæ, ſed etiã ex illius virtute & intrinſeca D.Thom. perfectione, eleganter docet & explicat D.Tho. 1. cont. Gent. c. 81. his verbis: *Ad vtrumlibet enim eſſe alicui virtuti poteſt conuenire dupliciter, vno modo ex parte ſui, alio modo ex parte eius, ad quod dicitur. ex parte quidem ſui, quando nondum conſecuta eſt ſuã perfectionem, per quam ad vnum determinetur: vnde hoc in imperfectionem virtutis redundat, & oſtenditur eſſe potentialitas in ipſa, ſicut patet in intellectu dubitantis, qui nondum aſſecutus eſt principia, ex quibus ad alterũ determinetur. Ex parte autem eius, ad quod dicitur, inuenitur aliqua virtus ad vtrumlibet eſſe, quando perfecta operatio virtutis à neutro dependet, ſed tamen vtrumque eſſe poteſt: ſicut aliquis, qui diuerſis inſtrumẽtis vti poteſt æqualiter ad idem opus perficiendum. hoc autẽ ad imperfectionem virtutis non pertinet, ſed magis ad eius eminentiam, inquantum vtrumlibet oppoſitorũ excedit.* Non me latet, inter nonnullos Scholaſticos cõtrouerti, vtrùm prima cauſa poſſit legitimè appellari cauſa contingens cõparatione effectuũ ad extra, aliis cũ Scoto affirmãtibus, aliis cũ Caietano negãtibus: ſed cõtrouerſia eſt de nomine, & modo loquendi, non de re, conueniunt enim vtriuſque partis Doctores, Deum non poſſe dici cauſam cõtingentem primo modo, quia illa imperfecta eſt, ſed ſi contingens debet vocari, ſolùm ſecũdo modo, qui nullam dicit imperfectionẽ, ita vocari debet: quia tamen nominibus vtendum eſt iuxta eam acceptionem, quæ frequẽtior eſt, ideo rectiùs erit, Deum cauſam liberam, non autem contingentem appellare, quia nomen cauſæ contingentis frequẽtiùs accipitur ad denotandam cauſam imperfectã, vt ſcitè aduertit Caietanus loco citato ex 1. p. q. 19. a. 3. circa reſponſionem ad 5. Scotus. Caietan. Caietan.

CAPVT III.

Aſſignatur multiplex acceptio liberi, & libertatis.

QVoniam inimicis veritatis etiam ipſum nomen liberi arbitrij, & libertatis grauiſſimum eſt, ſi in ea ſignificatione accipiatur, in qua hoc nomine vtendum nobis eſt in toto opere, vt cõſtat ex verbis Caluini lib. 2. aduersùs Pighiũ ſuprà citatis, & Philippo Melanctone in locis cõmunibus primò editis loco de viribus hominis, & libero arbitrio. Vbi ait inter alia: *Et in hoc quidem loco cùm prorſus Chriſtiana doctrina à Philoſophia, & humana ratione diſſentiat, tamen ſenſim irrepſit Philoſophia in Chriſtianiſmum; quia receptum eſt impiũ de libero arbitrio dogma, & obſcurata Chriſti beneficentia, per prophanam illam, & animalem rationis noſtræ ſapientiam, vſurpata eſt vox liberi arbitrij à diuinis literis, à ſenſu, & iudicio ſpiritus alieniſſima, qua videmus ſanctos viros non raro offenſos eſſe.* Idipſum conſtat ex Luthero eius magiſtro in aſſertione artic. 36. dum inquit: *Non eſt dubium Satana magiſtro in Eccleſiã veniſſe hoc nomen, liberum arbitrium.* Idcirco priuſquã de re ipſa ſit nobis ſermo, duo hîc breuiter præſtare oportet, nimirum veram libertatis, & liberi acceptionẽ monſtrare: & nomen liberi arbitrij iuxta legitimam acceptionem, ſecundùm quam hoc nomine vtemur in hoc libro & ſequentibus, non eſſe nuper à Scholaſticis excogitatum, ſed antiquo vſu receptum à Patribus, & deductum ex ipſa diuina Scriptura. I. Caluinus. Melanct. Lutherus.

Primùm igitur, quod attinet ad ipſam ſignificationem nominis liberi, illud liberum dicitur, quod ab altero ſolutum eſt, ſiue quod alteri non eſt alligatum vel obligatum, vel obnoxium, quod à Philoſoph. lib. 1. Metaph. dicitur id, quod eſt gratia ſuiipſius. Sicut verò multis modis alterum alteri contingit eſſe obnoxium, vel obligatum; ita oppoſito modo dicitur multis modis aliquid eſſe immune ab obligatione & gratia ſuiipſius. Hinc ſequitur, vt multis etiam modis dicatur aliquid liberũ. Primò igitur dicitur liberum id, quod immune eſt ab obligatione ad ſeruiendũ alteri. iuxta hanc acceptionem diſtinguuntur omnes homines in liberos, & ſeruos: éſtque acceptio frequens nõ ſolùm apud Iuriſconſultos, & autores profanos, ſed etiam apud diuinas Scripturas. Secundò dicitur liberum id, quod eſt immune ab obligatione peccati, ad Rom. c. 6. Tertiò dicitur liberũ id quod eſt immune à corruptione, & à calamitatibus huius vitę, ad Rom. 8. Quartò dicitur liberũ id, quod non eſt coactum, ſiue illud omne, quod eſt voluntariũ. iuxta hanc acceptionem admittit Caluinus liberũ arbitrium in homine etiam poſt peccatum Adæ, vt conſtat ex illius verbis lib. 2. contra Pighiũ. iuxta eandem acceptionẽ concedebant Stoici libertatẽ arbitrij, vt adnotauit Iulius Sirenius lib. 3. de fato c. 21. & aliis in locis eiuſdẽ libri: immo II. Ariſtoteles. Caluinus. Melanct. Iulius Sirenius.

Digitized by Google

Melanct. mo & Philippus Melancton aduertit, ita ſentire Stoicos, in locis cõmunibus nouiſſimæ editis, in quibus corrigens errorẽ, quem antea docuerat de libero arbitrio, inquit inter alia; *Valla, & plerique alij non rectè detrahũt voluntati hominis libertatẽ, quia fiant omnia decernente Deo.* Et clarius in epitome moralis Philoſophiæ: *Stoicas*, inquit, *illa de fato, ſeu Valla abſurdas imaginationes, quæ propter diuinam gubernationẽ adimunt libertatẽ voluntatis, reiiciamus.* Quod volui animaduertere propter nonnullos, qui adducunt teſtimonia ex ſchola Philoſophorũ Stoicorum ad probandã arbitrij libertatem. Iuxta eandẽ acceptionem dixit D. Aug. relatus à Magiſtro lib. 2. ſententiarum diſt. 7. & 25. quòd beati liberè amãt & delectantur. Et D. Thom. de potentia q. 10. a. 2. ad 5. dicit, quòd Deus liberè amat ſeipſum: & ibidem concedit, quòd Pater, & Filius liberè ſpirant Spiritum ſanctum. Et de veritate q. 24. a. 1. ad 2. dicit, quod homo erga vltimũ finẽ habet liberã voluntatem: cum neceſſitas naturalis inclinationis libertati non repugnet, ſecundùm Auguſtinũ 5. de Ciuitate Dei. Vtebantur iſti Doctores nomine liberi, prout ſignificat id quod eſt perfectè voluntarium, & non coactum, eo ſcilicet tempore quo antequã reſipiſcerent corripiſſet error Caluinitarũ, à Catholicis catholicè ſe intelligi arbitrabãtur. Quintò dicitur liberum id, quod eſt immune ab omni neceſſitate non ſolum coactionis, ſed etiam naturalis determinationis, & inexcitabilitatis prouenientẽ ſiue à cauſa intrinſeca, ſiue ab extrinſeco, & eſt intrinſecè de ſe indifferens ad agendũ, vel non agendum, habens in ea poteſtatẽ operari, vel non operari. quod duobus modis adhuc poteſt contingere, vno modo quoad exercitium tantum, alio modo quoad exercitiũ, & ſpecificationẽ actus.

Auguſt. Magiſter. D.Thom. Auguſt.

III. Iuxta prædicta, quinque ſunt ſpecies libertatis. Prima eſt libertas à ſeruitute hominis. Secunda à ſeruitute peccati, quę vocatur libertas gratię. Tertia à ſeruitute corruptionis, & miſeriæ, quæ vocatur libertas gloriæ. Quarta à coactione, quæ dicitur libertas naturæ. Quinta eſt immunitas omnimoda à naturali determinatione, & inexcitabilitate prouenientẽ ab intrinſeco, & ab extrinſeco, cũ omnimoda poteſtate agendi, vel nõ agendi, ſiue quoad exercitium, & ſpecificationẽ actus, ſiue quoad exercitiũ tantùm. Hæc poſtrema acceptio liberi, & libertatis ſola eſt, quæ aliis omnibus relictis inſtituto noſtro deſeruit, de qua ſola, eſt nobis tota controuerſia cum aduerſarijs catholicæ veritatis. De hac multiplici acceptione libertatis videri etiã poſſunt D. Bernardus in opuſc. de libero arbitrio, Ruardus Zaper a. 7. pagina mihi 211. & 212. & Durandus 2. diſt. 24. q. 3. n. 12. Circa quam poſtremam acceptionem vnũ notandum eſt, quòd quẽadmodum Patres, & Scholaſtici aliquando accipiunt liberum pro ſpõtaneo, & voluntario, ſeu non coacto, ita e contrario vocant voluntariũ id, quod eſt perfectè liberum. In hoc ſenſu dixit Auguſt. quòd *non eſt peccatũ niſi ſit voluntarium, vt eſt perfectè liberũ.*

Bernardus. Ruardus Zaper. Durandus. Auguſtin.

IV. Eſſe verò antiquũ, non inter excogitatum nomen liberi, & libertatis iuxta poſtremã hanc acceptionẽ, & antiquo vſu receptum non ſolùm a Patribus, ſed etiã à diuina Scriptura, ſi non per verba formalia, ſaltem per verba æquipollentia, nunc breuiter monſtrandũ eſt. Et quidem quòd ſit vſu receptũ ab ipſis Ethnicis, verba ipſa Caluini, licet temerarij, plena ſatis arguunt, quæ ſcribit lib. 2. Inſtit. c. 3. §. 4. *Semper apud Latinos liberi arbitrij nomen extitit vtrò ac voci non ſatis congruum: ſimpare vocabulum, ſequitur nihil diuersum.* & alia eiuſdem, quæ refert Ruardus Zaper. diſt. 2. pag. 267. quod ſatis euidenter monſtrabitur teſtimoniis eorundem Patrum inferiùs adducendis lib. 2. c. 7. Et licèt in diuina Scriptura non reperiatur hæc vox, *liberum*, accepta in ea ſignificatione, habentur tamen aliæ voces ſynonymæ idem prorſus ſignificantes: nam in lib. Num. cap. 30. dicitur: *In arbitrio viri erit, vt faciat, vel non faciat.* ad Corinthios 1. cap. 7. *Nam qui ſtatuit in corde ſuo firmus, non habens neceſſitatem; poteſtatem autem habens ſuæ voluntatis,* & ad Philemonem, *Sine conſilio autem tuo nihil volui facere, vt ne velut ex neceſſitate bonum tuum eſſet, ſed voluntarium.* Quid ſignificant autem eſſe in arbitrio viri facere aliquid, vel non facere: & non habere neceſſitatem faciendi aliquid, ſed poteſtatem faciendi, vel non faciendi: & opus bonum fieri ex conſilio, vt non ſit factum ex neceſſitate, ſed ex voluntate, niſi libertatem arbitrij ad aliquid faciendum, vel non faciendum? Sed hanc veritatem lib. 2. pluribus illuſtrabimus.

CAPVT IV.

Declaratur etymologia, & varia acceptio nominis, Fatum.

ETſi vel ipſum nomen *fati*, vt Tullius teſtatur lib. 2. de diuinatione, anile ſit, & ſuperſtitionis plenum, quod ex Platone videtur accepiſſe, cùm ſcribit in Gorgia, mulieribus credendum eſſe, quæ dicunt, neminem vitare poſſe fatum. & D. Auguſtinus dicat tract. 28. in Ioannem, circa illa verba: *Nemo miſit in eum manum.* quod fatum non ponunt niſi fatui: & nomen fati apud priſcos Patres ſemper malè audierit, vt patet ex his, quæ ſcribit Auguſtinus lib. 5. de Ciuitate cap. 1. & aliis pluribus in locis. Hieronymus in Eſaiam cap. 38. in principio, & in Matthæum cap. 19. circa illa verba, *Nemo apprehendit eum.* Gregorius Nyſſenus lib. 6. Philoſophiæ cap. 2. Gregorius Romanus homilia 10. in Euangelia. Cogit tamen nos noſtri inſtituti ratio, vt priuſquam ad vlteriora gradum faciamus, aliquid dicamus de ſignificatione, & varia acceptione eiuſdem nominis *fatum*, eo maximè, quòd videatur quandoque à Catholicis ſcriptoribus hoc idem nomen etiam in bonam partem accipi, præcipuè ab Auguſtino, Boëtio, & D. Thoma, cùm admittunt Dei voluntatem, & diuinam gratiam, necnon etiam ordinem immutabilem per diuinam prouidentiam inditum rebus, nomine *fati* appellari poſſe.

I. Cicero. Plato. Auguſtinus. Hieronym. Nyſſenus. Gregorius Magnus.

Quoad vocis etymologiam, *fatum* idem ſignificat, quod dictum, vel enunciatum à verbo, *farꝛ*, *fatur*, ſicut decretum à verbo, *decerno*. & edictum à verbo, *edico*. ita Auguſt. de Ciuit. c. 9. & lib. 3. contra Fauſtum c. 5. D. Thom. 1. part. q. 116. a. 1. quod-lib. 12. a. 1. & 1. ſenten. diſt. 39. q. 4. Varro de lingua Latina lib. 5. Lucanus lib. 9. cùm ait.

II. Auguſtinus. D. Thom. Durandus. Varro. Lucanus.

——*Non vocibus vllis*
Numen eget, dixitque ſemel naſcentibus Auctor,
Quidquid ſit vt licet, &c.

Iuxta igitur vocis etymologiam fatũ ſignificat idẽ quod diuinũ decretum, quo ab æterno per ſuã ſapientiã aliquid diſpoſuit. Hinc deductum eſt, quòd nomen fati acceptum fuerit pro diuino oraculo, ſiue pro diuino reſponſo: & Gentiles cùm accedebant ad Idola, vt conſulerent de aliqua re, dicebantur accedere ad Fata; & reſpõſa, quæ dæmones dabant ex Idolis, vocabantur Fata, vt videri poteſt apud Virgilium lib. 5. Æneid. Secũdò deductũ eſt nomen fati ad ſignificãdum aliquẽ effectum, quia

Virgilius.

ex diſpoſitione & ſerie aliquarum cauſarum immutabiliter euenit, & neceſſariò. Iuxta hanc acceptionem periodus vitæ à Deo vel à natura cuique animali conſtituta dicitur fatum, & mors naturalis vocatur mors fatalis. Sic eam vocat Plato lib. 11. de legibus. Ouidius in epiſtola quadam familiari dicens:

Plato. Ouidius.

Sic vbi fata vocant, vdis abiectus in herbis
Ad vada Mæandri concinit albus olor.

Sic Virgilius Æneid. 4. Martialis lib. 11. epigrammate 7. & alij. Tertiò deductum eſt idem nomen fati ad ſignificandam ipſam neceſſitatem vnicuique rei immutabiliter inditam à ſuis cauſis, quæ ſuperari non poteſt. Sic accepit nomen Fati Seneca lib. 2. quæſtionum naturalium cap. 36. cùm inquit, Fatum eſſe neceſſitatem rerum omnium, actionúmque, quam nulla vis rumpat. Et Plato de Republ. lib. vltimo. Quartò deductum eſt idem nomen ad ſignificandam cauſam eiuſdem immutabilitatis, & neceſſitatis, de qua cauſa quemadmodum variè ſenſerunt antiqui Philoſophi, ita varie locuti ſunt de ipſo Fato. Aliqui enim nullã cauſam huiuſmodi neceſſitatis agnouerunt, præter ipſam naturam: qui conſequenter loquentes, fatum pro ipſa natura acceperunt, & fatale pro naturali, ita Ariſtoteles lib. 5. Phyſicorum text. 57. & Alexander Aphrodiſ. lib. de Fato cap. 2. Alij cauſam huiuſmodi neceſſitatis & incuitabilitatis conſtituebant in coordinatione, ſerie, nexúque omnium cauſarum, quarum altera alteri adiuncta ex ſe effectum gignit. ita definiuit fatum Cicero lib. 1. de diuinatione. Verùm in ea ſerie cauſarum aliqui comprehendebant etiam primam cauſam. ita ſentiunt Chryſippus, Heraclitus, & Zeno, & alij relati à Iulio Sirenio lib. 3. de Fato cap. 7. Alij verò dicebant, cauſarum ſeriem, & ordinem non pendere à prima cauſa, ſed ex ſe habere intrinſecam neceſſitatem prorſus incuitabilem, de quibus Auguſtinus lib. 5. de Ciuitate c. 1. *Ea* (inquit) *dicunt eſſe fortuita, quæ vel nullas cauſas habent, vel non ex aliquo rationabili ordine venientes: & ea fatalia, quæ præter Dei, & hominum voluntatem cuiuſdam ordinis neceſſitate contingunt.* cuius dementiæ meminit etiã Plotinus Enneade 3. Alij cauſam eiuſdem neceſſitatis ponebant non in ſerie, & conſtitutione omnium cauſarum, ſed in conſtitutione ſyderum, & corporum cœleſtiũ, cui conſtitutioni, & diſpoſitioni ſubiiciebant etiam humanas voluntates. ita ſenſerunt Mathematici, & Priſcillianiſtæ hæretici, de quibus dicemus lib. 2. Alij cauſam eiuſdem neceſſitatis locabant in ipſa prima omnium rerum cauſa, quæ eſt Deus, quem arbitrabantur omnia agere ex abſoluta neceſſitate ſuæ naturæ, ita, vt nec aliter, nec plura facere poſſit, quàm faciat; in quam ſententiam ducuntur à nonnullis Stoici, quibus Cicero in lib. de fato, adiungit Democritum, Heraclitum, Empedoclem, & Ariſtotelem, quod eidem Ariſtoteli tribuit etiam Petrus Pomponatius in ſuo libro 5. de fato cap. 11. Alij cauſam eiuſdem neceſſitatis conſtituebant in certitudine infallibili diuinæ præſcientiæ, & in immutabilitate diuinæ voluntatis. iſti dixerunt fatum eſſe Iouis mentem; ita Heſiodus, & decretum immutabile diuinæ voluntatis; ita Stoici, quos ſecutus eſt Seneca, vt apparet ex D. Auguſtino lib. 5. de Ciuitate, præcipuè cap. 8, vbi adducit verba Senecæ, & Cleantis Philoſophi, hæc enim verior eſt Stoicorum de fato ſententia. Eandem ſententiam ſecutus eſt VVicleff. apud Thom. VValdenſem lib. 1. doctrinalis fidei cap. 22. & 25. à qua non longè

Sic Virgilius. Martialis. Seneca. Plato. Ariſtoteles. Alexander Aphrod. Cicero. Chryſippus. Heraclitus. Zeno. Iulius Sirenius. Auguſtinus. Plotinus. Cicero. Petrus Pomponatius. Heſiodus. Seneca. VVicleff.

ſunt moderniores hæretici, maximè Caluiniſtæ, de qua videri poſſunt Seneca lib. 2. quæſtionum naturalium cap. 35. & 36. & Ludouicus Viues in commento ad libros Auguſtini de Ciuitate, dicto libro 5. cap. 8.

Seneca. Ludouicus Viues.

III. Alij tamen retento nomine, & correcta ſententia nomine fati intellexerunt ordinem, & diſpoſitionem immutabilem per diuinam prouidentiã, qua cuncta ſapientiſſimè diſponit, conſtitutum in rebus; qui tamen ordo, & diſpoſitio humanam libertatem, & rerum contingentiam non ſolùm non lædit, ſed maximè fouet. ita nomen fati accepit Boëtius de Conſolatione lib. 4. proſa 6. cùm ait: *Fatum eſt inhærens rebus mobilibus diſpoſitio, per quam prouidentia ſuis quæque nectit ordinibus.* quam definitionem expendit D. Thomas 1. part. quæſt. 116. art. 1. 2. & 3. & lib. 3. contra Gent. cap. 93.

Boëtius. D. Thomas.

Tandem à nonnullis deductum eſt nomen fati ad ſignificandum decretum gratuitæ prædeſtinationis diuinæ, & motionem efficacem diuinæ gratiæ. Vnde Pelagiani, & Semi-Pelagiani imponebant D. Auguſtino, quòd eſſet aſſerror fati, quia aſſerebat gratuitam prædeſtinationem, & motionem efficacem diuinæ gratiæ, vt colligitur ex eodem Auguſtino lib. 2. contra duas epiſtolas Pelagianorum cap. 5. & ex epiſtolis Proſperi, & Hilarij ad Auguſtinum, quæ ſolent præmitti ante libros de Prædeſtinatione Sanctorum.

Pelagiani. Auguſtinus. Proſper. Hilarius. Auguſtin.

Hinc apparet varia acceptio, & ſignificatio nominis fatum, apud antiquos ſcriptores: accipitur enim primò nomen fati pro diuino oraculo, ſeu diuino reſponſo. Secundò pro neceſſitate inſuperabili rebus indita, quæ libertatem, & contingentiam auferat à rebus. Tertiò pro ipſo effectu neceſſario, & immutabiliter eueniente. Quartò pro cauſa eiuſdem neceſſitatis, quæ eſt natura. Quintò pro ſerie omnium cauſarum huiuſmodi neceſſitatem inferente, excepta prima cauſa. Sextò pro eadem ſerie cauſarum ſuperiorum, ſcilicet ſyderum, & corporum cœleſtium. Septimò pro neceſſitate naturali, qua Deus cuncta operetur. Octauò pro certitudine diuinæ præſcientiæ, & decreto immutabili diuinæ voluntatis, quod rebus creatis neceſſitatem imponat, & libertatem adimat. Nonò pro ordine immutabili per diuinam prouidentiam rebus indito, qui tamen libertatem non lædat, ſed foueat. Et tandem pro gratuita Dei prædeſtinatione, & collatione gratiæ efficacis.

Ex hac verò declaratione apparet, nomen fati etiam in bonam partem accipi & poſſe, & aliquãdo conſueuiſſe. Si enim nomine fati intelligamus, vel diuinum reſponſum, vel ordinem immutabilem per Dei prouidentiam rebus inditum; qui tamen nullo modo lædit humanam libertatem, vel gratuitam prædeſtinationem, vel diuinam gratiam, vtique hoc nomen legitimam habet, & catholicam ſignificationem, & catholicè vſurpari poteſt: ſin verò eodem nomine intelligamus inſuperabilem quandam neceſſitatem rebus omnibus inditam, quæ libertatem, & contingentiam auferat à rebus, & cauſam talis neceſſitatis, quæcunque illa ſit, nomen fati vanitatis, & ſuperſtitionis, & erroris plenum eſt, & ex ſcholis reiiciendum. Et quia iuxta poſteriorem acceptionem frequentior eſt vſus eiuſdem nominis, maximè apud antiquos ſcriptores, optimè conſuluit Auguſtinus, vt etiamſi catholicum ſenſum retineamus, linguam tamen corrigamus, & à profanis Gentilium vocabulis, quæ cauſa erroris eſſe poſſint, omnino abſtineamus.

Auguſt.

Quibus

Quibus omnibus illud adiicere oportet, nomẽ fati etiam acceptum in ſignificatione legitima, & catholica, propriè non ſignificare id, quod eſt in Deo, ſed id, quod eſt in rebus creatis: fatum enim apud Catholicos nihil aliud eſt, niſi ordo per diuinam prouidentiam rebus inditus, vel eiuſdem ordinis executio, vel diuinum reſponſum: ordo verò non eſt in Deo ordinante, ſed in rebus ordinatis, & reſponſum, ſeu dictum non eſt ille, qui dicit, vt benè adnotauit Boëtius lib. 4. de Conſolat. proſa 4. & D. Thom. 1. part. quæſt. 116. art. 2. Iulius Sirenius lib. 3. de fato cap. 9.

Boetius. D. Thom. Iulius Sirenius.

CAPVT V.

Proponitur inueſtiganda libertatis quidditas, ex intrinſeca natura, & quidditate ipſius liberi arbitrij.

I. PRæmiſſa declaratione multiplicis acceptionis quorundam nominum, quorum vſus erit in toto hoc opere non ſolùm frequentiſſimus, ſed omnino neceſſarius, in hac ſecunda parte principali huius primi libri explicanda eſt nobis ipſa liberi arbitrij, ſeu libertatis quidditas, & intrinſeca natura, illius proprium genus inueſtigando, & proprias differentias. In hac re explicanda, vt omiſſis ambagibus, ſuperfluiſque concertationibus reſoluté incedamus, ſequentes ſtatuimus propoſitiones.

Prima propoſitio: Liberum arbitrium non eſt actus ſecundus, qui dicitur operatio, neque actus primus, qui dicitur habitus, ſed eſt potentia naturæ intellectualis. Hæc propoſitio communi omnium Doctorum calculo recepta eſt. excipio ſolùm Heruæum quodlibeto 1. quæſt. 1. aſſerentem, liberum arbitrium, eſſe actum ſecundum, non autem habitum, neque potentiam: excipio etiam D. Bonauenturam 2. diſputat. 25. art. 1. quæſt. 2. 3. & 4. conſtituentem liberum arbitrium in quodam habitu, ſiue facilitate operandi, quæ oritur ex coniunctione intellectus, & voluntatis. Oppoſitum, vt dixi, ſentiunt omnes Theologi poſt Magiſtrum in 2. ſententiarum diſ. 24. & 25. & poſt D. Thom. 1. part. quæſt. 83. & de veritate quæſt. 24. & poſt Philoſophum in libris Ethicorum. Probatur hæc propoſitio primò, quòd liberum arbitrium non ſit actus ſecundus, qui eſt operatio: nam actus ſecundi animæ rationalis, quatenus rationalis eſt, nó habent eſſe permanens, ſed ceſſant nobis dormientibus; ſed liberum arbitrium non deſinit eſſe in homine dormiente. Non ergo eſt actus ſecundus.

Heruæus. S. Bonauentura. Magiſter. D. Thom. Ariſtoteles.

Secundò probatur, non eſſe habitum, quia omnis habitus inclinat ad vnum determinatè agendum: at liberum arbitrium non inclinat determinatè ad vnum agendum, ſed ſe habet indifferenter ad oppoſita. Tertiò habitus non inclinat ſimpliciter ad opus, ſed determinatè ad benè, vel malè agendum, vt dicitur 2. lib. Ethicorum c. 6. ſed per liberum arbitrium natura intellectualis ordinatur ad opus ſimpliciter, æquè enim per liberum arbitrium homo ordinatur ad eligendum benè, & malè. Quartò ſi liberum arbitrium eſt habitus, vel eſt infuſus, vel acquiſitus, vel naturalis: non infuſus, neque acquiſitus, illi enim non ſemper inſunt, at liberum arbitrium ſemper ineſt: neque naturalis, nam per habitum naturalem homo naturaliter inclinatur, ſed illud, ad quod quis naturaliter inclinatur, non ſubeſt illius libertati, vt patet de appetitu vltimi finis. Nullo igitur modo poteſt fingi liberum arbitrium eſſe actum ſecundum, aut habitum, & ex conſequenti oportet eſſe potentiam.

II. Contra hanc propoſitionem eſt primum argumentum, quia liberum arbitrium idem eſt, quod liberum iudicium: & Patres ſæpè definiunt, liberum arbitrium eſſe liberum voluntatis iudicium; iudicium verò actum ſecundum ſignificat, non potentiam.

Reſpondet D. Thom. 1. part. quæſt. 83. art. 2. ad 1. conſuetum eſſe Doctoribus potentias, & principia actuum ſignificare nominibus ipſorum actuũ. hoc pacto vim ratiocinantem appellamus nomine rationis, quod ſignificat actum ſecundum; & facultatem appetitiuam appellamus nomine appetitus. qua verò ratione liberum arbitrium vocetur iudicium, videri poteſt apud D. Thomam ibidem art. 3. ad 2.

Secundum argumentum eſt, quia nonnulli Patres, ex quibus Theophilus Alexandrinus lib. 2. Paſchali, & Magiſter ſententiarum lib. 2. diſ. 24. cap. 5. vocant liberum arbitrium facultatem, quod nomen denotat habitum. & D. Bernardus opuſc. de lib. arbitrio expreſsè vocat illud habitum.

Theophilus Alex. Magiſter. Bernardus.

Reſpondet D. Thomas, Patres vocare liberum arbitrium facultatem, quatenus facultas denotat potentiam expeditam ad operandum. eodem modo D. Bernardus vocat illud habitum, quatenus habitus ſignificat ipſam potentiam aptam ad agendum.

D. Thom. Bernardus.

III. Secunda propoſitio: Liberum arbitrium non eſt potentia vniuerſalis, ſed particularis, & determinata naturæ intellectualis. Probatur quòd non ſit potentia vniuerſalis: nam tribus modis aliqua potẽtia poteſt dici vniuerſalis. Primò, quia ratio illius reperitur in omnibus potẽtiis, & hoc modo liberum arbitrium non eſt potentia vniuerſalis, quia oporteret, quòd ratio liberi eſſet in omnibus potentiis, & omnes potentiæ eſſent liberæ, quod eſt contra ſenſum, & experientiam. Secundò, quia illa eſt potentia imperans omnibus aliis potentiis, & omnes aliæ potentiæ illi ſubduntur, & hoc modo quanuis poſſet concedi, quòd liberum arbitrium ſit potentia vniuerſalis, tamen reuera nó ſequitur, eſſe potentiam ita vniuerſalem, quin ſit etiam particularis, & determinata potentia, ab omnibus aliis diſtincta: quod enim imperat aliis, eſt vnum determinatum, ab illis diſtinctum, cùm nemo ſibiipſi imperet. Præter quod cùm Theologi quærunt, an liberum arbitrium ſit potentia vniuerſalis, quæſtio non eſt de vniuerſali hoc modo accepto. Tertio modo poteſt aliqua potẽtia dici vniuerſalis, quia illius actus quodammodo integratur ex actibus omnium potentiarum: v. g. ex iudicio rationis, electione voluntatis, executione potentiæ motiuæ, &c. ſed neque hoc tertio modo liberum arbitrium dici poteſt potentia vniuerſalis, quia illius actus vnus eſt, & ſingularis, diſtinctus ab actibus aliarum potentiarum, nempe actus electionis. Erit ergo particularis potentia ab aliis diſtincta.

IV. Probatur deinde, quòd ſit potentia naturæ intellectualis: nam actus proprius liberi arbitrij, quatenus tale eſt, eſt electio proueniens ex iudicio libero indifferenti, non autem naturaliter determinato circa aliquod bonum particulare, vt inferiùs probabitur, ſed nulla natura eligit aliquid ex iudicio indifferenti, & non determinato ad vnum, niſi natura intellectualis: licèt enim natura brutalis

brutalis aliquid eligat ex iudicio præcedente, tamen illud iudicium eſt à natura determinatum ad vnum, nam iudicium, quo ouis videns lupum, iudicat fugiendum eſſe tanquam inimicum, non eſt iudicium liberum proueniens ex collatione multorum adinuicem, ſed à natura inditum abſque aliquo diſcurſu, vel conſilio: neque etiam tale iudicium ſubeſt imperio appetitus eiuſdem bruti, quod neceſſariò requiritur ad hoc, vt iudicium dicatur liberum, vt infrà dicetur; & quãuis in quibuſdam brutis videantur etiam aliqua veſtigia iudicij, vt probat Plutarchus in opuſculo cui titulus eſt, *Quòd animalia bruta ratione vtantur.* tamen illud non eſt verum, & perfectum iudicium, de quo modo loquimur, vt Ariſtoteles, & cæteri Philoſophi graues teſtantur, quibus modò hæc quæſtio relinquitur diſputanda. Ex his conſequens eſt, ſolam naturam intellectualem libero arbitrio præditam eſſe.

Plutarchus. Ariſtoteles.

Quod poteſt etiam confirmari autoritate Sapientum. Inprimis enim Philoſophus in 3. lib. Ethicorum cap. 2. & lib. 6. cap. 2. expreſsè docet, electionem, quæ eſt proprius, & formalis actus liberi arbitrij, eſſe vel appetitum intellectiuum, vel intellectũ appetitiuum. & Philoſophi omnes eo vocant homines liberos, quo ratione præditos, vt Gregorius Nyſſen. lib. 1. Philoſophiæ cap. 7. & Damaſcenus lib. 2. de fide c. 27. atteſtantur; & D. Bernardus in opuſculo de libero arbitrio docet, libertatem eſſe proprietatem naturalem ſubſtantiæ intellectualis ab illa inſeparabilem.

Ariſtoteles. Nyſſenus. Damaſcen. Bernardus.

Addi etiam poteſt in huius veritatis confirmationem communis conſenſus omnium Scholaſticorum poſt D. Thom. & Magiſtrum in locis proximè citatis. Immò D. Thom. de verit. quæſt. 24. art. 1. ex inſtituto diſputat, an bruta prædita ſint libero arbitrio. Et in ſumma res iſta eſt tam certa, quàm certum eſt, bruta non eſſe prædita ratione.

D. Thom.

Quod verò videtur poſſe opponi ex D. Clemente Romano lib. 3. Recognitionum, definiente liberum arbitrium, quòd ſit ſenſus animi liber ſui, nullam poteſt ingerere difficultatem, cùm non accipiat nomen ſenſus in propria, & ſtricta acceptione, ſed pro quacumque vi appetitiua.

Clemens Romanus.

V. Tertia propoſitio: Liberum arbitrium non eſt potentia media inter intellectum, & voluntatem. Declaratur hæc propoſitio. Duobus enim modis concipi poteſt liberum arbitrium eſſe potentiam mediam inter intellectum, & voluntatem; vno modo per participationem extremorum, nimirum quòd participet aliquid ab intellectu, & aliquid à voluntate. hoc modo nonnulli referente Dominico Bañes 1. part. q. 83. a. 4. dixerunt liberum arbitrium eſſe potentiam mediam inter intellectum, & voluntatem, quia ab intellectu participat iudicium, & à voluntate electionem. tribuitur hæc opinio Alberto Magno in 2. diſt. 3. q. 6. & diſt. 25. q. 1. & in ſumm. de Homine tractatu de libero arbitrio q. 1 & 2. Alio modo poteſt concipi, quòd ſit potentia media per negationem vtriuſque extremi, quo pacto nonnulli etiam referente D. Thom. in 2. diſt. 24. q. 1. a. 3. de veritate q. 24. a. 6. dixerunt, liberum arbitrium eſſe potentiam mediam inter intellectum, & voluntatem. & tribuitur Alexandro Alenſi part. 2. q. 72. memb. 3. ſed vtroque modo intellecta hæc ſententia reiicienda eſt: quia in natura intellectuali nulla alia potentia concipi poteſt diſtincta ab intellectu, & voluntate, niſi fortè potentia executiua, vt lib. 2. monſtrabitur; omnes enim ſapientes naturam intellectualem ſufficienter diuidunt per intellectum, & voluntatem.

Bañes. Alberus Magnus. D. Thom. Alexander Alenſis.

Et ratio id conuincit manifeſtè, quia potentia diſtincta habere debet ſuum actum proprium, diſtinctum ab actibus aliarum potentiarum, cùm potentiæ ſint propter ſuos actus, vt dicitur in 2. de anima; ſed in natura intellectuali nullus apparet actus diſtinctus ab actibus intellectus, & voluntatis. Si enim eſſet aliquis huiuſcemodi actus, vel eſſet actus imperij, per quod potentiæ mouentur ad ſuas operationes, vel actus electionis: ſed actus imperij, vel ad voluntatem ſpectat, vt videtur dicere D. Thom. 1. part. q. 82. a. 4. & 1. 2. q. 9. a. 1. ad 3. & a. 3. & q. 14. a. 1. vel ad intellectũ, vt idé autor videtur ſentire eadem 1. p. q. 17. Electio quoque ad voluntatem pertinet, vt Philoſophus docet in 3. Ethicorum c. 3. in fine, dicens electionem eſſe deſiderium præconſiliati, quamuis in 6. lib. c. 2. dubiter, vtrùm electio ſit appetitus intellectiuus, an intellectus appetitiuus.

Ariſtoteles. D. Thom. Ariſtoteles.

Præterea, vt optimè D. Thom argumentatur, ad eandem potentiam pertinet obiectum, & ratio obiecti: ſed tota ratio, ob quam aliquod obiectũ, eſt eligibile, eſt habitudo, quam habet tale obiectum ad finem. ergo ad eandem potentiam pertinet electio obiecti, ad quam ſpectat volitio finis; ſed volitio finis ſine dubio eſt actus voluntatis. ergo etiam electio ad voluntatem pertinet.

D. Thom.

Per hanc verò rationem non ſolùm relinquitur probata tertia propoſitio, ſed manent ſoluta motiua contrariarũ opinionũ. Arguunt enim primò, quia liberum arbitrium habet obiectum, & actum proprium diſtinctum ab obiecto, & actu proprio intellectus, & voluntatis. Ergo diſtinguitur ab intellectu & voluntate. Aſſumptum probatur, quia actus proprius liberi arbitrij eſt electio, is actus ſine dubio eſt diſtinctus ab actu intellectus, vt patet, & etiam ab actu voluntatis, quia eius actus nõ eſt electio, ſed volitio finis. Similiter obiectum liberi arbitrij eſt diſtinctum ab obiecto intellectus, vt de ſe patet, & etiam ab obiecto voluntatis, quia obiectum liberi arbitrij ſunt media ad finem, & obiectum voluntatis eſt ipſe finis.

VI.

Reſpondetur, quòd tum finis, tum media ad finem ſpectant ad voluntatem, & tam volitio finis, quàm electio mediorum ſunt actus voluntatis, nõ quidem ſub vna, & eadem, ſed ſub alia, & alia ratione conceptæ. Et hoc ſolum probat argumentum, quod & admittimus.

Secundò argumentantur. Liberum arbitrium eſt potentia mouens intellectum, & voluntatem ad operandum. ergo neceſſariò diſtinguitur ab intellectu, & voluntate, per regulam philoſophicam ex 8. Phyſicorum, *omne quod mouetur, ab alio mouetur.*

Ariſtoteles.

Reſpondeo, nullibi reperiri huiuſmodi regulam philoſophicam apud Ariſtotelem, aut alios autores claſſicos, excepto D. Thom. 1. part. q. 22. a. 3. vt etiam adnotauit Bartholomæus Medina in 1. 2. q. 9. a. 4. concl. 1. in fine, & Cardinalis Bellarminus lib. 3. de Grat. & lib. arbitr. c. 11. Eſt igitur verum, omne quod mouetur, ab aliquo moueri, non autem ab alio, ſi particula, *ab alio*, denotet ſemper diſtinctionem realem inter mouens, & motum; ſufficit enim, vt ſit inter ea diſtinctio aut realis, aut ſaltem rationis, vt contingit in caſu noſtro. voluntas enim mouet intellectum ad operandum, & non mouet etiam ſeipſam.

D. Thom. Medina. Bellarmin.

Neque hoc eſt vllo modo inconueniens, maximè loquendo de motibus ſpiritualibus, & metaphoricis, quales ſunt motus intellectus, & voluntatis. immo verò loquendo etiam de motibus realibus, quales, exempli gratia, ſunt motus locales, illa propoſitio eſt abſolutè falſa ſecundùm veram, & Chriſtianam Philoſophiam. Conſtat ſiquidem, Angelos, qui ſunt ſubſtantiæ ſimpliciſſimæ, mouere ſeipſos de loco ad locum: immo non ſolùm Angeli, ſed etiam animalia, neque ſola animalia, ſed etiam ſimplicia elementa ſeipſa mouent ad ſua propria loca, id quod euidentiſſimè teſtatur D. Thomas de Malo, q. 3. a. 3. in corpore. vbi ſic ait: *Inclinatio autem naturæ eſt & à forma naturali, & ab eo qui dedit formam, vnde dicitur quòd motus ignis ſurſum eſt ab eius lenitate, & à generante, quod talem formam creauit. Sic ergo motus voluntatis directè procedit à voluntate, & à Deo, qui eſt voluntatis cauſa.* Quem locum adnotaui propter eos, qui in via D. Thomæ contendunt, grauia, & leuia non moueri ad ſua loca naturalia à ſeipſis, ſiue à propriis formis.

D.Thom.

CAPVT VI.

Oſtenditur radicem veræ libertatis in indifferentia iudicij ſitam eſſe.

I. QVarta propoſitio: Prima radix libertatis arbitrij eſt indifferentia iudicij ipſius intellectus. Hæc propoſitio primò eſt declaranda, deinde rationibus probanda. Pro illius declaratione primò ſupponendum eſt, ſolum, & adæquatum obiectum voluntatis eſſe bonum vel reale, vel apparens: omne enim quod voluntas appetit, eatenus appetit, quatenus aliquam habet rationem boni, vel veri, vel ſaltem apparentis; &, vt Dionyſius ait c. 4. de diuinis nominibus: *Nemo ad malum intendens operatur.* licèt enim malum videatur eſſe obiectum voluntatis, quatenus voluntas exercet circa illud actum nolitionis, tamen illud non eſt obiectum voluntatis per ſe, ſed ſolùm per accidens, circa quod eatenus voluntas exercet actum nolitionis, quatenus exercet actum volitionis circa bonum oppoſitum, quo priuatur vel timet priuari per illud malum. ita paſſim ſupponunt Doctores, qui videri poſſunt apud Commentatores D. Thom. 1. 2. q. 8. a. 1. & Cardin. Bellarm. lib. 3. de Grat. & lib. arbitr. c. 12.

Dionyſ. Areopag.

D Thom. Bellarmin.

Secundò ſupponendum eſt, voluntatem eſſe naturaliter inclinatam ad bonum vniuerſale, immo voluntatem nihil aliud eſſe, niſi naturalem inclinationem totius ſuppoſiti in bonum vniuerſale, quod eſt vltimus finis. Ob hanc cauſam probat D. Thomas, voluntatem à nulla vi creata cogi poſſe, quia voluntas eſt naturalis inclinatio ad bonum, & eo ipſo quòd cogitur contra naturalem inclinationem, deſtruitur ratio voluntatis, vt optimè argumentatur 1. p. quæſt. 82. art. 1. & 1. 2. quæſt. 6. art. 4. & de veritate quæſt. 22. art. 8.

D.Thomas.

Tertiò ſupponendum eſt, voluntatem de ſe cæcam eſſe, neque poſſe ferri in obiectum, niſi vt præcognitum ab intellectu, & ſub aliqua ſpecie boni ſibi oblatum. Hoc eſt, quod omnes Philoſophi, & Theologi paſſim aiunt, voluntatem eſſe appetitum rationalem, & intellectum obiectiuè mouere voluntatem, & obiectum voluntatis eſſe bonum apprehenſum per rationem, & in carentibus ratione non eſſe verè voluntatem, & nos inuiſa amare poſſe, non autem incognita. Hæc omnia in idem recidunt, & faciunt hunc ſenſum, voluntatem non poſſe ferri in obiectum, niſi ab intellectu oblatum ſub aliqua ratione boni.

Quartò ſupponendum eſt, quale fuerit iudiciũ rationis de bono, quod proponit voluntati eligendum, & volendum, talem futuram eſſe electionẽ, & volitionem ipſius voluntatis: cùm voluntas, vt dictum eſt, non poſſit aliquid appetere, niſi vt ſibi ab intellectu propoſitum ſub aliqua ratione boni.

II. Ex his neceſſariò ſequitur, radicem libertatis ſitam eſſe in indifferentia iudicij, non quidem in iudicando, vel non iudicando de obiecto, ſed in iudicando, quòd obiectum propoſitum voluntati ſit indifferens, non autem medium neceſſarium ad executionem finis. Quod poteſt adhuc clariùs explicari ex comparatione inter iudicium rationis, & electionem voluntatis. Nam ratio duplex habet iudicium, aliud naturaliter determinatum, quod eſt vel ſpeculatiuum, vt iudicium de veritate primorum principiorum, quæ ſunt per ſe nota: vel practicum, quale eſt iudicium de aſſequendo vltimo fine, qui eſt beatitudo, & de comparandis mediis neceſſariis ad ipſum finem. Aliud eſt iudicium liberum, ſiue indifferens, & non determinatũ, quod eſt vel ſpeculatiuum, quale eſt iudicium de concluſionibus, quæ deducuntur ex primis principiis per deductionem non neceſſariam: vel practicum, quale eſt iudicium de mediis, quæ cum finis aſſecutione non habent habitudinem neceſſariam. Eodem modo proportionabiliter voluntas duplicem habet actum, alterum, qui ſequitur iudicium rationis naturaliter determinatum, qualis eſt actus volitionis vltimi finis; & hic actus non eſt liber, ſed naturaliter determinatus, ſaltem quoad ſpecificationem actus: & voluntas reſpectu huius actus, & comparatione vltimi finis, non vocatur voluntas, ſed potiùs natura, quia operatur modo naturæ, vt notat D. Th. 1. p. q. 41. a. 2. & q. 85. art. 4. & 1. 2. q. 10. art. 1. Neque obſtat, quòd de veritate q. 24. a. 1. ad vltim. dixerit, voluntatem eſſe liberã cõparatione vltimi finis, quia vel loquitur ibi de libertate quoad exercitiũ, vel accipit nomen liberi iuxta quartam illam acceptionem notatam ſuprà cap. 3. Alterum verò habet actum, qui ſequitur iudicium rationis indifferens, & indeterminatum: & hic actus eſt ille, qui propriè dicitur liber, & deliberatus, ratione cuius voluntas propriè dicitur libera, vt notat D. Thomas in locis ſuprà dictis; vnde cùm appareat vbi iudicium rationis eſt determinatum, etiam actum voluntatis eſſe determinatum, & vbi iudicium eſt indifferens, etiam voluntatem eſſe liberam, & indifferentem, ſequitur de primo ad vltimum, radicem veræ libertatis in indifferentia iudicij ſitam eſſe. Atque ita omnes Doctores vno, aut altero excepto concorditer ſentiunt. D. Thom. Scotus, Bonauentura, Ægidius, Heruæus, Marſilius paſſim citati. Ruardus Taper a. 7. pag. 209. & Bartholomæus Cameratius lib. 1. de libero arbitr. c. 3.

D.Thomas. Scotus. Bonauent. Ægidius. Heruæus. Marſilius. Ruardus Taper. Barthol. Camera.

III. Sic verò declarata propoſitio probatur in primis ex communi conſenſu antiquorum Doctorũ aſſerentium, ideo hominem eſſe præditum libero arbitrio, quia indifferenter iudicat de multis. D. Clemens Romanus epiſt. 2. ad Iacobum fratrem Domini ita ait: *Nunc autem, quia liberum eſt homini, quod voluerit facere, declinare iudicium ſuum, & quam probauerit, ſententiam eligere, conſtat*

Clemens Romanus.

Digitized by Google

conſtat euidenter, eſſe in hominibus libertatem. Conſimilia, & ferè eadem verba habet Origenes lib. 3. Periarchon. cap. 1. Et ſemel omnes Patres fatentur, ideo hominem eſſe liberi arbitrij, quia eſt agens cum conſilio, & ratione, & libertatem definiunt eſſe facultatem rationis, & voluntatis ad aliquid faciendum, eligendum, vel reſpuendum. Sanè niſi ratio in iudicando eſſet indifferens, non poſſet voluntas, quod eligit, reſpuere, neque quod reſpuit, eligere.

Ariſtoteles. Secundò probatur ex conſenſu Philoſophorũ. Ariſtot. in 3. Ethicorum c. 2. & 3. apertè docet, electionem pendere à conſilio, & eſſe deſiderium rei præconſiliatæ. Omnes etiam morales Philoſophi ſentiunt ex eo hominem probum, vel improbum eſſe, quia in agendis ſunt ſe duci à recta ratione, & prudentia, vel à contraria ratione diſſuaderi, vel recti obliuiſcitur, vel à paſſionibus ſenſus perturbatus duci ſe permittit. hic ſanè eſt ſenſus Ariſtoteles. illorum verborum Ariſtotelis lib. 3. Ethicorum c. 1. iuxta quorundam tranſlationem. *Ignorat ſanè improbus omnis, quanam ſint agenda, & à quibus abſtinendum, & ob hanc ignorantiam homines redduntur iniuſti.* Et in 3. lib. de Anima text. 57. & 12. Metaph. text. 36. cùm docet, per prudentiam vel imprudentiam homines benè, vel malè dirigi. Et Pla- Plato. to in Hypia, & in Protagora, referente Galeno Galenus. lib. 4. de Placitis c. 26. cùm docet, eſſe in homine quandam dominatricem ſcientiam, qua præſente nunquam labatur. Et in epiſtola ad propinquos Dionyſ. cùm ait: *Non prius deſinet humanum genus in malis verſari, quàm aut homines rectè, verèque philoſophantes Reipublicæ gubernationem adepti fuerint: aut hi, qui gubernant, diuino quodam fauore verè philoſophantes ſint.* Quod etiam teſtatus eſt Plotinus En- Plotinus. neade 6. lib. 8. c. 6. & Alexander Aphrodiſ. lib. 3. q. Alexander naturalium cap. 23. & in 2. de Anima com. 45. cùm Aphrod. ait, *liberum arbitrium naſci ex permixtione entis cum non ente, & veri cum mendacio.* Cui conſimilia ſunt D. Thom. verba D. Thom. de verit. q. 24. a. 1. ad 18.

Tertiò probatur eadem veritas manifeſtiſſima experientia, quæ docet, vbi deeſt ratio, vel iudicium rationis determinatum eſt à natura, nullum eſſe veſtigium veræ libertatis, vt patet in brutis, & in amentibus, & in omnibus hominibus reſpectu vltimi finis.

IV. Sed vt magis appareat veritas huius propoſitionis, arguitur contra illam primò, quia in Deo eſt verè liberum arbitrium; ſed in Deo non eſt indifferentia iudicij, hæc enim denotat maximam imperfectionem. Ergo non eſt de ratione liberi arbitrij, vt iudicium rationis ſit indifferens.

Reſpondetur, duobus modis iudicium rationis dicitur indifferens, vel indifferentia actus ad eſſe, vel non eſſe, & hæc indifferentia dicit imperfectionem in intellectu, ſed non eſt neceſſaria ad libertatem arbitrij: vel indifferentia obiecti, quod iudicatur indifferens, & non neceſſarium mediũ, ad conſequendum finem, & iſta indifferentia eſt neceſſaria ad conſtituendum liberum arbitrium, & non dicit imperfectionem in intellectu, & reperitur in Deo.

V. Secundò arguitur, quia libertas eſt naturalis, & intrinſeca proprietas voluntatis: ſed nihil eſt cauſa proprietatis naturalis niſi quod dat eſſe ſubiecto vel formaliter, vel efficienter. Cùm igitur intellectus neque efficienter, neque formaliter det eſſe voluntati, non videtur libertas voluntatis poſſe radicari in intellectu.

Reſpondetur primò, voluntatem fluere ab eſſentia animæ mediante intellectu, vt nonnulli ſentiunt: putántque ita ſentire D. Thom. 1. p. q. 77. art. 7. quod ſi verum eſt, facilè reſpondetur libertatem eſſe in intellectu radicaliter, & formaliter in voluntate, quatenus voluntas aliquo modo originatur ab intellectu, ſicut calor eſt formaliter in lapide calefacto, & cauſaliter in radio Solis. D. Thom.

Secundò reſpondeo totam difficultatem huius argumenti, & multorum aliorum ſimilium ex eo naſci, quia ita ratiocinamur de intellectu, & voluntate, tanquam ſi eſſent duo ſuppoſita diſtincta, quorum vnum Intelligeret, alterum vellet, quæ imaginatio falſa eſt, & multos decipit: licèt enim ob eminentiam iſtarum potentiarum illarum actiones prædicentur de illis tanquam de ſuppoſitis, ita vt non ſolùm dicamus, homo intellectu intelligit, & voluntate vult, ſed etiam intellectus intelligit, & voluntas vult, tamen in rigore ſermonis neque voluntas vult, neque intellectus intelligit, tanquam ſuppoſitum per ſe ſubſiſtens, ſed ſolus homo, vel anima humana quando à corpore ſeparata per ſe ſubſiſtit. Vnde ad formam argumenti dicitur, quòd vnum non poteſt dici cauſa naturalis proprietatis exiſtentis in alio, niſi det illi eſſe, vel formaliter, vel efficienter, quando ſubiectum talis proprietatis eſt ſuppoſitũ per ſe ſubſiſtens, vel niſi vtrumque radicetur in tertio tanquam duæ potentiæ fluentes ab vna & eadem eſſentia ſubiecti. Ita accidit in caſu noſtro; ex eo enim, quia intellectus, & voluntas radicantur in eadem eſſentia animæ, vt voluntas ſit libera in ſua operatione, ſufficit, & requiritur, vt intellectus ſit indifferens in iudicando.

Tertiò argumentatur contra eandem propoſi- VI. tionem. Ad hoc vt à voluntate eliciatur libera electio, neceſſe eſt, ipſam voluntatem determinari ad eligendum. ergo neceſſe eſt etiam intellectum determinari ad iudicandum hoc, vel illud eſſe eligibile, alioquin nihil omnino eligeretur, nam à potentia indeterminata non egreditur actio, vt dicit Comment. 2. lib. Phyſicorum com. 4. ergo iſta in- Auerroes. differentia iudicij videtur omnino impertinens ad veram eſſentiam libertatis.

Reſpondetur, cùm dicitur, ad rationem libertatis requiri indifferentiam aut indeterminationem in intellectu, aut in voluntate, non eſſe ſenſum, quòd ad hoc vt à voluntate egrediatur actio libera, oporteat tum intellectum, tum voluntatem manere indeterminatam ad agendum, hoc enim implicat, cùm nihil agat, niſi vt determinatum ad agendum: ſed ſenſus eſt, quòd licèt dum voluntas liberè eligit, ſit in particulari determinata ad particularem electionem, & in intellectu præcedat determinatum iudicium circa ipſum eligibile, tamen huiuſmodi determinatio non eſt illis à natura, ſed ab ipſamet voluntate, quæ poteſt imperare intellectui, vt proferat determinatum iudicium de obiecto eligibili, & poteſt illum ſiſtere in vna cõſideratione circa obiectum eligibile, & illum diuertere à conſideratione aliarum circumſtantiarum, & rationum. Et quando mens exagitata variis cogitationibus, poteſt illas cohibere, poteſt non diuertere intellectum ab huiuſmodi malis cogitationibus; & tunc intellectus ſiſtens in illis profert determinatum iudicium: vt, v.g. bonum eſt adulterari, vel furari. poteſt quin etiam iudiciũ rationis quodãmodo determinari ab imaginatiua offerente illi tale obiectũ ſub ſpecie boni delectabilis, & à vehementi paſſione, quæ ſæpe intellectũ afficit, aut à ſuggeſtione dæmonis, aut à malo habi-

bitu; hęc nanque omnia ſunt agentia particularia, & determinata,quæ niſi volũtas pro ſuo dominio, & virtute ſuccurrat, & impediat, faciunt intellectum ſiſtere in mala cogitatione,quæ etiam poteſt eſſe talis,vt ad culpam imputetur, habens rationem iudicij determinati,& voluntarij. Et ex eadẽ ratione multoties naſcitur delectatio & cõſenſus in ipſa voluntate,quæ ſicut imperat rationi determinatum iudicium,ita habet in ſua poteſtate,propoſito ſibi obiecto per iudicium rationis, ſeipſam determinare ad particularem electionem.Tota iſta doctrina eſt ſumpta ex Capreolo in 2. diſ.24. q.1. a.3. ad 4. argumentum,ex argumentis allatis contra ſecundam, tertiam, & quartam concluſ. poſt argumenta Durandi pag. mihi 419.quæ diligenter obſeruata,& intellecta,præter quod eſt vera in ſe, liberat nos à multis difficultatibus, in quas nonnulli ſine cauſa ſeipſos coniiciunt, vt inferiùs dicemus.

Capreolus.

CAPVT VII.

Libertatem non in intellectu, ſed voluntate formaliter reſidere demonſtratur.

I. QVinta propoſitio: Etſi in indifferentia iudicij, & rationis ſita ſit prima radix libertatis; tamen libertas non in intellectu, ſed in ſola volũtate formaliter reperitur.Hæc propoſitio probatur.Primò ex diuina Scriptura,quæ libertatẽ arbitrij vocat dominiũ Gen.c.4.*Sub te erit appetitus eius; & tu dominaberis illius.* Optionem,& electionem 2. Regum c.24.*Tuum tibi datur optio,elige quod vis.* & Deuteron.30.*Elige ergo vitam.*Placitum Eccleſiaſt. 15.*Quod cunque placuerit ei, dabitur illi.* Dominiũ verò, optio, electio & placitum formaliter penes voluntatem reſident,non penes intellectum. Neque obſtat,quod Eccleſ.15. dicatur homo relictus in manu conſilij ſui, ad arbitrij libertatem exprimendam,& quòd idem ſit relinqui in manu conſilij,atque libertate arbitrij,vt ibidem notat gloſſa: quia,vt aduertit D.Thom.1.p.q.83.a.3. Scriptura non vocat arbitrium conſilium, ſed manum conſilij,id eſt,quæ regit conſilium; manus verò, quæ conſilium regit,eſt imperium voluntatis: vnde licèt conſiliari propriè ſpectet ad intellectum, tamen voluntas eſt,quæ conſilium imperat, & vltimatè concludit per liberam acceptionem.

Gloſſa. D.Thom.

II. Secundò probatur ex conſenſu omnium SS. Patrum, qui dum definiunt liberum arbitrium, in ſola voluntate illud videntur locare;illorum teſtimonia legi poſſunt apud Cardinalem Bellarminũ lib.3. de libero arbitrio, propoſitione 5. & Suarez lib.1. de auxiliis, ad quos remitto, ne ſim ſuperfluus in re minimè neceſſaria.

Bellarmin. Suarez.

Tertiò probatur ex eo, quia aliquis actus humanus eatenus habet rationem virtutis, aut vitij, & meretur laudem, aut vituperium, quatenus liber eſt: ſed ſoli voluntati tribuitur, quòd aliquis actus cenſeatur actus virtutis,aut vitij,aut mereatur laudem,aut vituperium, præmium, vel ſupplicium,vt paſſim omnes diuinæ Scripturæ,& omnes Catholici teſtantur.

Et poteſt hęc ratio confirmari ab oppoſito,quoniam ſi intellectui ineſt formaliter libertas, poterit eſſe peccatum in intellectu ante omnem conſenſum voluntatis, & ignorantia inuincibilis, & omnino inuoluntaria poterit eſſe peccatum,quod tamen nullus Catholicus admittit. Sequela verò facilè probabitur, nam ad hoc vt aliquis actus cenſeatur eſſe peccatum, ſufficit,vt ſit actus liber, & ſit contra rectam regulam.

Quartò probatur ex intrinſeca natura potentiæ liberæ:nam illa dicitur potentia formaliter libera, per quam dicimur domini noſtrorum actuum, & quæ poſitis omnibus neceſſariò requiſitis ad agẽdum poteſt agere, vel non agere, & tandem per quam poſſumus aliquid eligere,vel reſpuere, proprius enim actus libertatis eſt electio.At hæc omnia ſoli voluntati formaliter poſſunt conuenire, quod euidenter probatur;primò enim quòd ſimus domini noſtrorum actuum non per intellectum, ſed per voluntatem, patet, quia ſi intelligens actũ venereum eſſe bonum delectabile ſecundùm ſenſum,moueatur ab appetitu irrationali,non illi dominatur per actum intellectus, ſed per actum voluntatis.Secundò quòd intellectus non ſit illa potentia, quæ poſitis omnibus requiſitis, adhuc poteſt non operari. hoc patet per experientiam, nam poſitis omnibus requiſitis intellectus non poteſt non intelligere.Demum quòd electio ſit actus voluntatis,non autem intellectus,omnibus compertum eſt. III.

Tandem probatur eadem veritas ex natura ipſius voluntatis,& libertatis. Quid enim eſt volũtas,niſi inclinatio totius ſuppoſiti in obiectum, quod eſt bonum? Quid eſt etiam potentia libera, niſi illa,quæ ita eſt inclinata in aliquod obiectum, vt non poſſit diuertere ab illo? Verùm omnis inclinatio intellectus in obiectum intelligibile naturalis eſt,& talis, quòd intellectus non poteſt ab illo diuertere, nam omnis homo naturaliter ſcire deſiderat. Non poteſt igitur intellectus eſſe formaliter liber.

Verùm etſi in hac propoſitione aſſerenda concors ſit omnium ferè Theologorum opinio,refert tamen Bartholomæus à Medina 1.2.quæſt.6.art.2. circa medium,ſententiam ſingularem aliquorum, qui libertatem formaliter conſtituunt in ſolo intellectu, non autẽ in voluntate. Verùm quoniam illorum rationes ſolùm probant,in intellectu eſſe radicem libertatis,non autem intellectum eſſe liberum formaliter, neque etiam voluntatem formaliter liberam non eſſe,& ab ipſo Medina virtualiter ſoluuntur, ideo breuitatis gratia omittuntur. IV. Barthol. Medina.

Durandus quoque in 2.diſt.24. quæſt.3. ſolus contra communem ſententiam aliorum Doctorũ contendit probare,non ſolùm voluntatem,ſed intellectum eſſe formaliter liberum; cuius argumẽtationes licèt ab aliis, præcipuè à Capreolo in 2. diſ.24.q.5.a.3. ſufficienter ſint ſolutæ:tamen quia illarum ſolutio non parùm luminis confert ad eſſentiam veræ libertatis intelligendam, operæ pretium erit illas modò iterum in medium adducere ac diſſoluere. Primò itaque argumentatur Durandus, ſicut ſe habet cognoſcens ad viuens, ita liberum ad cognoſcens: ſed omne cognoſcens eſt viuens, & eo cognoſcens, quo viuens. Ergo omne liberum eſt cognoſcens, & eo liberum,quo cognoſcens. Durandus. Capreolus.

Reſpondeo,hæc argumentatio nihil concludit: nam minor illa propoſitio,omne cognoſcẽs eo eſt cognoſcens,quo eſt viuens, poteſt habere duplicẽ ſenſum.Primus eſt,vt pronomen relatiuũ,eo,referat ſuppoſitũ,& ſit ſenſus, quòd eodem ſuppoſito eſt viuens,& cognoſcens: hic ſenſus verus eſt; ſed quid ad rem?Secundus ſenſus eſt, quòd pronomẽ, eo, referat principium cognoſcendi, & viuendi, ita quòd eodem principio, & eadem potentia ſuppoſitum exerceat operationem viuendi, & cognoſcendi; & hic ſenſus falſiſſimus eſt. Et eodem modo falſum eſt, quòd omne liberũ eo ſit liberũ, quo

Digitized by Google

quo cognoſcens, quamuis admitti poſſit, quòd eodem ſuppoſito ſit liberum, & etiã cognoſcens.

V. Secundò arguit. Illa potentia eſt magis libera, quæ eſt magis indifferens ad oppoſita, nam Philoſophus in 9. Metaph. textu 10. dicit, quòd potentiæ rationales ſunt ad oppoſita. Ariſtot.

Reſpondent nonnulli, Ariſtotelem per potentias rationales non intelligere intellectum, aut voluntatem, ſed habitus intellectuales, quibus homo vtitur prout vult; & eſto loquatur de potentia naturali, quæ eſt intellectus, non dicit illam eſſe liberam, ſed dicit eſſe indeterminatam. Et in eodem lib. cap. 6. dicit, potentias rationales determinari ab electione, quæ eſt actus ipſius voluntatis.

Secundò reſpondeo ad idem argumentum, non qualemcunque indifferentiam ſufficere ad perfectam rationem libertatis, ſed requiri vltra negationem coactionis, & naturalis determinationis ad vnum, indifferentiam, ſeu indeterminationem non ſolùm paſſiuam, ſed actiuam, & motiuitatem effectiuam aliarum potentiarum, ita quòd potentia libera debet per modum efficientis mouere alias potentias ad exercitium actus. Quare dato, quòd in intellectu ſit aliqua indifferentia ſeu indeterminatio, illa non ſufficit ad perfectam rationem libertatis, maximè quia potiùs eſt paſſiua, quàm actiua, & non mouet effectiuè alias potentias.

Tertiò argumentatur. Illa potentia eſt magis libera, quæ eſt magis independens: ſed intellectus eſt magis independens, quia voluntas non poteſt exire in actum ſine auxilio intellectus, & non econtra. Maior propoſitio colligitur ex doctrina Philoſophi in 1. Metaph. dicentis illud liberum eſſe, quod eſt gratia ſui. Ariſtot.

Reſpondeo primò, quòd Philoſophus non admitteret indiſtincte illam maioré propoſitionem, Deus enim eſt abſolutè independens, & tamen multi Philoſoph negant illum eſſe agens liberum. & Ariſtoteles in 1. Metaph. accipit liberum in alia acceptione.

Secundò dico, quòd duplex eſt dependentia, alia in genere cauſæ finalis, & loquendo de iſta dependentia poteſt admitti, quòd intellectus ſit minùs dependens, quàm voluntas: alia eſt dependentia in genere mouentis effectiuè, & loquendo de hac dependentia magis eſt independens voluntas, quàm intellectus, de qua ſola poteſt verificari illa propoſitio maior, quòd illa potentia ſit magis libera, quæ minùs eſt dependens.

Magiſter. Quartò arguit. Magiſter & Theologi communiter definiunt liberum arbitrium, quòd ſit facultas rationis, & voluntatis.

Reſpondetur, liberum arbitrium eſt in ratione, & voluntate, non eodem modo, ſed in ratione radicaliter, in voluntate formaliter.

VI. Quintò, nullus actus ſecundùm naturalem inclinationem rei eſt violentus, aut coactus; ſed omnis actus intellectus eſt ſecundùm naturalem inclinationem ipſius intellectus, ſicut velle eſt ſecundùm naturalem inclinationem voluntatis, nam intellectus inclinatur naturaliter ad quodcunque intelligibile. Nullus igitur actus intellectus eſt violentus, aut coactus.

Reſpondeo, ſi admittatur totum argumentum, nihil ſequitur contra noſtram propoſitionem: ſolùm namque concludit, intellectum eſſe liberum à violentia, & coactione. Secundò reſpondeo, duplicem eſſe inclinationem, alteram, quæ eſt totius ſuppoſiti in bonum vniuerſale: alteram, quæ eſt particularis potentiæ in bonum particulare. licèt autem omnis actus intellectus ſit ſecundùm inclinationem particularis potentiæ in bonum particulare, poteſt tamen aliquis illius actus eſſe contra inclinationem totius ſuppoſiti in bonum vniuerſale, & commune omnibus potentiis: vt cùm aliquis cogitur intelligere, & credere, quòd eras eſt ſuſpendendus in patibulo, quod nollet intelligere, nec credere. Ex quo ſit, quòd licet nullus actus voluntatis poſſit eſſe coactus, quia omnis illius actus eſt ſecundùm inclinationem totius ſuppoſiti in bonum commune: tamen aliquis actus intellectus poteſt eſſe coactus, quia licèt ſit ſecundùm naturalem inclinationem particularis potentiæ in bonum particulare, eſt nihilominus contra inclinationem totius ſuppoſiti in bonum commune, & vniuerſale, iuxta doctrinam D. Thom. de verit. quæſt. 22. art. 5. ad tertium. D. Thom.

VII. Sextò arguit. Omne, quod poteſt cogi, habet determinatam inclinationem, & determinatum modum; ſed inclinatio intellectus neque eſt determinata, neque habet determinatum modum, idque multipliciter nititur probare.

Reſpondeo, ad perfectam rationem liberi non ſufficere, vt non poſſit cogi, Deus enim à nullo poteſt cogi, quem tamen multi ex antiquis Philoſophis crediderunt agere ex neceſſitate naturæ, non autem liberè.

Septimò arguit. Illa potentia eſt priùs, & magis libera, per quam ſumus domini noſtrorum actuum; ſed per intellectum priùs, & magis ſumus domini noſtrorum actuum, prior enim eſt notitia de eligibili contingenti, quàm illius electio.

Reſpondeo, rationem nihil concludere, quia ad dominium non ſufficit cognitio, ſed requiritur motiuitas effectiua potentiarum ad exercitium actus, quæ reſidet penes voluntatem, non intellectum.

Octauò argumentatur. Illa potentia eſt priùs, & principaliùs libera, cuius actum priùs, & principaliùs habemus in noſtra poteſtate: talis autem eſt actus intellectus, primi enim actus, quos habemus in noſtra poteſtate, ſunt iudicium practicum de aliquo eligibili, & eiuſdem obiecti electio, & iudicium eſt prius, quàm electio.

Reſpondeo, ideo iudicium de obiecto eligibili eſſe in noſtra poteſtate, quia ipſum iudicium aliquo modo habet rationem eligibilis, & ſubiacet imperio voluntatis imperantis conſilium, & concluſionem iudicij, & approbantis ipſum iudicium, vel reſpuentis, vt magis explicabitur inferiùs.

VIII. Præter argumenta Durandi eſt nona ratio, quæ non leuem continere videtur difficultatem. Liberum arbitrium eſt libera facultas arbitrandi, & iudicandi, vt notum eſt, & omnes concedunt, maximè D. Thomas prima ſecundæ quæſt. 17. art. 1. ad ſecundum, & de veritate, quæſt. 24. art. 4. ad ſextum. facultas verò iudicandi ad intellectum ſpectat, non ad voluntatem. D. Thom.

Reſpondeo, ex eodem D. Thom. locis citatis, quòd principium alicuius actus vt fiendi aliqualiter, non eſt idem cum principio eiuſdem actus, vt fiendi ſimpliciter (ſuſtineant nos quæſo Grammatici, in hoc modo loquendi) v. g. Grammatica eſt principiũ loquendi rectè, & congruè, & tamen non eſt principium loquendi ſimpliciter. ita in propoſito ratio eſt principium iudicandi ſimpliciter, non tamen eſt principium iudicandi liberè, ſed tale principium eſt ipſa voluntas, quatenus

tamen in illa manet virtus intellectus: & quatenus illa habet in ſua poteſtate iudicium rationis, quia ipſa eſt facultas motiua ſuiipſius effectiuè, & omnium aliarum potentiarum: & etiam quia ratio ipſa habet non ſolùm actum directum, quo directè poteſt iudicare de aliquo obiecto, ſed etiam actum reflexum, quo poteſt reflecti ſuprà ſeipſam, & ſupra ſuos actus, & cognoſcere habitudines, quas habent ad inuicem res, de quibus iudicat, & iudicare de ſuo iudicio, vnde & voluntas poteſt imperare rationi, vt reflectatur ſuper ſe, & iudicet de tali habitudine, & de tali iudicio, quod non poſſet facere, niſi ratio haberet etiam iſtum actum reflexum.

IX. Decimò arguitur. Niſi ratio ſit formaliter libera, neque etiã voluntas erit formaliter libera: voluntas enim non poteſt aliquid eligere, neque alio modo, niſi quod à ratione illi proponitur eligendum, & quomodo proponitur.

Reſpondetur primò negando conſequentiam: ſufficit enim ad hoc, quòd voluntas ſit formaliter libera, vt ratio ſit libera radicaliter, ſeu virtualiter, vt notat Capreolus citata diſt. 24. quæſt. 1. art. 3. ad tertium argumentum, poſt argumenta Durandi pagina mihi 418. probatio enim illa conſequentiæ habet euidentem dubitationem, an voluntas poſſit aliquid eligere præter id, quod ratio iudicat eligendum, ſed de hoc infrà.

Capreolus.

Durandus.

Secundò reſpondent ad argumentum nonnulli Doctores præclari nominis, quòd voluntas eſt libera, non quia non determinetur neceſſariò ab vltimo iudicio practico, ſed quia habet ipſum iudicium practicum in ſua poteſtate. Quomodo verò habeat huiuſmodi iudicium in ſua poteſtate, ſic declarant. Ratione proponente voluntati varia media ad finem, voluntas poteſt ſinere ſe ab illis moueri, vel non moueri per reſiſtentiam, non quidem poſitiuam ſed negatiuam, id eſt, non ponendo electionem; & in hoc dicunt poſitam eſſe rationem libertatis, quòd propoſitis variis rationibus non neceſſariis, voluntas poſſit ſinere ſe moueri ab vna, & non ab alia.

Hæc illorum doctrina licèt vera ſit, non videtur primo aſpectu ſoluere nodum difficultatis: dicet enim aduerſarius, quòd ex eo, quòd voluntas poteſt ſinere ſe moueri, vel non moueri à rationibus non neceſſariis, benè infertur, quòd iudicium rationis, non ita habet in ſua poteſtate voluntatem, vt neceſſariò illam rapiat, non tamen poteſt inferri, quòd voluntas habeat in ſua poteſtate iudicium rationis, de quo eſt difficultas. Præter quod ſi in hoc ſolùm ſita eſſet ratio libertatis, videretur tota libertas poſita in ſola differentia paſſiua, ſeu negatiua, cùm iſta reſiſtentia, qua voluntas reſiſtit rationi ſibi proponenti varia media, non ſit reſiſtentia actiua, & poſitiua, ſed tantùm negatiua, ſecundùm illos.

Capreolus.

Vt ergo appareat veritas reſponſionis, & tollatur omnis ſcrupulus, notanda eſt doctrina Capreoli loco citato ad primum, quòd eatenus aliquis actus humanus dicitur eſſe in noſtra libera poteſtate, quatenus ſequitur aliquo modo liberam electionem voluntatis. Porrò electio libera duplex eſt, alia formalis, & directa: alia interpretatiua, & indirecta. Declaro, eſt electio formalis, quando voluntas formaliter ponit actum electionis circa aliquod obiectum. Eſt electio interpretatiua, quando voluntas non ponit formaliter actum circa obiectum, ſed cùm poſſet aliquem actum impedire, tamen impedire non voluit, maximè ſi debeat impedire. Prima dicitur electio directa, quia voluntas directè ponit actum ſuum circa obiectum: ſecunda dicitur electio indirecta, quia cùm deberet impedire aliquem actum, & poſſet, noluit. Exempli gratia, voluntas eligit malam cogitationem adulterij, vt perueniat ad actum externum, iſta eſt electio formalis, & directa. Mens exagitatur praua cogitatione adulterij, appetitus etiam animalis perturbat rationem, & voluntas non diuertit mentem à mala cogitatione, neque reprimit appetitum irrationalem, cùm poſſet & deberet; iſta dicitur electio interpretatiua, & indirecta, quæ aliquando imputatur ad culpam etiam non accedente electione formali, ſed voluntate ſe habente ſolùm negatiuè quoad actum electionis formalis.

Doctrina iſta deprompta eſt ex D. Thom. 1. 2. quæſt. 6. art. 3. iuxta quam reſpondetur ad obiectionem, quòd iudicium rationis eſt in poteſtate voluntatis non ſolùm ea ratione, quia voluntas poteſt ſinere ſe duci, vel non ſinere ſe duci ab ipſo iudicio rationis; ſed etiam, quia habet in ſua poteſtate, ipſum iudicium rationis impedire, & diuertere aliò. Et ideo omne iudicium liberum ſemper præcedit aliqua electio, vel formalis, vel ſaltem interpretatiua. & eatenus iudicium rationis dicitur liberum, quatenus manet in eo virtus voluntatis eligentis. Sicut è contrario dixit D. Thom. 2. diſt. 24. quæſt. 1. art. 3. quòd in electione manet virtus intellectus, electio enim eſt deſiderium præconſiliati, intellige de electione formali.

D. Thom.

D. Thom.

Dicetur. Electio ſemper eſt de meliori: ergo ſi voluntas eligit hanc conſiderationem potiùs, quàm illam, & ſiſtit in iſta potiùs, quàm in illa, oportet neceſſariò præcedere iudicium, quòd iſta ſit melior, quàm illa, & ſic vel ſiſtendum in iudicio, quod non ſit in poteſtate voluntatis, vel procedendum in infinitum.

Reſpondeo. Duplex eſt iudicium, aliud ſpeculatiuum, & ſine dictamine, quod nihil aliud eſt, niſi actus, quo potentia apprehendit proprium obiectum, & illud diſcernit: aliud practicum, quo ratio apprehendens aliquid ſub ratione boni, vel mali, dictat eſſe proſequendum, vel reſpuendum. Ad electionem formalem, & directam regulariter requiritur iudicium practicum: cæterùm ad electionem interpretatiuam, & indirectam ſufficit iudicium ſpeculatiuum. v. g. ad hoc vt voluntas interpretatiuè dicatur eligere actum adulterij, ſufficit, quòd imaginatiua offerat intellectui imaginem pulchram, & intellectus concipiat turpem cogitationem, & voluntas potens auertere intellectum à tali cogitatione, non auertat.

CAPVT VIII.

Non ſufficere ad veram libertatem indifferentiam obiecti: ſed requiri indifferentiam potentiæ eligentis, & qualis illa eſſe debeat.

SExta propoſitio: Non ſufficit ad veram arbitrij libertatem indifferentia obiecti, ſed neceſſaria eſt omnino indifferentia voluntatis circa obiectum. Senſus huius propoſitionis eſt, quòd ad veram libertatẽ non ſufficit, vt obiectum, quod ratio proponit voluntati, proponatur illi, vt indifferens, & non neceſſarium medium ad finem, ſed I.

ſed requiritur omnino, vt voluntas ipſa ſit de ſe indifferens ad eligendum, vel non eligendum ipſum obiectum, quod proponitur illi per iudicium rationis ſub ratione eligibilis. Sic verò intellecta propoſitio licèt non recipiatur à quibuſdam recentioribus, contendentibus, quòd ſtante indifferentia iudicij rationis de obiecto voluntati propoſito, voluntas manebit libera, etiamſi à cauſa ſuperiori neceſſariò determinetur ad vnum: eſt tamen veriſſima, & non ſolùm conſentanea doctrinæ communi omnium Scholaſticorum, ſed ſanctorum Patrum, & diuinæ Scripturæ, vt ſtatim probabitur. Oſtenditur ergo illius veritas primò ex propoſitione præcedenti, quia licèt libertas ſit radicaliter in intellectu, eſt tamen formaliter in ipſa voluntate, & ita in voluntate, quòd formaliter non eſt in alia potentia. Ergo ſicut ad veram libertatem requiritur indifferentia obiecti, ſiue intellectus iudicantis obiectum eſſe indifferens; ita multo magis requiritur indifferentia in voluntate ad eligendum, vel non eligendum obiectum ſibi propoſitum. Conſequentia eſt neceſſaria, quia ſi ad hoc, vt conſtituatur radix libertatis in intellectu, neceſſariò requiritur indifferentia iudicij in ipſo intellectu, quæ poteſt eſſe cauſa, quòd ad conſtituendam formaliter libertatem in voluntate, non requiratur indifferentia ad eligendum in ipſa voluntate? Dicere enim, quòd non requiritur talis indifferentia in voluntate, quia ſufficit indifferentia in intellectu, nihil eſt dicere, & (vt Iuriſconſultus ait) ſine lege loqui.

II. Secundò ad perfectam libertatem non ſufficit, vt homo cognoſcat, obiectum ſibi propoſitum non habere neceſſariam connexionem cum fine, ſed requiritur multò magis, vt habeat in ſua poteſtate ipſam electionem, & ſit dominus ſuarum actionum, & ita dominus, vt poſſit agere, & non agere, vt vel etiam hæretici intelligunt, qui liberum arbitrium negant, hoc enim ſignificat vox illa *αὐτεξούσιον* adeò Caluino inuiſa, hoc ſignificant locutiones illæ diuinæ Scripturæ, quæ vocant libertatem arbitrij dominium proprij appetitus, & electionem, & optionem, & hominem eſſe relictum in manu conſilij ſui. At niſi ſit indifferentia in voluntate ad volendum, vel non volendum, eligendum, vel non eligendum, quomodo poteſt homo dici dominus ſuarum actionum, & habere in ſua poteſtate velle, & non velle, eligere, & non eligere, per ſolam indifferentiam iudicij, voluntate manente determinata à cauſa ſuperiori ad eligendum ita, vt ſtante huiuſmodi determinatione non poſſit non eligere? Quis hæc paradoxa intelligere valebit? Ego, fateor meam tarditatem, omninò intelligere non poſſum.

Dicetur, ſtante indifferentia in intellectu, quoad iudicium de obiecto eligibili, non poſſe voluntatem non manere indifferentem ad eligendum. Sed primò hoc non eſt, quod illi aiunt, ſtante indifferentia iudicij rationis poſſe voluntatem determinari ad vnum à cauſa ſuperiori, & tamen manere in homine libertatẽ, hic enim modus dicendi nõ relinquit voluntatem indifferentẽ, ſed dicit, quòd non obſtãte determinatione volũtatis ad vnũ facta à cauſa ſuperiori, dicitur tamen manere in homine libertas, propter indifferentiam exiſtentem in intellectu. Secundò ſi iſti ſic dicunt, iam admittunt veritatem ſextæ propoſitionis, quòd ad veram libertatem, vltra indifferentiam obiecti, requiratur etiam indifferentia potentiæ ipſius voluntatis. Vtrùm verò iſtæ duæ indifferentiæ ſint ab inuicem inſeparabiles, alia erit quæſtio.

Tertiò non repugnat manente indifferentia iudicij de aliquo obiecto, voluntatem neceſſitari ab extrinſeco, ſaltem à Deo de potentia abſoluta quoad vſum, & actum ſecundum. Ergo non ſufficit ad perfectam libertatem indifferentia iudicij, & obiecti, niſi adſit etiam indifferentia potentiæ, ſeu voluntatis. Aſſumptum probatur à Scoto in 2. diſt. 25. quæſtione vnica, lit. B. in additione, vbi non ſolùm probat noſtram ſextam propoſitionem, ſed quatuor rationibus efficaciſſimis probat, liberum arbitrium non conſiſtere in ſola indifferentia iudicij, ſed multo magis in indifferentia voluntaris, quæ ita eſt domina ſuarum actionum, vt variis rationibus ſibi propoſitis, ſeſe determinet ad quam voluerit, quæ rationes apud illum videri poſſunt, non enim intendimus hîc Doctores tranſcribere. Secundò probatur idem aſſumptum à Barthol. Medina prima ſecundæ quæſt. 6. art. 4. concl. prima & ſecunda, quia poteſt Deus infundere voluntati habitum intenſiſſimum neceſſariò inclinantem voluntatem, poteſt etiam impedire voluntatem, ne exeat in actum ſecundum, etiam ad quem ſuapte natura inclinatur, ſubtrahendo illi ſuum concurſum, & hoc poteſt Deus facere etiam manente indifferentia iudicij rationis. Quid enim illum prohibet? III. Scotus. Medina.

Quartò hæretici, cum quibus eſt nobis controuerſia de libero arbitrio, non negant indifferentiam iudicij circa multa agibilia, hoc enim eſt negare manifeſtiſſimam experientiam, neque adhuc eſt à Catholicis notatus aliquis locus apud iſtos hæreticos, in quo negent iſtam indifferentiam iudicij: nihilominus quia negant indifferentiam voluntatis ad eligendum, & non eligendum, reputantur à Catholicis negare liberum arbitrium. Non ergo ſufficit ad veram libertatem indifferentia iudicij rationis, niſi adſit indifferentia potentiæ voluntatis.

Quintò non eſt etiam leue argumentum huius veritatis, quod nonnulli addunt, hanc indifferentiam iudicij in ſententia illorum qui in ea ſola totam rationem libertatis conſtituere videntur, parum aut nihil iuuare ad libertatem defendendam, tum quia præter hoc iudicium, quo ratio iudicat obiectum propoſitum voluntati eſſe indifferens, requiritur aliud iudicium practicum, quo ratio omnibus inſpectis dictat, hoc nunc eſſe eligendum, vel reſpuendum, vt illi dicunt, & hoc iudicio poſito voluntas non poteſt non eligere. vnde illud primum iudicium nihil videtur conferre ad liberam electionem, cùm non ex illo, ſed ex alio iudicio vltimatè determinato, non autem indifferenti pendeat electio. tum etiam, quia actus dicitur formaliter liber ex ordine ad potentiam, à qua elicitur, & in qua recipitur, & non ſolùm ex ordine ad aliam cauſam, vel potentiam, id quod nos inferiùs probabimus ſatis euidenter. Quare cùm ad veram libertatem requiratur indifferentia, parum refert, ſi conſtituatur indifferentia in iudicio rationis, niſi etiam conſtituatur in ipſa potentia, à qua immediatè elicitur actus liber, quæ eſt ipſa voluntas. IV.

Sextò poteſt eadem veritas confirmari pluribus teſtimoniis Patrum, & Scholaſticorum. In primis Patres definientes libertatem arbitrij dicunt eſſe poteſtatem voluntatis in vtranque partem. V.

Origenes. Nyſſenus. Nazianzenus. Optatus Milleuitanus.

tem. ita Origenes lib. 3. Periarchon cap. 1. Gregorius Nyſſenus lib. 7. Philoſoph. cap. 1. Gregorius Nazianzenus in Apologetico prope initium dum ait: *Arbitrij libertas parem in vtranque partem motum habet.* Optatus Milleuitanus lib. 7. contra Parmenianum. *Voluntas* (inquit) *habet pœnam, neceſſitas, veniam. Homicida ſcelus poteſt facere, poteſt etiam non facere, & cætera huiuſmodi, in quibus liberum habetur arbitrium.* Auguſtinus lib. 2. contra Fauſtum cap. 5. *Et nos ſub fato ſtellarum nullius hominis geneſim ponimus, vt liberum arbitrium voluntatis, quo vel benè, vel malè viuitur, propter iuſtum iudicium Dei ab omni neceſſitatis vinculo vindicemus.* Cyrillus Alexandrinus lib. 9. in Ioannem cap. 10. *Rationali creaturæ liberam poteſtatem creator largitus eſt, & ſua voluntatis habenas vnicuique commiſit, vt in eo ſit, quidquid probauerit, eligere.* Sexcenta ſunt huiuſmodi teſtimonia, quæ legi poſſunt præcipuè apud Cardinalem Bellarminum lib. 3. de lib. Arbitr. cap. 5. & lib. 4. cap. 9. & 14. & alios autores, huc enim tendunt omnia teſtimonia, quæ probant, ad arbitrij libertatem requiri dominium noſtrorum actuum, & parem poteſtatem in vtranque partem, ſcilicet ad agendum, & non agendum: dominium enim in proprios actus, & poteſtas agendi, & non agendi, in voluntate ſita ſunt, non in intellectu.

Auguſtinus. Cyrill. Alexand.

VI. D. Thom.

Ex Scholaſticis verò docent hanc veritatem expreſſiſſimè D. Thom. 1. 2. quæſt. 10. artic. 4. dum ait, *Quod voluntas eſt actiuum principium non determinatum ad vnum, ſed indifferenter ſe habens ad multa, & ideo Deus illam ſic mouet quòd non ex neceſſitate ad vnum determinat; ſed manet motus eius contingens, niſi in his, ad quæ naturaliter mouetur.* In his verbis apertiſſimè conſtat, libertatem in ſententia D. Thomæ fundari in indifferentia voluntatis, maximè comparatione motus primæ cauſæ. Idem expreſsè docet quæſt. 80. art. 1. ad tertium. & de Potentia quæſt. 3. art. 7. ad 13. & aliis in locis ex inſtituto adducendis lib. 8. cap. 24. & 27. Scotus loco citato ex 2. diſt. 25. quæſt. vnica, lit. B. ex profeſſo probat, non ſufficere ad veram libertatem indifferentiam iudicij: ſed requiri, vt voluntas ſit indeterminata, potens ſeipſam determinare ad quam partem maluerit, quod probat quatuor rationibus. Alexander Alenſis 1. p. quæſt. 40. membr. 4. ad 3. dicit, Prouidentiam diuinam non prædefinire actus liberos, ſed relinquere in poteſtate voluntatis oppoſitum illorum facere. Sentit igitur, ad intrinſecam rationem libertatis requiri indifferentiam in ipſa voluntate. D. Bonauentura 1. diſt. 40. art. 2. quæſt. 1. docet, actus liberos, quorum Deus non eſt tota cauſa, ſed concauſa cum voluntate creata, non eſſe prædefinitos ante præſcientiam determinationis voluntatis creatæ. eſt igitur de intrinſeca ratione libertatis voluntatis indeterminatio non ſolùm ab intrinſeco, ſed etiam ab extrinſeco. Idem ſentiunt Henricus, Durandus, Marſilius, Guliermus Okam, & Gabriel Biel relati à Leſſio diſp. Apolog. cap. 5. num. 7. 8. idem ſentit expreſsè Card. Bellarminus lib. 4. de lib. Arbitrio cap. 14. Omitto Franciſcum Suarez lib. 1. de Auxiliis cap. 2. Vazquez, Leſſium, & alios. Idem nouiſſimè viſus eſt ſentire Ioannes Paulus Nazarius 1. p. quæſt. 14. art. 13. controu. 1. §. *Tertiò obſeruandum*, cùm ait: *Voluntas ſecundùm ſe, id eſt, ex intrinſeca ſua natura, libera eſt. Igitur ex quocunque eidem adiuncto nõ poteſt ad vnum determinari, ſalua libertate, neque vlla ratione concipi poteſt, quomodo ex quouis adiuncto poſſit ad vnum determinari, niſi ex diuinis præfinitionibus, quas huius ſententiæ ſectatores exhorrent.* Hæc ille contra Molinam. Ex quibus colligitur, in eius ſententia, indeterminationem ita eſſe de intrinſeca ratione liberæ voluntatis, vt manente libertate, nec etiam per diuinas præfinitiones poſſit impediri.

Henricus. Durandus. Marſilius. Guliermus Okam Biel. Leſſius. Bellarminus. Suarez. Vazquez. Paulus Nazarius.

VII. Contra hanc propoſitionem eſt primum argumentum. In Deo eſt liberum arbitrium: in Deo non eſt indifferentia potentiæ, quia illa denotat imperfectionem. Ergo indifferentia potentiæ non pertinet ad intrinſecam rationem libertatis.

Reſpondetur. Quemadmodum cùm ponimus in Deo potentias, ponimus illas purgatas ab omni imperfectione: vt cùm dicimus, Deum habere intellectum & voluntatem; ita cùm ponimus in Deo indifferentiam voluntatis, ponimus illam purgatam ab omni imperfectione. Clariùs loquendo ponimus in diuina voluntate indifferentiam non paſſiuam, quæ dicit imperfectionem, ſed actiuam, quæ nullam dicit imperfectionem.

Contra hanc reſponſionem eſt argumentum. Indifferentia actiua dicit imperfectionem in diuina voluntate, quia dicit mutabilitatem de actu volendi, ad actum non volendi: & ideo ne admittatur hæc imperfectio in Deo, dicunt Theologi quòd quidquid Deus ſemel voluit, ſemper voluit.

Reſpondetur, voluntatem diuinam eſſe indifferentem in eo ſigno, in quo nondum concipitur, vt à ſeipſa liberè determinata erga hoc, vel illud obiectum, quæ eſt indifferentia neceſſariò requiſita ad conſtituendam veram libertatem: non autem in eo inſtanti, in quo iam concipitur à ſeipſa liberè determinata ad hoc obiectum: tunc enim non concipitur amplius indifferens, neque eſt neceſſaria indifferentia voluntatis ad libertatem pro eo inſtanti.

D. Thomas.

Eſt tertium argumentum quod nonnulli ſumunt ex auctoritate D. Thom. 1. p. quæſt. 83. art. 1. & 1. 2. quæſt. 17. art. 1. ad ſecundum dicentis, quòd manente indifferentia iudicij rationis non poteſt voluntas non manere libera.

Reſpondeo. Si codices noſtri mendoſi non ſunt, nihil tale habet D. Thomas, ſed ſolùm, ad libertatem arbitrij eſſe neceſſariam indifferentiam iudicij. & libertatem voluntatis eſſe in ratione, vt in radice, & cauſa, & in ipſa voluntate, vt in proprio ſubiecto. Vtrùm verò manente indifferentia iudicij poſſit voluntas à cauſa extrinſeca ſaltem à Deo neceſſitari, ibi non determinat. & de veritate quæſt. 22. art. 8. partem affirmatiuam tuetur.

CAPVT IX.

Non ſufficere ad veram libertatem indifferentiam paſſiuam, ſed requiri indifferentiam actiuam ipſius voluntatis.

I. SEptima propoſitio: Non ſufficit ad veram, & perfectam libertatis rationem, quòd voluntas ſit indifferens paſſiuè, niſi ſit etiam indifferens actiuè ad volendum, & non volendum, &c. Iſta propoſitio debet eſſe certiſſima apud omnes Catholicos: eſt enim doctrina fidei, vt ſtatim probabitur, cui omnes Doctores Catholici ſubſcribunt.

Probatur primò ex diuina Scriptura, illa nanque

Digitized by Google

que explicat libertatem per modum dominij,electionis,optionis,conuerſionis,& actionis. Geneſ. 4.Deuteron.30.2.Regũ 24. Eccleſiaſtici 15. & 31. Ioannis 1.in illis verbis, *Dedit eis poteſtatem, filios Dei fieri.* Matthæi 12. *Aut facite arborem malam,& fructus eius malos*,&c. 1. ad Corinth.7. *Non habens neceſſitatem, poteſtatem autem habens ſuæ voluntatis.* Iſti modi loquendi manifeſtè indicant, vſum libertatis non in paſſione,ſed in actione conſiſtere.

Conc.Trid. Secundò probatur expreſſa definitione Concilij Tridentini. nam ſeſſio ſexta de iuſtificatione cap.5. declarans modum quo liberum arbitrium cum diuina gratia ad actum iuſtificationis concurrit, inquit: *Neque homo ipſe nihil omnino agat, inſpirationem ipſam recipiens, quippe qui illam & abiicere poteſt.* Et canon.4. *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum, nihil cooperari aſſentiendo Deo excitanti,atque vocanti, quoad obtinendam iuſtificationis gratiam ſe diſponat, ac præparet, nec poſſe diſſentire, ſi velit, ſed velut inanime quoddam nihil omnino agere, meréque paſſiuè ſe habere,anathema ſit.* Et canone 6. *Si quis dixerit, non eſſe in poteſtate hominis vias ſuas malas facere, ſed mala opera ita,vt bona Deum operari*,&c.

II. Augustinus. Tertiò probatur ex Patribus. D. Aug. lib.2. de Actis cum Felice Manichæo c.4.expendens verba ex Euangelio Matthæi proximè citata, inquit: *Audi ergo de libero arbitrio primò ipſum Dominum, vbi duas arbores commemorat, quarum mentionem ipſe feciſti. Audi dicentem: Aut facite arborem bonam, & fructum eius bonum;aut facite arborem malam,& fructum eius malum. Cùm ergo dicit,aut hoc facite,aut illud facite, poteſtatẽ indicat non naturam. Nemo, niſi Deus,facere arborem poteſt: ſed habet vnuſquiſque in voluntate,aut eligere, quæ bona ſunt,& eſſe arbor bona, aut eligere mala, & eſſe arbor mala.* In his verbis apertè docet, ad libertatẽ arbitrij requiri indifferentiam voluntatis non quamcunque, ſed actiuã. Eandem doctrinã habet lib.1. Retractationum c.

Cyril.Alex. 22.& aliis pluribus in locis.S. Cyrill. Alexandrinus lib.9. in Ioannem c.10.*Rationalis*,inquit. *creatura liberam poteſtatem creator largitus eſt, & ſuæ voluntatis habenas vnicuique commiſit,vt in eo ſit, quidquid*

Damaſcen. *probauerit,eligere.* Ioannes Damaſcenus ſecundo de fide c.26. *In nobis ſunt ea, quorum ſumus adepti liberam poteſtatem,& facere,& non facere.* Optatus Mil-

Optatus Milleuit. leuitanus lib.7.cõtra Parmenianum: *Homicida poteſt ſcelus facere, poteſt & non facere, & cætera huiuſmodi,in quibus liberum habetur arbitrium.* S. Ambr.

Ambroſ. lib. 2. de fide c.3.*Operatur* (inquit) *prout vult,id eſt,*

Bernardus. *pro libero voluntatis arbitrio.* D. Bernard. opuſculo de lib.arbitrio,inquit, quòd *ratio deſtrueret liberum arbitrium,ſi neceſſitatem ei vllam imponeret,quæ minùs voluntas liberè pro arbitrio ſeſe voueret, ſine in malum conſentiens appetitus ſine in bonum gratiam conſequẽs.*

III. Quartò probatur ratione ex dictis autoritatibus deducta. nam vſus libertatis conſiſtit in dominio, electione, optione,conuerſione,auerſione, volitione,& ſimilibus, qui ſunt actus vitales: ſed nulla potentia reſpectu ſuorum actuum vitalium ſe habet merè paſſiuè. Non igitur poteſt liberum arbitrium conſiſtere in indifferentia voluntatis merè paſſiua.

Quintò,nulla potentia merè paſſiua mouet ſeipſam, neque poteſt alias potentias mouere per imperium:voluntas libera ſeipſam mouet, & mouet omnes alias potentias per imperium.ergo non poteſt eſſe potentia purè paſſiua.

Durandus. Sextò probatur argumento Durandi 2.diſt.24. q.2. Potentia, quæ paſſiuè tantùm indifferens eſt ad plura, & nihil omnino agit ad ſuam determinationẽ, nullo modo poteſt dici libera, liberum enim arbitrium eſt potentia per quam habemus dominium noſtrorũ actuum, ſic, quòd poſſumus exire in hunc actu,aut in eius oppoſitũ, aut ceſſare ab actu, & nos determinare, ad hoc, vel illud: ſed per potentiam purè paſſiuã nihil horum fieri poteſt,vt de ſe patet.Duas alias adhibet Durandus rationes,quæ apud illum videri poſſunt.

Septimò, vt alij ſcitè argumentantur. Si potentia libera eſſet ſolùm potentia paſſiua,falsò diceretur libera,non enim liberum eſt ei,qui ſolùm patitur,quid,vel à quo,vel quando,vel quomodo patiatur.Et confirmatur ratio,nam materia prima eſt paſſiuè indeterminata ad omnes formas, tamen quia nihil agit,non dicitur libera.

Dices,licèt voluntas non ſit libera ad agendũ, eſt tamen libera ad reſiſtendum,& impediendum, ne agens in illã agat,id quod etiam autores argumenti videntur admittere.Contrà omnis reſiſtẽtia neceſſariò cauſatur ex virtute contraria virtuti agenti,vt iudicat Commentator 7. Phyſic. comm. Auerroes. 35. ſed impotentia purè paſſiua nulla talis virtus fingi poteſt.

Adde cum Scoto 2.diſt 25.q.1.§.*Contrà concluſionem*,Durando loco proximè citato & Gregorio Arimin. diſ.24.q.1.concl.1.quòd aſſerentes,libertatem arbitrij conſiſtere in ſola indifferentia paſſiua, tollunt à voluntate non ſolùm rationem liberi,ſed etiam ſpontanei: actus enim ſpontaneus æquè eſt actus elicitus à potentia, & vitalis,ſicut eſt actus liber, & potentiæ purè paſſiuæ æquè repugnat, elicere actum ſpontaneum, ſicut elicere actum liberum. Scotus. Durandus. Ariminẽſis.

Solet quoque probari eadem propoſitio multis argumentis,quibus Scholaſtici probant, voluntatem eſſe potentiam actiuam, & non ſolummodo paſſiuam,quæ videri poſſunt apud Commentatores Magiſtri 2. diſt.24. & 25. & D. Thom.1. 2. quæſt.9.

Tandem probatur ex communi conſenſu Scholaſticorum; omnes enim Scholaſtici illam admittunt, vno excepto Gottifredo,quem citat Scotus, & quibuſdam aliis, quos tacito nomine refert Durandus.Quamuis nonnulli recentiores putent, nullum Doctorem Catholicum dixiſſe, eſſentialem indifferentiam libertatis eſſe ſolùm indifferentiam paſſiuam, quod ſiue ſit verum, ſiue non, hoc ſufficiat non poſſe id affirmari ab aliquo Doctore Catholico.

Contra hanc propoſitionem arguitur primò IV. argumento ſuperiùs tacto; Omne quod mouetur,ab alio mouetur. ergo cùm motus voluntatis incipit, ab alio neceſſe eſt voluntatem moueri. non ergo mouetur voluntas à ſeipſa.

Reſpondetur ſicut ſuprà dictum eſt c.5. ad ſecundum contra tertiam propoſitionem, nullibi reperiri apud Ariſtotelem, quòd omne quod mouetur,ab alio realiter diſtincto debeat moueri: eſt enim propoſitio falſa, vt patet in anima ſeparata, aut in Angelo ſeipſum mouente,aut in motu grauium, & leuium, quæ à ſeipſis mouentur ad ſua loca naturalia, etiam in doctrina D. Thomæ, vt ibidem monſtratum eſt, licèt nonnulli oppoſitum illi tribuant. idem apparet in motu aquæ, quæ ſeipſam deducit ex caliditate ad naturalem frigiditatem.

Secundum argumentum eſt. Ab indeterminato V. non prouenit actio:ſi voluntas eſt indeterminata, oportet,illã priùs ab aliquo determinari ad agendum, aliàs non aget. Ergo ſaltem reſpectu illius determinantis ſe habebit paſſiuè.

Reſpon

BIBLIOTECA ... ROMA ... LITTERIS EMANET

Reſpondetur, actionẽ non prouenire à voluntate libera, vt eſt indeterminata; ſed requiri, vt priùs determinetur ad actionem. Si verò quęratur à quo determinetur, reſpondetur, determinari ab intellectu obiectiuè, & in genere cauſæ finalis, vt dicit D. Thom. 1. part. quæſt. 82. art. 4. & quòd ad hoc voluntas ſe habet paſſiuè, & vocatur potentia paſſiua; efficienter verò determinatur voluntas à ſeipſa pro ſua libertate, non excludendo tamen concurſum primæ cauſæ, vt docet idem Doctor ibidem quæſt. 83. art. 3. ad 2. & 1. 2. quæſt. 9. art. 3. ad 3. & art. 4. Requiritur verò, vt voluntas non ſit determinata, antequam ſeipſam determinet. & iſta eſt indeterminatio neceſſariò requiſita ad libertatem. D. Thom.

VI. Tertiò arguitur. Si voluntas per ſolam propoſitionem obiecti poteſt ſeipſam mouere efficienter, ſequitur, quòd omnes motus voluntaris ſint eiuſdem ſpeciei. Sequela probatur, quia effectus ſpecificatur à ſuo principio formali, quod in caſu noſtro eſt tantùm vnum, nempe ipſa voluntas.

Reſpondetur ex doctrina D. Thomæ de malo quæſt. 3. art. 3. quòd actus voluntatis nihil aliud eſt niſi quidam motus, & quædam inclinatio voluntatis in obiectum ſibi propoſitum: vnde ſicut motus grauium, & leuium non ſpecificatur ſolùm à ſubiecto, aut à termino à quo, ſed etiam à termino ad quem: ita motus voluntatis ſpecificantur ex terminis, ad quos tendunt, ſcilicet ex variis obiectis. D. Thom.

Dicetur, quod dat ſpeciem actui, dat illi eſſe, & eſt intrinſecum illi. Reſpondeo, id falſum eſſe in motibus: quia vbi dat ſpeciem motui, & tamen non dat illi eſſe, neque eſt illi intrinſecum, idem dicunt Philoſophi de actibus omnium potentiarum, qui ſpecificantur ab obiectis; & tamen obiecta non ſunt illis actibus intrinſeca, neque dant illis eſſe, niſi in genere finis.

CAPVT X.

Requiri ad perfectam libertatem, vt potentia ſit indifferens non ſolùm in actu primo, ſed etiam in actu ſecundo, ſiue in vſu.

I. OCtaua propoſitio: Ad veram, & perfectam libertatem, de qua modò loquimur, requiritur indifferentia potentiæ non ſolùm quoad actum primum, ſed etiam quoad actum ſecundum, ſiue quoad vſum, & exercitium. Hæc etiam propoſitio ab omnibus Catholicis eſt admittenda. Eã Thomas Vvaldenſis inſignis Doctor lib. 1. Doctrinalis fidei antiquæ cap. 28. probat, tãquam aſſertionem de fide; nam nonnullos, qui ſuo tempore friuolis quibuſdam rationibus oppoſitum defendere nitebantur, aſſimilat Arrianis, & Sabellianis. Probatur verò euidentiſſimis diuinæ Scripturæ teſtimoniis. illa nanque cùm affirmat, eſſe in nobis liberum arbitrium, planè de vſu loquitur, & exercitio, & non ſolùm de libertate in actu primo, vt cuique legenti patere poteſt. Concilium etiam Tridentinum cùm aduersùs modernos hæreticos decernit, eſſe in homine liberum arbitrium, declarat, hanc libertatẽ in vſu, & exercitio conſiſtere, nimirum in actu liberè aſſentiendi diuinæ gratiæ, cùm poſſet, ſi vellet, diſſentire. Adhuc definitio potẽtiæ liberæ, quòd ſit illa, quæ poſitis omnibus neceſſariò requiſitis ad agẽdum, poſſit agere, vel non agere, de qua inferiùs hoc eodem libro cap. 13. eandem veritatem manifeſtiſſimè indicat. Præterea ſi ad perfectam libertatem arbitrij ſufficeret indifferentia in actu primo, nõ autem requireretur indifferentia etiam in actu ſecundo, & quoad exercitium, liberum arbitrium æquè perfectè eſſet in viatoribus, & beatis ac damnatis, & æquè perfectè in pueris, & amentibus, & dormientibus, ſicut in vigilantibus, & illis, qui mentis ſunt compotes, quod eſt dictu abſurdiſſimum. Et ſequela probatur, quia libertas in actu primo eſt naturalis proprietas naturæ intellectualis, ab illa inſeparabilis. Et D. Bernardus lib. de gratia & lib arbitr. ait, quòd *huiuſmodi libertas æquè, & indifferenter Deo, & vniuerſa tam malæ, quam bonæ conuenit naturæ. Nec peccato, nec miſeria minuitur: nec maior in iuſto eſt quàm in peccatore, nec plenior in Angelo, quam in homine.* Quod dictum intelligi debet, quoad actum primum, non autem poteſt intelligi de libertate quoad vſum, & exercitium. Quare ad veram libertatem, de qua loquimur, præter indifferentiam potentiæ in actu primo requiritur indifferentia actus ſecundi, ſiue quoad vſum, & exercitium. Thomas Vvaldenſ. Bernardus.

Nona propoſitio: Non eſt de intrinſeca ratione libertatis, & potentiæ liberæ indifferentia in actu ſecundo, & quoad vſum, & exercitium ad peccandum; eſt tamen huiuſmodi indifferentia neceſſariò concomitans liberum arbitrium creaturæ viatricis. In hac propoſitione duo aſſerimus, alterum eſt, non pertinere ad intrinſecam rationem libertatis, & potentiæ liberæ, vt poſſit peccare, ſi illa conſideretur ſecundùm ſe, & quatenus libertas comitatur inſeparabiliter naturam intellectualem, & eſt non ſolùm in creatura viatrice, ſed etiam in beatis, & in Deo. Alterum eſt, potentiam peccandi expeditam etiam quoad vſum, & exercitium, eſſe conditionem comitantem neceſſariò liberum arbitrium creaturæ, quandiu eſt adhuc in via. Vtrunque dictum eſt de fide. Primum probatur, quia in beatis eſt liberum arbitrium, & tamen non poſſunt peccare. pariter in Chriſto fuit liberum arbitrium, & tamen non poterat peccare, vt fides docet. Adhuc in Deo eſt vera libertas arbitrij, vt latè probant Doctores poſt D. Thomam 1. p. quæſt. 19. art. 10. quem conſtat peccare non poſſe. Præterea potentia peccandi non eſt potentia liberi arbitrij, ſed infirmitas, & impotentia, quæ oritur ex eo, quia creatura ex nihilo eſt, & mutationi, & defectui obnoxia; ſolùm nanque ad intrinſecam libertatis rationem ſpectat poſſe operari, vel nõn operari, non autem poſſe operari benè, vel malè, vt non ſemel docuit Auguſtinus, præcipuè lib. 2. de vitiis, & concupiſcentia cap. 28. & lib. 12. de Ciuitate cap. 1. & lib. 22. cap. 30. quem ſequitur D. Thom. 1. p. quæſt. 62. art. 8. ad 3. & de veritate q. 24. art. 3. ad 2. vnde poteſt libertatis ratio perfectè ſaluari abſque potentia peccandi. II. D. Thom. Auguſtinus. D. Thom.

Secundum autem dictum eſt ſimiliter de fide. Nam diuinæ Scripturæ hoc modo expreſsè tribuunt homini viatori liberum arbitrium. id conſtat ex verbis, quæ dixit Deus Cain Geneſis 4. *Nõnne ſi benè egeris recipies; ſin autem malè, ſtatim in foribus peccatum tuum aderit? ſed ſub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius.* eundem ſenſum habent verba Deuteronomij 30. *Teſtes inuoco hodie cælum, & terram, quòd propoſuerim vobis vitam, & bonum, benedictionem, & maledictionem. elige ergo vitam, vt & tu viuas, & ſemen tuum.* & Eccleſ. 15. *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu cõſilij ſui,* &c. & c. 31. *Beatus vir, qui potuit tranſgredi,*

& non eſt tranſgreſſus, facere mala, & non fecit. & Matthæi 12. *Aut facite arborem bonam, & fructum eius bonum, aut arborem malam, & fructum eius malũ.*

III. Bernardus. Contra primã partem huius propoſitionis eſt argumentum ſumptum ex autoritate D. Bernardi lib. de Grat.& lib. arbitr.dicentis, liberum arbitrium æquè, & indifferenter eſſe in omni natura intellectuali tam mala,quàm bona:neque peccato neque miſeria minui: neque eſſe maius in iuſto, quàm in peccatore. Videtur ergo eodem modo eſſe in Deo,& Beatis,& viatoribus:ſed in viatoribus eſt cum poteſtate peccandi. ergo etiam in Angelis,Beatis,& Deo.

Ruardus Taper. Reſpondet Ruardus Taper a.7.pag.211.D.Bernardum loqui de libertate à coactione.ſed D.Bernardus loquitur de libertate propriè dicta. vnde reſpondetur,quòd libertas arbitrij poteſt dupliciter conſiderari,vno modo ſecundùm ea,quæ conueniunt illi ſecundùm ſe intrinſecè, & quidditatiuè, & hoc pacto illam conſideravit D. Bernardus. Alio modo ſecundùm ea, quæ illi inſunt ratione ſubiecti,& vt eſt in tali natura,nempe creata,& defectibili, & hoc modo conſideratum non eſt æqualiter,& eodem modo in omni natura,ſed in quibuſdam eſt cum poteſtate peccandi, in quibuſdam non. Monẽt autem nos diuinus Plato in Phædro,& Ariſtoteles in 1.lib.de Cælo text. 116.& Alexander Aphrodiſ. in quæſtionibus naturalibus,in ea quæſtione,an viuere bonum ſit,an malum,vt de potentiis iudicemus, & illas metiamur per id,quod eſt ſummum, & perfectiſſimum in illis,& per verum illarum finem,& vſum, non per id,quod eſt infimum,& imperfectiſſimum, & in quo deficiunt à fine, & à recto vſu. vnde de libertate arbitrij iudicandum eſt per id, quod eſt perfectionis in potentia libera, & per verum vſum libertatis,qui eſt liberè eligere,& benè, vel bonum eligere;non per id,quod eſt malum eligere,& peccare.

Plato. Ariſtoteles. Alexand. Aph.

Dicetur. Eſto hæc vera ſint,tamen videtur adhuc maior libertas in eo, qui peccare poteſt, quàm in eo,qui peccare minimè poteſt.

Vaſquez. Reſpondet Vazquez 1. p. quæſt. 19. art. 10. quòd in eo,qui poteſt peccare, eſt maior libertas extenſiuè, non maior intenſiuè; immo intenſiuè eſt maior in eo, qui peccare non poteſt. Dicendum puto, ſicut potentia peccandi verè non eſt potentia liberi arbitrij,ſed impotentia,& infirmitas formaliter loquendo; ita libertatem peccandi verè non eſſe libertatem. & ſic in eo qui peccare poteſt, neque intenſiuè, neque extenſiuè eſt maior libertas.

IV. Damaſcen. Magiſter. Secundum argumentum contra eandem propoſitionem eſt,quia D.Ioannes Damaſcenus 2.de fide cap.27.videtur dicere,quòd potentia peccandi ſit pars liberi arbitrij. & Magiſter in 2. diſt.24. cap.3.definit liberum arbitrium,quòd ſit facultas voluntatis,& rationis,qua bonum gratia aſſiſtente eligitur,malum verò gratia deſiſtente.

Reſpondetur. Iſti Doctores non definiunt liberum arbitrium ſecundùm ſe præcisè, ſed vt eſt in tali natura.

Hieron. Contra hanc reſponſionem videtur facere autoritas D Hieronymi in epiſtola ad Damaſum relata à Magiſtro in 2.diſt. 25. cap. 4. vbi ait: *Solus Deus eſt in quem peccatum non cadit,nec cadere poteſt. Cætera cùm ſint liberi arbitrij,in vtranque partẽ flecti poſſunt.* Reſpondetur D.Hieronymum nõ aſſignare cauſam præciſam,& neceſſariam peccati,ad quam infallibiliter peccatum ſequatur, vt verba præ ſe ferre videntur,ſed aſſignare cauſam,quæ coniuncta cum altera cauſa,nempe cum natura ex nihilo producta,peccatum parit,iſtæ enim ſunt duæ cauſæ,ex quarum altera, ſine altera non oritur peccatum: nam ex natura creata ſine libertate non oritur peccatum, vt patet in brutis:ex libero verò arbitrio in natura minimè creata non poteſt oriri peccatum,vt patet in Deo.

CAPVT XI.

Vt potentia ſit verè libera in vſu, & exercitio, requiritur,vt ſit indifferens indifferentia contrarietatis, vel ſaltem contradictionis.

I. Decima propoſitio: Ad hoc vt potentia ſit verè libera quoad vſum, & exercitium, requiritur in illa indifferentia,vel cõtrarietatis, vel ſaltem contradictionis.Hæc propoſitio primò eſt declaranda,deinde probanda. Igitur pro declaratione huius propoſitionis, primò notandum eſt, indifferentiam contrarietatis, eſſe indifferentiam ad oppoſita obiecta, vt ad calidum, & frigidum, vel ad oppoſitos actus circa idem obiectum,vt ad velle & nolle idem obiectum. Indifferentia verò contradictionis eſt indifferentia ad actum, & negationem eiuſdem actus,vt ad velle,& non velle: nam inter velle, & nolle eſt oppoſitio contrarietatis, ſed inter velle, & non velle eſt oppoſitio contradictionis tantùm.

Secundò notandum eſt, voluntatem reſpectu alicuius obiecti liberam eſſe ſolùm quoad exercitium,non autem quoad ſpecificationem actus, vt reſpectu vltimi finis,qui eſt beatitudo. Non enim poteſt voluntas exire in actum volendi aliquod obiectum contrarium iſti obiecto,quod eſt beatitudo; ſed ſolùm poteſt ceſſare pro ſua libertate ab actuali exercitio volitionis ipſius vltimi finis; reſpectu verò aliorum, quæ ſunt media non neceſſaria ad finem, vel reſpectu finium particularium,eadem voluntas libera eſt non ſolùm quoad exercitium, ſed etiam quoad ſpecificationem actus.

Itaque ad conſtituendam voluntatem liberam quoad exercitium tantùm,non autem quoad ſpecificationem actus, neceſſe eſt, voluntatem eſſe indifferentem indifferentia contradictionis tantùm,ſcilicet ad poſſe liberè ponere,vel non ponere actum ſecundum volitionis circa obiectum: non autem requiritur indifferentia contrarietatis ad obiectum oppoſitum, quia in tali caſu volũtas non poteſt velle obiectum oppoſitum, neque indifferentia contrarietatis ad oppoſitos actus,quia voluntas non poteſt elicere actum nolitionis contrarium actui volitionis huius obiecti, quod eſt vltimus finis, vt latè probant Doctores poſt D.Thom.1.p.quæſt.82.art.1.& 2.& 1.2.quæſt.10. art.2.& de Veritate.q.22.art.6. Cæterùm ad conſtituendam voluntatem liberam, quoad exercitium, & quoad ſpecificationem, requiritur non ſolùm indifferentia contradictionis ad poſſe ponere, vel non ponere actum volitionis circa obiectum, ſed etiam indifferentia contrarietatis ad obiecta oppoſita, & ad actus oppoſitos.Sic verò explicata iſta propoſitio eſt certiſſima, & communiter probata ab omnibus Catholicis, quæ ex ſola terminorũ intelligentia, & ex dictis inter probandas præcedentes propoſitiones apparet eſſe veriſſima. Hoc enim eſt, liberum arbitrium eſſe in vtranque partem flexibile, & eſſe poteſtatem faciendi quæcunque homo voluerit. Hic

D.Thom.

eſt

est sensus illorum verborum D. Basilij in homil. quòd Deus non sit autor malorum : *Solutam ab omni necessitate, & voluntariam, ac in sua potestate sitam vitam à conditore adepta anima per hoc ad imaginem Dei creata est.* & Gregorij Nazianzeni dicentis oratione 1. *Virtutem exitolli per liberi arbitrij in vtranque partem agitatione.* Et Euodij ad Constantinum dicentis, *Quæ est ista libertas, aut quare electionem nominet, vbi vnam tantùm partem asserit fuisse concessam?* Et Methodius lib. de libero arbitrio apud Turria. lib. 4. pro epist. Pontif. cap. 2. cùm ait : *Cùm Deus vellet hominem honorare, dedit ei potestatem, qua posset facere, qua vellet, & potestatem eius ad meliora hortatur.* Hæretici quoque, cum quibus modò est nobis quæstio de libero arbitrio, planè fatentur hanc indifferentiam esse de ratione libertatis, vt indicant verba illa Philippi in locis communibus primò editis: *Est autem libertas posse agere, aut non agere, posse sic, aut aliter agere. Itaque in quæstionum,* &c.

Basilius. Nazianz. Euodius. Methodius.

II. Verùm contra hanc propositionem est argumentum. In Deo est verè libertas, & tamen nulla fingi posset indifferentia ; neque ad contraria obiecta, quia diuina voluntas non nisi in bonum potest ferri, neque ad contrarios actus, neque contradictionis ad velle, & non velle : quia talis indifferentia dicit mutabilitatem, vel de vno actu in alium oppositum, vel de potentia ad actum, quæ diuinæ perfectioni omnino repugnat.

Ad hoc dubium communiter solet responderi, quòd in Deo non reperitur indifferentia contrarietatis ad contrarios actus, sed benè ad contraria obiecta: sunt enim multa obiecta inter se contraria, ad quæ diuina voluntas se habet indifferenter, ita vt possit hoc, vel illud velle, licèt non possit modò velle, modò nolle, aut non velle. Et cum hac responsione omnes pertranseunt.

Hæc tamen responsio non videtur nodum difficultatis attingere, neque soluere: non enim potest esse quæstio, vtrùm voluntas diuina possit esse indifferens ad oppositos actus pro eo instanti, in quo iam concipitur exiuisse in vnum actum determinatum, nam pro eo instanti quæcunque indifferentia, siue contrarietatis, siue contradictionis, repugnat diuinæ voluntati ob suam immutabilitatem, neque ad libertatem requiritur indifferentia pro eo instanti : sed quæstio est de voluntate pro eo instanti, in quo saltem prioritate rationis concipitur prior suo actu libero, quem habet circa obiectum creatum, in eo nanque instanti necessariò concipitur indifferens non solùm ad contraria obiecta, sed etiam ad contrarios actus, non quidem, quòd simul possit exire in actus contrarios volitionis, & nolitionis circa idem obiectũ, hoc enim est impossibile : sed quia sicut liberè exit in actum volitionis huius obiecti, v.g. Antichristus erit, ita potest exire in actum oppositum nolitionis eiusdem obiecti. Quod maximè verum esse demonstrabitur, si supponamus verum esse, id quod multi affirmant, circa obiecta secundaria, circa quæ Deus non habet actum volitionis positiuæ, vt sint, non se habere merè negatiuè, sed habere actum positiuæ nolitionis. Circa quæ constat etiam, diuinam voluntatem potuisse habere actum positiuæ volitionis.

Respondetur itaque ad argumentum, diuinam voluntatem posse dupliciter considerari, vno modo, vt est semel coniuncta cum actu libero circa obiectum creatum, & hoc modo nulla manet ampliùs indifferentia in ipsa diuina voluntate erga obiectum, circa quod habet talem actum, neque talis indifferentia est necessaria ad libertatem. Altero modo vt est ratione prior actu libero, & hoc modo est indifferens non solùm indifferentia cõtradictionis ad liberè exeundum, vel non exeundum in actum, sed etiam indifferentia contrarietatis ad actus oppositos volitionis, & nolitionis, & ad obiecta opposita, excepto, quòd ad malum tendere nullo modo potest. neque ista indifferentia infert mutabilitatem, quia exire de potentia actiua in actum secundum, non infert mutabilitatem in agente, sed solùm in re, quæ agitur : Deus enim exiens in actum creationis nõ est mutatus. Neque etiã omnis indeterminatio causæ respectu effectus, & etiam actus secundi, arguet imperfectionem in ipsa causa : nam, vt suprà dictum est cap. 2. aliquando talis indeterminatio inest causæ ex imperfectione ipsius causę: aliquando verò ex imperfectione, & eminentia virtutis ipsius causæ, & ex imperfectione effectus prouenientis ab ipsa causa, sicut contingit in proposito nostro.

Prima vocatur à nonnullis indifferẽtia, siue indeterminatio priuatiua, secunda verò negatiua. De vtraque loquitur D. Thom. ibidem citatus, 1. cont. Gentes cap. 81. legantur verba D. Thom. ibidem, §. *Horum autem.* D.Thom.

III. Ex eadem doctrina dilolui potest alterum argumentum, quod fieri posset contra eandem propositionem, quod est huiusmodi. In Angelis tam malis, quàm bonis est liberum arbitrium, & tamẽ non est ista indifferentia contrarietatis, sed quod semel voluerunt, eidem obiecto immobiliter adhærent. Nam respondetur, ad hoc, vt in Angelo sit verè liberum arbitrium, non est necesse, vt quod semel voluit, possit postea non velle, sed sufficit, vt in eo priori vel temporis, vel naturæ, in quo voluntas Angeli concipitur vt prior ipso actu electionis, sit indifferens ad eligẽdum hoc, vel illius oppositum, & ad volendum, vel non volendum, vt colligitur ex D.Th. 1. 2. q. 64. art. 2. & 1. 2. q. 10. a. 1. & 2. de verit. quæst. 24. art. 3. Præter quod licèt Angelus immobiliter adhæreat obiecto, cui semel adhæsit, tamen potest circa idem obiectum suspẽdere actum secundum, & pro sua libertate ponere ipsum actum secundum, vel non ponere illum, excepto actu, in quo formaliter illius beatitudo consistit. D.Thom.

IV. Tertium argumentum, illúdque, meo iudicio, grauissimum est contra eandem propositionem. Quia Christus liberè adimpleuit diuinum præceptum moriendi pro redemptione Mundi, immò verò alia etiam præcepta: aliàs neque per mortem, neque per alia opera gratiam, & remissionẽ peccatorum nobis mereri potuisset, ad meritum nanque intrinsecè requiritur, vt actio sit libera, vt omnes Theologi fatentur. Sed in Christo nõ fuit indifferentia contradictionis, neque contrarietatis ad implendum diuinum præceptum : quia si potuisset non implere præceptum, potuisset etiam peccare, cùm transgressio diuini præcepti sine peccato esse non possit.

Ad hoc dubium varij vario modo respondent. Nonnulli contendunt, Christũ non habuisse præceptum moriendi, sed solum mandatum : distinguúntque inter præceptum, & mandatum. Verùm hæc responsio reiicitur à D.Th. 3. p. q. 47. art. 2. & videri possunt, quæ contra illam scribunt recentiores, præcipuè Medina, Suarez, & Vasquez in illum locum D.Thom. D.Thom.

Secundò

Secundò alij reſpõdent, Chriſtum liberè adimpleuiſſe præceptum moriendi, primò quia mors Chriſti non habebat neceſſariam connexionẽ ad bonũ, ad quod ipſa voluntas erat naturaliter determinata. Secundò, quia licèt non potuerit non obedire, quatenus non obedire ſignificat actũ poſitiuum inobedientiæ, qui cõſtituit ſpeciale peccatum: tamen potuit non obedire, quatenus non obedire dicit ſolam negationẽ actus, & quatenus poterat non habuiſſe iſtud præceptum moriendi. Addunt tamen, quòd ſuppoſito præcepto non potuit non obedire in ſenſu compoſito etiam negatiuè: ſed tamen ex hoc non ſequitur, quòd non obedierit liberè; quia ad hoc, vt quis dicatur liberè obedire, ſufficit, vt poſſit non obedire abſolutè in ſenſu diuiſo.

Hæc reſponſio, aut eam non intelligo, aut difficultatem non tollit: quia libertas ad obediẽdum, vel non obediendum præcepto, non conſiſtit in indifferentia ad poſſe habere, vel non habere ipsũ præceptum, neque reperi alium Theologum probatũ, qui dicat, quòd aliquis liberè obediat præcepto ex eo, quia potuit præceptum non habere, ſed libertas ad obediendum præcepto ſupponit ipſum præceptum, & eſt indifferentia voluntatis ad exequendum, vel non exeqẽdum ipſum præceptum: vnde diſtinctio illa de libertate obediẽdi in ſenſu diuiſo, id eſt, non ſuppoſito præcepto, nó autem in ſenſu compoſito, id eſt, ſuppoſito ipſo præcepto, nullo modo minuere videtur difficultatem, ſed potiùs illã videtur augere: quia tota quæſtio eſt de libertate in ſenſu cõpoſito, id eſt, quæ componit ipſum præceptum cum indifferentia voluntatis, ad exequendum, vel non exequẽdum ipſum præceptũ. In ſenſu autẽ diuiſo nulla poteſt eſſe difficultas: nam ſicut ablato præcepto, tollitur obedientiæ ratio, & obiectũ, vt habetur ex D. Th. 2. 2. q. 2. art. 5. ad 3. & q. 104. art. 2. & 3. ita non exiſtente præcepto dicitur non exiſtere indifferentia ad obediendum, vel non obediendum, ſaltem propinqua, & propriè dicta, de qua loquimur. Omitto quæ contra eandem reſponſionem dicunt Suarez 3. p. diſp. 37. ſectio. 3. & Vaſquez ead. 1. p. diſp. 74. n. 18. & 19. vbi probat, omnẽ neceſſitatẽ ex ſuppoſitione antecedente, qualis eſt neceſſitas proueniens ex diuino præcepto in ſententia eorum, qui ſic reſpõdent, tollere indifferentiam, & libertatem.

D. Thom. Suarez. Vaſquez.

Alij reſpondent, per diuinum præceptum non fuiſſe à Chriſto ablatam libertatem obediendi eidem præcepto: quia illud præceptum non prædeterminauit phyſicè, & intrinſecè voluntatẽ Chriſti ad obediendum, ſiue ad actum moriendi, quæ prædeterminatio ſola impedit libertatem.

Hæc tamen reſpõſio non euacuat omnino difficultatem, cùm enim illi fateãtur per ſuppoſitionem diuini præcepti antecedentem, licèt extrinſecam, tolli à voluntate Chriſti indifferentiam ad obediendum, vel non obediendũ, vt videri poteſt apud illos, maximè apud Suarez dicta diſput. 37. ſect. 3. & indifferentia voluntatis de qua modò loquimur, vnum & idem ſit cum libertate eiuſdẽ voluntatis, oporret etiã illos fateri, per huiuſmodi ſuppoſitionẽ tolli libertatẽ voluntatis Chriſti ad moriendum. Præterea ſi poſſet admitti, quòd cum ſuppoſitione diuini decreti, & præcepti antecedẽte cõſenſum voluntatis creatæ, quæ nõ cõpatitur ſecũ omiſſionem actus cadentis ſub præcepto, ſimul ſtet voluntatẽ liberam eſſe ad eliciendũ actũ, qui cadit ſub præcepto, ex eo, quia illud decretũ, aut præceptũ non prædeterminat phyſicè, & intrinſecè ipſam voluntatẽ creatam, facillimo negotio poſſent terminari cõtrouerſiæ graues de libero arbitrio inter Catholicos, & hæreticos.

Alij reſpondent, fuiſſe liberum Chriſto adimplere præceptũ moriendi, non quoad ſubſtantiam actus, ſed quoad circunſtantias illius.

Hæc reſpõſio patitur inſtãtiã, quia ſequeretur, Chriſtũ non meruiſſe moriẽdo quoad ſubſtantiã actus, ſed ſolùm ratione circunſtantiarum eiuſdem actus, quod non videtur verum.

Videtur igitur reſpõdendum ad argumentum, negando minorem propoſitionem; liberum enim fuit Chriſto mori libertate, tum cõtradictionis, tũ cõtrarietatis, & tamen peccare non potuit. quod quomodo cõſiſtere poſſit, vt ſcilicet potuerit non adimplere præceptũ, & tamen nõ potuerit peccare, tranſgrediendo ipſum præceptũ, ſic poteſt declarari. Sicut Chriſti anima ratione vnionis hypoſtaticæ, & ex vi illius ab inſtanti ſuæ creationis habuit plenitudinem omniũ donorũ, & fuit beata, & nihilominis ſic exigente fine ipſo dominicę Incarnationis, qui fuit redẽptio Mundi per merita Chriſti, non obſtante viſione beatifica, & plenitudine donorũ, neque corpus Chriſti glorificatum eſt ante paſſionem, neque ipſa anima expers fuit doloris, & triſtitiæ, quod eſt Chriſtũ ſimul fuiſſe beatum, & viatorem; ita non obſtante impeccabilitate, quæ illi inerat ex vi vnionis hypoſtaticæ, & plenitudinis donorũ, voluntas Chriſti relicta eſt adeò libera ad implenda, vel non implenda diuina præcepta, etiam quæ ſub culpa obligabant, ac ſi anima Chriſti minimè fuiſſet beata. Vnde cùm dicitur ſi potuiſſet nõ implere præceptũ, potuiſſet etiam peccare, reſpõdetur quòd benè id ſequeretur, niſi ex alio capite impediretur, ne poſſet peccare, nimirum ex vi vnionis hypoſtaticæ, & plenitudinis donorũ: ſicut autem magno Dei miraculo factum eſt, vt idem homo ſimul eſſet viator, & cõprehenſor; ita magno miraculo factũ eſt, vt Chriſtus poſſet liberè adimplere præceptum diuinum, & tamen per vnionem hypoſtaticam, & plenitudinem donorum teneretur, ne omnino laberetur, & peccaret, diuinum præceptum tranſgrediendo. Quod proportione quadam, licèt valde inæquali videmus in confirmatis in gratia, in quibus confirmationis gratia libertatem arbitrij non lædit; & tamen tenet eos, ne cadant. Verùm iſta quoque reſponſio ſuam habet difficultatem: quia non implere diuinum præceptum eſt peccatum inobedientiæ: vnde ſicut non poteſt concedi, quòd Chriſtus potuerit peccare, ita non videtur poſſe admitti hanc propoſitionem, Chriſtus potuit non implere diuinum præceptum. Quare omnibus inſpectis, & ponderatis, V.

Eſt alia reſponſio mihi quidem probabilis, non priùs Deum dediſſe Chriſto præceptum moriẽdi, quàm præuiderit Chriſtum voluntariè optantem, & poſtulantem illud. Contra quam non vrgẽt argumenta Suarez dicta diſp. 37. ſect. 3. ſed ea commodiùs expendentur infrà lib. 4. cap. 13. & 15. Neque eſt reſponſio voluntaria, ſed habens euidens fundamentum in diuina Scriptura, quæ illam indicare videtur, dum ait, Chriſtum voluntariè ſeipſum morti obtuliſſe, & ex meritis voluntariæ oblationis illius nos omnes fuiſſe ad gratiam, & gloriam prædeſtinatos. Neque vrget quod difficultas non militet de Chriſto antequam noſtro modo intelligẽdi haberet præceptũ, ſed poſtquã illud habuit. Nã ad hoc, vt dicatur ſeipſum liberè obtuliſſe, ſufficit quòd antequã noſtro modo intelligẽdi haberet præceptũ moriendi, liberè illud Suarez.

optauerit ; ſicut Deus non ideo dicitur Mundum creauiſſe,quòd poſt ſuum decretum de Mundo ſic creando potuerit Mundum non creare : ſed quia liberè ſe ad Mundi creationem determinauit,cum potuiſſet ſe ad oppoſitum determinare.

CAPVT XII.

Aſſignantur trés aliæ conditiones ad veram libertatem in actu requiſitæ.

I. VNdecima propoſitio : Non ſufficit ad veram libertatem , vt actus ab ipſa libera potentia egrediatur, quatenus indifferens eſt indifferentia contradictionis,& cõtrarietatis,niſi procedat etiã ex plena deliberatione,& perfecto iudicio. Hanc propoſitionem omnes etiam Catholici recipere
D.Thom. debent , quam non obſcurè inſinuat D. Th. 1. 2. q.10.art.3.& q.78.art.2.& 6.Probatur , quia radix libertatis eſt indifferentia iudicij rationis , vt dictum eſt cap.6.ergo,vbi ratio non eſt indifferens, neque ſoluta, ſed ligata , vt contingit in furioſis, quantumcunque voluntas ſit indifferens , eius actio verè libera non erit.

Secundò,pueri,& furioſi multa faciunt ad quę eorum voluntates non ſunt naturaliter determinatæ,ſed indifferentes:& tamen quia illorũ actiones non procedunt ex perfecto iudicio , & plena deliberatione , non reputantur actiones liberæ, neque imputantur illis ad meritum , vel demeri-
Medina. tum , vt latè probat Bartholomæus Medina 1.2. q.10.art.3. & eſt res magis de ſe clara , quàm vt aliqua indigeat probatione.

Tertiò, actio eadé manẽs ſecundùm ſuã ſubſtãtiam immutata,ſolo iudicio rationis de non libera fit libera,& è contra,ſubitaneus nãque iræ motus nõ dicitur liber, & nõn imputatur ad culpam, quia anteuertit perfectum iudicium rationis , & non eſt in poteſtate hominis non tangi huiuſmodi affectibus.Si verò idem motus perduret vſquequo ratio aduertere poſſit, & perfectè de illo deliberare,& tunc voluntas non refrenet illum, aut ſinat ſe ab illo rapi in conſenſum : tunc idé actus habet rationem liberi,& imputatur ad culpam.ſimiliter poteſt eſſe aliquis actus liber , & meritorius manente perfecto iudicio rationis, qui continuatus poſt ablatum iudicium rationis,non erit ampliùs liber , neque meritorius , vt contingit, quando homo exiſtens in Dei gratia incidit in amentiam.

Demum ſunt aliqui actus , qui licèt ſecundùm ſe apti ſint produci à voluntate libera, tamẽ quia quandoque fiunt ſine deliberatione , & pleno iudicio rationis,tunc non imputantur ad culpã (& loquor de culpa mortali,non de veniali,quia hæc duo ſeſe conſequuntur,imperfecta deliberatio, & peccatum veniale,ex D.Thom.1.2.q.74.art.10. & q.88.art.2.& 6.)tanquam ſi fierent à non habente vſum libertatis. Eſt exemplum quotidianum , & prottitum de eo,qui iniuria laceſſitus repentè iniicit manum in Clericum , non plenè aduertens, neque deliberans , qui in tali caſu non incidit in Canonem,*Si quis ſuadente Diabolo*.eſt aliud exemplum de delectatione moroſa,de quo,& aliis plu-
D.Thom. ribus ſimilibus videri poſſunt , quæ ſcribunt Doctores poſt D.Thom.1.2.q.74.art.6.

II. Contra hanc doctrinam eſt vnicum dubium. Datur actus perfectè liber, qui neque ad meritũ, neque ad culpam poteſt imputari.Nõ ergo verum eſt , actus amentium , & puerorum non eſſe verè liberos ex eo,quia nõ poſſunt ad meritum, neque ad culpam imputari.Aſſumptũ probatur;ponatur caſus , quòd ſint duo ob famem in extremo vitæ diſcrimine conſtituti , & habeam vnum tantùm panem , quo vni tantùm illorũ poſſim ſubuenire: in tali caſu eſt mihi liberum,quem voluero ſinere mori,& non imputabitur mihi ad culpam. Ergo datur actus liber,qui neque ad culpam, neque ad meritum imputabitur.

Reſpondet Medina 1.2.q.6. art.1. talem actum Medina.
eſſe quidem liberum,nõ tamen voluntariũ. Quod difficile eſt intellectu.Dico igitur illam omiſſionẽ neque liberam, neque volũtariam verè dici poſſe. Nam ad hoc,vt omiſſio ſit verè libera,& voluntaria, tres conditiones requiruntur numeratæ à D. Th.& ab ipſo Medina ibidem , ex quibus vna eſt, quòd actus omiſſus ſit in poteſtate omittentis:at in caſu noſtro actus omiſſus non erat in poteſtate omittentis.Nam ex eo,quòd volo huic porrigere panem , non relinquitur in mea poteſtate ſubuenire alteri.

III. Duodecima propoſitio:Actus nõ dicitur liber comparatione potentiæ ſuperioris mouentis extrinſecè volũtatem , ſed ſolùm cõparatione ipſius potẽtiæ,ſeu volũtatis,à qua immediatè ipſe actus elicitur.Hæc propoſitio intelligenda eſt non effectiuè,ſed formaliter propter nouitios:& ſtatuitur contra quoſdam Doctores Catholicos, qui dicũt effectus creatos euenire liberè,& cõtingẽter,quia licèt Deus ab æterno omnes effectus prædefinierit antecedenter ad præuiſam determinationem ſecundarum cauſarũ, tamen diuina voluntas liberè ſe ad illorum productionem determinauit. Quæ ſententia,prout iacet ſuſtineri nequit,eámque rectè impugnat Pererius lib. 9. de principiis rerum Pererius. Vaſquez.
natural.cap.14.& Gabriel Vaſquez in 1.p. diſput. 100.n.2.& 3.quia ſi ad hoc,vt actus dicatur liber, ſufficit,vt potẽtia,à qua actus immediatè elicitur, liberè moueatur à cauſa ſuperiori,ſequitur, quòd animal brutum æquè poſſit dici liberũ ſicut homo , & æquè liberè operetur ſicut homo.Sequela probatur , quia illud æquè liberè mouetur à Deo ſicut homo.

Secundò eſt ſententia multorum Theologorũ, D.Thom.
& illam nonnulli tribuunt etiam D.Th.1.p. q.14. art.13. ad primum. quòd etiamſi Deus ageret ad extra ex neceſſitate naturæ , nihilominus poſſet ſaluari libertas,& cõtingentia in Mundo reſpectu ſecundarum cauſarum cõtingentiũ, & liberarum: quia libertas, & contingentia non attenditur penes primam cauſam , ſed penes ſecundas cauſas. Ergo libertas actus attendenda eſt per comparationem ad cauſam,à qua actus proximè,& immediatè elicitur,non penes cauſam ſuperiorem.

Tertiò,actio primę cauſæ modificatur in ſecũda cauſa,vt omnes ſapientes fateri debent,& nos ſuo loco probabimus.Ergo ſi actio primæ cauſæ eſſet libera,& actio ſecundæ cauſæ neceſſaria , effectus proueniens à ſecunda cauſa non liber , ſed neceſſarius dici deberet.

Quartò libertas eſt intrinſeca vis,& naturalis proprietas naturæ agentis,per intellectum,& vo- Damaſcen.
luntatem , vt docet D.Ioan.Damaſcen.2. de Fide c.3.dicens, omne, quod ratione vtitur, arbitrij libertate neceſſariò prædituũ eſſe oportere.& Commentator in lib. deſtructionum diſp.1.ad primum dubiũ,& Bernardus lib.de Gratia,& lib. arbitrio, Bernardus.
& Iulius Sirenius lib. 8. de Fato c.6.poſt Alexan- Iulius Sirenius.
drum Aphrodiſ. Ergo libertas non conuenit illi Alexand. Aphr.
comparatione cauſæ ſuperioris.Ergo neque actus liber dicẽdus erit talis comparatione cauſæ ſuperioris,ſed ſolùm comparatione cauſæ proximæ, à qua immediatè elicitur. Videatur Vaſquez 1. p. Vaſquez.
diſp.99.c.7.& tota diſput.100.

Tertiadecima

IV. Tertiadecima propoſitio: Ad veram, & perfectam rationem libertatis requiritur poteſtas, & dominium voluntatis perfectũ in proprios actus. Hæc propoſitio aſſeritur contra Lutherum, & Caluinum, qui dicunt hanc propoſitionem, voluntas eſt domina ſuorum actuum, continere pernicioſum errorem, & cauendum ab illa. Lutherus in ſuis reſolutionibus concluſione 7. ſic ait: *Error eſt, quòd liberum arbitrium ſit dominus actuum ſuorum, quod vna ſolum Apoſtoli auctoritas confutat ad Romanos 6. Euſtis ſerui peccati, liberati autem a peccato, ſerui facti eſtis iuſtitiæ.* Caluinus in ſuo lib. de iuſtificatione cap. 2. ſic ait: *Cenſeo cauendas eas voces, quæ abſurdum aliquid ſonant, præſertim vbi pernicioſè erratur. Quotus autem quæſo quiſque eſt, qui dum aſſignari hominis liberum arbitrium audit, non ſtatim concipiat illum eſſe & mentis ſuæ, & voluntatis dominum, qui flectere ſe in vtramuis partem à ſeipſo poſſit, & eubitur in exitialem confidentiam?* Volui illorum verba hîc referre non ſolùm, vt conſtet de illorum mente circa hác noſtram Catholicam aſſertionem: ſed etiam vt appareat, illos benè intellexiſſe verum ſenſum huius propoſitionis apud Catholicos prottitæ: Voluntas eſt domina ſuorum actuum.

Lutherus. Caluinus.

Hæc enim propoſitio, Homo eſt dominus ſuorum actuum, & aliæ ſimiles, triplicem ſenſum poſſunt habere, primus eſt, quòd homo ita habeat plenum dominium ſuorum actuum, vt nullum agnoſcat ſuperiorem, à quo dependeat, & cui ſubiiciatur. Hic ſenſus eſt omnino falſus, neque intentus ab vllo Doctore Catholico, fortaſſe neque ab vllo hæretico. Secundus ſenſus eſt, quòd habeat tale dominium in ſuos actus, vt à ſemetipſo ſine auxilio ſuperioris agentis poſſit exire in actũ ſiue bonum, ſiue malum; & hic quoque eſt falſus, vt probat D. Auguſtinus lib. 1. Retracta. cap. 9. & lib. 2. cap. 1. quia in actum moraliter bonum maximè ſupernaturalem voluntas creata à ſeipſa exire non poteſt. Tertius ſenſus eſt, quòd per poteſtatem à Deo acceptam homo poteſt operari, vel non operari, & flecti in bonum, & in malum, eo modo, quo etiam ſeruus dicitur dominus ſuorum actuum, licèt illos exerceat in commodum domini ſui, & hoc tertio modo dicunt Catholici, quòd liberum hominis arbitrium, eſt dominus ſuorum actuum: & propoſitio à nobis poſita in hoc ſenſu eſt doctrina fidei, cui nullus Catholicè poteſt contradicere.

Auguſtinus.

V. Ea verò probatur inprimis euidenti teſtimonio diuinæ Scripturæ, quæ de libero arbitrio verba faciens conceptis verbis vocat illud dominiũ, & poteſtatem in proprios actus. ita vocatur Geneſis 4. *Sed ſub te erit appetitus eius* (ſcilicet mali) *& tu dominaberis illius.* & quòd verbum, *dominaberis*, referendum ſit ad appetitum mali, non autem ad Abel, vt ineptiſſimè exponit Caluinus, euidenter monſtrabitur lib. 2. cap. 5. ita Eccleſiaſtici cap. 31. *Beatus vir, qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus, facere mala, & non fecit.* in Actis quoque Apoſtolorum dixit Petrus Ananiæ: *Nónne manens tibi manebat, & venundatum in tua erat poteſtate?* & Epiſtola prima ad Corinth. 7. dixit Paulus: *Nam qui ſtatuit in corde ſuo firmus, non habens neceſſitatem, poteſtatem autem habens ſuæ voluntatis*, &c. ecce tibi nomina dominij, & poteſtatis proprij actus.

Secundò probatur ex vnanimi conſenſu priſcorum Patrum, qui eiſdem epithetis arbitrij libertatem exprimunt. D. Gregorius Nyſſen. lib. 9. Philoſophiæ cap. 3. inquit: *Neceſſe eſt eum, qui conſultat, dominum eſſe actionum: ſi enim non fuerit dominus actionum, ex ſuperfluo conſultat. Si verò hoc, ex neceſſitate aſſiſtit vi rationali liberum arbitrium. Aut enim non erit rationalis, aut dominium ſuarum actionum obtinebit: dominari autem actionum omnino liberi arbitrij eſt.* Tertullianus lib. 2. contra Marcionem ante medium. *Tota* (inquit) *libertas arbitrij in vtrumque partem hominis conceſſa eſt, vt ſus dominus conſtanter occurreret, & bono ſponte ſeruando, & malo ſponte vitando.* Irenæus lib. 4. cap. 71. & 72. latè hanc eandem veritatem non ſolùm approbat, ſed etiã probat: nam titulus illius capitis 71. eſt, *Oſtenſio, quòd homo liber ſit, & ſua poteſtatis, ad hoc, vt poſſit eligere bona, vel contraria.* Sed quid moror in referendis teſtimoniis Patrum, cùm Caluinus ipſe incuſet arrogantiæ Græcos Doctores, quòd vſurpauerint ſibi nomen αὐτεξούσιον, quod ſignificat ſuiipſius poteſtatem, quaſi illa eſſet penes hominem: & dum hoc epitheton homini attributum homines vel audiunt, vel legunt, hanc imaginationem in mentem illorum venire, habere hominem ſub poteſtate ſua bonum, & malum, vt alterutrum eligere ſuapte natura queat, vt apud illũ legi poteſt lib. 2. aduersùs Pighium. legantur autoritates Doctorũ relatæ à Cardinali Bellarm. lib. 4. de gratia, & lib. arbitrio. cap. 9. & lib. 5. cap. 25.

Nyſſenus. Tertul. Irenæus.

Demum probatur teſtimonio Philoſophi in 9. Metaphyſ. text. 10. vbi diſtinguit potentias rationales, quæ conſilio reguntur ab irrationalibus. Et docet potentias rationales eſſe illas, quæ non ſunt ad vnum determinatę, ſed indifferentes ad vtrunque. Et reddens rationem, quare cùm potentiæ rationales ſint æquè indeterminatæ ad vtrunque, non tamen faciant ſimul vtrunque contrariorum, inquit, hoc eſſe impoſſibile, quia neceſſe eſt, aliud quoddam eſſe, quod dominetur, ſiue appetitum, ſiue electionem: quodcunque enim appetat principaliter, hoc faciet. & videri poteſt Commentator ibidem, quæ omnia libuit adnotaſſe, vt videas intolerabilem arrogantiam hæreticorum, omnes doctos, Philoſophos, Theologos, Patres, & diuinã ipſam Scripturam, cùm libido contradicendi exſtimulat, aſinino more conculcantium. VI.

CAPVT XIII.

Duæ aliæ conditiones ad veram libertatis rationem neceſſariæ explicantur.

QVartadecima propoſitio: Ad verã libertatis rationem neceſſe eſt, vt potentia libera non ſolùm ſit indifferens ad oppoſitos actus, & ad oppoſita obiecta, ſed etiam ſeipſam ad ſuos actus valeat determinare. Non definimus in hac propoſitione, vtrùm voluntas ſit prima radix ſuæ determinationis, ſiue, vtrùm voluntas à ſe ſola determinetur ad ſuos actus, ita vt nulla indigeat prædeterminatione ſuperioris cauſæ, hoc nanque longiorem poſtularet tractationem, de qua te inferiùs aliqua dicemus, quantum neceſſe eſt ad libertatis eſſentiam declarãdam, & libertatẽ ipſam illæſam ſeruandam: ſed nunc illud ſolùm aſſerimus, quod cuique Doctori Catholico debet eſſe certum, & firmum, nimirum voluntatem liberam, qua libera eſt, ſeipſam & potentias eius imperio ſubiectas, ad ſuos actus liberè determinare, ſiue talis determinatio admittat aliam prædeterminationem prouenientem à cauſa ſuperiori, ſiue non. Sic verò declarata propoſitio aſſeritur à D. Th. 1. p. q. 83. art. 3. ad 3. & 1. 2. q. 8. art. 1. ad 3. & clariùs art. 6. vbi ait, quòd *Deus mouet voluntatem, vt vniuerſalis motor ad vniuerſale obiectum, & ſine hac motione homo non poteſt aliquid velle: ſed* I. D. Thom.

Gabr. Pennot. de libert. hum.

ſed homo determinat ſe per rationem ad volendum hoc, vel illud.& clariſſimè de Potentia q.3.art.7.ad 13. vbi ſic ad verbum: *Ad 3. dicendum, quòd voluntas dicitur habere dominium ſui actus, non per excluſionem cauſæ primæ, ſed quia cauſa prima non ita agit in voluntate, vt eam de neceſſitate ad vnum determinet, ſicut determinat naturam: & ideo determinatio actus relinquitur in poteſtate voluntatis,& rationis.* aſſeritur etiam ab aliis Theologis, vt à Marſilio in 2.q.16. art.4. *De naturâ* (inquit) *agentis liberi eſt, vt omnibus eodem modo ſe habentibus, poſſit in oppoſita. Item vt poſſit ſe determinare ad acceptationẽ, & refutationem.* ab Heruæo 2.d. 25. q.2. vbi ait: *Habere dominium ſui actus, eſt habere in poteſtate determinare ſuum actũ ad hoc, vel illud.* Capreolus etiam ibidem art. 3. ad 4.argumentum Scoti dicit, voluntatem ſecũdùm ſe eſſe indeterminatam:& ſeipſam poſſe determinare ad exercitium actus.Idem Sylueſter ibidẽ,& Nazarius 1.p.q.14.a.13. controu.1.§. *Tertiò obſeruandum.* & controu. 2. ad primum argumentum Suarez. vt omittam Gregorium Ariminenſem in 2.d.25.q.1.art.3. & præter nominales Franciſcum Suarez,Molinam,Vaſquez,Leſſium,& alios eiuſdem inſtituti.

Marſilius. Heruæus. Capreolus. Sylueſter. Nazarius. Suarez. Ariminen. Molina. Vaſquez. Leſſius.

Probatur verò ratione, quæ tangitur non ſolùm à D.Thom.ſed communiter ab omnibus Doctoribus.eſt enim de intrinſeca ratione liberæ facultatis,vt ſit domina ſuorum actuum, & habeat poteſtatem in illos:ſed id omnino fieri nó poſſet, niſi eadem libera facultas poſſet ſeipſam ad coſdem actus liberè determinare.

II. Quintadecima propoſitio: Requiritur ad perfectam rationem potentiæ liberæ in vſu,& exercitio, vt poſitis omnibus neceſſariò requiſitis ad agendum in actu primo completo, atque perfecto, poſſit pro ſua libertate agere,vel non agere. Hæc etiam propoſitio paſſim recipitur à Doctoribus Catholicis non ſolùm recentioribus, ſed etiam antiquis,vt ſtatim monſtrabo.Vnde neſcio, quid in mentem venerit Didaco Aluarez, viro alioqui eruditiſſimo, & de Theologia optimè merito,vt dixerit diſput.115.in principio,eam neque apud Ariſt. neque apud Magiſtrum, neque apud D.Thom.reperiri, ſed ſolùm apud quoſdam nominales.

Aluarez.

Probatur igitur inprimis, eam reperiri apud Ariſtotelem, nam loco citato ex lib. 9. Metaphyſ. text.10.diſtinguit Philoſophus inter potentias irrationales & rationales, & diſtinctio conſiſtit in hoc,quòd potentiæ irrationales cùm actiuum, & paſſiuum fuerint debitè approximata,nó poſſunt non agere,potentiæ verò rationales,etiã ſi actiuũ ſit debitè approximatum paſſiuo,non neceſſariò agunt,cuius ratio eſt,quia potentiæ rationales nó ſunt determinatæ ad vnum,ſicut irrationales, ſed ſe habẽt indifferenter ad oppoſita.Quòd ſi rurſus quæratur, quare cùm potentiæ rationales ſe habeant indifferenter ad oppoſita,tamen faciãt vnũ oppoſitorum tantùm, & non vtrunque oppoſitorum ſimul, reſpõdet,id prouenire ex appetitu dominante,qui ipſas potentias pro ſuo libito determinat ad vnũ,quod principaliter voluerit. Verba text.sũt: *Huiuſcemodi potẽtiaſ(ſcilicet irrationales)neceſſe eſt, vt cũ quoad poſſint, actuũ paſſiuo approximẽt, hoc quidẽ faciat,illud verò patiatur. Illas verò (ſcilicet rationales) non eſt neceſſe. Ha enim omnes vna vnius factiuæ;illa verò contrariorum: Quare ſimul né faciet cõtraria?hoc verò impoſſibile eſt. Neceſſe eſt igitur,aliud quiddam eſſe,quod dominetur. Dico autem ſiue appetitum,ſiue electionem; quodcunque enim appetat principaliter,hoc faciet,cùm quoad poſſit,proximet paſſiuo.* In hoc loco Philoſophus loquitur de potentia libera,& de proprio eius actu, qui eſt electio, in his verbis ponit diſcrimen inter potentias non liberas,& liberas,quòd in non liberis agente,& paſſo debitè approximatis neceſſariò ſequitur actio, & per approximationem intelligit expeditionem potentiæ agentis quoad omnia requiſita ad conſtituendam ipſam potentiam in actu primo completo ad agendum, aliàs ad talem approximationem non ſequeretur actio,vt ille dicit. Cæterùm liberæ potentiæ etiam agente, & paſſo debitè approximatis non neceſſariò agunt, quod poſſunt, ſed agunt hoc,vel eius oppoſitum, prout appetitus electiuus,qui dominatur, ſeſe determinauerit. Hoc verò, niſi de ſeipſo, nihil aliud eſt,niſi potentiam liberam poſitis omnibus neceſſariò requiſitis ad agendum in actu primo, & completo (de hoc enim loquitur Philoſophus,vt patet)poſſe pro ſua libertate agere,vel non agere. Omitto alia loca eiuſdẽ Philoſophi ex 3. & 6. libro Ethicorũ,cũ cuique peruia ſint, & Solis luce clariora.

Secundò probatur eadem propoſitio nõ ſolùm teſtimonio Magiſtri ſententiarum,ſed etiam omnium Patrum Orthodoxorum. Quid enim quæſo eſt, liberum arbitrium eſſe dominum ſuorum actuum, & hominem per liberum arbitrium habere poteſtatem in ſuos actus, ita vt poſſit agere, vel non agere, & agere hoc, vel eius oppoſitum, quod omnes Orthodoxi fatẽtur,& ita illos fateri intelligunt etiam hæretici,vt viſum eſt,niſi liberum arbitrium eſſe potentiam, quæ poſitis omnibus neceſſariò requiſitis ad agendum, & ad conſtituendam illam in actu completo, adhuc poſſit agere,vel non agere?nam ſi voluntas humana eatenus dicitur domina ſuorum actuum, quia poſitis omnibus requiſitis poteſt agere, & deficiente aliquo requiſitorum poſſet non agere, quódnam maius dominium habet homo in ſuas actiones per libertatem ſuæ voluntatis,quàm aſinus?Deinde ſi voluntas ea ſola ratione dicitur potens non agere, quia deficiente illi aliquo ex neceſſariò requiſitis, non exit in operationem,illa non poteſt propriè dici potentia ad non agendum,ſed debet dici impotentia ad agendum. Cùm ergo dicant omnes Patres liberum arbitrium habere in ſua poteſtate agere,& non agere,loquuntur neceſſariò de libera potentia habente omnia neceſſariò requiſita ad complementum actus primi. III.

Sed probatur hæc veritas ſpecialiter ex D.Auguſtino in lib.de ſpiritu,& & litera cap.34.vbi expreſsè docet,poſitis omnibus requiſitis ad eliciẽdum actum fidei,& conuerſionis ad Deum,adhuc voluntatem pro ſua libertate poſſe diſſentire diuinæ vocationi. Verba eius clariſſima ſunt, ſic enim ſcribit. *His ergo modis quando Deus agit cum anima rationali,vt ei credat, neque enim credere poteſt quolibet libero arbitrio,ſi nulla ſit ſuaſio,vel vocatio cui credat. Profectò, & ipſum velle credere Deum operatur in homine, & in omnibus miſericordia eius præuenit nos. Conſentire autem vocationi Dei, vel ab ea diſſentire,ſicut dixi, propriæ voluntatis eſt.* Quæ res nõ ſolùm non confirmat,quod dictum eſt: *Quid enim habes,quòd non accepiſti, verùm etiam confirmat. Accipere quippe,& habere anima non poteſt dona, de quibus hoc audit,niſi conſentiendo; ac per hoc quid habeat, & quid accipiat Dei eſt. Accipere autem,& habere,vtique accipientis,& habentis eſt.* In verbis autem immediatè præcedentibus dixerat, *Nemo habet in poteſtate,quid ei veniat in mentem: ſed conſentire, vel diſſentire, propriæ voluntatis eſt.* Et capite 31. diſtinguens inter poteſtatem, & voluntatem dicit, quòd IV. D.Auguſt.

quòd multa homo poſſet facere, ſi vellet, quæ tamen non facit, ſicut multa vult, quæ non poteſt, & tandem inquit, quòd hoc quiſque in poteſtate habere dicitur, quod ſi vult facit, ſi non vult non facit. Et loquitur de poteſtate libera, vt de ſe patet. & lib. 2. contra literas Petiliani Donariſtæ cap. 84. *Si tibi* (inquit) *proponam quæſtionem quomodo Deus Pater attrahat ad filium homines, quos libero dimiſit arbitrio, forſaſſe eam difficilè ſoluturus es. Quomodo enim attrahit, ſi dimittit, vt quis, quod voluerit eligat: & tamen vtrumque verum eſt, ſed intellectu hoc penetrare pauci valent.* Quid autem ſignificat omnibus iſtis loquendi modis, niſi potentiam liberam, quæ eſt voluntas, omnibus ad agendum requiſitis in ea exiſtentibus, poſſe agere, vel non agere.

Confirmatur hæc ratio. Omnes Doctores Catholici dicunt, voluntatem eo eſſe liberam, quo habet in ſua poteſtate ſuos actus, & eſt domina illorum, & eo eſſe dominam eorundem actuum, quo poteſt eoſdem actus elicere. At nullus dicitur verè dominus ſuorum actuum, qui careat neceſſariò requiſitis ad agendum. Aut igitur negandum eſt, voluntatem liberam eſſe verè dominam ſuorum actuum: aut concedendum, liberam voluntatem eſſe illam, quæ poſitis omnibus requiſitis ad agendum, adhuc poteſt agere, vel non agere.

V. Tertiò probatur autoritate Scholaſticorum, qui conceptis verbis illam tradunt. Dominicus Bañes 1. p. quæſt. 83. art. 1. dub. 2. concluſ. 2. probat. 4. inquit. *Quartò probatur, illa ſola potentia eſt formaliter libera, quæ poſitis omnibus requiſitis ad agendum, poteſt pro ſuo arbitrio agere, & non agere; ſed ſola voluntas eſt huiuſmodi, vt ab omnibus concedi-tur.* Et videri poteſt etiam confirmatio eiuſdem argumenti; Barthol. Medina 1. 2. q. 6. art. 2. §. *Ad id explicandum.* probans primam concluſionem ſic ait: *In primis voluntas noſtra poteſt velle, & nolle, poteſt hoc medium eligere, vel refutare, poteſt agere, & non agere, vt experientia docet. Voluntas noſtra libera eſt, illa enim potentia eſt libera, quæ habet poteſtatem ad oppoſita, & quæ poſitis omnibus requiſitis ad operandum poteſt operari, & non operari.* Nazarius 1. p. q. 14. art. 13. controu. 2. §. *Ad cuius euidentiam.* concedit, quòd ſit de ratione potentiæ liberæ, quòd poſitis omnibus requiſitis ad agendum in actu primo, adhuc poſſit operari, vel non operari. Et q. 19. art. 10. controu. vnica §. *Sed iam communiter*, &c. docet, hanc eſſe definitionem potentiæ liberæ iam communiter ab omnibus receptam, eámque toto illo paragrapho, ſatis prolixè explicat, & defendit. Omitto Suarez lib. 1. de Auxiliis cap. 3. Vazquez, Molinam, Valentiam, & alios illius inſtituti doctos, & peritos. Andreas à Vega lib. 6. de Iuſtificat. cap. 6. dicit repugnare libertati voluntatis, quòd ſit aliquid neceſſarium ad operandum, & quòd voluntas non habeat illud in ſua poteſtate. Imò ipſe Aluarez diſput. 21. num. 11. dicit, quòd ad rationem libertatis requiritur, vt voluntas habeat in ſua poteſtate actum liberum, ad quem Deus mouet hominem. Si in ſua poteſtate: ergo ita, vt poſſit illum operari, vel non operari, hoc enim eſt habere actum in noſtra poteſtate, vt conſtat ex verbis Auguſtini proximè citatis in argumento præcedente. Ruardus Taper articulum ſeptimum exorditur ab hac definitione liberi arbitrij, *Liberum arbitrium eſt libera facultas, qua poſitis omnibus requiſitis ad eligendum poſſumus*, &c. tanquam à re notiſſima, & omnibus receptiſſima ſine vlla contradictione. Thomas VValdenſis egregius ſanè, meo iudicio, Doctor lib. 1. Doctrinalis fidei antiquæ cap. 25. multa ſcribit, quæ huic inſtituto planè deſeruiunt, præcipuè num. 10. Scotus in 1. d. 39. litera F. loquens de potentia libera, & illius conditionibus, inter alia ſic dicit. *Ex quo igitur in hoc inſtanti cauſat hoc velle, & non neceſſariò, ideo contingenter. Eſt ergo potentia huius cauſa ad oppoſitum eius, quod cauſat ſine ſucceſſione, & iſta potentia realis eſt potentia prioris naturaliter, vt actus primi ad oppoſita, quæ ſunt poſteriora naturaliter, vt actus ſecundi. Actus enim primus conſideratus in illo inſtanti, in quo eſt prior naturaliter actu ſecundo, ita ponit illum in eſſe tanquam effectum ſuum contingenter, quòd vt prior naturaliter æquè poſſet ponere aliud oppoſitum.* In his verbis loquitur de potentia expedita cum omnibus requiſitis ad complementum actus primi, quæ ponit in eſſe actum ſecundum, quam dicit, ita ponere in eſſe actum ſecundum, vt ſi conſideretur in illo inſtanti, in quo eſt prior naturaliter eodem actu ſecundo, in illo æquè poſſit ponere oppoſitum, quod eſt potentiam liberam completam in actu primo quoad omnia requiſita, adhuc poſſe agere, vel non agere; & nihil clarius poterat dici. Eandem doctrinam Scoti ferè ſub eiſdem verbis repetit Paulus Soncinus lib. 9. Metaphyſ. q. 17. Marſilius in 2. q. 16. art. 4. inquit: *De natura agentis liberi eſt, vt omnibus eodem modo ſe habentibus poſſit in oppoſita.* Gulielmus Okam quolib. 1. q. 16. *Omnibus requiſitis ad actum volendi poteſt voluntas actum volendi elicere, & non elicere, ſine omni actione extrinſeca, ſed ſolùm propter ſuam libertatem.* Videantur alij Doctores citati à Suarez loco citato.

Thomas VValdenſis. Scotus. Paulus Soncinus. Marſilius. Okam

Hæc omnia neceſſe fuit producere, vt quiſque videre poſſit, qua ratione poſſit negari, receptiſſimam definitionem illam potentiæ liberæ, quòd ſit illa, quæ poſitis omnibus neceſſariò requiſitis ad agendum, &c. reperiri apud grauem aliquem autorem.

CAPVT XIV.

Quis ſit proprius, & formalis actus liberæ facultatis explicatur.

I. SExtadecima propoſitio: Proprius actus formalis liberæ facultatis, quatenus libera eſt, eſt electio. Hæc propoſitio priùs eſt declaranda, deinde probanda. Pro illius declaratione primò adnotare oportet, non omnem actũ elicitum à voluntate liberum eſſe ex eo ſolùm, quòd à voluntate eſt elicitus, nam ſicut voluntas vna eſſentialiter diſtinguitur in voluntatem, vt voluntas, ſeu vt libera, & in voluntatem, vt natura eſt, ex D. Thoma communiter recepto in 1. p. q. 41. art. 2. & q. 83. art. 4. & 1. 2. q. 10. art. 1. & 3. p. q. 18. art. 1. & 3. ita ab eadem voluntate duplex actus proficiſcitur, alter, qui dicitur volitio, alter, qui dicitur electio. Inter hos duos actus quadruplex eſt diſcrimen, primum quia volitio non ſemper eſt actus liber, ſed aliquando eſt actus naturalis ſaltem quoad ſpecificationem, & aliquando etiam quoad exercitium, vt contingit in volitione, qua Deus vult ſuam bonitatem: at electio ſemper eſt actus liber. Secundum, quia voluntas ſiue volitio eſt de fine: electio verò eſt de mediis ordinatis ad finem. Tertium, quia voluntas nonnunquam eſt impoſſibilium: at electio nunquam eſt impoſſibilium. Quartum, quia voluntas aliquando eſt eorum, quæ non fiunt à nobis, neque ſunt in noſtra poteſtate: electio verò eſt ſolùm eorum, quæ

vel per nos fiunt, vel aliquo ſaltem modo ſunt in noſtra poteſtate, de quibus differentiis videri poſſunt, quæ ſcribit D. Thom. 1. p. quæſt. 13. & de verit. quæſt. 24. art. 1. præcipuè ad vigeſimum argumentum. D. Thom.

II. Secundò notandum eſt, quòd electio propriè eſt appetitus rei præconſiliatæ, vt dicitur lib. 3. Ethicorum cap. 2. vnde ad veram electionem requiritur primò conſilium. Electio enim propriè loquendo non eſt de fine, ſed de mediis ad finem, quæ media vel ſunt de ſe indifferentia ad finem, vel ſaltem iudicantur talia, quale medium eſt viſio beatifica pro hoc ſtatu viæ: nam licèt viſio beatifica de ſe ſit medium neceſſarium ad conſecutionem vltimi finis, tamen quandiu homo eſt in hoc ſtatu viæ, non iudicat hoc medium eſſe tale per iudicium neceſſarium, vt docet D. Thom. 1. p. quæſt. 82. art. 2. Et ideo cùm electio ſit de mediis, quæ non iudicantur neceſſaria ad finem, neceſſariò requiritur ad ipſam electionem præuium conſilium rationis, vtrùm hoc, vel illud medium ſit conueniens, & proportionatum ad finem aſſequendum. Secundò requiritur ad veram electionem præter conſilium, deliberatio, ſiue iudicium, quo iudicetur, hoc medium, hîc & nunc eſſe opportunum ad finis aſſecutionem: non enim ſufficeret conſilium, niſi ratio deliberaret, hoc potiùs, quàm illud eſſe eligendum. Dicitur itaque, quòd electio eſt deſiderium, vel appetitus rei præconſiliatæ, primò quia electio formaliter eſt actus virtutis appetitiuæ, ſiue voluntatis. Secundò, quia requirit antecedens conſilium rationis. Tertiò, quia non ſufficit præcedere conſilium, niſi etiam ſequatur deliberatio, & iudicium, quod eſt concluſio conſilij. Ariſtot.

III. Hæc igitur electio, quæ eſt deſiderium rei præconſiliatæ, eſt proprius, & formalis actus elicitus à facultate libera, quatenus libera eſt, vt docet Philoſophus in 3. Ethicorum cap. 2. & 9. Metaphyſ. text. 10. Et D. Thom. communiter receptus 1. p. quæſt. 22. art. 1. ad 3. & in 2. d. 24. quæſt. 1. art. 2. & de verit. quæſt. 24. art. 1. ad 20. & art. 5. Et obiectum huius actus eſt medium ad finem non habens neceſſariam connexionem cum ipſo fine, vel ſaltem, quòd non iudicatur tale, vt inquit idem D. Thom. in dictis locis. D. Thom.

Probatur verò hæc propoſitio vnica ratione. Ille eſt verus, proprius, & formalis actus potentiæ liberæ, quatenus libera eſt, in quo propriè, & verè conſiſtit dominium, & poteſtas, quam homo habet in ſuos actus: ſed nullus alius actus eſt talis, niſi electio. Ergo illa erit verus, proprius, & formalis actus liberæ facultatis, qua libera eſt.

IV. Verùm contra hanc propoſitionem ſunt nonnulla argumenta, quæ diſſoluere oportet, quoniam ex illorum ſolutione magis illuſtrabitur veritas eiuſdem propoſitionis. Primum argumentum eſt, quia D. Thom. 1. 2. quæſt. 13. art. 1. dicit, quòd electio formaliter pertinet ad intellectum, licèt materialiter pertineat ad voluntatem. Non ergo electio poteſt eſſe actus proprius potentiæ liberæ, quia illa eſt voluntas, non autem intellectus. D. Thom.

Reſpondetur quòd legenti verba D. Thomæ nullus poteſt incidere ſcrupulus, quòd electio non ſit verè, & propriè actus voluntatis, cùm D. Thomas ibi dicat, illam ſubſtantialiter, & eſſentialiter eſſe actum voluntatis, ſed cùm dicit, quòd electio quoad ſuum formale pertinet ad intellectum, id vult dicere, quod omnes Philoſophi, & Theologi communiter dicunt, actus potentiarum deſumere ſuam ſpeciem ab obiectis. Quia enim actus voluntatis ſpecificantur ab obiectis, & intellectus eſt ille, qui proponit obiecta ipſi voluntati: ideo dixit, quòd electio licèt ſubſtantialiter ſit actus voluntatis, tamen formaliter pertinet ad intellectum. Non eſt autem inconueniens, actus potentiarum animæ ſpecificari ab aliquo, quod non eſt illis intrinſecum, ſicut ſuperiùs dictum eſt; ſunt enim motus quidam.

Poteſt etiam dici cum eodem D. Thom. 2. d. 24. quæſt. 1. art. 3. quòd electio eſt actus voluntatis quatenus manet in ea virtus intellectus, ſicut è contrario dixit idem D. Thom. 1. 2. quæſt. 17. art. 2. quòd imperium eſt actus intellectus, quatenus manet in eo virtus ipſius voluntatis. Alia quoque ratione dicitur electio pertinere ad intellectum, quæ videri poteſt apud Cardin. Bellarmin. lib. 3. de gratia, & lib. arbitrio cap. 9. §. *Ad quartam confirmationem.* D. Thom. C. Bellarm.

V. Secundum argumentũ eſt. Electio non eſt ſine conſilio. Ergo non eſt proprius, & formalis actus potentiæ liberæ, quatenus talis eſt. Probatur ſequela; in Deo, & Angelis eſt verè actus liber, & tamen non eſt verè ibi conſilium, nam conſilium eſt inquiſitio de re dubia peragenda, vel fugienda, in Deo verò nulla eſt inquiſitio, neque dubitatio, in Angelis etiam multi ſunt actus liberi, ſine inquiſitione, & dubitatione.

Reſpondetur facilè, in conſilio duo reperiri, alterum eſt inquiſitio rei dubiæ: alterum eſt deliberatio, ſiue iudicium de re agenda. Primum dicit imperfectionem: Secundum poteſt eſſe ſine vlla imperfectione. In nobis eſt conſilium ratione vtriuſque: at in Angelis, & maximè in Deo eſt conſilium ſolùm quoad id, quod eſt perfectionis, nempe quoad deliberationem, & iudicium certum de rebus agendis, in quo ſenſu dixit Apoſtolus, 1. ad Corinth. 2. quòd *Deus operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ.* Et quòd accipiatur quandoque conſilium, prout dicit ſolam deliberationem ſine inquiſitione, patet ex Tullio lib. 1. de inuentione cap. de confirmatione. Cicero.

Tertium argumentum, ſi electio eſt actus voluntatis ſequens deliberationem, & iudicium rationis, omnis actus voluntatis erit electio: quia omnis actus voluntatis ſequitur iudicium, & deliberationem rationis.

Reſpondetur, electionem non eſſe actum voluntatis, qui ſequitur quodcunque iudicium rationis, aut quamcunque deliberationem, ſed illud ſolummodo, quod eſt ſuapte natura indifferens, ſiue quo iudicamus de aliquo medio indifferenti ad finem.

VI. Quartum dubium. Voluntas habet actum liberum non ſolùm circa media ad finem, ſed etiam circa ipſum finem ſaltem quoad exercitium ipſius actus. Ergo vel eſt aliquis actus liber præter electionem, vel electio eſt non ſolùm mediorum, ſed etiam finis.

Reſpondeo, ſi loquamur de aliis finibus particularibus præter vltimum finem, illa poſſunt habere rationem tum finium, tum etiam mediorum ad finem vltimum: & ſic ſub diuerſa ratione poteſt eſſe illorum volitio, & electio. Si autem loquamur de fine vltimo, qui ſolùm habet rationem finis. Reſpondetur, quòd duplex eſt electio, altera, qua eligitur vnum ex pluribus propoſitis,

positis, & ista est electio, de qua locuti sumus, quæ est actus potentiæ vndequaque liberæ, & quoad exercitium, & quoad specificationem actus. Altera, qua vno tantùm proposito, illud acceptatur, vel reiicitur, & ista est electio, qua homo eligit vltimum finem, quæ est actus potentiæ non vndequaque liberæ, sed solùm quoad exercitium: & ideo non est mirum, quòd non habeat exactè omnes conditiones electionis, quæ est proprius actus potentiæ liberæ.

Posset etiam dici, quòd actus ipse liber circa vltimum finem potest dupliciter considerari, vno modo, vt est actus potentiæ liberæ, alio modo, vt inducit rationem medij in ordine ad vltimum finem, indifferentis pro hoc statu, quoad hoc, quod est ipsum poni, vel non poni à voluntate circa vltimum finem. Et sic de hoc actu potest esse vera electio, quatenus voluntas liberè eligere potest actum suum, sicut liberè potest imperare intellectui consilium de eligendo exercitio talis actus.

VII. Vltimum dubium est. Quia multa eliguntur à voluntate absque præuio iudicio, & deliberatione, quod patet præcipuè in his, circa quæ peccat homo peccato omissionis, vt cùm quis ob negligentiam die festiuo non interest Missæ: illa enim omissio est culpabilis, & consequenter liberè electa, etiam absque eo, quòd homo consilietur, an oporteat interesse sacro faciendo, & absque alio iudicio. Similiter si quis incidat in prauam cogitationem, & aduertens perseueret in illa, poterit illa cogitatio esse culpabilis, & consequenter liberè electa, absque eo, quòd præcedat consilium, & deliberatio super tali cogitatione. Non ergo ad omnem electionem requiritur consilium, & iudicium deliberatum.

Respondetur, sicut duobus modis dicitur aliquid volitum, vno modo formaliter, & directè, alio modo interpretatiuè, & indirectè, quæ est
D. Thom. doctrina D. Thom. 1. 2. quæst. 6. art. 3. ita duplex est electio, alia formalis, & propria, de qua modò dictum est, quæ requirit præuium consilium, & iudicium deliberatum; alia interpretatiua, & est illa, quando quis potens impedire aliquem actum, aduertit illum futurum, si non impediat, & tamen negligit impedire, & potens deliberare de impediendo actum, negligit deliberare. Dicendum itaque, quòd in omni actione libera necessaria est electio, vel formalis, vel saltem interpretatiua. In casibus verò adductis in argumento licèt non sit deliberatio, & electio formalis: est tamen deliberatio, & electio interpretatiua.

CAPVT XV.

Dubium proponitur, an vera libertas omnem absolutam necessitatem excludat.

I. QVæ hactenus dicta sunt de natura, & conditionibus veræ libertatis, certa, & communi consensu recepta sunt apud omnes Catholicos, quibus bene intellectis facilè intelligi poterit ipsa natura, & essentia veræ libertatis. Cùm tamen res ita se habeat, oriuntur nihilominus circa nonnullas ex præcedentibus propositionibus grauiora quædam dubia, quæ specialem postulant discussionem, & resolutionem, quæ nos in hac tertia parte huius primi libri breuiter ac dilucidè, si id fieri poterit, resoluemus. Primum autem, illúdque satis graue dubium oritur circa sextam propositionem, & duos sequentes, An vera arbitrij libertas omnem necessitatem excludat saltem absolutam, an econtrario cum vera arbitrij libertate stet aliqua necessitas. Et ne verborum ambigua significatio nos in difficultates inextricabiles coniiciat, sensum quæstionis restringimus ad eandem numero potentiam respectu, & comparatione eiusdem modi agendi, & eiusdem actus, & eiusdem obiecti. Vt sit sensus, vtrùm eadem numero potentia circa vnum, & idem obiectum vno, & eodem actu eodem modo consideratum possit dici agere verè liberè, & tamen agat necessariò necessitate naturalis determinationis, vel inclinationis, vel ineuitabilitatis, siue illa necessitas sit illi à propria natura, siue à causa extrinseca. loquimur autem de libertate, aut necessitate in agendo, nam constat cum libertate in causando stare necessitatem in essendo, cùm Deus sit ens necessarium, & tamen liberè operetur ad extra. loquimur etiam comparatione eiusdem obiecti, nam respectu diuersorum obiectorum non est inconueniens, vnam numero potentiam agere liberè, & necessariò: nam circa vltimum finem agit voluntas necessariò, & tamen hæc necessitas non tollit libertatem illius in agendo circa alios fines, vel circa media, quæ iudicantur nó necessaria ad vltimum finem, in quo sensu dixit Augustinus in Enchi- Augustinus.
rid. cap. 105. *Neque culpanda est voluntas, aut voluntas non est, aut libera dicenda non est, qua beati esse sic volumus, vt esse miseri non solum nolimus, sed nequaquam prorsus velle possimus.* Loquimur etiam de eodem actu eodem modo considerato, nam stat, vnum, & eundem actum sub vna ratione, siue vno modo esse necessarium, & alio modo liberum. v. g. idem actus appetitus vltimi finis est necessarius quoad specificationem, & nihilominus est liber quoad exercitium. Quem sensum videntur redolere verba Augustini lib. de Natu- Augustinus.
ra, & gratia cap. 46. cùm inquit: *Perquam absurdum est, vt ideo dicamus, non pertinere ad voluntatem nostram, quòd beati esse volumus, quia id omnino nolle non possumus. Nescio qua, & bona constrictione natura nec dicere audemus, ideo Deum non voluntatem, sed necessitatem habere iustitia, quia non potest velle peccare.*

In hac quæstione sic intellecta Ruardus Zaper II.
art. 7. pag. 211. dicit, Lutherum, Caluinum, & Ruardus
alios hæreticos, contra quos ibi loci scribit, af- Zaper.
firmare, quòd liberè agere idem sit, quod ex deliberatione secundùm actualem propensionem voluntatis operari, quanuis necessariò: nullámque esse libertatem contingentiæ à necessitate, & ineuitabilitate, sed solùm à coactione: Caluinus Caluinus.
ipse lib. 2. contra Pighium ait: *Si coactioni opponitur libertas, liberum esse arbitrium, & constanter asseuero, & pro hæretico habeo, quisquis secus sentiat: si hoc liberum vocetur, quia non cogatur, aut violenter trahatur externo motu, sed sponte agatur sua, nihil moror. Sed cùm aliud prorsus vulgo concipiant, dum hoc epitheton hominis voluntati attributum vel audiunt, vel legunt,* &c. Sentit igitur Caluinus, cum libertate arbitrij stare necessitatem, excepta necessitate coactionis & violentiæ.

Huius sui erroris autorem facit Magistrum sententiarum, sic enim ait lib. 2. Institutio. cap. 6. §. 6. *Pronunciat tandem Lombardus, non liberi arbitrij ideo nos esse, quòd ad bonum, & malum, vel agendum, vel cogitandum peraquè polleamus: sed duntaxat quòd a coactione soluti sumus.* Puto autem

Digitized by Google

D.Thom. Caluino non occurriſſe id, quod ait D. Thomas de potentia quæſt. 10. art. 2. ad quintum. *Naturalem neceſſitatem, ſecundùm quam voluntas aliquid ex neceſſitate velle dicitur, vt felicitatem, libertati voluntatis non repugnare, vt Auguſtinus docet in 5. lib. de Ciuitate. libertas enim voluntatis violentiæ, vel coactioni opponitur.* Et poſt pauca: *Vnde, & voluntas liberè appetit felicitatem, licèt neceſſariò appetat illam. Sic autem, & Deus ſua voluntate liberè amat ſeipſum, licèt de neceſſitate amet ſeipſum.* Et infrà: *Liberè ergo Spiritus ſanctus procedit à Patre, non tamen poſſibiliter, ſed ex neceſſitate.* Si enim hæc verba D. Thomæ illi occurriſſent, quis dubitare poterit, illum ſibi ſuiſque gratulatutum, quòd inueniſſet præcipuum inter Catholicos Doctorem, quem in patrocinium ſui erroris poſſet aduocare? Idem proculdubio cum Scoto egiſſet, ſi animaduertiſſet, illum in 1. d. 10. quæſt. 1. §. *Ad ſecundum dubium.* & quolibeto 16. docentem, Spiritum ſanctum procedere verè liberè, & per modum veræ libertatis, & tamen procedere neceſſariò, idque probantem eiſdem argumentis, quibus Caluinus probat ſuum errorem, nimirum autoritate D. Auguſtini in Enchirid. cap. 105. & D. Anſelmi de lib. Arbitrio cap. 2. Quæ teſtimonia volui adnotare, quia cùm libri horum Doctorum ad manus hæreticorum facilè poſſint deuenire, poſſet aliquis hæreticus illorum ſenſum minimè aſſecutus, nobis inſultare, quòd apud noſtros Doctores inueniantur teſtimonia ad errores Caluinianos comprobandos.

Auguſtinus. Scotus. Auguſt. Anſelmus.

III. Probatur itaque ſententia Caluini teſtimonio Magiſtri 2. d. 25. & D. Thom. ac Scoti in locis citatis, quibus addi poteſt Alphonſus Caſtrenſis aduersùs hæreſes in verb. Libertas. Ij omnes expreſsè docent, libertatem ſtare cum neceſſitate naturalis determinationis, & ſolùm repugnare neceſſitati violentiæ, & coactionis.

Alphonſus à Caſtro.

Auguſt. Secundò probat eandem ſententiam teſtimoniis D. Auguſtini. Primò nanque Auguſtinus in Enchirid. cap. 105. dicit, non ideo voluntatem non eſſe liberam, quia nullus poteſt velle eſſe miſer; & rurſus, non item voluntatem beatorum non eſſe liberam, quia peccata illos delectare non poſſunt. Sed immo magis fore voluntatem liberam cùm habuerit neceſſitatem iuſtitiæ, & non peccandi, quàm modò ſit. Secundò dicit lib. 5. de Ciuit. cap. 10. quòd Deus neceſſariò bonus eſt, & viuit, & omnium eſt præſcius, & iuſtitiam diligit, & tamen iſta neceſſitas diuinam libertatem non minuit. Tertiò dicit eod. lib. 5. cap. 10. *Si illa definitur neceſſitas, ſecundùm quam dicimus, neceſſe eſſe vt ita ſit aliquid, vel ita fiat, neſcio cur eam timeamus, ne nobis libertatem auferat voluntatis.* Quartò Auguſtinus docet hominem poſt peccatum Adæ neceſſariò ſeruire peccato: & tamen homo liberè peccat ex eodem Auguſtino. Ergo neceſſitas, qua aliquid fit, non tollit libertatem ad illud faciendum. videri poſſunt eiuſdem Caluini verba lib. 2. aduersùs Pighium.

IV. Tertiò poteſt apparenter probari nonnullis argumentis, quibus aliqui ſectatores Scoti probant, productionem Spiritus ſancti eſſe liberam, & per modum libertatis, & tamen eſſe maximè neceſſariam. Iſtud aſſumptum probatur primò, quia operari liberè, & operari naturaliter ſunt duæ differentiæ diuidentes principium operationum, adeò repugnantes inter ſe, vt eidem principio nequeant conuenire etiam reſpectu diuerſorum, vt addit Rada. Voluntati non poteſt conuenire modus agendi naturaliter. Ergo omnis actio voluntatis eſt per modum libertatis. Maiorem propoſitionem probant autoritate Philoſophi in Metaphyſ. textu 10. vbi diſtinguit agentia naturalia ab agentibus liberis, tanquam ſpecie oppoſita per oppoſitas differentias. Confirmant eandem rationem, quia vna potentia non poteſt habere geminum modum operandi oppoſitum, & diuerſum, operari autem naturaliter, & operari liberè, ſunt modi oppoſiti.

Ariſtot.

Quartum argumentum. Cum ſumma libertate ſtat ſumma neceſſitas. Ergo non repugnat, actionem eſſe ſimul liberam, & neceſſariam. Probatur aſſumptum, quia Deus ſummè neceſſariò vult ſuam bonitatem, & tamen ſummè etiam liberè vult illam; eadem nanque potentia ſub eadem ratione operatur circa finem, & circa media ad finem: ſed diuina voluntas circa media ad finem, puta circa creaturas operatur liberè. Ergo etiam liberè operatur circa ipſum finem, qui eſt diuina bonitas. Et maior propoſitio huius probationis ab illis deducitur ex Philoſopho in 2. de Anima textu 146. vbi ait, quòd potentia, qua cognoſcimus differentiam vnius obiecti ab alio, ſub eadem ratione potentiæ cognoſcit vtrumque. Ergo ſimiliter potentia operans circa vnum obiectum in ordine ad aliud, ſub eadem ratione operatur circa vtrumque.

Ariſtot.

Quintò arguunt. Libertas eſt proprietas, & conditio intrinſeca actus voluntatis. Ergo ſtat cum operatione voluntatis maximè perfecta: Sed operatio diuinæ voluntatis maximè perfecta, eſt maximè neceſſaria. Ergo libertas & maxima neceſſitas ſtant ſimul in eodem actu. Maior propoſitio patet ex dictis. Minor probatur, quia actus, quo Deus diligit ſeipſum, eſt ſummè perfectus, & ſummè neceſſarius.

Auguſt. Anſelmus.

Tandem adddunt quaſdam autoritates Auguſtini, & Anſelmi dicentium, eo magis voluntatem fieri liberam, quanto minus potens eſt deficere à rectitudine, quas etiam Caluinus adduxit, vt viſum eſt. Poſſent in confirmationem eiuſdem ſententiæ adduci autoritates, quas ex Platone, & aliis Philoſophis adducit Iulius Sirenius lib. 4. de Fato cap. 25. niſi quòd illæ neque ab hæreticis magni æſtimantur, neque à Catholicis magni æſtimari debent, vtpote ab authoribus depromptæ qui veram rationem libertatis minimè ſunt aſſecuti.

Iulius Sirenius.

CAPVT XVI.

Caluini ſententia de libertate reiicitur, & oppoſita ſtatuitur.

I. HÆc Caluini ſententia ſaltem in ſenſu ab illo intento eſt error in fide manifeſtus. Intendit enim voluntatem ea ſola ratione liberam vocari poſſe, quòd ſit immunis à violentia, & coactione, & quòd ſponte agatur ſua. Oppoſitum ſecundùm fidem Catholicam abſque dubio aſſerendum eſt, veram libertatem, maximè quam diuinæ Scripturæ conſtituunt in homine viatore, non ſolùm excludere neceſſitatem coactionis, & violentiæ, ſed naturalis determinationis, & ineuitabilitatis ad vnum. Quòd autem hoc ſit de fide, probatur primò per Conſtitutiones Pij V. & Gregorij XIII. per quas damnatæ ſunt iſtæ propoſitiones. Quod voluntariè fit, etiamſi neceſſariò fiat, liberè tamen fit; & ſola violentia repugnat libertati hominis naturali.

Pius V. Greg. XIII.

Secundò probatur veritas Catholica contra Caluinum

Caluinum expreſſis teſtimoniis diuinæ Scripturæ quæ conſtituit in homine ſaltem viatore libertatem cum indifferentia contradictionis,& contrarietatis ad oppoſita obiecta,& ad oppoſitos actus, & ad velle,& nolle. Si enim libertas, quam diuinæ Scripturæ conſtituunt in nobis , eſſet ſolùm immunitas à coactione,& violentia,vaniſſimè cõteſtaretur Moyſes Deuteron.30. cælum,& terram, quòd Deus propoſuerit nobis, vitam , & bonum, benedictionem, & maledictionem. Vaniſſimè etiam hortaretur nos , vt bonum, & vitam, potiùs quàm malum,& mortem eligamus.Falsò quin etiam diceret Eccleſiaſticus c.15. *Deus ab initio conſtituit hominem rectum,& reliquit illum in manu conſilij ſui. Adiecit mandata , & præcepta ſua: Si volueris mandata ſeruare, conſeruabunt te, & in perpetuum fidem placitam facere. Appoſuit aquam , & ignem: ad quodcunque volueris , porrige manum tuam. Ante hominem vita , & mors, bonum , & malum ; quodcunque placuerit ei,dabitur illi.* Falsò etiam, & per ementitam adulationem Eccleſiaſtici 31. beatificaretur vir,qui potuit tranſgredi , & non eſt tranſgreſſus, facere mala,& non fecit. Hæc enim omnia libertatem includunt oppoſitam non ſolùm coactioni, ſed cuiuis determinationi ad vnũ,vt plus eſt euidens , quàm probatione indigens. Iniuſtè etiam quereretur ſapientia de impijs Prouerbiorum 1. dicens,*quia vocaui,& renuiſtis, extendi manum meã, & non fuit qui aſpiceret*,&c.Et Saluator de Iudæorũ duritie Matthæi 23.dicens, *quoties volui congregare filios tuos, & noluiſti ?* iſtæ nanque querelæ voluntatem impiorum , & Iudæorum indifferentẽ ſupponunt,& indeterminatã ad ſequendam vocationem,& non ſequendam: aliàs vanè vocatur, vt ſequatur,qui determinatus eſt ad non ſequendum.

II. Tertiò probatur aliis teſtimoniis diuinæ Scripturæ,quæ omnem neceſſitatem remouent ab humana voluntate reſpectu actuum liberorum.Hoc inprimis docent verba illa Apoſtoli 1.ad Cor.7. *Qui ſtatuit in corde ſuo firmus , non habens neceſſitatẽ, poteſtatem autem habens ſuæ voluntatis.* Apoſtolus enim in illis verbis ſupponit,hominem habere poteſtatem ſuæ voluntatis,quæ excludat neceſſitatẽ, ita vt homo ſit ſui iuris,potens hoc , vel illud facere, vel non facere. Et quòd de hac poteſtate loquatur,& de excluſione neceſſitatis oppoſitę huic poteſtati,non autem neceſſitati ſolius coactionis, vt putat Caluinus,demõſtrat dictio Græca ἐξούσιον, quæ etiam Caluino reſte non quamcunque poteſtatem ſignificat,ſed illam , qua quis eſt ſui iuris, ita vt poſſit hoc vel illud facere vel non facere, nec refert , quòd textus Apoſtoli habeat ἐξούσιον, non autem αὐτεξούσιον,nam eundem ſenſum faciũt, vt notum eſt. Aliud ſimile teſtimonium habetur apud Lucam c.15. in parabola filij prodigi. nam vbi nos legimus , *Qui diuiſit illis ſubſtantiam*, notat D.Hieronymus Epiſtola ad Damaſum 146.ſignificantiùs legi in contextu Græco, ᾧ διῄρει αὐτοῖς τὸν βίον,quod ſignificat , dedit eis liberum arbitrium, dedit mentis propriæ libertatem, & vt viueret vnuſquiſque non ex imperio Dei,ſed obſequio ſuo; id eſt,non ex neceſſitate,ſed ex voluntate,vt ibid. Hieronym.

Hieronymus.

III. Quartò probari poteſt omnibus teſtimoniis diuinæ Scripturæ, & Patrum, quibus ſuprà probatũ eſt, veram arbitrij libertatem conſiſtere in dominio,& poteſtate, quam quiſque habet in proprios actus,ita vt poſſit hoc vel illud facere,vel non facere pro libito ſuæ voluntatis. Videatur ſuprà c. 12. propoſitione 13.Sed omiſſis aliis teſtimoniis, affero ſolùm teſtimonium Auguſt. quia Caluinus

Caluinus.

fatetur, veteres omnes,excepto Auguſtino, variare, vacillare , & errare in tradenda doctrina de libero arbitrio. & lib.3.cõtra Pighũ inquit:*Ego verò vt minimè detrecto lite ex aliis poſterioribus libris, ſi opus ſit dirimi : ita ſi pugnanda cupiditate imaluiſſe Auguſtinum in aliis nego, quam liquidam, & diſtinctam veri expoſitionem ſemper retinuerit.* Audiamus igitur quid in cauſa,& cauſa noſtro dicat Auguſtinus , & vt locum vnum de mille ex eius libris afferamus, ſit ille in 3. lib.de libero arbitrio, vbi cùm pluribus oſtendiſſet, certitudinem diuinæ præſcientiæ nullam inferre humanis actibus neceſſitatem,quæ voluntatis libertatem impediat , ſic tandem concludit c.3.ad finem.*Voluntas igitur noſtra nec voluntas eſſet, niſi eſſet in noſtra poteſtate. Porrò quia eſt in poteſtate , libera eſt nobis ; non enim eſt nobis liberum, quod in poteſtate non habemus . aut poteſt non eſſe quod habemus* , &c. Alia plurima ex Auguſtino ſunt adducenda lib.2.c.8.

Quintò probatur eadem veritas argumento demonſtratiuo.Si enim ad veram libertatem ſufficeret,vt homo agat iuxta naturalem inclinationem ex apprehenſione , & ex deliberatione non coactus,neque violenter tractus , non magis eſſet liber homo in ſuis operibus,quam pecus.Et ſapiẽtes inſipienter tribuerent epitheton liberi humano actui,potiùs quàm brutali, cùm nõ ſolùm homo , ſed etiam brutum agat iuxta naturalem inclinationem ex forma apprehenſa , & ex deliberatione ſuo modo,& ſine violentia , aut coactione.Nulla etiam fuiſſet quęſtio inter Philoſophos, vtrùm Deus agat liberè ad extra , ſi agere liberè eſſet ſolùm agere per intellectum & voluntatem, & iuxta naturalem inclinationem , non coactum neque violenter tractum in agendo : nullus enim Philoſophus non cognouit , Deum agere per intellectum, & voluntatem , neque poſſe ab aliqua cauſa cogi ad agendum contra naturalem inclinationem. Et nihilominus conſtito de omnibus prædictis, adhuc remanet quæſtio inter Philoſophos infideles , an Deus liberè operetur ad extra: quia naturalis ratio ex ſe docet nos,aliquid aliud requiri vltra prædicta ad hoc,vt quis dicatur liberè operari. IV.

Tandem ſi cum Catholicis agitur , cùm in S. Concil. Triden.ſeſſ.6.de iuſtific. c.5.& canone 4. definitum ſit , ideo hominem eſſe liberi arbitrij, quia à Deo vocatus, & excitatus , non ſolùm aliquid cooperatur,aſſentiendo Deo vocanti, & excitanti , ſed quia diuinam inſpirationem abiicere poteſt,& Deo vocanti,& excitanti diſſentire: manifeſtè etiam definitum eſt , ad veram arbitrij libertatem,quam fides Catholica conſtituit in homine , non ſufficere , vt homo agat ſua ſponte ex deliberatione abſque coactione:ſed etiam vt agat abſque vlla omnino neceſſitate , quæ tollat eius indifferentiam ad agendum , vel non agendum. Quare non video, quomodo poſt dictas Concilij definitiones,& poſt decreta illa Pij V. & Gregorij tertij decimi, illæ propoſitiones:Quod voluntariè fit,etiamſi neceſſariò fiat, liberè tamen fit.Et,Sola violentia repugnat libertati hominis naturali : in aliquo ſenſu legitimo ab vllo Catholico poſſint defendi. V. Conc.Trid. Pius V. Greg. XIII.

CAPVT XVII.

Satisfit argumentis pro ſententia Caluini adductis.

NVnc ad argumenta pro ſententia Caluini adducta reſpondendum eſt.& pro illorum ſolutione I.

tione ſupponendum eſt id, quod dictum eſt ſuprà c.3. de varia acceptione liberi, & libertatis, qua ſola rectè obſeruata,& applicata corruunt omnia argumenta ſumpta ex autoritate D.Aug.Eſt etiam
Auguſtinus. obſeruanda doctrina tradita ab eodem Aug.lib.1. contra Iulianum c.2. ibi nanque Iuliano Pelagiano opponenti,paruulos nullum habere peccatum, à quo per Baptiſmum abluantur, & pro ſe teſtimonium Ioannis Chryſoſtomi afferenti,qui dixerat, *Infantes baptizamus, peccata non habentes.* Reſpondet Auguſtinus, verba Chryſoſtomi eſſe intelligenda de peccatis propriis. Iuliano verò replicanti cur nō ipſe Chryſoſtomus addiderit,propria.Reſpondet his verbis: *Cur putamus? Niſi quia diſputans in Catholica Eccleſia, non ſe aliter intelligi arbitrabatur:talı quæſtione nullus pulſabatur,vobis nōdum litigantibus ſecurius loquebatur.* Fuit igitur mos priſcorum Patrum, & etiam antiquorum Scholaſticorum, aliquando in ſuis ſcriptis omittere declarationes neceſſarias aliquorum Doctorū, quia cum Catholicis loquendo, abſque huiuſmodi declarationibus putabant catholicè ſe intelligi, & etiam vti nonnullis modis loquendi nondū exorto aliquo errore, à quibus poſt exortos errores omnino abſtinendū fore duxerunt, ne viderentur hæreticorum erroribus communicare. Huius rei
Concil.Antioch. eſt exemplum clariſſimum.In Concilio Antiocheno ſub Dionyſio Papa dānatus eſt Paulus Samoſatenus,aſſerens,filium eſſe omouſion patri:& tamen in Concilio Niceno I. damnatus eſt Arrius, quòd negaret, Filium eſſe omouſiō Patri.Nā Paulus ille Samoſatenus affirmabat,Filium eſſe omouſion Patri ſecundùm ſpeciē,non ſecundùm eandē numero indiuiſibilem naturam.Eo autem tempore nondum exorto errore Arrij rectè damnata eſt vox omouſion.Cæterùm orto errore Arrianorum voluerunt Patres eadem voce vti: ne dum Samoſateno contradicebant,Arrio viderentur conſen-
Auguſtinus. tire. Aliud ſimile exemplum refert Auguſtinus in lib.de Prædeſtinatione Sanctorū c.14. Ante exortam hæreſim Pelagianam nonnulli ex Patribus admittebant hanc locutionem, Deus non præuenit,ſed expectat noſtram voluntatem,ne lędat noſtram libertatem : quia catholicè ab omnibus intelligebantur. Verùm exorto errore Pelagij, qui docebat, Deum ita voluntatem hominis expectare, vt Dei gratia ſecundùm noſtra merita nobis donetur,ab hoc modo loquendi abſtinendum fore cenſuerunt. Eodem modo ante exortum errorem recentiorum dicētium, ſolam indifferentiam à coactione,& violentia ſufficere ad conſtituendā veram libertatem, dicebant libertatem excludere neceſſitatem coactionis, non curantes aliam neceſſitatem excludere;quia excludendo neceſſitatē coactionis, omnem aliam neceſſitatem excluſam iri arbitrabantur. Verùm ſuperuenientibus nouis hæreticis,qui conceſſa humanæ voluntati indifferentia, ſiue immunitate à neceſſitate coactionis, nihilominus ipſam voluntatem ſubiiciunt neceſſitati naturalis inclinationis, & determinationis ad vnum,opus fuit hoc duplex genus neceſſitatis preſſiùs diſtinguere.Nullúſque deinceps fuit inter Catholicos Doctores,qui admiſerit, ſolam indifferentiam à coactione ſufficere ad veram libertatis rationem conſtituendam.

II. Ad primum itaque argumentum Caluini ſumptum ex autoritate Magiſtri poteſt optimè reſpōderi ex ipſomet Caluino lib.2. Inſtit.c.3.§.5. Petrum Lombardum non diſtinxiſſe coactionem à neceſſitate. *Lombardus* (inquit) *cùm neceſſitatem à coactione diſtinguere neſciret, periculoſo errori materiā dedit.* Prophetauit equidē Caluinus more alterius Caiphæ,Petrum Lombardū in eo quòd coactionē à neceſſitate minimè diſtinxit, aliquo modo dediſſe occaſionem errori,non illi,quē Caluinus putat errorem, ſed ei, cuius ipſe Caluinus eſt autor, in cuius patrocinium adducit Lombardi teſtimonium. Reſpondetur igitur,Petrum Lombardū excludendo ab humana voluntate,vt libera ſeruaretur,neceſſitatem coactionis, nomine neceſſitatis coactionis omnem neceſſitatē voluiſſe intelligere, quæ ſit incōpoſſibilis cum omnimoda indifferētia voluntatis,& pleno dominio, & poteſtate in ſuos actus.Hanc verò eſſe mentem Magiſtri, cuiuis et- Magiſter.
iam lippo conſtare poteſt ex verbis illius in 2. d. 24.c.3. cùm ait: *Liberum verò arbitrium eſt facultas rationis, & voluntatis, qua bonum eligitur gratia aſſiſtente,vel malum eadem deſiſtente: & dicitur liberum, quantum ad voluntatem,qua ad vtrumlibet flectit poteſt.* & d.25.c.1.cùm ait: *Quia poteſtas ipſa, & habilitas voluntatis,& rationis,quam ſuperiùs diximus eſſe liberum arbitrium,libera eſt ad vtrumlibet: quia liberè poteſt moueri ad hoc, vel illud.* & c.2. cùm ait: *Quod in præſenti eſt,determinatum eſt, nec in poteſtate noſtra eſt, vt tunc vel ſit,vel non ſit,quando eſt.Poteſt enim non eſſe,vel eſſe poſtea:ſed nō poteſt non eſſe,dum eſt,vel aliud eſſe dum eſt id, quod eſt. Sed in futuro an hoc ſit, vel illud.ad poteſtatem liberi arbitrij ſpectat. Nec tamē omnia futura ſub liberi arbitrij poteſtate veniunt,ſed ea tātùm,qua per liberum arbitrium poſſunt fieri,vel nō fieri.* & c.3. & 4. docet differenter eſſe liberum arbitriū in hominibus viatoribus, & in Angelis beatis, & Deo: nam in hominibus viatoribus,ita eſt indifferens, vt voluntatem in contraria mutare poſſint, in quorum poteſtate eſt,eligere, vel dimittere,ſecūdùm quod nec in Deo,nec in his omnibus, qui tanta beatitudinis gratia ſunt roborati, vt iā peccare nequeant, liberum arbitrium eſſe nequit. Ex quibus omnibus,& aliis quę apud ipſum Magiſtrū tum ibi tum alibi legi poſſunt, facillimè conuincitur impoſtura Caluiniana.Cùm igitur dixit Magiſter,voluntatem liberam eſſe, quæ cogi non poteſt,nomine coactionis omne genus neceſſitatis intellexit, per quam tollitur indifferentia omnimoda eiuſdem voluntatis. Addo, voluiſſe etiam docere, indifferentiam ad bonum, & malum morale non eſſe de intrinſeca ratione libertatis ſecūdùm ſe:quia non conuenit libertati diuinæ.& eodem modo exponendus eſt Alphonſus Caſtrenſis in loco citato in argumento.

Ad autoritatem D.Tho.& Scoti reſpondeo,eo- III.
rum autoritates nihil omnino ſuffragari ſententię hæreticorū:illi enim non accipiunt nomen liberi, vel libertatis ſecundùm eā acceptionē,in qua vtimur modò iſtis nominibus,ſed iuxta quartā illam acceptionem à nobis relatā,& explicatam ſuprà c. 3.vt idem ſit liberū,quod voluntariū, ſiue illud ſit voluntariū cum omnimoda indifferentia, ſiue nō. Vtebantur verò iſtis loquendi modis,quia(vt dixi) à Catholicis catholicè ſe intelligi arbitrabantur, quibus nō vterētur modò poſt ortos errores Caluinitarū.Addo D.Tho.de veritate q.24.a.1.ad 20. D.Thom.
omnem dubitationē à ſua doctrina remouere: ibi enim repetens eadē verba,quæ dixerat in q.10. de potentia a.2.ad 5.nixus eidem autoritati. Habemus ergo reſpectu eius (vltimi finis)liberā voluntatē, cùm neceſſitas naturalis inclinationis libertati nō repugnet;ſecundùm Auguſt.5.de Ciuitate. Auguſt.
Non autē habemus liberū arbitrium propriè loquendo, cùm nō cadat ſub electione Ecce tibi,diſtinguit D.Th. liberā voluntatem à libero arbitrio,& licèt primū concedat poſſe ſtare cum neceſſitate naturalis inclinatio

clinationis,non tamen ſecundum. Sunt qui putẽt D.Th.in ſumma 1.p.q.41.a.2. ſentẽtiam,quam docuerat in q.10.de potentia,retractaſſe;ſed cùm eadem 1.p. q.82. a.1. ad 1. habeat eadem ferè verba, difficile videtur ſeipſum retractaſſe.

IV. Ad ſecundum argumentum principale ſumptũ ex autoritatibus D. Aug. ad primã depromptã ex Enchiridio c. 105. dico, quòd ibi loquitur de libertate à ſeruitute peccati,& corruptionis, & miſeriæ,vt conſtat,nõ de libertate indifferẽti,de qua eſt præſens diſputatio. Ad ſecundũ dico, quòd loquitur de neceſſitate in eſſendo, cũ qua ſtat libertas in agendo. Adhuc dicit,Deũ neceſſariò eſſe bonum, & iuſtitiã diligere,cũ quo ſtat reſpectu boni creati liberum eſſe in exercitio ad conferendũ nobis hoc bonum,vel illud,ad exercendũ hunc actũ iuſtitiæ,& non illum. Eodẽ modo reſpondetur ad tertium ſumptũ ex eodẽ loco,aliud enim eſt loqui de neceſſitate in eſſendo, aliud de neceſſitate in cauſando:& non omne quod eſt neceſſe eſſe in eſſendo,neceſſariũ eſt in cauſando. Loquitur etiã de neceſſitate,ſecũdùm quã dicimus,omne quod eſt, dum eſt,neceſſe eſt,vt ſit,quã nullus dicit,libertati repugnare. Ad quartũ teſtimonium quod ſumptũ eſt præcipuè ex Aug.in lib. de gratia Chriſti cõtra Celeſtiũ,reſpondetur,ex eo nihil plus haberi niſi, quòd cum libertate arbitrij ſtat ſeruitus peccati,& ſenſus verborũ Auguſtini eſt illemet, quẽ habent verba Pauli; *Qui facit peccatũ ſeruus eſt peccati*: qui ſenſus non eſt,hominẽ neceſſariò ſubiici peccato, vel neceſſariò peccare, hoc nanque Auguſtinus non ſolùm non probauit, ſed vbique impugnauit, ſed ſenſus eſt, eſſe quidem homini liberum peccare, vel non peccare, at cùm peccauit, non eſſe poſtea in eius libertate, non manere ſubiectum,& non ſeruire peccato: ſed hanc libertatem à ſeruitute peccati ſolùm conſequi per gratiam Ieſu Chriſti,vt ait Apoſtolus ad Romanos 6.

V. Verùm obiicit Caluinus,quoniam Diabolus, & damnati peccant, & tamen neceſſariò peccant, cùm ſint in malo obſtinati.

Reſpondetur Diabolum, & damnatos minimè peccare in eo, quod omnino vitare non poſſunt. licèt enim ſint in malo obſtinati: tamen habent quoſdam actus,quos liberè exercent. Dato autẽ,& non conceſſo,quòd etiam modò propriè peccent, in his ſolùm peccare poterunt, in quibus habent libertatem,non neceſſitatem.

Auguſtinus. Sed contra hanc reſponſionẽ videtur eſſe doctrina Aug.in lib.de natura,& gratia c.67. vbi dicit, hominẽ neceſſariò ſubiici quibuſdam tẽtationibus,& tamẽ non ſine culpa. D.Thom. Præterea D.Th.in 4. d.50.q.2.a.1.q^{la} 6.proponit tale argumentũ. Actus inordinatus ex libertate arbitrij procedens nõ excuſatur,quin ſit demeritorius, etiamſi aliqua neceſſitas adſit, cuius aliquis ſit ſibi cauſa: ebrius enim meretur duplicem maledictionem ſi ex ebrietate aliquod aliud peccatum committit.

Reſpondeo nihilominùs,abſolutè loquẽdo,nullũ peccare in eo,quod vitare minimè poteſt. ita definitũ eſſe per Pium V. & Gregoriũ XIII. in quibuſdam bullis ſuper hac re ſpecialiter confectis Leſſius. nonnulli affirmant, ex quibus Leonardus Leſſius in diſp. Apologetica c.9. n.8. Autoritates verò D. Aug.& D.Tho.intelligẽdæ ſunt de iis,qui propria culpa,& voluntate ſe ſubiiciũt neceſſitati ſuſtinẽdi illas tentationes,vel peccandi. Immo D.Thom. expreſsè inquit in reſponſione ad illud argumẽtũ, quod eſt tertium in ordine,quòd ille,qui ex neceſſitate ſic peccat, non ideo peccat, quia ex neceſſitate agit,ſed quatenus propria malitia, & voluntate ſe ſubiecit illi neceſſitati.

Sed reſtat adhuc aliud dubiũ. Nã ex peccato ipſo homo incurrit neceſſitatẽ amplius peccãdi,& Auguſtinus contra Pelagianos probat, ſuppoſito Auguſtin. peccato Adæ nullum vitare poſſe omnia peccata, vt notiſſimum eſt in doctrina eiuſdem Auguſtini.

Reſpondeo,ſolutionẽ huius dubij ad alium locũ ſpectare, eſt nanque eadẽ difficultas cum illa, An homo ſine ſpeciali Dei auxilio poſſit omnia peccata vitare,de qua egregiè de more Cardinal. Bell. Bellarmin. lib.5. de gratia, & lib. arbitrio præcipuè c.30. vbi multiplicẽ neceſſitatẽ diſtinguit. Pro nunc dicendum eſt ex doctrina eiuſdẽ Auguſtini hominẽ poſſe abſtinere ab omni peccato,vel ex viribus naturæ,vt in ſtatu naturæ integræ,in quo ſuppoſito illo ſolo auxilio ſupernaturali, quod cuique in eo ſtatu exiſtenti fuiſſet cõmune,& illi ſtatui quodãmodo debitũ, quilibet homo potuiſſet omnia, & ſingula peccata vitare,vt nõ ſemel idẽ Auguſtinus docuit, præcipuè in lib. de bono perſeuerantiæ c. 7.vel quia ad hoc ſemper habet ſupernaturale, & ſufficiens auxilium ſibi à Deo paratum,vt in ſtatu naturæ lapſæ, quemadmodũ idem Auguſtinus inquit in lib.de natura,& gratia c.67.& lib.1.Retract. c.9.& notat Ruardus Taper a.7.in principio. Ruardus Taper.

VI. Ad tertiũ argumentum negatur illud aſſumptũ quòd operari naturaliter,& operari liberè ſint duę differẽtiæ adeò repugnantes eidẽ principio, vt illi cõuenire non poſſint etiam reſpectu diuerſorum, neque Ariſt. neque alius probatus autor vnquã id docuit,cùm ſit manifeſtè falſum,vt patet in volũtate reſpectu vltimi finis, & mediorũ ad ipſum finẽ. Autoritas quoq; Ariſt. nihil facit pro arguẽte, & plurimũ illi obeſt:nam per potentias rationales Ariſt. illas ſolas intelligit,quæ indifferenter ſe habent ad vtrũque oppoſitorũ:& per irrationales illas intelligit, quæ ſunt ad vnũ contrariorũ determinatæ,quæque agẽte, & patiẽte debitè approximatis,nõ poſſunt nõ agere;quare in ſentẽtia Ariſt. oporteret numerare potentiã,quæ eſt voluntas,vt productiua eſt Spiritus ſancti inter potẽtias irrationales. Quomodo autem ſit exponendus Ariſt. nobis nunc curæ non eſt, & diximus ſuprà c.13. à quo verò ſit ſumenda eſſentialis potentiarũ differentia,videri poteſt apud Caietanum 1.p.q.41.a.2. Caietan. & Vaſquez cad.1.part.diſp.161.n.8. Valquez.

Ad confirmationẽ reſpondetur, quòd vna potentia non poteſt habere duplicem modum operandi oppoſitum reſpectu eiuſdẽ obiecti,benè poteſt habere illum reſpectu diuerſorum obiectorũ.

Ad quartũ negatur aſſumptũ, quòd cum ſumma libertate,de qua modò eſt quæſtio,ſtet ſumma neceſſitas. Ad probationẽ negandum eſt etiam, Deũ liberè velle ſuã bonitatẽ,& eodẽ modo velle ſuam bonitatẽ,quo vult media,quę ſunt creaturę,hęc enim omnia gratis aſſerũtur. illa etiã propoſitio,potẽtia ſub eadẽ ratione operatur circa finẽ, & circa media, aliquo modo eſt vera, aliquo modo falſa. Verũ eſt,quòd eadẽ eſt intẽtio finis,& mediorum. Falſũ eſt,quod eadẽ neceſſitate appetat finẽ,& media. Nã ſi media nõ iudicẽtur neceſſaria ad finẽ,eſto finẽ neceſſariò velit, nõ tamẽ vult neceſſariò media,vt accidit in caſu noſtro. Deus enim nõ iudicat creaturas media neceſſaria ad finẽ,qui eſt diuina bonitas;ęquè.n.eſſet bonus ſine creaturis. Autoritas autẽ Ariſt.extra propoſitum allegatur, cui nõ eſt neceſſe reſpõdere,quia à diſparatis nõ fit illatio.

Ad quintum reſpõdetur libertatẽ eſſe cõditionẽ intrinſecã actus voluntatis,nõ cuiuſcunq;, neque reſpectu cuiuſcũq; obiecti,alioquin eſſet manifeſta repugnãtia in adiecto, cũ neceſſitas excludat indifferentiã ad eſſe, & nõ eſſe, & libertas includat candẽ indifferentiã. Eſt igitur conditio alicuius VII.

cuius actus volũtatis, puta illius qui eſt circa mediũ non neceſſarium ad finẽ. Neque etiam verum eſt,quod ait Rada,actionem eo magis liberam eſſe quo magis eſt neceſſaria, aliàs omnia agentia naturalia agerent etiam liberè.

Sed hìc videtur eſſe inſtãtia,quia cauſare neceſſariò,eſt nobilius quã cauſare cõtingẽter,ſicut ens neceſſariũ eſt nobilius cõtingẽti. Cùm igitur diuinæ volũtati ſit tribuẽda nobiliſſima cauſalitas,debemus dicere,illã ad extra cauſare neceſſariò. Reſpõdeo,falsũ eſſe,quòd ſicut eſſe ens neceſſariũ eſt nobilius,quã eſſe ens cõtingens; ita eſſe causã neceſſariã ſit nobilius,quàm eſſe causã liberã. Maior enim eſt perfectio agẽtis ad extra,poſſe liberè cauſare,vel non cauſare,quàm neceſſariò cauſare; cuius rei ratio aſſignata eſt ſuprà c.2.ex doctrina D. Thom.1.cont.Gentes c.28. D.Thom.

VIII. Ad vltimum iã dictũ eſt, quomodo autoritates Auguſt.& Anſelmi ſint intelligendæ de libertate à ſeruitute peccati,& corruptionis. Quibus omnibus adiiciendũ eſt, duobus modis nos loqui poſſe de libero arbitrio, vno modo ſecũdùm illã analogicã rationẽ,ſecundùm quam eſt in Deo,Angelis, beatis,viatoribus,& dãnatis:alio modo ſecundùm peculiarẽ rationem,ſecũdùm quã diuinæ Scripturæ illud cõſtituunt in homine viatore.Eſto igitur quòd ad libertatẽ arbitrij primo modo cõſiderati ſufficeret immunitas à coactione,& quòd agens ageret ex deliberatione , & iuxta inclinationẽ proprię voluntatis.Tamẽ ad libertatẽ arbitrij ſecundo modo cõſiderati,de quo eſt tota concertatio, hæc nõ ſufficiunt, ſed requiritur vltra prædicta, quòd voluntas ſit libera per omnimodã indifferẽtiã excludentem quãcunque neceſſitatẽ non ſolùm coactionis,ſed etiam naturalis inclinationis,& determinationis,& ineuitabilitatis:& hoc eſt, quod ait D.Hieron. relatus à Magiſtro in 2.d.25.c.4. *Solus Deus eſt,in quẽ peccatum cadere non poteſt.Cætera cùm ſint liberi arbitrij,in vtranque partẽ flecti poſſunt.* Vbi videtur, liberum arbitrium accipere ſecundùm aliquam ſpecialem rationem , ſecundùm quam eſt ſolùm in creatura,non autem in Deo. Hieronymus.

CAPVT XVIII.

An arbitrij libertas aliquam neceſſitatem ſecum admittat prouenientem ex cauſa extrinſeca. Sententia affirmans recenſetur.

I. EXpedita controuerſia cum hæreticis remanet adhuc expendenda alia concertatio non leuis inter ſolos Catholicos,ea autem eſt:

An eſto certiſſimũ ſit,arbitrij libertatem omnẽ abſolutã neceſſitatem excludere , admittat tamen aliquã neceſſitatẽ ex ſuppoſitione antecedẽti prouenientẽ ſi nõ ex cauſis intrinſecis,ſaltem ex cauſa prima extrinſeca,quæ eſt Deus,vel eius præſciẽtia, vel decretum. Quã controuerſiam recẽtiores Doctores omnino fatentur,ad fidem non attinere,licèt quiſque ſententiam ſuæ oppoſitam latenter contendat demonſtrare,habere cum aliquo errore aliquam affinitatem.

In hac quæſtione fuit opinio quorundã Doctorũ à Thoma VValdenſi l.1.doctrinæ fidei antiquæ c. 25.n.9.relata hiſce præciſis verbis: *Periculosè ergo, vt mihi videtur,quidã magni nominis viri neceſſitatem iſtã præcedentẽ ponũt in humanis operibus,etiã & quòd fluat à volũtate Dei: maximè cùm in antiquis Eccleſiæ patribus nihil cõſonans reperire poſſunt cùm conãtur, & illud quod adducũt:Cor Regis in manu Domini,& quocunque voluerit,inclinat illud,ipſe textus exponit,ſe intelligi de neceſſitate tractionis,& inclinationis,non autẽ de neceſſitate illa,qua præcedit ſecũdùm Anſelmũ,& ſecundùm quã voluntas neceſſariò agit,nec poteſt aliter agere,etiãſi vellet ſecundùm Auguſtinũ.* De qua opinione infr.c.28.in principio. *Non ſum* (inquit) *pauci homines,nec in Scripturis ſacris indocti, quorũ aliqui non multũ ante nos cõcefferunt,ponentes in Scripturis neceſſitatẽ euentuũ futurorum:ſed cauentes abſolutã,reſpectiuã eſſe dixerunt, & præuenientẽ quemcunque futurũ effectũ,ne propter contingentiã liberam res futura,neceſſaria macula fallibilitatis concluſi poſſet , vel certiſſimæ prophetiæ.* Et infrà. *Primus probat neceſſitatẽ etiã præcedentẽ in futuris euentibus , & impoſſibilitatẽ euentus oppoſiti per hoc,quod dicit Balaã in lib.Numerorũ,Nõ poſſum aliud loqui,niſi quod dederit mihi Dominus,&c.* Et infrà. *Subdit tamẽ,quòd iſta neceſſitas libertatis non repugnat arbitrij,eo quòd duplicẽ cauſam reſpiciat,cauſam ſuperiorẽ,penes quam neceſſitatẽ ſuam habet, ſcilicet ſcientiã,& voluntatem diuinam:& aliquam cauſam mediam reſpicit pro cauſa ſecunda , per quam prouidit Deus rem talẽ eſſe futuram, ſicut talẽ virum dantẽ elemoſynam prouidit Deus ad relenandam talis inopiam: & ſic in ſecundis cauſis eſt libertas, & poſſibilitas aliter euenienti,non autẽ in primis.* Et infrà. *Ibi autem venerabilis Anſelmus,& S.Thomas clariſſimo oze dicunt,nõ eſſe ibi neceſſitatẽ aliquam præcedentẽ ſed conſequẽtem, quæ nihil efficit,ipſe omnino imponit eis neceſſitatem ponere præcedentem quæ rem obliget ad euentum.* Thomas VValdenſis.

Hanc eãdem ſententiã recentiores quidã ſcholaſtici cõſtanter defendunt,& cõtendũt,eſſe ipſiſſimã mentem D.Auguſtini,& D.Tho.dicunt enim neceſſitatem ex ſuppoſitione antecedente aliarum cauſarũ præter primã tollere quidẽ arbitrij libertatem:at neceſſitatem ex ſuppoſitione antecedente cauſæ primæ vniuerſaliſſimę nõ tollere arbitrij libertatem, ſed optimè cũ illa cohærere, quia hæc eſt differentia inter primã cauſam vniuerſaliſſimã, & alias cauſas ſecundas. ita,vt alios omittam, videri poteſt apud nouiſſimum quendam autorem diſp.22.& 25.de Auxil. Nouiſſ.Autor.

II. Primũ huius opinionis argumentum ſumunt à diuina præſcientia.Si Deus præſciuit,aut prædixit, aliquid eſſe futurum,illud neceſſariò erit,& tamen hæc neceſſitas arbitrij libertatem nõ tollit. Ergo. Maior propoſitio expreſsè habetur ex D.Th.in 1. d.38.q.1.a.5.ad 5.de veritate q.24.a.1.ad 13.1.cõtra Gent.c.67.1.p.q.14.a.13.ad ſecundum& tertiũ. & probatur ex Euangelio Lucæ c.24. vbi dicitur, quòd oportebat pati Chriſtũ,vt Scripturæ implerentur. Et certè ſi illud, quod Chriſtus , vel Prophetæ prædixerunt eſſe futurum , poſſet non euenire,poſſet decipi Deus, & mentiri , quod eſt impoſſibile.Idem confirmant autoritate Gloſſæ in c. Vaſis ixæ.23.q.4. D.Thomas Gloſſa.

Quòd ſi reſpõdeatur,neceſſitatẽ, quæ oritur ex certitudine diuinæ præſcientiæ eſſe neceſſitatem ex ſuppoſitione cõcomitãte,vel conſequente,non autem antecedente,quia diuina præſcientia reſpicit res,vt præſentes extra ſuas cauſas, & non illas antecedit.Cõtra hãc reſponſionem inſtãt,quia diuina præſcientia eſt certa de mente D.Th.non ſolùm ex eo,quòd res ſunt præſentes Deo ab ęterno, ſed etiã ex diuino decreto, quo decreuit efficaciter omnia futura cõtingentia ante præuiſã determinationem ſecundarũ cauſarũ.Deinde idem probãt ex eo, quoniã diuina præſcientia non eſt cauſata à rebus,ſed potiùs eſt cauſa rerũ: vnde ſuppoſitio diuinæ præſcientiæ nullo modo eſt conſequens,ſed antecedens.Tertiò idem probãt ex Anſelmo in libro Cur Deus homo.dicente, quòd neceſſe erat Chriſtũ pati, quia ſic ſcriptum erat:iſta verò erat neceſſitas antecedens,quia diuinæ Scripturæ

pturæ voluntatem humanam Chriſti præceſſerunt.

III. Secundò principaliter argumentantur, quòd Deus ab æterno efficaciter decreuit, illud impoſſibile eſt nó euenire, quod ex pluribus teſtimoniis diuinæ Scripturæ,& Patrũ,& D.Th. probant, præcipuè recés ille Doctor in locis citatis, quæ omitti poſſunt, cùm hæc veritas à Catholico negari minimè poſſit: ſed Deus multa decreuit, quę ex libera hominis voluntate pẽdent, vt conſtat Iſaiæ 14. in illis verbis, *Iurauit Dominus exercituũ, dicens: Si nõ vt putaui, ita erit, & quomodo mẽte tractaui, ſic eueniet, vt conterã Aſſyrium in terra mea*, &c. legantur verba ſequentia. Et Chriſti paſſio fuit efficaciter à Deo decreta, & tamen pependit ex libera Chriſti volũtate, illam obire, vel non obire. Ergo cum neceſſitate diuini decreti ſtat libertas humani arbitrij.

Aluarez.

IV. Tertiò argumentãtur ex diuina prouidentia, nã quod eſt à Deo prouiſũ, neceſſe eſt euenire: ſed tamẽ multa à Deo prouiſa liberè eueniũt: ergo. Maior à Catholicis omnibus debet cõcedi, omnes.n. fatẽtur, nihil poſſe exire ab ordine diuinæ prouidẽtiæ. Minor etiã eſt per ſe nota Theologo. Nec dici poſſet ſuppoſitionem diuinæ prouidentiæ non eſſe antecedentem, quia cùm diuina prouidentia ſit omnium rerum cauſa, neceſſariò omnia antecedit.

Quartò arguunt, quia neceſſitas ex ſuppoſitione diuinæ prædeſtinationis eſt neceſſitas ex ſuppoſitione antecedente, & tamen illa non tollit libertatem arbitrij, vt ex fide conſtat.

Auguſtinus.

Quintò neceſſitas ex diuinis præmotionibus, & prędeterminationibus eſt neceſſitas ex ſuppoſitione antecedẽte, vt ex terminis notũ eſt: ſed cũ huiuſmodi ſuppoſitione ſtat arbitrij libertas. Hoc verò multipliciter probãt: ſed quia inſtituti noſtri nõ eſt de hac re hîc diſputare, vnicũ teſtimoniũ referã ab illis allatũ ex Aug. in c. Vaſis ităe 23.q.4. vbi inter alia ſic ait: *Eodẽ modo ſi quid prouidẽtia præſciẽs videt, id neceſſe eſt eſſe, tametſi nullã naturæ habeat neceſſitatẽ. Atqui Deus ea futura, quæ ex arbitrij libertate oriuntur, præſcia contuetur. Hæc igitur ad intuitum relata diuinum, neceſſaria fiunt per diſpoſitionem diuinæ motionis: per ſe verò conſiderata abſolutam naturæ ſuæ libertatem non deſerunt.*

V. Sextò, ad hoc vt voluntas dicatur libera etiam in exercitio, ſufficit, vt intellectus repræſentet volũtati obiectũ eligibile, vt indifferẽs; quidquid verò anteceſſerit, vel ſuperuenerit ipſi voluntati, manẽte huiuſmodi differentia, non tollit eius libertatẽ. Modò per ſuppoſitionem antecedentẽ diuinæ præſcientiæ, prouidentiæ, prædeſtinationis, & decreti efficacis, nõ tollitur indifferentia iudicij rationis circa obiectum propoſitum volũtati. Ergo.

Septimò, neceſſitas cõſequentiæ, & cõditionata ſtat cũ arbitrij libertate, vt omnes Doctores fatẽtur: huiuſmodi autem eſt neceſſitas ex ſuppoſitione diuinæ præſcientiæ, prouidentiæ, &c.

Octauò, neceſſitas iſta ex ſuppoſitione antecedẽte eſt neceſſitas in ſenſu cõpoſito: ſed neceſſitas in ſenſu compoſito optimè ſtat cum arbitrij libertate. Ergo, &c. Maiorem propoſitionẽ contendunt

D.Thom.

eſſe ad mentem D.Th. 1.con. Gent.c.67.in fine, & de Veritate q.6.a.4. ad octauum, & prima p.q.23. a.6.ad tertium, & 1.2.q.112.a.3.

Nonò affert recés ille Doctor multa Doctorũ teſtimonia, quæ quoniã ad rem parũ faciunt, vt quiſque videre poterit, omittũtur. Vnũ referam Scotũ in 4.diſ.49.q.6.§. *Dico ergo*. dicentẽ, Deum ab æterno omnes effectus contingentes prædefiniuiſſe: & tamen cum huiuſmodi prædeterminatione ſtare humanam libertatem, quia diuina voluntas liberè ſe ad illã determinauit. Idem habet in 1.d.39. lit.

D.& M. Diuina verò prædefinitio in eius ſententia noſtram voluntatem antecedit.

CAPVT XIX.

Proponitur ſecunda opinio negans, eáque vt probabilior rationibus comprobatur.

I. EST ſecũda ſententia, quæ docet, omnẽ neceſſitatẽ ſiue abſolutã, ſiue reſpectiuã, & ex ſuppoſitione, veræ libertati repugnare, & impoſſibilẽt omnino eſſe, ea duntaxat excepta, quæ oritur ex ſuppoſitione cõſequẽte, vel cõcomitante ipſam liberã electionẽ eiuſdẽ voluntatis. Si autẽ quęratur ab illis, quænã ſit iſta ſuppoſitio cõſequẽs, aut cõmitãs, ex qua neceſſitas orta nõ repugnat arbitrij libertati; reſpõdent eã eſſe ſuppoſitionẽ concomitantẽ, vel conſequentẽ, quando vel in noſtri arbitrij poteſtate eſt ipſa ſuppoſitio: vt cũ dico, ſi curris, neceſſe eſt te currere, & moueri: nã moueri eſt in tua poteſtate. Vel quando, licèt ipſa ſuppoſitio nõ ſit in noſtra poteſtate, pẽdet tamen ex aliquo, quod eſt in noſtra poteſtate, aut eſt neceſſariò cõnexa cũ aliquo, quod eſt in noſtra poteſtate: vt cũ dico, ſi video te currere, neceſſe eſt te currere: eſto enim meũ videre nõ ſit in tua poteſtate, tamẽ pẽdet ex aliquo, quod eſt in tua libera poteſtate, quod eſt, te currere. Vel tandẽ quãdo licèt ſuppoſitio nõ ſit in noſtra poteſtate, neq; pẽdeat ex aliquo quod ſit in noſtra poteſtate, ſupponit tamen aliquid, quod eſt in noſtra poteſtate: vt cùm dico, ſi Deus efficaciter te trahit ſua gratia, neceſſe eſt, te cõſẽtire: licèt enim nõ ſit poſitum in tua poteſtate, te trahi per gratiã, neque efficacia diuinæ gratiæ pẽdeat ex tua libera volũtate, ſupponit tamẽ (vt illi dicũt) aliquid, quod eſt in tua poteſtate, liberũ ſcilicet tuũ conſenſum, vt præuiſũ à Deo eſſe futurũ ex hypotheſi, quòd Deus vellet te trahere huiuſmodi auxilio efficaci. Extra hos caſus affirmãt omnẽ ſuppoſitionẽ, & neceſſitatẽ ex illa prouenientẽ impedire vsũ libertatis etiã comparatione primæ cauſæ vniuerſaliſſimæ. Quæ ſententia, quãuis de opinionibus Doctorũ nolim arbitrari, mihi videtur lõgè probabilior, & magis cõformis dictis Sãctorũ, & rationi. Et arguẽta, quibus illa à ſuis autoribus, vel, vt rectiùs dicã, defẽſoribus (nõ enim eſt noua opinio, aut noua cõtrouerſia iſta inter Doctores nuper excitata, vt nõnulli arbitrãtur) probatur, adhuc legitimã ſolutionem videntur deſiderare, quod & ita eſſe experimento mõſtremus.

II. Anſelmus.

Probatur hęc opinio primũ ex vulgata illa diſtinctione tradita à D.Anſel.lib.Cõcordiæ, c.1.& 2.& in lib.Cur Deus homo, c.18.de duplici neceſſitate antecedẽte, quæ facit rẽ, & cõſequente, quam res facit. Docet enim expreſsè D.Anſelmus, omnẽ neceſſitatem antecedentem pugnare cum arbitrij libertate, & ſolã cõſequentẽ cũ illa poſſe cõſiſtere, vt omnes Doctores videre poſsũt in eius libris.

Huic argumẽto multipliciter reſpõdetur. Primò negando autoritatẽ D.Anſelmi. verùm contra hãc reſponſionẽ illud ſolùm obſtat, diſtinctionẽ hanc Anſelminã non ab ipſo Anſelmo fuiſſe primitùs excogitatã, ſed ex D.Aug. ex integro acceptam, vt ſtatim dicemus in ſecundo argumento; & eandem diſtinctionem ab omnibus Theologis (ſi duos vel tres recentiores excipias) communiter & plauſibiliter fuiſſe exceptam, & retentam.

Secũdus modus reſpõdendi eſt, D.Anſelmũ pẽ neceſſitatẽ antecedentẽ, non intelligere quãcunq; neceſſitatẽ, ſed illã ſolùm, quæ facit cauſam ſecũdã exire in actum ſine vlla deliberatione, & ſine proprio conſenſu. Quod ex eo probatur, quia Anſelmus ponit exemplũ in motu corporis cæleſtis; inquit enim, *Neceſſitas præcedens cauſat rem, neceſſi-*

tas ſequens eſt, quam rei facit: precedens, & efficiens neceſſitas eſt, vt cum dicitur celum volus, quia neceſſe eſt, vt celum voluatur. Et inferiùs: *Nam violentia naturalis conditionis cogit celum volus.* Iſti ſimiles ſunt illis, de quibus Th. VValdenſis lib. 1. ſup. cit. c. 28. n. 3. *Ibi*, inquit, *venerabilis Anſelmus, & S. Thomas clariſſimo ore dicunt, non eſſe ibi aliquam neceſſitatem precedentem, ſed conſequentem, qua nihil efficit: ipſe omnino imponit eis, neceſſitatẽ ponere precedentẽ, qua rem obligat ad euentũ.* Hęc igitur gloſſa manifeſtè repugnat textui D. Anſelmi: licèt enim ille exẽplificauerit in motu cæli, quia exẽpla debẽt eſſe notiſſima: tamen vniuerſaliter omnẽ neceſſitatẽ, quæ cauſa eſt vt res ſit, vocat antecedentẽ, & eam ſolùm conſequentem, quæ nullã importat cauſalitatẽ. Et vniuerſaliſſimè inquit, omnẽ neceſſitatem antecedẽtẽ, ex quacunq; cauſa prouenientẽ deſtruere arbitrij libertatẽ; neq; clarioribus verbis vti potuiſſet. Quid enim, vt nunc alia omittã, ſignificãt illa verba: *Hac igitur ſequente, & nihil efficiente, quoniam vera ſunt fides, & prophetia de Chriſto, quia ex voluntate, non ex neceſſitate moriturus erat, neceſſe erat, vt ſic fieret; hac homo factus eſt, hac fecit, & paſſus eſt, hac voluit, quacunque voluit?* Anſelmus hic vocat neceſſitatẽ ſequentem, nihil efficientẽ: Anſelmus dicit, ideo Chriſtũ habuiſſe neceſſitatẽ moriendi, & tamen voluntate mortuũ eſſe, quia illa erat neceſſitas ſequens, & nihil efficiẽs. Quid clarius dici poterat? Quod autẽ addũt alij Anſelmũ nõ fuiſſe locutũ vniuerſaliter, ſed indefinitè, refutatione non indiget; quomodo enim ex vna indefinita potuiſſet concludere, quòd licèt Chriſtus habuerit neceſſitatem moriendi, non tamẽ ex neceſſitate, ſed liberè mortuus eſt, ex eo, quia eſt aliqua neceſſitas antecedens, quæ libertatem non minuit?

VValdenſ.

III. Tertius modus reſpõdendi eſt, neceſſitatem ex ſuppoſitione cauſæ primæ non eſſe neceſſitatẽ ex ſuppoſitione antecedẽte, ſed cõſequente, vel concomitãte: ſicut. n. cauſa ſecunda, ſic prima, immò multo magis influit in effectũ. Vnde ſicut neceſſitas ex ſuppoſitione cauſæ ſecũdæ liberę in ordine ad effectum, qui liberè ab illa procedit, nõ tollit, quin effectus liberè ab illa producatur; ita etiã neceſſitas ex ſuppoſitione primæ cauſæ in ordine ad eundẽ effectũ nõ impedit, quin ille liberè producatur. Hęc reſpõſio poteſt dupliciter intelligi: vno modo, quòd cauſalitas cauſæ primæ nõ antecedat aliquo modo cauſalitatẽ cauſæ liberæ ſecũdæ in ordine ad eundem effectũ, qui liberè fit à ſecunda cauſa, ſed illi ſe adiũgat in causãdo effectũ in eodẽ inſtanti, in quo ſecũda cauſa exit in actũ ad producendũ ipſum effectũ, & ſic reſpõſio eſt vera, & debet admitti, ſed non intenta ab aduerſario. Alio modo poteſt intelligi, quòd prima cauſa in aliquo priori antequã ſecũda cauſa libera producat effectũ, ponat ſuã cauſalitatem circa ſecundã cauſam, ita quòd faciat, ipsã ſecundã cauſam neceſſariò exire in actũ ſecũdũ, & illa neceſſitas cauſandi antecedat cauſalitatem ſecundæ cauſę, licèt non antecedat cauſalitatẽ omnis cauſæ, nẽpe cauſæ primæ. quẽ ſenſũ intẽdere videtur reſpõdentes. Et in hoc ſenſu reſpõſio eſt planè falſa: illa enim neceſſitas antecedẽs, quã D. Anſel. dicit tollere libertatẽ arbitrij, & volũtatis, dicitur antecedẽs cõparatione cauſæ ſecũdæ, id eſt, ipſius volũtatis creatæ, vt cõſtat, ſicut neceſſitas cõſequens dicitur cõſequẽs cõparatione nõ cauſæ primę, ſed ipſius ſecũdę cauſę, quæ eſt volũtas creata. Quod patere poteſt exẽplo adducto volũtatis Chriſti, cuius paſſio ſimul fuit volũtaria, & neceſſaria, quia illa neceſſitas fuit cõſequẽs, nõ antecedens, non cõparatione volũtatis diuinę, ſed cõparatione volũtatis creatę ipſius Chriſti. Quare cũ ex hac reſpõſione neceſſitas ex ſuppoſitione voluntatis diuinæ antecedat voluntatem creatam, & illam neceſſariò inducat ad cauſandum effectum, illa proculdubio in ſententia D. Anſelmi eſt de illis, quæ antecedentes vocantur, & quæ libertatem tollunt.

Deinde effectus nõ dicitur liber cõparatione primę cauſę, ſed ſecũdę cauſæ, à qua ille immediatè elicitur, vt ſuprà dictũ eſt c. 12. ita à pari neceſſitas antecedẽs, vel cõſequẽs, quę tollit, vel nõ tollit arbitrij libertatẽ, nõ debet dici talis cõparatione primæ cauſæ ſuperioris, ſed ſolũ cõparatione ſecũdæ cauſæ liberæ à qua effectus immediatè procedit. Addc, quòd cõparatione primæ cauſæ nulla neceſſitas poteſt dici antecedens: vnde ſi cõparatione illius introducta eſſet illa diſtinctio de duplici neceſſitate antecedẽte, & cõſequẽte, vana, & falſa eſſet, & digna, quæ ex ſcholis Theologorum exploderetur. Adde etiã, quòd ſicut diuina volũtas dicitur cõſequẽs, quæ ex noſtro actu libero quodammodo ortum habet, vt Damaſcenus inquit; ita illa ſola dicitur ſuppoſitio, & neceſſitas conſequens reſpectu voluntatis creatæ, quæ ex ipſa voluntate aliquo pacto ortum habeat.

Damaſcen.

Quartus modus reſpõdẽdi colligitur ex D. Th. 1. p. q. 19. a. 8. ad tertiũ. vbi tacito nomine D. Anſelmi ſoluit argumẽtũ ſumptũ ex illius autoritate dicẽs: quòd *poſteriora accipiũt neceſſitatẽ à prioribus ſecundùm modũ priorũ: vnde & ea, quæ fiũt à voluntate diuina, talẽ habẽt neceſſitatẽ, qualẽ Deus vult illa habere, ſcilicet vel abſolutã, vel conditionalem tantùm, & ſic nõ omnia ſunt neceſſaria abſolutè.* Hæc doctrina D. Th. veriſſima eſt, ſed niſi aliquid addatur, difficultatẽ nõ tollit. Admiſſo enim, quòd omnia habeãt illã neceſſitatẽ, quam Deus vult illa habere, non inde ſequitur, Deũ velle, actus liberos humani arbitrij habere neceſſitatẽ ex ſuppoſitione antecedẽti, quæ nullo modo pẽdeat ex libera voluntate, aut ſaltẽ non habeat connexionẽ cũ aliquo, quod ſit in poteſtate liberi arbitrij. Hoc. n. videtur manifeſtam contradictionem implicare; Nullo igitur modo videtur ſolutum fuiſſe argumentum.

IV. D. Thom.

Secũdò principaliter probari ſolet eadẽ ſentẽtia autoritate D. Aug. lib. 5. de Ciu. c. 10. vbi eandẽ diſtinctionẽ duplicis neceſſitatis tradit, ſub eiſdẽ ferè verbis. Inquit ibi Aug. duplicẽ eſſe neceſſitatẽ, alterã, quæ eſt intra noſtrã voluntatẽ, & in eius poteſtate, & illã comitatur: alterã, quę antecedit, & ſubiicit ſibi voluntatẽ. Priorẽ dicit poſſe ſtare cũ arbitrij libertate; nõ autẽ poſteriorẽ. Ergo neceſſitas, quæ voluntatẽ præcedit, & illã ſibi ſubiicit, ex quacunq; cauſa prouenerit, libertatẽ tollit. Referã eius verba, ne quis putet me cõmentari ex meo cerebro. *Vnde*, inquit, *nec illa neceſſitas formidanda eſt, quã formidãdo Stoici laborauerũt, cauſas rerũ ita diſtinguere, vt quaſdã ſubtraherẽt neceſſitati, quaſdã ſubderẽt: atq; in his, quas eſſe ſub neceſſitate noluerũt, poſuerũt etiã noſtras voluntates, ne videlicet nõ eſſent liberæ, ſi ſubderẽtur neceſſitati: ſi enim neceſſitas noſtræ illa eſt dicẽda, quæ non eſt in noſtra poteſtate; ſed etiamſi nolumus efficit, quod poteſt. ſicut eſt neceſſitas mortis: manifeſtum eſt, volũtates noſtras, quibus rectè, vel perperam viuitur, ſub tali neceſſitate non eſſe.* Ecce tibi negat Aug. voluntatem humanam ſubditã eſſe alicui neceſſitati, quæ nõ ſit in eius poteſtate. Vide alia, quæ ſubdit de neceſſitate, quæ eſt intra noſtram poteſtatem, & quomodo illa neceſſitas libertatem non tollat, dum ait: *Si autem illa definitur neceſſitas, ſecundùm quam dicimus, neceſſe eſſe, vt ita ſit aliquid, vel ita fiat, neſcio, cur eam timeamus, ne nobis libertatem auferat voluntatis. Neque enim, & vitam Dei, & præſcientiam,* &c.

V. Auguſtinus.

Neque

Neque poteſt reſponderi, Auguſtinũ ſolùm loqui de neceſſitate naturali, & abſoluta, cùm ille omnẽ neceſſitatem reiiciat, quæ nõ ſit intra poteVValdenſis. ſtatẽ noſtrę voluntatis, vt latè probat VValdenſis d.lib.1.c.25.præcipuè n.7.& c.28.n.7.ex eodẽ Auguſtino dicente, in tantũ aliquid eſſe in noſtra libertate, in quantũ eſt in poteſtate noſtræ volũtatis. Verba Aug. ſunt inter alia in lib.3.de lib.arbitr. c.3.vbi ſic ait: *Volũtas noſtra voluntas nõ eſſet, niſi eſſet in noſtra poteſtate: perrò quia eſt in noſtra poteſtate, libera eſt nobis: non enim liberũ eſt nobis, quod in poteſtate non habemus, aut ſi poteſt non eſſe liberũ, quod habemus in poteſtate, illud aquè non eſt liberum.* Quid clariùs? Et lib.3.Hypogn. *Cur*, inquit, *liberũ arbitriũ dicatur eſſe, paululum diſſerẽdum eſt: arbitrium ſcilicet ab arbitrando rationabilis cõſideratione, vel diſcernendo, quid eligat, quidve recuſet, puto quòd nomẽ acceperit: vel ideo liberum dictum, quod in ſua ſit poſitum poteſtate, habens agendi quod velit poſſibilitatem, quod eſt vitalis, & rationalis animæ motus.*

VI. Tertiò ſolet probari autoritate D. Thomæ lib.
D.Thomas. 2.phyſ.lect.15.vbi dicit, neceſſitatẽ ex cauſis prioribus abſolutã eſſe, neceſſitatẽ verò ex eo, quod eſt poſterius, eſſe ſolùm ex ſuppoſitione, vel ex cõditione. quã doctrinam videtur etiã tradidiſſe lib.2. cõtra Gent.c.29.& 3.part.q.46.a.2. Cùm igitur D. Tho. doceat, ſolam neceſſitatẽ conditionalẽ ſiue ex ſuppoſitione, aut in ſenſu cõpoſito ſtare cũ arbitrij libertate, apertè videtur dicere, omnẽ neceſſitatẽ prouenientem ex ſuppoſitione cuiuſcunque cauſæ antecedentis pugnare cũ arbitrij libertate.

Huic argumento ſolet reſponderi, D.Thomã loqui de neceſſitate sũpta ex cauſis prioribus, naturalibus, & creatis, hæc. n. tollit arbitrij libertatẽ, non de neceſſitate proueniẽte ex prima cauſa vniuerſaliſſima, illa enim libertatẽ arbitrij nõ tollit.

Hæc reſponſio inprimis eſt contra doctrinã D. Thomæ. nã in 1.2.q.17.a.7.ad ſecundũ docet, quòd motus appetitus ſenſitiui qui ſunt præcedẽtes, nõ ſubdũtur imperio rationis, ſed ſolùm motus cõſequentes: idẽ autẽ eſt, ſubdi imperio rationis, & volũtatis, & eſſe in poteſtate liberi arbitrij: & q.6.de malo a.1.in Corp. ait: *Quòd ſi diſpoſitio, per quam alicui videtur aliquid bonum, & cõueniẽs, fuerit naturalis, & nõ ſubiacens voluntati, ex neceſſitate naturali voluntas elicit illud, ſicut omnes homines naturaliter deſiderãt eſſe, viuere, intelligere: Si autem ſit talis diſpoſitio, quòd nõ ſit naturalis, ſed ſubiacens voluntati, puta cùm aliquis diſponitur per habitum, vel paſſionem ad hoc, quòd aliquid, &c. nõ ex neceſſitate mouetur voluntas, quia poterit hanc diſpoſitionem remouere, &c.* In his locis licèt D.Thomas loquatur de cauſis, & diſpoſitionibus naturalibus, & aliquo modo naturaliter mouentibus, tamen tota ratio, ob quam iſti motus ſtant, vel non ſtant cũ libertate voluntatis, in hoc ſita eſt, quia illi ſubiacent vel nõ ſubiacẽt imperio ipſius voluntatis, quod tã apertè monſtrat eſſe verũ, vt ſuperfluum ſit idipſum ampliùs declarare. Si autem hæc ratio D.Thom. aliquid valet; ſupponit neceſſariò, omnem motum præcedentem ipſam voluntatem, & illam ſecum rapientem, qui non ſubiaceat imperio, & poteſtati eiuſdem volũtatis, tollere illius libertatẽ; aliàs debuiſſet aliã cauſam aſſignare, ob quã diſpoſitiones naturales antecedentes, & nõ ſubiectæ voluntati, & etiã cauſæ efficiẽtes naturales antecedẽtes, & non ſubiectæ, tollant libertatẽ: aliæ verò cauſæ quãuis antecedẽtes nec ſubiectæ voluntati, immo illã ſibi ſubiicientes nihilominus ſtent cũ libertate eiuſdẽ voluntatis; quã rationẽ cum minimè reddiderit, conſtantiſſimũ mihi eſt, illam in prima ratione tanquam vniuerſali conſtitiſſe, nẽpe omnem cauſã neceſſariò mouentẽ, & antecedentẽ, quæ non ſubiaceat imperio volũtatis, repugnare libertati, ſiue illa ſit ſecunda, ſiue prima. Hæc autẽ omnia volui adnotare propter recentiorẽ quendã Doctorem, qui conatur ex teſtimoniis allatis D. Thomæ, & aliis ſimilibus probare, mentẽ D. Anſelmi eſſe, vt nomine neceſſitatis antecedẽtis intelligatur illa ſola, quæ oritur ex cauſis naturalibus, quæ eſt neceſſitas abſoluta: & nomine neceſſitatis cõſequentis, intelligatur illa, quę eſt cõditionalis, vel ex ſuppoſitione; ſicut etiam Damaſcenus vocat voluntatẽ antecedentẽ, quæ reſpicit obiectũ ſecundùm ſe, & conſequentẽ, quæ reſpicit obiectũ cum omnibus adiunctis, & circũſtantiis: quæ, vt liberè loquar, nihil aliud ſunt, niſi cõmenta gratis efficta ad obfũdendas nebulas luci meridianæ, nã & D. Anſelmus nomine neceſſitatis antecedẽtis omnem illã intelligit, quæ pręcedit in ratione cauſæ, & omnẽ cõſequentẽ, quæ ſequitur ipſam rẽ. Et D.Th. dicit omnẽ motũ præcedentẽ, & omnem neceſſitatẽ ex cauſis prioribus, quæ nõ ſubiaceat poteſtati voluntatis, tollere libertatem. Et Damaſcenus docet, omnem voluntatem Dei conſequentẽ ex conditione creaturæ oriri, de qua re lib.4.dicendum eſt, quoniam ille autor mentẽ Damaſceni, & diſtinctionem illã de duplici voluntate antecedente, & conſequente peruertit ad ſuum ſenſum contra receptiſſimam, & legitimam intelligentiam traditam, non ſolùm à Damaſceno, Chryſoſt. & aliis autoribus probatis, ſed etiã à D.Thoma, cuius ſe diſcipulũ profitetur.

Addo D.Thom. pluribus in locis docere, Deũ mouere quidem voluntatẽ, & pręmouere etiã, maximè ad actus ſupernaturales: ſed tamẽ tali modo, quòd relinquit in poteſtate voluntatis ſuã determinationẽ ad hoc, vel illud bonũ particulare: & hoc ne lædatur libertas eiuſdem voluntatis. ita de Potentia q.3.a.7.ad 13.de malo quæ.3.a.2. in 1.d. D.Thom. 38.q.1.a.5. videantur illius verba ibidẽ in corpore art. §. *quandocunque enim ſunt duæ cauſæ*, &c. & lib.1. con. Gentes c.68.in fine, & 1.2.q.4.a.6. & q.10. a. 4.& aliis in locis. Sentit ergo D.Th. omnem neceſſitatem antecedentem, etiam prouenientẽ à prima cauſa, quæ non ſit in poteſtate voluntatis creatæ, tollere illius libertatem, vnde vana eſt illa occaſio excogitata per diſtinctionem de duplici cauſa prima, & ſecunda.

Quartò principaliter probatur eadẽ ſententia. VII.
Hæretici, cũ quibus eſt nobis controuerſia de libero arbitrio, maximè recentiores, vt Caluinitæ, nullã aliam neceſſitatẽ videtur ponere in actibus humanis, niſi eã, quæ prouenit ex ſuppoſitione antecedente cauſæ primæ, nẽpe diuinæ præſcientiæ, & diuini decreti, & diuinæ præmotionis: nihilominus Catholici dicũt illos auferre verã libertatẽ ex actibus humanis. Ergo neceſſitas ex ſuppoſitione antecedẽte cuiuſcũq; cauſæ, etiã primæ, tollit verã arbitrij libertatẽ. Maior probatur ex verbis Ioan. VVicleff.
VVicleffi, quæ refert Th VValdẽſis l.1.c.22.& 23. VValdenſis.
& ex verbis Philippi Melãctonis in locis cõmunibus primũ editis *Quandoquidem*,, inquit, *omnia euenium iuxta diuinam prædeſtinationem, nulla eſt arbitrij noſtri libertas.* Et rurſus: *Voluntati noſtræ libertatẽ per prædeſtinationis neceſſitatem adimit Scriptura.* Caluinus etiam dicit voluntatem Dei eſſe rerum Caluinus.
neceſſitatem lib 3.Inſtit. c.23.§.8. & lib.2. contra Pighium. *Quæ fortuita maximè videntur, ea dicimus fieri neceſſario non ſuapte natura; ſed quoniã æternum, & ſtabile Dei conſilium in illis gubernandis regnat.* & lib. 3.Inſtit.c.23. §.6. *Si hominum euenta Deus præuideret duntaxat, non etiam ſuo arbitrio diſponeret, ac ordi-*

naret,non abs re ageretur quæſtio, ecquid ad eorum neceſſitatem valeat prouidentia; ſed cùm non alia ratione præuideat,quæ futura ſunt,niſi quia ita, vt fierent, decreuit,fruſtra de præſcientia hæc monetur,vbi conſtat ordinatione potiùs,& natu omnia euenire. Idē de Marcione refert D. Hieronymus Dialogo 3. contra Pelagianos.Idem de Stoicis referunt D.Auguſt.5. de Ciu.c.10.& Ludouicus Viues ibi.in cōmento.

Hieronym. Auguſtinus. Ludouicus Viues.

VIII. Huic argumento reſpondetur ab autoribus primæ opinionis,non damnati hęreticos in eo,quòd ponunt neceſſitatem aliquam antecedentem ex ſuppoſitione primæ cauſæ,nimirum diuinæ præſcientiæ,& diuini decreti: ſed in eo, quoniam ex hoc antecedente per malam cōſequentiam deducunt, non remanere libertatem arbitrij in nobis. Sicut enim Pelagiani neſcientes efficaciam diuinę motionis gratuitæ concordare cum arbitrij libertate, vt liberum arbitrium illæſum defenderent, negauerunt efficaciam diuinæ gratię:ita è contrario iſti hæretici, vt defenderent efficaciā diuinæ motionis, negauerunt arbitrij libertatem. tamen veritas catholica media via incedens cum efficacia diuinæ gratiæ, & motionis coniungit arbitrij libertatem.

Hæc tamen reſponſio, niſi aliud addatur, non videtur euacuare argumentum. Primùm, quia videtur ex illa ſequi,hæreticos non errare in Theologia,& in fide, ſed ſolùm in Logica. Error enim malę conſequentię non eſt error in fide,ſed in Logica.Si enim conſequens eſſet verum, etiamſi per malā conſequentiā deduceretur, non propter hoc quis erraret in fide; & è contrario, ſi conſequens eſſet falſum,erraret,qui illud deduceret etiam per bonam conſequentiam.

Secundò falſum eſt, Catholicos non damnare antecedens illud,ex quo hæretici deducunt, non eſſe in nobis liberum arbitrium, ſaltem in eo ſenſu,in quo illud ponitur ab hæreticis; nam hæretici ponunt motionem efficacem,cui liberum arbitrium à Deo motum, & excitatum reſiſtere non poſſit,& ex hoc antecedente deducunt conſequēs quòd homo verè non ſit liberi arbitrij. Admiſſo verò antecedente conſequentia optima eſt,neque negari poteſt.Ideo Patres Concilij Tridentini dānant non conſequentiam,ſed antecedens, nimirū, dari motionem liberi arbitrij, ita efficacem,quòd voluntas illi reſiſtere non poſſit,neque illam abiicere,aut diſſentire ſi velit;vt patet ex Conc.Trid. ſeſſ.6.c.5.& Can.4.de Iuſtificatione. Quærendum eſt igitur ab iſtis Catholicis,an ipſi admittant neceſſitatē ex ſuppoſitione antecedenti,cui liberum arbitrium reſiſtere non poſſit,neque illā abiicere, neque diſſentire,an non. Si ſic,videant oro, iſtam neceſſitatem reprobari à Concilio, & reprobari omnes, qui illam ponunt.Si autem illam non admittunt,vt credo non admittere,cùm ſint Doctores catholici,non dicant quæſo, hæreticos errare ſolùm in mala cōſequentia,aut in eo, quòd ex antecedente vero per malam conſequentiam deducunt conſequens falſum:ſed liberè dicant,illos errare in antecedente: fateantúrque, ſe vti Catholicos ab hæreticis non ſolùm in conſequentia, & conſequente plurimum diſtare, ſed etiam in ipſo antecedente,ne minùs peritis in arte ſint occaſio erroris, dum putant, illos in antecedente ab Eccleſia Catholica damnato cum hæreticis conuenire.

Cōc.Trid.

Accedit, quòd ſi hæretici non errarent in ipſo antecedente,ſed cū Catholicis in eo rectè ſentirēt, tota controuerſia inter Catholicos, & hæreticos horum temporum eſſet non de re, ſed de modo loquendi,quod nō puto verū:ſi enim conſtaret, & conueniret de re,puto quòd ad tollēdas ſciſſuras concederētur nomina,vt nō ſemel docuit Auguſt. Sequelā probo.Nullus ferè hæreticorū(ſi vnū,aut duos excipias)dixit,voluntatē humanā neceſſitari neceſſitate abſolutè abſoluta:nullus etiā poſuit in volūtate eā neceſſitatē naturalis determinationis, quæ prouenit à cauſa intrinſeca,ſed omnes ponūt in illa neceſſitatē prouenientē à cauſa extrinſeca, nēpe à diuina præſcientia, diuino decreto, & diuina motione:nullus dixit,hāc neceſſitatē prouenire ex ſecundis cauſis,ſed tātùm ex prima cauſa, neque alio modo eā ponunt, niſi ex ſuppoſitione diuinę præſcientię,decreti,& motionis:nullus etiā,vno,aut altero excepto, vocat illā neceſſitatem omnino abſolutam in ordine ad obiectū creatū, ſed neceſſitatem immutabilitatis,& ineuitabilitatis.Cùm autē autores dictæ reſponſionis hęc omnia admittant,& in eo ſolùm differant, quòd hæretici nolunt voluntatē creatā, quæ ſubſtat huic neceſſitati,debere vocari liberā, illi verò vt Catholici eā nihilominus eſſe liberā:tota cōcertatio inter hos,& illos erit ſolùm in hoc,an volūtas,vt ſubſtans huic neceſſitati,dicenda ſit libera,nec ne. Et ſic tantus apparatus, & ſtrepitus erit ſolùm de modo loquendi, quod vtrùm verum ſit, aliis relinquitur iudicandum.

IX. Quintò argumentātur pro eadē ſententia. Vel iſta ſuppoſitio antecedēs ex prima cauſa neceſſariò infert actū in ipſa volūtate creata, ita vt reſiſtere nō poſſit,vel non.Si nō,illa non erit neceſſitas antecedēs,de qua modò loquimur,quia neceſſitas antecedens,vt conſtat ex Anſelmo,& Auguſtino,eſt illa,quæ neceſſariò cauſat rem: ponamus verò,quòd voluntas illi reſiſtat,quod fieri poteſt, quia poſſibili poſito in eſſe,nullū ſequitur impoſſibile,ex primi Poſter.c.12. illa neceſſitas antecedens nullū effectū cauſabit.ergo nō erit neceſſitas antecedens,de qua modò diſputamus. Si autē dicatur, quòd iſta ſuppoſitio antecedens neceſſariò infert effectū,ita vt voluntas reſiſtere non poſſit. ergo tollit libertatē ipſius voluntatis:nō enim eſt intelligibile,quòd aliquid aduenat voluntati ſine eius conſenſu,& ipſam voluntatem neceſſariò inclinet in vnam partem, & ad vnum actum determinatum, & nihilominus volūtas maneat libera: hæc enim omnia repugnant definitioni, & conditionibus veræ libertatis ſuperiùs declaratis.

Ariſtoteles.

Sextò ſi cū neceſſitate ex ſuppoſitione antecedente proueniente ex prima cauſa ſtat libertas voluntatis creatæ: ergo etiam bruta poſſunt dici prædita libertate Probatur ſequela, nam ſecundæ cauſæ creatæ non habent ex ſe neceſſitatem in agendo,quam vocant abſolutam, ſed ſolùm illam, quam illis indidit prima cauſa pro libito,& beneplacito ſuæ voluntatis.

Septimò poteſt probari autoritate omniū illorū Doctorū,qui dicunt,nō poſſe effectū prouenientē à duabus cauſis prima & ſecūda, prouenire à prima neceſſariò,& ineuitabiliter & à ſecunda liberè, & euitabiliter.Ita docēt Scotus,Gregorius Ariminēſis,Gabriel,Th.VValdenſis,& alij, quos referemus lib.4.nā cùm ſuppoſitio antecedens ſit cauſa prior,& voluntas ſit cauſa poſterior. ſi ſuppoſitio antecedēs etiā primę cauſę vniuerſaliſſimę eſt neceſſaria,& neceſſitatem inferens, voluntas nō poteſt liberè,& euitabiliter ſuum effectum cauſare.

Scotus. Ariminēſis. Gabriel. VValdēſis.

X. Tandem probatur eadem ſententia teſtimonio Scholaſticorum. Inprimis enim hanc ſententiam defendere tenentur illi omnes,qui negant, vllum liberū effectū voluntatis creatæ, vt talis eſt,fuiſſe efficaci

efficaciter à Deo prædefinitum ante præuiam determinationem voluntatis creatæ ad eundē effectum, quā ſententiam tenere D. Th. Alex. Alenſ. Bonauenturam, Gregorium, & alios omnes claſſicos Doctores, vno excepto Scoto, qui tamen ambiguus eſt, lib. 4. euidenter monſtrabo: illi enim non alia ratione id affirmant, niſi quia talis prædeſtinatio ſi poneretur, liberum arbitrium impediret. Eodem modo dicere illos oporteret de iſta neceſſitate antecedente etiam ex ſuppoſitione primæ cauſæ. Deinde eandem ſententiam habent defendere omnes, qui negant, voluntatem creatam, vt libera eſt, efficaciter prædeterminari ad actus liberos, antequam libere illa ſeſe ad eoſdem determinet, in qua ſententia cum prædictis conuenit etiam Scotus. Deinde poſſent plerique alij Doctores citari, qui hanc ſententiam conceptis verbis tradunt, & defendunt, ſed aliis prætermiſſis tres tantùm in medium afferam, quos non poteſt eſſe ſuſpicio, quòd partium ſtudio, & non ſolius veritatis illuſtrandæ gratia illam defenderint. Primus eſt acerrimus ille Catholicæ veritatis aduersùs hæreticos propugnator Thomas VValdenſis, & S. Ordinis Carmelitarum illuſtrator, ille ſine dubio in ſæpè citato lib. 1. Doctrinalis fidei cap. 25. & 28. ita clarè, & diſtinctè illam tradit, probat, & contrariæ opinionis fundamenta euertit, vt mirum ſit, auſum fuiſſe affirmare Ripam in primam part. quæſt. 19. art. 8. diſput. 1. c. 10. in fine, ipſum VValdenſem non dixiſſe, omnem neceſſitatem antecedentem, vndecunque illa proueniat, etiam à prima cauſa, cum libertate arbitrij repugnare. Secundus eſt Bartholomæus Medina in 1. 2. D. Thom. q. 10. art. 4. vbi propoſita quæſtione, vtrùm voluntas pro eo inſtanti, in quo elicit actum liberum, debeat dici libera, an ſolùm in inſtanti præcedente: in §. *Argumenta verò*, expreſsè docet, neceſſitatem ex ſuppoſitione non tollere libertatem, quia quod ſupponitur, eſt in noſtra poteſtate, vt ſit, vel non ſit; & ne quis putet, quòd in illius ſententia nulla ſit neceſſitas ex ſuppoſitione antecedente, quæ libertatem tollat, ſtatim ſubiungit: *Sed vt diligentius elucidetur, intelligendum eſt, quòd quædam neceſſitas ex ſuppoſitione auſert libertatem, veluti cùm id, quod præſupponitur, iam eſt neceſſarium, quemadmodum ſi Adam fuit, non eſt poteſtas, vt non fuerit, ſiquidem ad præteritum non eſt potentia. Cæterùm ſi id, quod præſupponitur, & ſtatuitur, adhuc manet liberum, & contingens, non auſert libertatem: vt ſi præſupponitur, & ſtatuitur, Petrum currere, aut eſſe, non tollitur facultas, vt non currat, vel non ſit. Itaque differt inter præteritum, præſens, & futurum, quòd ſi Adam fuit, neceſſe eſt, fuiſſe. Verùm ſi Petrus eſt, non eſt neceſſe, vt ſit; & ſi Petrus naſciturus eſt, non eſt neceſſe, vt naſcatur.* Sentit igitur hic autor, ad hoc, vt ſuppoſitio non auferat libertatem, oportere id, quod præſupponitur, manere liberum, & contingens: & ne quis dicat, illud manere liberum, & contingens comparatione primæ cauſæ, & hoc ſufficere; declarat cuius comparatione illud debeat manere liberum, & contingens, cùm ait, *Vt ſi præſupponitur, Petrum currere, aut eſſe, non tollitur facultas, vt non currat.* ſcilicet debere manere liberum comparatione ſecundæ cauſæ, à qua ipſe effectus liberè procedit, quæ eſt doctrina D. Auguſt. lib. 5. de Ciuit. cap. 10. & Anſelmi in locis ſuprà citatis.

D.Thom. Alenſis. D.Bonauentura. Arimenſis. Scotus. VValdenſis. Ripa. Medina. Auguſt.

Tertius eſt Ioannes Paulus Nazarius inter noueſſimos ſcriptores, tum eruditus, tum ſincerus in 1. p. D. Thomæ q. 14. art. 13. cont. 6. §. *Secundò notandum.* vbi ſic ad verbum. *Secundò notandum eſt, neceſſitatem effectus ex aliqua ſuppoſitione, tunc ſtare cum contingentia ſimpliciter, vel libertate eiuſdem effectus, quando ſuppoſitio eſt in poteſtate cauſæ illius effectus, vel ſaltē ſuppoſitio eſt connexa cum aliquo, quòd ſit in poteſtate eiuſdem cauſæ.* Quam regulam in fine illius §. probat, & explicat copiosè, docens neceſſitatem cōſequentiæ, & in ſenſu compoſito, quam ibi confundit cū neceſſitate, ex ſuppoſitione, non lædente libertatem, non requirere, vt antecedens ſit cauſa conſequentis, ſed vt in nullo caſu ſit verum antecedens, in quo non ſit verū conſequens.

Paulus Nazarius.

Quòd, ſi quis dicat, eundem autorem eadem quæſt. & art. contr. 2. ad 1. contra 5. concl. docere eſſe aliquam ſuppoſitionem antecedentem, nimirum diuinam prædeterminationem, quæ non ſit in noſtra poteſtate: eam nihilominus ſtare cum arbitrij libertate. & quæſt. 22. art. 4. cont. vlt. ad 4. contra 9. & 12. concl. dicere, influxum primæ cauſæ, ſiue diuinam prædeterminationem requiri, vt voluntas exeat in actum: & illum influxum, non eſſe in noſtra poteſtate: & nihilominus non lædere noſtram libertatem. Reſpondeo ex eiuſdem verbis formalibus, quòd influxus ille non habet rationem determinationis ſtatim, vt recipitur in voluntate, ſed priùs modificatur, & ſecundùm hoc eſt in poteſtate voluntatis, deinde impellit ad mouendum determinatè iuxta modum voluntatis, & tamen cum hoc infallibiliter fortitur euentum ob infinitam, & incomprehenſibilem eius virtutem. Quæ doctrina ſi vera eſt, mihi euidenter ſuadet, inter autores vtriuſque partis ſolam de modo loquendi, non autem de re eſſe controuerſiam, quæ facilè componi poſſit, niſi ſint, qui ex propria ſententia velint eſſe diſcordes: Eſto enim, quòd iſta ſuppoſitio antecedens non ſit in noſtra poteſtate, quoad hoc, quod eſt, illam poni, vel non poni in nobis: tamen non ponit effectum ſuum completum in nobis, niſi vt connexa cum libero arbitrio, & vt exiſtens in poteſtate noſtræ voluntatis.

CAPVT XX.

Soluuntur argumenta primæ opinionis.

NVnc argumentis pro prima opinione adductis ſatisfaciendū eſt, & ad primū reſpondetur, ſuppoſitionem diuinæ præſcientiæ eſſe concomitantem, aut conſequentem, non autem antecedentem, de qua eſt quæſtio. Et ad primam inſtantiam reſpondetur, nullibi reperiri apud D. Thom. neque apud alium probatū autorem, præſcientiam futurorū contingentium maximè quæ ex libera hominis voluntate pendent, eſſe certam ex decreto efficaci antecedente omnem præuiſionem determinationis ſecundarū cauſarum, quod latiùs probabitur lib. 3. c. 21. & lib. 4. c. 11. & ſeq. I.

Ad ſecundam inſtantiā reſpondetur, ſcientiam, de qua loquimur, eſſe ſcientiam viſionis: hæc verò, neque eſt cauſa rerum formaliter loquendo, neque cauſata à rebus, ſupponit tamen res in eſſe, ſicut proprium obiectum, ſicut Patres communiter dicunt, & nos ſuo loco oſtendemus.

Ad tertiam inſtantiā reſpondeo, nihil eſſe certius in doctrina D. Anſelmi, quàm quòd neceſſitas, quæ ſtat cum libertate, ſit ſola neceſſitas conſequens, quæ nihil omnino efficit: & neceſſitatem, qua Chriſtus paſſus eſt fuiſſe neceſſitatem conſequentem, & nullo modo antecedentem, cùm hæc ſint eius formalia verba: *Hac ſequenti, & nihil efficienti neceſſitate, quoniam vera fuit fides, & prophetia de Chriſto, quia ex voluntate, non ex neceſſitate moriturus erat, neceſſe erat, vt ſic eſſet: hic homo*

factus est; hæc fecit, & passus est; hæc voluit, quæcunque voluit. Rursus probatio illa, qua probat, Christum passum esse necessitate antecedente, quia Scriptura, & prophetiæ antecesserunt actualem Christi passionem, videtur viro Theologo non admodum digna. Non enim dicitur suppositio, aut necessitas antecedens antecessione temporis, vel æternitatis ad tempus, sed antecessione aliqua in ratione causæ in diuina cognitione.

II. Ad secundum argumentum principale respondetur, res, quas Deus ab æterno decreuit, esse in duplici differentia, quasdam, quas Deus se solo vult efficere, sine concursu, & operatione secundarum causarum, maximè liberarum: quasdam, quas decreuit, non efficere se solo, sed dependenter à secundis causis liberis, vt tales sunt. Eodem modo decretum, quo decreuit res primi generis, est decretum antecedens, & suppositio talis decreti est suppositio antecedens: decretum verò, quo decreuit res secundi generis, est decretum concomitans, vel consequens, & suppositio talis decreti est suppositio concomitans, vel consequens, vt lib. 4. euidenter demonstrabitur.

Ad tertium respondetur, diuinam prouidentiam respectu eorum, quorum Deus est causa sine libera voluntate creata, facere suppositionem antecedentem, non autem respectu eorum, quorum Deus est causa non sine libero concursu, & cooperatione voluntatis creatæ. Cùm dicitur, diuinam prouidentiam esse omnium rerum causam, & ideo omnia antecedere; respondetur eodem modo, quo est causa, eodem antecedere; respectu eorum, quorum est tota causa, totaliter antecedit: sed respectu eorum, quorum non est causa, nisi adiungendo sibi voluntatem creatam, non antecedit liberam determinationem eiusdem voluntatis creatæ, de qua antecessione modò loquimur.

Ad quartum respondetur, suppositionem diuinæ prædestinationis, quoad aliquos effectus esse antecedentem, puta quoad præparationem gratiæ ab æterno, & positionem eiusdem gratiæ in prædestinato: quoad alia verò est suppositio concomitans, vel consequens, nimirum quoad liberum consensum voluntatis creatæ, opera meritoria, & collationem æternæ gloriæ.

III. Ad quintum respondetur, suppositionem diuinæ præmotionis efficacis, quoad id, quod est, Deum ponere in nobis talem præmotionem, esse suppositionem antecedentem: sed quoad id, quod est voluntatem creatam sic motam à Deo, elicere actum liberi consensus, est sine dubio suppositio concomitans, vel consequens. Ad illam verò Augustinus autoritatem adductam ex D. Augustino in cap. Vatis iræ 23. quæst. 4. respondeo, textum illum corruptum, & deprauatum allegari, non enim dicit, necessaria fiunt per necessitatem diuinæ motionis, sed per necessitatem diuinæ notionis. Est verò latum nimis discrimen inter motionem, & notionem, & necessitatem motionis, & notionis: sed fortasse arguens codicem mendosum ostendit. Poterat tamen ex verbis August. antecedentibus, & consequentibus, verum illius sensum facilè percipere.

IV. Ad sextum respondeo, falsum omnino esse illud assumptum: manente indifferentia iudicij rationis, manere veram libertatem in vsu, quidquid superueniat, vel antecedat, vel comitetur voluntatem, vt satis euidenter monstratum est suprà cap. 8. dicere nanque, quod manente indifferentia iudicij, manet libertas, quidquid voluntati superueniat, vel illam antecedat, vel comitetur, nihil aliud est dicere, nisi rationem libertatis in solo intellectu, & non in voluntate essentialiter positam esse. & præter rationes ibi adductas, potest falsitas huius assumpti probari ex eo, quia illud, quod mouet solùm per modum causæ finalis, non potest mouere cum indifferentia, nisi potentia, quæ mouet per modum efficientis, sit de se indifferens, & vt talis supponatur: sed ratio non mouet voluntatem nisi per modum causæ finalis. Ergo per solam indifferentiam iudicij rationis ipsa voluntas non potest moueri indifferenter indifferentia ad veram libertatem necessaria, nisi ipsa de se supponatur indifferens per modum causæ efficientis. Ergo vanissimum est commentum, voluntatem manere liberam, quidquid illam antecedat, vel illi veniat, manente indifferentia iudicij rationis.

Hoc verò magis declaratur tali pacto. Sicut finis non dat efficienti vim efficiendi, sed illam in eo supponit, & solùm mouet excitando in efficiente amorem, & desiderium sui: ita indifferentia iudicij rationis, quæ est solùm indifferentia causæ finalis, non tribuit voluntati vim indifferenter se mouendi, sed illam in voluntate supponit, & solùm excitat in voluntate desiderium, ad appetendum finem cum tali indifferentia. Et licèt indifferentia iudicij rationis, dicatur libertatis radix, & origo, non tamen ita est radix illius, vt tribuat voluntati suam libertatem in alio genere causalitatis, nisi in genere finis.

Præterea cùm nulla potentia possit exire in actum secundum sine actuali Dei influxu, & concursu, & cùm iudicium rationis, & electio voluntatis sint duo actus distincti, quis prohibet, Deum influere cum intellectu in actum iudicij, & suspendere influxum necessarium voluntati, vt illa exeat in actum secundum, & sic voluntatem, manente indifferentia iudicij rationis, non posse elicere actum liberum?

Præterea cùm iudicium rationis sit prius, & electio libera sit posterior, & omne prius possit per diuinam potentiam esse sine suo posteriori, quis prohibet per diuinam potentiam, manente indifferentia iudicij, non manere voluntatem liberam in vsu, & exercitio?

Præterea quis dubitat primos motus gratiæ excitantis, & etiam primos motus tentationum esse in nobis cum indifferentia iudicij, & tamen non esse motus liberos? illud ergo assumptum omnino negandum est, quo negato corruit totum argumentum.

V. Ad septimum argumentum, negatur omnino necessitatem conditionalem, vel consequentiæ, quam D. Augustinus, Chrysostomus, D. Thomas, & alij Doctores dicunt, stare cum arbitrij libertate, esse necessitatem ex suppositione antecedente, neque arguens hoc probauit. Augustinus. Chrysost. D. Thom.

Ad octauum negatur, eam necessitatem in sensu composito, quam D. Thomas, & cæteri Doctores probati dicunt stare cum arbitrij libertate, eandem esse cum necessitate ex suppositione antecedente, quam isti ponunt. Quæ verò, & qualis illa sit, dicetur infrà cap. 31.

Ad vltimum sumptum ex autoritate Scoti, respondetur, Scotum variè de hac re locutum fuisse: & eius sententiam, prout iacet, communiter in hoc non probari: eam verò conabimur inferiùs legitimè interpretari.

CAP.

CAPVT XXI.

Vtrùm electio necessariò supponat in intellectu iudicium practicum de re eligibili.

Proponitur prima opinio affirmans.

I. SEcundum principale dubium occurrit expendendum, quod oritur ex vndecima, & sextadecima propositione, illud autem est, An ad hoc, vt voluntas eliciat actum liberæ electionis, necesse sit præcedere in intellectu aliquod iudicium practicum vltimatè determinatum de obiecto eligibili. Intelligo verò nomine obiecti omne illud, quod proponitur voluntati, vt eligibili, sub ratione medij indifferentis ad finem. In hoc dubio sunt duæ opiniones contrariæ, quas vniuersaliter intellectas puto ambas aliquid falsitatis continere. Prima opinio vniuersaliter affirmat, ad omnem electionem requiri præuium iudicium practicum de particulari obiecto eligibili, vel agibili, per quod iudicium ratio omnibus inspectis, & consideratis iudicet, & dictet, hoc, hîc, & nunc esse eligendum, & faciendum. Hoc iudicium sub aliis terminis vocant iudicium per modum dictantis, & imperantis. Hanc sententiam defendunt Doctores nonnulli præclari nominis inter recentiores, ex quibus Medina in 1. 2. q. 9. art. 3. eiusdem meminerunt Suarez disp. 19. Metaph. sect. 6. Vazquez in 1. 2. disp. 44. c. 1. Lessius in disp. Apolog. cap. 2.

Medina. Suarez. Vazquez. Lessius.

Probatur ab illis hæc opinio primò autoritate Philosophi in secundo de anima textu 154. vbi docet, voluntatem non moueri ex sola apprehensione boni, vel mali, sed præter apprehensionem requiri etiam æstimationem, & opinionem, qua iudicetur hoc esse bonum, & prosequendum; illud malum, & fugiendum; & absque huiusmodi æstimatione, & opinione, perinde hominem affici apprehensione mali, & terribilis, sicut afficitur ex intuitu, & contemplatione picturæ. & lib. 3. textu 30. dicit, quòd tunc appetitus aliquid prosequitur, vel fugit, cùm intellectus affirmando dicit, aliquid esse bonum, vel malum. Et inferiùs docet, voluntatem non moueri à simplici intellectu speculatiuo, sed tantùm ab intellectu practico: intellectus autem practicus est ille, qui iudicat, & dictat hoc, nunc & hîc esse faciendum, &c.

II. Secundò idem probant autoritate D. Thomæ, nam in 2. dist. 24. quæst. 2. art. 1. & 1. 2. quæst. 9. art. 1. dicit, quòd sicut appetitus sensitiuus non mouetur per solam imaginationem, ita voluntas non mouetur ex sola apprehensione, sed mouetur ab intellectu practico.

D. Thom.

Tertiò voluntas non mouetur, nisi ab obiecto cognito, & sibi proposito sub ratione eligibilis, vt constat tum ex Philosopho in 3. Ethic. cap. 2. dicente, electionem esse desiderium præconsiliati. Tum ex D. August. lib. 8. de Trin. cap. 4o. sed ista cognitio, & propositio obiecti sub ratione eligibilis non potest fieri absque iudicio practico. Requiritur ergo iudicium.

Aristoteles. Augustinus.

Quartò, si posset voluntas eligere absque huiusmodi iudicio, posset operari absque suo proprio obiecto, quod est impossibile. Probatur sequela, quia obiectum voluntatis, vt est electiua, nullum aliud est, nisi bonum apprehensum, & iudicatum conueniens.

Quintò, sicut quicunque agit, propter finem agit, ita quicunque eligit aliquid, vt medium ad finem illud eligit, quia ratio iudicat illud esse medium proportionatum ad finem.

Sextò, si quæramus ab aliquo, quare hoc, vel illud agat, respondebit statim, quia ratio mihi dictat, hoc esse faciendum. Et D. Bernard. air, *Licèt voluntas non semper moueatur ex ratione: tamen mouetur semper cum ratione.* Docet igitur experientia, nullam esse electionem sine præuio iudicio. D. Bern.

Septimò, si sufficeret sola apprehensio obiecti absque iudicio practico ad perficiendam electionem, omnia essent æquè eligibilia, & æqualiter appetenda, vel fugienda: nam æquè apprehenditur beatitudo, vt mala, & miseria, vt bona. Adhuc ex sola apprehensione propriæ necis homo tristaretur, etiamsi nullum sibi immineret periculum, & homo libenter seipsum interimeret, quia hoc potest apprehendi, vt bonum.

Octauò eodem modo apprehendunt homo cordatus, & homo excors hanc propositionem, bonum est me in puteum proiicere: & tamen homo sanæ mentis non se proiicit in puteum, quia vltra apprehensionem adhibet rectum iudicium, quo iudicat, non esse bonum, se in puteum proiicere: homo verò insanus ideo se in puteum proiicit, quia adhibet iudicium prauum, quòd sit bonum se proiicere.

III. Hæc opinio, quanuis in multis casibus vera sit, tamen vniuersaliter, & absolutè intellecta est falsa, quod multipliciter probo.

Primò nanque experientia ipsa nos docet, quòd etsi ad electionem semper requiratur aliquod iudicium, non tamen semper requiritur illud iudicium vltimum, & determinatum, quo ratio omnibus inspectis dictat hîc, & nunc hoc esse eligendum, (de hoc enim iudicio omnibus inspectis absoluto est solùm quæstio.) Quis nanque mortalium in omni sua electione non priùs eligit, quàm iudicauerit de obiecto eligibili inspectis omnibus illius rationibus, & conditionibus, & circumstantiis, secundùm quas potest habere rationem eligibilis, vel non eligibilis? Nullus profectò. Res ita est clara, vt nullæ sophismatum nebulæ illam offundere possint.

Secundò accedit, quòd si ad omnem electionem requireretur istud vltimum iudicium practicum, quod fit omnibus circumstantiis inspectis, sequeretur, non posse esse prauam electionem, & peccatum in voluntate, nisi præcedente errore contra fidem in intellectu. Consequentia deducitur euidentissimè; nam iudicium, exempli gratia, quo iudicatur adulterium esse eligibile inspectis omnibus rationibus, & circùstantiis, est iudicium erroneum in fide, quia licèt habeat rationem eligibilis, quatenus est bonum delectabile; tamen quatenus illud bonum delectabile contrariatur bono honesto, & legi iustitiæ diuinæ, & humanæ, non habet rationem eligibilis: & dicere, quòd secundùm hanc rationem illud sit eligibile, est dicere contra fidem Catholicam. Igitur si ad electionem adulterij requiritur istud iudicium practicum vltimatè determinatum, quod fit omnibus inspectis, non poterit esse peccatum in voluntate adulteri, sine præuio errore in intellectu illius.

Dicent fortasse, quòd non affirmant, istud iudicium practicum fieri omnibus inspectis, ita quòd secundùm omnes conditiones, & circumstantias obiectum iudicetur esse eligibile, tale nanque iudicium de re moraliter mala esset erroneum in fide: sed nihilominus, debere istud iu-

dicium fieri omnibus inſpectis, vt omnes rationes inſpiciendo, ſecundùm aliquam ſaltem, iudicetur eſſe eligibile.

Sed hoc eſt debile nimis refugium. Nam ſi ratio non poteſt iudicare obiectum eſſe eligibile, ſecundùm omnes circunſtantias, ſed ſolùm ſecundùm aliquas, quæ neceſſitas eſt, vt in ferendo iudicium de obiecto eligibili inſpiciat omnes circunſtantias, cùm illæ nihil conferant ad talem electionem. Immo impertinens eſt inſpectio omnium circunſtantiarum ad ipſam electionem, cùm multæ ſint conditiones, & circunſtantiæ, quæ ſi conſiderentur, potiùs electionem impediunt.

Dicent, hoc iudicium non eſſe contra fidem, quia non eſt iudicium ſpeculatiuum, quod ſolum ſi ſit erroneum, eſt contra fidem, ſed eſt iudicium practicum. Sed decipiuntur, quia fides eſt non ſolùm de ſpeculabilibus, ſed etiam de operabilibus, & non ſolùm dictat hoc eſſe credendum, ſed etiam hoc eſſe faciendum, vel non faciendum. Et qui diceret, adulterium omnibus inſpectis eſſe eligendum, diceret contra fidem, de qua re videri poteſt Vazquez prima ſecundæ diſput. 128. Vazquez.

IV. Tertiò, ſi ad omnem electionem eſſet neceſſarium iſtud iudicium factum cum inſpectione omnium circunſtantiarum, ſequeretur, falſum eſſe id, quod communiter docent omnes Philoſophi, & Theologi, omne peccatum in voluntate oriri ex ignorantia, vel inaduertentia alicuius rationis, aut circunſtantiæ, quæ debebat aduerti in obiecto, quod proponitur voluntati, vt eligendum, de qua re videri poſſunt Doctores relati à Vazquez loco citato. Sequela euidens eſt: illud enim iudicium, quod fit omnibus inſpectis, non eſt cum ignorantia, aut omiſſione, aut inaduertentia alicuius circunſtantiæ. Sequeretur etiã ex eodem fundamento, nullum eſſe peccatum ignorantiæ, ſed omne peccatum, eſſe peccatum malitiæ, quod eſt non ſolùm contra Theologos, ſed etiam contra Philoſophum in 7. Ethic. cap. 10. vbi diſtinguit inter incontinentem, & malignum, dicens incontinentem ſimilem eſſe ebrio, aut dormienti, malignum verò eſſe eum, qui ſcit, & ex ſcientia prauis vtitur legibus. Ariſtot.

Quartò ſola apprehenſio obiecti ſenſibilis, ſub ratione conuenientis ſufficit ad mouendum appetitum ſenſitiuum. Ergo ſola apprehenſio facta ab intellectu alicuius obiecti ſub ratione conuenientis ſufficit ad mouendum appetitum intellectiuum. Antecedens apparet verum in brutis, & pueris. Conſequentia probatur, quia quanto magis appetitus, & notitia fuerit perfectior, tanto faciliùs poteſt moueri ex ſimplici apprehenſione. Vnde & Angelus ex ſimplici apprehenſione peccauit appetendo æqualitatem Dei.

Dicent, hanc apprehenſionem obiecti ſub ratione boni, & conuenientis eſſe aliquale iudicium, ſed de hoc non curo, neque negari poteſt, requiri ad electionem aliquod iudicium, ſed ſolùm negamus, requiri ad electionem iſtud iudicium, quod fit ex inſpectione omnium circunſtantiarum. Neque dici poteſt, motum, qui ſequitur hanc ſimplicem apprehenſionem obiecti ſub ratione conuenientis, non eſſe verè electionem; quia ſequeretur, quòd appetitus, quo Lucifer appetiuit diuinam æqualitatem, non fuiſſet vera electio, & ſic non fuiſſet peccatum.

V. Quintò eſt electio interpretatiua, quæ poteſt esse culpabilis, vt docet D. Thom. 1.2. quæſt. 6. art. 3. & poſt illum, & Durandum, Capreolus in 2. diſt. 24. quæſt. 1. art. 3. ad primum argumentum. ſed ad electionem interpretatiuam nullum requiritur iudicium practicum, quale iſti fingunt, cùm illa non ſit actus poſitiuus, ſed potiùs omiſſio actus, quem voluntas debebat apponere. D. Thom. Durandus. Capreolus.

Sextò experientia docet, non requiri in omni electione iudicium illud dictatiuum, & imperatiuum, quo ratio imperat voluntati, hoc eſt tibi eligendum, vel faciendũ. Conſtat enim multoties viſo obiecto delectabili, ſtatim illud appetere, & continuare illius deſiderium, abſque eo, quòd intellectus dicat, hoc fac, illud appete. ſufficit ergo ad electionem ſola obiecti apprehenſio, abſque iſto iudicio vltimatè determinato.

Tandem ex ſententia communi Theologorum imperium rationis dictatiuum ſequitur electionem, & illam ſupponit, ſaltem vt in pluribus, vt colligitur præcipuè ex D. Thoma 1. 2. quæſt. 17. art. 2. & expreſsè docet Soto de Iuſt. & iur. quæſt. 1. art. 1. idque concedunt etiam nonnulli ex iis, qui hanc primam ſententiam defendunt, ex quibus eſt Medina 1. 2. quæſt. 16. artic. 4. & quæſt. 17. art. 2. & 3. maximè in §. *Pro cuius intelligentia.* quamuis in fine videatur oppoſitum docere, quippe qui à veritate diſcordans, neque ſibi ipſi conſtare poterat. quod ſi verum eſt, iam apparet, tale iudicium dictatiuum, & imperatiuum non ſolùm non eſſe neceſſarium ad electionem, ſed potiùs impoſſibile eſſe, vt electio illud ſupponat. D. Thomas. Medina.

CAPVT XXII.

Secunda opinio expenditur, & veritas decernitur.

EST ſecunda opinio, quæ abſolutè negat, requiri ad electionem iſtud vltimum iudicium practicum factum omnibus inſpectis; ſed ait, ſufficere ſimplicem apprehenſionem obiecti, ſub ratione conuenientis. ita ſentiunt Scotus 2. d. 6. q. 1. ad 1. Gabriel ibidem q. 1. art. 3. dub. 2. Maioris ibidem, quæſt. 1. Marſilius, Holcot & alij, quos refert, & ex parte ſequitur Vazquez 1. 2. diſput. 44. cap. 2. fundamenta huius ſententiæ ſunt potiſſimùm illa, quibus reiecimus primam opinionem. I. Scotus. Gabriel. Maioris. Marſilius. Holcot. Vazquez.

Hæc tamen opinio indiſtinctè, & vniuerſaliter prolata non videtur vera. Non enim negari poteſt, eſſe aliquam electionem, ad quam neceſſarium ſit præuium conſilium, cùm ipſa electio ſit deſiderium rei præconſiliatæ. Conſilium verò nõ ſufficit ad ipſam electionem ſine iudicio practico, vt ſtatim dicetur. Quare aliqua ſaltem electio abſque iudicio practico, fieri nequit.

In hac igitur opinionum varietate diſtinctione opus eſſe arbitror. Sit ergo prima diſtinctio. Duplex eſt iudicium, aliud comparatiuum, aliud abſolutum. Iudicium comparatiuum eſt illud, quod fit de obiecto eligibili comparando illud cum aliquo obiecto, vel aliquam eius rationem cum alia ratione, quod idcirco in nobis fit mediante conſultatione, & inquiſitione: nam conſilium ſe habet ad iudicium, ſicut præmiſſæ ad concluſionem, quia iudicium eſt concluſio conſilij, & ſyllogiſmi practici, & ſicut conſultationes iuris prudentum ad ſententiam, quæ fertur à iudice, vt docet D. Thomas communiter receptus in 1. 2. quæſt. 14. art. 1. Iudicium autem abſolutum II. D. Thom.

absolutum est illud, quod fit de re per solam apprehensionem eiusdem rei sub ratione conueniẽtis,vel disconuenientis,quo pacto videmus, pueros ex sola apprehensione absque aliquo discursu, vel consilio affici tristitia, vel lætitia: & non solùm pueros, sed etiam homines rationis vsu pollentes ex sola apprehensione rei,etiam impossibilis,vt magnæ alicuius dignitatis, vel boni delectabilis detineri à vehementissima cogitatione, & ex ea vehementer etiam oblectari, & moueri affectu. Vel fit tale iudicium per solam compositionem sine syllogismo, vt cùm quis apprehendit obiectum sub duplici ratione, puta boni,& possibilis,vel sub ratione mali,& imminentis, ex qua duplici apprehensione oritur opinio, quæ non est sine cõpositione,cùm opinio sit cum affirmatione, & negatione. Ad opinionem verò reducitur motus spei,& timoris; desiderij, & fugæ: & hoc est, quod voluit dicere Aristoteles loco citato ex 2.de Anima text. 154. quòd cùm opinamur, aliquid malum esse,aut terribile, continuò perturbamur: at cùm solùm imaginamur talia, perinde afficimur,ac si picturam intueamur.

Arist.

III. Secundò recolenda est distinctio superiùs tradita de duplici electione formali, seu propriè dicta, & interpretatiua, quæ non ita strictè habet conditiones electionis. Electio formalis propriè, & strictè accepta, necessariò supponit consilium, cùm sit desiderium rei præconsiliatæ, vt sæpè dictum est. Electio verò interpretatiua non ita strictè accepta,non supponit necessariò consultationem: quia talis electio non est solùm desiderium illud efficax alicuius determinatæ rei præconsiliatæ,sed nomine electionis interpretatiuæ intelligitur quicunque actus appetitiuæ virtutis sequentis apprehensionem alicuius obiecti sub ratione conuenientis: immò verò etiam omissio alicuius actus, quem voluntas post huiusmodi apprehensionem debebat apponere,& non apposuit.Quod patet exemplo eius,qui ex simplici apprehensione pulchritudinis fœminæ excitatur ad turpem cogitationem,& aduertens perseuerat, & delectatur ex ea, qui potest peccare, etiamsi non habeat actuale propositum peccatum perficiendi, vt tradunt D.Bonauentura in 2.dis.24. in expositione literæ Magistri.& D.Thomas, Antoninus, & alij,quos refert,& sequitur Nauarrus noster tũ in Manual.cap.11.n.13.tum in Comm. cap. cogitationis.de Pœnitentia dist.1.n.12. & alij post D. Thom.1.2.quæst.74.art.6. ad 8. vnde talis cogitatio,& delectatio saltem interpretatiuè fuit electa, & tamen illam electionem non præcessit aliquod consilium. De qua re videndus etiam Capreolus 2.dis.24.q.1. art.3. ad 1. contra primam concluſ. & ad 4.5.6. contra 3. concluſ. Est etiam alia differentia inter hæc duo genera electionis, quòd electio formalis, cùm sit motus voluntatis in obiectum, semper est de solo medio ad finem, non autem de fine ipso. Electio verò interpretatiua non est necessariò motus in medium, sed potest esse immediatè in ipsum finem.

D.Bonau. D.Thom. D.Antonin. Nauar. Capreolus.

IV. Ex his distinctionibus facilè eruitur veritas præsentis quæstionis, & conciliari aliquo modo possunt ambæ opiniones.Primò nanque si sit sermo de electione formali strictè accepta,dicẽdum est, ad omnem huiusmodi electionem necessariò requiri iudicium practicũ,comparatiuum factum præcedenti consilio.Hæc cõclusio probatur, quia huiusmodi electio non est nisi obiecti, quod est medium indifferens ad finem,vt tale est,quódque vel est medium indifferens ex eo, quia plura sunt media ad finem:vel saltem,quia in eo possunt cõsiderari plures rationes,secundùm quas potest iudicari, non habere necessariam habitudinem ad ipsum finem. Quare ad hoc,vt volũtas potiùs eligat hoc mediũ,quam illud,vel hanc rationẽ,quàm illam, consilio, & comparatione opus est. consilium verò nihil prodest sine deliberatione, & iudicio,quod est determinatio consilij. Vnde de primo ad vltimum ad electionem formalẽ opus est iudicio practico comparatiuo,determinato.

Potest etiã cõfirmari hæc veritas ex definitione electionis,quæ est,vt sit desiderium rei præconsiliatæ: nihil autem prodest consilium ad electionem,si non sequeretur iudicium.

Deinde experientia docet,de medio, quod est vnicum ad finem,& vnicam tantùm habet rationem in ordine ad illum, non esse electionem: quia efficax intensio finis necessariò est volitio talis medij.

V. Secundò dicendum est, ad hoc,vt fiat istud iudicium practicum comparatiuum,non necesse esse inspicere omnes circunstantias, & omnes rationes considerabiles circa obiectum eligibile,sed sufficere aliquas tantùm considerare, secundùm quas iudicari possit, vt mediũ conueniens ad cõsequendum finem,immo hîc, & nunc conuenientius aliquo alio medio. Hæc concluſio probatur argumentis factis contra primam opinionẽ. Probatur etiam experientia, pauciſſimi enim sunt, qui etiã in rebus grauiſſimis,ad omnia respiciant, & omnia considerent, & hinc oritur, quòd in rebus agendis multoties post consilia sequuntur pessimæ deliberationes: quia non aduertimus ad omnia, neque rectè excogitamus rationem agendorum,quæ est ipsum iudicium practicum,necessarium ad electionem,vt ait Cic. lib.2. de Inuentione.

Cicero.

VI. Tertiò videtur dicendum, ad electionem latè acceptam,& interpretatiuè dictam, sufficere iudicium absolutum, quod fit de re,vel per solam apprehensionẽ obiecti sub ratione conuenientis,vel ad summum per solam compositionem,nõ autem requiri illud vltimum iudicium practicum factum per syllogismum, & discursum.Hanc puto patere argumentis superiùs adductis.

Argumenta verò in contrarium adducta quatenus militare videntur contra has concluſiones, nullius sunt momenti. Nam ad primum respondetur, sensum primæ, & secundæ autoritatis ex Arist. depromptæ esse istum,quòd non sufficit ad mouendam voluntatem quæcunque apprehensio, sed requiritur, vt sit apprehensio obiecti sub ratione conuenientis, vel disconuenientis, vel ad summum requiritur compositio per affirmationẽ, aut negationem: non autem requiritur semper consilium, & discursus. In tertia verò autoritate Arist. loquitur de motu,quo voluntas mouet potentias ad exercitium operis.

Ad secundum sumptum ex autoritate D. Th. respondetur eodem modo.

Ad tertium, quartum, quintum & sextum respondetur, quòd probant esse necessarium ad electionem præuium iudicium practicum, quo iudicetur obiectum esse appetibile,vel etiam esse medium proportionatum ad finem:non autem probant, esse necessarium iudicium practicum comparatiuum,quod fit omnibus inspectis,de quo solo est quæstio.

Ad septimum negatur sequela, non enim dicimus sufficere ad electionem qualemcũque apprehensionem obiecti, sed sufficere,& requiri apprehensio

henſionem ſub ratione conuenientis, & boni, & appetibilis. Quod autem additur, beatitudinē poſſe apprehendi, vt malam, pluſquam falſum eſt, niſi loquamur de apprehentione ficta, quæ voluntatem mouere non poteſt.

Ad octauum reſpondeo, falſum omnino eſſe, quòd eodem modo apprehendant homo ſanæ mentis, & homo mentis inſanæ, bonum eſſe, ſe in puteum proiicere, niſi de fictitia apprehentione ſit ſermo.

CAPVT XXIII.

An poſito iudicio practico neceſſariò ſequatur electio. Opinio affirmans reuocatur.

I. TErtium dubium principale oritur circa eaſdē propoſitiones, An poſito iudicio practico de particulari obiecto eligibili, neceſſariò ſequatur electio. Circa quod dubiū eſt prima opinio affirmatiua, quam nonnulli recentiores cum primis docti, & eruditi defendūt, aſſerentes, quòd poſito in intellectu iudicio practico vltimatè determinato, & dictatiuo non poteſt non ſequi electio in voluntate.

Argumenta, quibus ſuam opinionē defendunt, Bellarmin. potiſſima ſūt, quæ affert Cardinalis Bellarminus libr. 3. de lib. arbitrio c. 8. propo. 6. §. *Probatur nunc.* Primum ſi cùm eſt iudicium plenè determinatum ad vnum, voluntas poteſt aliud eligere, aut illud non eligere, nulla reddi poterit ratio, cur volūtas illud non iudicatum elegerit, aut illud iam iudicatum non elegerit: atque ita dabitur electio ſine iudicio, & actio ſine obiecto.

Secundò appetitus beſtiarum ideo eſt determinatus ad vnum, quia cognitio ſenſitiua eſt determinata ad vnum. Rurſus voluntas humana reſpectu vltimi finis eſt determinata ad vnum quoad ſpecificationem, quia iudicium rationis eſt determinatum ad vnum, nec poteſt repræſentare vltimum finem, niſi ſub ratione boni. Denique volūtas beatorū reſpectu vltimi finis eſt determinata ad vnum, etiam quoad exercitium, quia iudicium rationis repræſentans vltimum finem ſub ratione boni, ſemper eſt præſens, & perfectè applicatum mentibus beatorū. Ergo à ſimili in quacunque re particulari eligenda voluntas erit determinata ad vnum quoad ſpecificationem, & quoad exercitiū, & reipſa neceſſariò eliget, quando aderit præſens iudicium practicum, & particulare dictans hīc, & nunc, omnibus conſideratis hoc eſſe eligendum: nam tale iudicium repræſentat rem tantùm ſub ratione boni, pro eo tempore, vt eſt præſens, & perfectè applicatum.

Tertiò, ſi poſſit fieri, vt quis eligeret contra dictamen vltimi iudicij practici, poſſet etiam fieri, vt in volūtate eſſet peccatum ſine vllo errore, vel defectu in ratione, & intelligentia, quod licèt aduerſarij admittant, videtur tamen eſſe contra diuinam Scripturam Prou. 14. & doctrinam Philoſ. Ariſtoteles. lib. 3. Eth. cap. primo 3. & 5. & lib. 6. cap. 12. & 13. & lib. 7. cap. 3. & lib. 3. de Anim. text. 58.

II. Cōtraria tamen ſententia abſque omni dubio veriſſima eſt, quòd poſito quocūque iudicio practico vltimatè determinato circa quodcūque eligibile, voluntas humana pro hoc ſtatu poteſt, aut aliud eligere, aut ſaltem illud obiectum non eligere. Quæ aſſertio eſt ipſa mens D. Thomæ tū in 1. part. q. 82. a. 1. & 2. tum in 1. 2. q. 10. art. 2. Docet D. Thom. enim D. Th. nullum obiectum propoſitū volūtati ſub ratione boni poſſe neceſſariò voluntatē mouere pro hoc ſtatu, ſiue quoad exercitium, ſiue quoad ſpecificationē actus, excepto obiecto, quod eſt vltimus finis: ſed iudicium rationis quantumcunque determinatum, non poteſt voluntatē mouere niſi proponendo illi obiectum, vt idem autor docet d. quæſt. 82. a. 4. & 1. 2. quæſt. 9. art. 1. Vnde in via S. Th. pluſquam certum eſt, poſito quocunque iudicio practico quantumcunque determinato, poſſe voluntatem pro ſua libertate non eligere obiectum ſibi propoſitum. Eidem ſententiæ ſubſcribūt Scotus 2. diſ. 25. q. vn. lit. B. Henricus Gandau. quodl. 1. q. 16. Anton. And. lib. 9. Metaph. q. 2. Suarez q. 19. Metaph. ſect. 6. Vaſq. 1. part. diſp. 67. n. 14. Dominicus Bañes (licèt citatus pro cōtraria ſententia) 1. part. q. 83. a. 1. dub. 2. con. 2. docet. n. ibi loci, quòd poſito quocūque iudicio rationis circa obiectum conueniens voluntati, poteſt voluntas non eligere illud, & nō mouere potentias ad vsū illius, & ab hoc in voluntate eſt formaliter libertas. Et ratione 4. pro eadem cōcluſione dicit, quòd illa ſola eſt potentia libera, quæ poſitis omnibus neceſſariò requiſitis ad conſtituendam illam in actu primo, poteſt exire, vel non exire in actum ſecundum. Modò inter alia requiſita quis dubitat, debere connumerari iudiciū rationis de obiecto eligibili? Quinimmo & Medina licèt contrarium Medina. docens, tamen in 1. 2. q. 9. art. 1. dub. vlt. ad penult. argumentum inquit: *Sicut voluntas iudicante intellectu, bonū eſt diligere Platonem, poteſt non diligere: ita & poſtquam capit diligere, eſt libera ad non diligendum, & poteſt ceſſare ab actu.*

Scotus. Gandau. Ant. Andr. Suarez. Vaſquez. Bañes.

Probatur verò hæc ſententia euidentiſſimis rationibus, quarum illa efficaciſſima videtur, quā inſinuat D. Th. loco proximè citato, eſt autem huiuſmodi. Iudicium rationis quantumcunque practicum, & vltimatè determinatum, nullo alio modo poteſt voluntatem mouere, niſi per modum cauſæ finalis, proponendo voluntati tale obiectū, & ſub talibus rationibus, & circūſtantiis, ſub quibus voluntas excitetur ad illud deſiderādum: ſed nullum obiectū creatum, ſub quauis ratione proponatur voluntati, pro hoc ſtatu viæ poteſt volūtatem excitare ad neceſſariò amandum, & deſiderandum, ſiue quoad ſpecificationem, ſiue quoad exercitium. Sine ratione igitur aſſeritur, voluntatem à iudicio rationis quantumcunque practico, & vltimatè determinato, poſſe neceſſitari ad eligendum. Minor propoſitio probatur communi Theologorum omnium conſenſu, poſt D. Th. loco citato. Maior etiam propoſitio eſt recepta ab omnibus non ſolùm Theologis, ſed etiam Philoſophis: in hoc enim omnes conueniunt, intellectū, & voluntatem poſſe ſe quidem adinuicē mouere, ſed non in eodem genere cauſæ: intellectus volūtatē mouet in genere cauſæ finalis, voluntas verò mouet intellectum in genere cauſæ efficientis. Et ita expreſsè inter alios D. Thomas 1. con. Gent. D. Thom. cap. 78. ratione 6. ſic dicens: *Quamuis intellectus non ſecundum modum cauſæ efficientis, & mouentis, ſed ſecundum modum cauſæ finalis moueat voluntatem, proponēdo illi ſuum obiectum, quod eſt finis.* De qua re videri poſſunt Doctores poſt ipſum D. Th. prima part. q. 80. a. 2. vbi Caietanus, & Bañes, & q. 82. a. 4. Caiet. & 1. 2. q. 9. a. 1. Quare, quod ait Medina d. q. 9. a. 1. Bañes. Medina. intellectum mouere voluntatem efficienter, licèt non per quemcunque actum, ſed ſolùm per imperium efficax, & iudicium practicum, eſt dictum omnino voluntarium, & contra communem omnium ſenſum. Præter quod iſtud imperium intellectus eſt poſterius ipſa electione, & totam ſuam efficaciam accipit ab ipſa voluntate, quod tādem eſt,

Digitized by Google

est,voluntatem moueri à seipsa,non ab intellectu. Ob quam causam iste Doctor tandem coactus est confugere ad quoddam imperium intellectus naturale,anteuertens omnem actionem voluntatis, quod tamen dari non potest, quia si est imperium naturale,necessariò rapit voluntatem, & omnem destruit libertatem. Quis enim aptior est modus destruendi libertatem,quàm si dicamus,illam rapi per istud imperium efficax,& naturale antecedens omnem actum voluntatis?

IV. Secundò probatur eadem veritas ex receptissima illa definitione potentiæ liberæ, quòd sit illa, quæ positis omnibus necessariò requisitis ad cõstituendam illam in actu primo,adhuc potest non exire in actum secundum. Nullus enim dubitare potest,inter requisita ad constituendam voluntatem in actu primo,numerandum esse istud iudiciũ rationis,per quod intellectus proponit voluntati suum obiectum eligibile, qualecunque iudicium illud sit. Nullus igitur dubitare potest posito huiusmodi iudicio, adhuc voluntatem posse non exire in actum electionis.

Tertiò argumentor in hunc modum. Non maiorem vim potest habere cõclusio syllogismi practici, quæ est ipsum iudicium practicum vltimatè determinatum, ad mouendam voluntatem ad eligendum aliquid,quàm habeat eadem cõclusio ad conuincendum intellectum, vt credat,illud idem esse medium necessarium ad finẽ,& esse necessariò eligibile: sed nullus est syllogismus practicus conuincens esse aliquod medium necessarium, & necessariò eligibile in ordine ad vltimum finem, saltem pro hoc statu viæ.Ergo nullum est iudiciũ practicum,ita determinatum,quo posito necessariò voluntas exeat in actum electionis. Maior est per se nota. Minor est doctrina D.Thomæ 1. p. quæst.82.a.2.si enim esset aliquis syllogismus hoc conuincens,vtique esset ille,qui conuinceret, visionem beatificam esse tale medium; sed pro hoc statu nullus est syllogismus hoc conuincens, vt docet ibi D.Th. Præter quod,si syllogismus concluderet, aliquod medium esse necessarium ad finem,supposita intentione efficaci ipsius finis, voluntas non maneret libera ad eligendum tale medium.

D.Thom.

V. Quartò arguo argumento Scoti. Philosophus in 9.Metaph.text.10.ponit duplex discrimen inter potentias rationales, & irrationales. Primũ quòd potentiæ rationales actiuo, & passiuo debitè approximatis possunt adhuc non agere:irrationales verò præsente obiecto, & debitè approximato nõ possunt non exire in actum secundum. Alterum discrimen est, quòd potentiæ irrationales sunt à natura ad vnum determinatæ; non sic sunt potẽtiæ rationales,sed sunt ex se indeterminatæ,& determinantur à virtute dominante, quæ est appetitus. Ex prima differẽtia sumitur tale argumentũ. Si posito vltimo iudicio practico, voluntas non potest non exire in actum electionis, falsum est, quòd per hoc potentiæ rationales distinguantur ab irrationalibus,quòd potentiæ rationales õbiecto debitè approximato, & facto illis præsente, possint non exire in actum secundum: nam munus iudicij practici nullum aliud videtur esse,nisi proponere voluntati suum obiectum, & illud debitè ipsi approximare.

Huic argumento nonnulli respondent, Arist. ibidem non loqui de potẽtiis, quæ sunt principia actionum,vt intellectus,voluntas, &c. sed de potẽtiis,quæ sunt habitus,vel acquisiti, vt sunt sciẽtiæ,& artes,quos habitus vocat potẽtias rationales,vel naturales,quos vocat potentias irrationales. Vnde argumentum sumptum ex autoritate Philosophi in eo loco non facit ad rem. Et dato etiam,quòd illud discrimen inter potentias rationales, & irrationales haberet locum in istis potẽtiis,quæ sunt principia, & facultates animæ:nihilominus arguens non concluderet, quod intẽdit; quia licèt potentiæ liberæ post vltimum iudicium practicum non possint nõ eligere ex eo, quoniam obiectum non proponitur illis per tale iudicium, nisi sub vna tantùm ratione: tamen præsente obiecto possunt nõ operari,quando proponitur illis aliquod obiectum in quo appareant plures rationes non necessariæ tum boni,tum mali.

Verùm hæc responsio non euacuat dubium, primò quia Arist.ibi loquitur non solùm de potẽtiis,quæ sunt habitus, sed de potentiis, quæ sunt principia agentia mediantibus talibus habitibus, & comparatio facta à Philosopho est non solùm inter ipsas potentias, quæ habent modum habituum,sed multo magis inter potentias,quæ habẽt modum principiorum, vt patere potest cuiuis attendenti ad totum discursum illius.

Secundò, quia non magis necessitatur volũtas ad eligendum, quando obiectum proponitur illi sub vna ratione, quàm quando proponitur illi sub variis rationibus, saltem quoad exercitium: alioquin sequèretur,voluntatem non esse liberam quoad exercitium respectu vltimi finis,quod non potest illi proponi, nisi sub vna ratione boni. Et certè quòd voluntas non necessitetur ad eligendum,non prouenit ex eo, quòd obiectum proponatur illi sub vna, vel pluribus rationibus,sed ex eo, quia non proponitur sub aliqua ratione, sub qua iudicetur esse medium habens necessariam connexionem cum vltimo fine.

VI. Quintò argumentantur nonnulli.Si posito isto vltimo iudicio rationis,quod asseritur esse necessarium, vt voluntas exeat in actum,ipsa voluntas non potest non exire in actum electionis, sed necessitatur ad eligendũ, vanè asseritur,esse necessarium ad veram libertatem seruandam, vt ratio sit indifferens in iudicando ipsum obiectum: nihil enim videtur huiusmodi indifferentia cõferre ad veram libertatẽ, quia quandiu ratio manet indifferens ad iudicandũ,vel iudicat de obiecto,vt indifferenti,nulla sequitur electio,& tũc solùm voluntas poterit eligere,quando ratio protulerit vltimum iudicium suum determinatum, & dixerit, hoc omnibus inspectis est eligendũ,& tunc voluntas necessariò eliget, & non poterit non exire in actum electionis,quod idem est,ac si dicamus,manente indifferentia iudicij, voluntas nihil potest eligere,posita determinatione iudicij, non potest voluntas non eligere. Ergo indifferentia iudicij nihil faciet ad liberam electionem.

CAPVT XXIV.

Probatur sententia negans alio argumento,cuius multiplex solutio refutatur.

SExtum argumentum pro eadem sententia negante est huiusmodi. Vel istud iudiciũ practicum, ad quod necessariò sequitur electio, est naturale,nõ existens in potestate libera ipsius voluntatis, vel est iudicium liberũ existens in potestate voluntatis. Primũ dici non potest,quanuis Medina,& quidam alij dicant,tandẽ deueniendum esse ad aliquod iudicium, & imperium naturale,quod voluntati non subiaceat,& in illo sistendum:quia esto I.

eſto detur tale iudicium naturale, tamen actus voluntatis, qui ad illud neceſſariò conſequitur, non poteſt eſſe actus liber, ſed eſt actus omnino naturalis,& neceſſarius,qualis eſt actus appetitus vltimi finis. Præter quod ſi iſtud iudicium ſit naturale, & poſito tali iudicio, neceſſariò ſequatur electio in voluntate, & nulla ſit alia electio, niſi quæ ad hoc naturale iudiciũ neceſſariò ſequitur, nulla apparet ratio, ob quã homo ſit magis liber circa aliquod obiectum, quàm circa aliud, & ob quam homo cordatus ſit magis liber,quàm homo mentis inops,& puer,& quòd homo magis ſit liber,quàm iumentum:erúntque cõcertationes iſtæ de natura libertatis inter Theologos hæreticos,& Philoſophos nugæ inutiles ad bonas horas malè perdendas excogitatæ.Idque maximè verum erit, ſi dicamus,vt nonnulli dicunt,voluntatem poſito vltimo iudicio practico ita neceſſariò moueri ad eligendum, vt habeat ſe per modum cauſæ naturalis,quæ præſente obiecto,non poſſit non agere.

Quæ nanque vel in ſpecie manet libertas? ſi dicamus voluntatem non poſſe exire in actum electionis, niſi præuio iudicio practico,& iudiciũ practicum requiſitum ad electionẽ eſſe naturale, & non ſubiacens imperio voluntatis, & voluntatem ipſam poſito huiuſmodi iudicio,ſe habere ad modum cauſæ naturalis:loquamur liberè,& dicamus, nullam niſi ſecundùm nomen in nobis manere libertatem.

Si verò dicatur ſecundum, nempe iſtud iudiciũ practicum liberum eſſe, & in poteſtate voluntatis conſtitutum,quærendum eſt à ſic dicentibus, qua ratione illud liberũ dici velint Eſt itaque primus
Durandus. dicendi modus à Durando excogitatus, quòd tale iudicium ſit libetum, quia ratio eſt formaliter libera,non autem ſola voluntas.Verùm hic modus dicendi ſuperiùs reiectus eſt, nec plura ſunt dicenda,quàm quæ diximus cap.7.

Secundus modus dicendi eſt,quòd tale iudiciũ ſit liberum ex eo,quia in poteſtate voluntatis poſitum eſt,illud ponere,vel non ponere.Hic modus dicendi benè ſaluat libertatẽ voluntatis:ſed quæro à ſic dicentibus, vel voluntas habet aliquem actũ circa ipſum iudicium priorem ipſo iudicio, per quem actum poteſt ponere, vel non ponere ipſum iudicium,vel non habet huiuſmodi actum. Non poteſt dici,quòd nõ habeat iſtum actũ priorem,quia non poteſt intelligi quomodo voluntas ponat,& non ponat tale iudicium, niſi per aliquẽ actum. Si autem admittatur talis actus prior ipſo iudicio practico,ille procul dubio erit actus liber, quia ita erit in poteſtate voluntatis, vt per illum poſſit ponere,vel nõ ponere iudicium. Ergo ante iudiciũ practicũ vltimatè determinatum volũtas habebit actum liberũ à ſeipſa. Adhuc qua ratione ex ſe ipſa poteſt ſe determinare ad ponendum,vel non ponendum iſtud iudicium practicum, eadem ratione poſito iſto iudicio poterit ſe determinare ad ponendum,vel non ponendum actum electionis, cùm tota vis talis iudicij tandem videatur deriuare ab ipſamet voluntate. Vnde nonnulli tandem ab ipſa animi illorum ingenuitate conuicti, dicunt,voluntatem moueri ab huiuſmodi iudicio idem eſſe, atque voluntatem moueri à ſeipſa, vt
Nazar. videri poteſt apud Nazarium 1.part. q.19. art.10. cont. vni. §.*ſed iam communiter*, verſic.*ſed dices nos.* & concl.3.

II. Tertius modus dicendi eſt, iſtud iudicium eſſe liberum,& in poteſtate voluntatis,non per aliquẽ actũ poſitiuũ voluntatis, & priorem,quo ipſa voluntas moueat intellectũ ad exercendum iudicũ, ſed per actũ negatiuũ, ſiue per negationem actus poſitiui. Dicunt enim,quòd poſt cognitionẽ boni vniuerſalis, ſtatim exiſtit in voluntate inclinatio in illud,nõ tamen plena electio.Deinde cùm proponuntur voluntati varia media,& oſtenditur illi quid boni,vel mali ſit in vnoquoque illorum,voluntas inclinatur modò in vnam partem,modò in aliam:& in poteſtate voluntatis poſitum eſt,vt ſinat ſe moueri, vel reſiſtat non quidem actu poſitiuo,ſed negatiuo,ſcilicet non ſinendo,ſe moueri. Per hoc verò,quòd mens omiſſa vna ratione ſinit ſe moueri ab alia,fit, vt mens omiſſa alia inquiſitione ſtatim concludat iudicium particulare de eligibili particulari, ad quod continuò ſequitur electio in voluntate.

Dicunt tandem,quòd libertas voluntatis in eo ſita eſſe videtur,quòd propoſitis variis rationibus non neceſſariis ſinat ſe moueri ab vna,& non ab alia.

Hic modus dicendi licèt graues, & cumprimis doctos habeat autores,mihi,vt ingenuè fatear,nõ ſatis placet. Primum nanque habet difficultatem communem,quia ſi libertas voluntatis ſolùm ſita eſt in hoc, quòd propoſitis variis rationibus non neceſſariis,voluntas poſſit ſinere, ſe duci ab vna, & non ab alia,videtur ſequi, ſolùm rationẽ libertatis ipſius volũtatis ſitã eſſe in indifferẽtia paſſiua tantùm,quod falſum eſſe ſuperiùs cap. 9. ſatis copioſè mõſtratum eſt.Sequela probatur, nam ſinere ſe moueri,vel non ſinere ſe moueri reſiſtẽdo per ſolam negationem actus,ſola paſſiua,non autem actiua eſt indifferentia. Secundò, ſi libertas voluntatis conſiſteret ſolùm in indifferentia ſinendi ſe moueri ab hac, vel illa ratione,aut reſiſtendi per ſolum actum negatiuum, ſequeretur, quòd voluntas æqualiter à quacunque ratione ſibi propoſita moueretur: potentia enim, quæ ſe merè negatiuè,aut paſſiuè habet ad obiecta,æqualiter ſe habet ad omnia, vt benè argumẽtatur Durandus:& reuera, quæ eſt ratio, quòd potiùs moueatur ab hoc,quàm ab illo? Tertiò, eſto libertas voluntatis ſaluari poſſet quoad actum primum ſolùm per hanc indifferentiam negatiuam, tamen in actu ſecundo, & in vſu, ſiue in exercitio non videtur, poſſe ſaluari libertatem ſolùm per iſtam reſiſtentiam negatiuam:quia potentiam exercere ſuam libertatem eſt potentiam liberè agere,& nõ ſolùm potentiam ſinere ſe duci. Quartò, ſi in poteſtate voluntatis eſt ante concluſum iudicium, vt ſinat ſe duci à qua voluerit ratione, & etiam non ſinat ſe duci per actum negatiuum, ob eandẽ libertatem concluſo iudicio poterit ſinere, ſe duci,& ſequi illud ponendo electionem, vel reſiſtere ſaltem per actum illum negatiuum non ponẽdo electionem? Quid enim prohibet? An vis ipſa iudicij practici, & determinati? Minimè. Quia quantumcunque iudicium ſit practicum, & vltimatè determinatum, non poteſt proponere volũtati aliquod obiectum creatum, vt neceſſariò eligibile,ob aliquam rationem, quæcunque illa ſit,
vt probat D. Thomas profundiſſimo illo ſuo diſ- D.Thom.
curſu, quem habet 1.p. q.82. art.2. Hoc autem eſt ſolùm, quòd poteſt voluntatem neceſſariò inclinare ad eliciendum actum.Quintò,ſi in eo ſolùm ſita eſt libertas voluntatis,quòd variis rationibus ſibi propoſitis,poteſt ſinere ſe duci ab vna,& non ſinere ſe duci ab alia, per ſolã reſiſtentiam negatiuam, & ſi ea ſola ratione iudicium practicum dicitur eſſe in poteſtate voluntatis,quia poteſt illud ponere,vel tollere,non per actum poſitiuum, ſed negatiuum tantùm,ſequitur, voluntatẽ malè

eligentem

eligentem non esse culpabilem. Probo sequelam supponendo quòd ad hoc, vt electio sequens iudicium sit culpabilis saltè requiratur, vt iudicium, ad quod talis electio sequitur, sit in potestate voluntatis, cùm nullũ sit peccatum, nisi voluntariũ. Hoc supposito sic probo sequelam. Ad hoc vt omissio alicuius actus sit culpabilis, oportet nõ solùm non ponere actum omissum, siue ponere solũ actum negatiuum, sed oportet, vt possit quis ponere actum verè positiuum, & teneatur illum ponere, vt docet D.Thom. 1.2.q.6.art.3. D.Thom.

III. Sextò vix potest fingi ista resistentia per solum actum negatiuum, viuentia enim, quæ ad inuicem agunt, & resistunt, non per solam negationẽ actus resistunt, sed per positionem actus contrarij actui mouentis, cui resistunt. Loquor autem consultò de viuentibus, quia licèt in non viuẽtibus videri possit, esse aliqua resistentia per solum actum negatiuum, in quo sensu dixit Cõmentator 7. Physi. esse resistentiam inter intelligentiam, & corpus cæleste, ita quòd si augeretur sphæra, verbi gratia, Saturni in duplum, eius intelligentia non posset illam mouere in tanta velocitate, in quanta nunc illam mouet, propter resistentiam mobilis ad motorem: tamen in inuentibus, & præcipuè in agentibus ex electione vix potest intelligi ista resistentia per solam negationẽ actus. Septimò, quia esto fingi possit aliqua resistentia voluntatis per solam negationem actus, illa tamen ad voluendum præsens dubium videtur minimè sufficiens esse: quia quæstio præcipuè est, cùm sit in potestate voluntatis ponere, vel non ponere iudicium rationis, vt omnes fatentur, à quo moueatur intellectus ad exercitium talis iudicij. vel enim mouetur à se, vel à Deo, vel ab alia potentia præter voluntatem, vel à voluntate; & loquor de primo motu, per quẽ inchoatur ipsum iudicium. Non potest dici, quòd moueat, primò à se, quia mouere se, & alias potẽtias ad exercitium actus, pertinet ad voluntatem, iuxta D.Thom. communiter receptum 1.2. quæst. 9.art.1.in corp. & ad 3. non à Deo immediatè, quia esto Deus moueat ad bonum, & primò excitet bonas cogitationes: tamen ad malas mouere, & excitare minimè potest. Non ab alia potentia, quia in tali casu non esset in potestate voluntatis huiusmodi iudicium ponere, vel non ponere, & tales motus sunt sine consensu eiusdem voluntatis. Relinquitur ergo vt intellectus quoad actus exercitium, moueatur ab ipsa voluntate, vt tradit D. Thom. loco proximè cit. Verùm voluntas hoc facere non potest per solum actum negatiuum, seu per negationem actus positiui, quia causa verè efficiens, & verè mouens non dicitur talis per solam negationem actus, sed per actum positiuum. Ergo iudicium rationis non dicitur esse in potestate libera voluntatis per solam resistentiam negatiuam: sed requiritur in voluntate actus positiuus, quo positiuè moueat rationem ad ferẽdum iudicium: & ab illo actu libero multò magis iudicium dicitur liberum, quàm ab illa indifferentia, & resistentia negatiua. Et tandem cùm ille actus voluntatis præcedens iudicium sit liber, & in potestate voluntatis positum sit, illum ponere, vel non ponere, etiam in potestate voluntatis positum erit, posito iudicio, illud sequi, vel non sequi. D.Thom. Comment. D.Thom.

IV. Vltimus tandem modus dicendi est, intellectũ, & voluntatem sese adinuicem præuenire, mouere, & determinare, sed in diuerso genere causarum; intellectus enim præuenit voluntatem, illam mouet, & determinat in genere causæ finalis. Voluntas è contra intellectum mouet, & determinat in genere causæ efficientis.

Hæc responsio est vera, quidquid contra illam dicat Suarez dis.19.Metaph.sect.6.n.5. & sequentibus; cuius argumẽta benè soluit Nazarius, iuxta suam doctrinam loco cit. ad arg. cõtra 4. & vltim. concluſ. sed tamen difficultatem propositam non tollit. Primò, quia esto intellectus moueat voluntatem in genere causæ finalis, proponendo illi obiectum: tamen adhuc dubium restat, quomodo posito iudicio vltimo, & determinato in intellectu voluntas necessitetur ad eligendum, & tamen liberè eligat, & quomodo illud iudicium sit in potestate voluntatis: maximè quia, vt dictum est, nullum obiectum creatum sub quacũque ratione proponatur voluntati, potest illam necessariò mouere ad eligendum. Secundò, quia nõ est quæstio, à quónam incipiat moueri tum intellectus, tum voluntas in diuerso genere motus, & causæ: sed solùm est quæstio de primo motu intellectus, quoad illius exercitium, à quo incipiat intellectus moueri ad proferendum illud vltimum iudicium practicum, quo posito dicunt nonnulli, necessariò sequi electionem in voluntate: non enim potest incipere istud iudicium à se: si autem moueatur ad consulendum, & iudicium proferendum ab ipsa voluntate (vt reuera dicendum est) semper recurrit eadem difficultas, & idem argumentum, quòd qua ratione ante absolutum iudicium voluntas habet actũ liberum, quo potest ponere, vel non ponere illud iudicium: ita perfecto iudicio, cuius tandem tota efficacia ad monendam voluntatem ab ipsa voluntate deriuat, potest volũtas apponere actum electionis, vel non apponere. Suarez. Nazarius.

CAPVT XXV.

Confirmatur secunda opinio autoritate Doctorum, & distinctione adhibita ambæ conciliantur.

POstremo loco potest eadem secunda opinio comprobari autoritate Doctorum. Inprimis D.Bernardus expressè illam tradit lib.de lib. Arb. sic dicens: *Est verò ratio data voluntati, vt instruat illam, non vt destruat. Destrueret autem, si necessitatẽ ei vllam imponeret, quominus liberè pro arbitrio sese voluerit, siue in malum consentiens appetitu, siue in bonũ, gratiam sequens.* & alia plura, quæ apud ipsum sunt videnda, quibus manifestè prior sentẽtia reiicitur: illa enim dicit, quòd sine iudicio rationis volũtas nihil potest eligere, posito verò iudicio rationis necessariò eligit ad modum causæ naturalis: sed hoc nónne est manifestè imponi necessitatem voluntati per ipsam rationẽ? Huic adiungere possumus D.Th. & alios citatos c. 23. Immo verò tam certa videtur esse hæc sententia, vt tandem in eam descendant etiam autores contrariæ opinionis, vt statim monstrabimus. I. D.Bernard. D.Thom.

II. Possunt nanque ambæ opinionis conciliari per doctrinam traditam à D.Th.1.p.q.83.a.3.ad 2. vbi cùm sibi proposuisset quoddam argumentum ad probandum, quòd liberum arbitrium non sit potentia appetitiua, sed iudicatiua ex eo; quia liberũ arbitriũ dicitur liberũ iudicium, respondens huic argumento ita ait: *Ad secundum dicendum, quòd iudicium est quasi conclusio, & determinatio consilij: determinatur autem consilium primò quidem per sententiam rationis; & secundò per acceptationẽ appetitus. Vnde Philosophus in tertio Eth. dicit, quòd exconsiliari iudicantes desideramus secundum consilium, Et hoc modo ipsa electio dicitur quoddam iudicium* Aristoteles.

à quo nominatur liberum arbitrium. Ex hac doctrina talis colligi potest distinctio. Nomine iudicij duo intelligi possunt, primò ille actus præcisè spectans ad intellectum, quo partialiter determinatur consilium: secundò totum aggregatum non solùm ex eo actu, sed ex omnibus iis, per quæ perfectè & vltimate determinatur ipsum consilium. Et quidem si nomine iudicij accipiamus solum illum actum intellectus, per quem determinatur ipsum consilium, dicendum est, veram omnino esse secundam opinionem dicentem, posito quocunque iudicio quantumcunque practico, & vltimatè determinato, non loqui necessariò electionem in voluntate, sed adhuc voluntatem manere liberam ad ponendam, vel non ponendam ipsam electionem ob rationes factas, quæ me conuincunt. Si autem accipiatur iudicium secundo modo pro aggregato ex iis omnibus, per quæ vltimatè determinatur consilium, dicendum etiam est, posito iudicio rationis vltimatè determinato necessariò sequi electionem in voluntate, non quidem alia necessitate, quàm illa, quæ oritur ex suppositione comitante, vel consequente, secundùm quam dicimus, omne, quod est, quando est, necesse est, vt sit. Et in hoc sensu vera est prima opinio. Et quòd illius autores in hoc sensu eam defendant, admodum fit probabile per ea, quæ tradit Card. Bellarminus lib. 3. de Gratia & lib. Arbitr. c. 5. ad quartam confirm. 8. argumenti; ibi nanque dicit, quòd nomine electionis non intelligitur præcisè actus voluntatis, qui sequitur post vltimum iudicium, sed actus ille cum conclusione ipsius vltimi iudicij, & propter hoc Arist. in 3. Eth. c. 3. vocauisse electionem cõsultatiuam appetitionem: & lib. 6. c. 2. intellectum appetitiuum, vel appetitum intellectiuum, & lib. 7. cap. 3. dixisse electionem esse quasi conclusionem syllogismi practici; quia pro vno, & eodem accipiuntur conclusio vltimi iudicij practici, & actus voluntatis, qui inde necessariò sequitur: & citat Gregorium Nyssenum lib. 5. Philosophiæ cap. 4. dicentem, electionem esse quid compositũ ex consilio, & appetitu, & D. Th. 1. 2. quæst. 13. art. 1. dicentem, electionem esse quidem actum elicitum a voluntate, tamen importare etiam actum rationis; ex quibus sic concludit: *Sic igitur electio cum vtrumque actum complectatur, iudicij videlicet rationis vltimi, & approbationis voluntatis, verè est inter multa, & est simpliciter in nostra potestate, & absolutè, & propriè libera.* Eandem doctrinam videtur tradere Nazarius 1. p. quæst. 19. art. 10. contr. vnic. ad 3. arg. Suarez contra vltimã concl. præcipuè in 2. resp. Quòd si quis contendat illos aliter sentire, non obstinatè contẽdimus. Nobis sufficiat, omnes Doctores, quantum fieri potest, legitimè interpretari: De veritate autem doctrinæ superiùs traditæ, nimirum posito quocunque iudicio ex parte intellectus, adhuc voluntatem posse actum electionis non ponere, omnino certos esse.

Bellarmin. Aristoteles. Nyssenus. D. Thom. Nazar. Suarez.

III. Ad primum argumentum primæ opinionis respondetur, posito iudicio vltimatè determinato, voluntatem non posse aliud eligere, nisi ratio ponat aliud iudicium: potest tamen posito quocunque iudicio, quantumcunque determinato non exire in actum electionis, & aliud iudicium imperare, & illud etiam sequi, vel non sequi pro sua libertate; & huius possibilitatis nulla alia ratio quærenda est, nisi libertas eiusdem voluntatis, & defectus, qui reperitur in bono creato, quod non potest proponi voluntati sub aliqua ratione boni quantumcunque excellentis, quæ necessitet voluntatem ad illius appetitum & electionem.

Ad secundum respondetur, illud iudicium determinatum, quo non solùm bestiæ, & pueri, amẽtésque, sed etiam voluntas beati necessitantur ad eliciendũ actum, in omnium Doctorum rectè sẽtientium opinione tollit voluntatis libertatẽ ratione eligibilium, quæ per tale iudiciũ appetitui offeruntur. Vnde si tale iudiciũ requiritur in omni humana electione, nõ satis intelligere possumus, quæ libertas maior maneat in nobis, quàm in puero, amente, aut bruto. Videtur ergo istud argumentum (nisi cæcutio in luce meridiana,) sufficere ad probandũ, nullum tale iudicium requiri ad liberam electionem, aut saltem illo posito non necessitari voluntatem ad ponendum actum electionis liberæ. Nec obstat, quod subiungitur, tale iudicium practicum vltimatè determinatum repræsentare obiectum tãtùm sub ratione boni pro eo tempore, vt est præsens, & perfectè applicatũ. Non enim propter hoc necesse est, sequi electionem, quia, vt dixi, non potest ratio repræsentare volũtati aliquod eligibile sub aliqua ratione boni, quantumcunque excellentis, quod necessariò moueat voluntatem ad eligendum.

Ad tertium respondetur, voluntatem non posse eligere contra dictamen vltimi iudicij manente illo iudicio, & non posito alio iudicio: benè potest voluntas posito vno iudicio non sequi illud, & aliud imperare, & hoc est solùm, quod dicimus. Quale verò debeat esse illud iudicium, sine quo voluntas non potest exire in actum electionis, dictũ est in solutione dubij præcedentis; nunc solùm adiicimus, diuersa esse hæc duo, voluntas non potest eligere sine aliquo iudicio practico, &, posito iudicio practico voluntas non potest non eligere. primum est omnino verum: secundum omnino falsum, licèt nonnulli vtrunque dictum confundant, vt putent, vtrunque eodem modo esse verum.

CAPVT XXVI.

An propositis voluntati duobus obiectis æqualibus, & sub eisdem omnino rationibus, voluntas pro sola sua libertate possit vnum eligere, altero dimisso. Opiniones Doctorũ referuntur.

I. QVartum dubiũ, illúdque satis curiosum, neque omittendum, oritur circa prædicta. An propositis voluntati duobus obiectis æquè bonis, vel malis, sub eisdem omnino rationibus volũtas pro sua libertate possit vnum eligere altero dimisso. Circa hoc dubium autoris, qui fatentur, ad omnem electionem necessarium esse iudicium practicum vltimatè determinatum factum omnibus consideratis, & posito huiusmodi iudicio sequi necessariò electionem, consequenter fatentur voluntatem ex duobus obiectis sic propositis non posse vnum eligere, & alterum reiicere.

Secunda opinio est corũ, qui distinguunt inter iudicium, & imperium efficax. isti aiunt, posito solùm æquali iudicio de vtroque obiecto proposito, posse voluntatem vnum eligere, nõ aliud. Cæterùm posito æquali imperio efficaci circa vtrunque, non posse voluntatem moueri magis ad vnũ, quàm aliud eligendum. Ita Medina 1. 2. quæst. 13. art. vlt. vbi docet, voluntatem in eligendo non moueri à iudicio, sed solùm ab imperio practico.

Tertia sententia est eorum, qui distinguunt inter obiecta, quæ habent rationem finis, & obiecta, quæ habent rationẽ mediorum: & rursus distinguũt inter iudicium absolutũ, & cõparatiuum. Isti primò dicunt, nõ spectare ad præsentẽ quæstionẽ, an propositis voluntati duobus finibus diuersis, verbi

verbi gratia,honesto, & delectabili, & etiam an propositis voluntati duobus finibus honestis, voluntas possit vnum appetere,& non aliud. Nam illorum proprie loquendo non est consultatio, neque electio,sed tantùm intentio,& voluntas;consultatio enim nó est de fine,sed solùm de mediis, sicut etiam electio. Illud igitur solùm venire potest in quæstionem, vtrùm propositis voluntati duobus mediis æqualiter se habentibus ad vnum finem, & sub eisdem rationibus, voluntas possit vnum eligere altero omisso. Et huic quæstioni respondent negatiuè. ita sentit Vasquez 1.2. disp. 43.cap.2.& 3.cuius argumenta sunt: Vasquez.

II. Primum sumptum ab autoritate D. Thom.1.2. quæst.13.art.vlt. vbi proposita quæstione, an homo ex necessitate eligat,respondet negatiuè : quia in quocunque medio proposito voluntati, ratio potest inuenire circumstantias, & rationes boni,& mali,propter quas eligatur,vel relinquatur.Sentit ergo D.Th.medium non posse à voluntate respui, nisi ob aliquam rationem mali sibi ostensam ab intellectu. Ergo in casu,quo duo media sub eadē omnino ratione boni proponantur voluntate, nō poterit voluntas vnum eligere, & aliud respuere. In responsione quoque ad tertium argumentum, quod continebat hunc casum,ait,quando duo obiecta æqualia offeruntur voluntati, posse nihilominus voluntatem vnum præ alio eligere, quia intellectus potest circa illa formare varias considerationes, & considerare aliquam rationem in vno,quæ non consideratur in altero. Ergo à contrario vbi obiecta proponuntur sub eisdem considerationibus,& rationibus, non poterit voluntas vnum eligere,& aliud respuere. D.Thom.

Secundum argumentum sumit ex autoritate Philosophi.Arist. nanque in secudo de cælo text. 93. refert quandam opinionem dicentium, quòd capillus distentus, & ex omni parte æqualis non posset rumpi,quia necesse esset, si rumperetur,illum rumpi in omni parte,non enim esset maior ratio,quòd rumperetur in vna parte,quàm in alia. Et quòd si vni famelico, aut sitienti offerrentur duo cibi, vel duo potus eiusdem bonitatis, & in æquali distantia, ille ad nullum eorum se determinaret. quam opinionem cùm ibi non refutet, videtur approbare. Præterea lib.3. de anima text. 57.ita ait: *At deliberatiua iis inest tantùm,quibus ratio inest : nam hoc agat,an hoc, rationis opus atque officium est : atque necesse est vno quodam metiri. motus enim persequitur.* Sentit ergo Philosophus electionem semper esse eius,quod voluntati proponitur, vt melius. & lib. 3. Eth. capite 3. inquit : *Quod enim cæteris ex consultatione præstulimus, id eligibile est.* Aristoteles.

Tertium argumentum sumit ex autoritate Damasceni lib.2.de fide cap. 22. vbi definiens consilium ait : *Deliberat enim quispiam,rem aliquam aggredi debeat, nec ne,mox quod est melius,conducibiliusque futurum sit,expendit, & iudicium dicitur. Postea afficitur ad id, quod consilium censuerit, comprobat,& amplectitur, & tunc Gnomi, hoc est,sententia vocatur: etenim si ista iudicet, vt tamen ad id, quod iudicatum est, minimè afficiatur, hoc est, minimè illud amplexetur, sententia nomen id minimè obtinebit. Iam verò post affectionem, quam vocant Gnomin, existit electio.* Citatur etiam Eusthra.lib.6. Ethic. c.2. & Greg.Nyss.lib.5.Philos.cap.4.qui ferè eadem scribunt verba. Damascen. Eusthratius. Gregorius Nyssenus.

Quartò argumentatur ratione. Electio sequitur iudicium consultiuum ; sed iudicium consultiuum nunquam est de minori bono, neque de æquali, sed de meliori. Ergo neque electio.

Quintò electio nunquam est mali : sed minus bonum comparatum maiori,formaliter habet rationem mali.Ergo non potest eligi minus bonum comparatione maioris boni.

Sextò argumentantur alij. Ad hoc,vt voluntas exeat in actum electionis,necesse est, illam ab intellectu determinari:sed in casu proposito voluntas relinquitur indeterminata:ergo,&c.

Septimò, si propositis voluntati duobus obiectis æqualiter bonis, & sub æqualibus rationibus voluntas pro sola sua libertate posset vnum eligere,& aliud respuere,eadem ratione posset eligere malum,vt malum est. Consequens est absurdū, vt patet.Consequentia probatur, quia huius electionis nulla alia ratio posset assignari, nisi quia voluntas ita vult.

Octauò sequeretur data veritate opinionis contrariæ posse esse peccatum in voluntate nullo existente errore,& nulla ignorantia in intellectu, quod ab omnibus reputatur falsum. Consequentia facilè probatur,quia quòd ex duobus obiectis æqualiter propositis,vnum eligeretur,alterum relinqueretur, nulla posset reddi ratio ex parte intellectus, sed solùm ex parte eiusdem voluntatis. Propter hæc argumenta Vasquez loco citato & Conrad.in 1.2.quæst.13. art.6. tenent, quòd propositis voluntati duobus mediis omnino æqualibus,illa non possit vnum eligere altero omisso. Vasquez. Conrad.

III. Est nihilominus quarta opinio è regione tertię oppositа docens, voluntatem pro sua libertate ex duobus mediis æqualibus,& æqualiter & sub eisdem rationibus illi propositis, posse vnum eligere,& alterum respuere.Ita docent Hēricus quodlibeto 1.q.16.Richard. in 2.dis.38. art.2. quæst.4. in corp.& ad 3.Maioris ibid. quæst.1. Marsil.in 2. quæst. 16. art. 4. Citatur etiam Comment. lib. 6. Eth. c. 11. sed ibi nil tale docet. Eandem sententiam tenet Suarez disp.19. Metaph. sect.6. n.13. Gandau. Richard. Maior. Marsil. Comment. Suarez.

Probatur hæc sententia : quia voluntas habens obiectum conueniens sibi præsens potest exire pro sua libertate in actum electionis ; sed in tali casu vtrunque obiectum est conueniens, & præsens voluntati. Ergo illa pro sua libertate poterit eligere,quod maluerit ex illis.

Secundò potest voluntas ex duobus bonis sibi propositis eligere minus bonum, relicto maiori. ergo multo magis ex duobus bonis æqualibus poterit eligere vnum relicto altero. Sequela est manifesta.Antecedens probatur.Primò,quia obiectū voluntatis est bonum in communi, nō magis bonum.Ergo minus bonum est obiectum volūtatis, in quod illa potest tendere. Secūdò,quia si minus bonum per se seorsum proponeretur voluntati, ipsa posset in illud tendere. Ergo etiāsi proponatur illi,vt comparatum cum maiori bono.Tertiò, quia experientia constat nos non semper eligere, quod melius est, neque ad illud eligendum esse obligatos.Immo sæpe aduertimus,nos melioribus derelictis peiora sequi:vt cùm quis dicit,nolo esse tam sanctus, sicut fuit Franciscus. Hinc apud Ouidium Medæa dicebat,

-----alsúdque cupido,
Mens aliud suadet:video meliora,probóque:
Deteriora sequor. Ouidius.

Et Phædra apud Senecam,

-----qua memoras,scio Seneca.
Vera esse nutrix;sed furor cogit sequi
Peiora.vadit animus in præceps sciens,
Remédiaque frustrà sana consilia appetens.
Sic cùm grauatam nauita aduersam ratem,&c.

Et vt Poëtas omittamus in re minimè fabulosa

D.Bernardus lib.de Orat. & lib. Arbitrio, ſic ait: *Porrò voluntas eſt motus rationalis,& ſenſui præſidens, & appetitui: habet ſanè quocunque ſe voluerit, ſemper rationem comitem, & quodammodo pediſſequam: non quòd ſemper ex ratione, ſed quod nunquam abſque ratione moueatur,ita vt multa faciat per ipſam,& contra ipſam,hoc eſt quaſi per eius miniſterium,contra eius iudicium,& conſilium.* Et multa alia idem ſubiungit, ex quibus deduci poteſt.

Tertium argumentum pro eadem opinione. Ea eſt vis & libertas voluntatis, vt nullam patiatur neceſſitatem à ratione, imuno contra ipſam rationẽ appetere poſſit. Ergo propoſito ſibi quocunque obiecto, ſub quacunque ratione etiam maioris boni,poterit illud reiicere, & minus bonum eligere.

Auguſtinus. Quartum argumentum ſumitur ab autoritate D.Auguſtini lib.12.de Ciuit.cap.6.vbi dicit,quòd poſito tali caſu, quòd duobus æqualiter affectis occurrat cadẽ pulchritudo, poterit vnus ſinere ſe trahi ab illa, alter verò pro ſola ſua libertate non ſinere, ſe moueri ad appetendam eandem pulchritudinem.

Quintò,diuina voluntas,in qua reſplẽdet præclariſſimum libertatis exemplar, pro ſola ſua libertate poteſt ex duobus æqualiter ſe habentibus vnum eligere,altero derelicto,immo poteſt eligere minus bonum relicto maiori bono: certum enim eſt, Deum potuiſſe alium Mundum meliorẽ facere,quàm ſit iſte,quem fecit, adhuc nobiliores cælos, &c. Neque quòd hos cælos potiùs, quàm alios creare voluerit,poteſt referri in aliquod prẽuium iudicium inæquale, ſed in ſolam voluntatis libertatem id referẽdum eſt. Ergo voluntas creata,quæ ad imitationem diuinæ voluntatis eſt exẽplata,poterit pro ſua libertate ex duobus æqualiter propoſitis vnum relinquere,& aliud eligere.

Sextò,ſi propoſitis duobus æqualiter, volũtas à nullo moueretur,ſequeretur,voluntatem in ſuis actibus poſſe neceſſitari, ſaltem ad non eligendum,quia nullum illorum poſſet eligere.

Septimò probari poteſt eadem ſententia autoritatibus Philoſophorum. Nam inprimis illam Simplicius. Comment. expreſsè docuit Simplicius lib.2.de Cæl. text.59. Eandem etiam videtur docuiſſe Commentator in eodem 2.lib.com.53.& 6.Ethi.cap.11.

CAPVT XXVII.

Dubium propoſitum reſoluitur, & argumentis vtriuſque partis ſit ſatis.

I. TRia mihi videntur dicenda circa præſens dubiũ.Primò ſi fiat comparatio inter diuerſa obiecta,& diuerſorum generum, poſſe voluntatẽ eligere minus bonum relicto maiori bono:vt v.g. poſſe eligere bonũ delectabile, quod eſt minimũ, relicto bono honeſto,quod eſt ſummum,& maximum. In hac aſſertione omnes Doctores conueniunt.Hoc eſt,quod voluerunt dicere D.Bernard. Seneca,& Ouidius in locis citatis.Hoc eſt probare meliora,& ſequi deteriora.

Secundò dico facta comparatione inter plura bona eiuſdem generis,non poſſe voluntatẽ relicto maiori bono ſibi propoſito eligere minus bonum. Et in hoc ſenſu vera eſt tertia ſententia.Ratio huius aſſertionis eſt, quia licèt voluntas pro ſua libertate poſſit tendere in quodcunque bonũ, non tamen poteſt tendere in id,quod nõ habet rationem boni ſub ea ratione, ſub qua bonum non eſt: modò licèt minus bonum de ſe habeat rationem boni,tamen comparatum cum maiori bono, non habet rationem boni.Ergo,vt ſic,non eſt eligibile à voluntate.

Tertiò dico facta cõparatione inter duo bona II. eiuſdẽ generis æqualiter ſe habentia, & æqualiter voluntati propoſita,& ſub eiſdem omnino rationibus,poſſe voluntatem pro ſua libertate vno relicto alterũ eligere. Et in hoc caſu vera eſt quarta opinio,quã præter autores ſuprà citatos, expreſsè docuit Chryſippus in lib. de officiis relatus à Chryſippus. Plutarcho in lib.de Stoicorũ repugnantia. Eſtque pulcherrimum & appoſitiſſimum ad illam probãdam exemplum ab eo allatum eius, cui offerũtur duo nummi aurei eiuſdem ponderis,bonitatis, & pulchritudinis,ea conditione,vt vnum tãtùm accipiat altero relicto.Et aliud exemplum, quod attulit Simplicius illius,cui fame laborãti, offeruntur duo panes æqualis bonitatis,magnitudinis,& in æquali diſtantia,ea tamen conditione,vt vnum accipiat altero dimiſſo. Vanũ enim,& riſu dignũ eſt dicere,hunc nullũ ex nummis aureis acceptũrum eſſe,ob indifferentiam iudicij rationis,& illũ fame moriturum:ſunt enim nugæ aniles hæc dicere, & commẽta ab Auerroe reiecta citato com. Auerroes. 93. 2. lib. de cælo. & nihilominus in his caſibus nulla apparet ratio,cur volũtas potiùs eligat hoc, quàm illud, niſi ſola libertas eiuſdem voluntatis.

Dicetur, in tali caſu voluntatem ſinere ſe mo- III. ueri ab altero ex obiectis ſibi propoſitis,vt tãdem aliquando res finiatur.Sed licèt hoc verũ ſit,propoſitam difficultatem non tollit:quærẽdum enim à ſic reſpõdentibus,cur potiùs ſinat ſe moueri ab vno,quàm ab altero,cùm vtrũque æqualiter propoſitum æqualiter moueat voluntatem? Dicetur, rationem meliùs iudicare eligere vnũ, quàm priuari vtroque, vt dicebat Chryſippus. Sed eadem recurrit difficultas, cur potiùs vnum eligat,quàm aliud. Quare meliùs videntur dixiſſe Chryſippus & Simplicius, voluntatem à caſu ſe determinare potiùs ad hoc,quàm ad illud.Sed neque iſta ſolutio ſatisfacere poteſt, quia talis electio eſt à conſilio,& deliberata, nõ autẽ fortuita, aut caſualis.

Deinde probatur eadem veritas ex conceſſis ab aduerſariis.Illi enim cõcedũt,ex duobus obiectis, habentibus rationem finis, poſſe voluntatem pro ſua libertate vnum eligere altero omiſſo.Cõcedũt etiam vnum, & idem obiectum eodem modo ſe habens,& occurrens duobus eodẽ modo affectis, poſſe voluntatẽ vnius mouere,altero nõ ſinente ſe moueri,& hoc pro ſola ſua libertate.Ergo vnus,& idẽ homo propoſitis ſibi duobus obiectis habentibus rationem mediorum, & ſub eiſdem omnino rationibus poterit ſinere, ſe moueri ab vno,& nõ ab alio.Probatur ſequela, nã aliquid proponi voluntati ſub ratione finis, nõ auget libertatem potiùs, quàm ſi proponatur voluntati ſub ratione medij, immò videtur magis illã minuere. Deinde quòd vnum obiectum propoſitum duobus eodem modo affectis vnum moueat,nõ alterũ, nulla alia ratio reddi poteſt, niſi libertas volũtatis illorum: non enim poteſt dici, hoc prouenire ex iudicio rationis,quod eſt æquale in vtroque,immò ex hoc apparet, voluntatem non neceſſitari à iudicio rationis ad eligendum.Ergo à pari cùm proponũtur voluntati duo obiecta æqualiter ſe habentia,illa non neceſſitatur ad eligendum potiùs vnum, quàm alterum: & quòd aliquod illorum eligat vel non eligat, in ſolam eius libertatem referendum eſt. Ergo pro ſua libertate poterit vel neutrum, vel vtrunque, vel alterum tantùm eligere.

Reſponden

IV. Respondendum nunc est ad argumenta vtriusque partis. Et ad primum adductum pro tertia opinione sumptum ab autoritate D. Thom. respondetur, D.Thom.ibi dicere, quòd voluntas ex duobus sibi propositis potest vnum eligere, & aliud omittere propter aliquas rationes, quas intellectus potest considerare in vno, & non in altero. Et hæc est vna causa, quam solam ibi reddit; quia illa sola erat sufficiens ad dissoluendum argumentum propositum. Nihilominus potest reddi alia ratio sumpta ex libertate eiusdem voluntatis, quæ ex duobus sibi propositis potest, quod voluerit, eligere, sicut etiam potest neutrum, vel vtrunque pro eadem libertate eligere. Et quamuis hanc rationem ibi omiserit, non tamen reprobauit,immo illa euidenter colligitur ex aliis locis,in quibus docet, quodcunque obiectũ, sub quacunque ratione propositum voluntati pro hoc statu posse ab illa respui,excepto vltimo fine.

Ad secundum sumptum ex autoritate Philos. Ad primum testimonium dico, falsum esse Arist. illam opinionem probare:illam verò reprobat ibi loci Auerroes vt risu dignam. Arist. verò non curauit illam reprobare,quia siue vera esset,siue falsa, sufficiebat, quòd posset ex illa suum intentum concludere. Ad secundum testimonium dico,illud dictum esse intelligendum,vt in pluribus, non in omnibus: nam inferiùs oppositũ docet in aliquibus casibus. Ad tertium dico, illum locum sic legendum esse: *Quod enim ex consilio præiudicatum est, id eligibile est.* Adeò quòd particula,*præ*,nó importat,quòd res electa debeat semper iudicari melior ea,quæ non eligitur, hoc enim multoties apparet esse falsum,vt quando voluntati vnum solum eligibile proponitur; sed importat antecessionem alicuius iudicij ad actum electionis.

Ad tertium respondendum est eodem modo, quòd docet necesse esse,vt præcedat aliquod iudicium ipsam electionem. Intelligendum est etiam dictum Damasc. secundùm ea,quæ vt in pluribus contingunt: quia vix potest occurrere casus, vt proponantur voluntati duo obiecta sub eisdem omnino rationibus.

Ad quartum & quintum respondetur, quòd probant secundam conclusionem, nec aliud.

Ad sextum respondeo, vt sequatur electio,sufficere, vt voluntas determinetur ab obiecto quoad specificationem actus, quæ determinatio in tali casu fit ab vtroque obiecto proposito,qua determinatione suppositа voluntas quoad exercitiũ determinat seipsam ad quodcunque voluerit.

Ad septimum neganda est consequentia; licèt enim voluntas pro sua libertate possit ferri in quodcunque obiectum habens rationem boni, non tamen potest ferri in malum, quia esset motus contra illius naturam.

Ad octauum respondetur, quòd si malum sit eligere vnum ex duobus æqualiter propositis,erit error in intellectu non circa alterum illorum, sed circa vtrunque, quia vtrunque iudicatur eligibile,cùm re vera illud eligibile non sit. Et ideo neganda est consequentia argumenti.

V. Ad primum argumentum factum pro quarta opinione respondetur, minus bonum comparatum cum maiori bono,prout stat sub tali comparatione, formaliter non habere rationem boni, & ideo non esse eligibile.

Ad secundum respondetur eodem modo, voluntatem posse eligere minus bonum omisso maiori,si illa sint diuersorum generum, vel si vtrunque proponatur voluntati seorsum. Cùm dicitur, quòd obiectum voluntatis est bonum in communi,dico,quòd minus bonum vt comparatum maiori,habet rationem priuationis, & defectus, non autem boni. Experientia etiam docet,eligi minus bonum omisso maiori, in diuerso genere bonorum,& de per se,non autem comparata, neque in eodẽ genere:& sic sunt exponẽdæ illæ autoritates.

Ad tertium respondetur, voluntatem pro sua libertate,posse quodcunque bonum eligere,quandiu illud retinet rationem boni: cæterùm minus bonum comparatum maiori,sub tali comparatione non obtinet rationem boni, sed defectus, & priuationis.

Ad quartum respondetur,quòd probat tertiam nostram propositionem, nec aliquid plus.

Ad quintum quatenus militat contra tertiam assertionem,dicitur,non esse eandem rationem de voluntate diuina, & humana. Nam voluntas diuina non eligit ob indigentiam, neque supponit bonitatem, vel dignitatem in eo, quod eligitur, neque ex electione aliquid bonitatis sibi accrescit;& ideo eligendo facit disparitatẽ in eo,quod eligitur,ab eo, quod non eligitur. Verùm voluntas creata eligit ob indigentiam, & supponit bonitatem in eo, quod eligitur, & ex tali electione aliquid illi accrescit. Ideo diuina voluntas potest eligere minus bonum relicto maiori, quod non potest facere voluntas humana.

Ad sextum & septimum, dico si quid probant, illa probare tertiam conclusionem.

CAPVT XXVIII.

A quónam voluntas primò incipiat moueri.

QVintum dubium, quod nascitur ex prædictis,cuiúsque solutio maximè conferre videtur ad intelligentiam multorum dicendorum in hac tractatione,est, A quo primò incipiat moueri voluntas, cùm incipit aliquid velle, quod priùs nolebat. Est verò huius dubij solutio satis difficilis propter duo. Primùm propter multa, quæ fortasse sine causa dicunt Doctores,distinguentes de primo motu voluntatis circa media, & circa finem, adhuc de motu circa finem vltimum, & circa alios fines particulares,adhuc de motu primo absolutè,& de motu primo in quolibet negocio particulari;& alia multa scribentes, quæ legi possunt præcipuè apud commentatores D.Thom. 1.2.q.9. art.4.& 6. Secundò difficilis etiam redditur ex eo, quòd Doctores ratiocinantur de intellectu,& voluntate,& de illorum motibus,& operationibus, tanquam si essent duo suppositа distincta per se agentia: cùm tamen solus homo sit ille, qui propriè loquendo per intellectum & cogitationem se excitat ad volendum,& per voluntatem se mouet ad cogitandum. I.

Quare, vt omissis superfluis istud dubium breuiter resoluamus, nonnullas distinctiones præmittendas esse ducimus. Et primò distinguendum est de motu voluntatis quoad specificationem actus, & quoad exercitium actus. Secundò distinguendum est, duobus modis aliquam potentiam posse moueri quoad exercitium actus, vno modo per modum excitantis solummodo, non autem efficienter impellentis, sicut cùm aliquis clamore excitat dormientem ad operandum, vel cùm quis suasione, & consilio aliquem mouet ad aliquod negocium peragendum: est enim modus loquendi in more positus apud omnes, vt sic facientes dicantur ho-

mines mouiſſe ad exercitium. Alio modo dicitur potentia moueri ad exercitium per modum impellentis efficienter, quo pacto dicitur voluntas, mouere ſe, & alias potentias, & potentiæ ſubordinantes dicuntur mouere ſubordinatas. Tertiò diſtinguendum eſt de actibus voluntatis; poteſt enim dici actus primus abſolutè ille videlicet, quem habet voluntas, cùm primùm venit ad vſum rationis, & poteſt dici actus primus ille, quem primò habet in quolibet negocio particulari, erga quodlibet obiectum particulare.

II. His diſtinctionibus præmiſſis ad quæſtionem propoſitam ſic puto reſpondendum. Primò ſi loquamur de motu voluntatis, quoad ſpecificationem actus, voluntas ſiue in principio, ſiue in medio, ſiue in fine, ſiue in primo actu, quem habet abſolutè, ſiue in primo actu, quem habet in quolibet particulari negocio, ſiue erga media, ſiue erga finem, mouetur ſolùm ab intellectu, ſeu ab obiecto, quod intellectus proponit eidem voluntati. Hæc propoſitio certiſſima eſt, & ab omnibus recepta.

Secunda propoſitio, ſi loquamur de motu voluntatis quoad exercitium per modum efficienter impellentis, voluntas mouetur in omni ſuo actu, ſiue primo abſolutè, ſiue primò in quolibet negocio particulari, ſiue ille ſit motus voluntatis in finem, ſiue in media, tum à Deo, tum à ſeipſa. Et quidem quòd in omni ſuo actu, & motu à Deo moueatur, tam certum eſſe debet cuicunque, ſicut certum eſt dictum illud Pauli in Actis Apoſtol. cap. 17. *In ipſo viuimus, & mouemur, & ſumus.* & in epiſt. ad Philip. 2. *Qui operatur in vobis velle, & perficere.* Et quàm certum, primam cauſam operari in omni operante, & omnes ſecundas cauſas eſſe agentia acta ab ipſa prima cauſa. Quòd etiam voluntas moueat ſeipſam in omni motu, excepto illo, qui eſt primò primus, omnes Doctores ſimiliter conueniunt: eſt enim voluntas potentia, cuius officium eſt tum ſeipſam, tum cæteras mouere per modum efficientis, vt ſuprà dictum eſt de mente D. Thomæ, & aliorum Doctorum. Deinde omnis volitio ſiue ſit finis, ſiue mediorum, actus vitalis eſt, & à voluntate neceſſariò productus. Quòd autem actus primò primus ſit efficienter ab ipſa voluntate, probatur ex eodem principio, quia ille quoque eſt actus vitalis, & ideo neceſſariò elicitus à voluntate; non autem ſe habet voluntas quoad illum actum tantùm paſſiuè, vt putauit Capreolus relatus à Vazquez 1. 2. diſput. 38. cap. 1.

Capreolus.

III. Secundò probatur, quia huiuſmodi actus poteſt eſſe liber, & meritorius, ad actum autem verè liberum voluntas non poteſt ſe habere ſolùm paſſiuè per ea, quæ dicta ſunt ſuprà cap. 9. & alibi. Quòd autem huiuſmodi actus ſit verè liber, & poſſit eſſe meritorius, conſtat ex eo, quòd ſecundùm opinionem veriorem Doctorum primus actus voluntatis Angelicæ fuit liber ſaltem quoad exercitium, & potuit eſſe meritorius. Docet quoque D. Thomas ſtatim, vt homo peruenerit ad vſum rationis, teneri ſe ad Deum conuertere, & ſi id non facit, peccare. Et tandem quòd hæc doctrina ſit vera de actu primo, quem voluntas habet non ſolùm erga media, ſed etiam erga finem, & etiam erga vltimum finem, probatur; quia omnis talis actus eſt liber, & liberè elicitus ab ipſa voluntate. Et licèt actus voluntatis erga vltimum finem non ſit liber quoad ſpecificationem, eſt tamen liber quoad exercitium. Vnde ſi quæratur à quo moueatur voluntas per modum impellentis efficienter, cùm primò aliquid velle incipit, abſolutè, & ſine vlla diſtinctione reſpondere oportet, illam à nullo alio moueri, niſi à Deo, vt eſt autor naturæ, vel gratiæ, & à ſeipſa.

D.Thom.

Dicetur, in ſententia D. Thomæ primos motus, qui inſunt vnicuique agenti, ineſſe illi à Deo, vt eſt autor naturæ, non autem ineſſe agentibus à ſeipſis, & ob hanc cauſam docere D. Thomam in 8. lib. Phyſ. grauia, & leuia non moueri à ſeipſis, ſed à generante, quòd dans formam, dat illis motum, qui conſequitur ad formam. Et in 1. 2. quæſt. 9. art. 6. ob hanc cauſam dixiſſe eundem D. Thom. voluntatem in primo actu non mouere ſeipſam, ſed moueri ſolùm à Deo. IV.

D.Thom.

Reſpondeo, nunquam veniſſe in mentem D. Thom. voluntatem in primo actu non mouere ſeipſam verè efficienter, aut etiam grauia, & leuia non mouere ſeipſa ad ſua loca per proprias formas intrinſecas, licèt quidam per ignorantiam hoc illi imponant. Sed illorum deceptio detegitur, ſi legantur verba, quæ idem S. Doctor ſcribit quæſt. 3. de Malo art. 3. in corp. circa finem. ſic enim ait: *Relinquitur ergo, quòd cauſa perficiens, & propria voluntarij actus ſit ſolùm id, quod operatur interius: hoc autem nihil aliud eſſe poteſt, quàm ipſa voluntas ſicut cauſa ſecunda, & Deus ſicut cauſa prima. Cuius ratio eſt, quia actus voluntatis nihil aliud eſt, quàm inclinatio quædam voluntatis in volitum: ſicut & appetitus naturalis nihil aliud eſt, quàm inclinatio naturæ ad aliquid. Inclinatio autem naturæ eſt à forma naturali, & ab eo, quod dedit formam. Vnde dicitur, quòd motus ignis ſurſum eſt ab eius leuitate, & à generante, quod talem formam creauit. ſic ergo & motus voluntatis directè procedit à voluntate, & à Deo, qui eſt voluntatis cauſa,* &c. Notandum igitur, quòd duplex eſt motus, alter qui eſt in poteſtate ſecundæ cauſæ, ita vt quando illa voluerit, ſe moueat, & quando voluerit, ſe contineat: alter, qui licèt ſit à ſecunda cauſa, tamen non eſt ita in poteſtate illius, vt quando voluerit, ſe cõtineat, & quando voluerit, incipiat ſe mouere: talis eſt motus grauium, & leuium, illa enim ſtatim vt ſunt genita, naturaliter feruntur ad ſua loca, niſi ſint impedita. Talis eſt etiam motus voluntatis circa finem: quia cùm motus in finem non ſit ex alia priori intentione, ad hoc vt voluntas feratur in finem, neceſſariò oportet, illam ab alio quopiam excitari; & niſi ab alio excitetur, non poteſt in finem moueri. Et hæc eſt differentia inter appetitum finis, & mediorum, quia cùm appetitus mediorum ſit ex intentione finis, & ſupponat voluntatem iam excitatam ad appetendum finem, poteſt ineſſe voluntati à ſeipſa, ſine alio de nouo excitante. Cæterùm appetitus finis non poteſt ineſſe voluntati à ſeipſa, ſine alio excitante. Ex hac doctrina intelligitur, quam ob cauſam dixerit D. Thom. in 8. Phyſic. grauia, & leuia non moueri à ſeipſis, ſed à generante. loquebatur ibi non de quocunque motu, ſed de eo tantũ, qui ita eſt in poteſtate mouentis, vt poſſit incipere, & continere motum, de quo ſolo loquebatur Philoſophus, quem ibi commentabatur. Ex eadem intelligitur, quam ob cauſam dixerit in 1. 2. quæſt. 9. art. 6. voluntem non moueri à ſeipſa in primo actu: nomine enim primi actus intelligit eum, quem voluntas habet circa finem ad differentiam actuũ, quos habet circa media, qui nunquam poſſunt eſſe primi, cùm ſupponant actum voluntatis circa finem. Et hunc actum dicit non eſſe à voluntate, non quòd

non

non sit ab illa verè efficienter, sed quia voluntas non potest exire à seipsa in talem actum, nisi priùs ab aliquo excitetur. quod verò illud sit, statim dicam.

IV.

V. Tertia propositio, voluntas in primo actu, quem habet erga finem, non potest seipsam mouere ad exercitium per modum excitantis, sed indiget ab alio moueri. Hæc propositio elicitur D.Thom. ex doctrina D. Thom. 1. 2. quæst. 9. artic. 2. & 6. vbi docet, voluntatem in primo actu non posse mouere seipsam, sed solùm in aliis actibus post primum, quod non potest intelligi sic, quòd etiam in primo actu non concurrat verè efficienter ad illius productionem, vt dictum est. ergo hoc debet intelligi sic, quòd in primo actu non potest seipsam excitare, neque potest exire in primum actum, nisi ab alio excitata. Citari etiam D. Anselm. solet pro hac sententia D. Anselmus in libr. de casu Angeli, sed ille solùm loquitur de primo actu, quem habuit voluntas Angeli, non de primo actu in quocunque negocio. Citari etiam solet in confirmationem huius veritatis autoritas Aristot. Philos. in 6. Ethic. ad Eudem. cap. 18. vbi dicit, primas cogitationes, quæ nobis insunt in vnoquoque negocio, immitti nobis à Deo. Idem autem dicendum est de primis motibus voluntatis: quia voluntas excitatur ab ipsis cogitationibus. In secundo etiam libro Magnorum Moral. cap. 9. idem Philosophus dicit primam bonam voluntatem esse à bona fortuna, quam ibi dicit esse Deum.

Probatur verò hæc propositio ratione sumpta ex intrinseca natura, & quidditate causæ finalis. ea siquidem est differentia inter causam finalem, & efficientem, quòd efficiens non ponit suam causalitatem nisi super effectum, sed causa finalis ponit suam causalitatem non solùm super effectum, sed etiam super ipsam causam efficientem, præmouendo illam ad agendum. Itaque causa efficiens nihil potest agere, nisi priùs mota ab ipso fine, quia omne agens agit propter finem; quantus motus, quo causa finalis mouet efficientem, non sit motus verè effectiuus, sed solùm metaphoricus, quo finis dicitur mouere efficientem causam excitando illam ad agendum, & imprimendo illi desiderium sui ipsius. Causa verò efficiens excitata à fine per illius desiderium mouet se ad inquirenda media, & mouet etiam alias potentias executrices. & hoc est discrimen inter motum causæ efficientis, erga finem, & erga media, quòd ad quærendum finem non mouet seipsam, sed potiùs mouetur, & excitatur ab ipso fine, vel ab eo, quod finem illi proponit: sed ad quærenda media excitat seipsam ex desiderio finis. Hinc sequitur, voluntatem erga finem non se mouere nisi priùs excitatam ab ipso fine, vel ab eo, quod finem illi proponit, cùm voluntas moueat per modum causæ efficientis.

VI. Quarta propositio, voluntas in primo actu mouetur ad exercitium per modum excitantis à prima cogitatione finis, vel ab eo, quod primam cogitationem intellectui immittit: est enim munus intellectus mouere voluntatem per modum causæ finalis, proponendo ipsi finem. Itaque cogitatio illa, quæ primò offert intellectui obiectum sub ratione finis, est ipsamet, quæ primò voluntatem excitat ad exercitium. Rursus quemadmodum potest prima cogitatio in intellectu excitari à multis, nimirum à Deo per bonam inspirationem, ab Angelo tum bono, tum malo per internam suggestionem, & concitationem sensuum, ab obiectis occurrentibus sensibus externis, & tandem ab appetitu sensitiuo, vt ait D. Iacobus in epist. Canon. c. 3. ita multæ possunt esse causæ, quæ voluntatem primò excitant ad exercitium actus.

Quod autem ait Philos. lib. 7. Ethic. cap. 18. Aristot. primas cogitationes, quæ nobis occurrunt, non solùm in principio vitæ, sed etiam in progressu, absque præuio iudicio immitti nobis à Deo, sic intelligendum est, quòd quidquid nobis accidit præter intentionem, & opinionem, est per Dei prouidentiam certissimè dispositum, vt fiat, vel iubendo, vel saltem permittendo fieri: nihilque in mundo euenit præcipuè circa hominem, præter diuinam voluntatem, & intentionem. Quare quòd nobis nihil cogitantibus occurrat tale obiectum, & talis aspectus, ex quo excitetur in mente cogitatio, & ex cogitatione desiderium in voluntate, quòd etiam repentinæ cogitationes excitentur aliquando in nobis de rebus nunquam antea cogitatis, illud totũ in eminentissimam Dei prouidentiam referendum est. Vtrùm autem Aristoteles reuera ita senserit de Dei prouidentia, an potiùs ad mentem popularium ibi locutus fuerit, quemadmodum & libro secundo Magnorum Moralium cap. 9. cùm ait, bonam fortunam esse largitricem bonarum voluntatum, inferiùs lib. 3. & 4. diligentiùs tractabitur.

VII. Ex dictis facilè possumus colligere ordinem, quem habent inter se intellectus, & voluntas in suis actionibus. Primò nanque est in intellectu notitia practica vltimi finis, eáque naturalis est, dictans vltimum finem esse appetendum. Mox sequitur in voluntate appetitus eiusdem vltimi finis, qui naturalis est saltem quoad specificationem actus. Et quia hæc notitia, & hic appetitus non semper est in actu secundo, sed aliquando est solùm in actu primo, oportet excitari actualem cogitationem circa vltimum finem. & quidem si voluntas non aliò mentẽ diuertat, sed sinat se duci à cogitatione, sequitur in ipsa voluntate actualis appetitus eiusdem vltimi finis; manente verò in voluntate actuali appetitu vltimi finis, statim intellectus mouet se ad quærenda media, & illa offert voluntati eligenda. Et quidem si voluntas media sibi oblata elegerit, procedet vlteriùs ad imperandam aliis potentiis executionem ad comparanda huiusmodi media. sin autem voluntas noluerit media sibi oblata, & nihilominus permanserit in volitione finis, intellectus absque alio imperio excitabitur ad quærenda alia media, & illa similiter offeret voluntati, donec voluntas, vel cesset à volitione finis, vel quiescat in aliquo medio. Quod autem dicitur de fine vltimo, dicendum est de quolibet alio fine particulari, quem homo sibi proponit assequendum, priùs enim oportet excitari in mente cogitationem illius finis, deinde eundem finem proponi voluntati. Et si voluntas incipiat inclinari in talem finem, statim intellectus incipit cogitare, & consultare de mediis, donec vel voluntas cesset à volitione illius finis, vel quiescat in electione alicuius medij.

CAPVT XXIX.

Quæ sint illa requisita, quibus positis, potentia libera potest operari, & non operari.

I. SExtum dubium principale occurrit circa quintam decimam propositionem, quid scilicet

licet intelligatur nomine illorum requisitorum, quibus positis in voluntate, illa adhuc potest pro sua libertate operari, & non operari. est enim circa hoc dubium triplex dicendi modus. Primus illorũ, qui dicunt, ista prærequisita esse in multiplici differentia, nã aliqua sunt respectiua, aliqua absoluta. Rursus quædã sunt intrinseca, quædam extrinsecus influxa, quædã verò omnino extrinseca. Absoluta sunt potentia ipsa operans, habitus infusi, vel acquisiti actus intellectus, quibus proponitur voluntati proprium obiectum, obiectum ipsum, & si quid aliud est huius generis. Respectiua sunt, coniunctio eorundem absolutorum cum ipsa potentia operante eo modo, quo ei coniunguntur, quando est actu operans. Extrinsecus influxa, & non permanentia sunt diuinæ motiones, & auxilia, quibus ad singulos actus humana voluntas præmouetur, & determinatur à Deo, salua tamen illius libertate. Omnino extrinseca sunt diuinæ prædefinitiones, & æterna decreta. Ex his, quæ absoluta sunt, & intus permanentia, requiruntur ita, vt actu sint, & adsint voluntati. Relatiua verò vt in potentia sint valde proxima, quoniam in potestate voluntatis est absolutorum vsus, & consequenter eorum ad se, vt agentem, & ad actionem relatio. Extrinsecus autem influxa, videlicet diuinæ motiones, siue auxilia physica, non requiruntur vt actu sint in voluntate ante operationem: sed vt præsentanea sint ex diuina voluntate suauiter omnia mouente, & disponente: nam posito tali auxilio physico, & efficaci, in eodem instanti voluntas est in actu secundo, & iam non potest non operari, facit enim sensum compositum, quemadmodum si iudicium vltimum practicum ponatur in voluntate actu determinans voluntatem, non potest voluntas oppositum velle, cùm iam sit ad vnum per tale iudicium determinata, fit enim sensus compositus: sed tamen in sensu diuiso potest operari, & non operari. Vel meliùs (inquiunt)

D. Thom. dici potest cum D. Thoma in 1. sent. dist. 25. q. 1. art. 2. ad 3. Deum in liberum arbitrium hoc modo agere, vt eidem virtutem ministret, & ipso operante liberum arbitrium agat, sed tamen determinatio actionis, & finis sit liberi arbitrij: vnde remanet illi dominium sui actus, licèt non ita, sicut primo agenti. Et de verit. docet diuinum influxum non tollere indifferentiam liberi arbitrij, &c. tandem quæ omnino extrinseca sunt, vt æterna Dei præfinitio, requiruntur, vt actu semper existentia. Hunc modum sub eisdem ver-

Nazarius. bis tradit Nazarius 1. p. quæst. 19. art. 10. contr. vnica. §. *sed iam communiter.* Iuxta quem modum si autoris mentem assequor, diuinæ motiones physicæ, vel non requiruntur in instanti antequam potentia libera sit in actu secundo; vel si requiruntur in aliquo instanti ante actum secundum tanquam complementum actus primi, non determinant necessariò ipsam potentiam ad actionem, neque tollunt illius indifferentiam.

II. Secundus modus dicendi est recentioris cuiusdam Doctoris, qui disputatione quadam, num. 19. affirmat inter illa prærequisita ad constituendam potentiam in actu primo debere connumerari physicam præmotionem, qua prima causa præmouet potentiam liberam ad operandum, de qua physica præmotione quantum attinet ad præbens institutum, hæc dicit. Primò illam non esse dispositionem, neque habitum, neque qualitatem, neque actum primum, sed motionem quandam virtuosam, per quã vltimatè completur actus primus, quam idcirco vocat complementum actus primi. Secundò dicit, antequam potentia actiua exeat in actum secundum, priùs debere recipere istud complementum: adeò quòd prius est in aliquo signo potentiam recipere illud complementum, quàm sit eandem potentiam esse in actu secundo. Tertiò inquit, quòd munus, & virtus istius vltimi complementi est, actum primum efficienter, & efficaciter reducere in actum secundum. Quartò inquit, istud complementum non esse vere actum primum, neque secundum, sed aliquid mediũ inter primum actum, & secundum. ita in dicta disputatione num. 5. 6. 8. & ad 2. argumentum, 5. & 8. & tota disputatione. Ex his quatuor dictis necessariò sequitur quintum, nimirum motionem illam physicam non posse numerari inter illa prærequisita, quibus positis adhuc potentia libera potest operari, aut non operari: quia posita hac motione, & complemento, actus primus necessariò reducitur in actum secundum, neque relinquitur in eo potentia ad non operari saltem pro eo instanti, in quo illi inest illud complementum.

Tertius modus dicendi, quem puto veriorem, III. est, istam præmotionem & istud vltimum complementum actus primi debere numerari inter requisita ad constituendam potentiam in actu primo in aliquo instanti ante actum secundum, & eo posito in potentia libera, illam nihilominus pro sua libertate adhuc posse non operari, & non exire in actum secundum. Hanc esse ipsissimam mentem D. Thomæ, & communem sententiam Theologorum suo loco demonstrabitur. Pro nũc probatur hic modus dicendi expresso testimonio Concilij Tridentini sessione sexta de Iustificat. Conc. Trid. c. 5. & Can. 4. ibi enim expresè fatetur, liberum arbitrium à Deo motum, & excitatum, posse inspirationem diuinam abiicere, & diuinæ vocationi, & motioni dissentire, idque plus clarum est, quàm vt vlla probatione indigeat. ibi Concilium non loquitur solùm de diuina inspiratione, & motione obiectiua, seu morali, vt aliquando vir quidam non mediocris doctrinæ mihi suadere nitebatur; neque solùm loquitur de motione sufficienti, sed de efficaci, ad quam sequitur actus iustificationis, vt satis constat. hîc non loquitur de libero arbitrio considerato diuisim, & secundùm se, sed vt actu subsistat diuinæ motioni, quod manifestè indicant illa verba, *inspirationem ipsam recipiens*, & illa, *à Deo motum, & excitatum*, hîc Concilium numerat istam diuinam motionem efficacem inter prærequisita ad agendum, hîc docet, stante diuina motione, adhuc liberum arbitrium posse inspirationem reiicere, & motioni diuinæ dissentire, immo ex hoc probat contra Lutheranos, & Caluinistas arbitrij libertatem. Sentit ergo sacrum Concilium, diuinam præmotionem numerandam esse inter illa requisita ad constituendam potentiam liberam in actu primo, quibus positis adhuc illa possit non exire in actum secundum.

Confirmatur hæc ratio. Si motio diuina non est numeranda inter illa prærequisita, quibus positis adhuc liberum sit voluntati exire, vel non exire in actum secundum, vanus, & inutilis erit labor Concilij in illis locis contra hæreticos, præcipuè contra Caluinum: nam tota ferè controuersia inter Caluinum, & Doctores Catholicos versatur circa istam diuinam præmotionem, an scilicet illa posita in voluntate adhuc possit humana voluntas illi non consentire, & illam abiicere,

ablicere, & non exire in actum conſenſus. Catholici affirmant, poſita huiuſmodi motione quátumcunque efficaci, voluntatem poſſe non conſentire, & ex hoc concludunt arbitrij noſtri libertatem, etiam quoad actus ſupernaturales. Caluinus. Caluinus verò id conſtanter, & obſtinatè negat: ita indicant illa eius verba lib. 2. Inſtit. cap. 3. §. decimo: quæ etiam refert Ruardus Taper a. 7. pag. 274. *Voluntatem mouet gratia, non qualiter multis ſæculis traditum eſt, & creditum, vt noſtra poſtea ſit electionis motioni, aut obtemperare, aut refragari, ſed illam efficaciter afficiendo. Illud ergo toties à Chryſoſtomo repetitum repudiare oportet: quem trahit, volentem trahit.* Et infrà: *Cura controuerſiam elicitur ex verbis Ioannis ſic efficaciter diuinitus gubernari piorum corda, vt inflexibili effectu ſequantur. Nam medium motum, quem Sophiſta imaginantur, cui obſequi, vel quem repellere liberum ſit, aperte excluſo videmus, vbi aſſeritur efficax ad perſeuerandum conſtantia.* Et in Antidoto contra ſextum caput Conc. Tridentini. *In eo hallucinantur* (ſcilicet Patres Tridentini) *quòd motum nobis offerri ſommit, qui medium electionem nobis relinquat: nihil autem de efficacia illa cogitant, qua cor hominis renouatur, vt de prauo fiat rectum.* Et alia plura habet, quę illius mẽtem indicant fuiſſe, poſita motione efficaci, non poſſe voluntatem illi diſſentire. Cùm ergo Patres reiiciant ſententiam Caluini, ab oppoſito probãt, motionem diuinam eſſe numerandam inter prærequiſita, quibus poſitis adhuc illa non habet neceſſitatem exeundi in actum ſecundum.

III.

IV. Secundò iſta motio vel eſt actus primus, vel ſecundus, aut ſaltem pertinens ad actum primum, aut ſecundum, illa enim actus quidam eſt, & omnis actus, vel eſt primus, vel ſecundus. Dicere verò, illam non eſſe actum primum, neque ſecundum, ſed quid medium, videtur dictum omnino voluntarium, & ſine ratione, nec facilè admittendum, cùm neque Ariſt. neque alius Philoſophus probatus excogitauerit actum medium inter primum, & ſecundum. Immo ſi vera eſſet opinio Commentatoris, quòd actus primus ſit potentia, vt non operans, ſed potens operari, & actus ſecũdus ſit eadem potentia, vt operans, hæc imaginatio eſſet omnino impoſſibilis, cùm ſit impoſſibile dari medium inter potentiam operantem, & non operantem.

Conc. Trid.

At dicet. Quid Theologo, & Ariſtoteli, aut Philoſophis? Reſpondeo, quod reſpondere nos docet Auguſtinus lib. 1. & 2. in Geneſim, notatúrque à Sixto Senenſi Bibliothecæ ſanctæ lib. 5. annotat. 3. Cauendum eſſe Chriſtiano doctori, ne circa ea, quę certa ratione à peritis rerum ſæcularium probata ſunt, turpiter errare illum contingat; ne infideles occaſionem ſumant deridendi nos, & fidem noſtrã, & cætera fidei noſtræ dogmata veriſſima, vti figmenta vana reiiciant.

Auguſtinus. Sixtus Senenſis.

V. Tertiò illa ſola dicenda eſt potentia libera, quæ poteſt omnibus ad agendum requiſitis ſibi præſentibus non agere, quæ eſt conſtituta in vltimò complemento actus primi: ſed iſta motio eſt vltimum complementum actus primi. Ergo numerãda eſt inter requiſita, quibus præſentibus adhuc, &c. Maior propoſitio probatur; nam ſine illo cõplemento non eſt verum dicere, potentiam liberã poſſe operari, nã ſine illo nihil vnquã operabitur. Auguſt. Adhuc ſine iſto vltimo complemento falſum eſt dicere, illam poſſe non operari, quia illud dicitur eſſe in noſtra poteſtate, quod ſi volumus, facimus ex Aug. 3. de lib. arbitr. c. 3. ille verò, qui caret tali complemento, non operatur, ſi vult, ſed neceſſitatur ad non operãdum. Certè vaniſſimè diceretur aſinus poſſe non ratiocinari, cùm non habeat actum ratiocinij in ſua poteſtate.

Auguſt.

Dicetur, quòd ablato iſto complemento tollitur quidem actus ſecundus, qui eſt operari, non tamen tollitur potentia ad operandum: quia benè ſtat cum non operari poſſe operari, licèt non ſtent ſimul operari, & non operari.

Hæc tamen reſponſio difficultatem non tollit, primò, quia ablato iſto complemento potentia nõ poteſt exire in actum ſecundum, vt tradit D. Tho. 1. p. q. 105. a. 5. & 1. 2. q. 109. a. 1. & 9. Ergo ablato iſto complemento aufertur etiam potentia ſaltem proxima ad operandum, & ipſum poſſe operari. Secundò, quia potentiæ innoteſcunt per ſuos actus: ſed ſine iſto complemento nunquam voluntas exiuit in actum, qui eſt operatio. Vaniſſimum ergo videtur commentum dicere, quòd ablato iſto complemento maneat potentia ad operandũ, quanuis nõ maneat actualis operatio. Certè ſi hoc modo liceret nobis philoſophari de potentiis, & actibus, nihil nos prohiberet dicere, reperiri potẽtiam videndi in calcaneo, & brutum habere potentiã ad intelligendum, cùm ad cõſtituẽdam potentiam viſiuam in calcaneo non ſit neceſſe, calcaneum actu aliquando vidiſſe: & ad conſtituendã potentiam intellectiuam in bruto neceſſe non ſit, brutum aliquando intellexiſſe: & niſi admittamus, validum eſſe hunc modum arguendi à negatione actus ad negationem potentiæ, quælibet potentia fingi poterit in quolibet ſubiecto. Videtur ergo iſte modus reſpondendi deſtruere principia naturalis Philoſophiæ per ſe nota. Adde ſi ſic liceret philoſophari, vnde quæſo innoteſcere potuit ſic reſpondentibus, manere potentiam in agente ad operandum, ablato illo complemento, cùm nullũ vnquam ſine tali complemento viderint operantem? Præterea ſecundùm communem modum, & vſum loquendi apud homines in more poſitum, quis non dicitur habere potentiam ad aliquid agendum per hoc ſolum, quòd habet potentiam remotam, niſi habeat etiam potentiam proximam, & completam, & expeditam: nõ enim dicimus, quòd cæcus habeat potentiam ad videndum, quia caret potentia proxima, quanuis habeat remotã; neque dicimus, hominem exiſtentem in tenebris poſſe videre, quanuis habeat potentiam proximam, quia non habet expeditam, & omnino completam deficiente lumine. Deinde repugnat etiam hæc reſpõſio manifeſtis principiis Logicę, eſt enim principium Logicæ per ſe notũ ex primo libro Priorum c. 12. quòd poſita poſſibili in eſſe nullum ſequitur impoſſibile. Si voluntas abſque iſto complemento poteſt operari: ergo voluntatem abſque tali complemento operari eſt poſſibile. ponamus hoc poſſibile in eſſe. Ergo voluntas ſine illo operabitur, & nullum ſequetur impoſſibile. Aut igitur dicendum eſt, iſtud complementum non eſſe neceſſarium ad potentiam operantem: aut non eſſe potentiam operandi abſque illo. Quod adhuc clariùs poteſt ſic explicari. Ad verificandam modalem de poſſibili neceſſe eſt, vt ſua de ineſſe ſit vera. Iſta nanque propoſitio, hominem currere eſt poſſibile, ideo eſt vera, quia iſta, homo currit, eſt vera. ergo ſi ablato cõplemento iſto vltimo remanet poteſtas operãdi, verũ erit dicere, potentiã ſine tali cõpleméto operari eſt poſſibile. ergo verũ erit dicere, potentia ſine tali complemento operatur. aut igitur ablato iſto complemento cum actu tollitur potentia; aut vtrunque relinquitur: aut deſtruuntur manifeſtiſſima principia artis logicæ.

D. Thom. Ariſtoteles.

Tandem

VI. Tandem pro noſtra ſententia poſſent adduci argumenta, quibus nonnulli Theologi probant, diuinas præmotiones relinquere in poteſtate voluntatis ſuam determinationem, vt quodcunque voluerit, eligere, & operari valeat, aut non operari; illæ nanque probant, diuinam præmotionem, per quam completur vltimate potentia libera, numerandam eſſe inter illa requiſita, quibus poſitis adhuc illa manet libera ad operandum, vel non operandum.

Dicetur, nos ſuperfluè laborare, cùm nullus ſit, qui hanc propoſitionem, Potentia libera eſt illa, quæ poſitis omnibus ad agendum neceſſariis, &c. aperte audeat negare: immo omnes illam probent vt videre eſt apud Didacum Aluarez diſp. 115. de Auxiliis. Aluarez.

Reſpondeo non eſſe difficultatem de ipſa propoſitione, ſed de vero, & legitimo illius ſenſu, quę ad veram libertatis naturam intelligendam, & eandem contra hæreticos Caluinitas defendendam, omnino neceſſe eſt inueſtigare, & aperire: maximè quia idem autor licèt in prima concluſione dicat, quòd ad liberum arbitrium neceſſariò requiritur, quòd poſitis omnibus antecedenter ſecundùm ordinem rationis, vel temporis ad actum prærequiſitis, poſſit operari, vel non operari, ita videlicet vt cum eiſdem prærequiſitis ſtet ſimul in libero arbitrio facultas, & potentia, qua poſſit operari, vel non operari, & exemplificet de iſta actuali præmotione, & illam includat inter prærequiſita. Tamen ſubiungit ſecundam concluſionem in hunc modum: *Non eſt de ratione, aut definitione liberi arbitrij, quòd poſitis omnibus ſecundùm ordinem cauſalitatis antecedenter prærequiſitis ad operandum talem actum, poſſit eundem actum non operari in ſenſu compoſito, ſi compoſito fiat inter huiuſmodi prærequiſita, & carentiam talis actus, vel actum contrarium.* Quo modo dicendi aut deſtruit totum illud, quod dixerat in prima concluſione, aut indicat, illam propoſitionem à ſe non admitti in eo ſenſu, in quo ab omnibus intelligitur, & profertur. Quærendum enim eſt ab illo, quæ ſit differẽtia inter hæc duo, potentiam cum omnibus requiſitis ad agendum, poſſe non operari, & potentiam cum omnibus requiſitis poſſe componere carentiam actus: mihi quidem inter hæc duo nulla videtur eſſe differentia, quia inter non operari, & carere operatione nunquam didici diſtinguere. Cùm ergo in prima concluſione dicat, liberum arbitrium poſitis omnibus prærequiſitis etiam diuina præmotione poſſe non operari, debebat etiã dicere in ſecunda, quod eſt de ratione liberi arbitrij, poſitis omnibus requiſitis poſſe componere carentiam actus. Oportet igitur, in alio ſenſu à ſe prolatam & probatam fuiſſe illam propoſitionem apud omnes Theologos prottitam: Potentia libera eſt illa, quæ poſitis omnibus, &c. Qualis autem fuerit eius ſenſus c. ſeq. ſtatim aperiemus.

CAPVT XXX.

Quis ſit verus, & legitimus ſenſus illius propoſitionis: Potentia libera eſt illa, quæ poſitis omnibus, &c. *declaratur.*

I. SEptimum dubium principale, quod occurrit circa eandem propoſitionem, eſt de vero, & legitimo illius ſenſu. Nonnulli enim dicunt, hanc propoſitionem eſſe veram in ſenſu diuiſo, non autem in ſenſu compoſito. Licèt verò diſtinctio iſta de ſenſu diuiſo, & compoſito, ſit antiquo vſu à Theologis recepta: non tamẽ conueniunt omnes, maximè recentiores circa illius veram acceptionem. Recentior enim doctor relatus c. præcedenti prope finem diſ. 92. tria dicit, primò duobus modis poſſe accipi ſenſum compoſitum, & diuiſũ, vno modo, vt ille dicatur ſenſus compoſitus, qui componit inter prærequiſita ad operandum, & ipſam potentiam operantem: ille verò dicatur ſenſus diuiſus, qui diuidit inter prærequiſita ad operandum, & ipſam potentiam operantem. Alio modo, vt ille dicatur ſenſus compoſitus, qui componit inter prærequiſita ad operandum, & actualem operationem, vel diſſenſum: & ille dicatur ſenſus diuiſus, qui diuidit inter prærequiſita ad operandum, & ipſam actualem operationem, vel diſſenſum, & carentiam eiuſdem actualis operationis. Secundò inquit, veram acceptionem ſenſus diuiſi, & compoſiti non eſſe iuxta primum, ſed iuxta ſecundum modum. putátque, ſe ſolum veram acceptionẽ excogitaſſe. Tertiò inquit, iſtam propoſitionem: Potentia libera eſt illa, quæ poſitis omnibus neceſſariò prærequiſitis ad agendum, etiam diuina motione, adhuc poteſt operari, & non operari; veram eſſe ſolùm in ſenſu diuiſo, non autem in ſenſu compoſito: ſcilicet non eſt verum, quòd poſitis omnibus prærequiſitis in voluntate libera ad operandum etiam poſita diuina motione efficaci, illa poſſit cum iſtis requiſitis componere actualem carentiam operationis, vel actualem diſſenſum: ſed eſt verum, quòd poteſt eſſe in voluntate libera carentia operationis, & diſſenſus, quãdo non ſunt in voluntate ipſa prærequiſita, maximè quando deeſt motio efficax. Et hic eſt ſenſus, ſecundùm quem ille autor in toto opere admittit illam propoſitionem communiſſimè receptam à Theologis. Recens Doctor.

II. Quòd autem non poſſit eadem propoſitio verificari in ſenſu compoſito iuxta ſecundum modum à ſe explicatum, nititur multipliciter probare. Et primò id probat autoritate D. Aug. in Enchir. c. 95. dicentis: *Deus autem noſter in cælo omnia, quæcunque voluit, fecit, quod vtique non eſſet verum, ſi aliqua voluit, & non fecit, & quod eſt indignius, ideo non fecit, quoniam ne fieret, quod volebat, voluntas hominis impediuit.* & D. Proſperi lib. 2. de Vocatione Gentium c. 18. dicentis: *Quod eos voluit Deus velle, voluerunt, qui ad obediendum ſibi ipſum velle ſic donat vt etiam à perſeueraturis illam mutabilitatem, quæ poteſt nolle non auferat.* Clariſſimè id videtur docere D. Thom. de verit. quæſt. 23. art. 5. ad quintum ſic dicens: *Quamuis non eſſe effectus diuinæ voluntatis, non poſſit ſimul ſtare cum diuina voluntate; tamen potentia deficiendi effectum ſimul ſtat cum diuina voluntate, non enim ſunt iſta incompoſſibilia, Deus vult iſtum damnari, & iſte poteſt ſaluari.* & 1. 2. quæſt. 112. 2. 3. *Præparatio* (inquit) *ſecundùm quod eſt à Deo mouente, habet neceſſitatem ad id, ad quod ordinatur à Deo, non quidẽ coactionis, ſed infallibilitatis, quia intentio Dei deficere non poteſt.* & 2. 2. quæſt. 24. art. 11. *Virtus* (inquit) *Spiritus ſancti infallibiliter operatur quodcunque voluerit; vnde eſt impoſſibile hæc duo eſſe vera ſimul, quòd Spiritus ſanctus velit aliquem mouere ad actum charitatis, & quod ille amittat charitatem peccando.* Ex his colligitur, cum diuino decreto, & motione efficaci non poſſe componi actualem diſſenſum, & tamen iſta ſunt de prærequiſitis, &c. Auguſtinus. Proſper. D. Thom.

Quòd ſi dicatur, illud decretum non eſſe omnino

nino de antecedentes prærequisitis, quia supponit futurum hominis consensum à Deo præmotum per scientiam mediam. Contra hanc responsionem arguit, primò quia illa scientia media non datur in Deo. Secundò, quia tunc consensus nostræ voluntatis nō reduceretur in Deum, vt in primam causam efficientem, sed in solam voluntatem creatam, quod est absurdum.

III. Secundò principaliter idem probat. Vnum ex prærequisitis ad hoc, vt Deus in tempore crearet mundum, fuit eius decretum æternum: sed posito hoc decreto non fuit possibile Deum non creare mundum, quia aliàs Deus esset mutabilis. ergo ad actum liberum non requiritur, vt positis omnibus antecedenter prærequisitis, possit componi carentia eiusdem actus, alias Deus non creasset mundum liberè.

Tertiò potest probari eadem sententia ex eo, quia cum diuina prædestinatione, & præscientia in sensu composito non stat, prædestinatum posse damnari, vel rem præscitam posse aliter euenire. Ergo idem dicendum est de diuino decreto, & de diuina motione. Antecedens docet expresè D. Thom. 1. part. q. 23. a. 6. ad tertium, & de veritate q. 6. a. 4. ad octauum. D. Thom.

Quartò, quia videtur manifesta repugnantia in adiecto, quòd motio Dei sit efficax, & quòd non ponat suum effectum: nam si efficax est, ergo ponit effectum, & si non ponit effectum, efficax dici non potest.

IV. Quidquid sit de hac duplici acceptione, sensus diuisi, & compositi, qua vsos fuisse communiter Theologos tum antiquos, tum recentiores, non est difficile demonstrare, idque patere potest ex Scoto in 1. sent. dist. 39. litera G. D. Tho. de Verit. q. 6. a. 4. ad 8. & 1. cont. Gent. c. 67. iunctis iis, quæ ibi scribit Ferrariensis. §. *Cum autem improbatur.* & 9. vltimo. Paulo Soncinnate in 9. Metaph. q. 17. Dominico Bañes 1. p. q. 19. a. 8. §. *Quia igitur*, in fine. & a. 10. in fine, & q. 83. a. 1. dub. 2. §. *secundò colligitur.* Et ex Nazario 1. p. q. 14. a. 13. contr. 2. §. *secundo obseruandum est.* duo certissima esse debent. Primum, si accipiatur motio efficax reduplicatiuè, & sub ratione formali efficacis, & motio efficax numeretur inter illa, quæ necessariò prærequiruntur ad ponendam potentiam liberam in actu primo vltimatè completo ad agendum, istam propositionem: Potentia libera est illa, quæ positis omnibus necessariò prærequisitis ad agendum, potest operari, vel non operari: non esse veram in sensu composito, si fiat compositio inter motionem efficacem, sub ea ratione, qua efficax est, & actualem dissensum, vel carentiam actus, ad quē mouet. Hoc probant optimè autoritates adductæ ex D. Augustino, D. Prospero, & D. Thoma, quibus possemus adiungere aliam autoritatem eiusdem D. Augustini libro 1. ad Simplicianum q. 2. dicentis: *Non potest effectus misericordiæ Dei esse in hominis potestate, vt frustrà ille misereatur si homo nolit.* per effectum misericordiæ Dei intelligitur vocatio efficax, & congrua, qua Deus hominem sic vocat, sicut scit, illum infallibiliter fore consensurum, vt patet legēti. Hoc etiam probant rationes adductæ, quia reuera dicere, vocationem esse efficacem, & non ponere suū effectum sub ea ratione, qua efficax est, est contradictoria dicere. Scotus. D. Thom. Ferrariensis. Soncinas. Bañes. Nazarius. Augustinus.

V. Secundò illud etiam certissimum esse debet, si accipiatur motio efficax non in sensu reduplicatiuo, sed quoad suam entitatem præcisè sumptam, & vt est præcisè vnum de antecedenter requisitis ad constituendam potentiam liberam in actu primo completo, istam propositionem: Potentia libera est illa, quæ positis omnibus antecedenter prærequisitis ad constituendum illam in actu primo vltimatè completo, adhuc potest operari, & non operari: debere verificari non solum in sensu diuiso, sed etiam in sensu composito, etiamsi fiat compositio inter actualem Dei motionem, & carentiam actus, vel actualem dissensum. volo dicere, quòd etiam quatenus voluntas componit cū ipsa diuina motione sic considerata, & non reduplicatiue, posset, si vellet, componere actualem dissensū: licet hoc non posset considerata motione sub ratione efficacis cum reduplicatione. est enim in hac re nimis apertum testimonium sacri Concilij Trident. dicentis, liberum arbitrium posse abiicere diuinā vocationē, & posse dissentire diuinæ motioni. & loquitur de motione efficaci, quia loquitur de illa, quæ ponit suum effectū; & loquitur de voluntate, vt subsitat motioni ipsi, quia dicit liberū arbitrium motū, & excitatum; & loquitur contra Lutherum, & Caluinum; vt vel ipse Caluinus in suo Antidoto notauit: & Lutherus, & Caluinus nunquam negauerunt, hominis voluntatem posse abiicere diuinam inspirationem, dum actu non inspiratur, neque negauerunt, illum posse dissentire diuinæ motioni, dum actu non subsitat eidem motioni. Quis tam stupidus hæc diceret? Sed solùm negauerunt, posse hominis voluntatem componere carentiam actus consensus, vel actualem dissensum cum diuina inspiratione, & motione, & in hoc damnantur à sacro Concilio. Est igitur hæc doctrina certa, de qua dubitandum non est. Neque opus est, velle conuenire cum hæreticis in principio, & laborare, vt videamur ab illis dissentire in conclusionibus. sicut in alio proposito optimè consuluit Scotus 2. distinct. 3. quæst. 7. ad primum. Lutherus. Caluinus. Scotus.

VI. Sed præter testimonium Concilij adductum, præter testimonia quoque D. Aug. quibus docet tractum gratiæ efficacis relinquere in homine potestatem ad non sequendum, quæ plura adduci possent, probatur eadem veritas euidenti ratione. Ad verificandam aliquam propositionem in sensu composito, requiritur & sufficit, vt quando vnum extremum dicti importat actum primum, & aliud extremum importat actum secundum, actus primus, & actus secundus importati per extrema dicti simul esse possint in eodem subiecto. Hāc propositionē ad verbū ponit recens ille autor dis. 92. n. 4. Et ne quis me arbitretur hoc illi imponere, legat illum, scilicet Aluarez pagina mihi 614. col. 2. vers. *Etenim hæc propositio, Album esse nigrum*, &c. Modò efficax motio præcisè considerata secundùm suam entitatem, vt vnum de prærequisitis antecedenter ordine causalitatis ad operandum, se tenet ex parte actus primi, vt illius complementum. nec potest aliter considerari, quia consideratur, vt causa in ordine ad effectū, causa autem cōsiderata in ordine ad effectum necessariò consideratur, vt prior, & sub ratione actus primi, nec potest aliter considerari. Ergo ad hoc, vt compositio inter illam, & carentiam actus, vel actualem dissensum sit vera, sufficit vt ambo possint simul esse in eodē. Modò nihil repugnat, illa simul esse in eodē. Quod, vt euidenter probetur, sic formatur argumentum. Potentia libera sub ratione actus primi quantumcunque completi nullam habet repugnantiam cum suo actu secundo: neque cum negatione eiusdem actus secundi, ita vt non possint

sint esse in eodem: sed ista motio nunc consideratur, vt se tenens ex parte actus primi, & complementum illius tantùm, non autem ex parte actus secundi. Ergo potentia libera quantumcunque completa per motionem efficacem potest stare cum negatione actus secundi. Maior præter quòd illam negare est ratione potentiæ liberæ destruere, sic probatur. nam omnis repugnantia est ratione alicuius oppositionis: sed inter actum liberum potentiæ liberæ, quantumcunque completum, & actum secundum, aut illius negationem nulla reperitur oppositio; Primò enim constat inter actū primum, & secundum, vel eius negationem, non esse oppositionem contrariam. Secundò patet non esse oppositionem relatiuam. Tertiò etiam apparet, non opponi priuatiuè. Tandem probatur, quòd non opponantur contradictoriè, quia inter esse actus primi, & esse actus secundi non est oppositio, immo vnum est dispositio ad aliud. Similiter inter esse actus primi, & non esse actus secundi, non est oppositio contradictoria, quia actus primus potentiæ liberæ æqualiter respicit esse, & non esse actus secundi. ergo de primo ad vltimum vel destruenda est ratio potentiæ liberę, vel concedendū positis omnibus requisitis ad illā constituendā in actu primo quantumcunque completo, adhuc illam posse operari, vel non operari in sensu non solùm diuiso, sed etiam composito.

VII. Sed vt veritas magis illustretur, & detegatur id, in quo nonnulli hallucinantur, offendentes meridiana luce, notandum est, non habere potentiam liberam, vt est actus primus, neque motionem diuinam quantumcunque efficacem, quatenus est complementum potentiæ liberæ sub ratione actus primi, aliquam repugnantiam intrinsecam cum nō esse actus secundi, siue cum non esse effectus liberi, vt nonnulli imaginantur, quia non esse effectus non habet repugnantiam cum causa eiusdem effectus, nisi illa sit de causis naturaliter determinatis ad suos effectus: in quo casu repugnantia inter non esse effectus, & suam causam non est per oppositionem immediatam, sed mediatam, scilicet per eam, quæ est inter esse, & non esse effectus, quæ reperitur inter esse, & non esse effectus cuiuscunque causæ agentis siue naturaliter, siue liberè: non enim simul stare possunt. Benè stare potest esse causæ, & non esse effectus, quando causa est libera, & liberè agit. Quapropter non esse effectus liberi de se non habet repugnantiam cum esse causæ liberæ, neque cum motione efficaci sub ea ratione, quatenus est complementum potentiæ liberæ in actu primo: quia si talem haberet repugnantiam, tolleret non solùm ipsum non esse actus liberi, & actualem dissensum, sed etiam potentiam ad dissentiendum, saltem pro eo tempore, quo potentia stat sub actuali motione, quod absolutè omnes dicunt esse falsum. Habet igitur non esse effectus liberi solùm immediatam repugnantiam cum esse eiusdem effectus, & mediante illa habet repugnātiam, cum causa libera solùm pro eo instanti, in quo illa est coniuncta cum esse sui effectus.

Ex hac obseruatione verissima deducitur tale argumentum. Motio Dei efficax, qua mouet potētiam liberam, nō habet repugnantiam cū non esse effectus liberi, nisi pro eo instanti in quo est coniuncta cum esse eiusdem effectus liberi: sed dū cōsideratur, vt complementum vltimum actus primi, ordine causalitatis antecedens actū secundū, quo pacto nos illam consideramus, non est coniuncta cum actu secundo. Ergo considerata, vt cōplementum actus primi ordine causalitatis antecedens actum secundum, nullam habet repugnantiam cum non esse effectus liberi. Ergo est compossibilis in eodem cum illo.

CAPVT XXXI.

Acceptio sensus diuisi, & compositi magis explicatur, & argumenta capite præcedenti adducta soluuntur.

EAdem doctrina adhuc magis declarari potest ex his, quæ docet D. Thomas communiter receptus in primo contra Gentes c. 67. in fine. Docet enim ibi, necessitatem, quam infert futuris contingentibus certitudo diuinæ præscientiæ, esse necessitatem in sensu composito, & cum illa stare contingentiam eorundem rerum in sensu diuiso. Ista verò necessitas, secundùm quam futura contingentia, vt præscita à Deo, sunt necessaria in sensu composito, non oritur ex aliqua repugnantia, quæ sit immediatè inter ipsam præscientiam, & non esse rei contingentis, sed oritur ex repugnantia, quæ est inter non esse rei contingentis, & connotatum eiusdem præscientiæ, quod est illius obiectum, ad quod illa terminatur: illa nanque terminatur ad esse actualis existentiæ rei contingentis: modò inter esse, & non esse eiusdem rei est repugnantia contradictionis, & hinc oritur mediata repugnantia inter diuinam præscientiam, & non esse rei præscitæ: & ista repugnantia inter esse, & non esse rei est illa, quæ reddit propositiones necessarias in sensu composito, quæ in sensu diuiso falsæ sunt. Et ob hanc causam communiter dicitur, has propositiones: Præscitum à Deo non potest non esse: Prædestinatus à Deo non potest dānari: Præscitus à Deo non potest saluari: veras esse in sensu composito, & falsas in sensu diuiso. Quia in istis propositionibus connotatur repugnantia inter esse, & non esse rei præscitæ, & prædestinatę, & reprobatæ, si illę accipiantur in sensu composito, & fit sensus, quòd præscitus esse, non est, & prędestinatus, non est prædestinatus, & præscitus, non est præscitus. Est igitur falsus sensus compositus ille, in quo fit compositio inter esse & non esse alicuius effectus: & est compositus verus omnis ille, in quo reduplicatur ratio formalis supra ipsam rē: vt cùm dico, prædestinatus, vt prædestinatus non potest damnari. & quia in hac propositione: Potētia libera est illa, quæ positis omnibus antecedenter prærequisitis, ad constituendam illam in actu primo completo, potest adhuc non operari: nulla fit compositio inter esse, & non esse eiusdem potentiæ liberæ: ideo illa semper est vera non solùm in sensu diuiso, sed etiam in sensu composito. I. D. Thom.

Ad argumenta verò, quæ in contrarium sunt adducta in capite præcedenti. Ad primum sumptū ex autoritate D. Aug. in Enchir. c. 95. respondeo, illam autoritatem extra rem ab arguente allegari. Non enim potest esse dubiū, quòd Deo volenti saluum facere, aut aliquid aliud, voluntas creata obsistere non possit. Quis hoc dicit? Sed dubiū est, an Deus potentiā liberā moueat motione ita efficaci, quòd si cōsideretur ipsa diuina motio, vt cōplementū ipsius potētiæ liberæ, & vt ordine causalitatis prior effectu, seu actu secundo libero, illa motio habeat intrinsecā repugnantiā cū non esse ipsius secundi actus liberi, ita vt posita motione efficaci sic considerata, necessariò sequatur actus secundus. Hoc enim nos negamus, & sicut hoc idē negat sacrum Concilium, & D. Aug. & D. Th. II.

suppo

ſuppoſito nanq; ,quòd Deus velit, potentiâ liberâ liberè mouere,ſeu per modũ potentiæ liberæ, manifeſtè implicat,velle illâ mouere ſic,quòd cũ ipſa motione nõ poſſit cõponi actualis diſſenſus. Et vt ſemel dicã,aliud eſt quęrere,quid Deus poſſit facere ſecundùm ſuã potentiã abſolutã:aliud quærere, quid poſſit facere ſeruato rerum ordine,& potentia ordinaria.D. Aug.in libro de Prædeſtinatione, & gratia c.16. ſic ſcribit: *Si humanum genus , quod creatum primitùs conſtat ex nihilo,non cum debita mortis,& peccati origine naſceretur,& tamen ex eis creator omnipotens in æternum nonnullos damnare vellet interitum,quis omnipotenti creatori diceret, quare feciſti ſic? Qui enim cùm non eſſent,eſſe donauit,quo fine eſſent,habuit poteſtatem. ſcimus tamen, & ex fide catholica certi ſumus,Deum non hoc pacto nobiſcum agere.*

Auguſtinus.

I.
D.Thom.

III. Ad autoritatem D. Proſperi, & alias omnes D. Thomæ reſpondetur ex doctrina eiuſdem D.Thomæ de veritate quæſt.6. art.3. quo in loco dicens prædeſtinationem eſſe certam non ſolùm certitudinæ præſcientię,ſed etiam ordinis,& cauſalitatis: & ſimul explicans,quomodo certitudo ordinis,ſiue cauſalitatis non adimat à prædeſtinato ſuam libertatem circa negotium propriæ ſalutis,ſic ait: *Vnde præter certitudinem præſcientiæ ipſe ordo prædeſtinationis habet infallibilem certitudinem:nec tamen cauſa proxima ſalutis ordinatur ad eam neceſſariò,ſed contingenter,ſcilicet liberum arbitrium. Quod hoc modo poteſt conſiderari:inuenimus enim ordinem eſſe compoſſibilem reſpectu alicuius dupliciter , vno modo in quantum vna cauſa ſingularis producit effectum ſuum ex ordine diuinæ prouidentiæ : alio modo quando ex concurſu cauſarum multarum contingentium, & deficere poſſibilium peruenitur ad vnum effectum , quarum vnamquamque Deus ordinat ad conſecutionem effectus loco eius quæ deficit,vel ne altera deficiat;ſicut videmus quòd omnia ſingularia vnius ſpeciei ſunt corruptibilia , & tamen per ſucceſſionem vnius ad alterum poteſt in eis ſecundùm numerum ſaluari perpetuitas ſpeciei diuina prouidentia taliter gubernante , quod non omnia deficiant vno deficiente.Et hoc modo eſt in prædeſtinatione , liberum enim arbitrium deficere poteſt à ſalute ; tamen in eo , quem Deus prædeſtinat , tot alia adminicula præparat , quòd vel non cadat,vel ſi cadat, quòd reſurgat, ſicut exhortationes,& ſuffragia orationum,donum gratiæ,& alia huiuſmodi,quibus Deus adminiculatur homini ad ſalutem.* Ex hac doctrina pluſquam certi ſumus in via D. Thomæ ,nullam eſſe diuinam motionem ita efficacem , quæ hominis voluntatem antecedenter prædeterminet, ita vt cum tali præmotione componi non poſſit actualis diſſenſus eiuſdem liberæ voluntatis: & prædeſtinationem diuinam nõ ideo eſſe certam certitudine ordinis ſiue cauſalitatis, quòd ponat in voluntate libera aliquid præuium, quo poſito voluntas non poſſit non exire in actũ ſecundum, hoc enim expreſsè negat D.Thom. ſed ideo,quia Deus præuidens,quibus modis,& adminiculis voluntas ex ſe defectibilis fulciri poſſit,ne de facto deficiat,in eo,quem prædeſtinat, tot ponit adminicula , quòd licèt deficere poſſit pro ſua libertate,& etiam propter defectibilitatem ipſorum mediorum , tamen de facto non deficiet , & infallibiliter ſaluabitur. Quæ doctrina ſumpta eſt ex Aug.lib.1.ad Simplicianum,q.2.

I.

Auguſtinus.

Reſpondendo igitur formaliter ad dictas autoritates dicimus,cùm Deus vult alicuius ſalutem, non poſſe non eſſe effectũ ſalutis volitum à Deo, non quòd Deus in eo , quem vult ſaluari , ponat præuiam aliquam motionem ita efficacem , vt illi repugnet actualis diſſenſus voluntatis creatæ: ſed quia eum,quem vult ſaluari,mouet eo modo, quo ſcit certò & infallibiliter habiturum ſuum effectũ in ipſo,quem Deus vult ſaluari , & ſic illius ſalus eſt certa certitudine infallibilitatis,vt idem D.Th. ibi dicit, & certitudo infallibilitatis includit actũ præſcientiæ, & facit neceſſitatem ex ſuppoſitione concomitante , vel conſequente , vt notat Bañes prima part.q.14. a.13. §. *Ad explicandum ergo.* Vnde & probamus reſponſionem ibi allatam , quòd decretum illud diuinæ voluntatis non ſit omnino antecedens.Et ad primam inſtantiam reſpondetur, ſi non datur illa ſcientia media, declarent , qui illam negant,quomodo Deus ex præparatione multarum cauſarum,quæ omnes poſſunt deficere,ſciat quòd prædeſtinatus de facto non deficiat à ſalute: & quomodo ſciat præparare illi tot cauſas , cum quibus ſciat,quòd de facto non deficiet exiſtentibus illis omnibus ſecundùm ſe defectibilibus.

Bañes.

Ad ſecundam verò inſtantiam reſpondeo , me nunquam intelligere potuiſſe vim illius conſequentiæ. Si Deus non mouet voluntatem liberam motione ita efficaci , vt cum illa non poſſit componi actualis diſſenſus ; ergo liber conſenſus humanæ voluntatis non poterit reduci in Deum , vt primam cauſam.Nam ex eo, quòd vt voluntas cõſentiat,oportet illam à Deo præmoueri,ſemper ſequitur, conſenſum voluntatis reducendum eſſe in Deum , vt in primam cauſam. Ex eo verò , quòd non ita mouetur , vt neceſſariò conſentiat,non ſequitur primam cauſam non eſſe primam cauſam.

IV. Ad ſecundum argumentum principale reſpondetur,quòd nomine illorum prærequiſitorũ, quorum fit mentio in illa propoſitione, Potentia libera eſt illa,quæ poſitis omnibus requiſitis,&c. non intelliguntur prærequiſita in ordine ad actũ , qui eſt executio electionis : ſed intelliguntur ſolùm prærequiſita in ordine ad actum electionis,qui eſt proprius actus formalis potentiæ liberæ,de qua re videri poteſt Capreolus in 2.diſt.25. q.1.art.3. ad quartum contra primam concluſionem pag. mihi 436.colum.1.Vnde ad formam argumenti reſpondetur,decretum liberum non fuiſſe vnum de prærequiſitis ad liberam electionem creationis Mundi,immo fuit eadem electio creationis Mundi:ſed fuiſſe ſolùm de prætequiſitis ad executionẽ eiuſdem liberæ electionis. Suppoſito verò eodem decreto, non potuit Deus non creare Mundum : ſed illa fuit ſolùm neceſſitas ex ſuppoſitione concomitante & conſequente ; & creatio dicitur libera ratione liberæ electionis:vnde in ſumma argumẽtum eſt omnino extra propoſitum.

Capreolus.

V. Ad tertium reſpondetur,quòd cum diuina præſcientia,& prædeſtinatione non ſtat in ſenſu compoſito non eſſe rei præſcitæ,& prædeſtinatæ , non quòd ſit immediata repugnantia inter præſcientiã & non eſſe rei præſcitæ, vel quòd præſcientia ponat neceſſariò rem præſcitam ineſſe:ſed quia præſcientia connotat vt terminum eſſe rei præſcitæ, cui immediatè repugnat illius non eſſe; ſic dicitur de motione efficaci.Vnde formaliter ad argumentum,ſi præſcitum, & prædeſtinatum ſumantur reduplicatiuè , & formaliter vt talia , falſum eſt in ſenſu compoſito,præſcitum à Deo non eſſe futurũ, aut poſſe non eſſe,& prædeſtinatum poſſe non ſaluari.Si autem accipiantur præſcientia,& prędeſtinatio ſecundùm ſuam entitatem præcisè,& quoad illud , in quo præſcientia , & prædeſtinatio ſunt priores re præſcita,& prædeſtinata , ſic verum eſt rem præſcitam poſſe non eſſe , & prædeſtinatum poſſe non ſaluari.

VI. Ad quartum respondetur eodem modo, quòd si accipiatur motio efficax formaliter, & reduplicatiuè, cum motione efficaci non est compossibile non esse sui effectus, quia sub hac ratione cónotat necessariò esse eiusdem effectus, & esse, & non esse eiusdem effectus pro eodem instanti non sunt compossibilia. Si autem accipiatur eadem motio efficax, quoad suam entitatem præcisè, & vt est ordine causalitatis prior eodem effectu, sic cum eadem motione, & quolibet alio requisito ad constituendam potentiam liberam in actu primo, quantumcunque vltimatè completo est compossibile, & compossibile non esse eiusdem liberi effectus.

Sed contra prædicta est instantia apparens: quia suprà c. 28. dictum fuit, quòd ad verificandam propositionem modalem de possibili, requiritur, vt sua de inesse aliquando fuerit vera; sed ista propositio de inesse, homo motus à Deo per gratiam efficacem dissentit, nunquam fuit vera. ergo ista propositio, hominem motum à Deo per auxilium gratiæ efficacis dissentire est possibile, nunquam fuit vera. Hanc instantiam innuere videtur Aluarez disputatione 92. concl. 3. n. 7.

Respondeo, eodem planè modo, quo ista de inesse, homo per gratiam efficacem motus dissentit, est falsa, etiam istam de possibili, hominem motú per auxilium gratiæ efficacis dissentire est possibile, esse falsam, nimirum formaliter & in sensu reduplicatiuo, & sub formali ratione gratiæ, & auxilij efficacis, quia sub hac consideratione inuoluitur contradictio inter esse & non esse gratiæ efficacis, nam gratia efficax sub formali ratione efficacis ponit esse sui effectus, cum quo non est compossibile non esse eiusdem effectus, pro eodé instanti; sicut non est possibile, idem simul esse & non esse. Cæterùm considerata gratia efficaci materialiter & quoad suam præcisam entitatem realem & quoad gradum intensiuum gratiæ vel motionis realis, & quatenus ordine naturę, & causalitatis est prior nostra cooperatione, & consensu: sicut omnis causa est prior suo effectu, puto veram & catholicam esse locutionem, homo motus per gratiam efficacem dissentit, in hoc sensu, quia scilicet multi sunt, qui cum maiori gradu gratiæ dissentiunt, cùm tamen alij cum longè minori gradu gratiæ consentiant, & conuertantur, & saluentur. quod solùm hìc contendimus. Verùm quia secundùm communem modum loquendi vsu in scholis receptũ nomen gratiæ efficacis accipi consueuit in sensu formali & reduplicatiuè, & sub ea ratione, qua connotat respectum ad esse sui effectus, & ad nostram liberam cooperationem, non autem materialiter, & solùm quoad realé illius entitaté, & gradum intentionis, prout est ordine naturæ prior ipso effectu: idcirco non vtuntur Theologi hoc modo loquendi: Aliquis motus per auxilium gratiæ efficacis dissentit, quia nominibus vti debemus, vt nummis, vt in prouerbio dicitur.

CAPVT XXXII.

Pro quo instanti verificetur eadem propositio: Potentia libera est illa, quæ positis omnibus requisitis, &c.

I. OCtauum dubium oritur circa eandem propositionem quintam decimam, nempe, pro quo instanti potentia dicatur libera ad agendum, num in eodem instanti, in quo operatur, an verò solùm in instanti, vel in tempore præcedenti ante instans operationis. Est enim in hoc dubio vna opinio, dicens potentiam non esse liberam in eo instanti, in quo actu operatur, sed solùm in instanti, vel in tempore præcedente ipsam operationem. Hæc opinio tribui solet Magistro in 2. sent. dist. 25. c. 2. Hugoni nostro de sancto Victore lib. 1. de sacram. part. 5. c. 22. Ruperto Holkot 2. sent. q. 3. ad quartum, Gulielmo Okam, & Gabrieli Biel 2. dist. 38. q. 1. illi tamen hoc non dicunt. Immo Gulielmus Okam oppositum docet ductus ea ratione, quia licèt voluntas dum actu operatur, non possit non operari, quia, quod est, dum est, non potest nõ esse: tamen quatenus actio egrediens à potentia est posterior ipsa potentia, liberè ab illa egreditur, & potentia, vt prior ipsa actione est indifferens ad agendum, vel non agendum. Magister. Hugo de S. Vict. Rupert. Holkot. Okam. Riel.

Quid autem intendant dicere illis in locis, dico primò, illos non loqui de quocunque instanti, neque de quacunque libertate, neque de quacunque potentia libera, sed loqui de voluntate Angelica in primo instanti suæ creationis, quæ non habuit in eo instanti libertatem ad peccandũ; quia si peccasset in primo instanti, illud peccatũ refunderetur in Deum, & autorem naturæ Angelicæ. Hanc fuisse illorum mentem patebit legenti ea, quæ scribit idem Hugo Victorinus in summ. sent. p. 2. c. 2. & Holkot loco citato. Aut secundò voluerunt dicere, non in eo sitam esse rationem verę libertatis, vt volũtas in eodem instanti, in quo eligit actum, possit illum non eligere, ita vt pro eodem instanti habeat potentiam ad opposita, hoc enim est impossibile: sed in eo consistere, vt possit agere, & nõ agere successiuè, ita vt in eodem instanti in quo agit, retineat potestatem ad non agendum, non quidem pro eodem instãti, sed pro instanti immediatè sequenti. Vel, vt alij dicunt, libertatem arbitrij consistere in simultate potentiæ ad opposita, non autem in potentia simultatis ad actus oppositos pro eodem instanti. Aut tertiò dicere voluerunt, ad præteritum, aut ad præsens non esse libertatem in sensu composito. Dum enim res est, quatenus est, non potest non esse; & quod præteriit, nõ potest non fuisse, cum quo benè stat, quòd ad præsens sit libertas considerata potentia, quatenus est naturaliter prior ipsa operatione, & hunc sensum intendit ibi Magister, quem probat Soncinus in 9. Metaph. q. 17. & Dominicus Bañes 1. p. q. 83. a. 1. dub. 2. post secundam conclusionem. Hugo de S. Vict. Holkot. Magister. Soncinus. Bañes.

Est secunda opinio, quæ tribuitur Gregor. Arimin. in primo dist. 39. voluntatem liberam esse in eo instanti, in quo incipit operari, non autem in toto tempore sequenti, in quo continuatur operatio. Ratio huius opinionis est. Operatio non potest desinere in eo instanti, in quo incipit, quia nõ potest in eodem instanti esse & non esse. Rursus eadem operatio non potest desinere in aliquo instanti immediatè sequenti ad instans, in quo incepit, quia non dantur duo instantia immediatè sequentia. ergo datur aliquod tempus medium inter illa duo instantia, in quibus operatio incipit, & desinit, in quo operatio necessariò continuatur, & desinere non potest. ergo in eo tempore, in quo voluntas continuat operationem, non est libera ad illam non continuandam. Nec tamen sententia est falsa, vt statim videbimus. Arimin.

III. Tertia igitur communisque Doctorum sententia est, quæ sequentibus propositionibus declaratur. Prima propositio: Voluntas est libera in

in eo inſtanti,in quo dicit liberam operationẽ. In hac propoſitione conueniunt Scotus in 1. diſ.34. lit. F.G.Heruæus quodl.1.q.1. dub.6.Bellarminus lib.3. de Gratia & lib.arb.c.13.& Capreolus ab eo relatus, Soncinus, & Bañes locis proximè citatis. Vaſquez 1. parte diſp.68. c.7.Probatur propoſitio tali ratione.Si voluntas libera nõ eſt in eo inſtãti, in quo incipit operari:Ergo neque in futurum erit libera,neque pro tẽpore præterito libera dici potuit. Probatur conſequentia,quia tempus præſens comparatione præteriti habet rationem futuri.& comparatione futuri habet rationem præteriti.ergo ſi in præſenti non poteſt dici,hoc liberè fit,neque in futurum poterit dici,hoc liberè fiet, neque in præterito hoc liberè factum eſt.

Scotus. Heruæus. Bellarmin. Capreolus. Soncinus. Bañes. Vaſquez.

Secundò.Si actio in primo inſtanti præſenti libera eſſe non poſſet, Deus nihil liberè poſſet operari,quia Deo nihil eſt futurũ.Adhuc anima Chriſti in primo inſtanti non potuiſſet mereri,quia ad meritum requiritur,vt actio ſit libera.Idem dicendum eſſet de Angelo, quòd non potuiſſet mereri in primo inſtanti.Oppoſitum tamen docent communiter Doctores.

Tertiò ſequeretur ex oppoſita aſſertione, quòd homo nunquam poſſet peccare, quia homo non peccat,niſi eo tẽpore,quo agit;ſed homo non agit niſi in præſenti, & in præſenti liberè per ſe non operatur.Ergo nunquam peccat.

Quartò ſequeretur, ſi potentia libera non eſſet in primo inſtanti,in quo incipit operari,illam nũquã liberè operari. Probatur ſequela, quia illa nihil operatur niſi in præſenti. Alia plura argumẽta congerunt Soncinus loco cit. & Suarez diſp.19. Metaph.lect.9.Hæc autem intelligenda eſt, vt dixi non in ſenſu compoſito ita,vt ſit in voluntate poteſtas ad exeundum in actus oppoſitos in eodem inſtanti; ſed in ſenſu diuiſo modo ſuperiùs declarato.

Soncinus. Suarez.

IV. Secunda propoſitio:Potentia libera non ſolùm libera eſt in eo inſtanti,in quo incipit operari, ſed etiam in continuatione ipſius operationis. Conueniunt etiam in hac propoſitione autores proximè citati.Ea verò ſic probatur.Niſi voluntas liberè continuaret ſuam operationem, ſequeretur,vel hominem cogi ad perſeuerandum in peccato, vel perſeuerantiam in malo demeritoriam non eſſe, & adhuc perſeuerantiam in bono opere non eſſe meritoriam. Adhuc ſequeretur æquè peccare, qui non perſeuerat, ſicut qui perſeuerat in malo, quæ omnia abſurda,& falſa ſunt. Et conſequentiæ ſunt manifeſtæ ſuppoſito,quòd ad rationem meriti,vel demeriti,requiratur,vt actio ſit libera.

Ad argumentum pro ſecunda opinione reſpõdeo,falſum eſſe,quòd aliquid nõ poſſit incipere,& deſinere in eodem inſtanti.Ad probationem dico, quòd concludit,de iis, quæ incipiunt per primum ſui eſſe,& deſinunt per primũ ſui non eſſe, non autẽ de iis,quæ incipiunt per primum ſui eſſe, & deſinunt per vltimum ſui eſſe : nam poteſt idem inſtans eſſe primum,& vltimũ inſtans eſſe operationis,vt cõtingit in operationibus inſtãtaneis. In iis nanque operationibus non ſequitur in eodem inſtanti rem eſſe,& non eſſe; ſed ſolùm in aliquo inſtanti operationem eſſe, ita vt neque ante illud fuerit,neque poſtea futura ſit.

CAPVT XXXII.

Colliguntur variæ liberi arbitrij,& libertatis definitiones.

I. FAcilè apparere poterit ex his, quæ hoc libro à nobis dicta ſunt, quæ ſit vera liberi arbitrij, & ipſius libertatis eſſentia,& definitio.Quo etiã ſenſu accipiendæ ſint definitiones traditæ à Doctoribus.

Definitur enim liberum arbitrium à D. Anſ. in lib. arbitr.c.3. Quòd ſit poteſtas ſeruandæ rectitudinis propter ſe ipſam. cui definitioni ſubſcribit Ioannes Bacconus in 4.diſt.1.q.1.Verùm hæc definitio nõ conuenit libero arbitrio in ſtatu naturæ lapſæ, ſed ſolùm in ſtatu naturæ integræ, vt habetur ex D.Aug.lib.de Bono perſeuerantiæ c.7.

Anſelmus. Baconius. Auguſtinus.

Theoph. Alex.in 2.libro Paſchali ait : *Liberum arbitrium eſt facultas operandi & non operandi quod bonum eſt.* Hæc definitio competit omni libero arbitrio,etiam diuino,non enim eſt de ratione liberi arbitrij poſſe operari malũ,vt ſuperiùs dictũ eſt.

Theophilus Alex.

Magiſter in 2. diſt.24.c.3. *Liberum arbitrium eſt facultas rationis,& voluntatis,qua bonum eligitur gratia aſſiſtente:malum verò gratia deſiſtente.* Hæc definitio cõuenit ſolùm libero arbitrio creaturæ viatricis,vt viatrix eſt,non autem libero arbitrio beatorum,neque Dei.

Magiſter.

Nonnulli recentiores aiunt : *Liberum arbitrium eſt voluntas,prout eſt electiua ex iudicio rationis ſeu intellectus ſecundum ſe ad diuerſa indifferens,potens agere,& non agere.*

Verior definitio eſt: *Liberum arbitrium eſt facultas naturæ intellectualis, qua poſitis omnibus antecedenter requiſitis ad agendum,potens eſt agere,& non agere.* Hæc definitio conuenit omni & ſoli libero arbitrio,& datur per propriũ genus, & proprias illius differentias, & conuenit tam libero arbitrio diuino,quàm humano,& Angelico:cuius ſingulæ partes manent explicatæ ex ſedecim illis propoſitionibus,quibus proprium genus, propriaſque differentias liberi arbitrij ita aperuimus,vt fortaſſe(abſit iactantia)parũ,aut nihil poſſit deſiderari: vtque ſuperfluum cenſeamus,eas nunc iterum explicare.

II.

Ex his etiam colligi poteſt exacta verè libertatis definitio.Eſt enim libertas aliud nihil, niſi naturæ intellectualis interna vis, & inſeparabilis proprietas illa, qua poſitis omnibus ad agendum antecedenter requiſitis poteſt æquè in actũ ſecundum operationis exire,vel non exire. Quam definitionem tradit virtualiter D. Bernardus in libro de Gratia & lib.arb.quem refert & ſequitur Ruardus Taper a.7.pag.211.eámque antea inſinuauerat Alexander Aphrod.in lib. de fato, relatus à Iulio Sirenio libro 3. de fato c.27.in fine.

Bernardus. Ruardus Taper. Alex.Aphr. Iulius Sirenius.

Quod ait Vaſquez 1.p.diſp.99.n.47.& 1.2.diſp. 34.n.15.& diſp.55. n.13. & diſ.129. n.23. libertatem eſſe aliud nihil, niſi relationem, ſiue extrinſecam denominationẽ rationis ad modũ operandi cum indifferentia liberi arbitrij creati,& eſſe ſolum ens quoddam morale,& Deũ non eſſe eius cauſam,intelligenda eſt de libertate, vt eſt relatio actus ad rationẽ,nõ de libertate vt eſt interna vis naturæ intellectualis : illius enim Deus eſt cauſa,ſicut eſt cauſa ipſius intellectualis creaturæ.

Vaſquez.

PROPVGNACVLI HVMANÆ LIBERTATIS

LIBER SECVNDVS.

Esse in homine veram libertatem libro superiori declaratam probatur.

I. DEclarata libro superiori veræ libertatis natura, postulat instituti nostri ordo, vt eandem libertatẽ in nobis repetiri valida, & firma ratione demonstremus. Etsi autẽ inutilis, & superuacuus labor is alicui forsan videri possit, tum ex eo, quòd plurimi, iique grauissimi Doctores hanc prouinciam copiosissime obierunt, & feliciter absoluerunt: tũ etiam ex eo, quòd velle probare, hominem libero arbitrio præditum esse, simile sit, atque velle demonstrare naturam esse, quem conatum vanum, & risu dignum appellauit Aristoteles. Fatum enim non nisi fatui admittunt, ait Augustinus tract. 37. in Ioannem: & qui negant, hominem in suis actionibus liberum arbitrium habere, non sunt rationibus fatigandi, sed tandiu igne vrendi, donec fateãtur non esse necesse, illos igne aduri, sed posse etiam non vri, sicut de quibusdam negãtibus prima principia per se nota dicebat Auicenna in sua Metaphys. & cum huiusmodi obstinatis ita agendum, quemadmodum cũ seruo egit Zeno Philosophus. Cùm enim ob furtum admissum, à domino suo vapularet, seipsum excusans, *Fati* (inquit) *necessitas me ad furandum coegit.* At lepide Zeno respondit, *Et ipsa fati necessitas me cogit te verberare.* Est nihilominus idem labor hoc in loco necessarius, neq; omnino præteriri potest, cùm hominem libero arbitrio præditum esse, sit præcipuum huius operis fundamentum. Vnde velle hoc fundamentum tãquam verum maximè contra hæreticos obstinatè illud negantes, absque vlla probatione supponere, aliud nihil videtur esse nisi manifestam petitionẽ principij contra regulas Logicæ committere, & rem omnino probandam sine probatione, sua probatione fraudare. Probandum igitur nobis erit hoc secundo libro, hominem ea libertate arbitrij, quæ libro 1. declarata est, verè præditum esse. Et vt ordinatè incedamus, tria præstare studebimus. Primò referemus varios errores Philosophorum, Mathematicorum, & hæreticorum negantium liberum hominis arbitrium. Secundò ostendemus, hominem etiam post peccatum Adæ libero arbitrio præditum esse. Tertiò argumenta aduersariorum dissoluemus.

Aristoteles. Augustinus. Auicenna. Zeno.

CAPVT I.

Varij errores negantium liberum arbitrium recensentur, & in primis eorum, qui dixerunt, omnia ex absoluta necessitate venire.

CVm plures extiterint non solùm ex Philosophis, & Mathematicis, sed etiam ex hæreticis antiquis, & recentioribus, qui liberum arbitrium hominis negauerunt; non tamen omnes ex vno, & eodem, sed ex multiplici capite illud abstulerunt. Vt autem omnes errores ad certa capita reducamus, sic potest distingui. Cùm idem sit, hominem libero arbitrio præditum non esse, & omnia ex absoluta necessitate in mundo maximè actiones humanas prouenire, duobus modis concipere possumus inesse rebus, & præcipuè humanis euentibus absolutam necessitatem, vno modo ab intrinseca natura, alio modo à causa extrinseca. Rursus causa extrinseca esse potest vel Deus, vel alia causa præter Deum. Adhuc multis modis imaginari quis potest Deum rebus humanis necessitatem inferre, aut ex eo, quòd ipse sit agens ex necessitate naturæ, aut per certitudinem diuinæ præscientiæ, aut decretum efficax diuinæ voluntatis, aut per ordinem immutabilem diuinæ prouidentiæ, aut per diuinam prædestinationem, & reprobationem, aut per efficaciam motionis ipsius primæ causæ, qua alias omnes causas mouet, aut tandem per efficaciam diuinæ gratiæ. Ex aliis etiam causis multipliciter imaginari quis potest, inferri necessitatem humanæ voluntati, primò ex quadam serie, & complicatione omnium causarũ ad inuicem. secundò ex aspectibus & constitutionibus syderum, & corporum cælestium. tertiò ex peccato originali. Iuxta hos varios imaginandi, & dicendi modos, varij extiterunt errores de libero arbitrio.

II. Primus eorum, qui liberum arbitrium negauerunt, dicentes, omnia prouenire ex absoluta necessitate proueniente ab intrinseca cuiusque rei natura, quæ ita determinata est ex se ad agendum quidquid agit, vt nec plura, nec aliter agere possit, quàm agat. Huius erroris meminerunt Lactantius Firmianus lib. de ira Dei c. 9. Gregorius Nyssenus lib. 8. Philosoph. cap. 3. tribuentes eundem errorem Democrito, & Heraclito. Iulius Sirenius lib. 2. de fato cap. 8. vbi dicit, plures ex antiquis Philosophis in hoc errore versatos fuisse, & Thomas VValdensis lib. 1. doctr. fidei, cap. 25. eundem errorem tribuit Petro Abailardo, & Ioanni VVicleff. Vtrùm autem Petrus Abailardus, & Ioannes VVicleff, contra quos ibi scribit, posuerint necessitatem absolutam proueniẽtẽ à natura intrinseca cuiuscunque rei, an à causa extrinseca, mihi certum nõ est. Ex eodem capite negauit libertatẽ arbitrij Manichæus referente Aug. in libro de hæresibus, hæresi 46. ille enim posuit duas naturas, alteram boni, à qua dixit, non posse prouenire nisi bona; alteram mali, à qua non proueniunt nisi mala. Vnde quæcunque bona, vel mala veniunt in mundo, ex necessitate naturæ proueniũt. Quod probat Manichæus ex verbis Saluatoris apud Matth. cap. 7. *Non potest arbor bona fructus malos facere, neque arbor mala fructus bonos facere.*

Lactantius Firmianus. Nyssenus. Iulius Sirenius. Thomas VValdens. Abailardus. VVicleff. Manich. Augustinus.

In

Auguſtinus. In eundem errorem deducit Auguſtinus Iulianum Pelagianum lib. 1. c. 3. contra eundem Iulianum. Ille enim dicebat, non poſſe propagari peccatum originale per generationem naturalem, quia generatio eſt opus Dei, & peccatum eſt opus diaboli, & opus diaboli non poteſt tranſire per opus Dei. *Si hoc eſt verum* (inquit Auguſtinus) *ergo multo minus opus diaboli poteſt naſci ex opere Dei, & in illo manere.* Ergo oportebit ponere duo prima principia, vnum, ex quo non naſcantur niſi bona, alterum, ex quo non naſcantur niſi mala. Hunc errorem Manichæi ſequuti ſunt Priſcillianiſtæ.

III. Secundus error fuit illorum, qui dixerunt, omnia prouenire ex abſoluta neceſſitate prouenientе à cauſa extrinſeca, nempe ex prima cauſa vniuerſaliſſima, quæ eſt Deus, quem dixerunt agere ex abſoluta naturæ neceſſitate. Hunc errorem Cic. in lib. de Natura Deorũ, tribuit Democrito, & Heraclito, Empedocli, & etiam Ariſtoteli. Plutarchus lib. de placitis Philoſophorum, eundem errorem tribuit Platoni, & Heraclito. Plures alij eundem errorem tribuunt Ariſt. & Peripateticis, vt Petrus Pomponatius lib. 5. de fato c. 2. Scotus in primo, diſt. 2. & diſt. 39. & in 2. diſt. 12. quæſt. 2. & Iulius Sirenius lib. 3. de fato c. 10. & Ferrarienſis lib. 2. cont. Gent. cap. 23. tribuens eandem ſententiam Auicennæ.

Cicero. Plutarchus. Petrus Pomponatius. Scotus. Iulius Sirenius. Ferrariẽſis.

Eſt tamen animaduertendum, duobus modis poſſe intelligi, Deum agere ex neceſſitate naturæ, vno modo quòd agat ſine cognitione, quo pacto Ariſtot. in 8. Phyſic. & 9. Metaph. diſtinguit inter agentia naturalia, & ea, quæ agunt cum ratione, & hoc modo nullus Philoſophorũ dixit, Deum eſſe agens ex neceſſitate naturæ: conſtat enim apud omnes ſapientes, Deum eſſe ſubſtantiam intellectualem agentem per intellectum, & voluntatem. Alio modo poteſt intelligi, Deum agere ex neceſſitate naturæ; quia licèt ſit præditus intellectu, & voluntate, non tamen agit per intellectum & voluntatem, ſed per ſuam naturam tanquam immediatum principium actionis, & intellectus, & voluntas ſe habent ad actionem ſolùm concomitanter eo modo, quo dixit Durandus, diuinas emanationes ad intra eſſe non per intellectum, & voluntatem, ſed per quendam modũ priorem, quem vocat per modum naturæ. Vel ſi ait per intellectum, & voluntatem tanquam principia actionis, illa tamẽ ex neceſſitate ſint determinata ad agendum, quidquid Deus agit ad extra, ſicut dicunt Theologi, illa eſſe naturaliter determinata reſpectu productionum ad intra. Et hoc ſecundo modo fortaſſe dixerunt Philoſophi, Deum agere ex neceſſitate naturæ. Vtrùm autem hoc ſenſerit Ariſt. libro quarto videndum eſt. Plato etiam referente Ludouico Viues lib. 5. Auguſtini de Ciuit. c. 10. à neceſſitate fatali exemit humanas voluntates. Ariſtoteles verò cùm lib. 2. Phyſicorum contra antiquos Philoſophos probet, eſſe in rebus caſum, & fortunam, & in tota ſua Philoſophia agnoſcat in rebus contingentiam; aut non dixit, Deũ agere ex naturæ neceſſitate; aut non putauit, talem neceſſitatem auferre contingentiã à rebus, aut tandem repugnantia docuit, vt placet Scoto.

Ariſtot. Durandus. Plato. Ludouicus Viues.

Petrus Abailardus. Sanderus. D. Bern. VValdẽſis. Alphonſus Caſtrenſis. VVicleff.

Ex hæreticis Petrus Abailardus referentibus Nicolao Sandero lib. 7. viſibilis Monarchiæ hæreſi 146. & D. Bernardo apud Thomam VValdenſem lib. 1. doctrinalis fidei c. 10. & Alphonſo à Caſtro aduerſùs hæreſes, verbo, *futurum contingens*, & verbo, *libertas*, dixit, Deum agere ex neceſſitate naturæ: neque poſſe plura facere, quàm faciat. Ioannes VVicleff apud eundem VValdenſem eodem c. 10. & c. 15. & 21. & ferè per totum, vſque ad caput 30. dixit omnia euenire in mundo ex abſoluta neceſſitate, & Deũ agere ex neceſſitate naturæ, neque poſſe plura facere, nec aliter, quàm faciat. Dicit tamen, quòd poſſet plura facere, ſi vellet; ſed tamen ait quòd non poteſt velle, & ſic veritatem deludit, vt apparet ibid. c. 15. Addit quòd Deus neceſſitat omnes creaturas ad agendum, vt apparet ex c. 21. vbi referuntur illius verba ex lib. Trialogi. & hic error refertur inter alios huius hæretici errores damnatos in Conc. Cõſtantienſi ſeſſ. 8. & eſt art. 27. & ſeſſi. 15. Lutherus in defenſione art. 36. à Leone X. damnati fatetur, omnia ex abſoluta neceſſitate euenire iuxta dictum poëtæ, *Certa ſtant omnia lege.* Idem ſenſit aliquando Philippus Melanctон, vt apparet ex locis communibus editis anno 21. loco de viribus hominis, & lib. arbitrio. vbi citat in eundẽ erroré Laurentium Vallam, & ex his, quæ idem Philippus ſcripſit in Epiſtolam ad Romanos. Fatentur tamen Ruardus Taper art. 7. & Lindanus in ſua Panoplia lib. 3. c. 16. illum ſeniorem, & doctiorem factum, ab errore reſipuiſſe. Bucerus etiam ipſe referente eodem Tapero pag. mihi 212. dixit, nõ ſolùm omnia ex abſoluta neceſſitate, quæ liberum arbitriũ tollit, euenire, ſed Deum ipſum omnia, quæ agit, ex neceſſitate agere. Caluinus quoque lib. 3. Inſtit. cap. 23. §. 6. docet, omnia ex abſoluta neceſſitate euenire. Sed vtrùm hæc neceſſitas proueniat ex eo, quòd Deus ſit agens ex neceſſitate naturæ, hoc mihi omnino conſtare non poteſt. Quanuis lib. 5. c. 16. §. 3. hunc etiam errorem videatur docere dum ait: *Omnipotentiam ſibi vendicat, ac deferri à nobis vult Deus, non quam Sophiſta fingunt, inanem, otioſam, & ferè ſopitam, ſed vigilem, efficacem, operoſam, & quæ in continuo actu verſetur.* Quo dicendi modo indicare videtur, ſentire ſe, Deum nihil facere poſſe niſi quod facit. Horum autem omnium hæreticorum Protoparens videtur fuiſſe Simon Magus: ille enim, referente Clemente Romano lib. 3. recognitionum, docuit, omnia ex abſoluta neceſſitate euenire. Et licèt non conſtet, quo ſenſu id dixerit, conſtat tamen, quòd arbitrij libertatem negauit. De hac re nonnulla ſcribit Cardinalis Bellarminus lib. 3. de gratia, & libero arbitrio cap. 15. §. *Vna eſt dubitatio.*

Conc. Conſtant. Lutherus. Philippus Melanctон. Laurentius Valla. Ruardus Taper. Lindanus. Bucerus. Caluinus. Simon Magus. Clemens Romanus. Bellarmin.

CAPVT II.

Referuntur tres alij errores negantium humanam libertatem.

I. TErtius error fuit illorum, qui humanam libertatem, & ſimul omnium rerum contingentiam abſtulerunt ob certitudinem infallibilem diuinæ præſcientiæ. Ex hoc capite illã abſtulit ex Philoſophus Heſiodus, hoc enim eſt, quod ait, fatum aliud nihil eſſe niſi Iouis mentem. Ex eodem capite contingentiam rerum abſtulerunt Stoici, vt notat Sirenius lib. 1. de fato c. 9. & lib. 6. c. 9. & colligitur ex D. Aug. lib. 5. de Ciuit. c. 9. & 10. Ex hæreticis verò referunt D. Hieron. Dial. 3. contra Pelagianos, & Tertullianus lib. cõtra Marcionem c. 2. vſque ad 7. eundem Marcionẽ ex certitudine diuinæ præſciẽtiæ, hominis libertatẽ abſtuliſſe; ſic enim ille arguebat: Vel Deus præſciebat Adam peccaturũ, ſi illum crearet, vel non. ſi non, non erat Deus: ſi ſic, ergo Adam non poterat non peccare. Ioan. VVicleff ex hoc capite expreſsè humanã libertatem negauit, referente Thom. VValdenſi eod. lib. 1. c. 21. vbi citat verba illius ex lib. 1. Trialogi c. 9. dicentis: *Quis rectiloquus negaret hanc conſequentiã, Deus intelligit hoc; ergo hoc eſt intellectum à Deo?*

Heſiodus. Stoici. Sirenius. Auguſtinus. Hieronymus. Tertul. Ioannes VVicleff. VValdenſis.

à Deo? sed de quacunque creatura signata antecedens est absolutè necessarium, & æternum; ergo & consequens. Et inferiùs cap. 29. idem VValdensis refert argumentum VVicleffi, sumptum ex diuina præscientia, quo ille dicebat viginti annis fatigatum Armacanum, illud dissoluere nescisse.

Caluinus. Bellarmin. Caluinus quoque, referente Card. Bellarm. lib. 4. de Grat. & lib. arb. cap. 13. ex certitudine diuinæ præscientiæ sumebat præcipuum argumentum ad impugnandam humanam libertatem.

Cicero. Tandem Cicero in lib. de fato, etsi humanam libertatem minimè negauerit, eam nihilominus arbitratus est, ita cum certitudine diuinæ præscientiæ repugnare, vt ne læderet nostram libertatem, negauerit, Deum futuros euentus hominum liberos præscire. & sic, vt Augustinus ait lib. 5. de Ciuit. cap. 9. vt faceret homines liberos, fecit sacrilegos, & Deum ignarum.

August.

II. Quartus error fuit illorum, qui humanam libertatem abstulerunt per efficaciam decreti diuinæ voluntatis. Ex hoc capite illam videntur abstuliſſe Stoici, referente Augustino eodem lib. 5. cap. 8. dicente, ipsam præcipuè Dei summi voluntatem, cuius potestas insuperabilis per cuncta porrigitur, Stoicos appellare fatum. Refértque ibi Augustinus verba Cleantis Philosophi ab Anneo Seneca conscripta lib. 18. epistolarum vt notat ibi Ludouicus Viues, quæ sunt ista.

August.

Cleans. Seneca. Ludouicus Viues.

Duc me summe Pater alti dominator Olympi
Quocunque placuerit, nulla parendi mora est:
Adsum impiger. fac nolle comitabor gemens:
Malúsque patiar facere, quod licuit bono.
Ducunt volentem fata, nolentem trahunt.

Refert quoque versus Homericos à Cicerone in Latinum versos eandem sententiam redolentes, in hunc modum:

Tales sunt hominum mentes, quales Pater ipse
Iupiter auctiferas lustrauit lumine terras.

Quorum versuum sensus est (vt Viues ibidem exponit) Mentes hominum mutari subinde, nec ipsas constare sibi: eséque singulis diebus, quales eo die vult, illas esse Iupiter Deorum, atque hominum parens.

Seneca. Anneus Seneca Stoicorum partes in hoc secutus ex eodem capite videtur, humanam libertatẽ abstuliſſe, nõ solùm propter versus ex Cleante superiùs ab illo recitatos, quos videtur recitasse ad suam opinionem comprobandam, sed etiam propter ea, quæ illemet scripsit libro secundo Quæst. Natur. cap. 35. ait enim: *Quemadmodum rapidorum aqua torrentium in se non recurrit, nec moratur quidem, quia priorem superueniens præcipitat: sic ordinem fatis æterna series regit, cuius hæc prima lex, stare decreto.* Et cap. 36. ait: *Fatum est necessitas rerum omnium actionúmque, quas nulla vis rumpat.* Et lib. de beneficiis cap. 9. idem docet, & fato subiicit etiam humanas voluntates. Quæ si vera sunt, nescio quomodo nonnulli recentiores humanam libertatem Stoicorum Philosophorum autoritate legitimè valeant probare.

Non me latent verba Augustini eodem lib. 5. de Ciuit. cap. 10. in principio dicentis: *Vnde nec illa necessitas formidanda est, quam formidando Stoici laborauerunt, causas rerum ita distinguere, vt quasdam subtraherent necessitati, quasdam subderent: atque in his quas esse sub necessitate noluerunt, posuerunt etiam nostras voluntates, ne videlicet non essent liberæ, si subderentur necessitati.* Sed nihilominus cùm aperta sint testimonia, quæ ex Cleante, & Seneca, & aliis citantur vel etiam ab ipso Augustino, cùm etiam constet, Stoicos humanas voluntates fato subdidisse, aut dicendum est, inter Stoicos ipsos de hac re non conuenire, quibusdam affirmantibus, aliis negantibus: aut illos non sibiipsis constare, sed modò affirmare, modò negare, aut duplex fatum, duplicémque necessitatem posuisse, alteram, quæ libertatem auferat, eam videlicet, quæ prouenit ab intrinseca rei natura; alteram verò, quæ libertatem secum admittat, prouenientem à causa extrinseca, maximè ex causa prima vniuersalissima, & humanas voluntates posteriori tantùm, non etiam priori necessitati subdidisse: aut tandem Stoicos non agnouisse veram libertatem, sed de libertate iuxta quartam illam acceptionem superiori lib. cap. 3. à nobis explicatam locutos esse, & eam solam in humanis actibus agnouisse, quod ego vero simillimum esse arbitror, idque me suadent non solùm ea, quæ ex Cleante, Seneca, & aliis Stoicis superiùs retulimus, sed potissimùm, quæ de hac re contra ipsos Stoicos scripsit Alexander Aphrodisæus libro de fato cap. 8.

Alexand. Aphrod.

Plato. In eandem sententiam deduci potest Plato, si vera sunt, quæ scribit Viues eodem lib. 5. cap. 10. illud idem sensisse, quod Stoici. licèt enim quædam dixerit, quæ videntur libertatem redolere, maximè libro vltimo de Republica, tamen ille veram rationem libertatis non est assecutus, & ad hoc, vt aliquid liberè factum esse dicatur, sufficere putauit si libenter, & sponte illud fiat, nulla vi cogente contra naturalem inclinationem.

VVicleff. VValdensis. Ex hæreticis hunc errorem expressè docuit Ioannes VVicleff referente VValdensi eodem lib. 1. cap. 23. & aliis in locis eiusdem libri, quæ superfluum est adnotare, patent enim illius verba ibidem relata, ex lib. 1. Trialogi c. 9. & lib. 2. c. 13.

Caluinus. Caluinus ex eodem cap. aufert humanam libertatem. Licèt enim concedat, Deum non necessitate, sed liberè decreuisse, quidquid decreuit ad extra, tamen lib. 2. contra Pighium pag. 236. sic ait: *Proinde quæ fortuita maximè videntur, ea dicimus fieri necessariò non suapte natura, sed quoniam æternum, & stabile Dei consilium in illis gubernandis regnat.* Idem de Caluino refert Bellarminus lib. 4. citato cap. 14. & 16. vbi refert eius argumentum sumptum ex efficacia diuinæ voluntatis ad vertendam humanam libertatem. Idem videtur sensisse Lutherus in defensione art. 36. id nanque præseferunt illa eius verba: *Nobis ad inferna spectantibus res apparent arbitrariæ: sed ad superna spectantibus omnia sunt necessaria, quia non sicut nos, sed sicut ille vult, ita videmus, facimus, patimur omnes, & omnia.*

Caluinus. Caluinus. Bellarmin.

VValdensis. Quod grauius est refert Thomas VValdensis eodem lib. cap. 25. nonnullos Catholicos viros magni nominis in eodé errore versari. Ait enim: *Periculosè ergo, vt mihi videtur, quidam magni nominis viri necessitatem istam præcedentem omnem in humanis operibus, etiam & quòd fluat à voluntate Dei, maximè cùm antiquis Ecclesiæ Patribus nihil consonans reperire possint, cùm conantur.* Loquitur verò ibi de necessitate proueniente non ab intrinseca natura, sed à causa extrinseca, scilicet à prima causa vniuersalissima, quæ est diuina voluntas, vt patet legenti. & cap. 28. refert quosdam ponentes in humanis actibus necessitatem non absolutam, sed respectiuam prouenientem ex diuina præscientia & diuina voluntate, antecedentem tamen determinationem humanæ voluntatis, & contendentes eam esse mentem D. Augustini, Anselmi, & D. Thomæ. quorum opinionem

August. Anselmus. D. Thom.

Digitized by Google

nionem ibi comparat errori Sabellianorum, & Arrianorum.

III. Quintus error fuit illorum, qui libertatem abſtulerunt ex ordine immutabili per diuinam prouidentiam in rebus conſtituto. Cicero lib. 2. de diuinatione putauit, diuinam prouidentiam pugnare cum arbitrij libertate. Ita etiam illi tribuunt Auguſtinus lib. 5. de Ciuit. cap. 9. & D. Thomas 3. cont. Gent. cap. 94. ratione quarta: ideo vt libertatem tueretur, prouidentiam negauit. Boëtius Seuerinus lib. 4. de conſolatione proſa 6. & lib. 5. proſa 4. dicit, ſemper viſum fuiſſe antiquis Philoſophis, arbitrij libertatem diuinæ prouidentiæ repugnare. Quòd ſi quis obiiciat, Stoicos humanas voluntates exemiſſe à fatali neceſſitate, & Platonem ſæpe conatum fuiſſe defendere libertatem, & contingentiam, & fortunam, & caſum, facilis erit reſponſio ſi ex eodem Platone in Timæo animaduertamus, duplex eſſe cauſarum genus, aliæ enim dicuntur principales, vt Deus, Dæmones, & corpora cæleſtia: aliæ dicuntur ſecundariæ, & ſunt cauſæ inferiores, quas Plato diuidit in naturales, artificiales, & fortuitas, ſeu liberas, & voluntarias. Igitur reſpectu cauſarum minùs principalium inferiorum admittit quidem Plato in nobis libertatem, cùm ait, quædam fieri à natura, quædam à fortuna, quædam ab arte. At reſpectu cauſarum ſuperiorum principalium maximè reſpectu primæ cauſæ nulla eſt fortuna, nulla libertas in doctrina Platonis: ille enim docet, ſecundas cauſas nihil efficere poſſe aduersùs primas, quas fatales vocat, & ſecundas cauſas à primis ita neceſſariò dirigi, vt neceſſariò propendeant in id, ad quod primæ eas impellunt. De hac re videri poſſunt, quæ doctè ſcribit Sirenius lib. 6. cap. 17. & 18.

Caluinus ex hoc capite expreſsè negat libertatem humanorum euentuum; ſic enim ait lib. 3. Inſtit. cap. 23. §. 6. *Si hominum euenta Deus prouideret duntaxat, non etiam ſuo arbitrio diſponeret, & ordinaret, non abs re ageretur quæſtio, ecquid ad eorum neceſſitatem valeat prouidentia: ſed cum non alia ratione præuideat, quæ futura ſunt, niſi quia vt fierent, decreuit, fruſtrà de præſcientia lis mouetur, vbi conſtat ordinatione potius, & nutu omnia euenire.* Videatur Bellarminus lib. 4. cap. 7. & 13.

Cicero. Auguſt. D. Thomas. Boëtius. Plato. Sirenius. Caluinus. Bellarminus.

CAPVT III.

Recenſentur tres alij errores humanam libertatem negantium.

I. SExtus error fuit eorum, qui arbitrij libertatem negauerunt, ob infallibilem euentum diuinæ prædeſtinationis, & reprobationis. Hunc errorem Semipelagiani impoſuerunt D. Auguſtino, vt patet ex epiſtolis D. Proſperi Aquitani, & D. Hilarij Arelatenſis ad Auguſtinum, quæ præmitti ſolent libris Auguſtini de Prædeſtinatione Sanctorum & de Bono perſeu. A quo errore Auguſtinus ſeſe purgauit tum in dictis libris, tum etiam in libro ad articulos ſibi falsò impoſitos. ſiue is liber ſit Auguſtini, ſiue D. Proſperi Aquitani conſcriptus in gratiam defenſionis doctrinæ Auguſtinianæ, cùm idem libellus reperiatur inter opera Proſperi ſub titulo, *Ad obiectiones Vincentianas*; ob quam cauſam certum eſt etiam, D. Proſperum alios duos libellos edidiſſe ſub titulo, *Ad capitula Gallorum, & ad excerpta Genuenſium.* Eundem errorem ex doctrina eiuſdem D. Auguſtini prauè ab illis intellecta, & ad ſenſus ab Auguſtino nunquam meditatos extorta hauſerunt, & vehementi animi ardore complexi ſunt paulò poſt obitum illius nonnulli ex Gallia Narbonenſi: dixerunt enim, omnes hominum actiones ſiue bonas, ſiue malas fuiſſe à Deo ab æterno prædeſtinatas: & eodem modo prædeſtinatam fuiſſe cuiuſque ſalutem, aut damnationem. Hinc deducebant, non prodeſſe reprobis benè operari, neque obeſſe prædeſtinatis malè agere, quia ex vi prædeſtinationis ſiue ad bonum, ſiue ad malum quidquid boni agant reprobi, tandem damnabuntur, & quidquid mali agant prædeſtinati, tandem ſalutem adipiſcentur. Vnde & dicebant, non eſſe increpandos homines pro iis, quæ malè agerent, neque hortandos eſſe ad bonum, ſed Dei iudicio relinquendos: ob quam cauſam iſti hæretici vocati ſunt Prædeſtinati. Qui verò fuerint primi huius erroris aſſertores, colligi poteſt ex iis, quæ refert Cardinalis Baronius tomo 6. Annal. ſub anno 490. num. 17. & ſequentibus, refert enim ibi, preſbyterum quendam Lucidum nomine hunc errorem cum aliis multis primùm docuiſſe, aduersùs quem ſcripſit Fauſtus Galliarum Epiſcopus epiſtolam, quæ probata fuit tanquam Catholica in quodam Concilio Arelatenſi vndecim Epiſcoporum, in quo Concilio hic error cum aliis eiuſdem Lucidi damnatus eſt. Immo idem Lucidus erroribus abiuratis eidem damnationi libentiſſimè ſubſcripſit. Eiuſdem autem erroris meminit Concilium ſecundum Arauſicanum cap. vltimo non diu poſt obitum Auguſtini celebratum. Et Sigibertus in Chronico ſub anno Domini 415. refert, eundem errorem ortum ſtatim mortuo Auguſtino ex illius doctrina prauè intellecta. Videtur verò idem error, vel continuatus vſque ad annum Domini 855. quo tempore celebratum eſt Concilium Valentinum ſub Lothario Imperatore, vel ſaltem eo tempore denuò excitatus: vt patet toto cap. 3. illius Concilij, in quo declarata eſt doctrina Auguſtini de Prædeſtinatione, & damnatus error Prædeſtinatorum. Eundem errorem complexi ſunt Ioannes VVicleff, & Ioannes Hus illius diſcipulus, vt habetur ex articulis illius, 3. 5. 6. 21. & 25. damnatis in Concilio Conſtantienſi. Eiuſdem erroris meminit Sanderus lib. 7. de Viſib. Monarch. hæreſi 101.

Ex eodem errore Lutherus & Melancton ſuſtulerunt arbitrij libertatem, vt patet ex illis Philippi verbis: *Quandoquidem omnia, quæ eueniunt, neceſſariò iuxta diuinam prædeſtinationem eueniunt, nulla eſt arbitrij libertas.* & aliis ſimilibus. Ferunt etiã eundem errorem reſuſcitatũ in Hollandia circa annum Domini 1548. Tandem Caluinus, etſi in aliis varius, & lubricus, in hoc perpetuò ſibi conſtans, immò neque in hoc ſibi conſtans, docet, hominem ante peccatum habuiſſe liberum arbitrium lib. 4. Inſtit. cap. 15. §. 8. & lib. 2. cap. 5. §. 18. Et in Antidoto Concilij Trident. ad cap. 8. 6. ſeſſion. docet, hominem conſequi arbitrij libertatem per diuinam gratiam: & nihilominus illos errores Lucidi damnatos in dicto Concilio Arelatenſi libentiſſimè complexus eſt, vt quòd peccante Adam liberum hominis arbitrium perierit, qui erat ſecundus illius articulus. quòd Deus ſit autor malorum operum, ſicut bonorum; quòd non ſit in poteſtate hominis via eius; & demum cùm Caluinus negat, ex diuina prouidentia arbitrij libertatem, multo magis eam negabit ex diuina prædeſtinatione.

Septimus error fuit illorum, qui arbitrij liber- II.

Narbonenſes. Baronius. Fauſtus Epiſcopus. Concilium ſecundum Arauſicanũ. Sigibertus. Concilium Valent. VVicleff. Ioan. Hus. Concil. Conſtant. Sanderus. Lutherus. Melancton. Caluinus.

tatem ſuſtulerunt ex efficacia diuinæ motionis. Ex hoc capite libertatem arbitrij negant omnes illi, qui fatalem neceſſitatem conſtituunt in ſuperiori cauſa agente, ſiue ex neceſſitate naturæ, ſiue per intellectum, & voluntatem aliquo ex modis ſuperiùs narratis: Illi enim omnes aſſeruerunt, cauſam primam ita efficaciter mouere cauſas inferiores, vt illas rapiat, & impellat omnino ad effectum producendum, & ad huiuſmodi productionem neceſſiter. ita expreſsè docuerunt Stoici, vt patet ex verbis Cleantis, & Senecæ ſuprà citatis, ita Plato in Timæo, ita VVicleff relatus à VValdenſi locis citatis, ita etiam ſenſiſſe Caluinum, indicant eius verba lib. 2. cont. Pighium, *Voluntatem autem à neceſſitate in malum trahi, vel duci, quamuis libertate abdicata, offendit eos, qui inter neceſſitatem, & coactionem diſtinguere neſciunt.* Et illa: *Quæ fortuita maximè videntur, ea dicimus fieri neceſſariò, non ſuapte natura, ſed quoniam æternum, & ſtabile Dei conſilium in illis gubernandis regnat.* & illa, *Voluntatem mouet gratia, non qualiter multis ſæculis creditum eſt, vt noſtra poſtea ſit electionis, motioni aut obtemperare, aut refragari; ſed illam efficaciter efficiendo.* Et ne quis dicat, Caluinum loqui ſolùm de motione diuinæ gratiæ efficacis, non de alia quacunque motione, profero eius verba in Antidoto, ad 6. cap. 6. ſeſſionis ſic dicentis: *Sed permiſſione ſolùm, agere Deum in malis, cui perſuadeant, niſi qui totam Scripturæ doctrinam ignorat? Magis enim vrgent ſententiæ, quæ reprobos teſtantur ſanctificatos eſſe ad opus Dei exequendum, eſſe eius ſecta, gladios, & ſecures, quæ manu eius reguntur, excitari eius ſibilo, conuenire ad peragenda, quæ Dei manus, & conſilium decreuit: & Chriſtum à Iudæis definito eius conſilio interemptum, quàm vt permiſſionis ſuffragio eludi queant.* Eundem errorem ſecuti ſunt Lutherus, & Melanctон: ſed quia illi quoad hunc errorem ſententiam correxerunt, non opus eſt eorum loca recenſere.

Plato. VVicleff. VValdenſis. Caluinus. Lutherus. Melanct.

III. Octauus error fuit illorum, qui dixerunt, efficacem Dei gratiam cum humani arbitrij libertate pugnare, & ex vnius poſitione alterum tolli. Hunc errorem non ſemel impoſuit Auguſtino Iulianus Pelagianus dicens, illum ex eo, quòd gratiam Dei defendebat, quæ non datur ſecundùm merita, inducere fatalem neceſſitatem, quæ ſubuertat arbitrij libertatem, à quo errore pleriſque in locis ſe vindicat Auguſtinus maximè in ſex libris contra eundem Iulianum. In hunc errorem lapſi ſunt Monachi illi Adrumetini, quorum meminit idem Auguſtinus epiſt. 46. & 47. ad Valentinum, ad quorum errorem extirpandum libros de Gratia & lib. arbit. & de Correptione & gratia conſcripſit. In eodem errore verſari Caluinum docent eius verba proximè citata, *Voluntatem mouet gratia, non qualiter multis ſæculis traditum eſt, & creditum, vt noſtra poſtea ſit electionis motioni, aut obtemperare, aut refragari: ſed illam efficaciter efficiendo.* Et illa in Antidoto ad ſextum c. 6. ſeſſionis ex multis eundem ſenſum redolentibus; *In eo hallucinantur* (ſcilicet Patres Concilij) *quòd motum nobis offerri ſomniant, qui mediam electionem nobis relinquat: nihil autem de illa efficacia cogitant, qua cor hominis renouatur, vt ex prauo fiat rectum.*

Auguſtinus. Iulianus Pelagianus. Monachi Adrum. Auguſtinus. Caluinus.

Ex eodem capite, ſed modo alio longè diuerſo, arbitrij libertatem abſtulit Iouinianus. Dixit enim, hominem ſemel Dei gratiam adeptum per legitimam Baptiſmi ſuſceptionem ita in bono confirmari, vt ampliùs peccare non poſſit. ita referunt Auguſtinus lib. de hæreſibus hæreſi 82. & ſermone 191. de tempore, & alijs pluribus in locis, in quibus hunc refutat errorem, & Alphonſus à Caſtro aduersùs hæreſes in verbo, *Gratia*, hæreſi ſecunda. Eundem errorem ex parte ſecuti ſunt Pelagius, & Lutherus referente eodem Caſtrenſi dicto in loco ex teſtimonio Auguſtini, & Ioannis Ekij.

Iouinianus. Auguſtinus. Caſtrenſis. Pelagius. Lutherus. Auguſtinus.

CAPVT IV.

Quatuor alij errores de libero arbitrio recenſentur.

NOnus error fuit illorum, qui fatalem neceſſitatem liberum arbitrium auferentem conſtituebant in ſerie, & connexione quadam ſecundarum cauſarum, quæ ad inuicem ita eſſent complicatæ, vt cauſa cauſam gigneret, & prior poſteriorem in effectum propelleret. Quam tamen ſeriem negabant pendere ex ordine, & diſpoſitione diuinæ prouidentiæ. Huius ſtultitiæ meminit Auguſtinus lib. 5. de Ciuitate cap. 1. & ex illo Iulius Sirenius lib. 3. de fato cap. 2. Quis verò fuerit huius erroris primus aſſertor parum refert ſcire. I. Auguſtin. Sirenius.

Decimus error fuit eorum, qui fatum conſtituebant in conſtitutione & aſpectu cæleſtium corporum, quæ dicebant agere in hæc inferiora, & non ſolùm in corpora, ſed etiam in hominum voluntates: eáſque fatali quadam neceſſitate ita ſibi ſubiicere, vt nihil caſu, aut contingenter, aut liberè fiat etiam ab ipſa humana voluntate: ſed omnes homines, & quoad corpus, & ſecundùm animi affectiones fatalibus ſtellis eſſe alligatos. Huius erroris meminit Auguſtinus eodem lib. 5. cap. 1. & aliis ſequentibus. & lib. 4. confeſſ. c. 3. & illum tribuit cuidam hæretico nomine Badeſani in libro de hæreſibus hær. 55. licèt Alphonſus à Caſtro in verbo, *fatum*, reuocet in dubium, an ille hunc docuerit errorem. & Epiphanius hæreſi 56. dicat, illum ſcripſiſſe contra Abidam Aſtrologum fati aſſertorem. Quidquid verò ſit de hoc hæretico, conſtat, hunc errorem docuiſſe Priſcillianum eodē Auguſtino referente hæreſi 70. vt habetur etiam ex Leone primo epiſt. 71. ad Epiſcopum Aſturicenſem, in qua eundem errorem damnauit. Eiuſdem erroris meminit Concilium Bracarenſe, in quo ſimiliter ille damnatus eſt c. 9. & 10. Fuit autem Priſcillianus referente D. Hieronymo in epiſtola ad Cteſiphontem non ſolùm Summi Pontificis, ſed ſæculi gladio, & totius orbis autoritate damnatus. De qua re præter Caſtrenſem loco citato videri poſſunt Andreas Vega lib. 2. in Concilium cap. 12. & Cardinalis Baronius tomo 4. Annal. ſub anno Domini 381. num. 100. II. Auguſt. Caſtrenſis. Epiphan. Abidas Aſtrologus. Priſcil. Auguſt. Leo primus. Conc. Brac. Hieron. Andreas Vega. Baronius.

Hunc verò errorem iſte hæreticus didicit à Mathematicis, ſiue Aſtrologis Genethliacis, éſtque error notiſſimus, contra quem ſcripſerunt quamplures ex priſcis, tum Patribus, tum etiam Philoſophis, vt poſtremo huius operis libro videbimus. Aſtrologi Genethl.

Vndecimus error fuit eorum, qui dixerunt liberum arbitrium per peccatum Adæ in homine fuiſſe penitùs extinctum. Hunc errorem Iulianus Pelagianus imponebat D. Auguſtino, à quo ille ſe purgauit lib. 1. contra duas epiſt. Pelagianorum, & aliis pluribus in locis. Illum verò ex doctrina eiuſdem prauè expoſita hauſtum expreſsè docuit ille preſbyter Lucidus ſuperiùs memoratus in ſuis erroribus damnatis in Concilio Arelatenſi: nam ſecundus error talis eſt: *Qui dicit poſt primi hominis lapſum ex toto arbitrium voluntatis extinctum.* III. Iulianus Pelagianus. Auguſt. Lucidus preſbyter. Concilium Arelat.

Lutherus

Lutherus. Lutherus in defenſione articul.36. ſic ait: *Liberum arbitrium poſt peccatum eſt res de ſolo titulo; & dum facit, quod in ſe eſt, peccat mortaliter.* Philippus Melanct. Melancton eidem propoſitioni ſubſcribit in annotationibus ad epiſtolam ad Romanos, referente Sandero lib.7.hæreſi 188.

Sanderus.

Laur.Valla. Bucerus. Laurentius Valla in lib.de libero arbitrio, Martinus Bucerus in libro Concordiæ articulo de libero arbitrio,& Caluinus lib.1.Inſtit.cap.16. §.8. & lib.2.cap.2.§.4.& cap.4.§.6.& lib.2. contra Pighium,& in Antidoto ad cap.6.ſeſſionis 6.eidem ſententiæ libentiſſimè ſubſcripſerunt. In Antidoto verò loco citato ſic ait: *Memineramus ergo, aliud eſſe voluntatem in homine, aliud liberam boni, ac mali electionem: ſublata enim poſt lapſum primi hominis eligendi libertate, ſola voluntas relicta eſt, quæ ſub peccati tyrannide captiua vſque adeò tenetur, vt non niſi ad malum feratur.* Laboratque non parum Caluinus, vt Auguſtinum in ſuæ ſententiæ patrocinium traducat. Animaduertendum eſt tamen, Caluinum concedere, hominem ante lapſum Adæ fuiſſe præditum libero arbitrio, vt habetur ex eius lib. primo Inſtitutionum cap.15.§.8.& lib.2.cap.5. §.18. quæ ſi vera ſunt, non potuit Caluinus ex ordine diuinæ prouidentiæ, aut ex motione efficaci, aut alia ex cauſis ſuperiùs tactis, libertatem auferre: nam illa omnia eodem modo ſe habuiſſent ante peccatum: neque enim per peccatum Adæ immutata eſt efficacia diuinæ voluntatis, aut infallibilitas diuinæ præſcientiæ, aut ordo diuinæ prouidentiæ, aut efficacia diuinæ motionis. Quare ſi ante peccatum Adæ illa non impediebant arbitrij libertatem, neque poſt peccatum illam impedire poſſunt. Sed hæc eſt ipſiſſima natura mendacis, nec cum ſeipſo, nec cum veritate concordare.

Oecolampadius. Oecolampadius in annotationibus ad homiliam D. Ioannis Chryſoſtomi de conuerſione B. Pauli ait, poſt peccatum relictum eſſe homini liberum arbitrium ad malum, non autem ad bonum. Alij demum, referente Andrea Vega lib.2.in Andreas Vega. Concilium Tridentinum cap.16. in principio dicunt, poſt peccatum primorum parentum remanſiſſe in homine liberum arbitrium ad bona naturalia, non autem ad bona, quæ ſunt ordinis ſupernaturalis.

IV. Duodecimus, & vltimus error eſt eorum; qui etſi concedant ſecundùm fidem Catholicam, hominẽ præditum eſſe libero arbitrio etiam quoad actus ordinis ſupernaturalis: fatentur tamen arbitrij libertatem non poſſe probari lumine naturali, ſed fide ſola credendam eſſe, qui & conantur rationes, quibus hæc veritas probatur, diſſoluere. ita ſentiunt quidam Doctores alioquin Catholici, ſcilicet Ioannes Buridanus lib.3.Ethic.quæſt.1. Ioannes Buridanus. & Andreas de Caſtro nouo in primo diſt.45. quos non legi, ſed tantùm reperi citatos à Tapero art.7. pag.mihi 209.& Card.Bellarmino lib.4.de Gra.& lib.arbitr. cap.5. quorum ſententiam non dubito erroneam eſſe: nam ſi ratione naturali humana libertas probari nequit, petit naturalis ratio,& iam nihil per illam certi poterit demonſtrari.

Omnibus itaque erroribus negantium arbitrij libertatem per ordinem recenſitis, in hoc ſecundo libro ante omnia nobis probandum erit, non omnia ex abſoluta neceſſitate euenire, ſed eſſe in rebus contingentiam, & in homine veram libertatem, etiam ſuppoſito Adæ peccato, idque non ſolùm per autoritatem diuinæ Scripturæ, & definitiones Eccleſiæ, ſed etiam per rationes naturales euidentiſſimas. Et ſic refutati manebunt primus error, & ſimul vndecimus, ac duodecimus. Deinceps verò lib.3.refutabitur tertius error. lib.4. ſecundus, & quartus. lib.5. error quintus. lib.6. & 7. error ſextus. lib. 8. error ſeptimus. lib. 9. error octauus. & lib.10. errores nonus, & decimus.

CAPVT V.

Probatur humani arbitrij libertas auteritate diuinarum Scripturarum.

NE argumentorum copia, quibus probari ſolet humani arbitrij libertas, aut inopiam, aut confuſionem pariat, aliquo certo ordine nobis incedendum erit in probando ipſam arbitrij libertatem. Illud igitur inprimis admonere nos oportet, in quo cum Catholicis etiam hæretici conueniunt, triplex eſſe actionum humanarum genus. Aliquæ enim naturales dicuntur, vt ſunt vineas plantare, domos ædificare, terram excolere, comedere, bibere, & alia de quibus D. Auguſtinus lib.3.Hipognoſticon prope initium. has actiones Lutherus in libro de Viſitatione Saxonica vocat ciuiles, & externas. Eaſdem Melancton in 8. cap. epiſtolæ ad Romanos vocat actiones medias, quòd ſint mediæ inter moraliter bonas, & malas; nam comedere, bibere, vineam plantare, de ſe neque eſt opus moraliter bonum, neque moraliter malum. Aliæ dicuntur actiones morales, & ſunt eædem actiones naturales, quatenus ineſt illis reſpectus bonitatis, vel malitiæ moralis, ob quem reſpectum induunt rationem actuum virtutis, aut vitij, & illas conſequitur laus, aut vituperium, præmium, aut ſupplicium, vt ſunt ieiunare, & crapulari, honeſtè viuere, & fornicari, eleemoſynam dare, aut furari. Aliæ tandem vocantur actiones ſupernaturales, & ſunt eædem actiones morales quatenus procedunt ex diuina gratia, & ſunt media ex diuina inſtitutione ordinata ad æternam gloriam aliquo modo aſſequendam. De actionibus ſupernaturalibus non agemus in hoc loco: quia quæſtio, an homo in actionibus ſupernaturalibus habeat liberum arbitrium, nõ aliam, neque maiorem difficultatem continet, niſi illammet, quæ lib.9. diſputanda eſt, an efficacia diuinæ gratiæ impediat arbitrij libertatem; ideo lib.9. eadem quæſtio ſimul cum illa eiuſdem loci propria examinabitur. Nunc ergo ſolùm probare intendimus, hominem libero arbitrio præditum eſſe in ordine ad actiones tum naturales, tum morales: & quanquam nonnulli viri docti ſeorſum tractent de naturalibus, & ſeorſum de moralibus, nos de vtriſque ſimul tractabimus, tum vt breuitati conſulamus, tum quia ex eiſdem planè locis ſumuntur argumenta ad probãdam libertatem in actionibus tam naturalibus, quàm moralibus. Conſtituenda ſunt autem certa quædam loca, ex quibus argumenta ſuo ordine erunt ſumenda, vt omnis confuſionis occaſio vitetur.

Auguſtinus. Lutherus. Melanct.

II. Primus locus erit autoritas irrefragabilis diuinarum Scripturarum. Supponimus igitur, hæc omnia eſſe vnum, & idem, hominem in ſuis actionibus habere liberum arbitrium, & hominem eſſe dominum ſuarum actionum; & habere poteſtatem in ſuos actus, & poteſtatem propriæ voluntatis; & habere in ſua facultate eligere, vel nõ eligere, & poſſe aliquid facere, vel non facere: quòd enim hæc omnia vnum, & idem ſint, intellexerũt etiam Lutherus in reſolutionibus circa ſeptimam concluſionem, & Caluinus in ſuo libro de iuſtificatione, & aliis in locis, quæ videri poſſunt apud Taperum

Digitized by Google

Taperum pag. 264. & sequentibus. Ad conuincendam igitur arbitrij nostri libertatem, hæc veniunt nobis ex certissimis diuinæ Scripturæ testimoniis probanda. Primò hominem esse dominum suorũ actuum, & suæ voluntatis. Secundò habere potestatem id, quod voluerit, faciendi, vel non faciẽdi. Tertiò habere hominem in sua facultate liberam electionem. Quartò habere in sua potestate bonũ, & malum. Quintò posse hominem diuinæ voluntati, & diuinis iussionibus non obtemperare, sed pro sua voluntate refragari. Primum probatur vulgato illo apud Patres testimonio ex libro Genes. cap. 4. quo passim omnes vtuntur ad arbitrij libertatem probandam, videlicet ex illis verbis, quæ dixit Deus Caino, *Quare iratus es, & cur concidit facies tua? nónne si bene egeris, recipies: sin autem malè, statim in foribus peccatum tuum aderit? sed sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius.* Ante omnia videndum est, quo fine, quáve occasione hæc dixerit Deus Caino. Certum verò est, occasionem nullam aliam fuisse, nisi quia respexit Dominus ad Abel, & ad munera illius: ad Cain verò, & ad munera eius non respexit, quã ob causam, inquit sacer textus, iratus est Cain vehementer, & concidit vultus eius, & Deũ in corde suo veluti partium studiosum accusauit, & tanquam iniustum; à qua calumnia volẽs seipsum purgare, & malitiam cordis eius redarguere, séque ostendere erga omnes iustissimè incedere illa protulit verba: *Nónne, si bene egeris recipies: sin autem malè, statim in foribus peccatum tuum aderit? sed sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius.* His suppositis illa verba manifestè indicant, hominem esse verè dominum sui appetitus: alias vanè redargueret Deus malitiam cordis Cain, quippe quæ non subesset illius potestati, & voluntati: vanè etiam promitteret mercedem, aut supplicium benè, aut malè operantibus, non enim esset in eorum potestate benè, aut malè agere. Demum vanè contenderet Deus ostendere, se partium studio minimè affectum, qui nulla existente differentia ex parte illorum, ad vnius munera, non etiam alterius respiceret.

III. Caluinus. Scio, Caluinum illum locum ita commentari, vt pronomen *eius*, referat non peccatum, sed personam Abel, & sit sensus, sub te erit appetitus Abel, & tu dominaberis illius: quod dominium tibi obueniet iure primogenituræ. Verùm hoc commentum esse planè ridiculum ostendit primò cõmunissima omnium priscorum Patrum interpretatio illius loci, quæ relinquenda non est, vt sequamur nouum istum sensum Caluinianum, dicente Domino Ecclesiastici 8. *Non te prætereat narratio seniorum.* Omnes verò priscos Patres illum locum ita exponere, vt pronomen illud relatiuũ, *eius*, referat non personam Abel, sed peccatum, egregiè inducit Card. Bellarminus lib. 4. de Gratia & lib. arb. cap. 22. Secundò, quia pronomina *eius, illius*, & his similia secundùm vim Grammaticæ, in qua Caluinus, & alij hæretici maximam vim constituunt, referunt nomina, quibus proximè adiunguntur. nomen verò, cui proxime adiungitur pronomen, *eius*, in illa periodo, non est Abel, sed peccatum, cùm in illa non habeatur nomen Abel. Tertiò, quia oportebat Caluinum docere, quòd fratres primogeniti quantumcunque perditissimi de iure diuino, aut naturali sint domini fratrum suorum, quod nec probauit, nec vnquam probare quis poterit. Contrarium nanque docet diuina Scriptura Genes. 27. & 48. & alia plura possent adduci exempla, & testimonia, nisi esset hoc abundare in superfluis, cùm ex illis, quos Deus ad principatum elegit, vix vllus primogenitus reperiatur electus, vt patet exemplis in Isaac, Iacob, Ioseph, Dauide & aliis. Immo verò iustos impiorum dominari, non semel eadem Scriptura nos docet. Huc enim tendit illud Psalmi, *Et dominabuntur eorum iusti in matutino.* Quartò esto sit inter homines dominium, demus etiam Caluino (licèt verùm non sit) Cainum futurum dominum Abelis, quis legum peritia conspicuus vnquam dixit, Principem dominari appetitus sibi subditorum, & appetitus subditorum subesse dominio suorum Principum? Certè si Principes voluntatum suorum subditorum essent domini, nulli cogerentur seruire, nulli reniterentur, nullis catenis, aut carceribus, nulla armorum vi ad rebelles comprimendos opus foret, nullis mœnibus, nullo apparatu, nullo exercitu indigeret Princeps, qui suorum subditorum voluntates in sua haberet potestate, vt perbellè quidam Agesilao Lacedæmoniorum Principi fertur respondisse. Cùm enim Rex ille suos proceres sciscitatus esset, qua re maximè opus foret, ad regnum Spartæ incolume seruandum, monuit ille subditorum, maximè magnatum, beneuolentiam sibi conciliare, manu adstantes proceres indicans, & dicens: *Isti sunt Sparta mœnia.* Sed Caluinus non aduertit, D. Paulum ad Ephesios 6. & ad Colossenses 3. hortantem seruos non ad oculum, & coactos seruire, sed ex corde, & animo. Si enim hoc animaduertit, quomodo non erubuit dicere, hominem dominari appetitus alterius hominis? Quintò non aduertit etiam Caluinus, non solùm nullum hominem, sed nec vllam creaturam dominam esse voluntatis hominis; sed esse prærogatiuam, quam diuinæ Scripturæ soli Deo tribuere solent. Exodi 4. *Ego indurabo cor Pharaonis.* Idem cap. 7. & 9. 10. 11. 14. & Deuteronomij 2. *quia induraverat Dominus Deus tuus spiritum eius, & obfirmauerat cor illius, vt traderetur in manus tuas.* Esther 14. *Tribue sermonem compositum in ore meo in conspectu leonis: & transfer cor illius in odium hostis nostri.* Iob 12. *Qui immutat cor Principum, & errare eos facit, quasi ebrios.* Prouerb. 21. *Sicut diuisiones aquarum, ita cor Regis in manu Domini, quocunque voluerit, inclinabit illud.* Vt omittamus pleraque alia testimonia non solùm ex diuina Scriptura, sed etiam ex D. Augustino petita, quæ passim citabuntur in progressu operis. Sextò non aduertit etiam, non solùm hominem non posse dominari voluntatis alterius hominis, sed nec etiam illam posse scrutari, eíseque prærogatiuam diuinitatis, corda hominum scrutari, iuxta illud Psalmi 7. *Scrutans corda & renes Deus.* & in Actis Apostolorum cap. 1. *Tu Domine, qui corda nosti omnium.* Si autem non potest homo voluntatem hominis scrutari, quomodo potest illius dominari?

Caluinus. Bellarmin. Augustin.

Quod autem addit Caluinus, illa verba, *& tu dominaberis illius*, esse præceptiua, præterquam quod est dictum ex proprio cerebro, sine vlla ratione confictum, quid quæso illud iuuat in hac causa? Nam quod præcipitur nobis, in nostra potestate situm esse oportet, nullus enim nisi insanus præcipit impossibilia, multo minus Deus.

IV. Secundò principaliter probandum est, hominem habere potestatem faciendi, vel non faciendi, quæ voluerit; quod idem est, ac si dicamus, illum habere potestatem suæ voluntatis ad faciendum, vel non faciendum quidquid voluerit.

Digitized by Google

tit. Ad hoc verò probandum est euidentissimum testimonium in libro Exodi cap. 25. in principio, iuxta veritatem Hebraicam, vbi nanque vulgata editio habet, *Loquere filiis Israel, vt tollant mihi primitias ab omni homine, qui offert voluntarius, accipies eas.* textus Hebræus ait, דַּבֵּר אֶל־בְּנֵי יִשְׂרָאֵל וְיִקְחוּ לִי תְּרוּמָה מֵאֵת כָּל־אִישׁ אֲשֶׁר יִדְּבֶנּוּ לִבּוֹ תִּקְחוּ אֶת תְּרוּמָתִי. Quod reddendo verbum verbo idem est, ac si dicamus, *Loquere ad filios Israel, vt tollant mihi oblationem: ab omni viro, qui voluntarius exhibuerit cor suum, accipietis mihi oblationē.* Secunda autoritas habetur libro Numerorum cap. 30. vbi præscribitur lex votorum obseruandorum, & inter alia sic habetur: *Si vouerit* (scilicet mulier) *& iuramento se constrinxerit, vt per sextum, vel cæterarum rerum abstinentiam affligat animam suam, in arbitrio viri erit siue faciat, siue non faciat.* Notanda sunt illa verba, *in arbitrio viri erit*, quibus non legitimè obiicitur, quòd non ita legatur in contextu Hebræo, primò quia lectio, qua nos vtimur, vsu antiquissimo recepta semper fuit in Ecclesia Dei. Secundò, quia textus Hebræus eundem sensum reddit: immo verbis clarioribus nostram sententiam confirmat. subdit enim statim post verba citata, *omne votum, atque omne iuramentum, quod aliquid prohibet, quo anima affligitur, potest paterfamilias illud confirmare, poterit & dissoluere.* Ecce hîc expressè habemus, habere hominem potestatem suæ voluntatis ad aliquid faciendum, vel omittendum. Tertia autoritas est in libro Ecclesiastici cap. 15. *Deus ab initio constituit hominem rectum, & reliquit illum in manu consilij sui; adiecit mandata, & præcepta sua. Si volueris mandata seruare, conseruabunt te, & in perpetuum fidem placitam facere. Appositi aquam, & ignem, ad quodcunque volueris porrige manum tuam. Ante hominem vita, & mors, bonum, & malum: quodcunque placuerit ei, dabitur illi.* Quarta autoritas est in eodem libro c. 31. *Beatus diues, qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala, & non fecit.* Neque potest obiici, hunc librum canonicum non esse, quia ille inter canonicos receptus est ab antiquissimis temporibus: illum enim recepit Concilium tertium Carthaginense cap. 47. vt alia minùs antiqua omittamus. Illum recepit Augustinus, vt habetur in libro eius secundo de Doctrina Christiana cap. 8. cuius Augustini autoritas apud Caluinitas irrefragabilis esse debet. Illum etiam tanquam Canonicum probauit Innocentius Papa huius nominis Primus ante annos 1100. in epistola ad Exuperium Episcopum Tolosanum, & certè Augustinus sæpe vtitur testimonio huius libri in suis scriptis.

Caluin.

Concilium Carthag.

August.

Innocentius PP.

V. Neque dici potest, illas autoritates esse intelligendas solùm de homine in statu innocentiæ originalis. Primò, quoniam verba antecedentia, & sequentia planè indicant, eum loqui de homine etiam supposito peccato. Quid enim aliud innuere volunt verba illa immediatè antecedentia, *Ne dicas, me ille implanauit, non enim necessarij sunt ei homines impij: omne execramentum erroris odit Dominus, & non erit amabile timentibus eum?* & illa subsequentia, *oculi Domini ad timentes eum, & ipse agnouit omnem operam hominis.* Et secunda illa autoritas sine dubio non potest intelligi de homine constituto in statu naturæ integræ. Et dato, sed non concesso, quòd de illo statu ea verba forent exponenda, inde etiam colligeremus, naturam humanam conditam esse cum arbitrij libertate; & non omnia ex absoluta necessitate euenire, & diuinam præscientiam, & voluntatem, & prouidentiam non pugnare cum arbitrij libertate: æquè enim Deus fuisset præscius, & volens, & prouisor rerum humanarum ante peccatum, & sine illo, sicut post illud; aliquin accessisset aliquid diuinæ perfectioni ex hominis malitia, fuissentque Deo necessarij homines impij, contra id, quod sapiens in dicto loco testatur: haberemus insuper, non fieri in mundo quidquid fieri potest contra id, quod hæretici contendunt. Circa verò eandem autoritatem ex lib. Ecclesiast. cap. 15. illud addendum, idem esse, Deum reliquisse hominem in manu consilij, atque reliquisse cum potestate, & libertate arbitrij, vt recte ibidem Glossa interlinearis, & Vatablus adnotarunt: est enim frequens consuetudo diuinæ Scripturæ, potestatem nomine manus exprimere.

Glossa interlinearis. Vatablus.

Quinta autoritas est apud Matthæum c. 26. *An putas, quod non possim rogare Patrē meum, & exhibebit mihi modo plus quam duodecim legiones Angelorum?* Hîc habemus, potuisse Christum rogare Patrem, quæ non rogauit, & obtinere, quod non obtinuit; & sic non fit omne, quod à Deo, aut ab hominibus fieri potest, vt hæretici contendunt. Sexta est apud Ioannem cap. 1. *Dedit illis potestatem, filios Dei fieri:* quæ verba conuincunt, relictam esse in peccatoribus libertatem, vt fiant filij Dei, si velint. Non enim ista potestas iustis data est, qui filij Dei iam sunt, neque indigent, tales fieri, sed peccatoribus, vt rectè Augustinus obseruauit tract. 93. in Ioannem, illa verba exponens. *Audiamus* (inquit) *Euangelistam dicentem: dedit eis potestatem filios Dei fieri, ne omnino existimemus, in nostra potestate non esse, quod credimus: veruntamen in vtroque beneficia illius cognoscamus.* Septima est in libro Actuum Apostolorum capite 5. *Nónne manens tibi manebat, & venundatum in tua erat potestate?* Octaua in epistola 1. ad Cor. c. 7. vbi Apostolus docet, esse in potestate patrisfamilias nuptui tradere filias suas, vel non tradere, sic dicens: *Nam qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis, & hoc iudicauit in corde suo, seruare virginem suam, bene facit.* & pro dictione, *potestatem libertatis*, in contextu Græco est dictio ἐξουσίαν, quæ vel ipso Caluino consentiente significat potestatem illam, quam nos vocamus liberum arbitrium, vt superiùs visum est libro præcedenti cap. 3. num. 4.

VI.

Augustinus.

CAPVT VI.

Afferuntur alia diuinæ Scripturæ ad idem probandum testimonia.

I. TErtiò principaliter probatur, hominem habere in sua potestate liberam electionem & indifferentem, quam Caluinus vocat mediam electionem. Prima autoritas est in libro Deuteronomij cap. 30. *Testes inuoco hodie cælum, & terram, quod proposuerim vobis vitam, & bonum, benedictionem, & maledictionem. Elige ergo vitam, vt & tu viuas, & semen tuum.* Secunda in libro Iosue capite vltimo: *Sin autem malum vobis videtur, vt Domino seruiatis, optio vobis datur; eligite hodie, quod placet, cui seruire potissimùm debeatis, vtrùm Diis, quibus seruierunt patres vestri in Mesopotamia, an Diis Amorrhæorum, in quorum terra habitatis. Ego autem, & domus mea seruiemus*

uiemus Domino. Tertia eſt in ſecundo Regum capite 24. *Trium tibi datur optio, elige unum, quod volueris ex his, vt faciam tibi.* Quarta in tertio Regum capite 3. *Apparuit autem Dominus Salomoni per ſomnium nocte, dicens: Poſtula, quod vis, vt dem tibi.* Conſtat autem ex ſequentibus, datam his verbis Salomoni optionem plura poſtulandi, quæ non poſtulauit, & tamen poſtulare, & obtinere potuiſſet. Quinta in Pſalmo 83. *Elegi abiectus eſſe in domo Dei mei, magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum.* Sexta in libro Dan. capite 13. vbi Suſanna inter anguſtias conſtituta ait: *Anguſtiæ mihi ſunt undique: ſi enim hoc egero, mors mihi eſt: ſi autem non egero, non effugiam manus veſtras. ſed melius eſt mihi abſque opere incidere in manus veſtras, quàm peccare in conſpectu Domini.*

II. Quartò ſpecialiter probatur, habere hominem in ſua facultate eligere, & agere bonum, vel malum. Id manifeſtè indicant illa verba Geneſis quarto. *Nónne ſi bene egeris recipies: ſin autem malè, ſtatim in foribus peccatum tuum aderit?* Deuteronomij 30. *Teſtes invoco hodie cœlum, & terram, quòd propoſuerim vobis vitam, & bonum, benedictionem, & maledictionem.* Eccleſiaſtici 15. *Appoſuit aquam, & ignem, ad quorumcunque volueris, converte manum tuam.* Iſaiæ 1. *Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis. quòd ſi noluerstis, & me ad iracundiam provocaueritis, gladius devorabit vos, quia os Domini locutum eſt.* Ieremiæ 18. *Si pœnitentiam egerit gens illa à malo ſuo, quod loquutus ſum aduerſùs eam, agam & ego pœnitentiam ſuper malo, quod cogitaui, vt facerem ei, & ſubitò loquar de gente & de regno, vt ædificem, & plantem illud. Si fecerit malum in oculis meis, vt non audiat vocem meam, pœnitentiam agam ſuper bono quod locutus ſum, vt facerem ei.* Hic autem modus loquendi ſupponit in homine poteſtatem faciendi bonum, & malum pro ſua voluntate. Ezechielis 18. *Cùm auerterit ſe iuſtus à iuſtitia ſua, & fecerit iniquitatem, morietur in eis, in iniuſtitia, quam operatus eſt, morietur, & cùm auerterit ſeipſum ab impietate ſua, quam operatus eſt, & fecerit iudicium & iuſtitiam, ipſe animam ſuam viuificabit.* 3. Regum 18. *Vſquequò claudicatis in duas partes? ſi Dominus eſt Deus, ſequimini eum, ſi autem Baal, ſequimini illum.* Danielis 13. *Sed melius eſt mihi abſque opere incidere in manus veſtras, quàm peccare in conſpectu Domini.* Apocalypſis capite 2. *Et dedi illi tempus, vt pœnitentiam ageret, & non vult pœnitere à fornicatione ſua.* quod non diceret, niſi in poteſtate hominis poſuiſſet Deus agere, vel non agere pœnitentiam.

Caluinus. Neque eſt vllius momenti reſponſio Caluini ad hæc, dicentis, hominem non habere poteſtatem à ſeipſo bonum faciendi ſine Dei adiutorio: hoc enim conceſſo non ſequitur, non habet homo poteſtatem bonum faciendi ſine adiutorio Dei. Ergo non habet poteſtatem bonum faciendi: eſt enim reuera inſulſa nimis argumentatio, quæ militaret in aliis omnibus actionibus. & perinde poſſemus arguere, homo non habet poteſtatem videndi, manducandi, reſpirandi, &c. quia hæc non habet à ſeipſo, neque ſine Dei adiutorio. Eodem etiam modo, qui haberet aliquid non à ſeipſo, ſed ab alio ſibi donatum, non verè illud haberet. Et ſic ſi Rex donaret militi arma, vel equum, ille non verè haberet arma, nec equum, quia non haberet illa à ſe ſine dono Regis; quæ ſunt putidæ nænіæ, indignæ vt in illis reiiciendis Theologi horas male perdant, ad quas tamen nos deducit hæreticorum perfricatata impudentia, & obſtinatio.

III. Quintò ſpecialiter probatur, poſſe hominem diuinæ voluntati refragari, & nolle, quod Deus vult, aut velle, quod Deus non vult. Huc tendunt verba illa, quibus Moyſes Hebræorum duritiem, & contumaciam contra Dominum exaggerauit, præcipuè Deuteronom. 31. *Ego enim ſcio contentionem tuam, & ceruicem tuam durißimam. Adhuc viuente me, & ingrediente vobiſcum, ſemper contentioſè egeſtis contra Dominum, quantò magis cùm mortuus fuero?* Et illa Dauidis in Pſalm. 80. *Et non audiuit populus meus vocem meam, & Iſrael non intendit mihi.* Et Pſalm. 94. *Hodie ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra, ſicut in irritatione, ſecundùm diem tentationis in deſerto, vbi tentauerunt me patres veſtri, probauerunt, & viderunt opera mea.* & Prouerb. 1. *Quia vocaui, & renuiſtis, extendi manum meam, & non fuit, qui aſpiceret, deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis, ego quoque in interitu veſtro ridebo.* & Iſaiæ 5. *Quid eſt, quod debui vltrà facere vineæ meæ, & non feci ei? An quòd expectaui, vt faceret vuas, & fecit labruſcas?* Et Matthæi 23. *Ieruſalem quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat filios ſuos ſub alas, & noluiſti?* Et vt ſemel dicam, omnia diuina præcepta reſpectu eorum, qui illa tranſgrediuntur, indicant, hominem poſſe non velle, quod Deus vult, aut velle, quod Deus non vult.

IV. His omnibus adiungere poſſumus alia teſtimonia, quibus indicatur, Deum quædam à nobis velle exigeréque, ſub conditione tamen, ſi nos quoque illa velimus. Eiuſmodi eſt illud Pſalm. 80. *Si populus meus audiſſet me, Iſraël ſi in viis meis ambulaſſet.* & illud Eccleſiaſtici 15. *Si volueris mandata ſeruare, conſeruabunt te.* & illud, *Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis.* & illud, *Si pœnitentiam egerit gens illa à malo ſuo, quod locutus ſum aduerſùs eam, agam & ego pœnitentiam.* & illud Euangelicum: *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata.* & alia ſexcenta, quæ afferri poſſent, quæ manifeſtæ eſſent irriſiones, ſi non eſſet poſitum in hominis poteſtate iſtas, & ſimiles conditiones adimplere.

Caluinus. Nam quod ait Caluinus ad hæc reſpondens, non eſſe inconueniens, Deum aliquid promittere ſub conditione impoſſibili, ob aliquam rationem ſibi notam, ita abſurdum eſt, vt hoc admittendo bona pars diuinarum Scripturarum manifeſtam faciat iacturam, & aliud ſit nihil niſi ironia, & hominum irriſio. Nam ſi illud quod Deus pollicetur, & ad quod nos hortatur impoſſibile eſt, cur dicit, illud eſſe poſitum in noſtra poteſtate? & ſi non eſt poſitum in noſtra poteſtate illud aſſequi, cur monet, & hortatur vt ſtudeamus illud aſſequi? cur increpat noſtram duritiem, & negligentiam in non aſſequendo? Cur negligentes punit, cur exaggerat hominum ſurditatem, & obſtinationem? Quid ſibi volunt increpationes & comminationes illæ? *Quia vocaui, & renuiſtis, & extendi manum meam, & non fuit, qui aſpiceret.* &c. *Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethſaida, quia ſi in Tyro, & Sidone factæ eſſent virtutes, quæ factæ ſunt in te, pœnitentiam egiſſent in cilicio, & cinere.* Et illæ: *Ieruſalem, quæ occidis Prophetas, qui ad te miſſi ſunt, & lapidas eos, quoties volui congregare*

gregare filios tuos,&c.& noluiſti? Ideo relinquetur vobis domus veſtra deſerta. Et illæ: *Dura cervice, & incircumciſis cordibus, & auribus, vos ſemper Spiritui ſancto reſtitiſtis.* Quid (inquam) iſtæ & aliæ innumeræ exaggerationes, quarum plena ſunt diuina volumina, aliud erunt,niſi deceptiones, & fictæ diuini erga nos affectus obteſtationes? Quod dicere,vel audire,vel cogitare piæ aures, aut mentes nimis abhorrent. Ad hæc quomodo non eſſet Deus mendax,dum nos obteſtatur, ex nobis, non ex illo eſſe noſtram perditionem, & ſe nolle mortem peccatoris, ſed vt conuertatur, & viuat?

V. Poſtremo tandem loco adducere poſſumus ad eandem veritatem probandam illa diuinæ Scripturæ teſtimonia, quibus docemur,eſſe quaſdam hominis actiones voluntarias, quatenus voluntarium omnem neceſſitatem excludit ſiue coactionis, ſiue aliam quamcunque & vndecunque prouenientem. Primum habetur Exodi 35. vbi referuntur dona, quæ filij Iſraël tam viri, quàm mulieres ſponte, & voluntariè obtulerunt Domino, & Moyſi ad faciendum opus tabernaculi, & ſubditur, *Omnes viri, & mulieres mente deuota obtulerunt donaria, vt fierent opera, quæ iuſſerat Dominus, per manum Moyſi. Cuncti filij Iſrael voluntaria Domino dedicauerunt.* Secundum Leuitici 22. *Homo* (inquit) *qui obtulerit victimam pacificorum Domino, vel vota ſoluens,vel ſponte offerens;tam de bobus, quam de ouibus immaculatum offeret, vt acceptabile ſit: omnis macula non erit in eo.* Et infrà: *Bouem, & ouem aure,vel cauda amputatis voluntariè offerre potes: votum autem ex his ſolui non poteſt.* Ecce diſtinguitur hîc voluntarium ab eo, quod neceſſariò fit non ſolùm neceſſitate coactionis, ſed alia quauis neceſſitate. Tertium lib 1.Paralipomenon cap. 29. *Si quis ſponte offert, impleat manum ſuam hodie,& offerat, quod voluerit Domino.* Quartum in Pſalmo 53. *Voluntariè ſacrificabo tibi.* Quintum Sapientiæ 16. *Ad quod quiſque volebat, conuertebatur.* Sextum Ioannis 7. *Si quis voluerit voluntatem eius facere, qui miſit me, hic cognoſcet de doctrina mea, vtrùm ex Deo ſit.* Septimum 1.ad Corinth.9. *Vnuſquiſque prout deſtinauit in corde ſuo, non ex triſtitia, aut ex neceſſitate.* Octauum ad Philemonem: *Sine conſilio tuo nihil volui facere, vti ne velut ex neceſſitate bonum tuum eſſet, ſed voluntarium.* Nonum 1. Petri capite 5. *Paſcite, qui in vobis eſt, gregem Dei, prouidentes non coactè, ſed ſponтanè ſecundùm Deum, neque turpis lucri gratia, ſed voluntariè.* Ex his omnibus locis liquidò colligitur, eſſe aliquas ſaltem motiones humanas voluntarias, quatenus voluntarium omnem neceſſitatem excludit. Sitque hæc prima demonſtratio humanæ libertatis ex diuinarum Scripturarum autoritate deprompta.

CAPVT VII.

Demonſtratio ſecunda humanæ libertatis ex antiqua totius Eccleſiæ traditione, & definitione petita.

I. ESt proculdubio, fuitque ſemper validiſſimum ad omnia probanda argumentum à vetuſtate ſumptum. Leges nanque vetuſtate firmari, & roborari teſtatur Imperator in l. teſtamenta omnia. C. de teſtamentis, ſic ſcribens: *Mos nanque retinendus eſt fideliſſima vetuſtatis.* Morum vetuſtas laudabilis ſemper extitit: vnde vulgatum illud Apophthegma. *Vtere moribus antiquis, & loquere verbis præſentibus.* Moyſes ſanctiſſimus vates Idolorum vanitatem irridens, nouitatis illos notat Deuteronom. 32. *Noui recentéſque venerunt, quos non coluerunt patres eorum; Deum, qui te genuit, dereliquiſti.* E contrario verò D. Ioannes veritatem doctrinæ Apoſtolicæ ab antiquitate comprobauit, primam epiſtolam ſtatim exorſus ab ipſa antiquitate dicens: *Quod fuit ab initio.* De Socrate Philoſopho fertur, à Rege Nicocle de ritu in cultu Deorum ſeruando interrogatum, ita reſpondiſſe. *In iis, quæ ad Deorum cultum ſpectant, ita facito, quemadmodum à maioribus noſtris inſtitutum eſt.* Semel dicamus, in rebus omnibus gerendis, in dubiis reſoluendis iubet Dominus Eccleſiaſtici 8. non debere nos præterire narrationem ſeniorum. Si igitur ad probandam humani arbitrij libertatem omni alio argumenti genere deſtitueremur, illud ſolum ſufficere deberet, quòd illa ex antiquiſſima, & vniuerſaliſſima totius Eccleſiæ Catholicæ traditione euidentiſſimè comprobatur.

II. Fuiſſe verò antiquiſſimam in Eccleſia Catholica aſſertionem humanæ libertatis, & è contrario ſemper ab eadem Eccleſia Catholica pro hæreticis fuiſſe habitos illos, qui negarunt arbitrij libertatem, probatur in primis ex D. Clemente Romano huius nominis primo PP. & ſancti Petri Apoſtoli diſcipulo. Is in lib. 3. Recognitionum Simonem Magum hæreſeos notauit pro eo, quòd humani arbitrij libertatem negauit. Et epiſtola tertia quæ habetur in primo tomo Conciliorum ita de libero arbitrio ſcriptum reliquit: *Si quis audiens ſermonem veri Prophetæ velit recipere, aut nolit, & amplectis onus eius, habet in ſua poteſtate: liberi enim ſumus arbitrij. Nam ſi hoc eſſet, vt audientes ea iam non haberent in poteſtate aliud facere, quam audierant, vis erat quædam naturæ, per quam liberum non eſſet, in aliam migrare ſententiam. Aut ſi rurſus ex audientibus nullus omnino reciperet, & hoc naturæ vis erat, quæ vnum aliquid fieri cogeret, & alteri parti non daret locum. Nunc autem quia liberum eſt animo, in quam velit partem declinare iudicium ſuum, & quam probauerit, eligere vtam, conſtat euidenter, ineſſe hominibus arbitrij libertatem.* Clemens Rom.

Secundò probatur eadem veritas teſtimonio Tertulliani, qui libro ſecundo contra Marcionem illum tanquam hæreticum, ob negatam arbitrij libertatem, & eius argumentum ex certitudine, & infallibilitate diuinæ præſcientiæ ſumptum refellit. Et libro tertio prope initium multa dicit de humana libertate, quæ non eſt neceſſe hic referibere, cùm præ omnium manibus ſint eiuſdem libri. Quod ſi quis obiiciat, fidem Tertulliani tanquam hæretici ab Eccleſia damnati,ſinceram, & eius autoritatem omnino indubitatam non eſſe,legat D. Hieronymum dialogo tertio contra Pelagianos referentem hanc eandem ſententiam Marcionis inter errores contra fidem, & refutantem illius argumentum. Legat etiam eundem Hieronymum in epiſt. ad Cteſiphontem de Pelagianis ſic loquentem. *Fruſtrà blaſphematis, & ignorantiæ auribus ingeritis nos liberum arbitrium condemnare. Damnetur ille, qui damnat, ſed ipſum liberum arbitrium Dei nititur auxilio, illiúſque per ſingula indiget,quod vos non vultis.* Tertul. Hieronym.

Tertiò probatur ex antiquis definitionibus

ſummorum Pontificum. Inprimis enim negantes libertatem arbitrij tanquam hæreticos damnauit
Clemens I. Clemens Primus locis citatis. Secundò eos damnauit Leo Primus in epiſtola ad Turibium, damnans errores Manichæorum, & Priſcillianiſtarum.
Leo I.
Leo IX. Tertiò eoſdem damnauit Leo Nonus in epiſtola Decretali ad Petrum Antiochenum in profeſſione, ſiue explanatione fidei Romanæ dicens: *Credo, Deum prædeſtinaſſe ſolummodo bona; præſciuiſſe autem bona, malaque. Gratiam Dei præuenire & ſubſequi hominem, credo, & profiteor, ita tamen, vt liberum arbitrium rationali creaturæ non denegem.*
Leo X. Quartò eoſdem damnauit Leo Decimus in condemnatione art. 36. Luther.

Quartò probatur ex definitionibus ſacrorum Conciliorum. Inprimis enim damnatus eſt error negantium, libertatem humani arbitrij in Conſilio Bracarenſi cap. 9. & 10. Vbi damnati ſunt
Concilium Bracarenſe. Priſcillianiſtæ, & Manichæi negantes homines eſſe liberos ob fatalem neceſſitatem ex conſtitutione cæleſtium corporum prouenientem. Secundò damnatus eſt idem error in Concilio Senonenſi congregato contra Petrum Abailardum
Concilium Senonenſe. à Conone Archiepiſcopo, & S.R.E. Cardinali ex ordine Canonicorum Regularium D. Auguſtini aſſumpto. In quo Concilio damnati ſunt errores eiuſdem Petri Abailardi, & inter alios conſtat eſſe illum, quo negatur humani arbitrij libertas. Et licet illud Concilium fuerit Prouinciale, tamen fuit illa damnatio Petri Abailardi probata Romæ per Innocentium Secundum, vbi & liber Abailardi igni traditus eſt, ſicut conſtat ex epiſtola eiuſdem Innocentij Secundi ad Sampſonem
Innocentius II. Rhemenſem Archiepiſcopum, & ex epiſtola
Gaufridus Monachus. Gaufridi Monachi Ciſtercienſis ad Cardinalem Albanenſem de rebus geſtis à D. Bernardo contra eundem Abailardum, & contra Gilbertum Porretanum, quæ referuntur vnà cum hiſtoria dicti Concilij, & vtriuſque damnationis à Cardinali
Baronius. Baronio tom. 12. Annalium ſub anno Domini 1140. & 1148. Tertiò damnatus eſt idem error
Concilium Conſtan. in Concilio Conſtantienſi, quod fuit generale, ſeſſione 8. & 15. vbi damnati ſunt alij errores Ioannis VVicleff, & Ioannis Huſs, illius diſcipuli, &
Conc. Trid. nouiſſimè in Concilio Tridentino ſeſſione 6. de iuſtificatione cap. 5. & canone 4. & 5. & 6.

Quibus omnibus adiungi poteſt concors ſententia omnium Catholicorum Patrum à primordiis naſcentis Eccleſiæ, vſque ad hæc noſtra tempora, quorum teſtimonia hîc omittimus recenſere, tum quòd ab aliis ante nos copioſè, fideliterque relata ſint, vtpote à VValdenſi, Roſſenſi, Ruardo, Alphonſo Caſtrenſi, Andrea Vega, Ekio, Cardinali Bellarmino, Ludouico Molina, & aliis recentioribus autoribus: tum quòd hæretici, maximè Caluinus, fateantur, omnes Patres in cauſa tuendæ humanæ libertatis hallucinatos eſſe in tantum, vt non vereantur eos impudentiæ inſimulare.

CAPVT VIII.

Demonſtratio tertia humanæ libertatis ex autoritate Diui Auguſtini, quam Caluinus negare non poteſt.

I. Caluinus. CAluinus de doctrina D. Auguſtini maximè in materia de libero arbitrio, & de Prædeſtinatione, tria conſtanter docet. Primò (vt eius verba referam, ne dicatur me illi impoſuiſſe) in ſuo libro de Iuſtificatione ſic ſcribit de libero arbitrio. *Veteres omnes excepto Auguſtino, ſic in hac re aut variant, aut vacillant, aut perplexè loquuntur, vt certi fere nihil ex eorum ſcriptis referre liceat.* Et eius verba videri poſſunt apud Taperũ art. 7. pag. 267. Taper.
Secundò in libris contra Albertum Pighiũ præcipuè lib. 3. pag. 86. & 95. iuxta primam editionem inter alia de libris Auguſtini ſic ait: *Ego verò vt minimè detrecto litem ex aliis poſterioribus libris, ſi opus ſit, dirimi, ita ſic pugnandi cupiditate incaluiſſe Auguſt. in aliis nego, quin nitidam, & diſtinctam veri expoſitionem ſemper retinuerit.* Tertiò addit in ſuo libro de prædeſt. pag. 33. & 34. ſe ne in vna quidẽ ſyllaba in ipſa prædeſtinatione, velle differre ab Auguſtino. Vnus igitur Auguſtinus aliis Patribus interim omiſſis ad probandam humani arbitrij libertatem à nobis adducetur, quem ſi veram, non fictam arbitrij noſtri libertatem ſemper euidenter, & conſtanter docuiſſe monſtrauerimus, & non ſolùm ante peccatum Adæ, ſed etiam ſuppoſito peccato, & Auguſtinum pro hæretico habere eum, qui neget arbitrij libertatem, non poterunt moderni Nouatores, præſertim Caluinitæ ab hæreſis nota ſeipſos defendere. Et quoniam loca D. Auguſtini, etſi luce clariora, Caluinus vno ex tribus modis conatur eludere dicendo, Auguſtinum aut quæ iunior ſcripſit, Epiſcopum & ſeniorem factum retractaſſe; aut non ex propria, ſed aliorum ſententia locutum, maximè ex conceſſis ab aduerſario, & ad hominem arguendo; aut non de libero hominis arbitrio, quale nunc eſt, ſed quale fuit in ſtatu innocentiæ & iuſtitiæ originalis: Tria nobis ex doctrina eiuſdẽ Aug. monſtranda ſunt. Primum, illum doctrinam à ſe traditam de libero arbitrio nunquam retractauiſſe. Secundum, de eodem libero arbitrio illum ad mentem propriam, & non ſolùm ad hominem, aut ex conceſſis ab aduerſario locutum fuiſſe. Tertium, de libero arbitrio illum loqui, non ſolùm quale fuit in ſtatu iuſtitiæ originalis, ſed quale nunc eſt in ſtatu naturæ lapſæ.

Et quoniam teſtimonia illius tot ſunt, vt ſi omnia recenſere velimus, integros Auguſtini libros tranſcribere neceſſe eſſet, ideo nonnulla tantùm ſeligemus, ad quaſdam determinatas claſſes reducta, vt omnis confuſio in illis referendis euitetur. In prima igitur claſſe referemus loca, in quibus ait, ſe pro hæretico illum habere, qui negat arbitrij libertatem. Primus locus in Auguſtino ad hoc demonſtrandum eſt in libro de quantitate animæ cap. vltimo, vbi ſic ait: *Datum eſt animæ liberum arbitrium, quod qui negatoriis rationibus labefactare niuntur, vſque adeò cæci ſunt, vt nec iſta quidem vana, & ſacrilega propria voluntate ſe dicere intelligant: nec tamen ita liberum arbitrium animæ datũ eſt, vt quodlibet eo moliens vllam partem diuini ordinis legiſque perturbet.* Hunc locum Auguſtinus minime retractauit, vt patere poteſt legenti librum primum ſuarum retractationum, maximè cap. 8. vbi huius libri meminit, neque retractauit in alio ſimili, quia nullus locus ſimilis poterit oſtendi ab ipſo Auguſtino retractatus. neque Caluinus, aut alij hæretici ſimilem locum retractatum indicauerunt. In hoc etiam loco non loquitur ad mentem aliorum, aut ex conceſſis, quia hîc ſumit arbitrij libertatem veluti fundamentum dicendorum, & non eſt mos Auguſtini, II. Auguſtinus.

neque

neque alicuius Doctoris cordati, loqui ex conceſſis, niſi diſputando, deducendo aduerſarium ad inconuenientes, aut intentum concludendo, quod ibi non facit. Neque tandem loquitur ſolùm de libero arbitrio in ſtatu iuſtitiæ originalis, quoniam de illo loquitur, quo etiam inſani & ſacrilegi vtuntur ad Deum blaſphemandum, & ordinem diuinæ prouidentiæ negandum, & ipſam arbitrij libertatem.

Secundus locus eſt in libro de hæreſibus, in
Auguſt. quo hæreſi 35. inter errores Bardeſanis recenſet, quòd fato adſcriberet conuerſationes hominum. Et hæreſi 46. vbi inter errores Manichæorum recenſet, quòd peccatorum originem non libero arbitrio voluntatis, ſed ſubſtantiæ tribuant gentis aduerſæ. Et hæreſi 70. vbi numerat inter errores Priſcillianiſtarum, quòd aſtruant fatalibus ſtellis homines eſſe alligatos, poſſéntque hîc adduci omnia, quæ Auguſtinus in confutationem huius erroris ſcribit, maximè libris tribus de libero arbitrio, quos ad hunc finem fatetur, ſe conſcripſiſſe aduersùs Manichæos, & aliis in locis, quæ cuique ſunt peruia.

Idem. Tertius locus eſt in lib. de Bono perſeuerantiæ c. 11. vbi mentionem faciens eorum, quæ à ſe contra Manichæos conſcripta fuerant in tribus illis libris de libero arbitrio ait: *Propter eos quippe diſputatio illa ſuſcepta eſt, qui negam, ex libero voluntatis arbitrio malì originem duci, & Deum (ſi ita eſt) Creatorem omnium naturarum culpandum eſſe contendunt, eo modo volentes ſecundùm ſuæ impietatis errorem, Manichæi enim ſunt, immutabilem quandam, & Deo coæternam introducere naturam mali.* Hoc in loco dicit Auguſtinus, eos, qui liberum negant arbitrium, facere Deum autorem malorum, quod cùm faciant Caluinitæ, illi ab Auguſtino inter hæreticos recenſentur. Neque poſſunt ſe legitimè excuſare per hoc, quod dicunt, omnia mala prouenire ex peccato Adæ, ſeu ex voluntate & libero arbitrio Adæ, licèt non ſint ex libero arbitrio noſtro: tum quia illi cum Manichæo conueniunt in modo loquendi, & vtrique faciunt Deum autorem peccati, quod Auguſtinus habet pro magno errore: tum etiam, quia mens Auguſtini eſt, peccata prouenire non ſolùm ex libero arbitrio Adæ, ſed etiam cuiuſlibet hominis particularis, ſi de peccatis actualibus ſit ſermo.

Idem. Quartus locus eſt in libro 3. Hypognoſticon, vbi poſt longam tractationem de libero arbitrio, circa medium libri ſic tandem concludit: *Eſt igitur liberum arbitrium, quod quiſquis eſſe negauerit, Catholicus non eſt: & quiſquis ſic eſſe dixerit, quòd ſine Deo bonum opus, id eſt, quod ad eius ſanctum propoſitum pertinet, nec incipere, nec perficere poſſit, Catholicus eſt.* Huic teſtimonio nulla ex tribus reſponſionibus à Caluino excogitatis poterat refugium præbere, cùm illi libri Hypognoſticon ab Auguſtino non ſolùm Epiſcopo, ſed etiam ſenio confecto fuerint conſcripti, & non loquatur ibi de libero arbitrio ſolius Adæ, ſed cuiuſuis hominis, & non loquatur ad mentem aliorum, aut ex conceſſis ab aduerſario. Vna reſtabat Caluino reſponſio, ſcilicet, vt negaret hos libros eſſe Auguſtini. Verùm cùm Caluinus teſtimonio Auguſtini ex eiſdem libris ſumpto vtatur contra Pighium pag. 103. iuxta primam editionem, ad probandum (vt ipſe putat) quòd per gratiam Dei præuenientem tollatur arbitrij libertas, non poteſt modò eiuſdem teſtimonium ex libris illis depromptum reticere: ſed eius ſententiam ſubire debet, quem in ſua cauſa honorarium arbitrum, & iudicem delegit.

In ſecunda claſſe nominari poſſunt teſtimonia, **III.**
in quibus ſub iſtis formalibus terminis fatetur Auguſtinus, homines præditos eſſe libero arbitrio. Illa verò tot ſunt, vt non poſſint hîc commodè recenſeri. Legatur illius liber de quantitate animæ versùs finem. legantur item tres integri libri de libero arbitrio in 1. tomo. legatur ſeptimus tomus ferè per totum, maximè in libris de Prædeſtinatione ſanctorum, de gratia & libero arbitrio, de correptione & gratia, & alia eius ſcripta contra Manichæos, ex quibus multa notantur à Cardinale Bellarmino lib. 5. de Gratia, & lib. arb. c. 18. **Bellarmin.**

In tertia claſſe referuntur teſtimonia, & loca, **IV.**
in quibus ille docet, hominem habere poteſtatem ſuæ voluntatis, & liberam electionem. Primus lo- **Auguſt.**
cus eſt in 3. libro de lib. arbitr. cap. 3. vbi ita ſcribit: *Dum autem volumus, ſi ipſa voluntas deeſt nobis, non vtique volumus, quod ſi fieri non poteſt, vt dum volumus, non velimus; adeſt vtique voluntas volentibus: nec aliud quidquam eſt in poteſtate, niſi quod volentibus adeſt. Voluntas igitur noſtra, nec voluntas eſſet, niſi eſſet in noſtra poteſtate. Porrò quia eſt in poteſtate, libera eſt nobis: non enim eſt nobis liberum, quod in poteſtate non habemus, aut poteſt non eſſe, quod habemus.* Secundus locus eſt in lib. de Eccleſiaſticis dogmatibus c. 21. vbi ait: *Libertati arbitrij ſui commiſſus eſt homo in ſtatim prima cõditione, vt ſola vigilãtia mentis annitente, etiam in præcepti cuſtodia perſeueraret, ſi vellet in eo, quod creatus fuerat, permanere. Poſtquam verò ſeductione ſerpentis per Euam cecidit, naturæ bonum perdidit pariter, & vigorem arbitrij, non tamen electionem: ne non eſſet ſuum, quòd euitaret peccatum, nec merito indulgeretur, quod non arbitrio diluiſſet.* Negabit forſan Caluinus, hunc eſſe librum Auguſtini: at cùm ille ex hoc eodem libro tanquam Auguſtiniano nitatur argumenta depromere contra Catholicos, referente Bartholomæo **Barth. Cam.**
Camerario lib. 1. de gratia, & lib. arb. c. 5. in arg. 4. Caluini: non poteſt ille autoritatem ex eodem libro contra ſe allatam hac reſponſione refellere.

Tertius locus eſt in lib. de ſpiritu & litera c. 31. **V.**
& 32. in principio. Docet ibi Auguſtinus, fidem licèt ſit donum ſupernaturale, eſſe tamen in noſtra poteſtate, vt verba poſita in initio cap. 32. indicant, ſuprà verò declarãs, quid ſit, eſſe aliquid in noſtra poteſtate ait: *Quid igitur vltrà quærimus, quandoquidem hanc dicimus poteſtatem, vbi voluntati adiacet facultas faciendi: vnde hoc quiſque in poteſtate habere dicitur, quod ſi vult facit, ſi non vult, non facit.* Et in fine cap. 33. propoſita quæſtione, an actualis illa voluntas, qua credimus, etiam illa ſit donum Dei, proper illud Apoſtoli dicentis: *Quid autem habes, quod non accepiſti?* Eidem quæſtioni ſatisfaciens cap. 34. inter alia iſta habet. *His ergo modis quando Deus agit cum anima rationali, vt ei credat, neque enim credere poteſt quolibet libero arbitrio, ſi nulla ſit ſuaſio, vel vocatio, cui credat: profectò & ipſum velle credere Deus operatur in homine, & in omnibus miſericordia eius præuenit nos: conſentire autem vocationi Dei, vel ab ea diſſentire, ſicut dixi, propria voluntatis eſt, quæ res non ſolùm non infirmat, quod dictum eſt: Quid autem habes, quod non accepiſti? verùm etiam confirmat. Accipere quippe, & habere anima non poteſt dona, de quibus hoc audit, niſi conſentiendo, ac per hoc quid habeat, & quid accipiat, Dei eſt. Accipere autem, & habere, vtique accipientis, & habentis eſt.*

Quartus locus habetur in 1. Retractationũ c. 9.

vbi perſtringens pluta, quæ dixerat in libris de libero arbitrio, ait: *Vides igitur iam, vt exiſtimo, in noſtra voluntate eſſe conſtitutum, vt hoc vel fruamur, vel careamus tanto, & tam vero bono. Quid enim tam in voluntate, quàm ipſa voluntas ſita eſt?* Legatur totum iſtud caput, & in eodem libro cap. 23. ibi: *Vtrunque ergo noſtrum eſt propter arbitrium voluntatis, & vtrunque tamen datum eſt per ſpiritum fidei, & charitatis.* Et ibi: *Noſtrum enim eſt credere, & velle; illius autem dare credentibus, & volentibus facultatem benè operandi per Spiritum ſanctum, per quem charitas diffunditur in cordibus noſtris. Verum eſt quidem, ſed eadem regula & vtrunque ipſius eſt, quia ipſe præparat voluntatem, & vtrunque noſtrum, quia non fit niſi volentibus nobis.*

Idem. Quintus locus eſt in libro Hypognoſticon non longe ab initio, vbi ita dicit: *Arbitrium ab arbitrando rationali conſideratione, vel à diſcernendo, quid eligat, quidve recuſet, puto quod nomen accepit. vel ideo liberum arbitrium dictum, quòd in ſua poſitum ſit poteſtate, habens agendi, quod velit, poſſibilitatem, quod eſt vitalis rationalis animæ motus.* Neque obſtat, quod ſtatim ſubiungat Auguſtinus: *Sed huiuſmodi vt antè dixi fuit in homine protoplaſto, cùm ante peccatum maneret illæſus. Non enim per aliud contraxit offenſam, niſi per id, quo potuit, ne delinqueret, reſiſtere ſuadenti. per velle ergo malum, rectè perdidit poſſe bonum, qui per poſſe bonum potuit vincere velle malum.* Nam paulò infrà ſeipſum explicans ait: *Per peccatum ergo liberum arbitrium hominis poſſibilitatis bonum perdidit, non nomen, & rationem. Eſſe fatemur liberum arbitrium omnibus hominibus, habens quidem iudicium rationis, non per quod ſit idoneum, qua ad Deum pertinent, ſine Deo aut inchoare, aut certè peragere; ſed tantùm in operibus vitæ præſentis tam bonis, quàm malis.*

VI. In quarta claſſe referuntur loca, in quibus expreſsè docet, remanſiſſe in homine liberum arbitrium poſt peccatum primi parentis. Primus
Idem. locus eſt in epiſtola ad Marcellinum, vbi declarans quoddam ſuum dictum in libris de libero arbitrio, oſtendit, per peccatum Adæ fuiſſe quidem liberum arbitrium ſauciatum, non tamen penitùs extinctum; ſic enim habet: *Nam illius primi hominis anima ante peccatum etiamſi nondum ſpirituale corpus, ſed animale tamen pro arbitrio regebat. Poſt peccatum autem, id eſt, poſtquam peccatum in illa carne commiſſum eſt, ex qua deinceps propagaretur caro peccati, anima rationalis ſic eſt in inferioribus corporibus ordinata, vt non omnimodo pro arbitrio regat corpus ſuum.* Notanda eſt dictio illa, *omnimodo*, quæ indicat, animam etiam poſt peccatum pro arbitrio, licèt non omnimodo, regere corpus.

Idem. Secundus locus eſt in epiſtola 106. ad Bonifacium, vbi verſùs finem dicit, illum, qui recedit ab errore Pelagij, inter alia, debere confiteri, illos vocari poſſe filios Dei, qui quotidie dicunt: *Dimitte nobis debita noſtra.* Quod vtique veraciter non dicerent, ſi eſſent omnimodo ſine peccato. *Fateantur etiam* (inquit) *eſſe liberum arbitrium, etiamſi diuino indigeat auxilio: fateantur quando contra tentationes, concupiſcentiáſque illicitas dimicamus, quamvis & illic habeamus propriam voluntatem, non tamen ex illa, ſed ex adiutorio Dei noſtram prouenire victoriam.*

Idem. Tertius locus eſt in libro de Eccleſiaſticis dogmatibus cap. 21. cuius verba proximè relata ſunt. Ibi enim expreſsè docet, poſt peccatum Adæ, remanſiſſe in nobis liberam electionem boni, & mali. Quartus etiam eſt in libro tertio Hypognoſticon vbi ſimiliter docet, liberum arbitrium per peccatum Adæ fuiſſe attenuatum, non tamen perdidiſſe arbitrij nomen, & rationem. verba paulò antè recitata ſunt.

In quinta claſſe recenſenda ſunt teſtimonia, VII.
in quibus Auguſtinus teſtatur, non poſſe homines peccare abſque libero arbitrio: peccant autem homines, vt notum eſt. Ergo liberum arbitrium eſt.

Primus locus eſt in tertio de libero arbitrio cap. 18. vbi ſic ait: *Reminiſcere ſuperiorum, quæ à nobis tam multa de peccato, & voluntate libera dicta ſunt. ſed ſi laborioſum eſt, omnia mandare memoriæ, hoc breuiſſimum tene, quacunque iſta cauſa eſt voluntatis, ſi non ei poteſt reſiſti, ſine peccato cedituꝛ, ſi autem poteſt, non ei cedatur, & non peccabitur.* Et cap. 19. occurrens excuſationibus illorum, qui propria peccata ſemper parati ſunt excuſare. *Rectè enim* (inquit) *fortaſſe quererentur, ſi erroris, & libidinis nullus hominum victor exiſteret: cùm verò vbique ſit præſens, qui multis modis per creaturam ſibi Domino ſeruientem auerſum vocet, doceat credentem, conſoletur ſperantem, diligentem exhortetur, conantem adiuuet, exaudiat deprecantem, non tibi deputatur ad culpam, quòd inuitus ignoras, ſed quòd negligis quærere, quod ignoras, neque illud quòd vulnerata membra non colligis, ſed quòd volentem ſanare contemnis, iſta tua propria peccata ſunt.* Videantur alia, quibus declarat, quomodo id, quod ſcire, aut vitare aliquando non poſſumus, peccati rationem habere poſſit ex eo ſolùm, quòd homo peccatum illud, per quod ignorantiam, vel impoſſibilitatem incurrit, poterat vitare, & propria voluntate liberè contraxit: & illud præcedens peccatum meruit iſta ſequentia.

Secundus locus habetur in libro de vera re- Idem.
ligione cap. 14. vbi ſic ſcribit: *Vſque adeò peccatum voluntarium eſt malum, vt nullo modo ſit peccatum, ſi non ſit voluntarium. Et hoc manifeſtum eſt adeò, vt nulla hic doctorum paucitas, nulla indoctorum turba diſſentiat.* Et poſt pauca: *Et quoniam peccari non dubium eſt, nec hoc quidem dubitandum video, habere animas liberum voluntatis arbitrium: Talem enim ſernos ſuos meliores eſſe Deus indicauit, ſi ei ſeruirent liberaliter, quod nullo modo fieri poſſet, ſi non voluntate, ſed neceſſitate ſeruirent.*

Tertius in libro primo de peccatorum me- Idem.
ritis, & remiſſione cap. 25. vbi fatetur, nullum poſſe eſſe peccatum propriæ vitæ, ſine propria voluntate. Et clariùs libro ſecundo cap. 17. *Cùm voluntate* (inquit) *humana, gratia adiuuante diuina ſine peccato in hac vita poſſit homo eſſe, cur non ſit poſſem facillimè, & veraciſſimè reſpondere, quia homines nolunt. Nolunt autem homines facere, quod iuſtum eſt, ſiue quia latet, an iuſtum ſit, ſiue quia non delectat. Vt autem innoteſcat quod latebat, & ſuaue fiat, quod non delectabat, gratiæ Dei eſt, quæ hominum adiuuat voluntates, qua vt non adiuuentur, in ipſis cauſa eſt, non in Deo.*

Quartus tractatu 53. in Ioannem, circa il- VIII.
la verba: *Propterea non poterant credere. Quare* Idem.
non poterant credere? Si à me (inquit) *quæratur, citò reſpondeo; quia nolebant. Malam quippe eorum voluntatem præuidit Deus, & per Prophetam Iſaiam pronunciauit ille, cui abſcondi futura non poſſunt.*

Quintus

Idem. Quintus eſt in libro 1. Retractationum c. 13. *Quoniam* (inquit) *& ille, qui peccat ignorans, voluntate vtique facit, quod cùm faciendum non ſit, putat eſſe faciendum, & ille, qui concupiſcente aduerſùs ſpiritum carne, non ea, quæ vult, facit, concupiſcit quidem nolens, & in ea non facit, quod vult, ſed ſi vincitur, concupiſcentiæ conſentit volens, & in ea non facit, niſi quod vult.*

Idem. Sextus locus eſt in libro de duabus animabus cap. 11. *Peccatum* (inquit) *eſt voluntas retinendi, vel conſequendi, quod iuſtitia vetat, & vnde liberum eſt abſtinere; nec hinc libri obſcuri mihi ſcrutandi erant, vnde diſcerem, neminem vituperatione, ſupplicioue dignum, qui aut id velit, quod iuſtitia velle non prohibet, aut id non faciat, quod facere non poteſt. Nónne iſta cantant in montibus paſtores, & in theatris poetæ, & indocti in circulis, & docti in bibliothecis, & magiſtri in Scholis, & Antiſtites in ſacris locis, & in orbe terrarum genus humanum?* Et eodem lib. cap. 12. *Peccati* (inquit) *reum teneri quenquam, quia non fecit, quod facere non potuit, ſumme iniquitatis, & inſaniæ. Quamobrem illæ animæ, quidquid faciunt, ſi natura, non voluntate faciunt, id eſt, ſi libero ad faciendum, & non faciendum motu animi carent, ſi denique his abſtinendi ab opere ſuo nulla poteſtas conceditur, peccato earum teneri non poſſumus.*

Idem. Septimus locus eſt in libro ſecundo de Actis cum Felice Manichæo c. 3. vbi inter alia dicit: *Eſſe liberum arbitrium, & inde peccare quenque, ſi velit, non peccare, ſi nolit, non ſolùm in diuinis Scripturis, quæ non intelligitis, ſed etiam in verbis ipſius Manichæi tibi probo.* Videantur, quæ ſcribit ad idem propoſitum eodem libro cap. 4.

Idem. Octauus locus eſt in libro 3. de lib. arbitrio cap. 22. & 24. quibus in locis docet, hominem tunc ſolùm peccare poſſe, quando incipit eſſe capax præcepti: & tunc ſolùm capacem eſſe præcepti, quando incipit habere vſum rationis, & voluntatis.

VIII. In ſexta claſſe recenſentur teſtimonia, quibus Auguſtinus apertè docet, efficaciam diuinæ gratiæ libertatem arbitrij non tollere, ſed roborare,

Idem. & perficere. Primum teſtimonium ſumitur ex epiſtolis 46. & 47. ad Valentinum, & lib. 1. de gratia Chriſti contra Pelagium, & Celeſtium cap. 47. & ex lib. 1. de origine animæ cap. 15. & lib. 4. contra Iulianum cap. 4. & 8. ex lib. 5. cap. 9. ex libro de gratia & lib. arbitr. in principio. Iſtis in locis fatetur Auguſtinus quæſtionem de gratia, & libero arbitrio difficilem eſſe adeò, vt nonnulli putent, dum gratia defenditur, liberum arbitrium auferri, aut è contra dum liberum arbitrium aſſeritur, Dei gratiam negari. Sed nihilominus hanc quæſtionem ſic eſſe tractandam, vt dum vnum defenditur, alterum non negetur.

Idem. Secundum teſtimonium habetur in libro 83. Quæſtionum, quæſt. 68. vbi expendens parabolam Euangelicam apud Lucam cap. 14. ait: *Ad illam enim cœnam, quam Dominus dicit in Euangelio præparatam, nec omnes, qui vocati ſunt, venire voluerunt, neque illi, qui venerunt, venire poſſent, niſi vocarentur. Itaque nec illi debent ſibi tribuere, qui venerunt, quia vocati venerunt: neque illi, qui noluerunt venire, debent alteri tribuere, ſed tantum ſibi, quoniam, vt venirent vocati, erant in libera voluntate. Vocatio ergo ante meritum voluntatem operatur. Propterea etſi quiſquam ſibi tribuit, quòd venit vocatus, non ſibi poteſt tribuere, quòd vocatus eſt. Qui autem vocatus non venit, ſicut non habuit meritum præmij, vt vocaretur, ſic inchoat meritum ſupplicij, cùm vocatus venire neglexerit. Ita erunt duo illa, miſericordiam, & iudicium cantabo tibi Domine. Ad miſericordiam pertinet vocatio: ad iudicium pertinet beatitudo eorum, qui venerunt vocati, & ſupplicium eorum, qui venire noluerunt.* Huic adiungere poſſumus locum ſuperiùs ex eodem Auguſtino citatum ex libro de ſpiritu, & litera cap. 34.

Tertium teſtimonium ſumitur ex tractatu 53. in Ioannem, vbi ait: *Audiam Dominum dicentem: Rogaui pro te, Petre, ne deficiat fides tua. ne ſic exiſtimemus, fidem noſtram eſſe in libero arbitrio, vt diuino non egeat adiutorio. Audiamus & Euangeliſtam dicentem: Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, ne omnino exiſtimemus, in noſtra poteſtate non eſſe quod credimus: veruntamen in vtroque illius beneficia cognoſcamus, ne audeat quis liberum arbitrium ſic defendere, vt nobis orationem, qua dicimus, ne nos inferas in tentationem, conetur auferre. Rurſus ne quiſquam neget voluntatis arbitrium, & audeat excuſare peccatum*, &c.

His addere poſſumus alia innumera teſtimo- Idem.
nia clariſſima ex lib. 2. contra literas Petiliani cap. 44. ex libro de natura, & gratia cap. 32. 33. 64. libro primo, contra duas epiſtolas Pelagianorum cap. 20. & lib. 4. cap. 6. & libro de Prædeſtinatione, & gratia 9. de gratia & libero arbitrio cap. 14. & 15. de correptione & gratia cap. 8. quæ teſtimonia euidentiſſima ſunt, & deprompta ex libris ab Auguſtino ſcriptis non iuuene, ſed ſenio propemodum confecto, vt nullus locus maneat Caluino, niſi aut Auguſtini doctrinam, à qua ne in vna quidem ſyllaba fatetur ſe velle recedere, impudenter negare, aut certè Auguſtini ſententia ſe tanquam negantem liberum arbitrium inter hæreticos conſcribere.

CAPVT IX.

Dubia quædam tolluntur, quæ ex verbis Auguſtini contra prædictam demonſtrationem videntur inſurgere.

VT demonſtratio capite præcedenti ex Auguſtini teſtimonio inſtructa ad probandam arbitrij libertatem inconcuſſa maneat, duo, aut tria loca Auguſtini in præſentiarum declaranda nobis ſunt, quæ alicui in doctrina Auguſtini minùs verſato eiuſdem demonſtrationis vires forſan videbuntur attenuare. Primus locus eſt in primo Retractationum cap. 13. vbi explicans id, quod dixerat in libro de vera Religione cap. 14. *Peccatum vſque adeò voluntarium eſt malum, vt nullo modo ſit peccatum, ſi non ſit voluntarium*, ſic ait: *Peccatum illud cogitandum eſt, quod tantummodo peccatum eſt, non quod eſt etiam pœna peccati, ſicut ſuperiùs oſtendi cùm quadam commemorarem ex libro tertio de libero arbitrio.* I. Auguſt.

Reſpondeo ad hunc locum, cùm conſtet, ſentire Auguſtinum, peccatum eatenus eſſe peccatum, quatenus habet rationem voluntarij, & liberi, vt ex locis capite præcedenti in quinta claſſe recitatis apparet, vanè iocatur Caluinus, contendens monſtrare illud dictum Auguſtini, *Peccatum vſque adeò voluntarium eſt*, &c. de ſolo peccato Adæ intelligendum eſſe, non autem de peccatis, quæ quilibet ex illius poſteritate propagatus admittit: maximè cùm Auguſtinus eo loco de vera Religione loquatur, non de ſolo peccato Adæ, ſed cunctorum hominum,

Digitized by Google

cùm dicat: *Si non voluntate malefacimus, nemo obiurgandus eſt omnino, aut monendus, quibus ſublatis, Chriſtiana lex, & diſciplina omnis religionis auferatur neceſſe eſt. Voluntate ergo peccatur. Et quoniam peccari non dubium eſt, nec hoc quidem dubitandum video, habere animas liberum voluntatis arbitrium.* Quæ profectò verba per ſe ipſa ſufficiunt ad oſtendendum, gloſſam Caluinianam vaniſſimam eſſe, & dignam inter illas numerari, de quibus egregiè quidam, *Maledicta* (inquit) *gloſſa illa, quæ deſtruit ſuum textum.* Quid igitur (inquies) vult dicere Auguſtinus in illis verbis, *Peccatum quippe illud cogitandum eſt, quod tantummodo peccatum eſt, non quod etiam pœna peccati?*

Reſpondeo, nomine peccati ſæpe ſolitum eſſe Auguſtinum intelligere non quodcunque peccatum, quod eſt pœna alterius peccati, ſed per quandam Antonomaſiam intelligere peccatum originale, quod dicitur peccati pœna, quia fert ſecum ignorantiam, concupiſcentiam, & pœnalitates corporis; & quanuis tranſeat reatu, dicitur manere actu, ob dictas pœnalitates. & ita vocari originale ab Auguſtino colligimus ex lib. 1. de nuptiis & concupiſcentia cap. 28. & lib. 1. contra duas epiſtolas Pelagianorum cap. 13. quia igitur frequens erat inſtantia illa, quam contra definitionem peccati ab ipſo Auguſtino traditam aduerſarij afferebant ex peccato originali, illud enim voluntarium non eſt, vnde aut non erit peccatum, vt Pelagiani contendebant, aut erit peccatum aliquod non voluntarium, contra definitionem peccati ab illo traditam. Reſpondet Auguſtinus, ad verificandam illam definitionem, & dictum illud, *Peccatum vſque adeò voluntarium eſt malum, vt nullo modo ſit peccatum*, &c. non debere nos reſpicere peccatum, quod eſt pœna peccati, ſcilicet originale, ſed illud quod tantùm peccatum eſt, nempe actuale, in quo maximè ſaluatur ratio voluntarij, originale enim ſolùm interpretatiuè, non formaliter voluntarium eſt. Adeò quòd non ſit comparatio inter actuale, & actuale, ſed inter actuale, & originale. Pelagiani.

Secundò reſpondeo, mentem Auguſtini eſſe oſtendere, de quonam definito primò, & principaliter verificetur definitio illa, *Peccatum vſque adeò voluntarium*, &c. & dicere, vt intelligamus definitionem illam veram eſſe, cogitandum eſſe illud peccatum, quod ſolum peccatum eſt, non etiam pœna peccati. In illo enim reperitur perfectiſſimè ratio voluntarij tanquam in primo analogato, vt terminis ſcholarum vtamur. Cum hoc tamen ſtat, alia peccata, quæ ſimul ſunt pœnæ aliorum peccatorum, eſſe etiam aliquo modo voluntaria magis, & minùs: neque hoc negauit vnquam Auguſtinus, immo conſtantiſſimè id docuit. Eſt itaque ſummè voluntarium peccatum, quod ſolum peccatum eſt, non autem pœna peccati. Inter peccata verò, quæ ſunt etiam pœnæ, tanto magis aliquod habet rationem peccati, quanto magis participat voluntarij rationem: participat maximè rationem voluntarij peccatum actuale, illud enim eſt voluntarium formaliter; participat minimè peccatum originale, illud enim eſt voluntarium ſolùm interpretatiuè, adeò vt de primo ad vltimum veriſſimum ſit dictum Auguſtini, *Peccatum vſque adeò voluntarium eſt malum, vt nullo modo ſit peccatum ſi non ſit voluntarium.* intellecta definitione ſecundùm analogiam, & ſecundùm magis voluntarium, & minus voluntarium.

II. Eodem modo exponendum eſt aliud dictum eiuſdem Auguſtini in 1. Retractationum cap. 15. vbi examinans id, quod dixerat in lib. de duabus animabus c. 11. *Peccatum eſt voluntas retinendi, quod iuſtitia vetat, & vnde liberum eſt abſtinere.* ait, hanc definitionem propterea veram eſſe, quia definitum eſt, quod tantummodo peccatum eſt, non quod eſt etiam pœna peccati: illa enim clauſula, *Non quod eſt etiam pœna peccati*: excludit non omne peccatum actuale habens rationem pœnæ alterius peccati, ſed ſolùm originale, quod ibi ab Auguſtino vocatur peccatum, & pœna peccati; ſubdit enim ſtatim: *Nam quando tale eſt, vt idem ſit & pœna peccati, quantum eſt, quod valet voluntas ſub dominante cupiditate, niſi fortè, ſi pia eſt, vt oret auxilium? in tantum enim libera eſt, quia in tantum liberata eſt, & in tantum appellatur voluntas. alioquin tota cupiditas, & voluntas proprie nuncupanda eſt, quæ non eſt ſicut Manichæi decipiuntur, aliena naturæ additamentum, ſed noſtra vitium, à quo non ſanamur, niſi gratia Saluatoris. Quòd ſi quiſquam dicit, etiam ipſam cupiditatem nihil eſſe aliud, quàm voluntatem, ſed vitioſam, peccatóque ſeruientem, non reſiſtendum eſt: nec de verbis, cùm res conſtat, controuerſia facienda eſt. ſic enim oſtenditur, ſine voluntate nullum eſſe peccatum, ſiue in opere, ſiue in origine.* Ex his enim verbis apparet primò nomine peccati, quod eſt pœna peccati, Auguſtinum intelligere cupiditatem, ſeu concupiſcentiam, quæ qua ratione ſit peccatum, vel dicatur peccatum, alibi declarat. Secundò apparet, omne peccatum, quodcunque illud ſit, in ſententia Auguſtini hoc loco allegata eatenus eſſe peccatum, quatenus eſt voluntarium. Vnde hic locus manifeſtè facit contra Caluinum: eſto enim in principio videatur dicere, ſolùm de peccato Adæ illam definitionem poſſe declarari, tamen in fine concludit, ſine voluntate nullum omnino eſſe peccatum. Quare cùm de re hîc conſtet, fruſtrà Caluinus verbis ſtrepit, contra præceptum eiuſdem Auguſtini.

Vel dicendum, mentem Auguſtini fuiſſe, in illis animaduertere, ſi illa particula poſita in definitione peccati; *Et vnde liberum eſt abſtinere*, ſignificet omnibus numeris abſolutam libertatem ſine vlla inclinatione ad peccandum, & ſine vlla renitentia cupiditatis prauæ, illam definitionem de ſolo Adæ peccato verificari, non autem ſi illa eadem particula excludat abſolutam neceſſitatem voluntatis ad peccandum. ſic enim accepta omni peccato conuenit illa definitio, quod in tantum eſt peccatum, in quantum habet rationem voluntarij, ſecundùm magis & minus. Et hanc eſſe mentem Auguſtini in eo loco facilè patebit legenti antecedentia, & ſequentia ad eundem locum. videri etiam poteſt Bellarminus libro 5. de Gratia & lib. arbitrio cap. 27. Bellarmin.

III. Caluinus. Tertium teſtimonium affert Caluinus ex libro de Natura, & gratia cap. 65. vbi Auguſtinus ſoluens quæſtionem ſibi motam à Pelagio ex verbis illis D. Hieronymi lib. 2. contra Iouinianum, *Liberi arbitrij nos condidit Deus, nec ad virtutes, nec ad vitia neceſſitate trahimur; alioquin vbi neceſſitas, neque corona, neque damnatio eſt.* ſubiungit Auguſtinus. *Quis non agnoſcat? quis non toto corde ſuſcipiat? quis aliter conditam humanam neget eſſe naturam? ſed in recto faciendo ideo nullum eſt vinculum neceſſitatis, quia eſt libertas charitatis.* Hieron.

Reſpondeo in hoc loco nihil habere Auguſtinum, quod Caluini cauſam iuuet, etſi enim doceat Auguſtinus, taliter conditam fuiſſe naturam, vt nec ad virtutes, nec ad vitia neceſſitate trahamur: non negat hanc arbitrij indifferentiam

etiam nunc etiam in nobis perseuerare, vt ineptè videtur deducere Caluinus, si non omnino extra chorum canit. Illa etiam vltima verba, *Sed in recto faciendo ideo nullum est vinculum necessitatis, quia est libertas charitatis.* licet quidam legant interrogatiuè, tamen communiter legi solent absolutè. Et esto legantur interrogatiuè, non loquitur de vinculo necessitatis, necessariò voluntatem ad opus mouentis: sed de vinculo necessitatis præcepti, & legis diuinæ seruandæ, quo iusti in Dei gratia existentes tenentur.

CAPVT X.

Quarta demonstratio sumpta ex diuinis perfectionibus.

I. QVicunque de Deo sunt aliqua ratione philosophati, Deum totius bonitatis fontalem essentiam esse dixerunt, mundúmque summa cum iustitia, & prouidentia gubernare. At qui humani arbitrij libertatem negant, Deum impium, iniustum, & sine prouidentia mundum gubernantem faciunt. Primò enim ille negat diuinam bonitatem, qui Deum omnium vitiorum, & malorum facit autorem, & docet, non minus esse opus Dei tyrannidem Pharaonis, proditionem Iudæ, & alia similia, quàm Magdalenæ lachrymas, & Petri pœnitentiam, nec minus esse opus Dei sacrilegia, tyrannides, homicidia, incestus, & nefandas libidines, quàm religiosas obseruantias, pietatisque, opera charitatis, & continentiæ: hæc autem omnia fatentur illi, qui humani arbitrij negant libertatem, idque velint, nolint illos fateri oportet, vt optimè lib. 2. stromatum Clemens Alexandrinus argumentatur; si enim ea, quæ Deus prohibuit, non sunt in nostra potestate, ille, qui prohibuit, eorum autor est. Huius argumenti ea est vis, vt Lutherani, ac Caluinitæ ab illo conuicti non erubuerint has sequelas vltro admittere, & impudenter affirmare, Deum non minùs mala opera in nobis, quàm bona operari, & non minùs esse opus Dei proditionem Iudæ, quàm lachrymas Petri, & conuersionem Pauli. Hoc verò quid aliud est, nisi Deum iniquissimum dicere, & omni iniquo homine longè deteriorem? Nam quæ maior est ratio, vt homines hæc perpetrantes nequam, & perditissimi dicantur, Deus verò hæc iubens, faciens, & homines ad hæc facienda adigens, & compellens, non sit dicendus nequissimus, & omnium perditissimus? Valeat profectò valeat talis Deus (si tamen Deus est, quod de Deo cogitare piæ mentes abhorrent) quem neque Pagani habere voluissent, quippe qui (vt lib. 2. Emblematum suorum Didacus Couarruuias adnotauit) Deorum suorum simulacra silentio comitata in delubris ponebant, quia eorum facta, quæ vt plurimum nefanda extitissent, silentio tegenda esse arbitrabantur.

Clemens Alexand.

Didacus Couarr.

II. Respondit ad hoc argumentum aliquando Pomponat. Pomponatius in suo illo libro de fato, Stoici personam indutus, licèt Deus omnis vitij, & improbitatis sit autor, non tamen vitiosum, nec improbum esse, aut iniustum; quia quod vni particulari vitium est, aut iniustitia, pietas, atque iustitia est, si illud ad vniuersi perfectionem, & ornatum, & integritatem referatur. Deus verò in suis operibus id intendit, non quod vnius particularis, sed quod vniuersi perfectio, & integritas, & ordo requirit.

Hæc tamen euasio facilè præcluditur, quia si vitia, improbitates, & iniustitiæ ad mundi ornatum, & perfectionem, & integritatem spectant, & vt sic illa à Deo sunt intenta, cur Deus ipse illa reprehendit, & grauissimis suppliciis castigat? Cur humanæ leges improbitatem puniunt, probitatem honore, ac præmiis afficiunt? Cur pro nequam, & perditis præmia, honores, laudésque suæ non sunt destinatæ? Cur illi talibus defraudantur, quippe qui maxima ex parte mundum non mediocriter perficiant, atque exornent?

Addamus, si placet, qui libertatem arbitrij negant, & omnia fatali subiiciunt necessitati; si quid boni gesserint, & honesti, quod aliquam laudem mereatur, continuò non superiori causæ, sed sibi ipsis illud attribuunt, superbiunt, & extolluntur; laudes, & præmia deposcunt: cùm autem aliquid mali, & inhonesti admiserint, quod vituperatione dignum esse censeatur, statim ad fatum ipsum recurrunt, & fatali illa necessitate suas improbitates volunt excusare, sicut & ille Zenonis seruus à domino ob furtum verberatus excusare se volebat, quòd fati necessitate ad furandum esset adactus. Sicque videmus stultissimos istos nebulonès (vt de Pelagianis dicebat aliquando Augustinus) malorum operum facere Deum autorem, homines verò bonorum. Augustinus.

III. Senserunt huius argumentationis efficaciam Lutherus, & Philippus Melanctonus, à qua tandem conuicti suum in hac parte errorem agnouerunt, & sententiam, quæ liberum arbitrium negat, & quæ Deum malorum operum facit autorem, veluti hæreticam, & impiissimam damnauerunt, vt patet ex locis à Philippo editis anno 36. & 38. & ex iis, quæ de hac re scribunt Ruardus art. 7. pag. 259. & sequentibus, Lindanus libro 3. Panopliæ cap. 16. Andreas Vega libro secundo de Iustificatione cap. 15. & Cardinalis Bellarminus lib. 4. de libero arbitrio cap. quinto. Lutherus. Philippus Melanctonus. Ruardus Taper. Lindanus. Andreas Vega. Bellarmin.

IV. Secundò principaliter probemus eos, qui humani arbitrij libertatem negant, Deum iniustissimum facere, inquissimúmque tyrannum argumento communissimo apud Patres, quo illi passim vruntur, nempe Chrysostomus homilia 60. in Matthæum, Augustinus lib. 83. quæstionum, quæst. 24. & disputatione 2. contra Fortunatum Manichæum, & de vera Religione cap. 13. Damascenus lib. 2. de fide cap. 7. Certum est, Deum in quosdam suam iustitiam punitiuam exercere, ob nonnulla delicta ab illis perpetrata. Vel igitur illi, quos punit, potuerunt illa delicta non admittere, vel necessitate ab illo compulsi admiserunt. Si dicatur primum, habemus, hominem liberi arbitrij esse in suis actionibus. Si secundum, ergo iniustus est Deus, hominem puniens pro eo, quod ille non potuit vitare. *Si non est gratia* (inquit Augustinus epist. 46. ad Valentinum) *quomodo Deus saluat mundum? si non est liberum arbitrium, quomodo Deus iudicat mundum?* Et sermone 61. de tempore: *Neque impossibile aliquid potuit Deus imperare, quia iustus est: neque damnaturus est hominem pro eo, quod non potuit vitare, quia pius est.* Chrysost. Augustin. Damasc. Augustinus.

Huius argumenti vis adhuc magis sentietur, si dicamus eos, qui negent humani arbitrij libertatem, Deum omnium humanorum operum facere autorem, tam malorum, quàm bonorum. Contra illos verò iustè id dici potest, quod contra hæreticos Prædestinatos dixit Fulgentius lib. 1. ad Monimum: *Deus non est autor illius, cuius est victor.* Si ergo Deus peccati iustus vltor est, eiusdem Fulgentius.

dem peccati autor non est. Quis enim nisi impiissimus tyrannus ea vlciscitur, quæ illo iubente, vel etiam compellente perpetrantur? Casu reperi nonnullis abhinc diebus lepidam notatiunculam historici cuiusdam ingenioſi. Is cùm alicuius magni Principis tyrannidem per iocum carpere vellet, *Nota* (inquit) *quòd hoc anno, qui fuit, &c. talis Princeps talem laqueo iussit interire, cui longè antea multis modis furcarum egregiè promerendarum plures dederat occasiones. Erat enim ille eiusdem Principis familiaris, cuius ille opera vsus erat ad quamplures tyrannides exercendas.*

Addamus, si homines liberi arbitrij non sunt, sed ad omnia fatali necessitate compelluntur à suprema causa, cur non solùm ignari, & indocti, sed sceleſti & improbi diuitiis, voluptatibus, honoribus, & aliis omnibus abundant bonis? Cur sapientes, docti, modesti, probíque viri omnibus bonis egere solent, pelluntur domo, patria, miseréque de hoc mundo migrant? Quæ est ista iustitia, Aristidem, quia iustus est, patria exulare, Neronem, quia crudelis est, Romæ regnare? Quòd si Neronem tyrannum appellamus, quòd solatij captandi causa Romanam vrbem incenderit, quòd sapientissimum præceptorem, quòd matrem ipsam morte affecerit, cur non eadem ratione iniustus, & tyrannus vocari posset Deus, qui non in vnum, sed in omnes homines tanquam sæuitiæ primus autor immanissimè sæuiret?

V. Tertiò hoc ipsum ex ordine diuinæ prouidentiæ demonstremus. Certissimum enim est, Deum summa prouidentia res hominũ gubernare. Mundum dicebant Stoici fieri sine optima ratione esse impossibile, neque etiam consistere posse nisi optima ratione gubernaretur. Postulat autem diuinæ prouidentiæ ordo, vt res omnes ita administret, vt illas suos motus agere sinat, vt Augustinus ait lib. 7. de Ciuitate c. 30. At modus operandi creaturæ intellectualis est liberè operari, quod tali argumento sumpto ex concessis ab aduersariis sic probatur. Vel enim voluntas liberè vult, vel necessariò. Si dicatur primum, teneo intentum: si secundum, vel hæc necessitas inest illi à natura, vel contra naturam; non à natura, quia, & Lutherus, & Caluinus, & recentiores hæretici fatentur, hominem in statu naturæ integræ conditum fuisse cum arbitrij libertate; neque contra naturam, quia repugnat ordini diuinæ prouidentiæ, mouere res contra illarum naturas, maximè si perpetuo tempore contra naturam moueantur. Sapientissimè igitur Gregorius Nyssenus ex ordine diuinæ prouidentiæ lib. 7. suæ Philosophiæ cap. 1. humani arbitrij libertatem comprobauit.

CAPVT XI.

Quinta, & sexta demonstratio ex perfectione mundi, & natura peccati.

I. QVinta demonstratio ex mundi perfectione sumenda est. Requirit mundi ordo, & pulchritudo, vt sint in vniuerso non solùm agentia necessariò, sed etiã agentia possibiliter, & contingenter: sed qui negat humani arbitrij libertatem, tollit entia possibilia, & contingentia, & sola entia necessaria in mundo relinquit. Ergo tollit mundi perfectionem. Maior propositio, præter quòd est nota ad sensum (videmus nanque aliquas res habere esse permanens, vt cælum, & astra, alia fluxibile; vt hæc sublunaria, alia necessariò agere, alia possibiliter, & contingenter, alia semper euenire, alia, vt in pluribus, alia, vt in paucioribus, quod qui negat, manifestum sensum negat, & dignus est pœna sensus.) habetur etiam ex diuina Scriptura, quæ multa docet fieri casu & contingenter, vt cuique legenti diuinas Scripturas magis notum est, quàm vt probatione indigeat. Minor verò, quòd scilicet negantes humani arbitrij libertatem, auferant à rebus contingentiam, & possibilitatem, probatur, illi enim hac ratione auferunt arbitrij libertatem, quia volunt voluntatem humanam à causa superiori, nempe à Deo determinari, & necessitari quoad omnes suos actus, & effectus; at qua ratione diuina voluntas humanam voluntatem determinat, & necessitat ad suos actus, eadem & multò magis determinat, & necessitat alias causas, quæ naturales sunt. Ergo si voluntas humana nihil liberè, nihil contingenter operatur, multò minus aliæ causæ, quæ sunt naturales. ergo aufertur ab vniuerso omnis rerum possibilitas, & omnis contingentia.

Dicetur, vt sit in mundo possibilitas, & contingentia, sufficere, vt causæ inferiores, sint possibiles, & contingentes ex se, esto à causa superiori sint ad vnum necessariò determinatæ.

Sed hæc responsio est delirium manifestum. Primò nanque quis deprehendit, esse causas aliquas possibiles & contingentes ex se, si omnes à superiori causa sunt ad vnum determinatæ, vnde hanc possibilitatem & contingentiam agnoscere possumus? Secundò à quacunque causa proueniat ista determinatio, isti dicunt, nihil euenire, nisi à causis necessariò determinatis, vt determinatæ sunt, quod autem euenit à causa necessariò determinata, vt talis est, non contingenter, aut possibiliter, sed omninò necessariò euenit. Ergo siue ista necessitas proueniat à causa superiori, siue ab aliis causis, sequitur, nihil possibiliter, & contingenter in mundo euenire.

II. Addamus, nihil in mundo æstimari nobilius, nihil optabilius ipsa libertate, nihil enim est, pro quo magis homines certent, quàm pro tuenda libertate; at si libertas non est, vani sunt hominum conatus, vanæ concertationes pro defensione libertatis, pro nihilo enim homines laborarent, pro nihilo vitam in discrimen adducerent.

Ad hæc si libertas non est, quam ob causam magis laude dignum æstimatur opus hominis, quàm pecudis? Non enim maior huius, quàm illius videtur esse præstantia.

Demum si libertas arbitrij non est, neque rationalis natura verè, & propriè in mundo est: pertinet enim ad intrinsecam rationem naturæ rationalis liberè operari, vt ex Alexandro in libro de fato, & D. Bernardo in libro de gratia & libero arbitrio superiùs adnotauimus: estque libertas proprietas illius tam naturalis, atque intrinseca, vt illa ablata etiam rationalis natura necessariò destruatur. Alexander. Bernardus.

III. Sexta eiusdem humanæ libertatis demonstratio clarissima sumi potest ex natura peccati. Est sanè res ista conspicua, peccatum nullo modo peccatum esse, si non est voluntarium, id est, liberè factum, vt nulla in hac re doctorum paucitas, nulla indoctorum turba dissentiat, quemadmodum superiùs dictum est ex D. Augustino. Etsi autem res ita conspicua sit, vt nulla possit tergiuersatione inficiari, ea tamen ex ipsa natura peccati magis roborari, & firmari poterit in hunc modum. August.

Digitized by Google

modum. Est peccatum aliud nihil, teste Augustino libro de duabus animabus cap. 11. & lib. 1. Retractationum cap. 15. nisi *voluntas retinendi, vel consequendi, quod iustitia vetat, vnde & liberum est abstinere.* Quam definitionem paucis mutatis habet in libro de Genesi imperfecto cap. 1. *Peccatum* (inquit) *nihil aliud est, nisi prauus liberæ voluntatis assensus, cùm inclinamur ad ea, quæ natura vetat, & vnde liberum est abstinere.* Idem lib. 2. de consensu Euangelistarum cap. 4. *Peccatum est legis transgressio.* Et lib. 22. contra Faustum cap. 27. *Peccatum est factum, vel dictum, vel concupitum aliquid contra legem æternam.* Et lib. de fide contra Manichæos. *Peccare nihil aliud est nisi in veritatis præceptis, vel in ipsa errare veritate.* Alias omitto definitiones à Patribus & Scholasticis traditas, quòd eas Caluinus pro sua licentia facilè sit negaturus: at Augustinum non ita liberè negabit. Ille igitur inprimis definit peccatum communiter acceptum, non solùm peccatum Adæ. Secundò ille docet, spectare ad intrinsecam rationem peccati, vt sit à voluntate libera, id enim significant verba illa, *Vnde & liberum est abstinere*, & illa, *prauus liberæ voluntatis assensus.* Sed quod aduersarium omnino conuincit, illud est, quòd de intrinseca ratione peccati est, vt sit dictum, aut factum, aut concupitum contra id, quod æterna lex diuina statuit, & homini obseruandum præscripsit, & vt sit transgressio diuinæ legis, & inclinatio ad id, quod æterna lex diuina vetuit, & iustitia punit. Hoc si verum est, sanè impossibile omnino erit, hominem à Deo moueri, & voluntatem humanam ab illo inclinari, necessitari, & determinari ad peccandum. Ergo voluntas humana non à Deo, sed à se ipsa contra Dei voluntatem liberè determinatur ad peccandum. Sequelæ euidentissimæ, & necessariæ sunt, nam si voluntas humana inclinatur, determinatur, & necessitatur à Deo ad peccandum, non iam resistit diuinæ voluntati, non inclinatur, non mouetur ad id, quod Deus vetuit, & non appetit, quod æterna Dei lex prohibuit, non refragatur tandem diuinæ iustitiæ, iustitia enim diuina aliud est nihil, quàm ipsa Dei voluntas, cùm nullum habeat superiorem, qui illi præscribat, quid iustum, quid iniustum sit. Si autem humana voluntas non refragatur diuinæ, si non vult, quod æterna Dei lex vetat, si non inclinatur contra æternam veritatem, vbi est illius peccatum? Stupidissima est igitur hominum dementia, hominem inclinari, moueri, determinari & necessitari ad peccatum, aut esse peccatum, ad quod Deus inclinat, mouet, determinat, & necessitat: & hæc dicere, aliud est nihil, nisi peccatum astruendo destruere, & peccati naturam penitus ignorare. Et est hoc argumentum vniuersaliter, & necessariò concludens in omni materia, & de omni peccato, vtpote sumptum ab intrinseca natura ipsius peccati. Et hinc patere potest, quam ob causam tam frequenter replicauerit Augustinus, non esse peccatum nisi sit voluntarium.

IV. Huius argumenti vim egregiè amplificat venerabilis Doctor Andreas Vega lib. 2. de Iustificatione cap. 15. eámque appositissimis similitudinibus in hunc modum declarat. *Sed quid est* (inquit) *quod addis? Num & mala opera in impiis Deus operatur? Nunquid Deus peccati autor est? Nunquid non omnia Dei opera bona sunt? Potest Deus suæ ipsius voluntati aduersari? Pótest à lege, & regula bonorum operum, quæ ipsemet est, deficere? Si ipse operatur mala opera impiorum, & illi ea deuitare non possunt, mala igitur non sunt. Si scribentis manus benè scribendi esset regula, quidquid scriberet bonum esset. Si pictoris alicuius manus lex esset rectè pingendi, omnia, quæ ille pingeret, bona essent, neque habere possent defectum vllum, quem vel Momus posset deprehendere. Cùm Deus ergo totius bonitatis lex, & regula sit, perspicua est contradictio, ea esse mala, quæ ipse principaliter facit, nullo ipsi cooperante, qui possit illa deuitare, & impedire. Quomodo possunt à Deo sic facta non esse conformia regulæ suæ, si quæ Deus præcipit, longissimè à peccato sunt? Quomodo possunt peccata illa censeri, ad quæ Deus non tantùm hortatur, & instigat, sed etiam adigit, & compellit? Iacobus ipsa Dei bonitate admonitus dicit, nemo cùm tentatur, dicat, quoniam à Deo tentatur: Deus enim intentator malorum est, ipse autem neminem tentat*, &c.

Dicetur forsan pro Caluino, illum non docere, necessitatem ad peccandum prouenire in nobis ex diuina voluntate, sed ex corruptione humanæ naturæ, quæ in Adam vitiata peccata vitare non potest, sicut dixit Bernardus in serm. 81. in Cantica. V. Bernardus.

Sed hæc responsio nullius est momenti. Primò, quia ex sententia Caluini omnia peccata ex Dei decreto, & voluntate incommutabili in mundo eueniunt, testatur hoc ipse Caluinus lib. 1. Institut. cap. 18. §. 2. 3. & 4. & lib. 3. cap. 23. verba faciens de peccato Adæ, quòd si id verum esset de Adæ peccato, multò magis esset verum de alio quouis peccato. Secundò, quia licèt natura humana peccato Adæ fuerit vitiata: non tamen fuit extincta, neque perdidit ea, quæ spectant ad intrinsecam illius substantiam, de quorum numero est ipsa arbitrij libertas, vt statim dicemus. Tertiò, licèt in statu naturæ corruptæ homo non possit suis viribus omnia peccata vitare, potest tamen vitare singula, aut saltem aliqua, & potest etiam vitare omnia, cum Dei auxilio, quod semper ad hoc illum paratum habere, inferiùs suo loco dicemus. Quartò, si ex naturæ corruptione proueniret ista necessitas peccandi, cui resisti non posset, falsò dixisset Saluator Ioan. 15. *Si non veniissem, & locutus eis non fuissem, peccatum non haberent, nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* Siue enim veniisset, siue non veniisset, excusationem habuissent de peccato suo, nempe penes illos non fuisse potestatem peccata euitandi. Quintò, si ex naturæ corruptione oritur ista necessitas, quandiu manserit corruptio, manebit necessitas. Ergo homo peccabit, quocunque temporis momento, quia à causa necessaria, & non impedita effectus semper, & necessariò egreditur. non ergo poterit assignari causa, cur potiùs homo peccet hac hora furando, adulterando, & blasphemando, quàm alia legendo, disputando, aut vineam fodiendo. Ad hæc si homini inest hæc necessitas à natura corrupta, cur non semper mœchatur, non semper occidit? Non igitur oritur ista peccandi necessitas ex naturæ corruptione. Caluinus.

Dicetur, necessitatem peccandi non quidem oriri ex hac causa præcisa, sed ex illa iuncta vnà cum aliis causis offerentibus occasionem peccandi, & ad peccatum prouocantibus, quibus positis homo per vires naturæ corruptæ resistere non potest, & necessariò peccat. VI.

Dico primùm, hominem posse si non per solas vires naturæ corruptæ, saltem per auxilium supernaturale, quod semper paratum habet, omnibus

bus tentationibus, quantumcunque vehementibus reſiſtere, vt Apoſtolus ait, *Fidelis Deus eſt, qui non patietur, vos tentari ſupra id, quod poteſtis, ſed faciet etiam cum tentatione proventum, vt poſſitis ſuſtinere.* Secundò dico multos Philoſophos per ſolas naturæ vires à multis peccatis abſtinuiſſe. Quis enim credat priſcos illos Philoſophos Socratem, Platonem, Senecam, & ſimiles multas peccandi occaſiones ſibi oblatas non reſpuiſſe, & à pluribus illicitis non abſtinuiſſe? profectò hoc ſolum argumentum ſufficere poteſt ad demonſtrandum, illos peccati neceſſitatem non habuiſſe, & à multis peccatis pro ſola arbitrij libertate abſtinere potuiſſe, & de facto abſtinuiſſe.

Tandem dato, ſed non conceſſo, quòd natura corrupta, & nondum per Dei gratiam ſanata huic peccandi neceſſitati foret ſubiecta, tamen per Ieſu Chriſti gratiam ſana effecta nulla huiuſmodi neceſſitate teneri poſſet. Vnde enim illa proueniret? Non à peccato originali, quia illud per Baptiſmi gratiam vel totaliter deletur, vt nos Catholici ſentimus, vel ſaltem per Baptiſmum ita tollitur, vt non ampliùs imputetur, vt Caluinitæ contendunt. Non ex defectu gratiæ, quia præſtantior eſt gratia, quæ per Ieſum Chriſtum nobis confertur ad vitanda peccata, quàm gratia collata Adæ in ſtatu naturæ integræ, vt non ſemel docuit Auguſtinus præcipuè lib. de Correptione & gratia cap. 12. Ergo ſicut cum illa potuit omnia peccata vitare, vt docet idem Auguſtinus ibidem, & lib. de Bono perſeuerantiæ c. 7. ita multo magis cum iſta. Non à Deo, quia Deus nullum deſerit, niſi priùs ab illo deſeratur, vt idem Auguſtinus ſæpiſſimè inculcat. Ergo à nullo ineſt homini ſaltem conſtituto in gratia iſta neceſſitas peccandi.

Auguſtin.

CAPVT XII.

Septima, & octaua demonſtratio ex cultu Religionis, & legum diuinarum, & humanarum traditione, &c.

I. QVemadmodum nulla vnquam extitit mundi natio, quæ aliquod Numen non coluerit, ita nullus populus, nulla vnquam gens fuit, quæ ad Deum colendum ſuum non habuerit ritum certúmque religionis cultum. Hinc templorum ædificia, ſacrificiorum inſtitutiones, ritus, cæremoniæ, votorum redditio, precum effuſio, ſupplicationes, & alia id genus omnibus notiſſima, quæ humanum genus ferè nunquam non habuit. Hæc autem omnia de mundo auferri neceſſe erit ipſa humani arbitrij libertate à nobis ſemel negata. Id verò præter quod experientia quotidiana docet (vtinam non doceret) euidentiſſimè, cùm videamus recentes hæreticos humanæ libertatis inimicos, quales, exempli gratia, ſunt hodie Caluinitæ, nulla re magis delectari, quàm ipſius ſacræ Religionis contemptu, templorum euerſione, ſacrorum depopulatione, & profanatione, & ſacerdotum trucidatione, & aliis id genus ſacrilegiis, euidentiſſima ratione ſic deducitur. Si quidquid in mundo euenit, eſt immutabiliter à Deo ita decretum, vt fataliter, & ineuitabiliter eueniat, ita vt non ſit in hominis poteſtate, Deum precibus demulcere, & mala imminentia euitare, & bona, quæ optamus, precibus impetrare, immo ſi verum, quod dixerunt Petrus Abailardus, Ioannes VVicleff, & aliquando Lutherus, & Philippus, & nouiſſimè Caluinus, nec Deum ipſum poſſe aliter res facere, quàm faciat, vt ex eorum ſententia hoc eodem libro cap. 1. versùs finem docuimus, quid nobis prodeſt cultus Religionis? Certè, vt quidam apud Malachiam cap. 2. dicebant, *Vanus eſt qui ſeruit Deo, & quod emolumentum, quia cuſtodiuimus præcepta eius, & quia ambulauimus triſtes coram Domino exercituum?* Fruſtrà Deum colimus, illius præcepta ſeruamus, cæremonias cuſtodimus; fruſtrà illi templa erigimus, preces fundimus, & ſacrificamus: nihil enim nobis proderit, ſi illa fecerimus, nil mali patiemur, ſi illa contemnamus.

Petrus Abailardus. Ioannes VVicleff. Lutherus. Philippus Melancton. Caluinus.

II. Præterea ad quid Deum oramus, vt mala à nobis auertat, quæ nec nos cauere, nec ille à nobis poterit auertere? Egregiè ſanè Nemeſius libro de prouidentia cap. 1. (ſiue is autor fuerit eius libri, ſiue Gregorius Nyſſenus.) *Si Deus non prouidet, neque prauos punit, neque benè agentibus præmia largitur, neque patientium læſiones inhibet, quis amplius Deum adorabit in nullo nobis quidquam conferentem?* Et Lactantius Firmianus libro de ira Dei contra Epicurum. *Quæ in Deo poteſt eſſe beatitudo, ſi precantibus ſurdus, ſi colentibus cæcus?* Et rurſum. *Si Deus colentis obſequio nullam gratiam refert, quid tam vanum, tam ſtultum, quàm templa ædificare, ſacrificia facere, dona conferre, rem familiarem minuere, vt nihil aſſequamur?* Et Cic. ab eodem Firmiano relatus. *Si Deus talis eſt, qui nulla gratia, nulla hominum charitate teneatur, valeat.*

Nemeſius. Lactantius Firmianus. Cicero.

Declaremus alio modo vim huius argumentationis. Saluator ipſe nos docuit orare, inter alia, vt Deus nobis bona conferat, vt peccata dimittat, & vt nó ſinat nos induci in tentationem. Aut igitur eſt in noſtra poteſtate cum Dei auxilio benè viuere, & à peccatis abſtinere, aut non: ſi eſt in noſtra poteſtate, iã quoad hoc liberi ſumus; ſi non eſt in noſtra poteſtate, & nec etiam Dei, vt hæretici concedunt, vt quid docuit nos orare, *Et ne nos inducas in tentationem?* Hoc argumentum tetigit Auguſtinus tractatu 13. in Ioannem. *Illi* (inquit ſcilicet Pelagiani) *dicunt, vt quid rogamus Deum, ne vincamur tentatione, quod in noſtra eſt poteſtate? Iſti* (ſcilicet Manichæi) *dicunt, vt quid conamur benè viuere, quod in Dei eſt poteſtate. O Domine ne nos inferas in quamlibet iſtarum tentationum.* Certè ſi non eſt in noſtra poteſtate cum Dei auxilio benè viuere, aut malè, vanè Deum precamur, vt actus noſtros dirigat, & det nobis cor, vt colamus eum, & faciamus illius voluntatem, & vt peccata euitemus. Hoc verò quid eſt aliud niſi omnia religionis fundamenta radicitus euellere. Sed D. Auguſtinus hunc errorem corrigit ſerm. 7. de verbis Apoſtoli circa illa verba, *Peto vos, vt non deficiatis in tribulationibus. petit* (inquit) *quod non faceret, niſi eorum vellet excitare voluntatem. Si enim reſponderent, quid à nobis petis, quod in poteſtate non habemus, nunquid non viderentur ſibi iuſtum reddidiſſe reſponſum? & tamen Apoſtolus niſi ſciret, eſſe in eis voluntatis propriæ conſenſionem, vbi & ipſi aliquid agerent, non diceret, peto, ſed rurſum ſciens ſine Dei adiutorio, infirmam eſſe hominis voluntatem, non ſolùm ne dicerent, voluntatis arbitrium non habemus, dixit, peto, verùm etiam ne dicerent, voluntatis arbitrium ſufficit nobis, addit, huius rei gratia flecto genua*, &c.

III. Adiiciamus his omnibus eos, qui tollunt diuina oracula, cultú religionis maximè euertere, conſultationes enim oraculorum præcipui quidam actus latriæ ſunt, quibus profitemur, nos diuinitatem agnoſcere, & colere. Hinc Deus ipſe per Iſai. 30. cóqueritur aduersùm Iudæos, quòd ſuper negotiis agendis

agendis os illius non interrogaſſent,& cap.48. ait: *Quæ ventura ſunt interrogate me.* At diuina oracula penitùs de medio tollunt,qui omnia fatali neceſſitati ſubiiciunt,& nihil contingenter, aut liberè, ſed omnia neceſſariò dicunt euenire.Vt quid enim Deũ conſulimus de malis imminentibus,ſi illa neque à nobis,neq; à Deo poſſunt pręcaueri,neque à nobis auerti?Certè quicunque diuina oracula cõſuluerunt,non ob alium finem conſuluere, niſi vt ſi malum aliquod illis immineret, aliqua via illud euitare poſſent,& præcauere,& ſi ad optatum finẽ aliqua re opus eſſet,illam compararent,& adhiberent,ad eundem finem conſequendum.

Addamus etiam,conſtare manifeſtè ex cultu religionis,& diuinis oraculis multa mala nobis imminentia Deum precibus exoratum,& placatum à nobis auertere,& impedire. Paralipomenon lib.2. c.7.Deus ait:*Si clauſero cælum,& pluuia non fluxerit, & mandauero,& præcepero locuſtæ vt deuoret terram,& miſero peſtilentiam in populum meum,conuerſúſque populus meus,ſuper quos inuocatum eſt nomen meum, deprecatus me fuerit,& exquiſierit faciem meam,& egerit pœnitentiam a viis ſuis peſſimis: & ego exaudiam de cælo,& propitius ero peccatis eorum,& ſanabo eos.* Súntque huiuſce rei exempla lib.3.Regum c.21. & lib. 4.c.20.& Iſaiæ c.38.Aut igitur falſa ſunt oracula, & inutilis cultus Religionis, aut deſtruenda eſt fatalis iſta neceſſitas,quæ humanam in rebus agẽdis ſubuertit libertatem.

Neque verò ſolùm deſtruunt cultum Religionis,qui humani arbitrij libertatem negant: ſed faciunt homines maximè impios, ſacrilegos, & in Deũ ſummè contumelioſos,& blaſphemos. Quod eleganter deducit Auguſtinus lib.5.de Ciuitate c. 9. ex eo,quoniam homines vitia, & crimina deteſtantur, omnes leges improbè agentes corripiunt, increpant, caſtigant. At ſi homines non voluntate libera,ſed neceſſitate à Deo compulſi peccant,qui vitia execrantur,qui filios, aut ſubditos pro malè actis caſtigant, verberant, morte turpi afficiunt, priùs Deum execrantur,& blaſphemant,cuius impulſione homines in illa peccata non ſolùm labuntur,ſed etiam compelluntur.

V. Octaua demonſtratio ex legibus diuinis,& humanis ſumenda eſt. Si enim libertas arbitrij humani non eſt,vanè, & iniquè editæ ſunt leges tum diuinæ, tum humanæ. iniquè enim prohibetur, quod nullo modo poteſt vitari, & adhuc magis iniquè ſtatuitur pœna pro opere, quod patrauit, quia omnino vitare illud non potuit. Hoc argumentum mirum in modum exaggerat Auguſtinus variis in locis ſuæ doctrinæ,nimirum lib.83. quæſtionum,q.24.vbi ſic ſcribit: *Iuſtus regens, & gubernans vniuerſa nullam pœnam cuiquã ſinit immeritò infligi, nullum præmium immeritò dare:meritum autem pœna peccatum eſt,& meritum præmij rectè factum: nec peccatum autem, nec rectè factum imputari cuiquam iuſtè poteſt,qui nihil fecerit propria voluntate. Eſt igitur peccatum & rectè factum in libero voluntatis arbitrio.* Et in epiſtola 46. ad Valentinum. *Eo ipſo* (inquit) *quòd præceptum & imperatum nobis eſt,vt intelligamus & ſapiamus, obedientiam noſtram requirit, quæ nulla poteſt eſſe ſine libero arbitrio.* Et diſputatione ſecunda contra Fortunatum ait, mala eſſe voluntario peccato animæ,cui dedit Deus liberum arbitrium, quod ſi non dediſſet Deus,iudicium puniendi nullum iuſtum eſſe poſſet, nec meritum rectè faciendi,nec præceptum diuinum,vt ageretur pœnitentia de peccatis, nec ipſa indulgentia peccatorum, quam nobis Deus per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum donauit. Clariſſimè in lib. de gratia & lib. arbitr.cap.2. ex inſtituto probat arbitrij libertatem ex diuinis præceptis ſcribens in hunc modum. *Reuelauit autem nobis per Scripturas ſuas ſanctas,eſſe in homine liberum voluntatis arbitrium: quomodo autem reuelauerit, commemoro vos non humano eloquio,ſed diuino. Primùm, quia ipſa diuina præcepta homini non prodeſſent, niſi haberet liberum voluntatis arbitrium, quo ea faciens, ad promiſſa perueniret: ideo enim data ſunt, vt homo excuſationem de ignorantia nõ haberet, ſicut Dominus dicit in Euangelio de Iudæis: ſi non veniſſem,& locutus eis fuiſſem. excuſationem haberent.* Et infrà poſt multa diuinæ Scripturæ teſtimonia allegata. *Quid illud, quòd tam multis locis omnia mandata ſua cuſtodiri,& fieri iubet Deus? Quomodo iubet,ſi non eſt liberum arbitrium?* Et infrà poſt alia teſtimonia allegata: *Nempe vbi dicitur, noli hoc,& noli illud, & vbi aliquid faciendum, & non faciendum in diuinis monitis opus voluntatis exigitur, ſatis liberum demonſtratur arbitrium.* & legendum eſt totum illud caput,quod ſufficere poteſt ad arbitrij libertatem conuincendam maximè contra illos,qui recipiunt diuinas Scripturas,& autoritatem Auguſtini.

Hinc verò aliud deducitur argumentum, quod ibidem inſinuat Auguſtinus in illis verbis: *Quid beatus ille,de quo Pſalmus dicit, ſed in lege Domini fuit Voluntas eius die,ac nocte? Nonne ſatis indicat, hominem in lege Domini ſuæ voluntate conſiſtere?* Ratio verò talis eſt. Si nulla eſt arbitrij libertas: ergo vanè iubet Deus obſeruantiam diuinæ legis: adhuc ſi homo liber non eſt ad obſeruandam eandem Dei legem; ergo vanè promittitur illi præmium æternæ vitæ pro huiuſmodi obſeruantia. V. Auguſt.

Dicit Caluinus,quòd hoc argumento etiam Pelagiani vtebantur.Sed nihil refert illos eodem argumento vſos fuiſſe: illi enim eo vtebantur ad probandum, quòd homo per ſolas vires liberi arbitrij poſſit ſine diuino auxilio omnia mandata diuinæ legis ſeruare, quod nos vti Catholici non admittimus.Cæterùm ſuppoſito Dei auxilio quod Catholicè ſupponendum eſt, vrget ne argumentũ? Stringítne Caluinum autoritas Auguſtini? Dicit Caluinus:*Quid enim refert libero ne, an ſeruili iudicio peccetur, modo voluntate peccetur.* Verùm Auguſtinus, quem ille ſui praui dogmatis patronum aſſumit,quem ſemper aſſerit veram de libero arbitrio doctrinam tenuiſſe, non ita loquitur de peccato, vt ex ſuprà allegatis illius teſtimoniis ſatis conſtat. Caluinus.

Dicit tertiò idem Caluinus, cùm Deus opera noſtra coronat,non noſtra merita coronat,ſed dona ſua,vt Auguſtinus teſtatur epiſt.52.ad Macedonium, in præfatione Pſ.31.& 70.concione ſecunda,& ſermone 15.de verbis Apoſtoli. Quibus teſtimoniis addit teſtimonia diuinæ Scripturæ dictis,nos gratis à Deo prædeſtinatos,& nihil habere quod non accepimus,ad Rom.8.& 1. ad Corinth. 4.Verùm ſi Deus coronat tantùm merita ſua, non etiam noſtra bona opera,cur non etiam punit tantùm peccata ſua,non etiam mala noſtra opera? Ná ſecundùm Caluinum eadem eſt ratio de vtriſque operibus bonis, & malis. At non legit Caluinus Auguſtinum lib.de gratia & liber. arb.c.8. & 9. in terminis proponentem, & ſoluentem hunc cauillum Caluinianum,& eandem quæſtionem,& ſolutionem repetentem lib. ſequente de correptione, & gratia c.6.& 13. Proponit ibi Auguſtinus quæſtionem,an gloria æternæ vitæ poſſit vocari merces,& an detur nobis ex noſtris meritis. Reſpõdet ſi loquamur de noſtris meritis, vt profectis ex ſolis viribus liberi arbitrij, ſine Dei gratia gloriam Auguſt. Auguſt.

non

non esse mercedem,neque dari ex meritis: Si autem loquamur de meritis profectis ex eodem libero arbitrio mediante Dei gratia,vtique gloriam dari nobis ex meritis,& vocari mercedem, & coronam iustitiæ. Et si Pelagius hoc sentit,benè sentit.Sentit ergo Augustinus, immò diuina Scriptura, Deum merita nostra non coronare, sed dona sua,non quòd reuera, etiam nostra merita non coronet:sed quia non coronat ea, quæ sunt profecta ex solis viribus naturæ, sed illa sola, quæ ex viribus liberi arbitrij adiuti per Dei gratiam proficiscuntur.neque valet arguere,hoc opus non est meritorium ex viribus naturæ sine gratia diuina. ergo non est meritorium ex viribus naturæ, vel non est meritum nostrum; sicut non valet si arguamus, homo non videt sine lumine; ergo homo non videt, vt notauit Ruardus Taper art.7. pag.224. Taper.

VI. Sed dicit Caluinus:Esto homo careat libero arbitrio,non tamen frustrà lata est lex primò, quia lex datur, vt sit non solùm norma viuendi, sed vt per illam detegatur peccatum iuxta illud ad Romanos 3. *Per legem enim cognitio peccati.* Secundò, quia per legis obseruantiam nullus iustificatur sine Dei gratia. Tertiò, quia lex ipsa sine Dei gratia impossibilis est. Quartò, quia lex intrauit, vt peccatum superabundaret. Verùm his omnibus admissis,negari non potest, legem datam esse etiam,vt sit regula & norma viuendi, & hoc negare nihil aliud est,quàm quid sit lex ignorare, vt satis constat non solùm ex his,quæ scribunt iuris diuini & humani periti in Proœmio decretalis Gregoriani,circa illa verba, *Lex proditur, vt appetitus noxius sub iuris regula limitetur*,&c. sed etiam in § Iuris præcepta. Institutio. titulo de Iustitia, & iure, & l.Iustitia §.1. ff. de iustitia & iure.Negari etiam non potest diuinum auxilium semper nobis præstò esse ad obseruandũ diuina mandata.Dicit enim Moyses Deuter.30.*Mandatum hoc,quod ego præcipio tibi hodie,non supra te est, neque procul positum, neque in cælo situm,vt possit dicere,quis nostrum valet in cælũ ascendere,vt deferat illud ad nos, vt audiamus & opere compleamus?* Neque dici potest, Moysen loqui solùm de possibilitate cognoscendi, & intelligendi ipsum mandatum;quia textus loquitur non de sola cognitione mandati, sed multò magis de illius obseruantia, ad quam præcipuè intendebat Moyses, quemadmodum verba antecedentia eiusdem capitis declarant.*Circuncidet Dominus Deus tuus cor tuum, & cor seminis tui, vt diligas Dominum Deum tuum,in toto corde tuo,& in tota anima tua,vt possis viuere.* id quod etiam Caluinus aduertit lib.4. contra Pighium, vbi recipit responsionem illam, quæ est Abulensis. Et quanuis D. Paulus ad Romanos 10.illa verba in sensu mystico transferat ad Christum,& ad prædicationem, & fidem Euangelij:ibi negari non potest, Moysen literaliter loqui de legis obseruantia,quod nullis aliis verbis meliùs potuisset exprimere.Neque hoc est dicere,hominem sine supernaturali auxilio, posse legem obseruare: nam in eodem capite fit mentio eiusdem auxilij, cùm dicitur:*Circuncidet Dominus cor tuum,& cor seminis tui*,&c. Caluinus. Abulensis.

Solùm posset aliquid difficultatis ingerere autoritas illa D. Pauli, *Lex subintrauit, vt abundaret delictum.* cuius difficultatis solutio licèt in hoc loco omitti posset, quippe qua omissa nihil difficultatis oriri possit circa quæstionem, in qua modò versamur: nihilominus, quia Caluinus in ea insistit,respondetur ex doctrina Aug.lib.83. quæstionum,q.66.non dixisse Apostolum illa verba, vt innueret,legem fuisse causam peccati,absit. Audiamus verba eiusdem Apostoli subiungentis. *Itaque lex sancta,& mandatum sanctum,& iustum,& bonum.* Sed quatuor alias ob causas dicitur abundasse delictum ex eo,quòd lex subintrauit. Prima,quia lex multa peccata retexit, quæ ante legem peccata nõ reputabantur. hanc causam indicat Apostolus in illis verbis:*sed peccatum non cognoui,nisi per legem,nã concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, non concupisces.* Secunda,quia quantò strictiùs aliquid prohibetur,tantò grauior est transgressio,hanc tangit in illis verbis: *Adueniente mandato peccatum reuixit.* nimirum quia ante legem non ita expresè videbantur prohiberi in lege naturæ quædam,quorum prohibitio fuit in ipsa lege expressa. Hanc rationem tangit etiam Augustinus in libro de gratia & liber.arbitrio c.10.Tertia, quia quãtò strictiùs aliquid prohibetur,tantò auidiùs concupiscitur:& sic per accidens lex prohibitiua fuit occasio concupiscendi,& peccandi.Hanc insinuat Apostolus dicens, *Occasione autem accepta peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiã.* Quarta, quia etiamsi homo legis præcepta impleat: tamen cùm sine fide, & sine gratia operatur, sæpe ex legis obseruantia extollitur in superbiam bonum opus sibiipsi tribuendo, & non Deo acceptum referendo: & sic ex legis obseruantia magis peccat. Et hanc insinuat in illis verbis, *fefellit me peccatum per mandatum,occasione accepta.* Ex his colligitur ex legis traditione,peccatũ abundasse nõ causaliter, sed occasionaliter tantùm. Illa etiam dictio,*vt*, tum ibi,tum in aliis multis locis diuinæ Scripturæ non significat causam rei,sed solam cõsecutionem, & euentum,vt notauit Lyranus in illum locum,& ante illum D.Thomas 1.2.q.98.a.1. ad secundum.ita enim accipitur in 3.Regum,c.17. cùm dixit mulier Sareptana Eliæ, *Intrasti ad me, vt interficeres filium meum.*& Lucæ c.8. & Ioann.12. cùm dicitur, *Vobis datum est nosse mysterium regni Dei,cæteris autem in parabolis,vt videntes non videant, & audientes non intelligant.* & ad Rom.9. *Quia in hoc ipsum excitaui te, vt ostendam in te virtutem meã.* Et infrà,*Sustinuit in multa patientia vasa iræ, aptata in interitum, vt ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam.* in his locis dictio,*vt*, non significat causam rei propriam, sed solùm occasionalem,& rei euentum siue consecutionem. Lyranus. D.Thom.

CAPVT XIII.

Nona & decima demonstratio ex diuinis exhortationibus, & obiurgationibus, & humanis consultationibus.

I. NOna liberi arbitrij, eáque euidentissima demonstratio sumitur ex diuinis exhortationibus,increpationibus, pollicitationibus, & minis, quibus homines ad virtutum studia Deus hortatur, & à prauis conatur illos auertere. Quarum hortationum, terrorum, promissionum,minarum, increpationum, exaggerationum,diuinarum Scripturarum paginæ plenæ sunt, quæ vanæ & delusoriæ irrisiones,& iactationes sunt,si arbitrij humani libertas non est. Quis enim non irrisionem aut iocum æstimabit hominem in carcere, & catena positum ad currendum,vel ad prandium domi paratum inuitare, & obiurgare, quòd non venerit? Eadem ratione quis non iocum æstimaret,& irrisionem, Deum homines hortari, vt rectè viuant, vt à

vt à prauis abſtineant, quos ſciret in ſua poteſtate minimè habere, vt rectè viuerent, & à peccatis cauerent?

Vanè etiam, & contra omnem iuſtitiam Deus nobis ſuccenſeret, quòd æternæ felicitatis bonum illud incomparabile nobis à ſe præparatum ob noſtram ignauiam, & incuriam negligamus. Vanè aduerſum nos proteſtaretur, per ipſum non ſtare, quin ſaluemur. Quid enim aliud innuere volunt verba illa Pſ.80. *Ego ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti. Dilata os tuum, & implebo illud. Et non audiuit populus meus vocem meam.* & illa Pſ.94. *Hodie ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra*, &c. & illa Prouerbiorum 1. *Quia vocaui, & renuiſtis, extendi manum meam, & non fuit, qui aſpiceret, & deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis. Ego quoque in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo, cùm vobis id, quod timebatis aduenerit.* Et rurſum illa: *Perditio tua ex te Iſrael, tantùm ex me auxilium tibi*; & illa: *Quoties volui congregare filios tuos, & noluiſti? Ideo relinquetur vobis domus veſtra deſerta*; & illa: *Quia cùm cognouiſſent Deum nõ ſicut Deum glorificauerunt, aut ei gratias egerunt*, &c. *tradidit illos Deus in reprobũ ſenſum.* Quomodo nanque per nos ſtaret ſaluari, aut non ſaluari, ſi in noſtræ voluntatis poteſtate, & arbitrio poſitum non eſſet diuinæ gratiæ aſſentire, aut ab illa diſſentire.

II. Sed videamus quid de hac re dixerit Auguſtin. quem Caluinitæ ſui erroris patronum aſſumunt: ille à Valentino monitus, quoſdam Monachos occaſione accepta ex doctrina eiuſdem Doctoris ab ipſis Monachis non rectè intellecta in errorem lapſos eſſe, vt dicerent, non eſſe ampliùs in Eccleſia Dei corripiendos, & obiurgandos peccatores, ſed Dei iudicio relinquendos, & pro illis orandum. Vt hunc errorem ab eorũ mentibus remoueret, duos illos libros ſcripſit ad Valentinum, qui habentur in calce 7. Tomi, nempe libr. de gratia & lib. arb. & lib. de corrept. & gratia. Totum verò fundamentum diſcurſus D. Aug. eſt, hominem præditum eſſe libero arbitrio, & per eiuſdem arbitrij libertatem correptum, poſſe vitam emendare, & in meliùs proficere. Id cõſtat primò ex epiſtola eiuſdem Auguſtini ad Valent. 46. vbi ex verbis Pſalmi probat arbitrij libertatem, dicens, *niſi eſſet liberum voluntatis arbitrium, non diceretur in Pſalmo: Intelligite inſipientes in populo, & ſtulti aliquando ſapite.* Secundò idem proſequitur in libro de gratia, & lib. arbitr. cap. 2. vbi multis diuinæ Scripturæ autoritatibus monſtrat peccatores per arbitrij libertatem reddi inexcuſabiles, cùm peccant, & Dei vocem negligunt audire. *Nempe* (inquit) *vbi dicitur, nolis hoc, nolis illud, & vbi ad aliquid faciendum in diuinis mandatis opus voluntatis exigitur, ſatis liberum demonſtratur arbitrium. Nemo ergo Deum cauſetur in corde ſuo, ſed ſibi imputet quiſque, quòd peccat.* Et c. 15. ex verbis Pſalmi, *Hodie ſi vocem Domini audieritis, nolite obdurare corda veſtra.* quæ manifeſtam continent correctionem, probat, diuinam gratiam relinquere locum noſtræ libertati. Tertiò in lib. de corr. & gratia ſtatim cap. 1. ſupponit hoc duplex fundamentum, quòd diuinum auxilium ſemper adeſt homini ad benè agendum: & quòd homo tam ad bonũ, quàm ad malum habet liberum arbitrium, licèt ad bonum non valeat, niſi per Dei gratiam reparatum, & adiutum. Doctrina eſt clara, quam continuat c. 2. c. verò 3. proponit argumentum illorum, qui dicebant, homines non eſſe corripiendos ex eo, quia niſi Deus det illis ipſum poſſe, & etiam benè agere, à ſeipſis id efficere non poſſunt. Cui argumento reſpondens ait, nihilominus omittendam non eſſe correptionem. Primò, quia etiam Apoſtolus non deſiſtebat omnes hortari ad bonum, & corripere. Secundò, quia per præceptionem cognoſcimus, quid agere debeamus, per correptionem cognoſcimus noſtro vitio nos carere eo, quod habere debemus: & per orationem cognoſcimus, vnde habere poſſimus id, quod nolumus habere. *Præcipit* (inquit) *Apoſtolus, vt habeatur charitas: corripit, quia non habetur: orat vt abundet charitas. ô homo in præceptione cognoſce, quid debeas habere; in correptione cognoſce tuo te vitio non habere; in oratione cognoſce, vnde accipias, quod vis habere.* Ergo ex ſententia Auguſtini culpa ſua caret homo charitate, & pro libero arbitrio ſuo poteſt illam à Deo obtinere.

Auguſtinus.

Lyra. D. Tho.

Poterat aliquis dicere. Quomodo meo vitio nõ habeo, quod non accepi ab illo, à quo niſi detur, non eſt omnino alius, à quo tale ac tantum munus habeatur? Hanc inſtantiam amplificat Aug. toto c. 4. & 5. III.

Reſpondet nihilominus eodem c. 5. non eſſe omittendam correptionem, quia vtilis eſt ad oſtendendum homini peccata ſua, & ad excitãdum dolorem de propriis peccatis, & ad quærendum, vnde poſſit ſanari. *Quicunque* (ait) *Dei præcepta iam tibi nota non facis, & corripi non vis, etiam propterea corripiendus es, quia corripi non vis.* Ecce tibi arbitrij humani libertas ad reſiſtendum correptioni. Addit. *Non vis, tibi tua vitia demonſtrari. Non vis vt feriantur, fiatque tibi vtilis dolor, quo medicum quæras. Non vis tibi tu ipſe oſtendi, vt cùm deformem te vides, reformatorem deſideres, eique ſupplices, ne in illa maneas fœditate. Tuum quippe vitium eſt, quòd malus es: & manus corripi nolle, quia malus es, quaſi laudanda vel indifferenter habenda ſint vitia, vt neque laudentur neque vituperentur; aut verò nihil agat timor correpti hominis vel pudor, vel dolor, aut aliud agat cùm ſalubriter ſimulat, niſi vt rogetur bonus, & ex malis, qui corripiuntur, bonos faciat, qui laudentur.* Totus hic Auguſtini diſcurſus neceſſariò ſupponit liberum hominis arbitrium: cùm enim ait, per correptionẽ nos agnoſcere carere nos noſtro vitio ipſo dono charitatis, & poſſe nos noſtris orationibus illud à Deo obtinere, nónne clarè docet in poteſtate arbitrij noſtri conſtitutum eſſe, donum charitatis habere, vel nõ habere, eſto illud non niſi ab ipſo Deo poſſit obtineri? item cùm docet, eum, qui ſciens Dei præcepta, & non faciens, corripi non vult, ideo eſſe corripiendum, quia corripi non vult, nónne indicat eſſe in hominis poteſtate velle corripi, aut non velle? Cùm etiam dicit, hominem non velle corripi, quia non vult ſibi oſtendi ſua peccata, vt feriãtur & doleat, & medicum quærat, vt reformatorem deſideret, & ei ſupplicet, ne in illa remaneat fœditate, quid aliud eſt dicere, niſi hominem in ſua poteſtate habere, vt correptus doleat, & medicum quærat, & ei ſupplicet, vt ſe ab illa fœditate liberare dignetur? Tandem cùm ait hominem ſuo vitio malum eſſe, & peiorem fieri cùm corripi non vult, & correptionem hoc agere in nobis vt rogemus Deum, vt ex malis bonos faciat, quibus quæſo verbis arbitrij libertatem clariùs, meliùs, ſignificantiùs exprimere potuiſſet? Inſuper eodem lib. cap. 7. docet hominem, qui à Dei gratia exciderit, corripiendum eſſe, vt emendet vitam ſuam, & ſi non emendauerit, dignus ſit damnatione, & indignus excuſatione. Igitur ſi is, qui corripitur, ideo corripitur, vt vitam emendet,

& si non emendet, indignus sit excusatione,& dignus damnatione, nulli dubium est, illum in sua potestate habere,per correptionem emendari, vel non emendari. Alioquin in promptu haberet excusationem suam dicendo : ego vitam non emendaui,quia in mea hoc potestate non fuit.quam excusationem reiiciens Augustinus, *Potest enim* (inquit)*dici ei,in eo, quod audierat,& tenuerat,perseuerare,si vellet.*

IV. Ex hoc verò Augustini discursu non solùm cõuincitur libertas humani arbitrij, sed falsitatis etiam reuincitur responsio Caluini,dicentis,etiamsi homo libero arbitrio præditus minimè sit, vtilem nihilominus esse correptionẽ, quia reprobis adhibetur ad flagellum conscientiæ,& vt inexcusabiles sint coram Domino iusto iudice: electis verò vtilem esse, vt per illam excitentur, & ad gratiam percipiendam præparentur. Nam quod ad reprobos attinet,illa non potest esse flagellum conscientiæ, neque ob aliam causam illos potest reddere inexcusabiles, nisi quia correpti, cùm potuerint vitam emendare, noluerunt,vt idemmet Aug. expressè docuit lib.83.qq. q.24.cuius verba superiùs retulimus.

Caluinus.

August.

Quibus omnibus illud adiicere possumus. Si diuinæ exhortationes, & correptiones arbitrij libertatem non requirunt, nulla ratio conueniens assignari posse videtur, ob quam potiùs corripiamus homines adultæ ætatis,& sanæ mentis,quàm pueros,& furiosos,& amentes.Et tamen hos hortamur & corripimus,non autem illos.ergo ex hoc capite validum argumentum sumi potest ad libertatem arbitrij demonstrandam.

V. Decima demonstratio sumitur ex consultationibus hominum in rebus agendis. Sanè omnibus hominibus à Deo,& à natura inditum est,in rebus gerendis consiliari.Res quæ consilio geruntur,vt plurimum benè nobis succedunt, quæ sine consilio,è contrà.Vbi verò libertas arbitrij non est, ibi consultatio non est, consultatio enim ad electionem ordinatur,quæ potentiæ liberæ, quà talis est, proprius, formalísque actus est, ex D. Gregorio Nysseno lib.7.Philosophiæ c.1. Rursus de impossibilibus,aut necessariis nullus sanæ mentis consiliatur:vt v.g.An per saxa nauigandum, an tenendum cælum,& impediendus Solis ortus, & occasus,vt lib.3.& 6. Ethicorum longa oratione docet Philosophus:sed de his tantùm consiliamur, quæ in nostra sunt potestate,& quæ fieri, vel non fieri possunt,id quod etiamsi Aristot. minimè dixisset, quotidiana docuisset nos experientia.

Nyssenus.

Deinde finis cuiuslibet consilij est,vt aliquid eligatur, vel respuatur. ergo vel auferenda erunt consilia de mundo, vel admittenda libertas in rebus agendis.Primum fieri non potest, nam & illi, qui libertatem arbitrij obstinatè negant, sua faciunt conuenticula per singulos annos, vt de rebus ad Politicam,& Religionem spectantibus cõsilientur. Ergo admittenda est libertas. Et reuera quæri potest à Caluinitis, vt quid conuentus faciant,vt quid de rebus agendis consulant, vt quid pro suis conciliabulis congregandis quotannis motus cieant, & Regna perturbent ? si postquam colloquia, & consilia iniuerunt, in potestate illorum positum non est, quam vtiliorem probauerint,sententiam eligere.

Addamus, Deum, & naturam nihil frustrà dedisse homini:dedit autem Deus, & natura homini vim consiliandi de rebus agendis, & deliberandi post consilium,sed illa frustrà data est, si libera in homine electio non est.Ad quid enim consiliari,ad quid deliberare de rebus,quæ siue cõsulẽtibus, siue deliberantibus nobis,siue nihil tale agentibus, sine consultatione, & deliberatione sunt necessariò euenturæ?aut si euenturæ non sunt,siue deliberantibus, siue consulentibus nobis super illarum euentu nunquã erũt?Rursum ad quid consulere,& deliberare de rebus agendis,si homo nihil aliud ex consilio, & deliberatione potest efficere,nisi quod aliàs fieri erat necessarium?

Demum,vt quid Deus curam vitæ nostræ nobis commisit, vt quid eiusdem vitæ conseruandæ rationibus nos instruxit,vt quid admonuit consilio, & prudentia vti,& pericula cauere ? si libertas arbitrij in nobis non est,cùm hæc omnia absque illa vana esse constet,& inutilia.

CAPVT XIV.

Vndecima, & duodecima demonstratio ex studio Moralis Philosophiæ, & humanarum artium.

COmmunis est animi cõsensio,esse inter actiones humanas quasdam laude dignas, quasdam vituperio; alias,quæ præmiũ merentur, alias, quæ supplicium, alias moraliter bonas, alias malas, quarum priores vocamus actus virtutum, posteriores actus vitiosos. Hanc verò humanarum actionum distinctionem necessariò de mundo auferunt,qui humani arbitrij libertatem negant. Id verò sic probatur. Vnus, & idem actus, qui vt factus ab amente, puero, aut bruto vitiosus non æstimatur, nihilominus factus ab homine rationis vsu prædito vitiosus maximè iudicatur. Ingluuies in lupo, incontinentia in mulo, crudelitas in tigride,ebrietas in puero,aut amente vitium nõ est; nihilominus in homine,qui rationis vsum habeat, hæc vitia reputantur. Quæ est ratio? certè non alia,nisi quia bruta,pueri,& amentes illos actus cũ plena animi deliberatione non exercent, & cum electione,sed naturaliter feruntur ; homines verò sanæ mentis eosdem actus cum pleno iudicio maturáque electione exercent. I.

Accedit ad eiusdem rationis confirmationem, quòd virtus tanquam excellens quoddam bonum in arduo posita esse ab omnibus creditur,ita vt nõ possit absque ingenti labore, ac studio adipisci. Hinc verò sequitur, nõ posse actum virtutis vocari illum,ad quem homo à superiori causa per ineuitabilem necessitatem inclinatur, & determinatur:sed illum solum,qui sponte fit,& ex libera electione.ergo vbi libera electio nõ est, ibi ratio virtutis omnino nequit saluari. Assumptũ verò, quòd virtus in arduo sit posita, ad quod non nisi cũ labore & studio peruenitur, ita cuique notum esse debet,vt si illud negetur,ipsa etiam negetur quidditatiua ratio virtutis moralis. Quia experientia nos docet, motus illos, qui sequuntur affectiones naturæ, maximè per peccatum Adæ vulneratæ, & corruptæ,ferè omnes vitiosos esse,& qui se ab appetitu, instinctúque naturæ deprauatæ ita moueri sinunt, vt nihil contra proprias inclinationes conentur, omnes vitiosos euadere : oportet igitur virtutem in arduo sitam esse, & vt ad illam perueniamus, contra naturales animi passiones, praúásque inclinationes naturales conati, non secus ac illos,qui contra fluminis cursum volunt natigare.

Declarari adhuc magis poterit eadem ratio in hunc modum. Si homo quidquid operatur,ex necessitate operatur, vanus est omnis labor, vanus conatus

Digitized by Google

cōnatus,quo quiſque ſtuder, & laborat, vt virtutem aſſequatur,vt virtuoſus fiat.Vt quid enim abſtinet,vigilat,ardua pertentat, mille ſe commodis priuat, mille ſubit pericula, & labores? Dicetur forſan, homines ab ipſa neceſſitate adigi ad huiuſmodi conatus. Sed experientia ridiculam reſponſionem eſſe demonſtrat. Qui enim abſtinet à venereis, à comportatione, à voluptatibus ſenſus, vt Philoſophiæ ſtudio incumbat, qui antelucanis horis excutit ſomnum, vt libros legat,qui vitam in diſcrimen adducit, vt contra hoſtes patriā ſeruet, nulla ad hæc agenda neceſſitate ducitur: idque plus certum eſt, quàm vt vlla ratione egeat demonſtrari. Immo verò niſi homines ex electione, non autem ex neceſſitate hæc facerent, nulla maior eſſet ratio, quòd ſua diſtribuens, & vitam periculo exponens pro patria ſeruanda, virtuosè egiſſe dicendus eſſet, quàm qui aliena raperet, & patriam hoſtiliter inuaderet, nec magis virtuoſus cenſeretur abſtinens, & temperatus, quàm ebrioſus,& intemperatus.

II. Præterea inter omnes virtutes morales conuenit apud omnes ſapientes primum, ac principem locum obtinere virtutem prudentiæ, quippe quæ aliarum omnium virtutum actus moderatur. At quæ poteſt eſſe prudentia, vbi omnia ex abſoluta neceſſitate ſuccedant, vbi nihil fiat, quod vitari, & non fieri poſſit, aut alio, & alio modo diſponi.

An non videmus omnes homines, cùm ſeſe diſciplinam aliquam apprehendiſſe,aut virtutem aſſecutos fuiſſe arbitrantur, illam non fato, aut neceſſitati,ſed ſuæ induſtriæ, labori, & ſtudio velle adſcribi? lactaréque ſe illam ita comparaſſe, vt niſi hæc,& illa geſſiſſent,quæ omittere poterāt,ad optatam virtutis metā minimè peruenīſſent? Omnes igitur, qui virtutum ſtudiis incumbunt, humani arbitrij libertatem in moralibus confitentur.Sola autem fatalis neceſſitas ad vitia excuſanda, & peccata tegenda deſeruit, vt habeant improbi homines velamentum propriæ iniquitatis, quo ſuas improbitates vel occultare poſſint, vel ſaltem fati neceſſitate excuſare.

Vt verò eandem argumentationem proſequamur, ſecundo loco probandum nobis eſt, ablata arbitrij libertate omnes hominum actiones æquè dignas eſſe laude, & vituperatione, quod eſt non ſolùm contra communem animi conceptionem, ſed etiam contra diuinam Scripturam. Sequela probatur, quia nullus laudem meretur pro opere, quod geſſit, quia non potuit vitare,ſed ſolùm pro eo,quod geſſit cùm poſſet non agere:nullus etiam vituperio dignus cenſetur pro opere,quod geſſit, cùm non poſſet vitare.Diuina Scriptura Eccleſ.31. illum virum beatum, & laude dignum prædicat, qui potuit tranſgredi,& non eſt tranſgreſſus, facere mala,& non fecit.

Chryſoſt. Confirmatur eadem ratio à Chryſoſtomo hom. 60. in Matth. Commune & protritum eſt apud omnes axioma, ea,quæ nobis à natura inſunt, nec laudanda eſſe nec vituperanda, neque enim vituperamus eum,qui cum vno oculo, aut cæcus natus eſt,nec laudandus,cui natura corporis, vel etiam mentis pulchritudinem contulit: huius autem axiomatis nulla alia ratio legitima eſſe poteſt, niſi quia ea, quæ à natura nobis inſunt, non ſunt noſtro labore, aut ſtudio per nos comparata, ſed ex neceſſitate inſunt. Ergo,qui libertatem aufert, omnem rationem laudis, aut vituperij aufert ab humanis actionibus.

Gabr. Pennot. de libert. hum.

Confirmatur ſecundò eadem ratio. Illum ſiquidem,qui à natura cæcus factus eſt, non vituperamus,ſed illi benè precamur:è contra verò vituperamus eum, qui per ebrietatem, vel per incontinentiam cæcus effectus ſit. Quæ eſt huius diſcriminis ratio? certè nulla alia, niſi quia iſte ſuo vitio, & ſua ſponte, non autem neceſſitate talis factus eſt, vt ait Auguſtinus lib. 12. de Ciuitate cap.3. Auguſtinus.

III. Tertiò probatur, eos, qui arbitrij libertatem negant, tollere rationes, & differentias boni & mali moralis. Id verò præter quod expreſsè docent Chryſ.hom.2.in Geneſim,& Aug. locis ſuprà citatis hoc lib.c.8.dicentes peccatum eatenus peccatum eſſe, quatenus habet rationem voluntarij, oſtenditur ex omnium conſenſu. Omnes enim homines, vnum, & idem opus proueniens ex arbitrij libertate iudicant bonum, vel malum, quod proueniens ex inſtinctu naturæ ſine deliberatione,& electione nec bonum,nec malum æſtimatur. Exempli gratia.Si quis videat belluam,aut hominem amentem in publica via turpia exercentem, non iudicat illud opus moraliter malum: ſi quis autem ibidem videret hominem ſanæ mentis talia facientem,non dubium,quin diceret,illum rem illicitam, & nefandam perpetrare. Sed dicit Caluinus, homines non eſſe bonos, vel malos per liberum arbitrium, ſed per diuinam prædeſtinationem,& reprobationem. Chryſoſt. Auguſt. Caluinus.

Hæc reſponſio confutatur: quia non prædeſtinatus quandoque poteſt eſſe in gratia,& tunc non eſt malus. Similiter prædeſtinatus quandoque poteſt eſſe in peccato mortali, & tunc non eſt bonus.

Secundò eſſe homines alios moraliter bonos, alios moraliter malos, eſt communis animi conceptio:at homines eſſe alios prædeſtinatos alios reprobatos, non eſt communis animi conceptio, immò pauciſſimi aliorum comparatione hoc ſciunt. Ergo diſtinctio bonorum à malis ex alia cauſa ſumitur apud omnes homines.

Tertiò licèt diſtinctio boni, & mali ordinis ſupernaturalis ſit ex diuina prædeſtinatione, tamen diſtinctio boni, & mali ordinis naturalis non eſt ex eadem prædeſtinatione: nam inter non prædeſtinatos fuerunt alij moraliter boni,alij moraliter mali. Et vel debet Caluinus confundere omnes actiones ordinis naturalis & ſupernaturalis, vel non debet ex diuina prædeſtinatione, & reprobatione deſumere diſtinctionem inter moraliter bonos,& moraliter malos.

Demum ſi ex diuina prædeſtinatione, & reprobatione ſumenda eſſet diſtinctio hominum bonorum, & malorum, ſequeretur, quòd omnes boni eſſent æqualiter boni, aut ſaltem omnes mali eſſent æqualiter mali, nec eſſet alius alio deterior. Probatur ſequela: nam eſto per diuinam prædeſtinationem reddi poſſet ratio ob quam eſſet alter altero melior, puta quia eſſet electus ad nobiliorem gradum gratiæ, tamen per reprobationem alter non eſſet altero deterior, quia Deus non eſt cauſa, vt quis ex bono fiat malus,aut ex malo fiat deterior.

IV. Duodecima demonſtratio accipitur ex ſtudio humanarū artiū. Si enim homines libero arbitrio carerēt,& omnia facerēt fatali neceſſitate adacti; quid quæſo opus eſſet tanto labore,ſtudio, vigilātia,induſtria, quā adhibēt homines in artibus addiſcēdis? quieſcite, quieſcite miſeri mortales, nec vos veſtra fatiget ſollicitudo, nam quòd euentu-

rũ eſt,ex abſoluta neceſſitate vobis ſiue vigilãtibus, ſiue dormiẽtibus,ſiue ſtudentibus,ſiue ſtertẽtibus euenietneque enim nó poteſt euenire. *Nónne magna eſt hominis dementia,velle ſtudium,& laborem ſuũ ad aliquid addiſcendum, vel faciendum adhibere* (inquit Alexander Aphrodiſæus lib. de fato c.3.) *ſi homo nihil per ſuum ſtudium, per laborem,& ſolertiam valet perficere?* Nónne vanitas eſt vanitatum,hominem tanta animi affectione vocis,manuum,pedũ, & totius corporis agitatione,& exercitatione ſeſe componere ad Muſicam addiſcendam, ad lyram pulſandam, ad choreas ducendas, ſi in libera hominis poteſtate non poſitum eſt, has artes ſua induſtria,& ſuo exercitio comparare? Alex.Aphr.

Præterea, ſi homo non operatur ex arbitrij libertate, ſed ex abſoluta neceſſitate agit, quidquid agit,cur ſe maris, latronum, & aliorum vitæ malorum periculis exponit,contra id,quod vitæ propriæ commoda, otia, amici, parentéſque ſuadent, ob deſiderium terreni lucri, & rei familiaris augendæ? Cur artifices media nocte cùm corpus viribus pænè deſtitutum ſomnum, quietem, ſolamen,& virium reſtaurationem deſiderat, ſomnum excutiunt,& ſurgunt ad laborem,contra id, quod naturę neceſſitas poſtulabat? Sinant miſeri à ſuperiori cauſa ſe priùs vrgeri,& quandiu per vim ſi ſe rapi non ſenſerint, quieſcant in lecto, ac naturæ propriæ deſiderio, & neceſſitati ſatisfaciant. At voluntas eſt,quæ imperat,& pro ſua libertate corpus mouet, & vires corporeas cogit ad laborem. Ex ſtudio itaque, & exercitio artium humanarum optimè ipſa arbitrij humani libertas comprobatur.

CAPVT XV.

Tres aliæ demonſtrationes ad eandem arbitrij libertatem probandam afferuntur.

I. TErtiadecima demonſtratio ſumi poteſt ex ipſa conditione ſubſtantiæ intellectualis. eſt enim libertas naturalis, & interna quædam illius proprietas inſeparabilis, vt tradit Alexander Aphrodiſæus lib. de fato, cui conſentiunt Patres Orthodoxi, nimirum Origenes lib. Periarchon 3. c.1.& Clemens Roma. ep.2. ad Iacobum fratrem Domini, Ioannes Dam. lib.2. de fide c.3. D.Bern. lib.de gratia & lib.arbitr.& D.Th.1. part.q.83.a.1. Ergo ſiue ante peccatum Adæ, ſiue poſt illud,humana natura ſemper libera remanſit in ſuis operationibus.

Alexander Aphrodiſ. Origenes. Damaſcen. Bernardus. D.Thom.

Deinde natura humana habet vim cognoſcitiuam, vis autem cognoſcitiua neceſſariò requirit vim appetitiuam, experimur verò nos circa quædam obiecta habere iudicium non determinatum ad vnum,ſed indifferens,nempe quo iudicio iudicamus,illa obiecta eſſe media indifferentia ad finem,non autem neceſſaria.ergo oportet,nos liberam facultatem habere appetitiuam ad eadem media eligenda.

Deinde ſpectat maximè humani arbitrij libertas ad dignitatem eiuſdem naturæ humanæ, nam ob eam præcipuè dicitur homo factus ad imaginem, & ſimilitudinem ipſius Dei, quemadmodum docent communiter SS. Patres, de qua re præcipuè videndus eſt Damaſcenus ſecundo de fide c.12. & D.Thom.1. part. q.93.Hac ratione vſus eſt Cyrillus Alexandrinus lib.3. contra Iulianum, & lib. 8.& Greg. Nyſſen. oratione quadam pro mortuis. Damaſcen. D.Thom. Cyril.Alex. Nyſſenus.

Præter quòd ſi homo ex neceſſitate agit, non ex libera voluntate, vel iſta neceſſitas ineſt illi à natura,vel contra naturam. Si à natura, ergo ſemper ineſt tam poſt peccatum, quàm ante.Si contra naturam, ergo neque ſemper neque omnibus neceſſariò ineſt.Quæ enim ſunt contra naturam, vt in paucioribus inſunt. Nullo ergo modo ineſt homini iſta neceſſitas.

II. Quartadecima demonſtratio ex communi omnium hominum conſenſione deſumenda eſt. Cõmunis quippe animi conceptio falſa eſſe non poteſt, teſte Philoſopho lib. de ſomno, & vigilia & lib.7. Ethicorum c.13. Heſiodus quoque in libro, cui eſt titulus, ἔργα καὶ ἡμέραι, *fama* (inquit) *quam multi populi celebrant perſve ſunditus non poteſt.* & Cicero lib.1. Tuſcul. qq. *Omnium conſenſus natura vox eſt.* Eſſe verò hominem liberi arbitrij videtur fuiſſe omnium hominum conſenſus, quod declaratur inductione. Primò nanque ita ſenſiſſe antiquos illos ſapientes Ægyptios teſtatur Nyſſenus in libro de fato c.1.2.& 3. Plato etſi perplexus, & lubricus fuerit in hac re, non tamen auſus eſt humanas voluntates fato ſupponere,ſed illas exemit à neceſſitate,vt idem Nyſſenus fatetur,& Plutarchus de Placitis Philoſophorum, & Clemens Alexandrinus lib.5. Stromatum. Stoici tam magnum abſurdum putauerunt humanas voluntates ſua libertate priuare, vt cùm alia omnia fatali neceſſitati ſuppoſuerint, nihilominus ab huiuſmodi neceſſitate exceperint humanas voluntates, teſte D.Auguſtino lib.5. de Ciuit. cap.10.Non curo an in eundem errorem,quem ex vno capite vitare nituntur, recurrant per aliam viam, ſicut dictum eſt ſuprà hoc eodem lib.c.2. ſufficit enim mihi, illos pro magno abſurdo habuiſſe, homines libero voluntatis arbitrio præditos non eſſe. Cicero tam magnum abſurdum putauit eſſe, negare arbitrij libertatem, vt cùm diuinæ præſcientiæ certitudinẽ cum illa neſciret conciliare, diuinam præſcientiã, quàm humanam libertatem maluerit negare,vt ex his conſtat,quæ ille ſcripſit in lib.2. de diuinatione. De Peripateticis nullus relinquitur locus dubitandi,ſi legantur, quæ Ariſtoteles ſcribit in 3. & 6. Ethicorum, & Politicorum 3.& 9. Metaph. Vt ſemel dicamus, Caluinus ipſe fatetur lib.2. Inſtit. c.2.§.2. omnes Philoſophos in hoc conuenire. Ex Chriſtianis verò nullus arbitrij libertatem negauit, præter paucos hæreticos. Ex hæreticis Lutherani, licèt aliquando illam negauerint, tamen verbo,& ſcriptis errorem ſuum correxerunt. Caluinus ipſe, apud quem noſtris temporibus ſolùm videtur hic error hoſpitari, fatetur hominem in ſtatu naturæ integræ libero arbitrio præditum fuiſſe, vt pertinente ad eiuſdem humanæ naturæ integritatem. Demum ignarum vulgus tam certò credit, ſe liberè manducare, bibere, terram colere, vineas plantare, mercaturæ, literarum, & artium ſtudiis operam dare,parentes ſuos honorare, pecunias pauperibus erogare, & alia id genus: vt rideat non parum, ſi quis illi dicat, ſe non libertate, ſed neceſſitate ad hæc facienda compelli. Cicero. Auguſt. Cicero. Ariſtoteles. Caluinus.

III. Et quæ poſtrema omnium eſt ratio, ac demonſtratio,ſi proponerentur nobis duæ propoſitiones æquè incertæ, ac dubiæ, ad quarum tamen alteram grauia ſequerentur inconuenientia, & abſurda;ad aliam verò nullum vel minimum ſequeretur inconueniens,nónne illa ſententia foret eligenda, ad quam nullum ſequeretur abſurdum? Cõſtituamus igitur nobis has duas propoſitiones.

Arbitrij

Arbitrij libertas eſt. Arbitrij libertàs non eſt. Fingamus etiam illas eſſe æque dubias, & incertas; illa igitur erit à nobis tenenda, ad quam minora ſequuntur inconuenientia; at ad primam propoſitionem nullum ſequetur inconueniens, vt infrà oſtendemus. Ad ſecundam verò innumerabilia, eáque grauiſſima ſequentur abſurda, nimirum tolli poſſibilitatem, & contingentiam à rebus, tolli virtutes, & vitia, laudes, & præmia, vituperationes, & ſupplicia, tolli leges diuinas, & humanas, Religionem, pietatem, & exercitium bonorum operum, haberéque homines tutum patrocinium ad ſcelera, impietates, tyrannides, & vitia quæque nefandiſſima tum occultanda, tum etiam defendenda. Immo ſi dicamus hominem liberi arbitrij eſſe, excitatur facilè ad ſtudia virtutum, auertitur à vitiis, per laudem, & vituperationem, per propoſitionem præmij & ſupplicij: dignoſcuntur innocentes ab improbis, cuſtodiuntur leges, occluditur impijs via ad excuſandas excuſationes in peccatis, nutritur fides, augetur ſpes, & charitas, & diuinus cultus: dum quiſque certò credit, ac ſperat ſuppoſitis diuinis auxilijs, quæ ille pro ſumma ipſius pietate nulli negat, omnibus offert, in manu illius conſtitutam eſſe ſuiipſius vitam, ac mortem, æternam beatitudinem, ac damnationem. Quis igitur non tota mente, & totis viribus eam ſententiam abiiciat, quæ humani arbitrij negat libertatem? Quæ tanta mala mundo infert, vt illius ne leuiſſima ſuſpicio apud nos remaneat.

Ex ſupradictis tria euidenter concludimus. Primum, non omnia in mundo euenire ex abſoluta neceſſitate, ſed naturam intellectualem, ac præcipuè naturam humanam arbitrij libertate præditam eſſe. Secundum, libertatem arbitrij non periiſſe per peccatum Adæ. Tertium, veritatem iſtam, quòd homo ſit præditus libero arbitrio, non ſolo lumine fidei, ſed ratione naturali euidenter demonſtrari.

CAPVT XVI.

Proponuntur, & ſoluuntur argumenta aduerſariorum, præcipuè quæ ſumuntur ex autoritate diuinæ Scripturæ.

I. Ariſtot. RECTUM (inquit Philoſophus lib. 1. de anima tex. 85.) *ſui & obliqui index eſt.* Si igitur doctrina, quam duobus hiſce libris hactenus tradidimus, vera, & recta eſt, oportet, vt per illam non ſolùm vera ſententia de humani arbitrij libertate innoteſcat: ſed operæpretium eſt, per eandem aduerſariorum argumenta diſſoluere. Quod in poſtrema huius ſecundi libri parte præſtandum eſt. Illud porrò ante omnia monemus, quemadmodum aduerſariorum argumenta contra arbitrij libertatem non ex vno, ſed ex multiplici capite deſumuntur: ita non omnia vno in loco afferenda, & ſoluenda eſſe. Nunc enim ea ſolùm in medium afferenda ſunt, & ſoluenda, quibus probari videtur, omnia in mundo præcipuè circa homines ex abſoluta neceſſitate euenire, aut liberum hominis arbitrium periiſſe per peccatum Adæ. Cætera quæ vel ex certitudine diuinæ præſcientiæ, vel ex efficacia diuinæ voluntatis, vel ex aliis capitibus depromuntur, ſequentibus libris ſuis quæque locis diſtributa referenda, & diſſoluenda erunt. Argumenta verò hoc in loco adducenda ad quaſdam certas claſſes cõfuſionis vitandæ cauſæ reducenda ſunt.

In prima igitur claſſe referemus autoritates diuinæ Scripturæ, quibus probari videtur, hominum voluntates non eſſe in manu illorum, ſed in manu Dei. Prima autoritas eſt in lib. Prouerbiorum cap. 16. *Cor hominis cogitat viam ſuam, & Dominus dirigit greſſus eius.* Secunda in eodem lib. cap. 20. *A Domino diriguntur greſſus viri, quis autem poteſt intelligere viam ſuam?* Tertia Iſaiæ 41. *Benè quoque aut malè, ſi poteſtis, facite.* Quam adducit Lutherus in defenſione artic. 36. Quarta Ieremiæ 10. *Scio Domine, quia non eſt in manu hominis via eius, nec viri, vt dirigat greſſus ſuos.* Quinta Matthæi 7. *Non poteſt arbor bona, malos fructus facere, neque arbor mala bonos fructus facere.* Qua autoritate vtebatur Manichæus. Sexta in eodem cap. 10. *Cùm autem tradent vos, nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini: non enim vos eſtis, qui loquimini,* &c. Septima Ioann. 3. *Non poteſt homo accipere quidquam, niſi ei datum fuerit deſuper.* Octaua in eodem cap. 6. *Nemo venit ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum.* Nona ad Rom. 9. *Non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei.*

Ad has omnes autoritates duplex eſt modus reſpondendi. Primus eſt, diuinam Scripturam in multis ſaltem ex locis allegatis loqui non de actionibus ciuilibus, aut moralibus ordinis naturalis, ſed de actionibus ſupernaturalibus, quæ ſunt meritoriæ æternæ vitæ, vel ad illam ſunt media neceſſaria: ad eas nanque actiones homo non valet per vires liberi arbitrij ſine ſupernaturali auxilio diuinæ gratiæ. Neque per hoc deſtruitur liberum arbitrium, ſed multò magis ſtatuitur, roboratur, perficitur: obtinet enim fortiſſimam, ſaluberrimam, & inuictiſſimam in agendo libertatem, vt ait Auguſtinus epiſt. 84. & de ſpiritu, & lit. cap. 30. Hoc modo exponunt communiter priſci Patres quamplures ex autoritatibus allegatis, maximè D. Auguſtinus in Enchiridio cap. 32. de peccatorum meritis, & remiſſione, cap. 17. & lib. 1. contra duas epiſt. Pelagian. c. 3. & lib. 2. cap. 8. & libro de prædeſtinat. ſanctorum, cap. 8. & lib. de gratia, & libero arbitrio cap. 5. & lib. 1. ad Simplicianum quæſt. 2. ſequiturque D. Thom. 1. part. quæſt. 83. art. 1. ad ſecundum & de veritate quæſt. 24. art. 1. ad 1. Auguſt. D. Thom.

II. Secundus modus reſpondendi eſt, diuinam Scripturam non loqui in illis locis ſaltem in multis de actu interno voluntatis, qui eſt verus, proprius, & formalis actus potentiæ liberæ, vt talis eſt, qui, vt dictum eſt lib. 1. cap. 14. eſt libera electio, ſed de actu imperato eiuſdem voluntatis, qui eſt executio electionis. Nam quoad iſtum actum voluntas ſæpiſſimè pendet non ſolùm à Deo, ſed etiam à ſecundis cauſis ita, vt per illas poſſit impediri, ne executioni demandet, quod apud ſe ſtatuit. Hoc modo reſpondendi vtuntur Gregorius Nyſſenus lib. 7. Philoſophiæ cap. 2. Damaſcenus lib. 2. de fide cap. 26. & D. Thom. eadem 1. p. q. 83. art. 1. ad 4. immo eandem reſponſionem probauit etiam ex hæreticis Philippus Melanctõn, apud Taperum art. 7. pag. 161. Nyſſenus. Damaſc. D. Thom. Philippus Melanctõn.

Iuxta hos duos modos quiſque facilè poteſt per ſe reſpondere ad omnes autoritates adductas. Nam ad primam, ſecundam, & quartam apparet, quòd loquuntur potiùs de executione, & actu imperato, quàm de libera electione: quanuis non ſit inconueniens, eaſdẽ autoritates exponere iuxta primũ modum. Ad ſeptimam, octauã & nonam apparet, Scripturam in illis locis loqui de actibus

ſupernaturalibus, quos homo per ſolas vires liberi arbitrij ſine ſupernaturali auxilio elicere non poteſt. Ad tertiam verò, quintam & ſeptimam dico, illas omnino extra propoſitum ab hæreticis pro ſe adduci, nam

Ad illud Iſaiæ, *Benè quoque, aut malè, ſi poteſtis, facite.* reſpondetur, illa verba non eſſe intelligenda de hominibus, ſe de idolis, vt indicant verba illa antecedentia, *Annunciate, quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus, quia dij eſtis vos: benè quoque, aut malè, ſi poteſtis, facite.* Vbi apparet intolerabilis craſſities, & impudentia hæreticorum in peruertendis diuinis Scripturis ad ſuos errores adſtruendos.

Ad illud verò ex Matthæi cap. 7. *Non poteſt arbor bona*, &c. reſpondet Auguſtinus multis in locis, necnon gloſſa Ordinaria, & Interlinearis in illum locum, verba illa formaliter, & reduplicatiuè eſſe intelligenda; vt ſcilicet, quatenus bona, fructus malos facere non poſſit, neque è contra, cum hoc tamen optimè ſtet, voluntatem, quæ metaphora arboris ibi exprimitur, ſi mala ſit, per Dei gratiam & propriam libertatem bonam fieri poſſe, & è contrario ſi bona ſit, propria libertate poſſe à gratia Dei excidere, & malam fieri.

Ad illud etiam teſtimonium ex Matth. cap. 10. reſpondetur, ibi textum loqui de ſcientia fidelibus infuſa tempore perſecutionum primitiuæ Eccleſiæ, quam licèt illi ſuis viribus minimè compararent, vtebantur tamen illa pro ſua libertate, ſicut homo liberè vtitur habitibus infuſis.

III. In ſecunda claſſe adduci poſſunt teſtimonia, quibus aduerſarij probare nituntur Deum in omnibus omnia operari, & omnes merè paſſiuè concurrere in ſuis operationibus. Primum teſtimonium eſt Ier. 18. *Nónne ſicut lutum in manu figuli, ita & vos omnes in manu mea?* Cui conſonat autoritas alia ſimilis apud D. Paulum ad Rom. 9. Secunda autoritas in Prou. cap. 16. *Omnia propter ſemetipſum operatus eſt Dominus, impium quoque ad diem malum.* Tertia ad Rom. 1. *Tradidit illos Deus in reprobum ſenſum.* Quarta in eodem cap. 9. *Cuius vult miſereatur, & quem vult induret.* Quinta ibid. cap. 11. *Quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia.* Sexta 1. ad Corinth. cap. 12. *Omnia in nobis operatur.* Septima 1. ad Cor. 2. *Operatur omnia ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ.* Octaua Iacobi 1. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum.* Nona Iſ. 26. *Omnia opera noſtra operatus es in nobis.* Decima Matthæi cap. 10. *Vnus paſſer non cadit in terram, ſine Patre veſtro.*

Ad hæc omnia primùm reſponderi poſſet, illa eſſe ſic intelligenda, vt non tamen denegetur ſecundis cauſis ſua ipſarum actio, & cauſalitas. Eſt enim opinio nimis inſulſa, & ſtupida illa, quæ docet, ſecundas cauſas nihil reuera agere, ſed Deum ſolum eſſe illum, qui verè agit ad præſentiam ſecundarum cauſarum, cuius abſurditatem, præter quod ad ſenſum nota eſt, inferiùs lib. 8. ex profeſſo oſtendemus. Sed vt proprias quibuſque locis explicationes, eáſque legitimas, & germanas adhibeamus, notandum eſt, quatuor modis ſupradictas autoritates conſueuiſſe à Patribus explicari.

Primus modus eſt, vt Scriptura in illis velit innuere neceſſariam dependentiam ſecundarum cauſarum à prima, tum in eſſendo, tum etiam in operando, quæcunque illæ ſint, ſiue cauſæ naturaliter agentes, ſiue liberæ. Secundus vt velit his modis loquendi monſtrare omnimodam poteſtatem Dei ſuper creaturam, & omnimodam ſubiectionem eiuſdem creaturæ ad diuinum nutum, & ad diuinam prouidentiam. Sic exponit Auguſtinus in libro de eſſentia diuinitatis illum locum Ieremiæ: *Nónne ſicut lutum in manu figuli, ſic & vos omnes in manu mea?* Tertius vt velit demonſtrare, Deum eſſe rerum omnium Creatorem, & autorem. ita exponit idem Auguſtinus illud ad Rom. 11. *Quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia*; in libro de Anima, & eius origine cap. 17. Quartus, vt velit innuere, omnia, quæ in mundo fiunt, eſſe certiſſimæ Dei prouidentiæ ſubiecta, & omnes hominum actiones ſiue bonas, ſiue etiam malas, per diuinam prouidentiam diſponi, vel ordinando vt fiant, vel permittendo fieri, & factas ordinando in aliquem bonum finem. ita exponunt illud Prou. 16. & ad Rom. 9. Lyranus, & D. Thom. 1. part. quæſt. 44. art. 4. & quæſt. 65. art. 2. Auguſt. Lyranus. D. Thom.

Iuxta prædictos modos facillimè poſſunt exponi omnia teſtimonia in ſecũda claſſe adducta: nec opus tẽpus cõterere in applicando ſingulis ſingulas ſolutiones. Solùm aduertendum eſt circa illud teſtimonium ex lib. Prou. c. 16. *Vniuerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus, impium quoque ad diem malum.* illum locum non ſic accipiendum eſſe, quòd Deus homines impios faciat, ſed quòd illos, quos præuidet propria ipſorum malitia impios futuros, nihilominus creat ordinando in finem conuenientem, qui eſt oſtenſio diuinæ gloriæ in illis per modum iuſtitiæ punitiuæ. ita illum locum exponunt D. Hieronymus ibi, & Origenes in illud ad Rom. *Quem vult induret.* Hieron. Origenes.

Pariter illud Iſaiæ 26. *Omnia opera noſtra operatus es in nobis.* ſatis extra propoſitum ab aduerſariis allegatur, cùm ex ſerie verborum conſtet, ibi Scripturam loqui de pace, bello, imperio, ac ſeruitute Hebræorum, ad denotandum, ea omnia ex Dei voluntate illis accidiſſe.

CAPVT XVII.

Alia diuinæ Scripturæ teſtimonia contra humanam libertatem adducuntur, & explicantur.

IN tertia claſſe numerantur autoritates, quibus Lutherus præcipuè probabat, hominum voluntates à Deo teneri, ne faciant, quod voluerint. I. Lutherus.

Prima eſt in lib. Geneſ. cap. 50. vbi Ioſeph fratribus ſuis timentibus dixit: *Nolite timere, num Dei poſſumus reſiſtere voluntati? vos cogitaſtis de me malum, ſed Deus vertit illud in bonum.* Quibus verbis dicere volebat, quòd fratribus Ioſephi volentibus illum vendere, eadem via Deus fecit illum dominum Ægypti. Secunda eſt in lib. Num. cap. 24. vbi cum Balaam Hebræorum populo maledicere vellet, irruente in eum Spiritu Domini, coactus eſt illi benedicere, & mirabili Dei prouidentia (inquit Lutherus) & loqui, & facere aliter, quàm cogitauit. Tertia eſt in libro 1. Regum cap. 2. vbi dicitur, quòd filij Heli non audierunt vocem patris, quia voluit Dominus occidere eos. Poterant addi plures aliæ conſimiles autoritates, nimirum ex libro Geneſis cap. 20. vbi cùm Abimelech vellet Saram vxorem Abrahæ in coniugem accipere, prohibuit illum Deus, ne id faceret. & cap. 31. vbi cùm Laban vellet irruere in Iacob, tenuit illum

Deus

Deus. & ex lib. 1. Regum, vbi cùm Saul pluribus vicibus tentasset Dauidem interficere, prohibitus est, ne id faceret.

Verùm prædictæ, & aliæ consimiles autoritates non ostendunt, Deum humanas voluntates tenere, vt non possint pro sua ipsarum libertate velle, & nolle, immo manifestè id supponunt; sed solùm docent, homines teneri, vt quod mente, & voluntate conceperunt, opere non exequantur. Quod fit vel positiuè obiiciendo impedimentum, vel non amouendo impedimenta, ex aliis causis imminentia, vel subtrahendo diuinum auxilium, vel immittendo terrores, quibus homo à proposito recedat, & illud mutet.

II. In quarta classe referri possunt testimonia, quibus illi probare contendunt, Deum humanas voluntates immutare ad libitum, siue in bonum, siue etiam in malum. Primum testimonium sumunt ex libro Geneseos cap. 43. *Det vobis Deus, inuenire misericordiam coram viro.* Secundum Exodi 12. *Deus dedit gratiam populo coram Ægyptiis, vt commodarent eis vasa argentea, & aurea, & spoliauerunt Ægyptios.* Tertium Deuteronomij 28. *Dabit tibi Dominus cor pauidum, & oculos deficientes.* Quartum lib. 2. Regũ c. 17. *Domini autem nutu dissipatum est consilium Achitophel vtile, vt induceret Dominus super Absalom malum.* Quintum li. 3. Regum 12. *Non acquieuit Rex populo, quia auersatus fuerat eum Dominus.* Sextum Iob 12. *Qui immutat cor Principum, & errare eos facit, quasi ebrios.* Septimum Prouerb. 21. *Sicut diuisiones aquarum, ita cor Regis in manu Domini, quocunque voluerit, inclinabit illud.* Octauum Esther 15. *Conuertit Deus Spiritum Regis in mansuetudinem.* Nonò addi possunt testimonia, quibus Scriptura videtur indicare, Deum voluntates hominum inclinare ad malum: Exodi 9. & ad Rom. 9. *In hoc ipsum excitaui te, vt ostendam in te virtutem meam*; & item, *Quem vult indurat.* & ad Rom. 1. *Tradidit illos Deus in sensum reprobum.* Decimò addunt testimonia quædam D. Augustini, in quibus videtur dicere, Deum nolentes, & etiam reluctantes ad se conuertere, & habere omnimodam potestatem ad conuertendum corda nostra, & immutandas, & inclinandas nostras voluntates, quocunque voluerit, siue in bonum, siue in malum, & operari motum nostrarum voluntatum: & nostras voluntates magis esse in potestate Dei, quàm in nostra, & Deum pro solo beneplacito suæ voluntatis facere aliquos vasa honoris, alios vasa contumeliæ. ita videtur dicere lib. 1. contra duas epist. Pelagianorum cap. 19. & 20. & lib. de gratia & lib. arbitrio cap. 20. & 21.

Augustinus.

Verùm hæc testimonia, in quibus hæretici magnam videntur habere fiduciam, ne in specie quidem illorum errori possunt fauere. Primò nanque ex omnibus prædictis autoritatibus nihil amplius colligitur, nisi Deum, si vult, & quando vult, posse humanas voluntates necessariò in aliquod obiectum inclinare, aut ab illo easdem voluntates auertere, quod nullus negat, hoc excepto quòd voluntatem ad malum inclinare positiuè minimè potest. sciunt enim omnes Catholici, Deum iure creationis humanæ voluntatis dominium plenissimum habere, & posse eam non solùm quocunque voluerit necessariò inclinare, sed etiam si placeat ad nihilum redigere. Sed non hoc est quod modò disputamus. Quæstio autem est, an Deus humanam voluntatem in omni opere suo ita necessariò inclinet, vt nullam ei optionem, & liberam electionem de lege ordinaria relinquat. Nos Catholici fatemur, etsi Deus possit voluntatem humanam, saltem in exercitio perpetuo necessitare, aut necessariò inclinare in obiectum: id tamen de lege ordinaria minimè facere, sed relinquere illi suam liberam electionem. Neque argumenta Lutheri, & Caluini contrarium probant, neque vnquam probabunt. Et quidem posset hac vnica responsione omnibus prædictis autoritatibus & aliis multis fieri satis.

III. Nihilominus ad maiorem euidentiam notandum est, duobus modis intelligi posse, Deum humanam voluntatem mouere, & inclinare in aliquod obiectum, vno modo per modum causæ physicæ: alio modo per modum causæ moralis. Rursus per modum causæ physicæ adhuc duobus modis potest id intelligi, vno modo, quòd voluntatem ita moueat, vt illam determinet ad vnum per modum causæ naturalis: alio modo, vt ita moueat, quòd nihilominus relinquat in illius potestate suam determinationem. Hoc supposito respondetur, Deum humanam voluntatem mouere, & inclinare quocunque voluerit, vel per modum causæ moralis, proponendo illi obiectum sub talibus, & talibus rationibus, ita vt volũtas certò & infallibiliter illud appetat: vel per modum causæ physicæ, non quidem illam necessariò ad vnum determinando, sed ita mouendo, vt relinquat in eius potestate suam determinationem. Et hoc solum probant illæ autoritates adductæ ex diuina Scriptura, & ex D. Augustino, neque aliquid plus. Præter quod plures ex dictis autoritatibus suas habent peculiares solutiones: sed de illis non est hîc prolixè dicendum, quoniam lib. 7. & 8. de illis redibit sermo, tanquam in proprio loco, vbi de illis agendum est. Hîc enim solùm sufficiat indicasse, illas non fuisse data opera prætermissas. Duo tantùm hîc oportet nos adnotare. Primum cùm dicitur, Deum facere vasa honoris, & contumeliæ, & indurare, & tradere in reprobum sensum, non positiuè id efficere, sed permissiuè tantùm, aut aliis modis inferiùs lib. 5. cap. 15. tradendis. Quod non solùm Catholici, sed etiam hæretici nonnulli verum fatentur, ex quibus Philippus in locis editis anno 36. sic ait: *Nec figuræ illæ verborum in Scripturis offendunt, indurabo cor Pharaonis, & similes, certum est enim, Hebraica phrasi, significare eas permissionem, non voluntatem efficacem, vt & ne nos inducas in tentationem, id est, ne sinas induci.* Secundò notare oportet, falsum esse, quod Lutherus imponit Augustino, illum dicere, Deum homines nolentes, & reluctantes ad se conuertere, & trahere. Fuit autem antiqua impostura Pelagianorum, vt constat ex eodem Augustino lib. 1. contra duas epist. Pelagianorum cap. 5. vbi ait. *Sic enim hoc nobis obiiciendum putarunt. Sub nomine* (inquiunt) *gratiæ ita fatum asserunt, vt dicant, quia nisi Deus inuito, & reluctanti homini inspirauerit boni, & ipsius imperfecti cupiditatem, nec à malo declinare, nec bonum posse arripere.*

At Augustinus nunquam dixit, Deum inuitum & reluctantem ad se conuertere, sed dixit, Deum ex inuito & reluctante facere volentem, suauiter & fortiter illum mouendo: & postea immittere illi boni, & virtutis desiderium, vt idemmet fatetur lib. 4. contra duas epistolas Pelagianorum cap. 6. Quomodo verò Deus ex nolentibus faciat volentes, optimè declarat Roffen- Roffensis.
sis art. 36. §. *Nihil aduersùs ea, quæ*, &c.

August.

In quinta classe illa testimonia recensenda

IV. sunt, quibus probant, hominem per peccatum Adæ factum seruum seruitute, quæ tollit libertatem maximè à prauis inclinationibus ad peccandum. Primum est ad Rom. 6. *Fuistis serui peccati: liberi autem à peccato, serui facti estis iustitiæ.* Secundum in epist. 2. ad Timotheum, *Vt resipiscant à diaboli laqueis, à quo captiui tenentur ad suam ipsorum perditionem.* Tertium Ioann. 8. *Qui facit peccatum, seruus est peccati.* Quartum in epist. 2. D. Petri cap. 2. *A quo quis superatus est, huius & seruus est.*

Augustin. Respondetur cum D. Augustino lib. 1. contra duas epist. Pelagianorum cap. 2. eum qui facit peccatum, per ipsum peccatum priuari quidem libertate à peccato, & à pœna peccati, & à prauis inclinationibus ad peccandum, non autem priuari libertate naturæ, quæ consistit in indifferentia tum intellectus, tum voluntatis, vt primo libro dictum est. immo hanc libertatem manere tum in peccatore, tum in iustificato, expressè conuincitur ex eo, quoniam homo voluntariè, & liberè seipsum facit seruum peccati, & iustitiæ, & dum existit sub seruitute peccati, liberè seruit ipsi peccato, sicut existens sub seruitute iustitiæ liberè seruit eidem iustitiæ. Et ita seruit peccato, aut iustitiæ, vt possit non seruire, & ex seruo vnius facere se alterius seruum. Quòd autem homo pro suæ voluntatis arbitrio possit se ex seruo peccati seruum facere iustitiæ, mediante Dei auxilio, quod semper habet paratum, & è contra ex seruo iustitiæ possit se seruum facere peccati, ostendit D. Paulus in illis verbis ad Rom. 6. *Sicut exhibuistis membra vestra seruire iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem.* Quod vt melius percipiatur, sciendum est, seruitutem peccati in tribus consistere. Primò in ipso peccato, quod est macula quædam quam peccans contrahit, & manet in illo, quandiu non abluitur per Dei gratiam. Secundò in pœna, quæ peccatori manet, nisi per gratiam Christi absoluatur, & redimatur. Tertiò in prauis quibusdam inclinationibus, quæ peccatum sequuntur, & pertrahunt hominem ad alia peccata, secundùm dictum illud Gregorij: *Peccatum, quod per pœnitentiam non diluitur, mox suo pondere ad aliud trahit.* Trahendo autem hominem in alia peccata, ex frequentatis actibus habitum gignit, qui de difficili remoueri potest, & quodammodo per prauum affectum radicatum, & roboratum cogit hominem ad seruiendum ipsi peccato. Hæc tamen seruitus absolutè loquendo libera est, immo necessitas ipsa, quæ ex prauo habitu oritur, libera & voluntaria est, quia à voluntate libera factus est habitus malus ad peccandum. hoc totum eleganter expressit D. Bernardus serm. 81. in Cantic. dum ait: *Nescio quo prauo, & miro modo ipsa sibi voluntas peccato quidem in deterius mutata necessitatem faciat, vt necessitas cùm voluntaria sit, excusare non valeat voluntatem: & nec voluntas cùm sit illecta excludere necessitatem.* Et infrà: *Ita anima miro quodam modo, ac malè libera necessitate ancilla tenetur & libera, ancilla propter necessitatem, libera propter voluntatem: & quod magis mirum, magisque miserum est, eo rea, quo libera, & eo ancilla, quo rea, per hoc ancilla, quo libera.* In hoc sensu loquebatur D. Augustinus in libro de perfectione iustitiæ, contra Celestium, cuius verba perperam pro se adducit Caluinus cùm ait: *Per libertatem factum est, vt esset homo cum peccato: sed iam pœnalis vitiositas subsecuta ex libertate fecit necessitatem.* Non enim loquitur Augustinus de necessitate, quæ tollit libertatem naturæ: sed de necessitate substandi ipsi peccato, & pœnæ eiusdem peccati, & prauis cupiditatibus, & vitiosis affectibus, quibus homo se subiicit per ipsum peccatum. De hac verò seruitute peccati plura scribit, & quidem doctè Andreas Vega lib. 2. de iustificatione cap. 3. & 4. quæ non pigebit legisse.

Gregorius. Bernardus. Augustinus. Caluinus. Andreas Vega.

V. In sexta classe numeranda sunt testimonia, quibus præcipuè Lutherus in defensione articuli 36. & alij nituntur probare, quòd hominis voluntas post peccatum Adæ ad nihilum valeat omnino, nisi ad peccandum. Præmittit verò Lutherus, hanc suam assertionem inniti autoritati D. Augustini in lib. de spiritu, & litera cap. 3. Possunt addi loca, nempe in libro de prædestinatione, & gratia cap. 9. & lib. 1. contra duas epist. Pelagia. cap. 2. & 3. lib. 2. cap. 5. & lib. 3. cap. 8. & libro de Correptione & gratia cap. 12. Testimonia sunt, primum in lib. Geneseos cap. 6. *Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est.* Secundum ibidem, & cap. 8. *Sensus, & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia.* Tertium Isaiæ 40. *Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius sicut flos fœni:* Et ibidem. *Suscepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis.* id est, vt Lutherus glossat, gratiam non dari à Domino nisi pro peccatis. Quartum Ioann. 15. *Sine me nihil potestis facere, & si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, & arescet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet.* Quintum ad Romanos 8. *Prudentia carnis mors est.* Sextum ad Galatas 5. *Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia,* &c. *Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.* Lutherus.

Ad hæc primò respondeo, Lutherum autoritates Augustini detruncare. Augustinus enim non dicit absolutè, liberum arbitrium nihil valere nisi ad peccandum, sed ait: *Neque liberum arbitrium quidquam, nisi ad peccandum valet, si lateat veritatis via.* Hæc autem vltima clausula verum sensum aperit, & veram mentem Augustini, quæ est, liberum arbitrium destitutum omni diuino auxilio tum ex parte voluntatis, tum etiam ex parte intellectus, non valere ad aliquod bonum, maximè ordinis supernaturalis. Ex hoc verò non sequitur, quòd si homo non posset sine Dei gratia bonum maximè supernaturale operari, non habeat liberum arbitrium etiam in statu peccati; quia licèt non possit bonum operari sine Dei gratia, potest tamen cum eadem Dei gratia, quam semper habet paratam. Recolenda autem est nobis, & semper præ oculis tenenda differentia illa, quam in multis locis, præsertim in libro de Bono perseuerantiæ cap. 7. assignat idem Augustinus inter liberum hominis arbitrium in statu iustitiæ originalis, & in statu naturæ lapsæ: nam in statu iustitiæ originalis cùm nulla praua affectione præponderante magis inclinaretur ad malum, quàm ad bonum, æquè poterat & eadem facilitate, seipsam flectere in bonum & in malum. Cæterùm per peccatum primi parentis natura humana valdè incuruata est, & ad malum inclinata: estque effecta persimilis parieti inclinato, quem ne cadat, plurimis fulcris diuinæ gratiæ opus est sustinere, tum ex parte humani intellectus, qui per peccatum obscuratus est, tum ex parte voluntatis, quæ

Augustinus.

Digitized by Google

quæ prauè eſt affecta tum ex parte appetitus ſenſitiui reluctantis rationi, & illam in ſeruitutem
Basilius. trahere nitentis, vt eleganter monuit D. Baſilius hom.15.in illa verba Pſalmi 61. *Interficitis vniuerſi vos, tanquam pariети inclinato, & maceriæ depulſæ.* Hinc fit, vt voluntas ad malum de ſe ſine alio adminiculo facillimè feratur, ad bonum verò non niſi ſpeciali Dei auxilio ſuffulta, & roborata ſeipſam valeat inclinare, ratione prauæ cupiditatis in cõtrariam partem inclinantis & trahentis; non ſecus ac ille, qui cymba nauigat contra fluminis curſum, vt ſuperiùs dictum eſt. atque ſi liceat miſcere ſacra prophanis, hoc eſt, quod ſaltem per vmbram quandam innuere voluerunt pulcherrimæ illæ Dædali imagines, quas antiqui ſapientes manus, pedéſque fortiſſimis vinculis ligatas in ſuis delubris ponebant, quæ niſi fortiter ligatæ ex
Plato. oculis hominum ſtatim fugiebant, vt Plato refert in Menone, & in Hipia, & Ariſtot. lib.1. de Ani-
Ariſtoteles. ma. Innuere volebant virtutes, quas pulcherrimæ illæ imagines præfigurabant, non niſi arctiſſimis vinculis induſtriæ, laboriſque apud mortales detineri poſſe, ob prauas affectiones, inclinationéſque ad id quod virtuti contrarium eſt.

Quòd autem hæc fuerit germana ſententia D. Auguſtini, facilè oſtenditur ex eo, quoniam Auguſtinus in locis allegatis refutat errorem Pelagianorum dicentium, præuaricationem Adæ ſibi ſoli nocuiſſe, & omnes homines poſt peccatum Adæ æquè facilè poſſe ad bonum, ſicut poſſunt ad malum. Contra quem errorem conſtituit hanc Catholicam veritatem. Liberum arbitrium poſt peccatum primi parentis poſſe quidem per ſe ſolum ad malum: non tamen per ſe ſolum poſſe ad bonum, ſed ad illud egere Dei gratia. Hoc verò non eſt negare liberum arbitrium ad bonum: quia aliud eſt, liberum arbitrium non poſſe bonum velle, & operari ex ſe ſolo ſine Dei gratia, aliud eſt non poſſe omnino aliquid de ſe. Poteſt enim de ſe aliquid cum Dei gratia, quia poteſt mereri vitam æternam. Et Paulus ait, *Operor ego, ſam non ego* (ſcilicet ſolus) *ſed gratia Dei mecum.* & 1. ad Corinth.3. *Vnuſquiſque propriam mercedem accipiet ſecundùm ſuum laborem.* Et textus Græcus magis expreſsè ait, *ſecundùm proprium laborem.* Et 2. epiſt. cap.5. *Omnes enim nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſque propria corporis, prout geſſit, ſiue bonum ſiue malum.* Notandæ ſunt duæ illæ dictiones *geſſit*, & *bonum*. De hac re latè
Auguſtinus. Auguſt. libro de gratia & lib. arbitrio cap.6.8.9.

Eundem autem ſenſum habent verba diuinæ Scripturæ à Luthero inducta, maximè ſecundum, teſtimonium, tertium & quartum, præter quòd primum, quintum & ſextum extra propoſitum allegantur: Aliud enim eſt dicere, opera carnis, quà talia ſunt, mala eſſe, & carnem, quà talis eſt, cùm ſecundùm proprium appetitum operatur, non poſſe niſi malum operari: Aliud eſt, voluntatem non poſſe aliud velle, niſi quod caro ſuadet, & imperat. Primo admiſſo non ſequitur ſecundum, vt ſequi oporteret ad hoc, vt iſta teſtimonia ad propoſitum allegarentur. Neque Lutherus, neque alius huiuſmodi ſequelam probat. Illud tan-
Lutherus. dem, quod ait Lutherus, ſenſum illorum verborum Iſaiæ, *Recepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis ſuis.* eſſe, gratiam Dei non dari, niſi pro peccatis, impium, & erroneum eſt dictum: nam licèt Dei gratia non detur pro bonis meritis, non tamen datur pro malis meritis, & pro peccatis: aliàs expediret peccare, vt gratia Dei abundaret. Et licèt Dei gratia peccatoribus detur, data eſt etiam Adæ, & Angelis, in quibus nullum erat peccatum.

CAPVT XVIII.

Afferuntur, & ſoluuntur argumenta ſumpta ex autoritate Patrum, & ex Philoſophis.

IN ſeptima claſſe afferuntur argumenta, quæ hæretici deſumunt ex autoritate Patrum, præ- I. Concilium Arauſicanũ.
cipuè ex D. Auguſtino. Primum eſt autoritas Concilij ſecundi Arauſicani cap. 13. vbi ſic dicitur: *Arburium voluntatis in primo homine infirmatum, niſi per gratiam Baptiſmi, non poteſt reparari, quod amiſſum, niſi a quo potuit dari, non poteſt reddi; vnde ipſa veritas dicit, ſi vos Filius liberauerit, verè liberi eritis.*

Secundum eſt autoritas D. Ioannis Chryſoſtomi hom.17. imperfecti, vbi ait, quòd homo ligatus peccato per propriam voluntatem, iam non agit, quod vult, ſed quod diabolus vult. Chryſoſt.

Tertium eſt autoritas D. Auguſtini in epiſtola 44. ad Anaſtaſium, vbi ait, quòd voluntas libera dicenda non eſt, quandiu eſt vincentibus, & vincientibus cupiditatibus ſubdita: à quo enim quis deuictus eſt, huic & ſeruus addictus eſt. Quartum eiuſdem in Enchiridio cap.30. vbi ait: *Libero arbitrio malè vtens homo, & ſe perdidit, & ipſum: nam cùm libero peccaretur arbitrio, victore peccato amiſſum eſt liberum arbitrium.* Quintũ eiuſdem in lib. de ſpiritu & litera cap.30. *Vt quid* (inquit) *miſeri homines de libero arbitrio audent ſuperbire, antequam liberentur, aut de ſuis viribus ſi iam liberati ſunt? Nec attendunt in ipſo nomine liberi arbitrij libertatem ſonare, vbi autem ſpiritus Domini, ibi libertas. Si ergo ſerui ſunt peccati, quid ſe iactant de libero arbitrio, a quo enim quis deuictus eſt, huius & ſeruus eſt.* Similem ſententiam citat Caluinus ex verbis eiuſdem Auguſtini ſermo.30. de verbis Apoſtoli, quam ibi non reperi. Sextum eiuſdem in libro de perfectione iuſtitiæ reſponſione 9. *Per arbitrij libertatẽ factum eſt, vt eſſet homo cum peccato, ſed iam pœnalis vitioſitas ſubſecuta ex libertate facit neceſſitatem.* & rurſus: *Quia peccauit voluntas, ſubſecuta eſt peccantem peccatum habendi dura neceſſitas, donec tota ſanetur infirmitas.* Septimum eiuſdem in 1. Retractationum cap.15. *Qui cogenti cupiditati bona voluntate reſiſtere non poteſt, iam hoc ita peccatum eſt, vt ſit etiam pœna peccati.* Octauum eiuſdem in 3. libro Hypognoſticon, vbi docet, quòd Adam per velle malum, rectè perdidit poſſe bonum, qui per poſſe bonum potuit vincere velle malum.

Hæc tamen teſtimonia non probant, quod intendunt hæretici. Et quidem quod attinet ad alios Patres, cùm Caluinus fateatur illos, excepto Caluinus.
Auguſtino, omnes docuiſſe arbitrij libertatem, maximè Græcos, quos impudentiæ notat, eo quòd vſi fuerint nomine *αὐτεξουσίου*, fruſtrà laborant hæretici, vt illos in ſuas copias traducant, maximè Chryſoſtomum, qui ſi aliquo modo exceſſit, potiùs exceſſit in amplificanda, quàm in minuenda arbitrij libertate. In neutro tamen ſecundùm rei veritatem exceſſit, vt ſuis locis monſtrabitur. Concilium autem Arauſicanum eandem habet interpretationem, quam habent verba Auguſtini. Nam quemadmodum teſtimonia ex Auguſtino allegata ſumpta ſunt potiſſimùm ex libris aduerſùm Pelagianos, & Semipelagianos conſcriptis: ita Concilium illud Arauſicanum præcipuè congregatum eſt contra eoſdem hæreticos: & eſt ſententia nonnullorum Doctorum, quòd Canones illius

illius Concilij iussu Leonis primi Pontificis fuerint ex doctrina D. Augustini excerpti, & missi ad idem Concilium tanquam certæ quædam fidei definitiones.

II. Ad testimonia verò eiusdem Augustini respondetur primò, ipsummet Augustinum ab hac eadem calumnia sibi à Iuliano Pelagiano illata seipsum purgasse, & illam absterssisse libro 1. contra duas epistol. Pelagianor. cap. 2. vbi non solùm, vti dixi, calumniam abstergit, sed etiam declarat, quæ perierit libertas, & quæ remanserit in homine post peccatum primi parentis. Et certè cùm tot sint, & tam aperta testimonia Augustini pro ipso libero arbitrio, vt suprà cap. 8. monstrauimus; nescio, qua fronte quantumuis perfricata audeant illum hæretici in patrocinium sui falsi dogmatis aduocare. Nihilominus ne dicant, nos ambagibus velle tempus redimere, notandum est, plures, & graues extitisse Pelagianorum, & Semipelagianorum errores de gratia, & libero arbitrio, ex quibus isti fuerunt præcipui. Primus, quòd præuaricatio Adæ sibi soli nocuerit, non autem læserit naturam humanam. ita colligitur ex eodem Augustino in lib. de natura, & gratia cap. 9. & 20. & 21. & lib. 1. de gratia Christi cap. 1. 2. 3. Augustinus.

Secundus quòd homines non permittantur à Deo labi in peccata in pœnam aliorum peccatorum, & quòd vnum peccatum non sit pœna alterius peccati. Eodem lib. de natura & gratia capite 22.

Tertius quòd non sit necessaria Dei gratia ad hoc, vt homo transeat de statu peccati ad statum iustitiæ, & vt perseueret in Dei amicitia. eodem lib. cap. 24. 25. & 51. & lib. de gratia & lib. arbitrio cap. 13.

Quartus quòd homines modò nascantur sicut erat Adam in statu iustitiæ originalis, & quòd sine Dei gratia æquè possit liberum arbitrium ad bonum sicut ad malum. lib. 1. de gratia Christi cap. 3. 4. 7. 27. 28. 29. 31. & lib. 2. cap. 1. 3. 4. & lib. 4. contra duas epist. Pelagianorum cap. 2.

Quintus quòd homo in hac vita possit omnia peccata etiam minima vitare suis viribus. Eodem lib. de natura, & grat. cap. 7. 8. 18. & lib. 4. contra duas epistolas cap. 2.

Sextus quòd homines quantumuis propagati ex stirpe Adæ, non nascantur obnoxij peccato originali, & sub potestate diaboli. in epist. 105. & passim in omnibus libris Augustini contra Pelagianos. Ex his colligebant illud, quod omnium errorum est caput; quòd homines nati ex stirpe Adæ non indigeant beneficio humanæ Redemptionis, quæ per Iesum Christum facta est. Contra hos errores Augustinus statuit sex veritates Catholicas. Prima est, totam naturam humanam per peccatum Adæ sauciatam fuisse, & non solùm amisisse rectitudinem iustitiæ originalis, & immortalitatem, sed subiectam factam fuisse ignorantiæ, & concupiscentiis, & pugnæ carnis cum spiritu.

Secunda, Deum in pœnam peccatorum præcedentium permittere, homines labi in alia peccata, eséque peccatum pœnam peccati.

Tertia, hominem non posse sine speciali Dei auxilio ex statu peccati transire ad statum iustitiæ: neque sine speciali auxilio posse per solas vires naturæ in Dei amicitia diu perseuerare.

Quarta, hominem in statu naturæ lapsæ non æque posse ad bonum, & malum: sed hoc fuisse priuilegium solius status iustitiæ originalis.

Quinta, hominem in hac vita quantumcunque perfectum non posse vitare omnia peccata saltem venialia.

Sexta, homines ex stirpe Adæ propagatos nasci captiuos peccati, & diaboli, & egere beneficio Redemptionis Christi.

III. Hinc sequitur, quòd quanuis homo nascatur cum libero arbitrio, & habeat veram libertatem naturæ, de qua solùm hic est quæstio, nihilominus ex peccato originali sex alias contrahit necessitates. Prima est necessitas subiacendi peccato, & imperio diaboli, donec per Iesu Christi gratiam liberetur. Secunda est necessitas ferendi pœnam pro eodem peccato, nisi illud per Dei gratiam misericorditer sibi fuerit remissum. Tertia est necessitas experiendi, & sustinendi prauos motus carnis contra spiritum etiamsi homo nolit. Quarta est necessitas habendi saltem aliqua peccata venialia. Quinta est necessitas ignorantiæ eorum, quæ ad salutem sunt necessaria. Sexta est necessitas seu indigẽtia diuinæ gratiæ ad vincendas tẽptationes, ad implenda diuina mandata, ad perseuerandum in Dei gratia, & ad vitam æternam consequendam. Igitur per peccatum Adæ homo incurrit hanc multiplicem necessitatem, & perdidit libertatem illi oppositam, & hoc solum voluit dicere Augustinus. Et nihilominus, quia hæc multiplex necessitas non repugnat libertati naturali, de qua est controuersia, optimè cum eadem multiplici necessitate cohæret arbitrij nostri libertas. Et per hanc doctrinam quisque facilè poterit exponere non solùm testimonia D. Augustini, sed omnium aliorum Patrum; de qua multiplici necessitate optimè scribunt Ruardus Taper art. 7. pagina mihi 264. Andreas Vega lib. 2. de Iustificatione cap. 3. & 4. & Cardinalis Bellarminus lib. 5. de gra. & lib. arbitr. cap. 30. Taper. Andreas Vega. Bellarmin.

IV. In octaua tandem classe adducenda sunt argumenta Philosophorum, quibus illi fatalem necessitatem probare nitebantur. Primum argumentum sit illud, quo vtebatur Diodorus Stoicus, cuius etiam meminerunt Ammonius, & Magentius in libris Perihermenias, sumptum ex propositionibus de futuro contingenti. quod argumentum omissa verborum circuitione & perplexitate, sic potest breuiter formari. Acceptis duabus propositionibus contradictoriis de futuro contingenti, de qualibet illarum potest fieri quæstio, an sit vera, an falsa. Accipiamus igitur has duas propositiones: Petrus cras nauigabit, & Petrus cras non nauigabit. Quæro de illa, Petrus cras nauigabit, an sit vera, an falsa; si vera: ergo necessariò vera. Ergo semper fuit vera. Ergo eius contradictoria, Petrus cras non nauigabit, erit necessariò falsa & impossibilis. Ergo semper fuit falsa, & impossibilis. Ergo quidquid in mundo euenit, necessariò euenit, & quod non euenit, impossibile est euenire. Prima consequentia probatur, quòd si illa propositio est vera, necessariò debeat esse vera, quia nisi demus, illam esse necessariò veram, poterit illius opposita contradictoria esse vera: demus illam contradictoriam veram esse. ergo ista non erit vera: Quod tamen supponimus. Aut igitur non est vera, aut necessariò est vera. Reliquæ omnes consequentiæ satis sunt euidentes, neque indigent alia probatione, sed admissa prima consequentia omnes ad illam necessariò consequuntur. Atque hoc erat principuum argumentum Stoicorum, cui alludens Cicero lib. 9. epistol. familiarium ad Varronem ait: *De possibili me scito secundum Diodorũ iudicare.* Quapropter si venturus es, scito necesse esse, te venire: si autem non, impossibile est, te venire. Diodorus Stoicus. Ammonius. Magentius. Cicero.

Secundum

ryſippus. Secundum argumentum erat Chryſippi apud Alexandrum Aphrodiſ. lib. quæſtionũ naturalium cap. 4. Erat autem huiuſmodi, omne quod fit, cauſa antecedente fit, omne autem, quod cauſa antecedente fit, neceſſariò & ineuitabiliter fit. Prima propoſitio eſt nota ex terminis, quia ſi quod fit cauſa præcedente non fieret, poſſet eſſe motus ſine mouente. Secunda verò propoſitio probatur, quia ſi quod fit, cauſa antecedente, poneretur non fieri, poneretur, non habere cauſam antecedentem.

ompona-us. Tertium argumentum affert Pomponatius in ſuo libro de fato. Voluntas vel eſt de ſe indifferens ad volendum aliquod obiectum, & non volendum, vel eſt determinata. Si eſt indifferens; ergo non magis eliciet actum volendi, quàm oppoſitum, quia ab agente omnino indifferenti ad vtranque partem contradictionis non magis poteſt

ariſtoteles. exire actus, quàm illius oppoſitum, vt docet Philoſophus in ſecundo libro de generatione text. 56.

uerroes. & Commentator in ſecundo libro de cœlo com. 92. Si autem eſt determinata, vel hanc determinationem habet à ſeipſa: vel ab alia cauſa. & rurſum ſiue à ſe, ſiue ab alia cauſa determinetur, vel determinatur, vt ab alia cauſa naturali, vel vt à cauſa voluntaria. ſi vt à cauſa naturali; ergo voluntas eſt naturaliter determinata ad volendum quidquid vult; ſi vt à cauſa voluntaria, cùm illa ſit de ſe indifferens, requiret aliam cauſam determinantem vſque dum perueniamus ad aliquam cauſam naturaliter determinantem.

V. Iſtæ tamen nugæ non erant tanti momenti, vt propter illas tam manifeſtam & tam magnam abſurditatem concluderent, qualis ea eſt, quæ negat arbitrij noſtri libertatem. Et ad primum argumentum licèt nonnulli alioqui docti, & eruditi laborent in eo diſſoluendo, quorum labor verſatur in

Ariſtoteles. declarando dictum illud Philoſophi in 1. Perihermenias, de futuris contingentibus non eſt determinata veritas. quod dictum aliqui etiã ex Theologis abſolutè vt falſum reiiciunt, alij verò defendũt in ſenſu minus legitimo, de qua re lib. 3. c. 18. & 24. Reſponſio tamen eiuſdem argumenti facillima eſt, ſi verum ſenſum illius propoſitionis teneamus: *De futuris contingentibus non eſt determinata veritas.* Pro cuius intelligentia notandum eſt, quòd effectus contingens duobus modis poteſt conſiderari, vno modo ſecundùm illud eſſe, quod habet tantùm in ſua cauſa, antequam ſit actu productũ in rerum natura: alio modo ſecundùm illud eſſe, quod habet in rerum natura, quando eſt actu productum, & eſt extra ſuas cauſas. Ratione itaque primi eſſe, quod habet contingens ſolùm in ſuis cauſis, propoſitio de futuro contingenti nó poteſt habere determinatam veritatem. Verùm ratione ſecundi quælibet propoſitio de futuro contingenti habet determinatam veritatem: nam hoc modo contingens habet eſſe certum, & determinatum, & neceſſarium, non quidem neceſſitate abſoluta, ſed ea neceſſitate, qua dicimus, omne quod eſt, dum eſt, neceſſe eſt eſſe, quæ vocatur neceſſitas conſequens, vel concomitans rem, non autem illam antecedens: hæc neceſſitas conſequens non aufert à rebus ſuam contingentiam, ſicut dixit etiam Philoſophus in 1. Perihermen: ſola enim neceſſitas antecedens ea eſt, quæ pugnat cũ contingentia, & libertate, vt lib. 1. dictum eſt. Ad argumentum igitur reſponderur, quòd iſta propoſitio eſt vera, Petrus cras nauigabit, ergo neceſſaria: ergo eius contradictoria eſt impoſſibilis, ex ſuppoſitione, & neceſſitate, & impoſſibilitate concomitante, vel conſequente: non autem neceſſitate vel impoſſibilitate antecedente, & abſoluta, quæ ſola aufert arbitrij libertatem. Volo dicere, hanc propoſitionem, Petrus cras nauigabit, eſſe veram, & neceſſariam non ratione illius eſſe, quod hoc contingens habet in ſuis cauſis, ſecundùm quod ſolùm attenditur effectus contingentia, ſed ſecundùm illud eſſe, quod habebit iſte effectus in rerum natura extra ſuas cauſas, ratione cuius eſſe iam nauigatio Petri neceſſaria erit; & ſuppoſito, quòd de facto Petrus nauiget, impoſſibile erit, illum non nauigare.

Ad ſecundum diſtinguenda eſt ſecunda propo- VI.
ſitio: dum enim dicitur, omne quod cauſa antecedenti fit, neceſſariò fit, iſta propoſitio poteſt dupliciter intelligi, vno modo in ſenſu reduplicatiuo, & compoſito, & ex ſuppoſitione, & eſt ſenſus, quòd dum res fit, quatenus fit, neceſſariò fit, & in hoc ſenſu eſt vera; ſed hæc neceſſitas non tollit rerum contingentiam, nec etiam illam ponit, quia ſtat cum actione contingente, & cum actione neceſſaria. Alio modo poteſt intelligi in ſenſu diuiſo, & abſoluto, ita vt ly *neceſſariò*, determinet modum cauſandi, & ſit ſenſus quòd omne, quod cauſa antecedente fit, neceſſariò fiat, ita vt cauſa neceſſariò ſit determinata ad agendum, nec poſſit non agere; & in hoc ſenſu, quem arguens debet intendere, vt aliquid concludat, propoſitio eſt abſolutè falſa, & gratis allata ſine probatione: falſum enim eſt, omnes cauſas neceſſariò agere, immo cauſa libera, & contingens etiam dum agit conſiderata, vt naturaliter prior ipſa actione, poteſt non agere, vt dictum eſt lib. 1. cap. 32.

Ad tertium reſpondetur, voluntatem determinari à ſeipſa, & à cauſa ſuperiori, & ab obiecto, modo in primo libro explicato, neque opus eſt recurrere ad cauſam naturaliter determinantem.

Ex his verò ſatis arbitror conſtare arbitrij noſtri libertatem. Rationes nanque, quibus illa probatur, tam multæ ſunt, & tam validæ, vt modò iam nullus præter ſolas Caluinitas, illam apertè audeat negare, cum quibus non eſt longiùs protrahenda diſputatio, iuxta Philoſophi monita, qui in 1. Phyſicorum dicit, non eſſe diſputandum contra quamlibet opinionem ſermonis gratia dictam. Rogandus potiùs Deus, vt rectam fidem, quæ eius eſt donum, mentibus omnium mortalium infundat, ad ſuæ gloriæ incrementum.

PROPVGNACVLI HVMANÆ LIBERTATIS

LIBER TERTIVS.

Quòd non lædatur humani arbitrij libertas per certitudinem diuinæ præscientiæ.

LIBERTATEM humanæ voluntatis cum certitudine,& infallibilitate diuinæ præscientiæ conciliare, sapientibus huius sæculi semper visus est difficilis labor, & prouincia fortasse insuperabilis. Ob quam causam si sedulò hanc rem inspicias,videbis,antiquos Philosophos omnes ferè in alterum è duobus erroribus turpiter lapsos. Aut enim retenta humani arbitrij libertate negauerunt, Deum rerum humanarum saltem in particulari, vllam habere notitiam, vllam gerere procurationem:aut retenta certitudine infallibili diuinæ præscientiæ de ipsis humanis actionibus, arbitrij nostri libertatem penitus abstulerunt, & omnia fatali, ineuitabilique supposuerunt necessitati. Hunc nodum certè durum, & explicatu difficillimum, quantum per virium nostrarum imbecillitatem licuerit,cum Dei auxilio explicaturi in hoc 3.libro,duo potissimùm sumus ostensuri,videlicet, Deum omnium rerum contingentium, & præcipuè humanarum actionum certissimam,distinctissimam, & infallibilem notitiam habere;& nihilominus diuinæ præscientiæ certitudinem infallibilem non tollere rerum contingentiam, & præcipuè arbitrij nostri libertatem. Quia verò contingentia in duplici sunt differentia, alia enim sunt absolutè futura; alia sunt futura solũ ex hypothesi, & suppositione,id est,supposito aliquo alio,& primi generis vocãtur contingentia absoluta, secundi verò generis vocantur futura conditionata, de vtriusque generis contingentibus hoc in loco agemus. Quare tertius hic liber tres præcipuas continebit controuersias.Prima erit,an Deus cognoscat futura contingentia absoluta, præcipuè quæ pendent ex libero arbitrio.Secunda,an cum certitudine diuinæ notitiæ de huiusmodi contingentibus stet verè illorum contingentia, & humani arbitrij libertas. Tertia, an Deus cognoscat contingentia conditionata, & quomodo: iuxta quas controuersias tertius hic liber in tres partes principales eodem ordine à nobis diuidetur.

CAPVT I.

Prima controuersia proponitur, & quædam scitu necessaria ad intelligentiam difficultatum in ea occurrentium præmittuntur.

1. PRoponitur itaque prima, eáque grauissima controuersia in præsentiarum examinanda, An Deus cognoscat futura contingentia, maximè,quæ pendent ex humano arbitrio. Loquimur verò non de cognitione qualicunque, sed de cognitione certa,& distincta, qua cognoscuntur res in particulari, & secundùm suas rationes distinctas,prout sunt in se ipsis. Cuius quæstionis sensus vt clarior fiat, quædam nobis ex his, quæ de scientia Dei à Doctoribus traduntur, supponenda sunt, quædam verò hîc recolenda, & explicanda. Primò supponendum est, duplicem esse scientiam in Deo respectu creaturarum, alteram quæ vocatur scientia simplicis intelligentiæ, qua cognoscuntur ipsæ creaturæ, vt possibiles sunt, non autem, vt futuræ, quæ scientia concipitur in Deo ante omnem actum liberum diuinæ voluntatis erga ipsas: alteram verò, quæ vocatur scientia visionis, qua intuetur creaturas, vt actu existentes in rerum natura in aliqua temporis differentia. Præsens controuersia non est de scientia simplicis intelligentiæ, sed præcipuè de scientia visionis.

II. Secundò supponendum est duplicem esse scientiam,alteram, quæ abstrahit à præsentia rei, quæ idcirco abstractiua nuncupatur: alteram, quæ ad præsentiam rei terminatur, quæ vocatur notitia intuitiua,seu notitia visionis. hîc quæstio non est de notitia abstractiua,sed intuitiua.

Tertiò supponendum est,duobus modis concipi posse hanc notitiam, vno modo, vt sit notitia tantùm vniuersalis,siue secundùm rationes communes,in quibus res multæ conueniunt, qualem Commentator,& Auicenna', & fortasse etiam Aristoteles, & Plato commentati sunt in Deo respectu rerum generabilium, & corruptibilium, vt statim dicemus.Alio modo, vt sit notitia particularis,& distincta rerum cognitarum,distincta (inquam) distinctione se tenente ex parte rerum cognitarum, ita vt distinctè cognoscantur à Deo secundùm rationes indiuiduales, secundùm quas vnaquæque res ab altera distinguitur, & non solùm secundùm rationes communes, in quibus ad inuicem conueniunt, non autem distinctione, se tenente ex parte cognoscentis: quia hoc pacto certum est, Deum nihil distinctè cognoscere distinctis actib. vel distinctis notitiis, sed quidquid cognoscit,vnico actu,& vnica notitia simplicissima cognoscere,vt ait Dionysius cap.7. de diuinis nominibus,quòd Deus videt distincta indistinctè, scilicet ex parte cognoscentis.

Cõmẽtator Auiceona. Aristoteles. Plato. Dionysius.

III. Quartò supponendum est,creaturas omnes habere duplex esse, alterum in Deo, alterum in seipsis,vt notat Augustinus lib.5.de Genesi ad literam cap.14. Esse, quod habent in Deo, vocatur esse intelligibile, & obiectiuum: esse, quod habent in seipsis, vocatur esse actualis existentiæ: esse, quod creaturæ habent in Deo, non est proprium, & formale ipsarum creaturarum, sed est proprium,& formale esse ipsius Dei:vnde ait Augustinus, quòd creaturæ, vt sunt in Deo, sunt vita creatrix, iuxta illud D.Ioannis cap. 1. *Quod factum*

August.

Digitized by Google

factum eſt in ipſo vita erat. quæ verba idè Auguſtinus ibi oſtendit, ſic connectim legenda eſſe, non autem diſtinctè, hoc pacto, *quod factum eſt. In ipſo vita erat.* & vniuerſaliter loquendo eſſe, quod habet effectus in cauſa æquiuoca, maximè vniuerſaliſſima, licèt ſit nobilius, quàm eſſe formale, quod habet ipſe effectus in ſeipſo, non eſt eſſe formale effectus, ſed cauſæ, quia effectus non continetur in huiuſmodi cauſa formaliter, ſed ſolùm virtualiter, & eminenter. Et licèt nonnulli Doctores dicant, quòd creaturæ habent verius, & nobilius eſſe in Deo, quàm in ſeipſis, quod etiam videtur innuere D. Thom. 1. part. quæſt. 4. art. 2. illi tamen non dicunt, quòd ſit verius eſſe creaturæ, ſed ſolùm, quòd eſt verius eſſe, quod dictum veriſſimum eſt, quia creaturæ in Deo habent eſſe Dei, quod eſt in infinitum verius, & nobilius eſſe, quàm illud, quod creaturæ habent in ſeipſis. Porrò ſciendum eſt, licèt creaturæ non contineantur in Deo niſi intelligibiliter, & non habeant eſſe in illo niſi intelligibile, quia diuina eſſentia ſummè intelligibis eſt, & quidquid in illa continetur, per modum intelligibilis continetur: multis tamen modis concipi creaturas in Deo contineri. Primò vt entia per participationem in ſummo ente per eſſentiam: Secundò vt effectus in prima cauſa vniuerſaliſſima: Tertiò vt res exemplatas in prima idea, & primo exemplari: Quartò vt imagines in ſpeculo voluntario: Quintò vt res intellectas in intelligente. Et nihilominus nullo ex his quinque modis eſſe, quod creaturæ habent in Deo, eſt eſſe proprium formale ipſarum creaturarum. Eſſe autem proprium, & formale creaturarum eſt illud, quod habent in ſeipſis in ea temporis differentia, in qua ponuntur in rerum natura extra ſuas cauſas, quod vocatur eſſe actualis exiſtentiæ.

Thom.

IV. Vltra illud duplex eſſe, eminentiale, ſeu virtuale, quod creaturæ habent in Deo, & formale, quod habent in ſeipſis, Scotus meditatus eſt tertium quoddam eſſe, quod vocat eſſe cognitum, quod neque eſt eſſe illud virtuale, & eminentiale, quod creaturæ habent in Deo, vt in cauſa, quia illud eſſe creaturæ habent in Deo ante actum diuinæ cognitionis; cæterùm illud eſſe cognitum creatura non habet niſi per actum diuinæ cognitionis: neque verò eſt eſſe formale, quod creaturæ habent in ſeipſis extra ſuas cauſas in rerum natura, quia illud eſt eſſe verum, & reale; ſed eſſe cognitum eſt eſſe diminutum, & quodammodo medium inter ens, & non ens. Quid verò ſit iſtud eſſe cognitum, & quæ ſit neceſſitas illud ponendi, declarat Ioannes Rada in 1. part. Contr. 29. art. 2. & 3. de quo hæc dicit, primò quòd creatura ante actum diuinæ intellectionis non habet in Deo aliquod eſſe proprium, neque eſſe poſſibile, neque intelligibile, ſed ſolùm eſſe quoddam virtuale, quod eſt eſſe cauſæ, vt potentis producere ipſam creaturam. Secundò quòd diuina eſſentia in primo ſigno rationis mouet diuinum intellectum ad ſui abſolutam, & perfectam notitiam, in ſecundo verò ſigno mouet ad notitiam creaturarum, & in eodem inſtanti diuinus intellectus producit creaturas in eſſe cognito, & illas intelligit, & dat illis eſſe, eo modo, quo noſter intellectus intelligendo res, dat illis ſuum eſſe, & eo modo, quo dat eſſe ſecundis intentionibus, licèt ſit aliquod diſcrimen inter creaturas in eſſe cognito, & ſecundas intentiones. Tertiò ait, quòd iſtud eſſe cognitum licèt ſit diminutum, non eſt tamen extrinſecum, ſed intrinſecum & proprium ipſi creaturæ. Quartò quòd iſtud eſſe cognitum eſt purum ens rationis, & omnino nihil, quatenus nihil opponitur enti reali, non autem quatenus opponitur enti rationis. Quintò quòd in hoc eſſe cognito fundatur eſſe poſſibile ipſarum creaturarum. Sextò quòd non eſt eſſe reſpectiuum, ſed abſolutum ſaltem intrinſecè. Septimò quòd iſtud eſſe cognitum, quod creaturæ habent in Deo, eſt eſſe obiectiuum, quod terminat ſecundariò diuinam cognitionem. Hæc omnia nititur ille autor deducere ex Scoto in 1. diſt. 35. & aliis locis ibi ab eo allegatis. Quæ ſi vera ſunt, oportet de mente Scoti iſtud eſſe cognitum eſſe tertium quoddam eſſe diſtinctum ab illo eſſe, quod habent creaturæ in Deo, ſecundùm quod dicuntur vita creatrix: & ab illo, quod habent in ſeipſis in rerum natura. Quidquid autem ſit de hoc eſſe cognito, ſenſus propoſitæ quæſtionis eſt, vtrùm Deus cognoſcat creaturas maximè futura contingentia ſecundùm eſſe, quod habent in ſeipſis, non quidem diminutum, & rationis, quale eſt eſſe cognitum à Scoto excogitatum, ſed verum, & reale actualis illorum exiſtentiæ, ita vt diuinus intuitus attingat ipſum eſſe actualis exiſtentiæ rerum extra ſuas cauſas, quod eſt verum eſſe, & proprium, & formale creaturarum, quod eſt creaturas cognoſci à Deo in ſeipſis, non quidem vt particula, *in ſeipſis*, determinet medium cognitionis, ſed obiectum cognitum.

Scotus.

Rada.

V. Quintò ſupponendum eſt, quemadmodum ad viſionē ſenſitiuā tria requiruntur, potentia, obiectū, & mediū; ita proportionabiliter eadē requiri ad viſionem intellectiuam, ſiue, quod idem eſt, ad notitiam viſionis etiam loquendo de notitia diuina, tria requiri, requiritur enim primò diuinus intellectus, quem concipimus per modum potentiæ: requiritur obiectum cognitum: & requiritur medium cognitionis. De obiecto verò, & de medio diuinæ cognitionis nonnulla ſunt præmittenda intellectu neceſſaria ad notitiam dicendorum. Et quidem circa obiectum notandum eſt, duplex eſſe obiectum intellectus, aliud motiuum, aliud terminatiuum. Obiectum motiuum dicitur illud, quod mouet intellectum ad intelligendum; terminatiuum verò dicitur, quatenus terminat actum intellectionis. Hæc autem diuiſio non eſt generis in ſpecies per oppoſitas differentias; quia poteſt idem obiectum ſub diuerſa ratione eſſe ſimul motiuum, & etiam terminatiuum: ſed eſt diuiſio vocis in ſignificata. Obiectum autem motiuū duplex eſt, aliud vt quo, aliud vt quod. Obiectum motiuum vt quo, eſt ſpecies intelligibilis, qua intellectus conſtituitur in actu primo completo ad intelligendum, & eſt principium quo intelligendi. Obiectum motiuum vt quod, eſt ipſum obiectum, quod producit ſuam ſpeciem intelligibilem in intellectu, & illa mediante mouet intellectum ad intelligendum. De hoc duplici obiecto motiuo variè loquitur D. Thomas, nam in 1. diſ. 35. quæſt. 1. art. 2. inquit, quòd obiectum motiuū, vt quo, eſt primò intellectum, & motiuum, vt quod, eſt ſecundò intellectum. Cæterùm in prima parte quæſt. 85. artic. 2. dicit quòd primò intellectum eſt res, cuius ſpecies eſt ſimilitudo. Et quæſt. 87. art. 3. dicit, quòd illud, quod primò intelligitur à nobis, eſt quidditas, & natura rei. Et quodlib. 10. quæſt. 3. dicit, quòd non eſt neceſ-

D. Thom.

Digitized by Google

se, vt illud, quo cognoscimus tanquam forma cognoscentis sit nobis notum, sicut non est necesse, vt oculus videat lumen, vel speciem visibilem. Crediderim ergo D. Thom. in 1. sententiarum dixisse, speciem intelligibilem esse primò intellectum non secundùm rem, sed secundùm dici: aut non formaliter, sed causaliter: aut in summa priorem sententiam correxisse.

Obiectum verò terminatiuum etiam ipsum duplex est, aliud, quod est intra intellectum, tanquam terminus productus per actualem ipsam intellectionem, ad quem illa immediatè terminatur; qui aliis nominibus vocatur verbum mentale, & conceptus mentis, & species siue similitudo expressa: alterum, quod est extra intellectum, & præsupponitur intellectioni, quod à Philosophis vocatur obiectum potentiæ, de quo intelligitur vulgatum illud dictum, *nulla potentia producit suum obiectum*. De hoc obiecto posteriori modo accepto semper sunt intelligendi Doctores, cùm loquuntur de obiecto intellectus, nisi aliquid addant, per quod dent intelligere, quòd de alio loquuntur: non enim nomine obiecti intellectus communiter accipitur species intelligibilis, neque verbum mentale, sed accipitur obiectum ipsum, quod per speciem intelligibilem attingitur ab ipso intellectu per actum intellectionis, cuius imago exprimitur per actum intelligendi.

Sed vlteriùs aduertendum, quòd duplex est obiectum sic acceptum, nempe pro obiecto determinatiuo existente extra intellectum, aliud, quod vocatur obiectum terminatiuum primariò; aliud terminatiuum secundariò. Distinctio est Scoti in 1. dist. 35. litera M. Obiectum terminatiuũ primariò est illud, quod non solùm terminat intellectionem, sed per speciem intelligibilem mouet intellectum ad intelligendum. Obiectum terminatiuum secundariò est illud, quod terminat tantùm, sed non mouet intellectum, quia non intelligitur per speciem propriam, sed per speciem obiecti terminatiui primariò. Obiectum terminatiuum primariò vocatur obiectum primum, immediatum, adæquatum, & visum in se, non in alio. Obiectum terminatiuum secundariò dicitur obiectum secundarium, mediatum, inadæquatum & visum non in se, sed in alio. Hæc de obiecto.

Scotus.

Similiter de medio cognitionis verba faciẽdo primò aduertere debemus, medium intellectionis nihil esse aliud nisi formam, aut similitudinem, qua mediante intellectus aliquid intelligit, quæ duplex est, alia, qua mediante intellectus intelligit tanquam principio quo intelligendi, quæ alio nomine vocatur species intelligibilis, alia, qua mediante intellectus aliquid intelligit, vt forma priùs intellecta, quæ quadruplex esse potest: nam quatuor modis concipere possumus, vnum intelligi mediante altero tanquam forma priùs intellecta. Primò tanquam in verbo mentali, imagine expressa, de qua D. Thom. de veritate quæst. 3. art. 2. Secundò tanquam in idea & exemplari. Tertiò tanquam effectum in causa priùs intellecta. Quartò tanquam imaginem in speculo, vel tanquam rem imaginatam in sua imagine.

D. Thom.

VII. Hæc autem omnia applicantes diuino intellectui, & diuinæ notitiæ, facilè percipiemus modos dubitationum latentes in hac controuersia, & quæ in eadem controuersia sint certa, & quæ sint dubia. Primò nanque si sit sermo de obiecto motiuo, quoquo modo illud accipiatur siue pro specie intelligibili, siue etiam pro ipso obiecto, cuius ipsa species intelligibilis est similitudo immediatè representatiua, certum est, hoc modo Deum nihil extra se positum intelligere. Nam si loquamur de specie intelligibili, nulla forma creata potest esse species intelligibilis perficiens intellectum diuinum; aliàs creatura Deum perficeret, & intellectus diuinus esset potentia passiua respectu obiecti creati, vt benè quoad hoc argumẽtatur Philosophus in 12. Metaph. text. 51. Sola igitur diuina essentia est species intelligibilis representans diuino intellectui omne intelligibile, licèt ordine quodam, quia primò, & immediatè representat seipsam tanquam obiectum primarium, & adæquatum diuini intellectus: secundariò verò, & mediante representatione suiipsius representat creaturas tanquam obiectum secundarium, & inadæquatum. In hoc sensu dixit Aristoteles in loco proximè citato, quòd Deus nihil extra se positum intuetur, quod non Aristoteles solus dixit, sed etiam Augustinus lib. 83. quæstionum. q. 46. & D. Thomas 1. part. quæst. 14. art. 5. & 1. contra Gentes cap. 48.

Aristoteles.

Aristoteles.

Oritur verò hîc dubium, vndénam habeat diuina essentia vim representandi non solùm seipsam, sed etiam creaturas in ratione speciei intelligibilis. Huius dubij solutio maximè confert ad intelligentiam dicendorum. Loquimur hîc, & quærimus de ratione proxima, & immediata, ob quam conuenit diuinæ essentiæ ista representatio creaturarum in ratione speciei intelligibilis. Ad hoc autem dubium respondeo ex doctrina D. Thom. 1. part. quæst. 14. art. 5. huiusce rei nullam aliam veriorem, & magis proximam rationem reddi posse, quàm quia diuina essentia est species intelligibilis perfectissimo modo seipsam representans, secundùm omnem suam entitatem, virtutem, perfectionem, & causalitatem. Cùm enim diuina essentia sit ens eminentissimum, & causa vniuersalissima, continens omnes creaturas secundùm omnem illarum entitatem, & perfectionem, & virtutem, & secundùm omnem modum essendi, & causandi, & cùm sit causa omnium rerum ita vniuersalis, quòd potest supplere vicem cuiuscunque causæ particularis in ordine ad omnes, & singulos effectus secundùm omnes, & singulos modos causandi. Hinc necessariò sequitur, non posse diuinam essentiam esse speciem intelligibilem representantem seipsam perfectè tanquam obiectum primum, & adæquatum, quin sit etiam species representans creaturas perfectè, & distinctè tanquam obiectum secundarium. Sequitur etiam, verum esse id, quod Caietanus adnotauit eadem quæst. 14. art. 5. diuinam essentiam non posse creaturam representare immediatè, sed tantùm mediante representatione suiipsius, quod etiam aduertit, & bene, Nazarius ibidem in propria controuersia illius articuli §. *Quartò recolenda*. & conclusione 3.

D. Thom.

Caietanus. Nazar.

Secundò si sit sermo de notitia alicuius rei tanquam obiecti motiui, quod, aut obiecti terminatiui primarij, & adæquati, certum est, Deum nihil extra se positum intelligere ob eandem rationem: quia obiectum, siue motiuum, siue terminatiuum primum, & adæquatum est illud solùm, quod per propriam speciem monet intellectum, & constituit illum in actu primo, & illum perficit; Deus verò à nulla re creata perfici, aut actuari potest, sed ipse solus est sua perfectio.

VIII. Cùm autem hæc sint certa apud omnes Philosophos, & Theologos, remanent nihilominus tria dubia

dubia circa hanc controuerſiam. Primum an ſaltem mediante diuina eſſentia tanquam ſpecie intelligibili primò repræſentatiua ſuiipſius diuinus intellectus aliquid extra ſe poſitum diſtinctè intelligat,maximè ſingularia generabilia , & corruptibilia,& futura contingentia,& actus liberos, qui pendent ex humana voluntate tanquam obiectum ſecundarium & inadæquatum. Secundum dubium eſt , an licèt creaturæ non poſſint videri immediatè in ſeipſis per propriam ſpeciem intelligibilem , quia nimirum non poſſunt videri niſi repræſentatæ per diuinam eſſentiam tanquam ſpeciem intelligibilem,nihilominus poſſint videri in ſeipſis immediatè per negationem cuiuſcunque medij in ratione formæ priùs intellectæ.Tertium eſt, an creaturæ videantur in diuina eſſentia tanquam forma priùs intellecta in ratione ſpeciei expreſſæ,an ideæ , an cauſæ,an ſpeculi voluntarij. Hæc tria dubia eodem ordine , quo & propoſita ſunt, breuiter , & clarè , quantum fieri poterit in præſenti quæſtione , & controuerſia proponimus reſoluenda.

CAPVT II.

Circa primum dubium opiniones negantes Philoſophorum referuntur.

I. Epicurus. Tullius. Iamblicus. Lactantius. Gregorius Nyſſenus. Ennius.

CIrca primum dubium varij fuerunt errores antiquorum Philoſophorum.Primus fuit Epicuri , qui , vt referunt Tullius lib. 2. de natura Deorum.Iamblicus in libro de myſteriis cap. 27. Lactantius Firmianus in libro de ira Dei cap.9.& Gregorius Nyſſenus lib.8.Philoſophiæ cap.3.primò abſolutè Deum negauit: poſtea declinandæ inuidiæ cauſa aliqua de Diis dixit:ſed Deos monogamos, id eſt , nihi agentes,aut curantes & otioſos finxit. Cuius dogma Hennius eiuſdem ſectator ſic exponit : *Ego Deûm genus eſſe ſemper dixi, & dicam cælitum.: ſed eos non curare opinor, quid agat humanum genus.*

Plato. Plutarchus. Proclus. Ficinus. D.Thom. Iulius Sirenius.

Secundus error videtur fuiſſe Platonis , qui (quidquid nonnulli in gratiam illius ſcribant) referentibus eodem Nylleno loco proximè citato, & Plutarcho in libro de Placitis Philoſophorum, & in libro de fato, Proclo in lib. 6. de Theologia Platonis cap.6. Marſilio Ficino comment. in Protagoram , & in caput 7. Plotini de pulchritudine, & in ſuo libro de Theologia Platonis. D.Thoma in 1.p.quæſt.22.art.3. & Iulio Sirenio lib.4.de fato cap.10.& ſequentibus , totius mundi curam in tres partes diuiſit,& primam, quæ circa Angelos, corpora cæleſtia,& ſpecies rerum, vt æternæ ſunt & partes mundi , verſatur , tribuit ſupremo Deo. Secundam,quæ verſatur circa generabilia,& corruptibilia , quatenus in ſuis ideis quodammodo æterna ſunt , vel ſaltem per ſucceſſiuam generationem perpetua fiunt,& ad mundi perfectionem, & ornatum pertinent , tribuit ſecundis Diis mediante motu corporum cæleſtium,& elementorũ. Tertiam , quæ circa res corporales generabiles & corruptibiles particulares , vt tales ſunt,verſatur, tribuit dæmonibus.Et quamuis alij aliter diuinam prouidentiam diſtinguant ad mentem ipſius Platonis , omnes tamen videntur conuenire in hoc, quòd Deus ex ſententia Platonis hæc inferiora, aut non curet , aut non immediatè per ſe ipſum, ſed mediantibus ſecundis cauſis:de qua re aliquid dicemus lib.5.

II. Ariſtoteles.

• De Ariſtotele quamuis in hoc quæſito obſcurus, & varius, & lubricus ſempèt apparuerit , eſt opinio multorum Doctorum,illum ſenſiſſe,Deum hæc inferiora non intelligere ſaltem notitia diſtincta, & ſub illorum rationibus propriis,& particularibus, de qua modò eſt quæſtio. Ita illi tribuunt ex Patribus Clemens Alexandrinus lib. 5. Stromatum,vbi dicit, Ariſtotelem ſuum errorem hauſiſſe ex verbis Prophetæ dicẽtis. *Domine in cælo miſericordia tua,& veritas tua uſque ad nubes.* Epiphanius Cyprius hæreſi vltima. Gregorius Nazianzenus oratione 1.de Theologia,quæ eſt n.33. Ambroſius lib. 1. officiorum cap.3. Theodoretus lib.6. de curandis affectionibus Græcorum cap.6. & epitome diuinorum decretorum cap.de prouidentia , Gregorius Nyſſenus lib. 8. Philoſophiæ cap.3.Saluianus in lib.1. de prouidentia. Et quidam Tacianus diſcipulus Iuſtini. Clemens Alexand. Epiphan. Gregorius Nazian. Ambroſ. Theodoret. Gregorius Nyſſenus. Saluianus.

Ex Scholaſticis etiam eundem errorem illi tribuunt Gregorius Ariminenſis in 1.diſp.35.quæſt. 1.& ibidem Gabriel Biel, & diſ.38.quæſt.1. art.1. & ibidem D.Bonauentura art.2. quæſt.1. ad 2. argũmentum, & Gulielmus Okam referente Ioanne Maioris, eadem diſ. 38. quæſt.1. & Ambroſius Catharinus in opuſculo de veritate enunciationum,& nouiſſimè Vaſquez in 1.part.diſp.64. cap. 1.& 66.cap.1.& 87.cap.1.Ex Philoſophis quoque ita de Ariſtotele ſenſerunt Atticus Platonicus, referente Euſebio Cæſarienſi lib.4.de præparatione Euangelica cap. 4. Calcidius in Timæo Platonis. Auerroes in omnibus locis, in quibus ſententiam Ariſtotelis commentatur,maximè lib.12.Metaph. commen.37.& 52. & in Paraphraſi Metaph. in fine. Themiſtius pluribus etiam in locis. Achillinus Bononienſis quodlib. 1. dub. 2. Auguſtinus Sueſſanus in comm. libri deſtructionum Auerrois diſp.12.in fine,& Iulius Sirenius lib.4.de fato cap. 23.& lib.6.cap.10.11.12. Et licèt D. Thomas pro ſumma illius modeſtia nitatur Ariſtotelem ab hoc errore tam graui excuſare , & ſint etiam quædam teſtimonia quibus videtur ille ſufficienter indicaſſe ſe in hoc errore minimè fuiſſe,cuiuſmodi eſt teſtimonium illud ex lib.1. de Anima text. 80. & illud quod deducitur ex libro de mundo ad Alexandrum,& alia, quæ ſolent adduci ex libris Moralium , nihilominus cenſeo , quæſtionem iſtam, An Deus cognoſcat ſingularia generabilia,& corruptibilia , in doctrina Ariſtotelis eſſe problema Dialecticum,cuius pars negatiua ſit longè probabilior,quàm affirmatiua.Id verò me perſuadet primò axioma illud quod pro certiſſimo ſibi conſtituit in primo lib.Perihetm.cap.8. quòd de futuris contingentibus non detur determinata veritas; Ex hoc principio ſequitur aut tolli naturam contingentis , aut tolli certam notitiam futuri contingentis:ſed non tollitur primum in doctrina Ariſtotelis.Ergo tollitur ſecundum.Secundò,quia ſi Deus procurationẽ rerum ſublunarium haberet, in ſententia Ariſtotelis lib.2. Magno. moral. c.9. ille iniuſtus eſſet, & autor iniquitatis:at Deus iniuſtus , & iniquitatis autor minimè eſt. Ergo Dei prouidentia de rebus ſublunaribus ex Ariſtotelis ſententia non eſt. Tertiò, quia Deus ex ſententia Philoſophi eo modo ſcit entia , quo illorum eſt cauſa:ſed rerum ſublunarium Deus non eſt cauſa immediata, & particularis ſecundùm illorum rationes particulares,ſed tantùm vniuerſalis,& mediata ſecundùm rationes communes, & vniuerſales.Non ergo nouit entia iſta generabilia, & corruptibilia , niſi ſecundùm illorum rationes communes, & vniuerſales. Quartò , quia Auerroes, Auerroes.

quem non dubito, Ariſtotelis mentem melius, quàm multos alios percepiſſe, ita vbique de illo
Suarez. ſentit. Neque ſatisfaciet, qui dixerit cum Suarez quæſt. 30. Metaph. ſectione 15. num. 43. non eſſe magni faciendam autoritatem Commentatoris, vtpote qui in hac re tum inconſtans ſit, tum Ariſtoteli contrarius: nam vt omittamus, nullam in hac re eſſe in eius dictis inconſtantiam, de qua re dicemus in expendenda ipſius opinione, mihi non facilè perſuadere poſſum, mentem Ariſtotelis fuiſſe notam ipſi Suarez, non autem Auerroi, qui omnes illius libros non ſolùm diligenter percurrit, ſed ex integro de primo ad vltimum eſt commentatus: vt omittam, non ſolùm Auerroem, ſed tam multos, & graues Doctores ex Patribus, ſcholaſticis, Chriſtianis, & infidelibus ita de opinione Ariſtotelis ſentire.

Neque vis facienda eſt in autoritatibus, quæ ex eodem Philoſopho afferuntur, in contrariam ſententiam, tum quia illæ poſſunt exponi, quemadmodum illas exponit Auerroes, de cognitione ſub rationibus communibus, & vniuerſalibus, in quibus hæc inferiora conueniunt, non ſub rationibus diſtinctis, & propriis, in quibus illa abinuicem diſtinguuntur; tum quòd illæ autoritates ſumptæ ſint ex libris moralibus, in quibus ille potius ad mentem vulgi loquitur, quàm iuxta propriam ſententiam: in libris verò ſcientificis oppoſitum apertè docet, præcipuè in 12. Metaph. text. 51. vbi docet, conuenire potius diuinæ maieſtati hæc inferiora viliſſima non videre, quàm videre: tum demum, quia in libro de mundo ad Alexandrum dicit, non decere diuinam maieſtatem, vt rerum inferiorum procurationem per ſeipſam immediatè exerceat. Hanc rem prolixiùs fortaſſe ſum proſecutus, quàm par erat, non tamen ſine cogente ratione, ne dum laboramus in opinione Ariſtotelis ab errore vindicanda, videamur illius teſtimonio egere ad Catholicam veritatem comprobandam, aut videatur ipſa veritas ementitis Ethnicorum teſtimoniis indigere, vt probabilis appareat. Deus quippe hominum mendaciis non indiget, teſte D. Auguſtino. Et velle fidei dogmata autoritate Ariſtotelis tam dubia confirmare, potius eſt illorum certitudinem in dubium aliquo modo reuocare. Fateor, ſi eſt aliqua Dei actio immediata circa hæc inferiora, puta ſi Deus animas humanas creat, dum corpori infunduntur, negari etiam non poſſe, quin Deus intelligat inferiora ſingularia, ſaltem aliqua, etiam in opinione eiuſdem Ariſtotelis. Sed vtrùm in opinione Ariſtotelis Deus ſit animarum creator, res eſt magis dubia, de qua libro 8. aliquid dicemus.

III. Auerroes ipſe etſi infinitis in locis de Dei ſcientia, prouidentia, ſolicitudine, ac pietate erga homines ita piè, religiosè & rectè locutus fuiſſe videatur, vt nullus Catholicus magis, quemadmodum videri poteſt in eius quæſtitis logicalibus quæſt. 1. 2. 3. 6. 7. 8. & omnibus aliis quæſtitis logicalibus maximè attinentibus ad libros priorum, & primo Elenchorum in fine: in 2. lib. Phyſicorum comment. 75. 1. lib. de cœlo comm. 32. in 2. lib. comm. 34. & 37. in 1. lib. Meteororum cap. 1. col. 4. in 2. libro de anima comm. 14. in libro de ſubſtantia orbis cap. 4. in lib. Deſtructionum diſp. 19. ad primum dubium. in lib. 10. Ethicorum cap. 8. in lib. 1. Canticorum Auicennæ, in principio, & cap. 8. Nihilominus cùm in aliis locis non ſolùm oppoſitum apertè docuerit, ſed etiam ſenſum ſuum aperuerit, & declarauerit, quónam pacto voluerit ſe intelligi, dum alibi docuit Deum hæc inferiora, tum cognoſcere, tum procurare, videtur dubitari non poſſe, illum circa Dei ſcientiam de his inferiorib. generabilibus, & corruptibilibus, & maximè de his quæ circa humanam vitam contingunt, turpiter fuiſſe lapſum. Inprimis nanque in 12. Metaph. comm. 37. declarans, qualis ſit Dei ſcientia de his inferioribus, ait: *Dicentes autem quòd Deus ſolicitus eſt circa vnumquodque indiuiduũ, aliqualiter eſt verum, & aliqualiter non eſt quidem verum; quia nullum indiuiduum habet diſpoſitionem propriam, niſi illa diſpoſitio inueniatur in aliquo illius ſpeciei. Hoc igitur modo verum eſt, Deum ſolicitari circa indiuidua. ſolicitudo autem circa indiuiduum tali modo, quòd nullus habeat communicationem cum eo, hoc non eſt ſua bonitate diuina.* Ecce tibi quã ſolicitudinem habeat Deus de indiuiduis, ſcilicet ſecundùm ea, in quibus conueniunt, non ſecundùm ea, in quibus diſtinguuntur. Et comm. 51. inquit, quòd *Deus ſcit omnia, ſecundùm quod ſcit ſe tantùm ſcientia ineſſe, quod eſt cauſa illorum eſſe. Verbi gratia, qui ſcit calorem ignis tantùm, non dicitur neſcire naturam caloris exiſtentis in reliquis calidis: ſed iſte & ille, qui ſcit naturam caloris ſecundùm quod eſt calor. & ſimiliter primus ſcit naturam entis in eo, quod eſt ens ſimpliciter.* Et comm. 52. ad longum de hac re eodem modo ediſſerit. Et in Paraphraſi Metaph. in fine dicit de mente Alexandri Aphrodiſæi, quòd, *qui dicit, quòd Deus habeat curam de omnibus ſingularibus, eſt dictum valde erroneum, vt quidam putabant, nam cura ab eo fiet ex eo, quod ſcit, vt prædictum eſt. Quo pacto ergo poterit Deus habere nouas notitias particulares, maximè quòd erunt infinitæ? & qui ita dicit, attribuit Deo impietatem etiam de neceſſitate: nam ſi ipſe procedet via regitiua vniuſcuiuſque indiuidui, qualiter ergo patitur indiuiduum mala, dum Deus regit ipſum?* & multa alia habet ibidem, eundem errorem redolentia. Et diſp. 10. Metaph. ad primum dubium inquit, quòd *Deum cognoſcere ſingularia ſunt verba, qua ſufficientiora apparent ex improuiſo, quàm verba Philoſophorum.* Sentit igitur, quòd Philoſophi contrarium doceant.

Ex quibus omnibus colligitur, mentem Auerrois fuiſſe, Deum cognoſcere quidem hæc inferiora, non tamen ſecundùm illorum rationes proprias, & indiuiduales, per quas vnum indiuiduum ab aliis diſtinguitur, ſed ſolùm quoad rationes communes, in quibus conueniunt, vtputa quòd ſunt entia, vel etiam, quòd ſunt ſubſtantiæ, vel accidentia, vel ſubſtantiæ tales, & talis generis, aut ſpeciei, & ſimiliter quòd ſunt accidentia talis generis, vel talis ſpeciei.

Eandem ſententiam Auerrois eodem modo IV.
explicatam docuit etiam Auicenna lib. 8. ſuæ Me- Auicenna.
taph. cap. 6. vbi ait, Deum non cognoſcere ſingularia ſub rationibus diſtinctis, ſed ſolùm ſub rationibus communibus, & vniuerſalibus.

Tandem Tullius lib. 2. de Diuinatione, in hunc Tullius.
errorem apertè prorupit, dicens: *Nihil eſt tam contrarium rationi, & conſtantiæ, quàm fortuna, vt mihi nè in Deum quidem cadere videatur, vt ſciat, quid caſu & fortuito factum ſit.* Et Auguſtinus lib. 5. de ciuitate Auguſtinus.
cap. 9. refert, quòd Cicero, ne libertatem humani arbitrij negaret, Dei præſcientiam circa humanas actiones negauit, putans hæc duo non poſſe ſimul conſiſtere, & ſic vt faceret homines liberos fecit ſacrilegos.

Rationes verò, quibus Philoſophi hunc errorem ſuadent, inferiùs adducemus, & ſoluemus, ne eadem inutiliter repetamus.

CAPVT

CAPVT III.

Catholicorum Doctorum opiniones quædam minùs probabiles de ſcientia Dei recenſentur.

I. D. Hieron. ESt prima opinio, quæ à nonnullis tribuitur D. Hieronymo, quòd diuinus intuitus deſcendat quidem vſque ad hæc inferiora generabilia, & corruptibilia, non tamen attingat quædam minutiſſima, & viliſſima, qualia ſunt, muſcæ, vermes, culices & alia id genus. Hanc opinionem D. Ruffinus. Hieronymo imponit Ruffinus Preſbyter Aquileiæ occaſione quorundam verborum, quæ idem Habac. 1. Hieronymus ſcribit in Comment. Habacuc circa illa verba: *Facies homines quaſi piſces maris.* Vbi ait: *Caterum abſurdum eſt ad hoc Dei deducere maieſtatem, vt ſciat per momenta ſingula, quot naſcantur culices, quótve moriantur; quæ cimicum, pulicum, & muſcarum ſit in terra multitudo, quanti piſces in aqua natent, & qui de minoribus maiorum præda cedere debent. Non ſimus tam ſatus adulatores Dei, vt dum potentiam eius etiam ad ima detrahimus, in nos ipſos iniurioſi ſimus, eandem rationabilium, quam irrationabilium, prouidentiam eſſe dicentes. Ex quo liber ille apocryphus ſtultitiæ condemnatus eſt, in quo ſcriptum eſt, quendam Angelum nomine Tyri præeſſe reptilibus: & in hanc ſimilitudinem piſcibus quoque, & arboribus, & beſtiis vniuerſis, proprios in cuſtodiam Angelos aſſignatos.*

Verùm D. Hieronymum de ſcientia Dei, & eiuſdem prouidentia, ſanam doctrinam tenuiſſe, apertè indicant illius verba in illud Matthæi cap. 10. *Nónne duo paſſeres aſſe veneunt.* Ibi enim ſic ait: *Si paruæ animalia, & vilia abſque Deo autore non decidunt, & in omnibus ſemper eſt prouidentia, & quæ in iis peritura ſunt, ſine voluntate Dei non pereunt, vos qui æterni eſtis, non debetis timere.* Quod repetit paulò inferiùs.

Ad locum autem illum ex Commentario in Habacuc primò dici poteſt Hieronymum in diuinis Scripturis exponendis commentatorē egiſſe, cuius munus eſt, non tantùm propriam, ſed etiam alienam ſententiam afferre: non tamen ita, quòd ſententias, quas refert, ſemper & in omnibus probet. Teſtatur, ita ſe feciſſe idem Hieronymus lib. 1. Apologiæ contra Ruffinum paulò poſt medium, & lib. 2. idque maximè illum feciſſe crediderim in exponendis libris Prophetarum. Magiſter. Secundò reſpondetur cum Magiſtro ſententiarum in 1. diſt. 19. c. 4. Hieronymum non negare, quòd Deus ſciat etiam minutiſſima, & viliſſima; ſed ſolùm docere, quòd illa ſucceſſiuè minimè cognoſcit, quemadmodum illa ſucceſſiuè fiunt, & quòd non eodem modo his minutiſſimis animalibus, quo hominibus prouidet. Et verba D. Hieronymi eundem habent ſenſum, quem habent illa D. Pauli. *Nunquid de bobus cura eſt Deo.* Videatur Sixtus Senenſis lib. 5. Bibliothecæ annotatione 257. Sixtus Senenſis.

II. Aureolus. Capreolus. Secunda opinio fuit Aureoli, qui referente Capreolo in 1. diſt. 35. quæſt. 2. art. 1. in argumentis contra ſecundam concluſionem, negauit abſolutè, Deum cognoſcere creaturas in ſeipſis immediatè, aut etiam mediante diuina eſſentia, aut tanquam obiectum primarium, aut tanquam obiectum ſecundarium. Et quòd non cognoſcat illas in ſeipſis immediatè tanquam obiectum primarium, probat quinque argumentis ibidem à Capreolo relatis, quæ non opus eſt hîc recenſere, quia ſi quid probant, verum concludunt. Quòd verò non cognoſcat illas mediatè tanquam obiectum ſecundarium, nititur etiam probare quibuſdam rationibus, quæ ſimiliter omitti poſſunt, quia ſolùm probant, creaturas non cognoſci mediante diuina eſſentia, ſicut videntur imagines rerum in ſpeculo, cum diſtinctione inter ſe inuicem, & ab ipſo ſpeculo, quod eſt verum: non enim creaturæ ſic continentur in diuina eſſentia, quemadmodum rudiores imaginantur, vt inquit Caietanus, ſed continentur in illa ſicut effectus in cauſa eminenter, & virtualiter, quamuis iſta continentia adeò ſit perfecta, vt repræſententur per ipſam diuinam eſſentiam adeò perfectè, & diſtinctè, ac ſi continerentur in illa cum diſtinctione.

Hæc opinio ſic intellecta videtur eſſe manifeſtus error Philoſophorum cap. præcedenti relatus. quia ſi Deus nullo modo creaturas videt in ſeipſis, nec mediatè, neque immediatè, ita quòd diuinus intuitus nullo modo terminetur ad eſſe actualis exiſtentiæ, quod creaturæ habent in ſeipſis in rerum natura; ſequitur, aut nullo modo Deum creaturas intelligere, aut ſolùm illas intelligere, ſecundùm illud eſſe quod habent in ipſo Deo, non autem in ſeipſis: illud verò non eſt eſſe proprium creaturarum, ſed Dei. Et ſic Deus eatenus diceretur creaturas intelligere, quatenus intelligit ſe, vt principium totius entis, qui eſt error Auerrois, & Auicennæ.

Tertia opinio eſt, quam Dominicus Bañes 1. p. quæſt. 14. art. 6. tribuit Scoto, quod dixerit Deum intelligere creaturas in ſeipſis tantùm, non autem in diuina eſſentia. Eandem opinionem tribuunt Scoto Vaſquez in 1. part. diſp. 60. cap. 1. & Suarez lib. 3. de Attributis cap. 20. num. 12. contendúntque illàm elici ex verbis Scoti in 1. diſt. 35. quæſt. vnica. §. *Ad iſta.* Et Scotum nunquam docuiſſe, diuinam eſſentiam ita primò cognoſci à diuino intellectu, vt in illa tanquam in obiecto primario priùs cognito creaturæ cognoſcantur. Eandem ſententiam tribuunt Aureolo Guliermus Okam, & Gabriel Biel. Cæterùm ſi vera ſunt, quæ de Aureolo refert Capreolus loco proximè citato, apparet illum talem opinionem non tenuiſſe, ſed oppoſitum docuiſſe. Quod etiam ſpectat ad opinionem Scoti, nullus occurrit locus, in quo ille opinionem, quam ei tribuunt, apertè doceat. Econtrario verò multa loca reperiuntur, in quibus docet, creaturas videri in diuina eſſentia, & ita docet in 1. diſt. 1. q. 2. lit. D. & in 2. diſt. 1. quæſtione 2. lit. H. & aliis, quæ latè docuit Ioannes Rada in 1. parte, cont. 29. art. 1. III. Dominicus Bañes. Vaſquez. Suarez. Scotus. Aureolus. Guliermus Okam. Gabriel. Capreolus. Scotus. Rada.

CAPVT IV.

Primum dubium per concluſiones reſoluitur.

PRæſens dubium duabus propoſitionibus reſoluendum eſt. Prima propoſitio: Deus cognoſcit omnia ſingularia, generabilia, & corruptibilia, etiam futura contingentia, quæ pendent ex humano arbitrio, cognitione certa, & diſtinctiſſima, ſecundùm omnem illorum entitatem, & ſecundùm omnem modum eſſendi, & ſecundùm omnes & ſingulas eorum rationes diſtinctinas, quibus vnumquodque indiuiduum ab alio diſtinguitur. Hæc propoſitio quoad omnes & ſingulas eius partes eſt aſſertio fidei, in qua conueniunt I.

non ſolùm Catholici, ſed etiam hæretici; nullus enim eſt hæreticus maximè his temporibus, qui illam apertè audeat negare. Probatur enim euidenti teſtimonio diuinarum Scripturarum. Et loca, quibus ex diuina Scriptura illa probatur, ad quatuor claſſes poſſunt reuocari. In prima numeranda ſunt ea teſtimonia, in quibus Scriptura dicit expreſsè, Deum omnia intueri clarè, & diſtinctè, & non eſſe vllam creaturam inuiſibilem oculis eius. Primum teſtimonium habetur Geneſ. 1. in illis verbis, *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat.* Secundum in lib. 2. Paralipomenon cap. 16. *Oculi enim Domini contemplantur vniuerſam terram.* Tertium Iob cap. 28. *Ipſe enim* (ſcilicet Deus) *fines mundi intuetur, & omnia, quæ ſub cælo ſunt, reſpicit.* Quartum Prouerb. 24. *Qui inſpector eſt cordis, ipſe intelligit, & ſtruatorem animæ ſuæ nihil fallit, reddetque homini iuxta opera ſua.* Quintum ad Hebr. 4. *Et non eſt vlla creatura inuiſibilis in conſpectu eius. Omnia autem nuda, & aperta ſunt oculis eius, ad quem nobis ſermo.* Sextum in epiſtola 1. D. Ioann. cap. 3. *Quoniam ſi reprehenderit nos cor noſtrum, maior eſt Deus corde noſtro, & nouit omnia.* Alia innumera huiuſcemodi loca ſunt in diuina Scriptura.

In ſecunda claſſe recenſenda ſunt teſtimonia, quibus oſtenditur, nihil eſſe quanuis minimum, quod diuinæ non ſubiaceat prouidentiæ, & per illam in aliquem certum finem non diſponatur, huiuſmodi eſt illud Iob cap. 13. *Obſeruaſti omnes ſemitas meas, & veſtigia pedum meorum conſideraſti.* Et illud Pſalmi 148. *Ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum, quæ faciunt verbum eius.* Et Prouerb. 16. *Vniuerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus, impium quoque ad diem malum.* Et Matthæi 10. *Nonne duo paſſeres aſſe veneunt, & vnus ex illis non cadet ſuper terram ſine Patre veſtro? Veſtri autem & capilli capitis omnes numerati ſunt.* Et Lucæ 12. *Si autem fœnum, quod hodie eſt in agro, & cras in clibanum mittitur, Deus ſic veſtit, quanto magis vos puſillæ fidei?* Et alia ſimilia.

In tertia claſſe referenda ſunt teſtimonia, quibus dicitur Deus ſpeciali quodam pacto humanas actiones inſpicere, & obſeruare, & corda hominum, & renes ſcrutari, & maxima attentione fidem noſtram probare, non ſecus ac ſponſus omnes ſuæ ſponſæ actiones, locutiones, oculorum, & labiorum explorare, cum maxima animi attentione. Quibus tropis plenæ ſunt diuinæ Scripturæ.

In quarta referenda ſunt teſtimonia, in quibus habemus, Deum homines prædeſtinare, & reprobare, præmio afficere, & ſuppliciis deputare, & iuſtum iudicem cum hominibus agere. Hæc enim facere minimè poſſet niſi omnes, & ſingulas hominum actiones, eáſque præſertim, quæ pendent ex libero hominis arbitrio certò, infallibiliter, & diſtinctiſſimè noſſet.

II. Teſtimonia verò ex Conciliis, Patribus, aut Scholaſticis adducere ad hanc veritatem comprobandam fortaſſe magis laborioſum opus eſſet, quàm aut neceſſarium, aut ingenioſum: omnes enim Catholici in hac veritate conueniunt, & cum Catholicis etiam hæretici. Solùm proband a eſt iſta propoſitio rationibus ex naturali Philoſophia depromptis, propter Philoſophos Ethnicos, qui teſtimonium diuinæ Scripturæ non admittunt.

Ariſtot. Prima ratio eáque efficaciſſima ad hanc veritatem comprobandam colligitur ex Philoſopho in 1. lib. de Anima, vbi text. 80. deducit Empedoclem ad hoc magnum inconueniens, quòd faciat Deum ignorantiſſimum, quippe qui in opinione Empedoclis nõ ſciat omne illud, quod ſcit animal mortale. Argumentum eſt tale. Omnis perfectio ſimpliciter, quæ reperitur in creaturis, neceſſariò ponenda eſt in Deo. Hæc negari non poteſt, niſi ab homine ignorante, quid ſit Deus: omnes namque homines concipiunt, Deum eſſe infinitum pelagus perfectionis, ex quo deriuat quidquid perfectionis eſt in ente cauſato: at cognoſcere omnia eſt perfectio in ente cauſato; creaturæ quoque ſingularia generabilia & corruptibilia cognoſcunt, vt experientia demonſtrat. Aut igitur dicendus eſt Deus homine ipſo minus perfectus: aut non eſt illi neganda notitia diſtincta horum inferiorum etiam generabilium, & corruptibilium.

Huic argumento videntur Ariſt. in 12. Metaph. text. 51. & Conſm. ibidem & commento ſequenti occurriſſe per negationem minoris propoſitionis. Aiunt enim quædam melius eſſe non videre, quàm videre, ſcilicet mala. Ariſtot. Comment.

At certè decipiuntur, quia licèt malum ſit facere mala, non eſt tamen malum ſcire mala. Quis enim medicum malũ reputabit ex eo, quòd ſciat, quonam pacto conficiatur potio, quæ mortem afferat? Addo quòd quæ vni indiuiduo ſunt mala, alteri indiuiduo bona ſunt, mors enim ouis ipſi oui mala eſt, at lupo bona eſt. Quare eſto argumentum non ita conuinceret, Deum debere noſſe omnia, quæ mala ſunt moraliter, certè conuincit, ſaltẽ debere noſſe omnia mala ordinis naturæ.

Secunda ratio ſumitur ex D. Thom. 1. part. q. 14. art. 11. & eſt talis. Ad illa omnia ſe extendit diuina cognitio, ad quæ ſe extendit diuina cauſalitas: at diuina cauſalitas ad omnia, & ſingula indiuidua etiam generabilia & corruptibilia ſecundùm omnes, & ſingulos illorum modos eſſendi neceſſariò ſe extendit. Ergo & diuina cognitio ad omnia, & ſingula indiuidua ſe extendere debet ſecundùm totum illorum eſſe, & ſecundùm omnes, & ſingulos illorum modos eſſendi. Maior propoſitio non poteſt in dubium reuocari ab eo, qui concedat, Deum eſſe cauſam agentem per intellectum & cognitionem. Minor etiam negari non poteſt à Philoſopho, qui aſſeruit vnam primam cauſam, à quo totum ens dependeat: nam ſi eſt aliqua entitas, vel aliquis modus eſſendi, cuius Deus non ſit cauſa, iam illius comparatione Deus non erit Deus. Quærendum igitur, an huiuſmodi entitas ſit à ſe, an ab alia cauſa; ſi à ſe, illa iam erit Deus, & ſic plures erunt Dij. Ergo aut non eſt vnus tantùm Deus in mundo, aut nulla eſt entitas ad quam non ſe extendat diuina cauſalitas. Hanc rationem conceptis verbis inſinuauit D. Dionyſius 7. cap. de diuinis nominibus, dicens: *Eo modo Deum cognoſcere res, quo modo rebus eſſe tradit; vnde ſi eſt aliquid in rebus non cognitum ab illo, neceſſe eſt, vt circa illud vacet diuina cognitio.* Autor etiam lib. de Cauſis, propoſitione octaua ait: *Intelligentia cognoſcit id, quod eſt ſub ſe, inquantum eſt cauſa illius.* III. D. Thom. D. Dion. Liber de Cauſis.

Huic argumento Auerroes putat ſe ſatisfeciſſe, dicens, Deum eo modo res cognoſcere, ſecundùm quem modum illarum eſt cauſa; at non eſt cauſa rerum ſecundùm rationes particulares, & proprias, per quas vnumquodque indiuiduum ab alio diſtinguitur, ſed ſolùm ſecundùm communes rationes, in quibus conueniunt, & ſecundùm quòd ſunt entia: ita ille reſpondet lib. 12. Metaph. comm. 37. & com. 51. Auerroes.

Verùm

Verùm abſurditas huius reſponſionis facillimè monſtrari poteſt ex multiplici capite. Primò namque ab illo quærendum eſt, an natura entis ſit aliqua natura communis diſtincta à natura particulari huius, & illius entis particularis: an verò ſit eadem cum natura particulari cuiuſlibet entis particularis. Si dicatur primum. Ergo datur vniuerſale actu in rerum natura ante omne opus intellectus, contra quod tota Philoſophia Peripateticorum reclamat, ruúntque omnes rationes Philoſophi, quibus contra Platonem probat, non dari vniuerſale in actu ante, & extra opus intellectus. Præterea Philoſophi dicunt, quòd tranſcendentia, maximè ens, & vnum, addita rebus non faciunt compoſitionem cum illis, quia non addunt ſupra res quibus adiunguntur, aliquã entitatem poſitiuam ſed addunt ſolùm conceptum quendam tranſcendentem, vt ait Ariſt. in lib. 9. Metaph. text. 7. & lib. 10. text. 6. & 13. & idé Auerroes in multis aliis locis. Ergo non poteſt Deus ſua cauſalitate attingere productionem alicuius rei ſecundùm communes rationes entis tantùm, quin illam attingat ſecundùm rationes particulares huius, & illius entis. Si autem dicatur ſecundum, nempe, quòd natura entis eadem eſt cum natura huius, vel illius entis particularis, ſequitur contra reſpondentem, Deum eſſe cauſam cuiuſlibet indiuidui, non ſolùm ſecundùm rationes communes entis, ſed etiam ſecundùm rationes particulares huius, & illius entis.

Ariſtot. Auerroes.

Et certè quãuis intellectus noſter adinueniens in rebus quædam, in quibus plura conueniunt, quædam verò, in quibus non conueniunt, ſed vnumquodque ab alio diſtinguitur, concipiat in rebus rationes aliquas genericas, & ſpecificas: tamen actio agentis circa iſtas rationes vniuerſales ſeſe exercere minimè poteſt, neque ad illas immediatè terminari, ſed vnumquodque agens agit aliquid particulare, & eius actio circa particularia ſeſe exercet. Quare aut dicendum eſt, Deum nihil attingere ſua productiua operatione, aut eſſe rerum cauſam, non ſolùm in vniuerſali, ſed etiam in particulari, & ſecundùm particulares illarum rationes.

Præterea ſi Deus non eſt cauſa rerum, quoad illarum entitates particulares. ergo comparatione rerum particularium, vt tales ſunt, Deus non eſt Deus. Vel igitur res particulares, vt tales, erunt à ſe, & ſic vnaquæque erit Deus: vel ab alia cauſa præter Deum, & ſic illa erit Deus. Erunt ergo plures Dij, & plura prima principia.

IV. Tandem in rebus eſt diſtinctio. Vel igitur illa erit à caſu, vel ab aliqua cauſa agẽte ex intẽtione: non poteſt dici, quòd ſit à caſu, quia diſtinctio eſt cauſa ordinis vniuerſi, & abſque diſtinctione perit ordo, & redit confuſio rerum: ordinare verò ſapientis eſt. non ergo diſtinctio rerum à caſu eſt, Si ab aliqua cauſa, vel ab aliqua cauſa particulari, vel à cauſa prima, & vniuerſaliſſima, quæ eſt Deus. non à cauſa particulari, quia illa eſt de numero diſtinctorum, vnde illa præſupponit cauſam diſtinguentem. reſtat ergo, vt diſtinctio rerum ſit cauſata à Deo. Sed tantùm ſe extendit diuina cognitio, quantum ſe extendit diuina cauſalitas, vt à principio dictum eſt. Cùm ergo diuina cauſalitas ad res ſe extendat prout ſunt ab inuicem diſtinctæ, negare non poteſt Auerroes, diuinam cognitionem attingere etiam ipſas res ſecundùm peculiares rationes, quibus vnaquæque res ab alia diſtinguitur.

V. Tertia ratio contra Philoſophos ſumenda eſt ex perfectione notitiæ, qua Deus ſeipſum, & ſuam eſſentiã cognoſcit. Nullus poteſt perfectè cognoſcere aliquam cauſam, niſi cognoſcat omnem virtutem eiuſdem cauſæ, & omnem illius modũ cauſandi; nullus verò poteſt perfectè cognoſcere virtutẽ cauſæ, niſi cognoſcat omnes effectus, ad quos ſe extendit virtus eiuſdem cauſæ, & ſecundũ omnes modos, ſecundùm quos illi ſunt producibiles ab ipſa cauſa: modò Deus perfectiſſimè ſuã eſſentiam cognoſcit, vt cauſam omnium rerum. Ergo neceſſe eſt illum cognoſcere perfectè omnes effectus producibiles ab ipſa diuina eſſentia ſecundùm omnem illorum modum, ſecundùm quem pendent à diuina eſſentia; ſed diuina eſſentia eſt cauſa omnium rerum ſecundùm omnes modos eſſendi illarum, aliàs darentur plura prima principia. Ergo vt Deus perfectè ſuam intelligat eſſentiam, neceſſe eſt illũ intelligere perfectè omnes res ſecundum omnes illarum modos eſſendi.

VI. Alias afferunt rationes tum Philoſophi, tum Theologi, ad eandem veritatem comprobandam, quæ quibus vacat, videri poſſunt apud ſectatores Magiſtri in 1. diſt. 35. & 36. vbi videndus Durandus, & apud D. Th. 1. p. q. 14. art. 5. & 15. & lib. 1. contra Gent. c. 49. & 50. & de veritate, q. 2. art. 5. & apud Plotinum Enneade 2. lib. 3. de prouidentia c. 1. & Sueſſanum in comm. lib. de ſtructionum diſp. 12. ad vltimum dubium: & Soncinum 12. Metaph. q. 37. ſed iſtæ efficaciſſimæ ſunt, & mea opinione ſufficientiſſimæ ad errorẽ Philoſophorum conuincendum. Ex quibus etiam colligitur, hanc veritatem, quòd Deus cognoſcat omnes res in particulari, nõ eſſe ſolo lumine fidei creditam, vt putauerunt Sueſſanus loco citato, & Gabriel Biel in primo diſt. 35. referente Dominico Bañes: ſed ratione naturali euidentiſſimè demonſtrabilem: quia illa negata tollitur non ſolùm ratio prouidentiæ diuinæ, & tolluntur præmia, & ſupplicia, quibus Deus homines pro benè, aut malè factis afficit, quæ ſunt lumine naturali per ſe nota, & ab omnibus hominibus conceſſa, & confeſſa. ſed tollitur inſuper Dei vnitas, atque perfectio: quia ſi aliquid eſt, quod Deus ignorat, illius Deus non erit cauſa. ergo nec Deus.

Magiſter. D. Thom. Plotinus. Sueſſanus. Soncinus. Gabriel. Bañes.

VII. Secunda propoſitio: Deus ita cognoſcit creaturas ſecundùm quod ſunt in ſeipſis tanquam obiectum ſecundarium, & inadæquatum diuini intellectus, vt diuina cognitio, & diuinus intuitus verè terminetur ad eſſe rei, quod illa habeat in ſeipſa extra ſuas cauſas, quod eſt eſſe verum, & reale actualis exiſtentiæ. Hæc propoſitio ſtatuitur contra opinionem Aureoli, & etiam contra opinionem Scoti eo modo intellectã, quo nonnulli ſuperiùs relati illã intelligunt, & exponunt. Ea verò colligitur euidenter ex verbis D. Th. 1. p. q. 14 art. 13. vbi ſic ait: Vnde omnia, quæ ſunt in tempore, ſunt Deo præſentia ab æterno, nõ ſolùm ea ratione, qua habet rationes rerum apud ſe præſentes, ſed quia eius intuitus fertur ab æterno ſuper omnia, prout ſunt in ſua præſentialitate. Quibus verbis apertè docet, diuinum intuitum ferri non ſolùm in illud eſſe, quod res habent in Deo, neque ſolùm in rationes ideales, neque ſolùm in illud eſſe cognitum à Scoto meditatum, quod ita eſt diminutum vt ſit propè nihil, ſed ferri in eſſe actualis exiſtentiæ, quod res habent in tempore in rerum natura. Quæ propoſitio tanquam veriſſima probatur euidenti teſtimonio diuinæ Scripturæ. Nam diuina Scriptura vocat diuinam notitiam viſionem Gen. 1. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona.* Et vt exprimat, qualis ſit Dei viſio,

visio, an scilicet sit visio rei in seipsa, an tantùm in esse cognito, aut in imagine exemplari, per quandam metaphoram docet, Deum ad res ipsas accedere vt de propinquo illas videat. Gen. 18. *Descendam, & videbo, vtrùm clamorem, qui venit ad me, opere complauerint, an non, & sciam.* Dicitur etiam Deus rimari, & scrutari corda hominum. qui modus loquendi planè indicat, diuinum intuitum ipsas res attingere, vt sunt in seipsis. Demum D. Paulus ad Hebræos c. 4. inquit, *Viuus est sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vsque ad diuisionem animæ, & spiritus, compagum quoque, & medullarum, & discretor cogitationum, & intentionum cordis: & non est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius.* Quo in loco per sermonem Dei verbum, qui est filius, intelligit, vt glossa, & omnes Patres exponunt, & verba ipsa textus manifestè indicant. Et Apostolus vtitur verbo penetrandi, & pertingendi, & discernendi intima cordis. quibus modis dicendi, si non exprimitur, aciem diuini intuitus attingere res ipsas secundùm esse, quod habent in seipsis extra Deum, quod est illarum esse verum, proprium, & reale, ego nescio quibus aliis conceptis verbis illud valeat explicari.

VIII. Sed probatur eadè propositio euidenti ratione. Vel Deus aliquando attingit suo intuitu, & acie sui intellectus illud esse, quod creatura habet in se, vel nunquam. Si aliquando, ergo semper. *Non enim est apud Deum transmutatio, neque vicissitudinis obumbratio.* Si nunquam, ergo diuina cognitio valdè imperfecta est, & imperfectior notitia creaturæ: creatura enim videt rem in seipsa, & experitur talem visionem perfectiorem esse, quàm sit notitia, & visio rei aut in speculo, aut in pictura, aut imagine exemplari, qualem oportet esse notitiam diuinam, aut saltem illi similem, si Deus creaturas minimè videt in seipsis. Sed vt melius percipiatur vis istius rationis, illam hoc modo concipiamus. Notitia intuitiua, quæ terminatur ad rem, prout est in seipsa, est omnium perfectissima. ergo si illa est possibilis, non debet Deo denegari: sed huiusmodi notitiam esse possibilem, apparet in creaturis. Ergo Deus res intuetur in seipsis, ita quòd diuina cognitio ad illas, vt sunt in seipsis, terminatur. Antecedens primæ propositionis notum est etiam ad sensum, quis enim neget visionem rei in seipsa perfectiorem esse visione eiusdem rei in imagine?

Dicetur, quòd hic modus visionis non potest poni in Deo, quia talis visio pendet obiectiuè à re visa in ratione obiecti motiui, & hoc modo nihil videtur nisi quod per propriam speciem mouet potentiam, quod de Deo dici non potest comparatione creaturarum.

Contra hanc responsionem est valida instantia, quia Angelus intuitiuè videt creaturas, ita quòd intuitus intellectus Angelici verè, & propriè ad illas terminatur: & tamen non videt per speciem à rebus acceptam saltem secundùm veriorem sententiam D. Thomæ, cui paucissimis exceptis omnes consentiunt. Ergo multò magis hoc efficere potest intellectus diuinus mediante diuina essentia, quæ omnem perfectionem cuiuscunque speciei creatæ in infinitum excedit; & ad cuius imitationem ipsa species Angelica est exemplata. Maior propositio non potest in dubium reuocari. Quis enim dubitare potest, quando Angelus Tobiam comitabatur, quando illum alloquebatur, quando videbatur cum illo manducare, & bibere, quando Angelus per circinum capitis apprehendit Habacuc, & tulit illum in Babylonem, illos intuitiuè non vidisse, sed solùm in speculo, aut imagine, aut alio simili modo?

Secunda ratio ad idem probandum, eáque apud me demonstratiua est: quia tantum se extendit diuinus intellectus in intelligendo, quantum se extendit diuina voluntas in volendo, & diuina omnipotentia in causando: sed diuina voluntas se extendit non solùm ad esse, quod res habent in Deo, aut ad illud esse cognitum à Scoto fabricatum, sed multo magis ad esse, quod res habent in se extra suas causas: Diuina etiam omnipotentia in causando se extendit ad verum esse actualis existentiæ rerum à seipsis. ergo & diuinus intuitus se debet extendere ad idem esse actualis existentiæ rerum in seipsis. Et certè videtur res omnino inintelligibilis, quòd diuina operatio se extendat ad res extra Deum ad illas causandas, & terminetur ad illarum productionem: & tamen diuinus intuitus non se extendat ad easdem res ad extra, neque ad illas, vt sunt extra Deum, terminetur: hoc enim nihil aliud est, nisi facere Deum cæco modo agentem, qui rem, quam manu operatur, nunquam in seipsa videre possit. Et hæc ratio eò magis vires haberet, si verum esset, quod nonnulli aiunt, inter quos Nazarius 1. p. q. 14. art. 5. cont. vnica §. *Quarto resoluenda.* Directiuam cognitionem esse id, quo aliquid formaliter constituitur in ratione causæ intellectualis; non enim posset causalitas diuina terminari ad esse creaturæ extra Deum, quin diuina cognitio saltem practica terminaretur ad idem esse. IX. Nazarius.

CAPVT V.

Argumenta contra propositiones capitis præcedentis afferuntur, & soluuntur.

COntra primam propositionem plura argumenta afferunt Philosophi. Ea verò ex triplici capite potissimùm sumi videntur, nimirum ex repugnantia diuini intellectus ad intelligenda ea, quæ sunt extra ipsum Deum. Ex repugnantia, quam videntur habere singularia generabilia, & corruptibilia, & res materiales ad esse intelligibile. Et demum ex repugnantia, quam videntur habere res contingentes, quatenus contingentes sunt ad esse certò, & infallibiliter cognoscibiles. Verùm, quæ ex vltimo capite petuntur, in secundam controuersiam reiiciuntur, vtpote in proprium locum, in quo magis opportunè adduci poterunt & solui. Nunc solùm adducimus argumenta, quæ sumi possunt ex repugnantia quam videtur habere diuinus intellectus ad intelligenda ea, quæ sunt extra Deum, maximè materialia generabilia, & corruptibilia, & ex repugnantia, quam videntur habere ipsa singularia generabilia, & corruptibilia ad esse obiectum conueniens, & proportionatum diuinæ cognitionis. I.

Primum argumentum est, quo vtuntur Aristoteles, & Auerroes, in 12 Metaph. præcipuè text. 51. si diuinus intellectus intelligeret hæc inferiora generabilia, & corruptibilia, & vniuersaliter aliquid extra se, vilesceret diuina cognitio. Sequela probatur primò, quia intellectum est perfectio intelligentis. Essent ergo creaturæ perfectio intellectus diuini. Secundò quia intellectus patitur, & perficitur & actuatur ab obiecto intelligibili. Actuaretur ergo Deus & pateretur à creatura. Tertiò quia actiones potentiarum specificantur à suis obiectis, & ab illis pendent. Oporteret igitur diuinum intellectum in sua intellectione pendere ab obiecto creato, & ab illo specificari. Aristot. Auerroes.

Respon

Reſpondetur, hoc argumentum nullas habere vires: neganda enim eſt ſequela, & ad omnes illius probationes reſpondetur, quòd procedunt ſolùm de obiecto primario, & adæquato, quod intelligitur per propriam ſpeciem, non de obiecto ſecundario, & inadæquato, quod intelligitur non per propriam ſpeciem, ſed per ſpeciem obiecti primarij, quale obiectum ſunt omnes creaturæ comparatione diuini intellectus.

II. Secundum argumentum. Si diuinus intellectus intelligeret ſingularia generabilia, & corruptibilia, vel intelligeret ea per propriam eſſentiam tãquam ſpeciem repræſentantem huiuſmodi obiecta, vel per ſpecies ab illiſmet acceptas. Secundum dici non poteſt, tum quia ſequerentur illa inconuenientia, ad quæ deducit Philoſophus in primo argumento: tum quia oporteret ponere in Deo intellectum agentem, & poſſibilem. Neque poteſt dici primum, quia quod eſt omnino æternum, & inuariabile, non poteſt eſſe repræſentatiuum entis corruptibilis, & variabilis, quatenus eſt corruptibile & variabile.

Reſpondeo, Deum cognoſcere omnia per ſuam eſſentiam tanquam ſpeciem intelligibilem repræſentantem diuino intellectui omne intelligibile. Ad improbationem reſpondeo, æternum, quod eſt cauſa cognoſcendi tantùm, non etiam eſſendi, nõ poteſt repræſentare ens generabile, & variabile, quatenus tale eſt: ſed æternum, quod eſt cauſa rei generabilis, & variabilis ſecundùm omnes modos eſſendi illius, non eſt inconueniens repræſentare ipſum ens variabile, quatenus tale eſt, cùm ſpectet ad perfectionem omnis cauſæ ſuum effectum repræſentare omnibus illis modis, ſecundùm quos effectus ab ipſa cauſa pendet.

Tertium argumentum militat contra concluſionem, & contra reſponſionem præcedentis argumenti. Eſto per diuinam eſſentiam poſſit haberi aliqualis notitia ſingularium generabilium & corruptibilium, illa tamen non videtur poſſe eſſe notitia clara, & diſtincta, quia talis notitia non niſi per ſpeciem propriam, & adæquatam poteſt haberi: at diuina eſſentia non eſt ſpecies propria, & adæquata alicuius rei creatæ, multò minus rei ſingularis generabilis, & corruptibilis.

Reſpondeo, duobus modis aliquam ſpeciem dici inadæquatam. Vno modo propter defectum, quia nõ repræſentat rem omnibus modis, & ſecũdùm omnes rationes proprias rei; & per talem ſpeciem non poteſt cognoſci res cognitione perfecta, & diſtincta. Alio modo dicitur ſpecies inadæquata per exceſſum, quia licèt repræſentet rem, ſicuti eſt omnibus modis, & ſecundùm omnes illius rationes proprias, multa alia præter eam rem valet repræſentare, qualis, exempli gratia, eſt ſpecies Angelica repræſentans totum genus animalis reſpectu huius particularis hominis, aut equi, aut bouis, &c. quæ ſpecies dicitur inadæquata formaliter; ſed tamen adæquata virtualiter, quia licèt apta ſit plura alia repræſentare, tamen ita perfectè & diſtincte repræſentat hoc, aut illud ſingulare, tanquam ſi eſſet ſpecies propria, & adęquata ipſorum ſingularium: per ſpeciem inadæquatam hoc ſecundo modo acceptam benè poteſt haberi notitia diſtincta, & perfecta alicuius rei, ſicut patet in cognitione Angelorum, qua res corporales, & individua vnius, & eiuſdem ſpeciei cognoſcunt per vnam numero ſpeciem totius generis. talis verò eſt eſſentia diuina comparatione omnium ſingularium generabilium, & corruptibilium, & omnium creaturarum.

Quartum argumentum militat contra concluſionem, & contra reſponſionem ad tertium, diuina eſſentia eo modo creaturas repræſentat, quo modo illæ in ipſa diuina eſſentia continentur; ſed creaturæ non continentur in diuina eſſentia per modum diſtinctionis, ſed per modum vnionis. Ergo illa non poteſt repræſentare creaturas, vt diſtinctæ ſunt, ſed ſolùm quatenus ſunt vnum. III.

Confirmatur ratio. nam vnum, & idem non poteſt eſſe cauſa identitatis, & diſtinctionis; ſed ex eo quòd omnes creaturę continentur in diuina eſſentia habent vt ſint vnum. Ergo vt contentæ in diuina eſſentia non poſſunt cognoſci ſub diſtinctis rationibus.

Reſpondeo ad argumentum, & ad confirmationem, id, quod eſt vnum ſecundùm quod eſt vnum, non poſſe repræſentare plura diſtinctè, neque ſecundùm quod eſt vnum poſſe eſſe cauſam diſtinctionis. Illud verò quod ſimul eſt vnum formaliter, ſed plura virtualiter, potens cauſare plura diſtinctè, & ſupplere vicem cauſarum diſtinctarum, ac ſi eſſent pluręs cauſæ diſtinctæ, bene poteſt repræſentare plura diſtinctè. Sicut igitur diuina eſſentia cùm ſit in ſe vna, & ſimpliciſſima, eſt tamen cauſa diſtinctionis exiſtentis in rebus, & cauſat plura diſtincta, ac ſi eſſent diſtinctæ cauſæ; ita non inconuenit creaturas, quæ continentur in diuina eſſentia per modum vnius quoad eſſe reale, repræſentari in illa per modum plurium, & cum diſtinctione ſe tenente ex parte rerum repręſentatarum, non ex parte repræſentantis.

Quintum argumentum, inter entia generabilia & corruptibilia ſunt multa mala: at Deo repugnat malum cognoſcere non ſolùm propter rationes allatas à Philoſopho in 2. Magn. Moral. c. 9. & lib. de Mundo ad Alexandrum, & ab Auerroe in Paraphraſi Metaph. lib. 4. in fine, ſed etiam propter teſtimonium Habacuc c. 1. dicẽtis: *Mundi ſunt oculi tui Domine, ne videant malum: & ad iniquitatem reſpicere non poteris.* IV. Ariſtoteles. Auerroes.

Confirmatur, nam ea ratione Deus cognoſcit res, & diuina eſſentia eſt ſpecies rerum repræſentatiua, qua Deus eſt cauſa rerum, hoc enim eſt præcipuum, & vnicum fundamentum, cui videtur totus hic noſter diſcurſus inniti, vt ex dictis apparet: at mali Deus cauſa eſſe non poteſt, vt lib. 8. ex profeſſo monſtrandum eſt contra recentes hæreticos. ergo ſaltem mala Deus non cognoſcit.

Reſpondeo, mala ſunt in duplici differentia, quædam ſunt mala naturæ, quædam moris, & vtraque Deus certiſſimè cognoſcit. Et eſt doctrina de fide: conſtat enim ex diuina Scriptura, Deum peccata hominum intelligere, & arguere, & vlciſci, quod cuique ita notum eſt, vt nulla opus ſit probatione, eſtque ad hoc declarandum optima ratio illa, quam afferunt D. Thom. 1. p. q. 14. a. 10. & Durandus in primo diſt. 36. q. 1. quia, qui aliquã rem perfectè & exactè cognoſcit, debet cognoſcere omnia, quæ ipſi rei accidunt: Deus omnes partes mũdi perfectè intuetur. Ergo omnia cognoſcit, quæ partibus vniuerſi accidunt, vel etiam accidere poſſunt: at partibus mundi accidit malum tum naturæ, tum moris, nam per malum naturæ corrumpuntur res tum inanimatæ, tum etiam animatæ: per malum autem moris corrumpuntur res, & naturæ intellectuales, quoad illam rectitudinem inſtitiæ, & rationis, quæ illis debet ineſſe. oportet ergõ D. Thom. Durandus.

Digitized by Google

go Deum, malum naturæ, & moris intelligere;
D.Thom. de qua re videri poteſt D. Thom. 1. cont. Gent. cap.71.

Pro ſolutione argumenti declarandum eſt, quónam modo Deus intelligat malum, præcipuè loquendo de malo morali, nam de malo naturæ non eſt tanta difficultas. Sciendum igitur, quod, vt ait Philoſophus in 1. de Anima text.85. recto ipſum rectum cognoſcimus, & ipſum obliquum: quam doctrinam inſtituto præſenti Theologi accommodantes aiunt, Deum malum intelligere, non quidem per ſpeciem ipſius mali, ſed per ſpeciē boni, cuius ipſum malū eſt priuatio: éſtque do-
Dionyſ. ctrina Dion. c.7. de diuinis nominibus, dicētis: *Sicut lumen, ſi eſſet cognoſcitiuum, cognoſceret tenebras, nō per aliud medium, quàm per ſeipſum: ſic Deus bonitas exiſtens, cognoſcit malum, quod eſt priuatio boni, ſicut tenebræ ſunt priuatio lucis.* Scio, eſſe inter Doctores aliquam controuerſiam, an Deus cognoſcat malum per bonum propriæ eſſentiæ, an per ſpeciem illius boni particularis, cuius malum particulare eſt priuatio, in qua ſecunda opinio affirmans, cognoſci malum per ſpeciem boni particularis, cuius eſt priuatio, videtur probabilior, tanquam ea,
D.Thom. Durandus. quæ eſt ad mentem D. Thomæ dicta q.14. art.10. ad ſecundum & tertium, & Durandi loco citato: quanuis vtraque opinio vera ſit, & neutra perſe ipſa ſufficiens: non enim cognoſcit Deus malum, vt eſt priuatio huius, vel illius boni particularis, niſi per ſuam eſſentiam, vt fons eſt omnis bonitatis: neque cognoſcit, malum eſſe priuationem huius, vel illius boni particularis per ſolam ſuam eſſentiam, non cognito hoc, vel illo bono particulari.

His præſuppoſitis ad argumentum negatur minor. Ad probationem reſpondetur, Ariſtotelem, & Auerroem nullam rationem ſufficientem attuliſſe. Eorum enim rationes ſunt: prima quia Deus eſſet autor iniuſtitiæ. At hoc non ſequitur, vt ſtatim dicemus ad probationem. Item quia non decet diuinam maieſtatem hæc infima mirari. Sed nos reſpondemus, nullam indecentiam tribui diuinæ maieſtati, ſi dicamus, illam omnia quanuis minima penetrare, & intelligere. Et certè quis hominum quantæcunque maieſtatis non cuperet omnia ſcire? Quis Regum, aut Principum non maximopere optaret, omnia, quæ in eius ditione ab eius ſubditis, immò in toto orbe fiunt, noſſe? Ad autoritatem verò Habacuc reſpondet Durandus, illa verba non eſſe intelligenda de ſcientia ſimplicis intelligentiæ, neque de ſcientia viſionis, ſed de ſcientia approbationis, qua Deus illa ſolùm dicitur noſſe, quæ ſibi placent. éſtque locutio perſimilis illi apud Matthæum c.25. cùm dicitur virginibus fatuis à ſponſo, *Neſcio vos*, & ſuprà c.7. cùm in die iudicij dicturus eſt Chriſtus pſeudo prophetis, *Quia nunquam noui vos.*

Ad confirmationem reſpondetur, Deum cognoſcere malum, quatenus eſt cauſa non ipſius mali, ſi ſit malum culpæ, & moris, ſed quatenus eſt cauſa boni, quo creatura priuatur per illud malum.

V. Sextum argumentum. Omnis ſcientia, vel eſt cauſa rerum, vel eſt cauſata à rebus: at ſcientia viſionis, quam nos ponimus in Deo, non eſt cauſata à rebus, vt notum eſt, neque etiam eſt cauſa rerum, quia ſcientia viſionis non cauſat proprium obiectum, ſed illud neceſſariò ſupponit, ſicut viſus ſupponit obiectum viſibile.

Reſpondeo, illam propoſitionem à nonnullis gratis aſſumi, vt veram, quam conſtat falſam eſſe, nam ſcientia viſionis Angelica neque eſt à rebus accepta, cùm intelligat Angelus per ſpeciem ſibi concreata: neque eſt cauſa rerum ſcitarum, cùm Angelus multa intelligat, quorum non eſt cauſa. Eodem itaque modo proportionabiliter loquendo de ſcientia Dei, etſi ſit in Deo aliqua ſcientia, quæ eſt cauſa rerum, tamen ſcientia viſionis, qua cognoſcit Deus futura contingentia, vt futura ſunt, & omnia alia, quæ aliquando futura ſunt extra Deum in rerum natura, non eſt cauſa rerum, vt ſic, quia ordine rationis ſupponit ipſas res, ſicut potentia viſiua ſupponit obiectum viſibile, neque etiam eſt cauſata ab ipſis rebus.

Septimum argumentum ſumitur ex repugnan- VI.
tia, quam habent ſingularia materialia generabilia, & corruptibilia ad eſſe intelligibilia. Singulari materiali generabili & corruptibili repugnat formaliter intelligibilitas. Ergo cuicúque intellectui comparatum, etiam diuino, illud erit inintelligibile. Antecedens probatur, quia materia eſt cauſa vt res ſit in intelligibilis, & ad hoc, vt fiat intelligibilis, oportet illā abſtrahere à materia, & illius conditionibus, & quanto ampliùs aliquid aſſimilatur naturæ intellectuali, & illam participat, tantò magis elongatur, & expoliatur à materialitate: ſed ſingulare eſt ſingulare per materiam. ergo ſingulari vt ſingulare eſt, repugnat intelligibilitas.

Reſpondeo in argumento minorem propoſitionem aſſumptam eſſe valdè dubiam, & à pleriſque tum Philoſophis, tum etiam Theologis negari, nempe quòd ſingulare, vt ſingulare eſt, ſit tale per materiam. Nihilominus, quia eſt ad mentē D.Th. D.Thom.
cuius doctrinam in hoc veriorē exiſtimo, loquendo de ſingularibus materialibus, eſt enim expreſſa ſententia Ariſtotelis in 5. Metaph. text.12. vbi ait, Ariſtotel.
vnum numero eſſe per materiam. quod dictum non poteſt aptè gloſſari cum Scoto de materia to- Scotus.
tius, quam ille vocat hecceitatem, cùm Ariſtoteles ibi loci loquatur de materia, quæ conſtituit quartum genus cauſæ, ab aliis tribus diſtinctum; ideo admiſſa minori propoſitione, reſpondetur maiorem propoſitionem, ſi quid veritatis habet, ſolùm veram eſſe de notitia abſtractiua, qua cognoſcitur aliquid per ſpecies abſtractas ab obiecto mediante opere intellectus agentis: non autem de notitia intuitiua, qua cognoſcitur res non per ſpeciem ab obiecto acceptam, ſed ipſi intellectui inexiſtentem, qualis eſt notitia diuina.

Addo etiam loquendo de cognitione abſtractiua, non repugnare abſolutè ſingulari vt ſingulare eſt, aliquo modo cognoſci ab intellectu noſtro: nam eſto non ſit cognoſcibile notitia directa, eſt tamen cognoſcibile cognitione reflexa ipſius intellectus ſeſe reflectentis ſuper phátaſmata. Neque puto, hoc negare D. Thomam, & hoc pacto intellecta opinio illius, immunis euadit à moleſtiis Greg. Ariminenſis in 1. diſ.3.q.3.a.2. & aliorum. Greg.Arim.

Octauum argumentum. Generabilium, & corruptibilium non eſt ſcientia, quatenus talia ſunt: at multa ſingularia ſunt generabilia, & corruptibilia. Maior probatur, quia variato obiecto variatur, & deſtruitur ſcientia.

Reſpondetur, ſcientia, quæ eſt per ſpeciem acceptam ab obiecto, variatur variato obiecto: at ſcientia, quæ eſt per ſpeciem æternam, & omnino inuariabilem, non neceſſariò variatur, obiecto variato.

Nonum. Infinito, vt infinitum eſt, repugnat eſſe VII.
cognoſcibile: at ſingularia ſunt infinita. Ergo ſal-

tem

tem non omnia ſunt cognoſcibilia:& cùm non ſit maior ratio de vno,quàm de altero, ſi aliqua non ſunt cognoſcibilia; ergo nullum eſt cognoſcibile. Minor probatur,quia ſuppoſita mundi æternitate, quam ſupponunt Philoſophi, cum quibus diſputamus, ſingularia cuiuſlibet ſpeciei ſunt infinita: & dato quòd mundus non ſit æternus, vt volunt Chriſtiani, ſaltem negari non poteſt, in ſpeciebus, & indiuiduis numerorum, & in diuiſione continui poſſe fieri progreſſum vſque in infinitum.

Reſpondeo, tota difficultas quæ eſt in hoc argumento, & eiuſdem argumenti ſolutio pendet ex ſolutione huius quæſiti, An, & quomodo Deus poſſit facere infinitum. Si enim infinitum actu facere poteſt,quis dubitat, illum infinitũ actu poſſe intelligere?Et ſi id efficere minimè poteſt,quis dubitet,etiam illum infinitum actu non poſſe intelligere? Vtrùm autem Deus id efficere poſſit, ipſe nouit. Certè ſi non poteſt, hoc non eſt ex diuina impotentia, ſed ex repugnantia quæ eſt in creatura,quæ ex eo, quod creatum eſſe habet, infinitum habere non poteſt. De hac re diſputat pluribus
D.Thom. D. Thomas de veritate q.2. a.10. Nunc ad argumentum primò negamus, mundum eſſe æternum, & ſic negamus indiuidua cuiuſlibet ſpeciei eſſe, vel fuiſſe, vel futura infinita. Ad alias probationes ſumptas ex progreſſu in infinitum in ſpeciebus numerorum, & diuiſione continui,reſpondetur,eo modo,quo in ſpeciebus numerorum,& diuiſione continui, datur infinitum, eo modo illud eſſe cognoſcibile à Deo: non autem datur infinitum in actu, &, vt aiunt, phyſicè, ſed ſolùm in potentia, & mathematicè: & ita Deus cognoſcit infinitum non in actu, ſed in potentia, ita tamen, vt ly *in potentia*, determinet rem cognitam,non autem modum cognoſcendi: Et ſit ſenſus, quòd Deus cognoſcit, in numeris poſſe fieri progreſſum infinitum, quamuis cognoſcat non eſſe actu numeros infinitos, & in diuiſione continui poſſe fieri progreſſum in infinitum, quamuis cognoſcat nõ eſſe actu infinitas partes continui. hoc tamen non eſt cognoſcere infinita in actu, quia diuinus intellectus cognoſcit res prout ſunt in actu,vel prout per aliquã potentiam ſunt reducibiles de potentia ad actum. Per nullam autem potentiam iſte progreſſus in infinitum in ſpeciebus numerorum, & diuiſione continui eſt reducibilis in actum.

Quòd ſi intellectus in hac reſponſione adhuc non quieſcit,dicamus cum D. Thoma loco proximè citato,duobus modis poſſe intelligi infinitum, vno modo per modum infiniti ſemper accipiendo partem poſt partem: alio modo per modum finiti, vnico actu accipiendo omnes partes ſimul. Deus intelligit infinitas partes continui, & infinitas ſpecies numerorum. non primo modo, quia hoc repugnat naturæ ipſius infiniti, ſed ſecundo modo, ſecundùm quem non repugnat infinito, quale eſt continuum, & numerus, eſſe cognoſcibile, maximè ab intellectu diuino, qui eſt infinitus.

VIII. Contra ſecundam propoſitionem eſt primum
Auguſtinus. argumentum ſumptum ab autoritate D.Auguſtini lib.83. quæſtionum q.46. vbi ait, ſacrilegum eſſe dicere,Deum aliquid extra ſe poſitum intueri.Hic modus loquendi indicat, Deum non intueri creaturas,vt ſunt extra Deum,ſed vt ſunt in Deo. Cõ-
D.Thom. ſentit D.Thom.1. part.q.14.a.5. dicens: *Deus videt ſeipſum in ſeipſo, quia ſe videt per eſſentiam ſuam: alia autem videt non in ſeipſis,ſed in ſeipſo in quantum eſſentia ſua continet ſimilitudinem aliorum à ſeipſo.* Subſcribit Scotus pluribus in locis citatis à Ioanne Rada controuerſia 29.a. 1.concl.7.
Scotus. Rada.

Reſpondeo, Auguſtinum, & D. Thomam, & ſi quis eſt alius Doctor probatæ autoritatis, ſic eſſe exponendos, vt loquantur de eo, quod per diuinum intellectum cognoſcitur,tanquam obiectum primarium & adæquatum, & per propriam ſpeciem: non autem per ſpeciem alienam.Et illæ particulæ,*in ſe, extra ſe*, denotant medium cognoſcẽdi, non autem terminum cognitionis, vt ſit ſenſus, Deum nihil extra ſe poſitum cognoſcere in ſpecie,quæ ſit aliquid extra Deum, ſed omnia cognoſcere in ſeipſo, id eſt, in ſpecie, quæ eſt intra ipſum,quæ eſt diuina eſſentia. Signanter verò ad autoritatem Auguſtini, qua nonnulli ad ſenſus nunquam ab autore intentos abuntur,dico,ſenſum clarum, & apertum verborum illius in eo loco eſſe,Deum in rebus creandis nihil extra ſe poſitum aſpexiſſe, tanquam exemplar, ad cuius imitationem res crearet.

Secundum argumentum. Quod videtur in ſpe- IX.
culo, non videtur in ſeipſo, niſi notitia reflexa, creaturæ videntur in diuina eſſentia tanquam ſpeculo, quemadmodum dicit Concil. Senonenſe in Concil. Se-
decretis ſuæ fidei cap.13. Auguſtinus in libro de nonen.
triplici habitaculo cap. vltimo: & D. Thomas 1. Augu.
part.q.12.a.8.ad 2.& q.14. a.5. in corpore, & vi- D.Thom.
detur eſſe communis modus loquendi ſanctorum Patrum, qui vocant diuinam eſſentiam ſpeculum voluntarium, immo diuinæ Scripturæ in lib. Sapientiæ c.7. vbi ſapientia increata vocatur ſpeculum ſine macula.

Reſpondeo,ſi propriè loquamur, creaturæ potiùs dicuntur ſpeculum diuinitatis, aut rerum diuinarum, quàm Deus ſpeculum creaturarum.Vnde & D. Paulus in prima ad Corinth. cap.13. notitiam, quam hîc habemus de Deo mediantibus creaturis, vocat notitiam per ſpeculum, ob rationes, quas inferiùs cap.8. adducemus. Quare autoritates in contrarium adductæ exponendæ ſunt ſecundùm ſenſum metaphoricum, non ſecũdùm proprietatem. Attenditur autem metaphora, quoad hoc, quòd quemadmodum res in ſpeculo videntur clarè, & diſtinctè: ita creaturæ in diuina eſſentia clariſſimè, & diſtinctiſſimè repræſentantur. Filius verò dicitur ſpeculum ſine macula, quia per generationem accipit eſſentiam, quæ eſt omnium repræſentatiua; vel quia eſt imago expreſſa omnium intelligibilium, quia producitur ex notitia omnium intelligibilium, & eſt illorum repræſentatiua per modum verbi mentalis.

Tertium argumentum. Notitia intuitiua neceſ- X.
ſariò requirit actualem exiſtentiam rei, ad quam illa terminatur; ſed Deus multa cognoſcit, quæ actualiter non exiſtunt. non ergo terminatur illorum notitia ad illa, vt ſunt in ſe ipſis. Hoc videtur principale motiuum Ioannis Radæ.

Reſpondeo,illam maiorem propoſitionem poſſe habere duplicem ſenſum: primus eſt, quòd notitia intuitiua ita requirat actualem rei exiſtentiam, vt in eadem temporis differentia vtrumque ponatur,& auferatur, & hunc ſenſum videtur accipere arguens,qui falſus eſt,quoniam ſequeretur, Deum multarum rerum, quæ fuerunt, aut quæ futuræ adhuc ſunt, notitiam intuitiuam non habere. Alter ſenſus eſt, quòd notitia intuitiua debet attingere eſſe rei non ſolùm futurum, quod habet in cauſa,ſed etiam eſſe præſens actualis exiſtentiæ,quod habebit res extra ſuas cauſas, & hic

ſenſus

ſenſus eſt verus: & hoc modo dicitur habere Deus notitiam intuitiuam etiam de non exiſtentibus: quia licèt modò Antichriſtus non exiſtat, tamen ille tuitus diuinus, qui vnico ictu in nunc æternitatis fertur ſuper omnes temporis differentias, præueniens quodammodo rei euentum, videt, illud eſſe, quod habebit Antichriſtus, quando erit in rerum natura, ſicut dicit D. Thom. 1. part. q. 14. art. 13. D. Thom.

Quartum argumentum. Notitia intuitiua, qua videtur res in ſeipſa, neceſſariò pendet ab obiecto, & illo variato, etiam ipſa variatur: at notitia, quam Deus habet de creaturis, non pendet ab illis, neque variatur ad illarum variationem: ergo non intuetur Deus illas, vt ſunt in ſeipſis.

Reſpondeo, illam maiorem propoſitionem ſolùm veram eſſe de notitia obiecti primarij, & adæquati, non autem de notitia obiecti ſecundarij, & inadæquati, quale obiectum ſunt creaturæ: nam variato obiecto ſecundario non variatur notitia, aut ſi variatur, non variatur quoad ſubſtantiam actus, ſed ſolùm quoad reſpectus rationis. Quæ reſponſio vt meliùs intelligatur, notandum, Ludouicum Molinam 1. part. q. 14. a. 5. ad prim. argumentum Aureoli admittere, notitiam diuinam, quoad illos reſpectus rationis, quos ſupra ſubſtantiam actus addit ad creaturas, prout ſunt cognitæ ab intellectu diuino, pendere aliquo modo à creaturis, vt à termino relationis, & variato eſſe creaturarum variari etiam eoſdem reſpectus rationis, quam doctrinam nonnulli recentiores multipliciter impugnant. Nihilominus dici poteſt ſine ſcrupulo erroris, notitiam diuinam, quoad reſpectus rationis, quos dicit ad creaturas, pendere ab illis aliquo modo, non quidem vt effectum à cauſa, ſed vt relatiuum à correlatiuo, & relationem à termino: & variato termino relationis variari etiam reſpectus ipſos. Mihi enim ſine ſophiſmatibus pluſquam certum eſt, nunc Deum non videre Adamum, vt futurum, ſed vt præteritum: & modò videre Antichriſtum vt futurum, & quando Antichriſtus extiterit, non ampliùs illum viſurum, vt futurum. Ludouicus Molina.

Si quis verò horreat admittere, diuinam notitiam pendere à creatura ſecundùm iſtos reſpectus rationis, dicat, quòd licèt diuina notitia non pendeat à creatura: tamen eſſe ipſius creaturæ eſt conditio neceſſariò requiſita ad hoc, vt creatura poſſit eſſe terminus diuinæ notitiæ certę, & infallibilis. Quod erit eandem rem dicere, ſicut nonnulli recentiores dicunt, ne videantur cum Molina conuenire.

CAPVT VI.

Secundum dubium proponitur, An Deus videat creaturas immediatè in ſeipſis: & reſoluitur.

I. SEcundum dubium principale, ſpectans ad hãc primam controuerſiam eſt, An Deus videat creaturas in ſeipſis immediatè. Accipimus verò hoc aduerbium, *immediatè*, non quatenus ſignificat negationem cuiuſcunque medij, ad cognoſcẽdum creaturas in ratione ſpeciei intelligibilis, hoc enim pacto certum eſt, Deum creaturas non cognoſcere immediatè in ſeipſis, ſed tantùm mediãte ſua eſſentia, vt ſatis oſtendimus: ſed accipimus ly *immediatè*, quatenus ſignificat negationem cuiuſcunque medij in ratione formæ priùs intellectæ ad cognoſcendum ipſas creaturas, vt ſit ſenſus, An Deus cognoſcat creaturas immediatè in ſeipſis ſine eo, quòd videat illas in alio obiecto priùs viſo, eſto non videat illas per ſpeciem à creaturis acceptam, ſed per ſuam eſſentiam, ad eũ modum, quo Angelus videt creaturas immediatè in ſeipſis: licèt non videat illas per ſpecies acceptas ab eiſdemmet creaturis.

Circa hoc dubium eſt prima opinio affirmans, Deum cognoſcere quidem creaturas in diuina eſſentia, quatenus particula *in eſſentia*, dicit medium cognitionis, quod eſt ſpecies intelligibilis, non autem quatenus dicit medium, quod eſt forma priùs intellecta, nam hoc modo cognoſcit creaturas immediatè in ſeipſis, ſicut etiam Angelus per ſpeciem concreatam cognoſcit alias creaturas immediatè in ſeipſis. ita videntur ſenſiſſe Gulielmus Okam in 1. diſ. 35. quæſt. 3. & Gabriel ibidem art. 2. concl. 2. Gabriel Vaſquez 1. parte diſputatione 60. cap. 1. in eandem opinionem nititur deducere Aureolum apud Capreolum eadem diſt. quæſt. 2. art. 1. in argumentis contra primam concluſionem, & Scotum eadem diſ. quæſt. 1. §. *Ad iſta.* ex eo, quod Scotus dicit per diuinam eſſentiam diuinum intellectum ſufficienter conſtitui in actu primo in ordine ad quodcunque intelligibile. Verùm ex hoc non ſatis probatur, hanc fuiſſe mentem Scoti: quia Scotus non dicit, intellectum diuinum per ipſam eſſentiam non conſtitui in actu primo omnino abſque vllo ordine in repræſentando: immò cùm dicat, Deum in primo ſigno rationis ſolùm ſuam eſſentiam intelligere, in ſecundo verò creaturas, videtur diuina eſſentia conſtituere diuinum intellectum in actu primo cum aliquo ordine prioris & poſterioris in repræſentando. Gulielmus Okam. Gabriel. Aureolus. Scotus.

II. Nazarius eadem 1. part. quæſt. 12. art. 8. contr. 2. in principio in eandem ſententiam deducit Ferrarienſem in 3. contra Gentes cap. 56. & Alexandrum Peſantium eadem quæſt. 12. art. 10. & reuera fatetur Peſantinus, diuinam eſſentiam eſſe ſpeciem repræſentatiuam creaturarum immediatè, ſicut ſpecies exiſtens in intellectu Angelico repræſentans naturam animalis, immediatè repræſentat omnia individua ſub illo contenta. immo addit, quòd ſicut ſpecies Angelica repræſentat intellectui Angelico alias creaturas, quamuis Angelus non ſit illarum cauſa: ita diuina eſſentia eſſet ſpecies ſufficiens repræſentare omnes creaturas diuino intellectui, etiamſi Deus non eſſet illarum cauſa, ob perfectionem eiuſdem diuinæ eſſentiæ in repræſentando. Nazarius. Ferrariẽſis. Alexander Peſantius.

Gabriel Vaſquez in eadem diſputatione 60. expreſsè negat creaturas videri in diuina eſſentia, tanquam in cauſa aut obiecto priùs cognito, ſic enim dicit cap. 2. num. 7. *Ex duobus igitur, quæ continet noſtra ſententia, priùs in hoc capite à nobis probandum eſt, videlicet Deum non videre creaturas in ſeipſo ſicut in cauſa, & obiecto primario priùs cognito.* Quare licèt inferiùs dicat, Deum videre creaturas in ſeipſo quaſi in verbo, & in ſpecie expreſſa, tamen neque illa viſio poteſt eſſe primaria, neque directa: quia verbum eſt terminus ipſius notitiæ rei productus per notitiam ipſius rei; vnde prior eſt ordine rationis notitia rei, quàm verbum, ſicut productio rei ordine prior eſt re producta. Et creaturæ in verbo non poſſunt videri, vt in medio cognoſcendi, ſed ſolùm, vt in termino cognitionis.

Iſtæ opiniones tum in eo, quod habent commune,

mune, tum in eo, quod eſt proprium ſingularum, ſuas habet rationes, ſed illas inferiùs adducemus ſingulis ſingulas ſolutiones facilioris doctrinæ gratia adhibendo.

III. Ad hoc dubium duo mihi videntur dicenda. Primum, Deum videre omnes creaturas mediante diuina eſſentia tanquam forma priùs intellecta in ratione cauſæ. Hæc aſſertio expreſsè colligitur ex Dionyſ. D. Dionyſio cap. 7. de diuinis nominibus, vbi ſic ait: *Non enim ex exiſtentibus exiſtentia diſcens nouit diuina mens, ſed ex ſeipſa ſecundum cauſam, omnium ſcientiam, & cognitionem, & ſubſtantiam præhabet, & præaccepit, non ſecundum viſionem ſingulis ſe immiſtēs, ſed ſecundùm vnam cauſa continentium omnia ſciens, & continens. Sicut & lumen ſecundùm cauſam per ſemetipſum, tenebrarum præaccepit viſionem, non aliunde videns tenebras, quam à lumine. Igitur ſeipſam diuina ſapientia cognoſcens cognoſcit omnia immaterialiter materialia, & indiuiſibiliter diuiſibilia, & multa vnitiuè in ipſo vno omnia, & cognoſcens, & producens. Etenim ſi ſecundùm vnam cauſam Deus omnibus exiſtentibus eſſe tradidit, ſecundùm eandē cauſam ſcit omnia, ſicut ex ipſo exiſtentia, & quæ in ipſo præexiſterunt: & non ex exiſtentibus ſumet ipſorum cognitionem, ſed & ipſis ſingulis eorum, & aliis aliorum cognitionis erit largitor. Non igitur Deus propriam habet ſuipſius cognitionem, aliam autem communem exiſtentia omnia comprehendentem. Ipſe enim omnium cauſa ſeipſam cognoſcens vacat alicubi, ſi ea, quæ ſunt ab ipſa, & quorum eſt cauſa ignorauerit.* Hæc ille. quibus verbis non hoc ſolùm docet, quòd Deus non accipiat notitiam à rebus, ſed illam ex ſeipſo ab æterno præhabeat, vt contendit Vaſquez: ſed expreſsè quoque docet, Deum cognoſcere res in ſua eſſentia, vt in cauſa, & mediante cognitione ſuiipſius, cognoſcere creaturas. Quid enim aliud volunt dicere illa verba, *Ex ſeipſa ſecundùm cauſam omnium rerum ſcientiam, & cognitionem habet?* Nam apud Philoſophos, & Logicos omnes cognoſcere rem per cauſam, aut ſecundùm cauſam, idem eſt, atque cognoſcere rem in cauſa, & mediante cauſa. Rurſus quid contendit in illis verbis, *igitur ſeipſam diuina ſapientia cognoſcens, cognoſcit omnia immaterialiter materialia*, &c. *in ipſo vno omnia & cognoſcens, & producens?* Quid illa, *Etenim ſi ſecundùm vnam cauſam Deus omnibus exiſtentibus eſſe tradidit, ſecundùm eandem cauſam ſcit omnia, ſicut ex ipſo exiſtentia?* Nónne his loquendi modis dicit, quòd eadem cauſa Deus res producit, & intelligit? Tandem illa vltima verba, *Ipſa enim omnium cauſa ſeipſam cognoſcens vacat alicubi, ſi ea, quæ ſunt ab ipſa, & quorum eſt cauſa ignorauerit.* Quæ alij ſic vertunt, *Ipſa enim ſeipſam omnium cauſa noſcens, nullo prorſus modo ea, quæ à ſe producta ſunt, ignorabit*, hanc veritatem apertè conuincunt. nam ſi Deus in diuina eſſentia non videat res, ſed in ſeipſis immediatè, nulla erit iſta conſequentia, quā facit, Deus eſt cognoſcens ſeipſum vt rerum omnium cauſa; ergo non ignorat ea quæ ſunt producta ab ipſo. Statim enim poterit aliquis reſpondere, quòd conſequentia nulla eſt; nam Deus non videt creaturas in ſe, vt in cauſa, ſed in ſeipſis immediatè, & ideo eſto cognoſcat ſe, vt cauſam, non ſequitur illum cognoſcere creaturas.

Et vt ſemel dicam, ſi Dionyſius voluiſſet conceptis verbis hanc veritatem exprimere, non aliis meliùs, & aptiùs id efficere potuiſſet, quàm dicendo Deum per ſuam eſſentiam, vt per cauſam omnium rerum cuncta videre, aut Deum ſeipſum cognoſcendo omnia noſſe: aut vno cognito, quod eſt ſua eſſentia, omnia intelligere: aut ſcire alia à ſe ſciendo ſe: aut ſicut cauſa vna omnibus rebus ſtatum elargitur, ita causā vnā omnia à ſe perfectè intelligere: aut primam cauſam ſeipſam cognoſcendo, alia à ſeminimè ignorare. Quibus omnibus dicendi modis ille vritur in eo loco.

Eandem veritatem expreſsè docuit D. Thom. 1. part. quæſt. 14. art. 5. & 6. & de veritate quæſt. 2. art. 3. ad tertium & 1. contra Gentes cap. 48. & 49. Immo potiſſimum & vnicum fundamentum, cui nititur ad probandum, quòd Deus habeat omnium rerum notitiam, & perfectam, & diſtinctam, eſt illud, quia qui comprehendit aliquid perfectè, comprehendit totam illius virtutem, & qui totam virtutem comprehendit, cognoſcit omnia, ad quæ illa virtus ſeſe extendit, & qui cognoſcit perfectè aliquid, cognoſcit omnia quę cōtinētur in illo, & diuina virtus ſe extēdit ad omnes creaturas, & omnes creaturæ cōtinētur in diuina eſſentia; & ideo cognoſcendo ſe, omnes creaturas neceſſariò cognoſcere debet. Eſtque res in doctrina D. Thomæ adeò conſpicua, vt mirum ſit, tentaſſe hominem non mediocris eruditionis illius verba in contrarium ſenſum detorquere. Eidem ſententiæ ſubſcripſerunt Alexander Alenſis 1. part. quæſt. 23. memb. 2. a. 1. Ægidius in primo diſt. 35. quæſt. 3. Durandus, & Argentinenſis ibidem, & diſcipuli D. Th. 1. part. q. 14. a. 5. & 6. & in primo contra Gentes c. 48. vbi Ferrarienſis, & nouiſſimè Suarez lib. 3. de Attributis c. 2.

IV. D. Thom. Alexander Alenſis. Ægidius. Durandus. Argentinēſ. Ferrariēſis. Suarez.

Probatur verò hæc aſſertio, quia cognitio rei per cauſam ex omnium ſapientum conſenſione eſt omnium perfectiſſima, & nobiliſſima. ergo non debet intellectui diuino denegari.

V.

Secundò, cognitio comprehenſiua rei attingit rem ſecundùm omnia illa, quæ in re continentur tanquam in cauſa, & in ente ſuperiori, à quo illa dependent: ſed Deus ſuiipſius habet notitiam comprehenſiuam, & in ſe continet omnes creaturas, tanquam cauſa effectus: Ergo fieri nequit, Deum creaturas non cognoſcere in ſeipſo, vt in cauſa.

Tertiò, qualem ordinem habet ſpecies intelligibilis in repræſentando, talem habet diuinus intellectus in intelligendo: at diuina eſſentia eatenus eſt repræſentatiua creaturarum, quia eſt repræſentatiua ſuiipſius, vt cauſæ cōtinentis creaturas, alius enim modus repræſentandi creaturas adhuc à Doctoribus excogitatus non eſt. ergo diuinus intellectus eatenus ſua notitia attingit creaturas, quatenus attingit ſuam eſſentiam, vt cauſam continentem ſua virtute ipſas creaturas.

Secunda propoſitio, Deus nullo modo videt creaturas immediatè in ſeipſis, ſi particula iſta *immediatè*, ſignificet negationem medij, quo creatura cognoſcitur in ratione formæ priùs intellectæ: Hæc propoſitio aſſeritur contra Vaſquez, qui d. diſput. 60. cap. 2. n. 7. abſolutè contendit, Deum videre creaturas in ſeipſis, non autem in diuina eſſentia, vt in obiecto priùs cognito, & contra alios autores in initio capitis relatos, & etiam contra Suarez, qui licèt conſentiat, hanc propoſitionem probabilem eſſe, & fortè probabiliorem; ait tamen oppoſitam ſententiam, quæ docet creaturas videri immediatè in ſeipſis, non carere ſua probabilitate, ſed eam prorſus improbabilem eſſe ſic demonſtro. Diuina cognitio non poteſt declinare à notitia immediata diuinæ eſſentiæ, ſed notitia immediata diuinæ eſſentiæ eſt notitia mediata creaturarum, cùm ſit notitia comprehenſiua: & vnica eſt tantùm in Deo cognitio, cáque ſimpliciſſima.

VI. Vaſquez. Suarez.

Ergo non poteſt eſſe in Deo notitia creaturarum immediata, ſed omnis talis notitia eſt mediante notitia immediata ipſius diuinæ eſſentiæ.

Dicetur, quòd licèt notitia diuina ſit vna ſecundùm rẽ, eſt tamen duplex ſecúdùm rationẽ. Cõtrà, vel per notitiam immediatam creaturarum, quam fingis in Deo, ille videt idem, quod videt per notitiam mediatam, vel plus, vel minus. Si idem, ergo iſta notitia immediata eſt ſuperflua, & ſine cauſa excogitata. Si plus, ergo notitia immediata ſuipſius, quæ eſt mediata creaturarum, non eſt comprehenſiua, & vndequaque perfecta, quod dicere eſt abſurdum. Si minus, ergo notitia immediata creaturarum eſt imperfecta, & ſine cauſa excogitata, cùm per illam nihil plus videatur, quàm ſine illa, immò multò minus.

Dicetur, quòd nihilominus debet poni in Deo iſta notitia immediata creaturarum, quia illa pertinet ad perfectionem diuinæ cognitionis.

Contrà, licèt videre aliquid immediatè, dicat perfectionem, prout ſignificat idem, quod non videre rẽ ſolùmodo in ſpeculo, vel in imagine repreſentante, ſed attingere rem immediatè per actum ipſius notitiæ, quo pacto dicimus quod perfectiùs videt hominẽ homo in ſeipſo, quàm in eius imagine in tabula, vel in pariete depicta: tamen videre creaturas immediatè, per negationem medij in ratione cauſæ priùs cognitæ, in Deo non ſolùm non dicit perfectionem, ſed potiùs denotat imperfectionem: quia repræſentare aliquam creaturam immediatè eſt perfectio neceſſariò coniuncta cum imperfectione, quæ imperfectio eſt habere eſſe cauſatum, & dependens; & ob hanc cauſam ſpecies Angelica repræſentat alia à ſe immediatè, vt ſequenti dicetur.

VII. Præterea diuina eſſentia non poteſt in ratione ſpeciei intelligibilis vllo modo repræſẽtare creaturas immediatè. ergo diuinus intellectus creaturas immediatè non poteſt intelligere. Probatur antecedens. Omnis repræſentatio fit per aſſimilationem formæ repræſentantis ad rem repræſentatam: ſed omnis aſſimilatio formæ ad rem repreſentatam oritur, vel ex eo, quia forma repræſentans eſt effectus rei repræſentatæ: huiuſmodi eſt ſpecies viſibilis impreſſa ab obiecto in oculo: vel quia ipſa forma eſt cauſa rei repræſentatæ, quo pacto forma domus fabricandæ exiſtens in mente artificis eſt repræſentatiua eiuſdem domus fabricandæ: aut quia vtrunque eſt effectus vnius, & eiuſdem cauſæ, quo pacto ſpecies angelica repræſentat, & aſſimilatur homini, leoni, &c. quia vtrunque eſt effectus Dei. modò diuina eſſentia nullo alio modo poteſt creaturam ſibi aſſimilare, niſi per modum cauſæ. ergo nullo modo poteſt eſſe ſpecies intelligibilis repræſentatiua creaturę, niſi quatenus induit rationem cauſæ. Et ſic intellectus diuinus non poteſt per diuinam eſſentiam creaturas intelligere, niſi ipſa diuina eſſentia priùs intellecta in ratione cauſæ.

CAPVT VII.

Argumenta contra doctrinam capite præcedenti traditam afferuntur, & ſoluuntur.

I. COntra doctrinam capite ſuperiori traditam eſt primum argumentum. Creaturæ in diuina eſſentia, vt in cauſa quantumuis perfecta non habent eſſe proprium formale, & diſtinctum, ſed ſolùm eſſe virtuale, & eminentiale, & indiſtinctũ. ergo ſi creaturæ ſolùm videntur in diuina eſſentia, non autem in ſeipſis immediatè, ſequitur, Deum nunquam intelligere creaturas diſtinctè, & ſecundùm eſſe proprium, & formale ipſarum creaturarum. Conſequens verò eſt abſurdum. Ergo & antecedens.

Reſpondeo, argumentum nullius eſſe momenti, quod ſolutum eſt à D. Thom. d. q. 14. a. 6. ad primum. iuxta cuius doctrinam dicimus, quòd quando Doctores aiunt, creaturas videri à Deo ſecundùm quòd ſunt in diuina eſſentia, iſtud dictum ſecundùm quòd ſunt in diuina eſſentia, duobus modis intelligi poteſt, vno modo, vt dicat modum cognoſcentis: alio modo, vt dicat modum rei cognitæ. Creaturæ igitur non dicuntur intelligi à Deo ſolùm ſecundùm quòd ſunt in Deo, quatenus ly, *ſecundùm quòd*, denotat modum rei cognitæ, quia hoc pacto videntur etiam, vt ſunt in ſeipſis, ſed ſolùm quatenus denotat modum cognoſcentis, & ex hoc non ſequitur, quòd non cognoſcat creaturas ſecundùm illarum eſſe proprium, & formale & diſtinctum.

Secundò argumentatur Vaſquez, ad probandum creaturas non cognoſci in diuina eſſentia tanquã in cauſa. Etiamſi Deus non eſſet omnipotens, adhuc eſſet omnia ſciens. ergo ad hoc vt cognoſcat creaturas, non eſt neceſſe, vt cognoſcat ſuam eſſentiam, vt omnipotentem. ergo neque vt cauſam, quia potentia eſt de ratione cauſalitatis. Probatur antecedens, quia attributum ſcientiæ noſtro modo intelligendi non fundatur in attributo omnipotentiæ, neque ex illo intrinſecè dependet, neque illud ſupponit: immo attributum omnipotẽtiæ intrinſecè ſupponit attributum ſcientiæ, quia Deus ſua infinita ſcientia dicitur omnia poſſe, vel tanquam principio proximo, vel tanquam principio dirigente. II. Vaſquez.

Reſpondeo, negando antecedens, ſicut ab omnibus negatur, & ad probationem illius adhuc negatur, attributum ſcientiæ ſaltem quatenus includit reſpectum ad creaturas, non fundari noſtro modo intelligendi in attributo omnipotentiæ: ſi enim Deus non eſſet potens producere creaturas, creaturæ non eſſent ſcibiles, & non eſſet ſcientia illarum. Quare ſcientia creaturarum vt poſſibilium neceſſariò fundatur in diuina omnipotentia, & non eſt ab omnibus conceſſum, quòd Deus cõſtituatur formaliter omnipotens per ſcientiã, quia illa non videtur ad omnipotentiam ſpectare, niſi per modum dirigentis: & dato quòd ſpectet ad omnipotentiam, implicat eſſe omniſcientem, & non eſſe etiam omnipotentem.

Tertiò arguit. Nullum obiectum vt priùs cognitum poteſt eſſe medium cognoſcendi aliud quidditatiuè, & ſecundùm proprios conceptus formales, niſi contineat in ſe totam rationem illius, & ſit eiuſdem omnino rationis cum illo: at diuina eſſentia non continet in ſe formaliter omnes rationes creaturarum, neque eſt eiuſdem rationis cum illis, immo omnino diſſimilis. non igitur poſſunt creaturæ diſtinctè cognoſci in diuina eſſentia, vt obiecto priùs cognito. III.

Reſpondeo, negando maiorem tanquam abſolutè falſam. nam ad hoc, vt aliquid poſſit eſſe, vt obiectum priùs cognitum, medium ſufficiens ad ducendum in cognitionem alterius, non neceſſe eſt, vt contineat illud formaliter, neque, vt ſit illi ſimile in eſſendo, ſed ſufficit, vt contineat illud virtualiter, & ſit eiuſdem rationis in repræſentando ſaltem virtualiter.

Quartò arguit. Vnum priùs cognitũ non ducit

in

in cognitionem alterius, nisi illius, ad quod habet relationem; sed diuina essentia est omnino absoluta ab omni relatione ad creaturas. Non igitur potest vt prius cognita ducere nos in cognitionem creaturarum.

Respondeo, negandam omnino esse maiorem propositionem, vt absolutè falsam, cuius falsitatem probat Nazarius 1. part. quæst. 12. art. 8. concl. 1. §. *Quarto fciendum*, tribus rationibus, & quidem doctè. Nazarius.

Quintò arguit pro eadem sententia Vasquez. Species existens in intellectu Angelico est immediatè repræsentatiua earum rerum, quarum est species. ergo multo magis hoc præstare poterit diuina essentia respectu creaturarum. Probatur sequela, quia quòd species Angelica possit immediatè repræsentare, hoc non aliunde habet, nisi ex eo, quia est exẽplata ad exemplar essentiæ diuinæ: igitur si species Angelica potest immediatè creaturas repræsentare, cur non multo magis id facere potest essentia diuina?

Respondetur negando sequelam, & ad probationem dicitur, speciem Angelicam esse exemplatam ad exemplar diuinæ essentiæ, quoad aliqua, nó quoad omnia, sicut potest participare diuinã perfectionem, quoad aliqua, non quoad omnia. Imitatur ergo species Angelica diuinam essentiam, quoad actum repræsentandi, non autem quoad modum repræsentandi; quia repugnat illi talis modus repræsentãdi ex eo, quòd est species creata.

IV. Sextò arguitur contra respõsionem ad quintum & pro eadem sententia. Diuina essentia continet omnem virtutem, & perfectionem creaturæ, & omnem gradum, & modum essendi illius: sed speciem Angelicam esse immediatè repræsentatiuam creaturarum, est aliqua virtus & perfectio, & gradus, & modus essendi creaturæ. Ergo continetur in diuina essentia.

Respondeo, non omnem perfectionem, quæ est in creatura, contineri formaliter in Deo, sed eas solùm, quæ dicunt perfectionem non admixtam cum imperfectione. Modò repræsentare creaturas immediatè est perfectio admixta cum imperfectione, quæ imperfectio est habere esse causatum, & ab alio dependens: & ideo hæc perfectio non potest tribui diuinæ essentiæ. Deinde dicendum quòd hanc quoque perfectionem habet diuina essentia, sed necesse non est, quòd habeat illam respectu cuiuscunque obiecti, sufficitque, quòd illam habeat respectu obiecti primarij.

D. Thom. Tandem nonnulli arguunt autoritate D. Thomæ, quippequi vbique fateatur, esse in Deo similitudines omnium rerum, & diuinam essentiam esse speciem intelligibilem omnium creaturarum.

Respondeo hoc admisso, non sequi, quod intenduntur: nam D. Thom. sufficienter satis exponit, quánam ratione diuina essentia sit species repræsentatiua creaturarum, & quónam ordine Deum, & creaturas repræsentet, vt nullus maneat in eo dubitandi locus.

Quibus omnibus adiicio, duobus adhuc modis posse aliquod obiectum dici visum immediatè in seipso: vno modo per negationem cuiuscunque medij in ratione obiecti prius cogniti, per quod illud cognoscatur, & hoc pacto creaturæ non videntur à Deo immediatè in seipsis, sed mediante diuina essentia. Alio modo, quia intellectus sua cognitione pertingit vsque ad illud immediatè, & videt illud in se prout est in seipso, & non solùm in aliquo obiecto repræsentante; quo pacto Cæsar non dicitur videri in seipso immediatè, quando solùm videtur in imagine sua nummo insculpta; vel quo pacto qui videt imaginem alicuius solùm in speculo, non dicitur, videre illum immediatè, & hoc pacto admitti potest Deum videre creaturas in seipsis immediatè, quia non intuetur illas sola notitia reflexa & indirecta, sed notitia directa attingens illud esse, quod habent in seipsis. Verum quia quando Doctores disputant, an Deus videat creaturas immediatè in seipsis, non hoc posteriori, sed priori modo accipiunt hoc aduerbium, *immediatè*. Ideo absolutè sine declaratione non videtur admittenda ista locutio, Deus videt creaturas immediatè in seipsis, &c.

CAPVT VIII.

Dubium tertium principale proponitur, & tres modi videndi creaturas in diuina essentia referuntur, & expenduntur.

I. TErtium principale dubium spectans ad hanc primam controuersiam, versatur circa modũ, quo repræsentantur diuino intellectui res creatæ per diuinam essentiam, tanquam formam priùs intellectam. Diximus nanque quatuor modis posse concipi diuinam essentiam vti formam priùs, & immediatè intellectã mediante notitia suiipsius repræsentare creaturas, videlicet per modum verbi, seu speciei, & similitudinis expressæ, per modum exemplaris, & ideæ, per modum speculi, & per modum causæ. Cùm autem ex dictis in solutione secundi dubij constet, diuinum intellectum non videre creaturas, nisi in diuina essentia vti forma priùs intellecta, nunc videndum est, an sub omnibus istis rationibus diuina essentia repræsentet creaturas, an sub aliquibus tantùm, & quænam illæ sint. Circa quod sunt variæ Doctorum opiniones.

Prima opinio est, quam tenuit Vasquez dicta disp. 60. vbi reiectis modis dicendi aliorum, docet, intellectum diuinum videre creaturas in diuina essentia, hac sola ratione, quia diuina essentia repræsentat illas per modum verbi mentalis, & similitudinis expressæ: notat enim, quòd quemadmodum duplex est notitia in diuinis, altera notionalis, altera essentialis: ita duplex est verbum, alterum essentiale, alterum notionale. Et quidem verbum notionale est secunda persona diuina, verbum autem essentiale nihil aliud est, nisi ipsa diuina essentia, quatenus est actualis notitia suiipsius, & creaturarum. Notat tamen hic autor ibidem c. 2. n. 6. esse differentiam inter verbum nostrum & verbum diuinum, quòd verbum nostrum non cognoscitur eadem intellectione, qua producitur, verbum autem diuinum, siue essentiale, siue notionale, intelligitur directè eadem intellectione, qua producitur. Quo supposito in tertio capite suam sententiam sic explicat. Diuina essentia non solùm est illa, qua Deus est; sed etiam suiipsius cognitio. ergo non solùm constituit Deũ in ratione Dei, sed etiam constituit illum intelligentem suiipsius, & sic est sibi velut species expressa, & verbum suiipsius. Rursus diuina essentia repræsentat creaturas actu, & est illarum cognitio. Ergo diuina essentia est etiam verbum creaturarum. Hac igitur ratione (inquit) Deus cognoscit creaturas in seipso priùs cognito, non quidem tanquam obiecto primario, & causa, sed tanquam verbo, quod est etiam illarum verbum, & illarum repræsentatiuum. Vasquez.

Addit, quòd quamuis diuina essentia non ducat Deum in cognitionem creaturarum sulùm quatenus ab ipso cognita est, ex eo tamen, quòd constituit Deum primò intelligentem suiipsius, posteriùs constituit illum intelligentem creaturarum, atque hoc posterius ex priori ita pendet, vt per locum intrinsecum sequatur, si essentia non faceret Deum intelligentem sui, non faceret intelligentem creaturarum, non tamen è contra. Hæc est eius sententia illiusmet verbis recitata, secundùm quam Deus dicitur videre creaturas in seipso tanquam in verbo, & similitudine expressa: Et hoc ait esse, quod nonnulli Patres dicunt, creaturas videri in Deo veluti in speculo.

II. Hæc opinio præter quod est soliuaga, non videtur probabilis, primò quia notitia, qua aliquid videtur in verbo, non potest esse cognitio prima, & directa illius; Ergo supponit cognitio rei in verbo aliam notitiam nostro modo concipiendi priorẽ. Antecedens probatur, quia verbum non est mediũ intellectionis, sed terminus per ipsam intellectionem productus, & secundùm veriorem Doctorum sententiam verbum non ponitur vt obiectum repræsentatiuum rei intellectui, sed vt terminus, ad quem terminatur ad intra ipsa intellectio. ergo prior est notitia creaturarum in mente diuina nostro modo intelligendi, quàm ipsum verbum saltem eo modo, quo actio productiua rei concipitur prior esse re producta. Et saltem creaturas videri in verbo, nihil aliud erit, nisi intelligendo creaturas produci quodãmodo ipsum verbum: & sic non possunt creaturæ propriè loquendo dici videri à Deo in sua essentia, vt in verbo tanquam medio cognitionis; terminus enim nunquam est medium respectu eiusdem.

Confirmatur, & magis explicatur hæc ratio: quemadmodum ex notitia notionali diuinę essentiæ, & creaturarum, vt possibilium producitur verbum notionale, ita ex notitia essentiali producitur vel quasi producitur verbum essentiale. Hanc propositionem admittit hic autor, tum ibi n. 6. & 10. tum dis. 144. n. 8. Sed prius est saltem in signo rationis Patrem notionaliter intelligere se, & creaturas possibiles, quàm esse verbum notionale, quia verbum notionale producitur per actum intelligendi, & dicendi. Ergo similiter prius est saltem in aliquo signo rationis, creaturas intelligi, quàm esse verbum essentiale, & in illo lucere ipsas creaturas.

Dicetur, quòd verbum essentiale non est aliquid productum per intellectionem, sed est ipsa actualis notitia diuinæ essentiæ, & creaturarum, quæ quatenus est expressiua, induit rationem verbi.

Hæc responsio præter difficultatem, quam implicat de quidditate verbi, quam non opus est hîc resoluere, habet alias difficultates; & prima est, quia verbum non est notitia expressiua, sed notitia expressa apud omnes, qui intelligunt, quid significetur vel hoc nomine verbum: nam propter hoc vocatur species expressa, & imago seu similitudo expressa. Velle autem rem expressiuam cũ re expressa confundere, est ignorare ea, de quibus homines loquuntur, & nominum significationes peruertere, non secus, ac si quis diceret imaginem sculptam esse sculpturam illius, vel sculpentem, aut sigillum in cera impressum vocaret ipsius impressionem, aut archetypum, quo imprimitur, & filium vocaret actiuam generationem, vel patrem generantem. Quare aut dicendum est, verbum nõ esse imaginem, & similitudinem expressam rei cognitæ, aut non esse notitiam expressiuam. Secundò, quia dato, & non concesso, quòd verbum sit hæc notitia expressiua diuinæ essentiæ, & creaturarum, vel erit notitia creaturarũ in diuina essentia tanquam in obiecto, vel in seipsis, vel in nullo. Tertium omnino dici non potest: quia notitia sine obiecto esse non potest. Si dicatur secundum, ergo prius est, creaturas videri in seipsis, quàm in verbo, quia ipsa expressio est actualis rei notitia, qua diuinus intellectus attingit creaturas. Si autem dicatur primum, hoc est quod contendimus contra hunc autorem, & quod ipse omnino negat.

Dicetur, esse communem modum loquendi apud Doctores, quòd Beati videant in verbo omnes creaturas. Sentiunt igitur, diuinam essentiam repræsentare creaturas per modum verbi, & speciei expressæ. III.

Respondeo, hunc modum loquendi esse intelligendum non secundùm proprietatem, sed secundùm quandam appropriationem. Et significare idẽ, atque videre creaturas in essentia diuina priùs visa tanquam effectus in sua causa, quemadmodum obseruat D. Th. 1. part. q. 12. a. 8. & notat idem Vasquez disp. 50. in principio. D. Thom. Vasquez.

Secunda opinio docet, creaturas videri in diuina essentia, sicut videntur imagines in speculo. Hæc opinio videtur fundari in quibusdam autoritatibus Concilij Senonensis, & D. Augustini, & D. Thomæ, quas superiùs cap. 5. in secundo argumento contra secundam propositionem adnotauimus. Concil. Senonen. August. D. Thom.

Hæc tamen opinio propriè accepta non videtur vera, quia propriè loquendo diuina essentia non potest dici speculum creaturarum. Quin immo ipsę creaturæ potiùs dicendæ sunt speculum diuinitatis, vt aduertit D. Thomas de veritate q. 12. a. 6. Et videtur colligi ex D. Paulo in priori ad Cor. c. 13. dum ait loquens de visione Dei ex creaturis, *Videmus nunc per speculum, & in ænigmate.* Quamuis non me lateat, ibi per speculum specialiter intelligi fidem. Huius rei prima ratio est, quia speculum propriè est illud, in quod species, quæ in eo cernitur, ab alio deriuat, & resultat. At similitudines creaturarum, quæ cernuntur in diuina essentia, nõ resultant in ea ex creaturis, sed sunt præexistentes in illa ante omnem creaturam. Hanc rationem tangit eodem loco D. Thomas. Secunda ratio est, quia imagines in speculo videntur cum distinctione, & repræsentant cum distinctione se tenente non solùm ex parte rei repræsentatæ, sed etiam ex parte repræsentatis: sed diuina essentia licèt repræsentet creaturas distinctè ex parte ipsarũ creaturarum, non tamen illas repræsentat distinctè ex parte repræsentantis, quia hoc modo poneretur imperfectio, & compositio in Deo. Hanc rationem tangit Caietanus 1. part. q. 14. a. 5. Tertia ratio est, quia visio rei in speculo est indirecta, & refracta, & nũquam est ita perfecta, sicut visio rei in seipsa, quæ videtur directè, quando est ante oculos nostros posita, quam ob causam D. Paulus vocat cognitionem de rebus diuinis, quam habemus in hac vita, specularem, & ænigmaticam: at notitia, qua Deus in sua essentia videt creaturas, est clara, & directa, & facialis, & omnibus numeris perfecta. Quarta ratio est, quia quando videtur res in speculo, alia est species, qua videtur res; alia, qua videtur speculum: immo ad rei visionem per accidens est vt videatur ipsum speculum, esto enim illud non videretur, dummodo ab illo reflecti posset species ad oculum, posset ipsa res videri; verùm creatura in diuina essentia omnino Caietan.

nino videri non poteſt, niſi ipſa eſſentia priùs viſa, & viſio eſſentiæ eſt ratio videndi creaturam. Non ergo creatura propriè videtur in diuina eſſentia tanquam in ſpeculo. Illæ verò autoritates Concilij Senonenſis, D.Auguſtini, & D.Thomæ eodem cap.5. explicatæ à nobis fuerunt.

IV. Tertia opinio eſt, creaturas videri in diuina eſſentia tanquam in primo ente per eſſentiam,& in prima cauſa, in qua omnes creaturæ continentur, veluti illius effectus,& entia per participationem,

D.Thom. Scotus. Hæc eſt expreſſa ſententia non ſolùm D.Thomæ, ſed etiam Scoti, qui ab illo minimè diſcrepat, quemadmodum eius diſcipuli illum interpretantur, præcipuè Rada contr.29. art. 2. Videt igitur

Rada. Deus primò & immediatè ſuam eſſentiam viſione perfectiſſima,& comprehenſiua,& ideo eius viſio eſt comprehenſio totius diuinæ virtutis: porrò comprehenſio immediata diuinæ entitatis,& virtutis eſt comprehenſio mediata omnium effectuum, qui ab ipſa diuina virtute proficiſci poſſunt. Et ſic vna, & eadem diuina notitia, quæ eſt immediata ſuiipſius, eſt mediata creaturarum, ita vt diuinus intuitus eodem ictu terminetur ad diuinam eſſentiam tanquam ad obiectum primarium, & adæquatum, & ad creaturas vt obiectum ſecundarium inadæquatum.

Et notandum eſt, quòd diuina eſſentia eſt medium repræſentatiuum creaturarum, tam futurarum abſolutè, quàm etiã vt ſolùm poſſibiles ſunt: immò vno & eodem modo repræſentans creaturas vt futuras, & vt poſſibiles, hoc ſolo addito, quòd creaturas vt poſſibiles repræſentat merè naturaliter ante omne decretum liberum diuinæ voluntatis, ſed vt futuras repræſentat ſolùm accedente decreto libero eiuſdem voluntatis. Non quidem quòd decretum liberum tribuat eſſentiæ diuinæ vim repræſentandi creaturas vt futuræ ſunt, id enim habet eſſentia naturaliter à ſeipſa, ſed quia non eas actu repræſentat niſi eodem libero decreto accedente.

Si autem quæratur,an creaturarũ poſſibilium, vt poſſibiles ſunt, ſit ſcientia viſionis, an tantùm ſimplicis intelligentiæ, videtur enim non poſſe omnino eſſe ſcientia viſionis, quia talis ſcientia neceſſariò requirit obiectum per ſe exiſtens, ad quod terminetur, quod eſt eſſe rei viſæ, vt in ſe exiſtentis;creaturæ autem poſſibiles vt tales non habent eſſe per ſe exiſtens extra Deum. Ad hoc dubium nonnulli recentiores reſpondent per diſtinctionem inter eſſentiam creaturarum, & illarum exiſtentiam, dicunt enim eſſentiam cuiuſlibet rei ſeipſa eſſe actu eſſentiam,neque id mendicare ab exiſtentia: & cuiuſlibet rei eſſentiam, vt eſſentia eſt, eſſe terminare obiectiuè actum diuinæ cognitionis independenter ab exiſtentia, & hoc maximè conuenire eſſentiis rerum, quæ nunquam ſunt exiſtentiam habituræ.Addunt,creaturas poſſibiles ſecundùm eſſe, quod habent in Dei omnipotentia, & diuino intellectu, & in eſſentia repræſentata, pertinere ad ſcientiam viſionis, ſecundùm verò eſſentiam per ſe ſumptam ſpectare ad ſcientiam ſimplicis intelligentiæ. Adeò quòd ex illorum ſententia etiam creaturæ, quæ nunquam erunt,pertinent ad ſcientiam viſionis.

Hæc tamen illorum imaginatio eſt expreſsè contra doctrinam D.Thomæ, quam illi profitentur in dicta q.14.a.9. vbi ſic ait: *Quædam verò ſunt, quæ ſunt in potentia Dei, vel creaturæ, quæ tamen nec ſunt,nec erunt,neque fuerunt;& reſpectu horum non dicitur habere ſcientiã viſionis,ſed ſimplicis intelligentiæ, quod ideo dicitur, quia ea, quæ videntur apud nos, habent eſſe diſtinctum extra videntem.* Ex qua doctrina colligitur,illud, quod nunquam habebit eſſe diſtinctum extra Deum, minimè cognoſci à Deo per ſcientiam viſionis, ſed per ſolam ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, quæ terminatur ad illud eſſe obiectiuum, quod habent ipſæ creaturæ poſſibiles in diuina eſſentia,& in diuino intellectu.

Gabr. Pennot. de libert.hum.

CAPVT VIII.

Quartus modus repræſentandi creaturas per modum ideæ explicatur;& quid ſit idea, declaratur.

I. ESt quarta opinio dicens, creaturas videri in diuina eſſentia tanquam in idea,& exemplari. Hunc autem modum dicendi non ſolùm videtur probare D.Bonau.in 1.diſt.39.art.2.q.3.ſed etiam D.Thom.dicta q.14.art.13.in corpore,& multi alij autores graues,qui putant,rationes ideales maximè ad diuinam notitiam de rebus generabilibus, & corruptibilibus,ac in primis de futuris contingentibus explicandam conferre, & iuuare. Ob hanc cauſam duo hîc nobis breuiter præſtanda erunt. Primò nanque declarandum eſt, quid ſit idea. Secundò quid conferat diuino intellectui ad res variabiles, & contingentes intelligendas. Primum hoc capite præſtabimus.

D.Bonauentura. D.Thom.

Quod attinet ad primũ. Idea,ſi nominis ſignificationem attendamus, idẽ ſignificat, quòd forma, ex Cicer. in lib. de Oratore, Auguſt. lib.83. quæſtionum quæſt.46.& D.Th.1.p.q.15.a.1. Forma verò eſt, aut ratio faciẽdi rem, aut ratio intelligendi rem.Et quidem forma,vt eſt ratio intelligendi,proprio nomine vocatur ratio,nã ratio propriè ad intellectum pertinet. Vt autem eſt ratio faciendi, vocatur exemplar. Quare ſi nominis ſignificationem attendamus, hæc tria vnum, & idem ſignificant,idea,exemplar,& ratio,licèt idea habeat ſignificationem aliis communem, nempe ad exemplar,& ad rationem. Si autem rem ipſam attendamus: Idea eſt ratio rerum in mente diuina ſtabilis, incommutabiliſque exiſtens, ſecundùm quam res fiunt ad extra, cuiúſque participatione fit, vt ſit quidquid eſt;qua ignorata nemo ſapiens exiſtit, cuius viſione anima rationalis fit beatiſſima. Hæc definitio colligitur ex Auguſtino loco citato. Eſſe autem ideas omnium rerum in mente diuina, videtur res certiſſima & conſtantiſſima apud omnes ſapientes, vt Auguſtinus ibidem ait. Et licèt Ariſtoteles in lib.7.Metaphyſices, & aliis in locis totis viribus reiiciat opinionem Platonis aſſerentis ideas: non tamen credendum eſt,illum Platonis ſententiam, quoad rem ipſam, reieciſſe, ſed potiùs quoad modum,ſecundùm quem Plato ideas ponebat, veluti ſubſtantias ſeparatas per ſe ſubſiſtentes extra diuinam mentem, & Deo coæternas,& exemplaria,ad quæ ille reſpiciens,mundum viſibilem produxerit, quo pacto rationes Ariſtot. contra Platonem bene procedunt.

Cicero. Auguſt. D.Thomas. Ariſtot.

II. Quòd autẽ recentiores nonnulli Ariſtot.tũ inſcitiæ,tum malignitatis notãt, vt qui vel Platonis mentem de ideis ignorauerit, vel falſam opinionem mala fide illi impoſuerit, vt hoſtem haberet, quẽ feriret,res vana,& riſu digna prorſus videtur. Quis enim credat, Ariſtotelem ea ingenij facilitate præditum, qua vix vllus alius, per annos viginti Platonis magiſterio,& familiaritate vſum, eius mentem aſſecutum non fuiſſe,aut certè ſi ille viginti annorum curriculo Platonis doctrinam ex illius ore excipiens eius mentẽ non eſt aſſecutus, quis modò iactabit,ſe illam poſſe aſſequi poſt annos bis millenos,& ampliùs poſt linguæ nitorem

deperditum, idiomata pænè in totum immutata, & textus omnino deprauatos? Ad hæc quis credat, Aristotelem, qui magistros non secus, ac parentes, & Deum ipsum in honore habere nos monuit, adeò malignum, adeò perfricatæ frontis extitisse, vt magistro carissimo falsa dogmata imponeret, quæ refutare posset, in eadem ciuitate, in qua Plato degnerat, & fortasse etiam tunc degebat, vbi alios innumeros ille habebat discipulos, quibus sententia Magistri optimè erat nota, qui parati essent, eum ab impostoris vindicare? Præter quod non solùm Aristoteles sic sententiam Platonis intellexit, sed alij multi tum ex Patribus, tum ex discipulis eiusdemmet Platonis, nimirum Clemens Alexandrinus lib. 5. Stromatum prope finem, Iustinus Martyr oratione parænetica ad Gentes. Cyrillus lib. 2. contra Iulianum prope finem, & alij quos refert Trigosius 1. part. suæ summæ quæst. 11. art. 1. dub. 1. §. *Secundò nota.*

Clemens Alexand. Iustinus Martyr. Cyrillus. Trigosius.

III. Supposito itaque ex omnium consensu, ideas rerum existere in diuina intelligentia, suppositaque quoque idearum definitione ex Augustino proximè tradita; magis distinctè explicandum nobis est, quid sint ipsæ ideæ, breuiori tamen, qua fieri possit oratione, cùm prolixus sermo de illarum quidditate ad hunc locum minimè spectet. Omissa verò sententia illa, quam confutat Arist. in 7. Metaph. quatuor sunt opiniones Doctorum de ipsis ideis. Prima eorum, qui dixerunt, ideas esse imagines, & similitudines rerum relucentes in diuina essentia distinctè, & creaturas distinctè repræsentantes, sicut imagines in speculo. huius opinionis meminerunt Argentinensis 1. dist. 36. art. 1. & Caiet. q. 14. art 5. quæ tamè magni facienda non est, quia est imaginatio hominum rudioris ingenij, & data illius veritate non habetur ex ea, quid sint ideæ, an res absolutæ, an relatiuæ, an ipsæ creaturæ in esse cognito, an sint imagines impressæ, an verò expressæ. Præter quod non potest in diuinis admitti actualis distinctio inter absoluta: illa enim tollit diuinam simplicitatem.

Aristot. Argent. Caiet.

IV. Secunda opinio dicit, creaturam in esse cognito, seu obiectiuo, quod habet in diuino intellectu, esse ipsam ideam, illique conuenire omnes conditiones ideæ assignatas à D. Dionysio, Augustino, Boëtio, & aliis. ita sentit Scotus cum tota sua Schola, quèm sequitur Ricardus, Maioris, Aliacensis, & alij in 1. dist. 35. & 36. Quid autem sit istud esse cognitum suprà cap. 30. in referenda opinione tertia dictum fuit.

Scotus. Ricardus. Durandus. Maioris. Aliacensis.

Porrò licèt non censeam, hanc sententiam alicuius temeritatis aut erroris notandam, sicut quidam illam notant: tamen ex alio capite videtur intellectu difficilis, quia ex vna parte Scotus docet istud esse cognitum, quod creaturæ habent in Deo, esse ens diminutum, & ens rationis, & propè nihil, immò esse nihil, si nihil accipiatur, quatenus contradistinguitur enti reali. Ex altera verò parte ait, istud esse cognitum esse diuinum, & creaturam in esse cognito habere verius, & nobilius esse, quàm in seipsa, & quòd secundùm istud esse creatura est vita creatrix. Quando igitur Scotus ait quòd idea est creatura in esse cognito, quærendum est, quid intelligat per istud esse cognitum, si enim intelligit istud esse diminutum, quod est ens rationis, & propè nihil, difficile nimis videtur intelligere, quomodo istud sit verius esse, quàm illud, quod habent creaturæ in seipsis, & quomodo secundù hoc esse creatura sit vita creatrix, & quomodo isti esse cognito ciusdè creaturæ conueniant conditiones, & proprietates ideæ assignatæ ab Augustino, & aliis Doctoribus. Si autem intelligit illud esse diuini intellectus, & diuinæ essentiæ, quod creatura participat per actù diuinæ cognitionis eo modo, quo dicimus, lapidem intellectù participare esse ipsius intellectus, istud esse est quidem nobilius, quàm illud, quod habent creaturæ in seipsis, & est vita creatrix, cù sit proprium, & formale esse diuini intellectus, & diuinę essentiæ, cui nō repugnant cōditiones & proprietates ideæ. Verùm istud non est esse illud diminutum, & rationis, & esse productù, quod de mente Scoti res habent in diuina essentia, & pro quo adstruendo, & defendendo desudant Scotus, & illius sectatores, sed est esse proprium, & formale diuinæ essentiæ, vnde idea vel ex ipsius Scoti sententia non erit creatura secundùm illud esse cognitum, quod habet in Deo diminutù, & rationis, & propè nihil, sed secundùm esse propriù & formale diuinæ essētiæ, & diuini intellectus, vt aliqualiter per actum diuinæ cognitionis participatù ab ipsa creatura. Alias rationes afferre solent Scholastici contra hāc opinionē, sed illæ facilè à sectatoribus Scoti soluuntur, & contra illum non militant.

V. Tertia opinio docet, ideam esse diuinam essentiam, vt imitabilem exemplariter à creatura. Ad intelligentiam huius opinionis sciendù est, diuinam essentiam esse pelagus infinitum omnù perfectionum, & creaturas aliud nihil esse, nisi participationes quasdam diuinæ perfectionis: & iuxta varios modos, & gradus participandi diuinā perfectionē constituitur varietas, & distinctio, & ordo in creaturis. Et hoc est quod ait Philosophus, species rerum esse veluti numeros: quia quemadmodum species numerorù multiplicantur, & variantur per maiorem, vel minorem elongationem ab vnitate, & per hoc quòd ipsam vnitatem plus, minúsve participāt; ita species creaturarù diuersificantur, prout magis, vel minùs elōgantur à summa vnitate, quæ Deus est, & prout illā perfectiori, vel minùs perfecto modo participant. Secundò sciendum est, non sufficere ad rationē ideæ, quòd essentia diuina sit participabilis à creatura; sed requiri, vt sit participabilis exemplariter: participatur verò aliquid exēplariter, quando aliquid producitur aspiciendo ad illud, cuius esse per productionem participat, tanqnā ad exemplar, ad cuius imitationem res ipsa producitur. Adeò quòd ad constituendam rationem ideæ non solùm requiritur, vt Deus producendo creaturam, communicet illi esse suæ essentiæ; sed quòd in producenda creatura aspiciat ipsam essentiam, tanquam exemplar sibi ob oculos positum, vt ad eius imitationem creaturam producat. Aristot.

Vnde sequitur primò, diuinam essentiam non habere perfectam rationem ideæ antequam nostro modo intelligendi sit intellecta, quia nō concipitur habere perfectā rationem ideæ, antequam sit obiecta diuino intellectui vt imitabilis exemplariter. Secundò sequitur, ideam non esse essentiam diuinam, vt quocunque modo intellectam, sed solù vt intellectā in ratione imitabilis exemplariter. Tertiò sequitur in ratione constitutiua ideæ claudi creaturam cognitam vt exemplariter imitantem diuinam essentiam, & similiter in conceptu ideæ claudi respectù ipsum imitabilitatis. Hic autē respectus imitabilitatis non est nuda essentia, quæ est fundamentù talis respectus, neque nuda relatio, sed quid constitutum ex ipso fundamento, & respectu, non sicut ex subiecto, & accidente, sed sicut ex re, & modo, adeò vt significet absolutù modo relatiuo. Et non consurgit hic re-

spectus

ſpectus ex comparatione facta per diuinũ intellectũ inter eſſentiam diuinã, & creaturas cognitas, quia talis reſpectus eſt poſterior ipſa idea: ſed cõſtituitur per conſtitutionẽ ipſius ideæ, adeò quòd cõſtitutio ideæ eſt etiã cõſtitutio huius reſpectus.

Hæc opinio ſic explicata defenditur à ſectatoribus D.Thomæ 1.p.quæſt.15.art.1.à qua fortaſſe nõ diſcordat Scotus, maximè ſi vera ſunt, quæ ſcribit Caiet.a.1.dicens, *Et conſequenter eſſe obiectiuum rerum reſpectu intellectus diuini non eſt relatiuum, ſed abſolutum realiſſimum, ſcilicet eſſe Dei. Et quia idea in Deo, de qua eſt ſermo, ſignificat res ſecundùm tale eſſe, ideo meritò dictum eſt, quòd eſt ipſa diuina eſſentia.* Et art.2.in fine: *Quia Deus perfectiſſimè intelligit eſſentiam ſuam, ideo intelligit eam, vt tot modis imitabilem: hoc enim eſt conſtitutus plures reſpectus ideales, intelligique plures ideas, vt aliorum rationes ſint, & intelligere creaturas diſtinctas in eſſentia diuina ſibi obiecta.* Ex quibus apparet, inter principes vtriuſque ſcholæ ſolam de modo loquendi eſſe controuerſiam, an idea dicenda ſit, diuina eſſentia, vt illa, cuius eſſe à creatura participatur, an potiùs creatura vt diuinum eſſe ſic participans.

D.Thom. Caiet.

VI. Quarta opinio docet, ideas eſſe diuinam eſſentiam quatenus induit rationem verbi mentalis, & ſpeciei, vel ſimilitudinis expreſſæ ipſarum creaturarum. Hanc opinionem docent Suarez diſp.15.Metaph.& lib.3.de diuinis Attributis c.5.n.6. & Vaſquez 1.p.diſp.72.n.6.& ſequentibus, vbi citat Capreolũ & quoſdam alios. Verùm non conſtat inter illos, quid ſit verbum mentale; alij enim putant, illud eſſe ipſam actualem rei cognitionem, quæ ſolùm grammaticaliter eſt actio, realiter verò eſt qualitas. Iuxta hunc modum dicendi verbum nõ repræſentat rem cuius eſt verbum, vt ratio priùs cognita, ſed vt actualis & formalis ipſius rei cognitio. ita aiunt Vaſquez dicta diſp.72.& ſuprà diſp.38. & Suarez lib.2. de Attributis c.25.n.42.& 43. & lib.3.c.6.n.6. & diſp.15.Metaph. Alij verò putant, verbum repræſentare res per modum rationis, & formæ intellectæ: & iuxta quod variè ſentiunt de verbo, variè etiam ſentiunt de idea, & de modo, quo idea repræſentat ipſam creaturam.

Suarez. Vaſquez.

VII. Hæc diſcrepantium opinionum multiplicitas videtur ad concordiam poſſe reduci, adhibita hac duplici diſtinctione. Prima diſtinctio eſt. Idea dupliciter accipi poteſt, pro ipſa forma obiecta intellectui, ad cuius imitationẽ artifex operatur, & pro ipſa actuali notitia exemplaris, ad cuius imitationem aliquid eſt artifex producturus, ſiue pro arte, ſecundùm quã artifex ad exemplar aſpiciendo aliquid producit. Secunda diſtinctio. Idea duobus modis accipi poteſt, vno modo aptitudinaliter, & in actu (quem vocant) ſignato, & ſecundùm incompletam rationem: alio modo actualiter, & in actu exercito, & ſecundùm completam rationem ipſius ideæ. His præmiſſis ſit

Prima propoſitio: Si accipiatur idea pro forma obiecta intellectui, vt exemplariter imitabilis eſt ab agente, idea non eſt actualis notitia, ſed diuina eſſentia, vt obiecta diuino intellectui ſub ratione formæ exemplariter imitabilis à creatura. Hæc propoſitio videtur probata ex communi modo loquendi ſanctorum Patrum, dum vocant ideas diuina quædam exemplaria exiſtentia in mente diuina, neque enim actualis notitia propriè vocatur exemplar, neque artifex dicitur reſpicere ad ſuam notitiã, vt ad exemplar, ſed ſua notitia dicitur ad exemplar aſpicere. Quod declaratur exemplo. nam pictor, quantumcunque arte pollens, non dicitur imaginem ad imitationem pingere, niſi habeat exemplar ſibi ante oculos poſitu, & dato quòd ita eſſet vehementis apprehenſionis, quòd formã, ad cuius imitationem vellet imaginem pingere, in imaginatiua contineret, hoc non argueret, illum ſine vllo omnino exemplari imaginem pingere, ſed ſolùm quòd haberet exemplar illius intra ſeipſum in ſua mente. Et hoc pacto ait Auguſtinus ſe geſſiſſe Deum in rerũ creatione, quia ex hoc quòd diuina ſcientia, & ars orbis condendi fuit perfectiſſima, habuit in ſe perfectiſſimum exemplar omnium creabilium. neque opus habuit alio exemplari extra ſe poſito. *Non enim extra ſe* (inquit) *quidquam poſitum intuebatur, vt ſecundùm id conſtitueret, quod conſtituebat, nam hoc opinari ſacrilegium eſt.* Auguſtinus.

Secunda propoſitio: Diuina eſſentia ante actum diuinæ cognitionis, non eſt idea ſecundùm cõpletam rationem, & in actu exercito, ſed ſolùm aptitudinaliter, & in actu ſignato. Hanc propoſitionem ad mentem D.Thomæ docet Caietanus, dum ait, diuinam eſſentiam non exercere munus ideæ, niſi vt obiectam intellectui, & in actu cognitam ſub ratione formæ imitabilis. **VIII.**

Tertia propoſitio: Accepta idea pro notitia, & arte, illa nihil aliud eſt, niſi actualis cognitio perfectiſſima diuinæ eſſentiæ vt imitabilis à creatura exemplariter, & ipſius creaturæ, vt exemplariter imitantis ipſam diuinam eſſentiam. Iuxta ſenſum huius propoſitionis dicit Auguſtinus loco citato, ideam vocari, λόγον, id eſt, rationem exiſtentem in diuina intelligentia, & Dionyſius 5.cap. de diuinis nominibus vocat ideas, *rerum exemplaria, & diuinas rationes rerum effectiuas, ſeu effectrices, quas Scriptura vocat diuinas prædeſtinationes, quæ conſtituunt, & faciunt omnia.* Et rurſum idem Auguſtinus tract.1.in Ioannem, circa illa verba, *Quod factum eſt in ipſo vita erat*, ait, quòd *ſicut arca eſt in arte artificis antequam fiat, tanquam in ratione, ſeu idea, per quam fit, & ſecundùm eſſe, quod in mente artificis habet, eſt vita, eo quòd operatio ipſa operatio vitæ ſit; ita omnia, quæ facta ſunt ſunt in verbo æterno, tanquam in arte, & ratione, ſeu idea.* Et lib.11.de Ciuitate c.29. dicit, Angelos beatos videre creaturas in diuina ſapientia, tanquam in arte, qua factæ ſunt. Iuxta ſenſum huius propoſitionis facilè exponi poteſt id, quod ait Apoſtolus ad Hebr.11. *Fide intelligimus aptata eſſe ſecula verbo Dei, vt ex inuiſibilibus viſibilia fierent.* Et id, quòd dicunt Doctores, cùm vocant verbum diuinum ideam, & exemplar creaturarum. Iuxta eundem ſenſum defendi poſſunt, & concordari omnes opiniones, excepta prima, quæ tanquam falſa ab omnibus reiicitur. Auguſt. Dionyſius.

Quarta propoſitio: Quamuis idea ſpectet ad intellectum practicum, tamẽ non habet completam, & perfectam rationem ideæ, & exemplaris, niſi adiuncto decreto diuinæ volũtatis. Probatur, quia ad perfectam rationem ideæ neceſſe eſt, vt ad illius imitationem aliquid fiat: nihil autem fit per diuinam ſapientiã ad extra, niſi adiuncto decreto libero diuinæ voluntatis. Ergo idea nõ habet perfectam rationẽ ideæ in actu exercito, niſi adiuncto decreto diuinæ voluntatis. Iuxta hunc ſenſum intelligendi ſunt D. Dionyſius loco citato, & Damaſcenus oratione prima de imaginibus, cùm vocant ideas, & exemplaria rerum in mente diuina exiſtentia bonas voluntates rerum factiuas: quia ſcilicet actus voluntatis requiritur ad completam rationem ideæ in actu exercito. Hinc etiam deducitur, ideas ſecundùm completam, & omnibus numeris abſolutam rationem, non eſſe rerum poſſibilium, quæ nunquam fient, ſed tan- D. Dion. Damaſc.

Digitized by Google

tùm earum rerum, quæ aliquando in aliqua temporis differentia ſunt futuræ.

CAPVT X.

An ideæ conferant ad rerum generabilium, & contingentium notitiam, & quomodo, explicatur.

I. VIdendum eſt hoc capite, quid conferant ideæ diuino intellectui ad notitiam rerum variabilium, & futurorum contingentium. Circa hoc dubium tam multa dicunt ſcribentes, quòd non poſſent ſine maximo labore, & fortaſſe etiam ſine faſtidio hîc recitari. Videtur tamen hoc dubium ex proximè dictis facilè reſolui poſſe, præmilla tali diſtinctione. Futura contingentia, & res variabiles cognoſci in ideis, duobus modis intelligi poteſt, vno modo præſcindendo ab ipſis ideis diuinum decretum, per quod completur earum ratio in eſſe ideali: alio modo adiuncto eodẽ libero decreto. Si loquamur de ideis primo modo, dicendum eſt, in ideis, & per ideas nõ poſſe certò & infallibiliter cognoſci res variabiles, & contingentes, vt abſolutè futuræ, ſed ſolùm quatenus poſſibiles ſunt. In hoc ſenſu veram eſſe puto ſententiam Scoti, & aliorum, qui negant, futura contingentia poſſe cognoſci ſufficienter in ideis, quorum rationes hoc ſenſu accepto benè procedunt: ſed non militant contra D. Thomam, neque contra Caietanum, aut aliquem alium ex eius ſchola. Si autem loquamur de iiſdem ideis adiuncta determinatione libera diuinæ voluntatis, dico, poſſe in ideis, & per ideas certò & infallibiliter cognoſci res variabiles, & contingentes, quatenus tales ſunt. Ratio apud me demonſtratiua eſt, quia tanta eſt latitudo diuinæ eſſentiæ in repræſentando per modum formæ intelligibilis priùs intellectæ, & per modum ideæ, quanta eſt illius latitudo in repræſentando per modum ſpeciei intelligibilis in ratione principij quo intelligendi: ſed diuina eſſentia, quæ ante diuinum decretum repræſentat creaturas vt poſſibiles in ratione ſpeciei intelligibilis accedente diuino decreto repræſentat illas vt futuras. Ergo & eadem eſſentia, quæ ante diuinum decretum, repræſentat creaturas, vt poſſibiles in ratione formæ intellectæ, & ideæ, accedente diuino decreto poteſt illas repræſentare vt abſolutè futuras.

II. Contra hoc ſecundum dictũ multis argumentis inſurgit Scotus. Vis tamen & ſumma illorum omniũ ſtat in hoc, quòd vis repræſentandi competit ideis naturaliter, neque libera Dei voluntas poteſt vim repræſentandi illis tribuere: quia perfectio ideæ, & diuinæ eſſentiæ non conuenit illi ex libera Dei voluntate, ſed ex intrinſeca illius natura. Hoc fundamentum ſectatores Scoti multis modis amplificant, roborãt, & exaggerant: ſed pace illorum incaſſum operam fundunt, cùm illis non minus, ac diſcipulis D. Thomæ incũbat onus hoc idem argumentum diſſoluendi. Quod ſic demonſtro. Certum enim eſt, quòd diuina eſſentia repræſentat diuino intellectui omnia futura contingentia in ratione ſpeciei intelligibilis: certum eſt etiam, quòd ante decretum liberũ diuinæ voluntatis nullum futurum contingens repræſentat vt futurum, ſed ſolùm vt poſſibile, ſed accedente eodem decreto libero illud, quod repræſentabat ſolùm, vt poſſibile, repræſentat vt futurum abſolutè. ergo oportebit data veritate illius argumenti diuinam eſſentiam accipere vim repræſentandi in ratione ſpeciei intelligibilis à libera Dei volũtate; & ſic non minus concludit illud argumentum contra Scotum, quàm contra D. Thomam.

Sed ſoluitur idem dubiũ ex doctrina eiuſdemmet Scoti in 1. diſt. 39. §. *Viſo de contingentia.* vbi ſic ad verbum: *Poteſt poni aliter, quòd intellectus diuinus, aut offert ſimplicia, quorũ vnio eſt contingens in re, aut ſi offert complexionẽ, aut offert eam ſicut neutrã, & voluntas eligens vnam partem, id eſt, coniunctionem iſtorũ pro aliquo nunc, in re facit illud determinatè eſſe verum. Hoc erit pro A. Hoc autem exiſtente, determinatè verò, eſſentia eſt ratio intellectui diuino intelligẽdi iſtud verum, & hoc naturaliter quantum eſt ex parte eſſentiæ, ita quòd ſicut naturaliter intelligit omnia principia neceſſaria quaſi ante actum voluntatis diuinæ, quia illorum veritas non pendet ab illo actu, & eſſent cognita ab intellectu diuino, ſi per impoſſibile non eſſet volens: ita eſſentia diuina eſt ratio cognoſcendi illa in illo priori inſtante naturæ, quia tunc ſunt vera, non quidem quòd illa vera moueant intellectum diuinum, nec etiã termini eorum ad apprehendendum talem veritatem, quia tunc intellectus diuinus vileſceret, quia pateretur ab alio ab eſſentia ſua: ſed ſicut eſſentia diuina eſt ratio cognoſcendi ſimplicia, ita & complexa talia. tunc autẽ non ſunt vera contingentia, quia nihil eſt tunc, per quod habeant determinatã veritatem; poſita autẽ determinatione voluntatis diuinæ iã ſunt vera, videlicet pro illo ſecũdo inſtanti,* &c. Hanc Scoti doctrinã diuinis ideis applicantes dicimus, ideã, quæ ex parte rei eſt ipſamet eſſentia diuina ſub ratione imitabilis, &c. offerre intellectui cõplexiones contingentes vti neutras, id eſt, nõ determinatas, voluntatẽ verò diuinã eligendo vnam partem contradictionis facere illam determinatè veram, ea verò exiſtente determinatè vera, ideã eſſe rationẽ intelligendi iſtã veritatem, & hoc naturaliter, quantũ eſt ex parte ipſius ideę. Adeò quòd ſicut ante actũ diuinæ voluntatis diuinus intellectus naturaliter videt in ideis omnes creaturas, & omnia cõtingentia vt poſſibilia, quia vt ſic non dependent à voluntate libera, ſed habẽt eſſe determinatum; ita poſt decretũ diuinæ voluntatis eadẽ idea eſt ratio intelligendi cõtingentia, vt futura, & hoc naturaliter quantũ ex parte ipſius ideæ, quia tunc contingentia incipiunt habere neceſſariam veritatem, & ſi antea illam habuiſſent, diuina idea illam veritatem naturaliter repræſentaſſet. Et vt ſemel dicamus, diuinum decretum non tribuit ideæ vim repræſentandi, ſed tribuit creaturæ eſſe repræſentabile, per quod aptum fit vt per ipſam ideam poſſit repræſentari. Et hîc nulla eſt alia maior difficultas, quàm illa, quæ oritur circa repræſentationem eiuſdem diuinæ eſſentiæ in ratione ſpeciei intelligibilis, vt ſuperfluum eſſe videatur in hoc diutius immorari.

III. Hinc apparere poteſt, quid veritatis contineat doctrina Suarez li. 1. de ſcientia futurorũ contingentiũ c. 4. vbi cõuictus argumentis Scoti fatetur, ideã non poſſe futura contingentia diuino intellectui repræsẽtare per modũ obiecti proximè cogniti, ſed ſolùm per modũ intentionalis repræſentationis, quæ fit per ipſum actũ, & iudiciũ intellectus. Fatetur quoque argumenta Scoti, quatenus militant contra repræſentationem formalẽ obiectiuam eorundẽ futurorum contingentium, vim habere contra D. Th. & non fuiſſe à Caietano verè ſoluta. Immò ex hoc fundamẽto deducit, quòd ex ſolis ideis non poſſit colligi ratio certæ determinationis diuini intellectus ad ferendum iudicium de futuris contingentibus: contendítque in hanc opinionem deducere nõ ſolùm Gabrielem, Guliermum Okam, Gregorium Ariminenſem, & Scotum, ſed D. Thomam, Capreolum, Ferrarienſẽ & alios. Et nihilominus omnes dubitationes, quæ militant cõtra hanc repræſentationẽ per modũ obiecti priùs cogniti aut formæ intellectæ, æquè

Scotus.

Scotus.

Suarez.

Digitized by Google

æquè militent contra repræſentationem per modum ſpeciei intelligibilis; & ſi contra illam non concludunt, neque contra iſtam. Fateor, ſi admittamus ideam eſſe verbum, & verbum repræſentare ſicut obiectum intra intellectum manens, quo intellecto intelliguntur ea, quæ ſunt ad extra, quo pacto videtur Caietanus ponere neceſſitatem verbi mentalis, mihi non placere ſententiam Caietani: neque enim ponimus nos verbum mentale hoc pacto eſſe neceſſarium, neque hoc pacto res, quarum eſt verbum, repræſentare, ſed alio modo ſuperiùs ex parte indicato. Et licèt aliquando D. Thom. viſus ſit ita ſentire de repræſentatione verbi mentalis, nempe de Verit. quæſt. 2. art. 3. dum ait: *Quidditas formata ab intellectu eſt primum, quod intelligitur, per quod intellectus venit in cognitionem rei ad extra exiſtentis*, tamen non videtur in ea ſententia mãſiſſe; nam in 1. part. quæſt. 85. art. 2. & quæſt. 87. art. 3. oppoſitum docet; & fortè ibi loci non loquitur de omni intellectu in ordine ad omne intelligibile, ſed ſolùm de intellectu practico in ordine ad operabile, & vult dicere, quòd forma rei operabilis eſt primum, quod intelligitur, & eadem eſt principium operandi ea, quæ fiunt ad extra, id quod verba textûs aliquo modo videntur indicare.

IV. Caietanus. Nazarius. Ripa. Aluarez. Capreolus.

Vtrùm autem D. Thom. admittat notitiam futurorum contingentium in ideis, affirmant Nazarius, Caietanus, Ripa, & Aluarez, & ante illos Capreolus in 1. diſt. 38. quæſt. 1. art. 2. ad 4. Aureoli contra ſecundam concluſionem ex eo, quia D. Thomas dicta quæſt. 14. art. 13. dicit quòd omnia quæ ſunt in tempore, ſunt ab æterno Deo præſentia, non ſolùm quia habet rationes rerum apud ſe præſentes, ſed quia eius intuitus fertur ſuper omnia, prout ſunt in ſua præſentialitate. Quo modo loquendi videtur dicere, Deum cognoſcere futura contingentia non ſolùm in ſua præſentialitate, ſed etiam in ideis. Partem verò negatiuam defendit Suarez lib. 1. de ſcientia futurorum contingentium cap. 4. quia D. Thom. cùm loquitur de ſcientia futurorum contingentium, ſemper recurrit ad præſentialitatem, quam habent in æternitate. Et quia in dicto art. 13. quæſt. 14. id etiam videtur innuere, cùm ait, quòd *omnia, quæ ſunt in tempore, ſunt ab æterno Deo præſentia, non ſolùm quia habet rationes rerum apud ſe præſentes, vt quidam aiunt, ſed quia eius intuitus ab æterno fertur ſuper omnia, prout ſunt in ſua præſentialitate.* Hoc enim modo loquendi innuere videtur, rationem cognoſcendi futura contingentia, quæ ſumitur ex ideis, per ſe minimè ſufficientem eſſe.

Suarez.

Ad hoc dubium videtur, ſaluo meliori iudicio, eodem modo reſpondendum, quòd per ideas præſcindendo à libero Dei decreto, non poteſt haberi aliqua certa notitia de futuris contingentibus, quatenus futura ſunt: verùm adiuncta libera determinatione diuinæ voluntatis optimè per illas haberi poteſt certa notitia de futuris contingentibus, idque apertè videtur concedere D. Thomas in 1. diſt. 39. quæſt. 1. art. 2. ad primum, & clariùs de Veritate quæſt. 2. art. 7. ad 6. vbi ſic ait: *Ad ſextũ dicendum, quòd illa idea, qua eſt in mente diuina, pro tanto ſe habet ad rem in quacunque diſpoſitione ſit, quia eſt ſimilitudo rei ſecundùm omnem eius diſpoſitionem; & ideo cognoſcit de re in quacunque diſpoſitione.* Porrò ex illo loco 1. p. quæſt. 14. art. 13. id colligi non poteſt: quia eodem modo ibi dicit, quòd Deus cognoſcit omnia contingentia, non ſolùm prout ſunt in cauſis, ſed etiam prout vnumquodque illorum eſt actu in ſeipſo, & tamen ex hoc modo loquendi non colligitur, Deum cognoſcere futura contingentia, prout in ſuis cauſis contingentibus exiſtunt, licet etiam hoc nonnulli deducere nitantur, vt infrà cap. 20. videbimus. Ergo neque ex hoc modo loquendi: *Omnia, quæ ſunt in tempore, ſunt ab æterno Deo præſentia, non ſolùm ea ratione, quia habet rationes rerum apud ſe præſentes*, &c. ſufficienter colligi poteſt, ex mente D. Thomæ Deum videre futura contingentia in ideis. Quare vt ſemel dicamus, eadem eſt ratio certitudinis notitiæ futurorum contingentium, quæ colligitur ex ideis, cum illa, quæ colligitur ex diuino decreto.

CAPVT XI.

Secunda controuerſia proponitur, An certitudo diuinæ præſcientiæ rebus præſcitis neceſſitatem imponat.

HActenus probatum eſt, Deum omnia etiam variabilia & contingentia ab æterno cognoſcere certa, infallibilique cognitione. Nunc quæſtio illa cum primis grauis proponitur examinanda, An diuinæ præſcientiæ certitudo rebus cognitis eam imponat neceſſitatem, quæ rerum contingentiam, & arbitrij humani libertatem euertat. Eſt autem hæc quæſtio, vt dixi, inter omnes quæſtiones ad rem theologicam attinentes grauiſſima, ſuáque grauitate difficillima, non quidem quòd apud Catholicos vllo modo in dubium reuocari poſſit, an ipſa certitudo diuinæ præſcientiæ libertatem euertat, certum quippe eſt, non euertere, neque vllo modo imminuere: ſed quia difficile viſum eſt ſapientibus, rationem aliquam intellectus humani quietatiuam aſſignare, ad diuinæ præſcientiæ certitudinem cum rerum contingentia, & humani arbitrij libertate conciliandam. Nam huiuſmodi rationem ab homine in hac vita conſtituto omnino ſciri non poſſe, credidetunt Gabriel 1. diſt. 38. quæſt. 1. art. 2. poſt ſecundam concluſionem, Gulielmus Okam ibidem quæſt. 1. & Marſilius in 1. quæſt. 40. in initio. I.

Gabriel. Okam. Marſilius.

In hac igitur controuerſia duo à nobis deſiderari intelligimus. Primò vt monſtremus certitudinem diuinæ præſcientiæ non minuere arbitrij libertatem, neque imponere neceſſitatem rebus præſcitis. Secundò vt rationem aliquam afferamus intellectus quietatiuam, qua eiuſdem diuinæ præſcientiæ certitudo cum arbitrij noſtri libertate valeat conciliari. Licèt autem negandum non eſſet dogma certiſſimum fidei noſtræ, eſto ad illud explicandum ratio intellectus quietatiua nobis deficeret, quemadmodum non negamus exiſtentiam corporis, & ſanguinis Ieſu Chriſti ſub ſpeciebus panis, & vini in ſacramento Euchariſtiæ, licèt modum ignoremus, & non negamus vnionem hypoſtaticam naturæ diuinæ, & humanæ in perſona Verbi, licèt ſimiliter modum ignoremus. Conabimur nihilominus rationem aliquam ſi non omnino quietatiuam, ſaltem ab omnibus inconuenientibus extricatam afferre, qua arbitrij noſtri libertas cum certitudine diuinæ præſcientiæ valeat conciliari.

Sed priùs monſtrandum eſt, ipſam diuinæ ſcientiæ certitudinem non imponere humanis euentibus vllam neceſſitatem. Id verò non alia ratione efficiemus, niſi aduerſariorum argumenta diſſoluendo. Omnes igitur hæretici, & Philoſophi lib. præcedenti cap. 2. relati inter autores tertij erroris ex duodecim ibi numeratis, dixerunt, II.

certitu

certitudinem diuinæ præscientiæ imponere rebus præsentis eam necessitatem, quæ humani arbitrij libertatem penitùs euertat. Eidem errori adhæserunt alij Philosophi hoc tertio lib. cap. 2. recitati. illi enim ex hoc capite potissimùm negauerunt, Deum de humanis euentibus aliisque futuris contingentibus certam notitiam posse habere; quia putauerunt admissâ huiusmodi scientia subuerti rerum contingentiam, & humani arbitrij libertatem. Huius erroris primum fundamentum est, quod sumitur ex Aristot. in 1. Perihermenias cap. 8. quod habet certam, & determinatam veritatem, omnino contingens esse non potest: sed quod subsistat certæ, & infallibili Dei notitiæ, habet certam & determinatam veritatem. Ergo illud contingens omnino esse non potest. Minor propositio est nota ex ipsis terminis. Maiorem verò assumit etiam Aristoteles tanquam manifestam, quia de futuris contingentibus non potest esse determinata veritas: quod multipliciter nititur probare: omnium autem probationum summa est, quia posita veritate vnius partis propositionis contradictoriæ de futuro contingenti, illa propositio necessariò est vera, & semper fuit vera, & semper erit vera. Ergo illius contradictoria est falsa, & impossibilis, & semper erit, & fuit falsa, & impossibilis. Quando autem vna ex propositionibus contradictoriis est impossibilis, altera est necessaria. Quare aut in propositionibus de futuro contingenti nulla est veritas determinata: aut nulla est contingentia.

Ioan. VVicl. Th. VVald. Secundum fundamentum est illud, quo vtebatur Ioannes VVicleff apud Thomam VValdensem lib. 1. cap. 29. quod ille tantopere magni fecit, vt diceret Armacanum 20. annis laborasse in eo dissoluendo, & tandem non aliter illud soluere scisse, nisi dicendo, quòd Christus potuit errare; & totam Ecclesiam fallere. Argumentum autem est huiusmodi. Quando ex aliquo antecedenti deducitur aliquod consequens per bonam consequentiam, & antecedens est absolutè necessariam, etiam consequens est absolutè necessarium: sed ista consequentia est bona: Deus scit hoc esse futurum, ergo illud erit. & hoc antecedens, Deus scit hoc esse futurum, est absolutè necessarium. Ergo & istud consequens, hoc erit, est absolutè necessarium. Hoc argumentum affert, & soluit D. Thomas 1. p. quæst. 14. art. 13. estque secundum argumentum in ordine, ita vt videas arrogantiam ipsius hæretici, iactantis argumentum insolubile, quod ante centum annos à D. Thoma fuerat optimè solutum.

Tertium argumentum afferebat VVicleff, vt colligitur ex VValdensi eodem capite, & suprà in aliis locis eiusdem primi libri in hunc modum. Scientia Dei est omnino certa, & infallibilis. Ergo & res scita est omnino immutabilis & infallibiliter euentura. Probatur sequela. Si res scita mutari potest, & non euenire, ponamus quòd non eueniat, iam diuina scientia mutabilis erit, & fallibilis, contra id, quod supponimus. Hoc etiam argumentum licèt sub aliis terminis proposuerat & soluerat D. Thom. ibid. & est argumentum tertium in ordine, quod tale est. Omne scitum à Deo est necessarium: sed nullum futurum contingens est necessarium. Ergo nullum futurum contingens est scitum à Deo.

Quartum argumentum sumitur ex diuinis prædictionibus, & oraculis. Deus per Prophetas, & Apostolos multa futura prædixit. Ergo illa necessariò sunt euentura, aliàs Deus ipse falli, & fallere & mendacij redargui posset. Certitudo verò diuinæ prædictionis fundatur in certitudine diuinæ præscientiæ. Ergo præscitum à Deo esse futurum, necessariò est futurum. Ergo non contingit non esse futurum. Hoc argumentum frequens erat apud Stoicos.

Quintum argumentum addi potest ex D. Thoma loco citato. A causa necessaria non procedit effectus contingens; sed Deus scit res, quatenus scientia Dei est illorum causa, & scientia Dei est necessaria. Ergo nullum scitum à Deo est contingens.

III. Hunc autem errorem non opus est hic longa oratione aut argumentorum serie refutare, libro enim secundo sufficienter satis (ni fallor) probata est humani arbitrij libertas. Nunc solùm dissoluemus aduersariorum argumenta; ea verò omnia vno explicato facillime solui possunt. Illud autem est, An & quomodo propositiones de futuro contingenti possint habere determinatam veritatem. Igitur pro solutione horum argumentorum videndum est, An de futuris contingentibus possit esse determinata veritas. Circa hoc dubium videtur fuisse expressa mens Aristotelis loco proximè citato, quòd propositiones contradictoriæ de futuro contingenti si sint vniuersales ambæ falsæ, sint & impossibiles. Si autem sint particulares, aut singulares, posse quidem esse ambas veras in sensu disiunctiuo, vt, v. g. si dicamus, cras Petrus, vel curret, vel non curret: non tamen posse aliquam illarum esse determinatè veram in sensu disiuncto, vt dicendo, cras Petrus curret, cras Petrus non curret. & hic est sensus vulgatæ illius propositionis: Non est de futuris contingentibus determinata veritas. Circa sensum huius propositionis multi multa dixerunt, nitentes verba Aristotelis iuxta verum sensum exponere, quorum expositiones refert Vasquez 1. part. disp. 66. cap. 1. D. Thomas tum in 1. lib. Perihermen. tum alibi fatetur mentem Aristotelis fuisse, quòd in huiusmodi propositionibus de futuro contingenti non sit determinata veritas: sed tamen dicit, sententiam Aristotelis esse contra veritatem, & contra fidem Catholicam; & eius falsitatem nititur multis modis probare. Et ex hoc deducit, mentem Aristotelis esse, quòd Deus nullam certam habeat notitiam de futuris contingentibus, ne lædatur rerum contingentia. Idem de Aristotele sentit Suarez lib. 1. de scientia futurorum contingentium cap. 2. num. 10. vbi citat in eandem sententiam D. Bonauenturam, Gregorium Ariminensem, & alios.

Aristoteles. Vasquez. D. Thom. Suarez.

Verùm cùm D. Thomas, de quo per Dei gratiam nulla vnquam fuit suspicio, illum in rebus ad fidem spectantibus errasse, doctrinam Aristotelis, vt veram vbique complectatur, dum ait, futura contingentia spectata solùm secundùm illud esse futurum, quod habent in suis causis, non esse certò scibilia etiam ab intellectu diuino: mihi etiam sententia Aristotelis rectè intellecta verissima videtur: quod probo ratione euidentissima. Enunciationes de rebus sunt veræ, quemadmodum & res ipsæ enunciatæ: veritas enim aliud est nihil nisi conformitas intellectus ad rem, quod inferiùs opportuno loco fusiùs declarabitur. Ergo ad hoc, vt propositiones, & enunciationes sint veræ, necesse est in rebus enunciatis esse obiectiuam, & aptitudinalem veritatem. Modò futurum contingens, sub eo respectu, quo futurum est, nullam habet determinatam veritatem obiectiuam, quod inferiùs latissimè deducemus. futurum enim

enim contingens, vt futurum, nullum habet esse nisi in causis contingentibus, & ita habet esse in eisdem causis, quòd potest produci, & non produci. nullus autem nisi stupidus dicet, illud esse, quod est tantùm in causis contingentibus, & potest produci, & non produci, esse, & non esse, habere determinatam veritatem obiectiuè. Ergo nullus nisi stupidus dicere potest propositiones de futuro contingenti vt sunt formaliter de futuro, esse determinatæ veritatis. Non ergo errauit Aristoteles in eo, quòd dixit, in propositionibus de futuro contingenti, vt sunt de futuro, non esse determinatam veritatem: sed in eo, quòd non agnouit, Deum actu infiniti sui intellectus posse præuenire ipsum esse præsens actualis existentiæ futuri contingentis, antequam illud existat in rerum natura. Et ob hanc causam negauit, Deum cognoscere futura contingentia.

IV. Et quoniam Suarez, & Vasquez nituntur probare, sententiam Aristotelis esse contra fidem, & consequenter & D.Thom. & Scoti & aliorum Doctorum, qui eidem propositioni subscribunt: ideo pro solutione argumentorum illorum, & argumentorum hæreticorum notandum est, futura contingentia duobus modis considerari posse, vno modo respectu illius esse, quod habent solùm in suis causis contingentibus, antequam sint actu posita extra suas causas in rerum natura, quod propriè est futurum ipsorum contingentium, & fundat propositiones de futuro contingenti, vt sunt de futuro contingenti. Alio modo respectu illius esse, quod habent in aliqua temporis differentia extra suas causas in seipsis, quando sunt producta in rerum natura, quod est esse actualis illorum existentiæ. Respectu primi esse futura contingentia cuicunque intellectui etiam diuino comparata nullam habent determinatam veritatem, & in propositionibus de futuro contingenti, vt tales sunt, & formaliter sic sumptæ, nulla est determinata veritas. Hic est sensus intentus ab Aristotele, D.Thom. & aliis, qui verissimus est, nec potest vlla cauillatione impugnari. Respectu verò illius esse, quod res habebunt extra suas causas in rerum natura pro aliqua temporis differentia, cùm fuerint productæ, quod erit esse actualis illorum existentiæ, futura contingentia certam, & determinatam veritatem habent, sicut illud esse erit verum, & certum, sicut re existente verum est, & necessarium dicere, res existit. Si autem ratione illius esse verum est dicere, illud futurum contingens erit. Ergo & in præterito & quocunque tempore præcedenti fuit, & erit verum dicere, illud contingens erit: & sic ratione illius esse futura contingentia subdi possunt certæ scientiæ, adeò quòd intellectus, qui præcurreret temporum differentias, & attingeret illud esse actualis existentiæ futurorum contingentium, quod habebunt extra suas causas, posset ipsa futura contingentia certò, & infallibiliter cognoscere. Hoc modo dicimus de futuris contingentibus posse esse determinatam veritatem non ratione illius esse futuri, quod habebunt solùm in causis contingentibus, sed ratione illius esse præsentis, quod habebunt in rerum natura extra suas causas. In hoc sensu dixerunt D. Thom. & Scotus, & alij, propositiones de futuro contingenti habere determinatam veritatem, & illarum veritatem certò esse à Deo cognitam, quanuis Aristoteles hanc veritatem minimè fuerit assecutus.

V. Per hæc patet responsio ad primum argumentum. Nam ad maiorem dicimus, illud, quod habet determinatam veritatẽ secundùm esse, quod habet in suis causis, non posse esse contingens: sed quod habet determinatam veritatem ratione solum eius esse, quod habet aliquando in rerum natura extra suas causas, bene potest esse contingens: quia dum contingens est, necesse est illud esse, & tamen non tollitur ab illo natura contingentis, Deus itaque certò & infallibiliter cognoscit futura contingentia, & illa subduntur certæ Dei notitiæ, non ratione primi esse, sed ratione secundi: & sic nullo modo tollitur eorum contingentia.

Ad secundum primò respondetur falsum esse, quod VVicleff imposuit Armacano, illum scilicet ab eo argumento conuictum lapsum fuisse in eum errorem, vt dixerit Christum decipi potuisse, & Ecclesiam decipere. Thomas enim VValdensis dicto cap. 19. ostendit, esse manifestam impostu- Th. VVald.
ram illius hæretici, cùm nihil tale reperiatur in libris Armacani. Secundò ad argumentum dico, eo modo, quo istud antecedens, Deus scit, Petrum eras nauigaturum, est necessarium, eodem modo & istud consequens, Petrus nauigabit, esse necessarium. Sed nego antecedens esse necessarium absolutè, est enim absolutè contingens, vt plures, iique graues Theologi docent, nimirum D. Bonauentura in 1. dist. 38. art. 2. quæst. 2. Albertus art. 4. ad 3. Durandus quæst. 3. ad 2. Scotus quæst. 1. §. *Ad argumenta quinta quæstionis*. Gregorius Ariminẽsis, Riccardus, Gabriel, Okam, Marsilius, Ferrariensis & alij. Licèt enim scientia Dei quoad substantiam actus sit quid absolutè necessarium: tamen quoad respectum, quem addit ad creaturam scitam est contingens, id est, non est necessarium absolutè, scientiam Dei addere istum respectum ad creaturam vt absolutè futuram; sed est quid contingens, quod prouenit tum ex eo, quod dictum est superiùs, quòd scientia visionis ordine rationis supponit suum obiectum, & ad illud quodammodo pendet, sicut relatio ad suum terminum, vel saltem esse subiecti est conditio necessaria, vt scientia ad illud valeat terminari, & obiectum poni, vel non poni, est quid contingens, non autem necessarium; & sic etiam respectus ille rationis contingenter, & non necessariò ponitur. tum etiam, quia Deus si non contingenter, saltem liberè, & non necessariò determinat suum concursum ad extra respectu illius obiecti, sine quo illud non existeret in rerum natura. Vnde quemadmodum scitum non est necessarium, nisi ex suppositione consequente, vel concomitante, qua aliquid dum est, necesse est esse: ita & scientia non est necessaria nisi ex suppositione futuritionis obiecti scibilis; & istud antecedens similiter non est necessarium nisi ex suppositione simili, quæ nullam infert necessitatem, nisi consequentiæ, cùm ordine rationis quodammodo sit prius hoc consequens, Petrus eras curret, quàm istud antecedens, Deus scit Petrum eras cursurum, & posterius non inferat necessitatem priori.

Bonau. Albertus Magnus. Durandus. Scotus. Gregorius Ariminẽsis. Gabriel. Okam. Marsilius. Ferrariẽsis.

Dicetur, quòd D.Thom. dicta quæst. 14. art. 13. VI.
ad 2. admittit, illud antecedens, Deus scit Petrum D.Thom.
eras peccaturum, esse absolutè necessarium, & tamen negat consequens esse absolutè necessarium. Respondeo omissis multis, quæ à Caietano, & aliis commentatoribus dicuntur, D.Thomam non voluisse dicere, hoc antecedens esse absolutè necessarium, ea necessitate, quæ pugnat cum contingentia, & libertate quæ oritur ex ipsa re, siue (vt aiunt) ex terminis, quæque necessitas antecedens vocatur: id enim esse contra mentem autoris, constare

constare potest ex his, quæ scribit in 1. dis. 39. quæst. 1. art. 1. per totam quæstionem. Sed facta comparatione inter propositionem de præterito, & propositionem de futuro, solitum fuisse vocare propositionem de præterito absolutè necessariam; eo quòd ad præteritum non sit potentia, vt non sit præteritum, licèt absolutè aliquod præteritum fuerit, quod liberè, & contingenter fuit, & potuit non esse; at supposito, quòd semel præterierit, per nullam potentiam fieri potest, vt non fuerit. Vocat igitur D. Thom. hoc antecedens, Deus scivit hoc contingens futurum necessarium absolutè, non quòd sit necessarium intrinsecè, & ex terminis, sed quia licèt sit necessarium solùm ex suppositione, tamen enũciatur per modum præteriti, & sic enunciatur per modum necessarij absolutè. Hanc acceptionem necessarij absolutè nos lib. 1. cap. 1. consultò omisimus, cùm non sit necessarium absolutè secundùm rem, & ex terminis, sed solùm secundùm modum enunciandi.

VII. Dicetur. Esto istud antecedens sit necessarium solùm ex suppositione, tamen postquam transiuit in præteritum, per nullam potentiam etiam diuinam fieri potest, vt non fuerit verum, quòd Deus præsciuit Petrum cras peccaturum. Ergo per nullam potentiam fieri potest, vt Petrus cras non peccet. Tota ergo libertas arbitrij in nihilum redigi videtur; quia solùm videtur posita in hoc, quòd Deus potuit in aliquo signo rationis non sciuisse, Petrum cras peccaturum. At supposito, quòd hoc semel sciuerit, non erit in Petri, immo nec ipsius Dei potestate efficere, quòd id nesciuerit, & sic non erit in Petri potestate quòd non peccet.

Ad hoc dubium, quod certè apparenter est maius dubium, quod moueri soleat in controuersiis de humana libertate, respondeo ex D. Thoma dicta dist. 39. art. 1. in corpore, vbi de voluntate diuina sic ait. *Cum igitur actus diuinæ voluntatis semper sit in actu, & non pertransiens in præteritum, semper est quasi in egrediendo a voluntate. Et ideo manet libertas diuinæ voluntatis respectu ipsius.* Et ad primum vbi ait. *Ad primum ergo dicendum, quòd actus diuinæ scientiæ nunquam transit in præteritum, sed semper est in actu, & ideo semper manet in libertate.* Hanc responsionem, quæ in hac controuersia, & aliis de actibus diuinæ voluntatis, & prouidentiæ, & prædestinationis ad multa seruit, inferiùs latiùs explicabimus, & roborabimus.

D. Thom.

VIII. Ad tertium argumentum respondetur, ex infallibilitate, & immutabilitate diuinæ præscientiæ, nullam maiorem inferri posse necessitatem rebus scitis, quàm sit necessitas ex suppositione, secundùm quam dicimus, id quod est, necesse est esse, dum est. Quod facilè intelligimus, si recolamus id, quod proximè dictum est, ipsam scientiam non præcedere, sed ordine rationis supponere rem scitam. Et paulò superiùs, diuinam præscientiam futurorum contingentium ideo esse certam, & infallibilem, quia attingit esse præsens actualis existentiæ rerum contingentium extra suas causas. Sicut enim de re contingenti dum actu est, potest haberi scientia certa, & infallibilis, & immutabilis, & inuariabilis, & nihilominus ne in pilum quidem læditur illius contingentia; ita diuina præscientia, quia attingit illud esse, quod res contingentes reuera habebunt in rerum natura, est certa, & infallibilis, & immutabilis: & tamen rerum contingentiam minimè lædit. Et, vt Augustinus ait lib. 3. de liber. arbitr. cap. 4. *Non quia Dei præscientia est, necesse est fieri, quæ præscierit: sed tantummodo quia præscientia est, quæ si non certa prænoscit, vbique nulla est.* Ecce tibi ex sententia Augustini certitudo diuinæ præscientiæ non maiorem necessitatem infert rebus præscitis, quàm præscientia hominis; & infra: *Quia, ni fallor, non continuò tu peccare cogeres, quem peccaturum esse præscires. Neque ipsa præscientia tua peccare eum cogeret, quamuis sine dubio peccaturus esset: non enim id aliter futurum esse præscires. Sicut itaque non sibi aduersantur hæc duo, vt tu præscientia tua noueris, quod alius sua voluntate facturus est; ita Deus neminẽ ad peccatũ cogens, præuidet tamẽ eos, qui propria voluntate peccabunt.* Et Boëtius lib. 5. de consolatione prosa 4. *Sed præscientia tametsi futuris euentibus necessitas non est, signum tamen est, necessariò ea esse euentura.* Non igitur certitudo diuinæ præscientiæ rebus scitis vllam necessitatem infert nisi consequentiæ, & in sensu composito, cùm potiùs (si sic loqui licet) certitudo, & infallibilitas euentus ipsarum rerum diuinæ præscientiæ inferat necessitatem certitudinis, & infallibilitatis. Et esto res non cognoscerentur à Deo, essent nihilominus euenturæ.

August.

Ad quartum respondetur, diuinas prædictiones respectu futurorum, quæ non pendent ex libera hominis voluntate, imponere illis ineuitabilem necessitatem: at respectu eorum, quæ pendent ex libero hominis arbitrio, cuiusmodi sunt nonnulla in diuinis Scripturis, non maiorem imponere necessitatẽ, quàm sit ea, quam homo sibi ipsi imponit, cùm aliquid facit, secundùm quam, dum facit, necesse est facere, quæ est necessitas ex suppositione consequente, quam D. Thomas, & alij vocant necessitatem in sensu composito, vel consequentiæ. Deus enim prædicit res futuras eo modo, quo videt, eas per liberum arbitrium futuras.

Solutio quinti argumenti requirit, vt videamus, an, & quomodo scientia Dei sit rerum causa, quod cap. sequenti tractandum statim erit.

CAPVT XII.

An scientia Dei sit causa rerum contingentium, & quomodo.

PRæsens quæstio necessariò soluenda est, antequam ad vlteriora gradum faciamus, non solùm ad dissoluendum quintum argumentum superiori capite propositum, sed ad intelligendum, an ex efficacitate ipsius diuinæ præscientiæ sumi possit sufficiens ratio certitudinis diuinæ eiusdem præscientiæ de futuris contingentibus. Sunt verò in hac quæstione aliqua certa, quædam verò dubia. Primò nanque certum est apud omnes saltem Catholicos, scientiam diuinam esse rerum causam. testantur id manifestè diuinæ Scripturæ, quæ dicunt, Deum fecisse omnia in sapientia, Psalm. 103. & fecisse cœlos in intellectu, Psal. 135. & Dominum sua sapientia fundasse terram, Prouerb. 3. & æternam Dei sapientiam, quando ille cœlos præparabat, & quando æthera firmabat sursum, & librabat fontes aquarum, & circumdabat mari terminum suum, & appendebat fundamenta terræ, cum illo fuisse cuncta componentem, Prouerb. 8. Dicitur etiam Deus in Scripturis in Verbo, & per Verbum suum omnia fecisse, Psal. 32. & 148. & ad Hebræos 1. & 11. Verbum autem ad intellectum pertinet. Ad hæc dicitur mundum Deus ad instar artificis ordinasse, & disposuisse, Sap. 7. & 8. Ars verò intellectualis est habitus. certè ipse ordo mundi, & illius pulchritudo indicant

I.

dicant illius autorem ſapientiſſimum fuiſſe, ordinare enim ſapientis eſt.

Ariſtoteles. Auerroes. Philoſophi quoque pagani hanc veritatem & agnouerunt, & docuerunt Ariſtoteles, & Auerroes 12. Metaph. text .39. & idem Auerroes diſp. 10. Metaph. ad primum dubium & diſput. 12. in principio. Et reuera nullus eam non intelligit veram eſſe, qui intelligit, Deum eſſe ſubſtantiam ſpiritualem,ſimpliciſſimam, agentem per intellectum, & voluntatem tanquam per nobiliſſimum agendi modum, qui ſolus naturæ purè intellectuali poteſt conuenire. Patrum verò, & Scholaſticorum teſtimonia velle in huiuſce veritatis probationem afferre, nihil aliud eſt agere, niſi in re notiſſima ſuperfluè abundare. Cùm autem certiſſimum ſit Dei ſcientiam eſſe rerum cauſam, manet nihilominus duplex dubium, neque omnino contemnendum circa eandem quæſtionem. Primum eſt quænam ſcientia ſit rerum cauſa, an ſcientia ſimplicis intelligentiæ, an viſionis, an vtraque ſimul, an aliqua tertia ſcientia ab his duabus diſtincta. Secundum dubium eſt quónam modo ſcientia ſit rerum cauſa, an ſe ſola, an adiũcta diuina voluntate,an immediata,an mediata. Hæc duo dubia breuiter quoad fieri poterit hic reſoluemus, primum capite præſenti, ſecundum capite ſequenti.

II. Circa primum dubium triplex eſt Doctorum opinio. Prima docet,ſcientiam, quæ eſt cauſa rerum, eſſe ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, quæ naturalis eſt, & eſt in Deo ante liberum decretum. Ita ſentiunt Cardinalis Bellarminus lib. 4. de Gratia & libero arbitrio cap. 13. Vaſquez 1. p.diſp.68.num.40.Nazarius quæſt. 14.a.8.contr.1. §.*Non poteſt hæc quæſtio.* & concluſ.tertia & quarta.Suarez lib.3.de Attributis cap.4. num.7. & ſeq. Secunda opinio eſt, quòd hæc ſcientia, quæ eſt cauſa rerum, ſit ſcientia viſionis, quæ eſt libera, & ſequitur decretum liberum. Ita ſentiunt Aluarez diſp. 6. de diuinis auxiliis concl.2.& Raphael Ripa in primam partem quæſt.14.art.13. diſp. 4. vbi dicit, nullum ex priſcis Doctoribus de hac re dubitaſſe. Et quoniam D. Thom. nonnunquam vocat ſcientiam, quæ eſt rerum cauſa, ſcientiam approbationis, dicunt iſti,ſcientiam approbationis ſub ſcientia viſionis comprehendi.Tertia opinio eſt quòd ſcientia,quæ rerum cauſa eſt, non ſit ſcientia ſimplicis intelligentiæ, neque ſcientia viſionis, ſed tertia quædam ſcientia, quæ vocatur approbationis. Ita Trigoſius in 1. part. ſuæ ſummæ quæſt. 10. art.1. notabili 4. & quæſt.18. art.6. dub. 2. vbi contendit hanc eſſe mentem D. Thom.& D.Bonauenturæ. Et reuera D. Thomas vocat ſcientiam, quæ eſt rerum cauſa, ſcientiam approbationis, vt videre eſt in prima parte quæſt. 14.art.8.& de veritate quæſt.7 art.8. Idem autem ſentire Magiſtrum ſententiarum patet apud ipſum diſt.38.cap.4. Idem quoque ſentire Alexandrum Alenſem,Bonauenturam,Albertum,& alios communiter, probat idem Trigoſius dicta quæſt. 10.loco citato.

Bellarmin. Vaſquez. Nazarius. Suarez. Aluarez. Ripa. Trigoſius. D.Thom. Magiſter.

III. Ex his opinionibus ſecunda non videtur probanda, quia ſcientia viſionis non poteſt eſſe cauſa ſui obiecti,ſed illud neceſſariò præſupponit;& ordine rationis ipſum obiectum eſt prius ſcientia. Id expreſsè docuit Auguſtinus lib.4.de Geneſi ad literam cap. 32. dum ait: *Neque enim cognitio fieri poteſt,niſi cognoſcenda præcedant.* Vbi quamuis loquatur de notitia angelica:tamen loquendo de ſcientia viſionis ſentit Auguſtinus, eandem eſſe rationem de ſcientia Dei,& creaturæ,vt expreſsè colligitur ex lib.3.de lib.arbitrio cap.4. Idipſum videtur expreſsè docuiſſe D. Th. dicta quæſtione 14. art. 9. ibi enim docet, ea ſolùm videri à Deo per ſcientiam viſionis, quæ habent eſſe in rerum natura extra Deum, ſupra quæ ferri poteſt intuitus diuinus, tanquam ſupra per ſe exiſtentia. Sentit igitur D. Thomas ſcientiam viſionis ſupponere obiectum,ſuper quod fertur diuinus intuitus. Et reuera cùm nulla potentia operetur ſuum obiectum, ſitque hæc res conſtans apud Philoſophos, difficile admodum intellectu videtur,quòd ſcientia viſionis ſit cauſa rerum viſarum. Hinc appareret, quantæ ſit probabilitatis, quod nonnulli aiunt, hanc opinionem apud antiquos Doctores nullo modo fuiſſe dubiam.

Auguſtinus. D.Thom.

IV. Tertia opinio ſua probabilitate non caret tum propter autoritatem D.Thomæ & Magiſtri, & aliorum, qui eam docuerunt:tum etiam quia ſecũda opinio omnino improbabilis eſt,& prima non leuem habet difficultatem, nam ſcientia non poteſt eſſe cauſa rerum niſi poſt liberum decretum: at ſcientia,quę eſt in Deo poſt liberum decretum, non videtur eſſe poſſe ſcientia ſimplicis intelligentiæ.

Nihilominus omnibus collatis prima opinio eſt cæteris omnibus probabilior, & vt talis aliis reiectis recipienda.cuius veritas vt faciliùs percipiatur,duo ſunt adnotanda. primum eſt,ſciẽtiam, quæ rerum eſt cauſa, practicam eſſe, non autem ſimpliciter ſpeculatiuam, ſcientia enim Dei eſt cauſa rerum per modum artis,vt colligitur ex lib. Sapiẽtiæ c.7.& 8.& docet D.Aug. lib.83.qq.q.46. & lib.6.de Trinitate c.vlt.vbi vocat diuinã ſcientiam in ordine ad creaturas ideam,& artem. Ars verò ad intellectum practicum ſpectat ex Ariſtot. in 6.Ethic. Præterea ſcientia eſt rerum cauſa per modum dirigentis ad opus,& dictantis, vt tradit D.Th.1.part.quæſt.19.art.4.ad 4. & quæſt.25. art. 2.ad 4. & ante illum Auguſt.relatus à Bonauentura in 1.diſt.45.art.2.quæſt.1.in 2. argumento. Intellectus autem dirigens ad opus & eiuſdem operis dictatiuus practicus eſt ex Philoſopho 3.lib.de Anima text.49.& lib.3.Ethic.cap.6.& lib.6.cap.3. 4.& 5.

Auguſt. Ariſtoteles. D.Thom. Auguſtinus. Bonau. Ariſt.

V. Secundò notandum eſt duobus modis ſcientiã poſſe dici practicam, vno modo aptitudinaliter, ſiue in actu primo:alio modo actualiter,& in actu ſecundo,& exercito.Hanc diſtinctionẽ colligo ex Capreolo in 1.diſt.35.q.2.a.2.ad argumẽta Aureoli ſecundo loco inducta contra primam concluſionem;iuxta quam proportionabiliter dico,duobus modis intelligi poſſe, ſcientiam eſſe cauſam rerũ, vno modo per modum artis, & habitus, & actus primi:alio modo per modum actus ſecundi exerciti.Et quidem primo modo ad hoc,vt ſcientia ſit rerum cauſa, neceſſe non eſt, accedere liberum Dei decretum. Secundo autem modo requiritur diuinum decretum liberum.

Capreolus.

VI. His ſuppoſitis probatur euidenter veritas primæ opinionis. Scientia, quæ habet omnes veras conditiones ſcientiæ practicæ, eſt verè in ſuo ordine rerum cauſa,hæc à nullo,qui terminos intelligat,negari poteſt: ſed ſcientia ſimplicis intelligentiæ ante omne liberum decretum ſaltem in actu primo, & in habitu habet omnes veras conditiones ſcientiæ practicæ.Ergo ſcientia ſimplicis intelligentiæ eſt verè rerum cauſa.Minor propoſitio probatur,nam ad veram rationem notitiæ practicæ requiritur,& ſufficit,quòd ſit repræſẽtatiua operis,quod faciendũ eſt,& dirigat ad opus,& dicter melius eſſe hoc, vel illo modo res producere,

quàm alio modo; at verò ante liberum decretum scientia diuina repræsentat diuino intellectui omno creabile,& sufficienter dirigit ad quodcunque creabile, & dictat,melius esse hoc modo res creare,quàm alio.Ergo.

Confirmari potest hæc ratio ex Suarez, quia rationi consentaneum est credere, notitiam simplicis intelligentiæ ante omne absolutum, & liberum decretum, de rebus creandis, non solùm per modum artis, sed etiam per modum prudentiæ fuisse scientiam practicam, & per illam eos actus, quos circa rerum creationem, & gubernationem exercuit, iudicatos fuisse prudentissimos, & honestissimos, & maximè conformes diuinæ iustitiæ, bonitati, &c.maximè cùm Scriptura dicat,Deum omnia fecisse in sapientia,& extendisse cœlos sua prudentia.

Neque obstat,quòd iudicium præcedens omne liberum decretum sit naturale,quia esto sit naturale ex parte actus, non tamen proponit obiectum, vt necessariò eligibile, loquendo de bono creato:vnde liberum relinquit diuinæ voluntati, eligere productionem creaturarum, vel illam respuere.

VII. Secundò probatur veritas eiusdem primæ opinionis. Eadem est omnino scientia repræsentatiua operis, & directiua, & dictatiua per modum actus secundi exerciti, accedente libero Dei decreto, quæ ante illud solùm erat repræsentatiua, directiua,& dictatiua per modum actus primi, & habitus:sed illa citra omnem controuersiam erat scientia simplicis intelligentiæ.Ergo & ista.Maior propositio probatur primò, quia inutiliter multiplicantur duæ scientiæ practicæ, quarum vna antecedat decretum voluntatis circa operabile,altera verò sequatur:& nullus Philosophorum, quos de hac re legere potui, hoc affirmat. Secundò, quia omnes Doctores dicunt,scientiam practicam determinari ad opus per liberum decretum:modò quod determinatur,idem maneat ante,& post determinationem, aliàs determinatio esset rei transmutatio. Cùm ergo scientia diuina ante liberum decretum sit scientia simplicis intelligentiæ, & eadem maneat accedente decreto, sequitur scientiam,quæ accedente decreto est rerum causa, esse ipsammet scientiam simplicis intelligentiæ, quæ accedente decreto non amittit suum esse, sed solùm amittit rationem præcisè scientiæ simplicis intelligentiæ,& induit rationem causæ.&,vt summariè loquamur, quemadmodum id quod est complementum causæ, non destruit rationē causæ,& quod est complementum actus primi,& habitus,non destruit rationem eiusdem actus primi, deducens illum ad actum secundum;ita decretum liberum accedens practicæ scientiæ simplicis intelligentiæ non destruit illius rationem.

VIII. Contra hanc doctrinam est primum dubium, quia omnis scientia, quæ est in Deo post liberum decretum, est scientia libera, & pertinet ad scientiam visionis; scientia quæ est causa rerum,est in Deo post decretum liberum.ergo illa ad scientiam visionis pertinet,non autem ad scientiam simplicis intelligentiæ.

Respondeo,falsam esse maiorem,& gratis assumi,tanquam veram,cùm probatione illa omnino indigeat. Nam & scientia simplicis intelligentiæ manet in Deo etiam post liberum decretum. Sed aliud est, scientiam, quæ est in Deo post liberum decretum, esse liberam, aliud est scientiam quæ non est in Deo nisi post liberum decretum, esse liberam.Secundum est verum,primum autem non est vniuersaliter verum, quoniam eadem scientia simplicis intelligentiæ,quæ erat ante liberum decretum,potest manere post illud, & in hoc hallucinati sunt autores secundæ opinionis.

Secundum argumentum contra eandem veritatem sumi potest ab autoritate Magistri, & D. Thomæ, & aliorum Scholasticorum, à quibus scientia, quæ est rerum causa, communiter consueuit vocari scientia approbationis, vt idem D. Thom.quæst.14.sæpe citata testatur art.8.

Respondeo. Duplex est scientia approbationis, altera,qua probantur res iam factæ,de qua Genes. 1.dicitur,*Vidit Deus cuncta,quæ fecerat,& erant valde bona.* altera, qua probantur res,an fieri debeāt. Prima ad scientiam visionis spectat:secunda verò ad scientiam simplicis intelligentiæ. De scientia approbationis primo modo accepta loquitur D. Thom. de veritate quæst.7. art. 8. cùm distinguit scientiam approbationis à scientia simplicis intelligentiæ: quanuis illa etiam distinctio ibi assignata non sit generalis comprehendens omnem scientiam,quoniam scientia malorum vt sunt absolutè futura,sub nullo membro illius distinctionis claudi potest. De scientia verò approbationis secundo modo accepta loquitur ipse D.Thomas, & loquuntur alij Doctores dicta quæst.14.art.8.& vbicunque dicunt,scientiam, quæ est rerum causa,esse scientiam approbationis. Cur verò illa vocetur scientia approbationis, ratio est,quia habet omnimodam similitudinem cum scientia approbationis primo modo dicta:sicut enim illa,ita ista solummodo bonorum est, nam Deus mali autor esse non potest. Distinguuntur autem in hoc, quòd illa est solùm earum rerum, quæ iam factæ sunt: hæc verò est solùm earum rerum quæ approbantur vt fiant. D.Thom.

CAPVT XIII.

Quomodo scientia Dei sit rerum causa, magis distinctè explicatur.

I. Circa secundum quæsitum capite præcedenti propositum,vnum est apud omnes certū, & vnum dubium. Certum est omnium Doctorum consensu,scientiam diuinam non esse rerum causam, nisi adiuncta diuina voluntate, idque adeò certum est,quemadmodum certum est, quidquid Deus operatur, operari secundùm consilium voluntatis suæ,vt Paulus ait ad Corinth.1.cap.2. & illud,quod ait D.Ioannes in Apocal.cap.4. *Tu fecisti omnia,& propter voluntatem tuam erant, & creata sunt.*& sicut certum est, Deum ad extra cuncta per imperium & nutum suæ voluntatis operari. Probatur quoque à D. Thom. hæc veritas duplici ratione. Primam affert dicta quæst.14.art.8. quia scientia vt scientia est, æqualiter respicit vtrunque contrariorum. Ergo nisi per voluntatem determinaretur potiùs ad vnum contrariorum, quàm ad alterum,faceret vtrunque, aut neutrum illorum. Hanc rationem tangit Auerroes disp. 10. Metaph. ad primum dubium, & disput. 12. in principio. Estque excerpta ex Philosopho 9. Metaph. text. 10. Secundam rationem assignat de veritate quæst. 2. art. 14. quia de ratione formæ,vt forma est, non est esse principium operationis,sed solùm perficere id, cuius est forma. vnde ad hoc, vt forma sit principium operationis, oportet D.Thom. Auerroes. Aristoteles.

Digitized by Google

oportet illam inclinari per aliquam virtutem ad agendum: ſcientia vt ſcientia eſt, forma quædam eſt perficiens ſcientem. Ergo non habet vt ſit principium operationis, niſi per aliquam virtutem inclinetur ad opus: inclinans verò in agentibus per intellectum, & voluntatem, eſt ipſa voluntas. Ergo ſcientia non eſt cauſa rerum, niſi adiuncta voluntate, & per illam determinata.

II. Dubium verò eſt circa idem quæſitum, An ſcientia ſit immediatum principium agendi ad extra, an voluntas, an tertia aliqua potentia executiua ab intellectu, & voluntate diſtincta. Circa hoc dubium longum nimis foret, omnia recenſere, quæ recentiores ſcribunt. Quare hìc ſolùm ea recenſebimus, quæ ad illius ſolutionem omitti omnino non poſſunt: neque enim præſentis inſtituti ratio longiores in eo eſſe ſinit. Circa hoc dubium tres referuntur Doctorum opiniones. Prima opinio docet, Deum per ſuam ſcientiam conſtitui formaliter omnipotentem, & ſcientiam eſſe primum, & immediatum principium effectiuum creaturarum ad extra, & eſſe magis proximum principium, quàm voluntatem. Hanc tenuerunt Dominicus Bañes eadem quæſt. 14. art. 5. ad 2. dubium. Nazarius ibidem contr. 1. §. *Quarto recolenda.* & art. 8. contr. 2. in concluſionibus. Aluarez diſ. 17. de Auxiliis.

Bañes. Nazarius. Aluarez.

Secunda opinio docet, Deum non producere res ad extra per intellectum & voluntatem, vt principia proxima producendi, ſed per omnipotentiam, quæ eſt attributum ab illis diſtinctum. aiunt verò facta comparatione inter intellectum, & voluntatem, ipſam voluntatem eſſe principium magis proximum, quàm intellectum. ita ſentiunt Durandus in 1. diſt. 38. quæſt. 1. Argentinenſis ibi. art. 2. Ludouicus Molina in 1. part. quæſt. 25. art. 1. & Suarez lib. 3. de Attributis c. 9. & videtur fuiſſe mens D. Thomæ in 1. diſt. 38. art. 1. & 1. part. quæſt. 19. art. 4. ad 4. & quæſt. 25. art. 1. ad 4. & diſt. 45. eiuſdem primi libri ſententiarum quæſt. 1. art. 3. ad 2. & aliis pluribus in locis.

Durandus. Argentin. Molina. Suarez. D. Thom.

Tertia opinio eſt, præter intellectum, & voluntatem nullam eſſe aliam potentiam executiuam in Deo; ipſam verò diuinam voluntatem eſſe principium immediatum executiuum ad extra. Ita ſentiunt Scotus in 1. diſ. 17. quæſt. 1. Ioannes Baſſolis, Caietanus, & Ferrarienſis, quos refert, & ſequitur Vaſquez eadem 1. parte, diſ. 102. capite 8.

Scotus. Baſſolis. Caietanus. Ferrariẽſis. Vaſquez.

III. Pro ſolutione huius dubij ſit prima diſtinctio. De diuinis attributis, maximè intellectu, voluntate, & omnipotentia, duobus modis poſſumus loqui, vno modo prout à nobis concipiuntur proportionata ad creaturas, in quibus ſunt iſtæ perfectiones, & ex quibus huiuſmodi perfectiones transferuntur in Deum: alio modo prout ſunt in Deo, & ex parte ipſius Dei.

Secunda diſtinctio. Iſtæ perfectiones prout sũt in Deo, duobus adhuc modis concipi poſſunt: vno modo prout identificantur inter ſe, & cũ diuina eſſentia: alio modo prout aliquo pacto ſaltem virtualiter diſtinguũtur inter ſe, & à diuina eſſentia.

Tertia diſtinctio, aliquid eſſe principium proximum, & immediatum alicuius effectus, duobus modis intelligi poteſt, vel in ſuo ordine & modo cauſandi, vel abſolutè, ita vt immediatè ſecũdùm ordinem executionis illud attingat eius productionem.

IV. Prima concluſio. Si loquamur de attributis ſcientiæ, voluntatis, & omnipotentiæ, prout concipiuntur à nobis proportionabiliter ad perfectiones ſimiles exiſtentes in creaturis, Deus non eſt formaliter omnipotens per ſuam ſcientiam; ſed omnipotentia eſt attributum diſtinctum à ſcientia, & voluntate. Hæc concluſio eſt expreſſa doctrina D. Auguſtini, cuius verba refert D. Bonauentura diſ. 45. art. 1. quæſt. 1. in ſecundo argumento. Dicit enim, quòd Deus per voluntatem mouet, per ſapientiam diſponit, & per potentiam exequitur. Omnes etiam Theologi diſtinguunt hæc tria attributa abinuicem, & loquuntur de attributo omnipotentiæ, vt diſtincto ab attributo ſcientiæ, & voluntatis, vt videre eſt apud Magiſtrum in 1. diſ. 45. & D. Thom. in 1. part. quæſt. 25. Præterea eſt frequentiſſimo vſu recepta apud D. Thomam locutio illa Durandi, Deus operatur per ſuam ſcientiam, vt dirigentem, per voluntatem, vt imperantem, & per potentiam, vt exequentem, vt patet ex locis citatis diſt. 38. quæſt. 1. art. 1. & diſt. 45. art. 3. ad 2. & ex 1. part. quæſt. 19. & 25. Ratio quoque irrefragabilis eam probat, quoniam quidquid ſit à parte rei, prout iſta attributa à nobis concipiuntur, neque ſcientia, neque voluntas concipiuntur ſub ratione principij executiui. vnde quoad hoc videtur militare ſententia Durandi, & eius ratio, quia quem ordinem, & modum cauſandi habent hæc tria in nobis, vbi ſecundùm rem diſtinguũtur, eundem ordinem, & modum cauſandi habere debent, vbi non ſunt diſtincta realiter, ſed ſolùm ſecundùm rationem: nam ex hoc, quòd hæc tria tranſlata ex nobis in Deum, identificantur in illo realiter, non deſtruitur illorum formalis ratio. ergo neque deſtruitur illorum ordo, & modus cauſandi: modò in nobis ſcientia non conſtituit formaliter potentiam executiuam. Ergo neque in Deo.

D. Auguſt. Magiſter. D. Thom.

V. Secunda concluſio. Si ſit ſermo de eiſdem attributis eodem modo conceptis, intellectus, & voluntas dici poſſunt principia proxima, & immediata agendi ad extra in ſuo genere, & ordine: non autem proxima, & immediata abſolutè, ſed principium proximum, & immediatum abſolutè eſt potentia executiua. Quoad primam partẽ hæc cõcluſio videtur eſſe expreſſa mẽs D. Th. in 1. diſt. 45. art. 3. ad 2. vbi ſic ait ad verbum: *Ad ſecundum dicendum, quòd voluntas eſt principium operationis, vt primum imperans, ſed potentia in his quæ agunt per voluntatem, eſt principium operis vt exequens: & in hoc conſiſtit ratio potentiæ, vt ſit principium proximum operis, & non primum, & ſic voluntas Dei potius dicitur cauſa rerum, quàm potentia.* Et 1. part. quæſt. 25. art. 1. ad 4. vbi docet, quòd hæc tria in Deo diſtinguuntur ſecundùm rationem, & dato quòd potentia executiua non differat ab intellectiua, & voluntate ſecundùm rem, ſed ſola ratione, tamen intellectus, & voluntas, non ſunt principia rerum, niſi quatenus induunt rationem potentiæ. quibus in locis, vt apparet, docet etiam ſecundam partem eiuſdem concluſionis.

D. Thom.

Probatur verò vtraque pars eiuſdem concluſionis. Prima quidem, quia intellectum, & voluntatem eſſe principia proxima, & immediata in ſuo genere, & ordine, nihil aliud eſt, niſi intellectum eſſe principium per modum dirigentis, & voluntatem per modum imperantis: ſed hoc modo nihil mediat inter intellectum, & voluntatem cauſantem, & rem cauſatam. Ergo illa hoc modo ſunt principia proxima, & immediata. Probatur etiam ſecũda pars, quia per actiones immanentes, vt ſic, nihil producitur ad extra effectiuè ex Philoſopho in 9. Metaph. text. 16. idque de ſe ſignificat actio immanens, nã eo ipſo, quòd aliud efficit ad extra, amittit rationem actionis immanentis.

Ariſtoteles.

VI. Tertia concluſio. Si loquamur de his attributis,prout ſunt in Deo, & ex parte rei identificantur inter ſe,& cum diuina eſſentia,nihil prohibet dicere,tam ſcientiam,quàm voluntatem,& potentiam,& è contrà, eſſe proximum, & immediatum principium agendi ad extra.

Quarta concluſio.Si ſit ſermo de eiſdem attributis,prout diſtinguuntur inter ſe virtualiter,probabilis eſt ſententia Durandi, Deum non conſtitui formaliter omnipotentem per ſcientiam & voluntatem,& omnipotentiam eſſe abſolutè principium proximum, & immediatum agendi ad extra,non autem intellectum,aut voluntatem. Hæc quoque aſſertio videtur expreſsè tradita à D.Th. dicta quæſt.25.art.1.ad 4.tum in prima reſponſione, vbi diſtinguit hæc tria attributa ſecundùm rationem : & diſtinctio rationis, quam D.Thom. ponit inter attributa, eſt rationis ratiocinatæ, & virtualis. Et in ſecunda reſponſione, vbi docet, quòd etiamſi voluntas, & ſcientia ſint principia agendi ad extra,non ſunt tamen ſic principia, niſi prout induunt rationem potētiæ.Autoritas etiam D.Auguſtini,& Bonauenturæ,& aliorum,& communis loquendi modus, ſufficere videntur ad hanc propoſitionem probabilem reddendam.

Quinta concluſio.Probabilior nihilominus eſt ſententia, attributum omnipotentiæ non eſſe diſtinctum ab attributo ſcientiæ, & attributo voluntatis, aut ſaltem ab aliquo illorum. In hac concluſione videntur conuenire D. Thom. Scotus, & alij multi ſuprà citati in tertia opinione, Et quidem quòd hæc fuerit mens Scoti, dubium eſſe non poteſt. Quòd etiam idem ſenſerit D.Thom. colligitur ex loco proximè citato in ſecunda reſponſione.Ratio iſtius concluſionis optima eſſe videtur, quia licèt in ſubſtantia intellectuali,quæ corpore prædita eſt, potentia executiua ſit tertium quid diſtinctum ab intellectu, & voluntate, tamen in ſubſtantia intellectuali, quæ à corpore eſt omnino ſoluta, nulla alia potentia videtur poſſe aſſignari præter intellectum, & voluntatem. Vnde & Auerroes in 12. Metaph. diuidit ſubſtantias abſtractas per intellectum, & voluntatem,& de Angelis hoc probat expreſsè idem D.Thomas 1.part.quæſt.54.art.5. & quæſt.57.a.2. & de Malo quæſt.15.a.1.ad 14.& 15.& quodlib.6. quæſt.1.art.2. vbi tum ratione,tum etiam autoritate Boëtij probat, quòd quidquid Angelus operatur, per ſolum intellectum,& voluntatem operatur.Eadem verò eſt ratio de natura Angelica,& de natura diuina,& longè efficacior.Diuina etiam Scriptura conſueuit dicere, Deum omnia operari per ſuam ſcientiam,& voluntatem.

Auerroes. D.Thom.

VII. Sexta concluſio. Siue ſecundùm noſtrum modum concipiendi,ſiue etiam ex parte rei concepta ſcientia,non eſt proximum, & immediatum principium agēdi ad extra, ſed huiuſmodi principium eſt diuina voluntas.In hac concluſione conueniūt non ſolùm Scotus, ſed etiam Argentinenſis loco citato,& Ægidius,quem ibi citat Molina d.quæſt. 25.art.1. Trigoſius quæſt. 13. art.4. dub.2. D.Th. locis ſtatim allegandis, videlicet in 1.diſt.38. art. 1.vbi ait, quòd ſcientia ſe habet vt oſtendens finem, & voluntas vt dirigens actum & informans opus operatum.Idē docet 1 p.q.14.a.8. & ne quis recurrat ad expoſitiones extortas,audiat ipſum de veritate q.2.a.14.ſic dicētem:*Sciendum tamen, quòd ſcientia in quantum ſcientia non dicit cauſam actiuam, ſicut nec forma in quantū eſt forma.* & infrà:*Similiter etiam ſcientia ſignificatur per hoc, quòd eſt aliquid in ſciente, non ex hoc quòd aliquid fit a ſciente: & ideo à ſcientia nunquam procedit effectus, niſi mediante voluntate, quæ de ſui ratione importat influxum quendam in volito : ſicut à ſubſtantia nunquam exit actio, niſi mediante virtute. Quamuis in quibuſdam ſit idem voluntas, & ſcientia, vt in Deo, in quibuſdam non, vt in aliis.* Et infrà: *Inter ſcientiam Dei,quæ eſt cauſa rei, & ipſam rem cauſatam, inuenitur duplex medium, vnum ex parte Dei, ſcilicet diuina voluntas, aliud ex parte ipſarum rerum, quantum ad quoſdam effectus.* Et quodlib.6.quæſt.2.art.2. in argument. ſed contra. expreſsè docet, in Angelo intellectum non agere niſi per voluntatem. Et in toto corpore illius articuli, & ad duo argumenta in contrarium idem planè docet. & de Malo quæſt. 16.art.1.ad 14.& 15.expreſsè etiam docet, Angelum ſolo imperio voluntatis mouere corpora, & operari ad extra. Quem locum ſi fideliter citaſſet recens quidam Doctor, & non detruncatum, & ſuo inſtituto accommodatū, non contendiſſet ex illo probarè, quòd intellectus ſit immediatum principium agendi ad extra, ex eo, quia in intellectu eſt quoddam imperium : nam ſiue detur illud imperium in intellectu, ſiue non, de quo eſt non leuis quæſtio, D.Thom. ibi non loquitur de imperio intellectus, ſed voluntatis. Dicit enim ſic ad 14. *Non eſt autem inconueniens, quòd Angeli aliqua corpora ſolo imperio voluntatis moueant motu dumaxat locali.* & rurſus : *Vnde & ſubſtantia intellectualis ſeparata à corpore poteſt mouere imperio voluntatis aliquod corpus non ſibi vnitum.* & ad 15. *Sed tamen vtendo quibuſdam corporibus, quæ ſolo imperio voluntatis localiter mouet.* Hic autem autor egregiè reciſa dictione *voluntatis*,hoc teſtimonium ſic corruptum pro ſe affert, quod integrum allatum omnino cum eius ſententia pugnat, ſicut multa alia ex D.Thoma,Auguſtino, & aliis Doctoribus citare ſolet, aut detruncata, aut quæ apud illos minimè poſſunt reperiri.

D.Thom.

VIII. Probatur verò dicta concluſio primò autoritate diuinæ Scripturæ, quæ rerum effectionem tribuit diuinæ voluntati, Pſalm. 142. & 148. & ad Epheſ. 1. qui modus loquendi licèt non demonſtret, voluntatem eſſe immediatum principium agendi ad extra, hoc tamen valde probabiliter ſuadet. Accedit etiam autoritas D. Auguſt. in lib.Meditationum cap.29.dicentis, quòd Dei voluntas eſt illius opus, & eius velle eſt eius poſſe.

Auguſtinus.

Secundò probatur ratione,quia voluntas ita ſe habet ad ſcientiam in ordine ad opus,ſicut ſe habet potentia ad ſubſtantiam animæ in ordine ad operationes,ex D.Thom.locis ſuprà citatis,maximè de veritate quæſt.2.art.14. & quodlib.6.quæſt. 2.art. 2. Principium autem proximum, & immediatum operationis eſt potentia, non ſubſtantia.

Tertiò, illa eſt cauſa proxima, & immediata, qua poſita res ponitur primò, & per ſe, & qua ablata res aufertur : ſed poſita ſcientia creaturæ, res non neceſſariò ponuntur, poſita verò voluntate,res creatæ infallibiliter ponuntur. Ergo voluntas, non autem ſcientia eſt cauſa proxima, & immediata creaturarum.

IX. Contra hanc concluſionem eſt primum argumentum Dominici Bañes. Proximum principium rerum arte factarum non eſt voluntas, ſed ars:ſed ſcientia Dei eſt cauſa creaturarum per modum artis,vt dictum eſt. ergo ſcientia, non voluntas eſt proximum principium creaturarum.

Bañes.

Confirmatur argumentum. Illud eſt principium proximū rei, quod aſſimilat ſibi ipſam rem: ſed

ſed ſcientia, non autem voluntas eſt illa, quæ aſſimilat ſibi rem. Ergo.

Confirmatur ſecundò. quia exemplar immediatiùs attingit productionem rei, quàm voluntas: ſcientia diuina eſt cauſa rerum per modum exemplaris. Ergo immediatiùs attingit productionem rerum, quàm voluntas. Maior propoſitio probatur exemplo. Sigillum imprimens in cera ſuam ſimilitudinem immediatiùs attingit productionem eiuſdem ſimilitudinis, quàm voluntas ſigillantis, immò quàm manus.

Reſpondeo, artem eſſe principium proximum, & immediatum rei arte factæ, duobus modis intelligi poſſe, vno modo in ſuo ordine, & genere, nempe quoad directionem actionis, & ad ſpecificationem rei productæ, & in hoc ſenſu conceditur, artem eſſe principium magis proximum, & immediatum, quàm voluntatem. Alio modo abſolutè, & quoad executionem: & in hoc ſenſu maior illa falſa eſt, non enim huiuſmodi principium proximum poteſt eſſe ars, ſed vel eſt potentia executiua diſtincta ab intellectu, & voluntate, ſicut accidit in agentibus corporeis, vel eſt voluntas, vt contingit in agentibus, in quibus non eſt alia potentia, præter intellectum, & voluntatem. Et eodem modo reſpondetur ad primam confirmationem: illud enim, quod aſſimilat ſibi rem productam in ſpecie, non eſt neceſſariò principium proximum, & immediatum abſolute, quod patet in animalibus, in quibus forma ſubſtantialis generantis, quæ aſſimilat ſibi rem genitam in ſpecie, non eſt principium immediatum generationis, ſed potentia generatiua.

Ad ſecundam confirmationem reſpondetur, quòd non eſt de ratione exemplaris, vt attingat rei productionem, ſed ſolùm, vt repræſentet: ſigillum etiam, quod imprimit ſuam ſimilitudinem in cera, propriè loquendo non eſt exemplar: quia non imprimimus illius ſimilitudinem, aſpiciendo ad illud, & æquè bene quoad hoc ſigillat cæcus ſicut videns.

X. Secundum argumentum contra eandem concluſionem eſt: Deus produxit creaturas per actum imperij, & per actum dicendi vt habetur Gen. 1. *Dixit Deus fiat lux, & facta eſt lux.* Sed dicere eſt actus intellectus, imperium etiam ſpectat ad intellectum, ex D. Thom. 1. 2. quæſt. 17. art. 1.

D. Thom.

Reſpondeo inprimis, graucm eſſe quæſtionem inter Doctores, an imperium ſit actus intellectus, an voluntatis. Súntque, qui abſolutè negent, ſpectare ad intellectum. Sed quidquid ſit de hac re, admiſſo, quòd ad intellectum practicum ſpectet dictare hoc, vel illud eſſe faciendum, quod eſt intellectum imperare, tamen primò id intellectus facit quatenus manet in eo virtus voluntatis, vt inquit idem D. Thom. & deinde executio eiuſdem dictaminis, & imperij non ad intellectum, ſed ad voluntatem ſpectat, aut ad aliam potentiam voluntati ſubordinatam, quatenus eſt ſubordinata voluntati, & ab illa monetur. Addo etiam, vt imperium rationis ſit efficax, non aliunde habere, niſi ex imperio efficaci ipſius voluntatis. id patet præcipuè in legum latione: nam eſto lex ſit lata per imperium rationis dictantis, hoc eſt faciendum, tamen efficacia & vis legis non pendet ex illo imperio, ſed ex imperio voluntatis Principis, vnde habent leges vim obligatiuam. Quod & indicare voluit Imperator Iuſtinianus in §. ſed & quod Principi. Inſt. tit. de iure naturali, gentium, & ciuili, dum ait: *Sed & quod Principi placuit, legis habet vigorem.* Et breuiter dici poteſt, in imperio duo poſſe conſiderari, vim directiuam, & dictatiuam, & vim executiuam dictaminis. Primum pertinet ad rationem, ſecundum ad voluntatem. Ob hanc cauſam in diuina Scriptura res dicuntur factæ à Deo per imperium voluntatis; 1. ad Corinth. c. 1. *Qui operatur omnia ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ.* Et Apocal. 4. *Tu enim feciſti omnia, & propter voluntatem tuam erant, & creata ſunt.* Qui loquendi modus magis attendendus eſt, quàm commenta nonnullorum Scholaſticorum de imperio & primatu intellectus, & voluntatis. Neque D. Thom. oppoſitum dicit, ſed noſtram doctrinam, ſi attente legatur, maximè confirmat.

Iuſtinianus Imperator.

Quòd autem dicitur Deus in Scriptura omnia per verbum, ſeu dicendo operari, non ſic accipiendum eſt, vt velit hic modus dicendi innuere, Deum per ſolum actum ſcientiæ practicæ immediatè res produxiſſe, vt quidam interpretatur, & minùs aptè: ſed ſic debet accipi, vt hoc modo exprimatur ſumma Dei facilitas in rebus creandis, quemadmodum adnotarunt Alcuinus relatus in gloſſa circa illa verba 1. c. lib. Geneſis. *Fiat lux.* Et Euthymius in illa verba Pſal. 148. *Quoniam ipſe dixit, & facta ſunt.* relatus item in gloſſa. & poſt illos Ludouicus Molina 1. part. quæſt. 13. art. 1. diſp. 2. in fine.

Alcuinus. Euthymius. Molina.

Verùm autem voluntas diuina ſit principium ita immediatum creaturæ, vt inter illam, & creaturam non concipiatur actio intermedia, videri poteſt apud Molinam, Ripam, & alios 1. part. quæſt. 25. art. 1.

CAPVT XIV.

Dubium circa doctrinam tribus capitibus præcedentibus traditam affertur, ac ſoluitur, &c.

I. COntra doctrinam in capitibus præcedentibus traditam non leue dubium inſurgere videtur. Eſt enim frequens modus loquendi apud ſanctos Patres, quo dicere conſueuerunt, non ideo res eſſe futuras, quia ſciuntur à Deo: quin potiùs ideo ſciri à Deo, quia futuræ ſunt; neque diuinam præcognitionem cauſam eſſe futurorum, quin potiùs (ſi fic liceret dicere) ea, quæ futura ſunt, cauſam eſſe, quòd præſciantur à Deo. ita inprimis ſcriptum reliquit Origenes lib. 7. in epiſtolam ad Romanos cap. 8. circa illa verba, *Quos præſciuit, & prædeſtinauit. Non propterea* (inquit) *erit aliquid, quia Deus ſcit id futurum: ſed quia futurum eſt, ſcitur à Deo, antequam fiat. Nam ſi, verbi gratia fingamus, Deum non præſcire aliquid, futurum ſine dubio erat, quod ita, vt puto, Iudas proditor factus eſt, & hoc ita futurum Prophetæ prædixerunt. Non ergo, quia Prophetæ prædixerunt, idcirco prodidit Iudas; ſed quia futurus eſſe proditor, ea, quæ ille propoſiti ſui nequitia geſturus erat, prædixerunt Prophetæ*, &c.

Origenes.

Euſebius Cæſarienſis lib. 6. Præparationis Euangel. cap. 9. Origenem ſecutus ait: *Aduersùs quos* (ſcilicet Philoſophos, qui ex certitudine diuinæ præſcientiæ volebant auferri arbitrij libertatem) *dicendum, Deum omnia ab æterno videre antecedentia, conſequentia, cauſas rerum, & effectus: nec tamen omnium eſſe cauſam.* Et infrà; *Sic Deus cùm vniuſcuiuſque voluntatem præuideat, hunc perperam, illum rectè acturum non ignorat, non ergo præcognitio futurorum cauſa eſt: nec enim ad peccandum vllo pacto Deus quenquam impellit, ac mouet. Sed è contrario* (dicam enim, etiamſi abſur-

Euſebius Cæſarienſis.

dum multis forsan videri queat) id, quod futurum est, causa est, vt Deus illud euenturum præsciat.

Hieron. Hieronymus in cap. 26. Ieremiæ in principio: *Non quia Deus scit futurum aliquid, idcirco futurum est: sed quia futurum est, nouit Deus, quia præscius futurorum.* Eundem modum loquendi habet in illud Ezechiel. 2. *Et dicet ad eos.* & Dialogo 3. aduersùs Pelagianos.

Chryſoſt. Chryſoſtomus homilia 6. in Matthæum circa illa verba, *Væ mundo à scandalis; Non quia futura prædixit (scilicet scandala) idcirco eueniem; sed quoniam omnia ventura erant, idcirco prædixit.* & multa ad idem.

Auguſt. Auguſtinus lib. 5. de Ciuitate cap. 10. in fine: *Neque enim ideo peccat homo, quia Deus illum peccaturum præsciuit: immo ideo non dubitatur ipsum peccaturum, cùm peccat, quia ille, cuius præscientia falli non potest, non fatum, non fortunam, non aliquid aliud, sed ipsum peccaturum esse præsciuit, qui si nolit, omnino non peccat, sed si peccare noluerit, etiam hoc ille præsciuit.* Eadem ferè docet in lib. de prædestinatione & gratia cap. 5.

Alexand. Cyrillus Alexandrinus lib. 9. in Ioannem c. 10. *Quoniam ita nonnulli sponte facturi erant, idcirco præscius Spiritus sanctus futura prædixit.*

Iuſtinus Martyr. Iuſtinus Martyr quæſt. 58. ad Orthodoxos. *Nec est prænotio causa eius, quod futurum erat: sed quod futurum erat, causa est prænotionis: non enim prænotionem sequitur res futura, sed rem futuram prænotio, nec ullo pacto qui prænoscit, causa est rei futuræ.*

Damaſc. Ioannes Damaſcenus in Dialogo contra Manichæos pagina mihi 562. *Prouidens Deus ea, quæ à nobis futura erant, videlicet quæ in nostra sunt potestate, virtutem dico, & vitium, prædestinat ea, quæ non sunt in nostra potestate.* Et infrà: *Præscientia Dei vera est, & aliter, quàm ipsa habet, res fieri nequit; sed ipsa non est causa, cur, quod futurum est, omnino fiat: sed quia hoc, vel illud facturi sumus, ideo prænoscit. prænoscit autem mala, quæ ipsi non placent, sed horum causa non est.*

Concilium Valent. Concilium Valentinum ſub Lothario Imperatore c. 2. ait: *Nec prorsus vllo malo præscientiam Dei imposuisse necessitatem, vt aliud esse non possit: sed quòd ille futurus erat ex propria voluntate, ille sicut Deus, qui nouit omnia, antequam fiant, præscit, ex sua omnipotentia, & immutabili maiestate.* Leo primus ſermo. 16. de Paſſione. *Non præsciendo, quod faciendum esset, egit, vt fieret.*

Leo primus.

D. Thom. D. Thomas in opuſculo de præſcientia, & prædeſtinatione cap. 4. *Si præscientia Dei accipiatur pro simplici notitia futurorum, certum est quòd ipsa non est causa rerum præscitarum; & ideo licèt præsciat res futuras, non tamen eis necessitatem imponit.* Citantur in eandem ſententiam alij Patres & Scholaſtici à Suarez lib. 1. de auxiliis diuinis, cap. 13. numero 15.

Porrò ſi hic modus loquendi ſanctorum Patrum verus eſt. Ergo falſum eſt, quod hactenus docuimus, ſcientiam Dei eſſe rerum cauſam.

II. Ad hoc dubium, primùm dici poteſt, eſſe alios Patres probatæ autoritatis contrarium docentes, nempe, non ideo res cognoſci à Deo, quia futuræ ſunt: ſed ideo futuras eſſe, quia illas nouit

Auguſt. Deus. Ita conceptis verbis ait Auguſtinus lib. 6. de Trinit. cap. 10. dicens: *Non enim hæc, quæ creata sunt, ideo sciuntur à Deo, quia facta sunt: ac non potius ideo facta sunt, vel mutabilia, quia immutabiliter à Deo sciuntur.* Et lib. 15. cap. 13. *Vniuersas autem creaturas suas, & spirituales, & corporales, non quia sunt, ideo nouit; sed ideo sunt, quia nouit.* Idem lib. 11. de Ciuit. cap. 10. prope finem.

Gregorius. D. Gregorius lib. 20. Moralium cap. 24. *Nam quæcunque sunt, non ab æterno ideo videntur, quia sunt; sed ideo sunt, quia videntur.*

Boëtius. Boëtius lib. 5. de conſolatione, proſa tertia ex inſtituto reiicit illũ modum loquendi priſcorum Patrum, dicentium, non ideo res eſſe futuras, quia illas nouit Deus, ſed è contrario ideo Deum illas noſſe, quia futuræ ſunt. Verba illius ſunt: *Neque enim illam probo rationem, qua se quidam credunt hunc quæstionis nodum posse dissoluere. Aiunt enim, non ideo quid esse euenturum, quoniam id prouidentia futurum esse prospexit, sed è contrario potius, quoniam id, quod futurum est, diuinam prouidentiam latere non possit. eoque modo necessarium est hoc in contrariam relabi partem. neque enim est necesse contingere, quæ prouidentur, sed necesse est, quæ futura sunt, prouideri. Quasi vero quæ cuiusque rei causa sit, præsientiáne futurorum necessitatis, an futurorum necessitas prouidentiæ, laboretur.* Et quatuor rationibus hunc modum loquendi ibi impugnat, quæ apud illum videri poſſunt.

D. Anſelm. D. Thom. Magiſter. Referuntur in eandem ſententiam D. Anſelmus lib. concord. cap. 1. & D. Thom. 1. part. quæſt. 14. art. 8. ad 2. Magiſter in 1. diſt. 38. cap. 4. vbi nititur dictum Origenis ſuprà citatum exponere. Referri etiam poſſunt omnes Scholaſtici probantes hanc propoſitionem tanquam certam, & de fide, quòd ſcientia Dei ſit cauſa rerum Quæ cùm ita ſe habeant, videntur ſufficere ad hoc, vt ſupradicta Origenis & aliorum teſtimonia, ſaluâ, quæ eis debetur reuerentiâ, reiici poſſe à Doctore Catholico videantur.

Nihilominus quia D. Thomas, & alij Doctores graues dictas autoritates recipiunt, & catholicè interpretantur, atque ita interpretandæ ſunt, hîc breuiter interpretationes Doctorum referemus, ac ſimul ſatisfaciemus propoſitæ dubitationi.

III. Primus igitur modus interpretandi dictas autoritates eſt illorum, qui dicunt, teſtimonia eorum, qui negant, ideo aliquid futurum, quia eſt præſcitum à Deo, ſed aiunt è contra, ideo aliquid præſcitum eſſe futurum, quia futurum eſt, intelligenda eſſe de ſcientia Dei, vt ſimplex quædam notitia eſt. Teſtimonia verò eorum, qui è contrario id affirmant, intelligenda eſſe de eadem ſcientia, non vt ſimplex notitia eſt, ſed vt habet adiunctum diuinum beneplacitum de rebus producendis. Vel ſub aliis verbis eundem habentibus ſenſum (vtor eorum formalibus verbis) dico priora teſtimonia loqui de ſcientia ſimplicis intelligentiæ, poſteriora de ſcientia viſionis: illa enim ante intelligitur actui diuinæ voluntatis, hæc ipſum complectitur. Contenduntque eſſe expoſitionem Magiſtri, D. Thomæ, Alexandri, Alenſis, Alberti, Bonauenturæ, Hugonis Victorini, & communem Scholaſticorum.

Addunt, ſcientiam viſionis duobus modis poſſe conſiderari, vno modo vt practica eſt, ac rerum effectrix, & vt rerum cauſa: ſecundo modo, vt ſpeculatrix, & vt nudè cognoſcens, & vt practica eſt, ſeipſam noſtro modo intelligendi præcedit, vt ſpeculatrix tantùm eſt. Hunc modum exponendi, & conciliandi teſtimonia S. Patrum tradit Ripa in 1. part. q. 14. art. 13. dub. 4. c. 4. contenditque in ſuam ſententiam deducere Trigoſium, & Cumel. & tandẽ ſic concludit, *Et iuxta hanc distinctionem, quam inter recentiores, &c. cernes euanescere omnia, quæ aduersarij obiiciunt; quòd videlicet omnis scientia accipiat obiectum suum, eo sit posterior, & quòd Deus visionis scientia contempletur res futuras,*

iam

Digitized by Google

iam ex voluntatis decreto. Veritatem enim hac obtinent de ipsa, vt est purè speculatrix; aliàs nanque scientia effectrix facit obiectum suum, quæ effectrix est. Et in illo voluntatis decreto adsunt eadem ipsa sub ratione priori, vt iam dictum est. Hæc ille.

Hic modus conciliandi quædam continet vera, quæ tamen nó videntur esse ad mentem supradictorum Patrum, quædam autem falsa, & sibiipsis repugnantia. Primò nanque verum est, quod primo loco ait præscientiam non esse causam rei scitæ quatenus simplex notitia est, sed esse causam rei scitæ, vt habet adiunctam diuinam voluntatem, de qua re dictum est capite præcedenti. Sed cùm Patres aiunt, non ideo aliquid futurum esse, quia illud scitur à Deo, loqui de scientia, vt simplex quædam notitia est, esto hoc modo possint exponi, non videtur res vllo modo probabilis. Quod euidenter patebit si aduertamus, quo fine, quáve occasione hoc dicendi modo illi vsi fuerint. fuit autem occasio, & illorum finis, occurrere instantiæ, quæ cõtra certitudinem diuinæ præscientiæ fieri solebat à Paganis, vt patet ex Eusebio Cæsariensi loco citato, cùm ait: *Primum igitur aggrediamur, quod gentium sapientes in magnos intrusit errores. cùm enim præscire Deum vniuersa minimè negarent, necessariò nos agere, quicquid agimus, crediderunt. Aduersùm quos dicendum, Deum ab æterno,* &c. Contendebant igitur Pagani ex certitudine diuinæ præscientiæ inducere in humanis actionibus ineuitabilem necessitatem: faciebántque Deum ipsum omnium nostrarum actionum tam malarum, quàm bonarum autorem; & sic vt peccata hominum excusarent, illa in Deum refundebant. Cui calumniæ hoc modo Patres occurrunt, quia Dei præscientia non infert humanis actionibus vllam necessitatem ex eo, quia ipsa præscientia diuina non est causa actionum futurarum: immo si sic liceret dicere, potiùs ipsæ futuræ actiones essent in causa, quòd Deus illas præsciret. Hic autem modus occurrendi instantiæ Paganorum nullam vim haberet, si dicerent Patres, diuinam præscientiam sub ea præcisè ratione, qua simplex notitia, & qua speculatrix tantũ est, non esse causam futurorum, neque futura ideo futura esse, quia sunt per huiusmodi præscientiam præscita. Dicerent enim Pagani, esto res non sint futuræ, quia sunt præscitæ per hanc scientiã, quæ simplex notitia est; tamẽ sunt necessariò futuræ, quia sunt præscitæ per illam scientiam practicam, quam vos dicitis esse causam rerum. Quare aut Patres non hoc modo sunt interpretandi, aut minùs idoneam afferunt responsionem ad argumentũ Paganorum.

Eusebius Cæsariensis.

IV. Secundò falsum est, quod hic autor ait, hanc scientiam quæ est simplex rei notitia, & de qua dicti Patres loquuntur, esse scientiam simplicis intelligẽtiæ vt primo loco ipse dicit; quia Patres loquuntur de notitia rei futuræ, quatenus futura est: dicere autem, talem notitiam pertinere ad simplicem intelligentiam, est terminos ignorare. Præter quod idem autor infrà diuidit scientiam visionis in practicam, & speculatiuam, & reponit hanc scientiam simplicis notitiæ sub illa scientia visionis purè speculatiua. vnde necesse est illum decipi, aut quando contrà distinguit illam à scientia visionis, aut quando ponit illam sub scientia visionis.

Tertiò falsum est, illam scientiam practicam, quam Patres vocant rerum causam, esse scientiam visionis, vt cap. 12. monstratum est. Et certè ipsum nomen visionis satis erat ad docendum illum, quòd id, quod videtur, non efficitur per ipsam visionem, sed supponitur actui ipsius visionis. Esto enim aliquid fieret per actum visionis: tamen illud non diceretur videri, nisi postea quàm factum esset. Hic igitur modus esto aliquid veri contineat, non videtur mentem antiquorum Doctorum legitimè interpretari.

V. Secundus modus exponendi prædicta Patrum testimonia est, cùm illi dicunt, non ideo aliquid futurum esse, quia illud est præscitum à Deo, sed è contrario ideo præscitum esse, quia futurum est, particulam, *quia*, denotare causam illationis, seu consequentiæ, non autem essendi.

Hic modus patitur non leuem difficultatem, quia si particula, *quia*, dicat causam illationis, æquè valet, quia hoc est præscitum à Deo, erit, sicut valet, quia hoc erit, est præscitum à Deo: & tamen dicti Patres vnum affirmant, alterum negant. Ergo aliquid plus innuere videntur.

Tertius modus est, quem tradit D. Thomas de veritate quæst. 2. art. 14. ad primum, quòd prædicti Patres, cùm aiunt, non ideo res futuras, quia præscitæ sunt à Deo, non negare, diuinam præscientiam esse rerum causam, sed negare esse talem causam, quæ rebus præscitis, maximè actionibus humanis absolutam afferat necessitatem. Hanc responsionem veriſſimá esse apparebit cuiuis legenti Origenem in suis commentariis in Genesim, cuius verba retulit Eusebius loco suprà citato, & Iustinum Martyrem dicta quæst. 58. ad Orthodoxos. Nodus enim diuinæ præscientiæ infidelibus semper insolubilis visus est adeò, vt aliqui retenta libertate negauerint præscientiam & prouidentiam, alij verò retenta præscientia dixerint per illam inferri necessitatem absolutã actionibus humanis. Hinc factum est, vt Patres contra eos, qui retenta arbitrij libertate negabant diuinam præscientiam, & prouidentiam, dixerint, non ideo res esse cognitas, quia futuræ sunt, sed potiùs ideo futuras esse, quia Deus illas nouit. Econtrario aduersùs eos, qui dicebant, certitudinem diuinæ præscientiæ rebus præscitis necessitatem inferre, dicebant non ideo aliquid futurum esse, quia illud est præscitum, sed è contrario ideo præscitum, quia est futurum. Non enim intendebant negare absolutè, præscientiam Dei esse causam rerum futuratum, tum quia de hoc nulla tunc aderat quæstio cum infidelibus, contra quos differebant: tum quia erat res conspicua, quæ omnino negari non potest, sicut negari non potest, quidquid Deus operatur, per intellectum, & voluntatem operari. Consueuerunt autem Doctores antiqui declarationes non necessarias suorum dictorum omittere, quando legitimè se intelligi arbitrabantur, vt Augustinus admonuit lib. 1. contra Iulianum cap. 2.

D. Thom. Origenes. Iust. Mart. Augustin.

Adde, consueuisse etiam Patres inter disputandum cum infidelibus, vel etiam cum hæreticis, cùm de rebus fidei agebatur, ne nomina quidem voluisse habere communia cum illis, & phrasibus, ac modis loquendi contrariis ipsis modis loquendi aduersariorum vti voluisse, adeò vt aliquando visi fuerint modum excessisse, quod maximè videre licèt in scriptis Augustini, tum in multis, tum præcipuè quando vel contra Manichæos liberum arbitrium, vel contra Pelagianos Dei gratiam defendit. Nam contra Manichæos adeò liberum arbitrium extollit, vt Dei gratiæ oblitus videatur; & contra Pelagianos Dei gratiam adeò commendat, vt nihil libero arbitrio tribuere videatur, quod Pelagiani in eius scriptis notauerunt: cùm tamen reuera, nec illud,

Digitized by Google

nec iſtam neget, vt ipſe non ſemel admonuit. Et hoc diligenter ante oculos tenendum eſt, ad intelligenda dicta ſanctorum, maximè cùm diſputant contra hæreticos, vel Paganos: alioquin facillimum erit manifeſtos errores illis imponere.

VI. Quartus modus exponendi, & conciliandi ſuprà allegatas Patrum autoritates, iſque mea ſententia germanus, & proprius eſt, quem tradit Iulius Sirenius lib. 8. de Fato cap. 11. & duobus ſequentibus, & per multa capita eiuſdem libri; eſt autem huiuſmodi. Res à Deo productæ, & ſcitæ duobus modis poſſunt conſiderari, vno modo quoad illarum naturas & eſſentias: alio modo quoad illarum affectiones, & operationes. Et quidem ſi priori modo conſiderentur, tota illarum cauſa eſt ſola diuina voluntas. Quòd enim orbis hic viſibilis ita conditus fuerit, quemadmodum nunc eſt, quòd ſint in eo quatuor elementa, tot cœleſtes ſphæræ, tot rerum ſpecies, quòd homo ex ſubſtantia ſpirituali, & corporea ſit conſtitutus; quòd humanum corpus ſit ex his membris, hoc ordine, & ſitu diſpoſitis, ſicut modò illum videmus; quòd Angelus ſit ſubſtantia omnino à corpore ſeparata: quòd aſinus ſit animal ſtolidum, & pigrum; leo animal crudele, & cætera huiuſmodi, nulla alia cauſa aſſignari poteſt, niſi ipſa diuina voluntas. Si autem poſteriori modo conſiderentur, Deus non eſt tota illarum cauſa, ſed partialis tantùm ſano modo accepto nomine cauſæ partialis. condidit nanque Deus rerum naturas, vt illæ ſuas operationes exercerent, non vt nihil agerent, quod non ſolùm Philoſophus docet in ſecundo de cœlo text. 17. cùm ait: *Vnumquodque habens opus eſt propter ſuam operationem.* Et commentator lib. 4. de cœlo comment. 22. *Actio eſt finis formæ, forma verò eſt finis generationis.* Sed ipſa diuina Scriptura manifeſtè teſtatur Geneſ. 1. cùm enim Deus ſingulas ſpecies herbarum, plantarum, animantium, & ipſum hominem produxiſſet, ſingulos iuſſit proprias operationes exercere, dicens: *Germinet terra herbam virentem, & facientem ſemen, & lignum pomiferum faciens fructum. Producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile ſuper terram ſub firmamento cœli. Creſcite, & multiplicamini, & replete aquas maris, auéſque multiplicentur ſuper terram. Creſcite, multiplicamini, & replete terram, & ſubiicite eam, & dominamini piſcibus maris, & volatilibus cœli.* Et alia plura huiuſmodi. Et licèt Deus operetur omnia in omnibus, & eædem operationes, quæ à creaturis eliciuntur, immediatè etiam ſint à Deo: non tamen eſt Deus tota, & ſola cauſa talium operationum, vt lib. 8. fuſiùs dicemus. Immo ſunt quædam operationes, ad quas creatura ita liberè ſe determinat, vt habeat in ſua libera poteſtate ſe ad illas determinare, vel non determinare, ita vt iuxta liberam determinationem creaturæ Deus ipſe cooperetur, & etiam ſuam operationem ſuſpendat.

Iulius Sirenius.

Ariſtot.

Auerroes.

VII. Itaque ſi loquamur de creaturis, quoad illarum naturas, & eſſentias, aiunt Patres, vniuerſas creaturas non ideo Deum noſſe, quia futuræ ſunt: ſed è contrario ideo futuras eſſe, quia Deus illas nouit; & ſic intelligendi ſunt Auguſtinus, & alij Patres ſecundo loco inducti. Si autem loquamur de creaturis quoad illarum operationes, maximè quoad operationes liberas, è contrario aiunt, non ideo res futuras, quia cognitæ ſunt à Deo: ſed ideo cognitas eſſe quia futuræ ſunt. Eſtque recta locutio, quia diuina præſcientia non poteſt eſſe tota cauſa: neque neceſſariò ponens in eſſe rem ſcitam, niſi adiuncta libera determinatione creaturæ, quæ poteſt non ſe determinare. At verò poſito quòd res actu futura ſit, neceſſariò ponitur illam eſſe ſcitam à Deo; quia licet diuina præſcientia non pendeat à rebus, nihilominus poſita exiſtentia rei ſcitæ, neceſſe eſt diuinam notitiam ad illam terminari. ita quòd exiſtentia rei ſcitæ ſicut eſt conditio neceſſaria, ſine qua res non eſſet obiectum certæ notitiæ diuinæ, vt ſuperiùs hoc eodem libro dictum eſt: ita eſt conditio, qua ſemel poſita in rerum natura in aliqua temporis differentia, ipſa res nullo modo poteſt ab intellectu diuino ignorari, qui omne verum, & intelligibile neceſſariò habet intelligere.

Quòd autem hic modus dicendi fuerit à Patribus intentus, præter quòd ex illorum ſententiis apertè colligi poteſt, in quibus illud ſolum contendunt, per certitudinem diuinæ præſcientiæ non inferri humanæ voluntati neceſſitatem in ſuis operationibus, maximè cùm de peccato agitur, colligitur apertiſſimè ex D. Auguſtino. Ille enim cùm de rerum naturis loquitur, aperte docet, ideo futuras eſſe, quia illas nouit Deus. Et quòd loquatur de creaturis, quoad illarum ſubſtantiam, naturam, & eſſentiam, patet, dum ſubiungit, *Non enim neſciuit, quæ fuerat creaturus, & quia ſciuit creauit, non quia creauit ſciuit; neque aliter ſciuit creata, quàm creanda:* Nam operationes rerum propriè non creantur, ſed ipſæ res, quarum ſunt operationes. Et Auguſtinus loquebatur de prima rerum creatione. Verùm cùm de operationibus ipſarum rerum loquitur, maximè de actionibus humanis, alio modo loquitur. nam lib. 5. de Ciuit. cap. 9. ſic ait: *Sicut omnium naturarum creator eſt, ita omnium poteſtatum dator, non voluntatum: malæ quippe voluntates ab illo non ſunt; quoniam contra naturam ſunt, quæ ab illo eſt.* Et lib. 7. c. 30. *Res, quas condidit, ſic adminiſtrat, vt eas proprias operationes agere ſinat.* Et lib. 3. de libero arbitrio c. 4. *Sicut tu memoria tua non cogis facta eſſe, quæ præterierunt: ſic Deus præſcientia ſua non cogit facienda, quæ futura ſunt. Et ſicut tu quædam, quæ feciſti, meminiſti, nec tamen, quæ meminiſti omnia feciſti; ita Deus omnia, quorum ipſe autor eſt, præſcit, nec tamen omnium, quæ præſcit, ipſe autor eſt. Quorum autem non eſt malus autor, iuſtus eſt vltor.* Et lib. de prædeſtinatione, & gratia cap. 15. *Si dicitur, Pharaonem iam non potuiſſe mutari, quia eum præſciuerit Deus non eſſe mutandum. Reſpondetur, Dei præſcientiam non cogere hominem, vt talis ſit, qualem præſciuit Deus. Sed præſcire talem futurum, qualis futurus eſt: quamuis eum non ſic fecerit Deus.* Et lib. de prædeſtinatione ſanctorum cap. 10. *Præſcire potens eſt Deus etiam quæ ipſe non facit, ſicut quæcunque peccata.* Et lib. 6. Hypognoſticon: *Ideo Deus, cui præſcientia non accidens eſt, ſed eſſentia, fuit ſemper, & eſt, quidquid antequam ſit, ſicut præſcit, prædeſtinat, & propterea prædeſtinat, quia quale futurum eſt, præſcit.* Ex quibus Auguſtini teſtimoniis apparet, non ſolùm, quæ fuerit mens antiquorum Doctorum in locis allegatis; ſed etiam nullam eſſe diſcordiam inter illos, etiam in modo loquendi, cùm de eadem re loquuntur, & cùm diuerſis modis loquuntur, non de eiſdem, ſed de diuerſis rebus loqui.

Auguſtinus.

Vnum

VIII. Boëtius. Vnum ſupereſt explicandum, nimirum autoritas Boëtij lib. 5. de Conſol. proſa tertia. Ibi enim ex profeſſo videtur illum primum modum dicendi Origenis, & aliorum Patrum impugnare.

Reſpondeo nihilominus, Boëtium ibi non ex propria ſententia loqui, ſed perſonam aduerſarij induere, reſponſionem illam communem Catholicorum impugnantis. Proſa verò ſequenti, in qua ex propria ſententia loquitur, nobiſcum euidentiſſimè ſentit. Quantum autem vitium habeant illæ inſtantiæ, quas dicta proſa tertia facit contra illum modum loquendi priſcorum Patrum, cuique facillimum erit intelligere, qui ea teneat, quæ capitibus præcedentibus dicta ſunt. Eſt namque prima inſtantia huiuſmodi. Etiamſi idcirco, quòd futura ſunt, prouidentur, non autem ideo, quia prouidentur, futura ſunt; tamen & quæ ventura ſunt, prouidentur, & prouiſa euenire neceſſe eſt, quod ſolum ſufficere videtur ad arbitrij libertatem perimendam. Sed reſpondetur: In hac propoſitione, ſi aliquid prouiſum eſt, neceſſe eſt illud euenire, cauſaliter intellecta, ſicut illam intelligebant infideles arguentes contra Catholicos, importari neceſſitatem antecedentem, quæ libertatem tollit; in hac verò, ſi aliquid futurum eſt, neceſſe eſt illud prouideri, ſolùm importari neceſſitatem conſequentem, quæ libertatem arbitrij non tollit.

Secunda inſtantia eſt. Præpoſterum eſt, vt temporale, ſit cauſa ſcientiæ æternæ.

Reſpondetur futuritionem rei temporalis non eſſe cauſam rei æternæ, quæ eſt diuina præſcientia: ſed benè eſſe conditionem, ſine qua res temporalis non eſt ſcita ab æterno, & qua poſita neceſſariò ſcitur.

Tertia ſimilis eſt primæ, & eodem modo ad illam reſponderi debet.

Quarta. Si vti res futuræ ſunt eas diuina prouidentia fieri decernit: ita vt æquè fieri, vel non fieri poſſe ea cognoſcat. Ergo diuina præſcientia de rebus futuris nihil certi comprehendere poteſt.

Reſpondetur, diuinam præſcientiam non ſolùm comprehendere, quid fieri vel non fieri poteſt: ſed etiam quid de facto fiat, vel non fiat. Et licèt ratione comprehenſionis primi, non poſſit certò ſcire, quid ſit futurum: poteſt tamen id ſcire ratione comprehenſionis ſecundi. Vnde diuina præſcientia, & diuinum vaticinium de rebus futuris non eſt ſimile vaticinio Tireſiæ, cùm aiebat: Quidquid dicam, aut erit, aut non erit. Quomodo verò Deus comprehendat non ſolùm illud eſſe poſſibile, quod habent res futuræ in cauſa, ſed etiam illud eſſe futurum, quod de facto habebunt extra ſuas cauſas, ſtatim in ſequẽtibus aperiemus. Quartus autem modus conciliandi dictos Patres non obſcurè traditur à Thoma VValdenſi lib. 1. doctrin. c. 23. n. 2.

Thomas VValdenſ.

CAPVT XV.

Prima ratio conciliandi certitudinem diuinæ præſcientiæ cum rerum contingentia ex præſentialitate rerum in æternitate aſſignatur.

I. VIdimus in prima parte huius ſecundæ controuerſiæ, certitudinem diuinæ præſcientiæ minimè pugnare cum rerum contingentia, & arbitrij noſtri libertate, etiamſi ipſa Dei præſcientia rerum cauſa ſit: quoniam non ita eſt rerum cauſa, vt omnibus cauſatis abſolutam neceſſitatem imponat. Nunc videndum eſt id, quod promiſſum eſt in ſecunda parte, an ſit aliqua ratio intellectus humani aliquo modo quietatiua, ſecundùm quam ipſa diuinæ præſcientiæ certitudo cum rerum contingentia, & arbitrij libertate valeat conciliari. Et in primis occurrit nobis examinanda ratio aſſignata à D. Thom. quæ tum ob illius autoritatem, tum ob eiuſdem rationis ſoliditatem, & euidentiam cæteris omnibus rationibus à Doctoribus excogitatis meritò præferri debet. Ea verò eſt talis. Qui acie ſui intuitus attingit non ſolùm eſſe futurum rei contingentis, quod illa habet in ſuis cauſis, ſed etiam eſſe actualis exiſtentiæ, quod res contingens habet in ſeipſa in rerum natura extra ſuas cauſas in aliqua temporis differentia, poteſt de re contingenti habere certam, & determinatam notitiam, ſalua manente rei contingentia. Hæc propoſitio eſt ad ſenſum per ſe nota, quæ nulla indiget probatione. Contingens enim eſt, me modò hanc ſcribere diſputationem: at qui me videt ſcribentem, certò ſcit me ſcribere, & tamen per certitudinem ſuæ ſcientiæ, nihil minuit de mea contingentia. Huiuſce veritatis innumeras afferunt Doctores exempla. Legatur D. Auguſtinus lib. 3. de libero arbitrio cap. 4. Boëtius lib. 5. de Conſolatione proſa 4. D. Tho. 1. p. quæſt. 14. art. 13. Subiiciamus minorem propoſitionem. Sed Deus acie ſui intuitus ab æterno videt non ſolùm eſſe futurum, quod contingentia habent in ſuis cauſis contingentibus, ſed etiam illud eſſe preſens, quod vnumquodque contingens habet in rerum natura extra ſuas cauſas in qualibet temporis differentia. Hanc minorem propoſitionem probat D. Thomas, quia æternitas ambit omne tempus, & omnia, quæ fiunt in qualibet temporis differentia: ſed ſcientia Dei menſuratur æternitate. ergo in nunc æternitatis ſcientia Dei attingit omne illud, quod fit in qualibet temporis differentia. Ergo attingit etiam illud eſſe actualis exiſtentiæ, quod futura contingentia habebunt aliquando in ſeipſis, quia illud erit in aliqua temporis differentia. Hæc eſt ipſiſſima ratio à D. Thoma allata ad rerum contingentiam cum certitudine diuinæ præſcientiæ conciliandam, qua S. Doctor nunquam non vſus eſt in hoc nodo difficili explicando. Eam in primis aſſignat 1. p. quæſt. 14. art. 13. cuius verba operæ pretium eſt hic tranſcribere, propter eos, qui nodum in ſcirpo ſemper quærunt, & nihil eſt tam clarum, quod non in dubium reuocare velint. Verba illius ſunt, inter alia multa: *Vnde quicunque cognoſcit effectum contingentem in cauſa ſua tantùm, non habet de eo niſi coniecturalem cognitionem. Deus autem cognoſcit omnia contingentia nõ ſolùm prout ſunt in ſuis cauſis, ſed etiam prout vnumquodque eorum eſt actu in ſeipſo. (ecce tibi maior, & minor propoſitio aſſignata rationis.) Et licèt contingentia fiant in actu ſucceſſiue, non tamen Deus ſucceſſiue cognoſcit contingentia prout ſunt in ſuo eſſe, ſicut nos, ſed ſimul: quia ſua cognitio menſuratur æternitate, ſicut etiam ſeum eſſe: æternitas autem tota ſimul exiſtens ambit totum tempus, vt ſuprà dictum eſt. Vnde omnia, quæ ſunt in tempore, ſunt Deo ab æterno præſentia, non ſolùm ea ratione, qua habet rationes rerum apud ſe præſentes, vt quidam dicunt: ſed quia eius intuitus fertur ab æterno ſuper omnia, prout ſunt in ſua præſentialitate. (ecce tibi probatio minoris propoſitionis.) Vnde manifeſtum, quòd contingentia, & infallibiliter cognoſcuntur, in quantum ſubduntur diuino conſpectui ſecundùm ſuam præſentialitatem: & tamen ſunt futura contingentia ſuis cauſis comparata.*

D. Thom.

Auguſt. Boëtius. D. Thom.

Hæc

Hæc ille. Et q. 57. a. 3. comparando notitiam, quam habet Angelus de futuris contingentibus, cum notitia, quam de illis habet Deus, ait: *Alio modo cognoſcuntur futura in ſeipſis: & ſic ſolius Dei eſt futura cognoſcere, non ſolùm quæ ex neceſſitate proueniunt, velut in pluribus, ſed etiam caſualia, & fortuita: quia Deus videt omnia in ſua æternitate, quæ cùm ſit ſimplex toti tempori adeſt, & ipſum concludit. Et ideo vnus Dei intuitus fertur in omnia quæ aguntur per totum tempus, ſicut in præſentia, & videt omnia, vt in ſeipſis ſunt, ſicut ſuprà dictum eſt, cùm de Dei ſcientia ageretur. Angelicus autem intellectus, & quilibet intellectus creatus deficit ab æternitate diuina, vnde non poteſt ab aliquo intellectu creato cognoſci futurum, vt eſt in ſuo eſſe.* Et q. 86. a. 4. *Vt autem communiter de cognitione futurorum loquamur, ſciendum eſt, quòd futura dupliciter cognoſci poſſunt, vno modo in ſeipſis: alio modo in ſuis cauſis. In ſeipſis quidem futura cognoſci non poſſunt, niſi à Deo, cui etiam ſunt præſentia, dum in curſu rerum ſunt futura, in quantum eius æternus intuitus ſimul fertur ſupra totum temporis curſum, vt ſuprà dictum eſt, cùm de Dei ſcientia ageretur.* Tradiderat eandem doctrinã eiſdem omnino verbis ſuprà eadem quæſt. 14. art. 4. loquens de ſcientia viſionis: & in 1. diſt. 38. quæſt. 1. art. 5. qui locus totus eſſet hîc tranſcribendus, quoniam eandem doctrinam confirmat teſtimonio Boëtij, & pulchris exemplis illuſtrat, & eſt doctrina magis clara, quàm in vllo alio loco D. Thomæ, quæ hîc non tranſcribitur, quoniam oporteret totum illum articulum de verbo ad verbum hîc inſerere. Idem docet lib. 1. contra Gentes cap. 66. ratione ſexta, quæ ſimiliter eſt videnda. Vbi poſt multa ſic tandem concludit: *Æterno autem non poteſt aliquid præſentialiter coëxiſtere niſi toti, quia durationem ſucceſſionis non habet. Quicquid igitur per totum decurſum temporis agitur, diuinus intellectus in tota ſua duratione intuetur, quaſi præſens. nec tamen quod quadam parte temporis agitur, ſemper fuit exiſtẽs. Relinquitur igitur, quòd eorum, quæ ſecundùm temporis decurſum nondum ſunt, Deus notitiam habeat.* Et de veritate q. 12. art. 10. vbi dicit, Deum certò poſſe cognoſcere futura contingentia, quia non ſolùm videt ordinem cauſarum ad ipſa contingentia, ſed etiam exitum ordinis. Et inter alia ſic ſcribit: *Sed Deus non ſolùm cognoſcit futura ratione ordinis cauſarum, ſed etiam quantum ad ipſum exitum, vel executionem ordinis. Cuius ratio eſt, quia eius intuitus æternitate menſuratur, quæ omnia tempora in vno nunc indiuiſibili comprehendit: vnde vno ſimplici intuitu videt, & ad quid cauſa ſunt ordinata, & qualiter ordo ille impletur,* &c. Et tandem in 2. 2. q. 171. a. 6. ad primum ita ſcribit. *Ad primum ergo dicendum, quòd ſicut in prima parte dictum eſt, certitudo diuinæ præſcientiæ non excludit contingentiam ſingularium futurorum, quia fertur in ea ſecundùm quod ſunt præſentia, & determinata ad vnum.* Hæc ille.

II. Atque iſta eſt ratio D. Thomæ, & doctrina omnino, & ſemper ſibi conſtans, qua ſemper nixus eſt certitudinem diuinæ præſcientiæ cum libera arbitrij noſtri indifferentia, & rerum contingentia cõciliare; quæ ad lucem ſuſpenſa, & omni ex parte diligenter explorata, nihil continet, quod ad doctrinam fidei non pertineat, vel non ſit per ſe notum naturali lumine. Quod planum fiet, ſi omnes & ſingulas illius ſententias ſingulatim expendamus.

Primò ait D. Thom. Deum ſcire omnia non ſolùm, quæ actu ſunt, ſed etiam quæ ſunt in potentia ſuarum cauſarum. Hanc nullus Catholicus negabit.

Secundò ait, contingens conſideratum, vt eſt in ſe exiſtens extra ſuas cauſas, habere eſſe determinatum ad vnum, & vt ſic eſſe certò cognoſcibile. Hæc propoſitio eſt per ſe nota ad ſenſum, & eã docuit Ariſtoteles in primo de interpretatione. Tertiò dicit, contingens, vt exiſtens adhuc in ſuis cauſis, non habere eſſe certum, & determinatum: & de illo, vt ſic non haberi ſcientiam niſi dubiam, & coniecturalem. hanc, qui neget, indicabit, ſe non intelligere quid ſit contingens. Quartò Deum cognoſcere futura contingentia, non ſolùm quoad illud eſſe, quod habent in ſuis cauſis, ſed etiam quoad eſſe, quod in aliqua temporis differentia habent in ſeipſis. iſta propoſitio eſt aſſertio fidei. Quintò Deum non cognoſcere futura contingẽtia ſucceſſiuè, licèt illa ſucceſſiuè fiant. & hæc ſimiliter eſt doctrina de fide. Sextò oculum diuini intellectus vnico intuitu ferri ſuper omnes differentias temporis, & ſuper eſſe præſens cuiuſlibet contingentis, quia ſcientia Dei menſuratur æternitate, ſicut etiam illius eſſe. iſta apud Theologos eſt tam certa, quàm certum eſt, æternitatem eſſe menſuram diuini eſſe, & omnium diuinarũ actionum immanentium, & æternitatem ipſam apud Theologos eſſe vnum nunc indiuiſibile præſens, carens præterito, & futuro. Tandem ait, Deum videre futura contingentia certò, & infallibiliter, & tamen illa eſſe adhuc contingentia comparata ſuis cauſis contingentibus. Hæc eſt etiam aſſertio fidei.

Et vt magis appareat veritas huius doctrinæ, ſciendum eſt, eam ferè ad verbum excerptam fuiſſe ex D. Auguſtino. Sic enim ille ait in lib. de Prædeſtinatione & Grat. cap. 5. *Præſcivit enim nos eius diuinitas, ſapientia condidit, iuſtitia damnauit, gratia liberauit. Mundus enim quamuis pro tempore, ex quo factus eſt, cœperit, in illa diuina præſcientia luce faciendus nullum potuit habere principium: & quanticunque vel ex Adam vſque in hodiernum diem homines nati ſunt, vel poſt noſtram ætatem ſunt generationis propagine naſcituri, apud Deum nati ſunt iam, & decurſo totius vitæ tempore tranſierunt, in illo nihilominus diuini obtutus lumine permanentes. Deus enim qui nec loco clauditur, nec tempore præuenitur, omnium rerum tam præteritarum memoria, quàm imminentium ſcientia plenus eſt, nec reminiſcens voluitur in præteritum, nec ſperans tendit in futurum. Et quæcunque omnino ſunt, quæ temporum motibus agitantur ab eo principio, in quo erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, vſque in finem omnium ſæculorum, de quo fine cùm diceret Beatus Moyſes: Domine, inquit, qui regnas in ſæculum, & ſæculum, & adhuc nec ſperantur futura, nec præterita tranſierunt, ſed in præſentia diuinitatis præſenti ſemper luce cernuntur.* Et alia plura ad idem eodem loco ſubiungit. & lib. 4. de Trinit. cap. 17. docens quomodo Prophetæ, & Angeli futura prędicere potuerint, nimirum quia Deus ea Angelis ſanctis reuelauit, & Angeli hominibus, docet Deum ipſum in ſua æternitate, cui nihil futurum eſt, nihil præteriit, ſed omnia ſunt præſentia, omnia futura vt præſentia intueri. Et lib. 15. cap. 16. nonnulla habet eundem ſenſum redolentia. III. Auguſtinus.

Boëtius quoque Seuerinus lib. 5. de Conſolatione proſa 6. & vltima, hanc rationem ſic ad vnum expreſſit, & applicauit, vt nihil videatur omiſiſſe; quod ad eius efficaciam oſtendendam valeat deſiderari. Primùm namque conſtituit ſibi tanquam fundamentum dicendorum, eſſe diuinum, nec non diuinam ſcientiam æternitate menſurari, & hoc ad certitudinem diuinæ præſcientiæ cum rerum contingentia conciliandam; IV.

Digitized by Google

Quoniam igitur (inquit) *vti paulo antè monſtratum eſt, omne quod ſcitur, non ex ſua, ſed ex comprehendentium natura cognoſcitur, intueamur nunc, quam fas eſt, quis ſit diuinæ ſubſtantiæ ſtatus, vt quandam etiam ſcientiæ eius ſit, poſſimus agnoſcere. Deum æternum eſſe cunctorum ratione degentium commune iudicium eſt. Quid ſit igitur æternitas, conſideremus: hac enim nobis naturam pariter diuinam, ſcientiámque patefaciet.* Hæc ille. Deinde declarata veræ æternitatis natura, oſtenſoque, ſolum Deum illum eſſe, cui æternitas ibi ab eo definita poteſt conuenire, nodum huius difficultatis ſoluens, ſic concludit: *Quoniam igitur omne iudicium, ſecundum ſui naturam, quæ ſibi ſubiecta ſunt, comprehendit. Eſt autem Deo ſemper æternus, ac præſentarius ſtatus. Scientia quoque eius omnem temporis ſupergreſſa motionem in ſua manet ſimplicitate præſentia, infinitáque præteriti, ac futuri ſpacia complectens, omnia quaſi iam gerantur, in ſua ſimplici cognitione cõſideрat. Itaque ſi præſcientiam penſare velis, qua cuncta dignoſcit, nõ eſſe præſcientiam quaſi futuri, ſed ſcientiam nunquam deficientis inſtantis rectius æſtimabis. Vnde non prouidentia, ſed prouidentia potius dicitur, quòd procul à rebus infimis conſtituta, quaſi ab excelſo rerum cacumine cuncta proſpiciat. Quid igitur poſtulas, vt neceſſaria ſint, quæ diuino lumine luſtrentur, cùm ne homines quidem neceſſario eſſe faciant, quæ videant? Num enim, quæ præſcientia cernis, aliquam neceſſitatem tuis addit iumentis?* Hæc ille. Ex quibus videas rationem à D. Tho. aſſignatam ex D. Auguſtino & Boëtio Seuerino ſolis verbis, ac ne verbis quidem mutatis fuiſſe excerptam.

V. Cùm autem tam certa, & ſibi conſtans, & omni ex parte ſolida ſit hæc D. Thom. doctrina, mirum tamen eſt, quantis oppoſitionum, & difficultatum ambagibus eam nonnulli nitantur tum obſcurare, tum etiam labefactare. Porrò vt reſolutis dubitationum nebulis non ſolùm eius veritas conſpicua omnibus ſit, ſed etiam humanæ mentis tenebras in ſoluenda quæſtione obſcuriſſima ſua luce valeat illuſtrare, duo dubia circa eandem rationem à D. Thom. allatam operæ pretium duximus hic breuiter, quoad fieri poterit enodare. Alterum eſt, an omnia futura contingentia ſecundùm eſſe actualis eorum exiſtentiæ ſint ab æterno Deo præſentia, quemadmodum ratio D. Thomæ ſupponit. Alterum, an ex huiuſmodi præſentialitate ſumi poſſit ratio ſufficiens ad humani arbitrij libertatem cum certitudine infallibili diuinæ præſcientiæ conciliandam.

CAPVT XVI.

Dubium primum contra rationem à D. Thoma aſſignatam monetur, an omnes res ſint Deo præſentes ab æterno, & quomodo.

I. PRæcipuum, ac vnicum fundamentum, cui nititur ratio à D. Thom. aſſignata eſt, omnes creaturas ſecundùm eſſe actualis illorum exiſtentiæ, quod aliquando habent in ſuis cauſis, eſſe Deo præſentes ab æterno in nunc æternitatis. Hoc dictum S. Doctoris nonnulli ſic intelligunt, quòd ſenſerit D. Thomas, omnia quæ ſunt, fuerunt, & erunt, & quæ fiunt in qualibet temporis differentia, ſecundùm illorum proprias, & actuales, & reales exiſtentias coëxiſtere Deo ab æterno in ipſa æternitate, ita vt quamuis ſucceſſiuè fiant in tempore, non tamen ſucceſſiuè fiant in æternitate, ſed ſemper fuerint, ſemper ſint, & ſemper futuræ ſint, quatenus dictio *ſemper*, denotat æternitatem, non quatenus denotat tempus. De hac verò ſententia D. Thomæ ſic intellecta triplex eſt Doctorum ſententia. Prima illorum, qui arbitrantur, hanc fuiſſe verè mentem, & opinionem D. Thom. ſed tamen falſam, & impoſſibilem. ita ſentit Scotus in 1. diſt. 39. lit. B. cuius argumenta contra illã adducit, referíque Ioannes Rada cont. 30. art. 2. ita de D. Thom. & hac illius opinione ſenſerunt Aureolus apud Capreolum in 1. diſt. 36. quæſt. 1. art. 2. contra primã concluſionem, & diſt. 38. quæſt. 1. art. 2. in argumentis contra ſecundam concl. Gregorius Ariminenſis, Gabriel, Okamus, & Durandus eadem diſt. 38. & ex recentioribus Ludouicus Molina in 1. part. quæſt. 14. art. 13. diſp. 13. & Suarez lib. 1. de ſcientia futurorum contingentium cap. 7. hi omnes ſententiam D. Thomæ tanquam falſam, & impoſſibilem reiiciunt. Quorum præcipua fundamenta ſunt, quia ex hac D. Thom. ſententia ſequeretur, omnes creaturas verè, & propriè eſſe Deo coæternas, & non eſſe verè creatas in tempore, aut fuiſſe bis creatas, ſemel ab æterno, & ſemel in tempore: & eſſe antequam ſint; & cum deſinunt non deſinere: & Antichriſtum iam natum eſſe, & Adamum non verè præteriiſſe: & aliquid coëxiſtere alij antequam exiſtat in ſe: & alia plura id genus planè inintelligibilia.

Scotus, Rada. Aureolus. Greg. Arim. Gabriel. Okam. Durandus. Molina. Suarez.

II. Secunda opinio eſt eorum, qui contendunt, hanc fuiſſe quidem veram, & germanam D. Tho. ſententiam, eam tamen veriſſimam eſſe affirmant. Vnde & laborant non parum tum in ea opinione probanda, tum in argumentis aduerſariorum diſſoluendis. Et ita ſentiunt Caietanus dicta quæſtione 14. art. 13. vbi etiam Dominicus Bañes, Ripa, & Nazarius, & ante illos Capreolus in 1. diſ. 38. quæſt. 1. art. 2. & diſ. 36. quæſt. 1. art. 2. & Ferrarienſis in 1. contr. Gentes cap. 66. & 67. & tandem Aluarez diſp. 8. de diuinis auxiliis. Fundamenta iſtius opinionis ſunt autoritates quædam diuinæ Scripturæ, quibus doceri videtur, Deum vocare ea, quæ non ſunt, tanquam ea, quæ ſunt: & apud Deum nihil futurum eſſe, nihil præteriiſſe, ſed omnia ſemper præſentia eſſe, Iob cap. 14. Iſaiæ 45. ad Romanos 4. ad Hebræos 1. Adde autoritates D. Auguſtini, & Boëtij c. præcedenti allatas.

Caietan. Bañes. Ripa. Nazarius. Capreolus. Ferrarienſis. Aluarez.

Tertia opinio eſt, D. Thomæ nunquam veniſſe in mentem hanc opinionem, ita intellectam, ſed illum loqui de præſentia rerum ipſi Deo in æternitate ſecundùm illarum eſſe obiectiuum. ita ſenſerunt Heruæus, & Hiſpalenſis in 1. diſt. 38. Sylueſter in conflato. Gregorius de Valentia. Peſantius circa dictum articulũ 13. & Vaſquez diſp. 65. c. 5. vbi citat Ægidium Romanum, D. Th. diſcipulum in quodam opuſculo caſtigatorio aduersùs corruptorem doctrinæ D. Thomæ, in quo ipſum D. Th. vindicat ab hac impoſtura, quam nonnulli Doctores Pariſienſes illi imponebant. Suarez quoque loco citato cap. 8. nititur hoc modo D. Thomam interpretari, licèt cap. præcedenti oppoſitum dicat.

Heruæus. Hiſpalẽſis. Syluẽſter. Greg. Valẽt. Alexander Peſantius. Vaſquez. Ægidius. Suarez.

III. Pro ſolutione huius dubij duas diſtinctiones neceſſariò præmittendas eſſe duxi. Prima eſt, futura contingentia eſſe ab æterno Deo præſentia ſecundùm ſuas reales exiſtentias, duobus modis intelligi poteſt, vno modo quòd ipſa futura contingentia ſecundùm ſuas reales exiſtentias coëxiſtant Deo ab æterno in ipſa æternitate: alio modo quòd licèt ipſa futura contingentia non coëxiſtant Deo ab æterno ſecundùm ſuas reales exiſtentias,

ſtentias, ipſe nihilominus intuitus diuini oculi immobiliter diſcurrens ſuper omnes temporis differentias, & ſuper omnia, quæ in quauis temporis differentia fiunt, ab æterno attingat non ſolùm eſſe futurum rerum contingentium, ſed ipſum eſſe præſens actualis earum exiſtentiæ, quod habebunt, quando actu fuerint productæ in rerum natura; videtque illas, ac ſi iam actu eſſent in rerum natura. Differunt autem toto cælo iſti duo modi dicendi, quoniam ſecundùm primum modum ratio præſentialitatis rerum diuinæ viſioni ſumitur ex coëxiſtentia, dicam verius ex coæternitate exiſtentiæ creaturarum ipſi diuinæ exiſtentiæ. At iuxta ſecundum, ratio præſentiæ rerum ipſi Deo non ſumitur ex coæternitate creaturarum ipſi Deo; ſed ex infinitate diuini intuitus, & ex eo, quòd oculus diuinus potens eſt præuenire eſſe rerum antequam illæ ſint, & videre ipſum eſſe præſens actualis exiſtentiæ illarum, antequam illæ exiſtant in rerum natura.

Secunda diſtinctio. Creaturas eſſe præſentes Deo ab æterno in eſſe cognito duobus modis poteſt intelligi: vno modo, quòd per actum diuinæ cognitionis attingatur ab æterno eſſe præſens actualis exiſtentiæ, quod habet quælibet res in ſeipſa in aliqua temporis differentia extra ſuas cauſas: alio modo, quòd eatenus creaturæ dicantur Deo præſentes, quatenus diuina cognitio ſolùm attingit illud eſſe obiectiuum, ſeu eſſe cognitum, quod ſecundùm Scotum, & alios quoſdá res creatæ habent in Deo ab æterno, eo modo quo nonnulli ſuprà c. 3. opinione ſecunda & tertia, & c. 4. prop. 2. relati dixerunt, eatenus Deum videre creaturas, quatenus diuina cognitio attingit illud eſſe obiectiuum, & ad illud terminatur. His diſtinctionibus præmiſſis ſit.

IV. Prima propoſitio: Accepta præſentialitate rerũ iuxta ſecundum modum aſſignatum in prima diſtinctione omnes creaturæ, & omnia contingentia quantumcunque futura, ſunt Deo ab æterno præſentia ſecundùm ſuas proprias, & reales exiſtentias. Hæc propoſitio mea ſententia eſt de fide, etiam ſuprà cap. 4. ſufficientiſſimè probata, & nunc iterum probanda eſt autoritate diuinæ Scripturæ, quæ dicit, numerum menſium hominis apud Deũ eſſe, Iob c. 14. & opera vniuerſæ carnis eſſe coram illo, Eccleſ. 39. & Deum vocare ea, quæ non ſunt, tanquam ea, quæ ſunt.

Probatur etiam teſtimoniis Patrum. Adeſt enim ad hanc propoſitionem probandam apertum teſtimonium D. Auguſtini lib. de Prædeſt. & Grat. cap. 5. & lib. 4. de Trinitate cap. 17. & lib. 15. cap. 16. quæ in fine capitis præcedentis recitata ſunt. Quibus addere poſſumus teſtimonium ex lib. 83. quæſtionum quæſt. 37. vbi dicit, quòd apud Deum nihil eſt præteritum, & pari ratione neque futurum. Et alia ex lib. 10. de Ciuit. cap. 12. & lib. 11. c. 21. & lib. 2. ad Simplicianum q. 2. & lib. 11. Confeſ. c. 18. & lib. 4. de Trin. c. 13. & lib. 11. c. 7. & in Soliloq. c. 26.

Auguſtinus.

Addi etiam poſſunt D. Hieronymus in illud ad Epheſ. c. 1. *Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionẽ.* D. Ambroſ. lib. 1. de fide c. 7. D. Gregorius lib. 2. Moralium cap. 20. & lib. 4. cap. 32. & 38. & lib. 9. cap. 25. & lib. 12. c. 5. Anſelmus in lib. Concordiæ c. 1. & 2. Beda lib. 1. qq. q. 17. to. 8. Boëtius lib. 5. de Conſolatione, proſa 6. Hugo Victorinus in ſumma tract. 1. c. 12. Iſidorus, D. Proſper, & alij, quos citat Aluarez diſp. 8. n. 4.

Hieronym. Ambroſ. Gregor. PP. Anſelmus. Beda. Boëtius. Hugo de S. Vict. Aluarez.

Probatur etiam ratione demonſtratiua, quoniam vel aliquando creaturæ ſunt præſentes Deo ſecundùm actuales exiſtentias, vel numquam. Secundum dici non poteſt. Si dicatur primum. ergo ſemper fuerunt Deo præſentes: aliàs diuina cognitio eſſet tranſmutabilis, & viciſſitudine ſubiecta, quod eſt contra fidem Catholicam. Iuxta ſenſum huius propoſitionis loquitur D. Thomas vbicunque ex præſentialitate rerum in æternitate conciliat certitudinem diuinæ præſcientiæ cum rerum contingentia, & arbitrij noſtri libertate, quod tam clarum eſt, vt ad hoc declarandum ſufficiat ſola locorum D. Thomæ lectio abſque alio commento.

Secunda propoſitio: Si loquamur de præſentialitate iuxta primum modum explicatum in prima diſtinctione, creaturas fuiſſe aut eſſe ab æterno Deo præſentes ſecundùm ſuas proprias, & reales, & actuales exiſtentias, nec eſt doctrina in ſe vera, neque vnquam à D. Thoma intenta. Quòd non ſit doctrina in ſe vera, probo ratione à Durando virtualiter inſinuata, quæ meum intellectum planè conuincit, neque adhuc ab aliquo autore videtur, vel in ſpecie ſoluta. Ratio eſt. Illud, quod reuera in ſe non exiſtit, nulli rei alij à ſe poteſt verè coëxiſtere. Hæc propoſitio eſt adeò vera, vt etiam Caietanus illam expreſſis verbis promat dicta q. 14. art. 13. §. *His præibatis*, vbi ſic ait: *Quoniam coëxiſtentia rei ad æternitatem æquatur in durationem menſuræ eiuſdem exiſtentiæ, cùm non coëxiſtat, niſi ſecundùm ſuam actualem exiſtentiam.* Quæ verba ſunt attentè notanda, quoniam ſufficere poſſunt ad omnem dubietatem in hac re tollendam, vt ſtatim dicemus. Subiiciamus minorem: ſed nulla creatura ante illud inſtans temporis, in quo eſt producta extra ſuas cauſas in rerum natura, exiſtit verè in ſe. Ergo ante illud inſtans nulli omnino poteſt coëxiſtere.

V. Caietan.

Confirmatur hæc ratio ex proximè allata doctrina Caietani, quæ veriſſima eſt, cùm ſit ex intrinſecis ipſius rei petita. Coëxiſtentia rei in æternitate, vel ad æternitatem coæquatur in durationem menſuræ exiſtentiæ eiuſdem rei. ergo res creatæ non coëxiſtunt æternitati, niſi pro ea duratione, qua exiſtunt in ſeipſis & pro menſura eiuſdem durationis, quæ menſura eſt tempus, vt notum eſt; aliàs ſi exiſtunt in nunc æternitatis, quando non exiſtunt in nunc temporis, falſa & impoſſibilia dicit, quod coëxiſtentia rerum ad æternitatem æquetur in duratione menſuræ exiſtentiæ earundem rerum: ſicut falſa, & pugnantia diceret, qui diceret, quòd illa ſunt æqualia, quorum vnum alterum excedit. Et quis eſt tam ſtupidus, qui non intelligat, has duas propoſitiones eſſe contradictorias, exiſtentiam alicuius rei creatæ coæquari in duratione exiſtentiæ eiuſdem rei, & ipſam rem coëxiſtere in æternitate, & non exiſtere in ſeipſa in nunc temporis, quod eſt propria menſura durationis eiuſdem rei creatæ. Certè res eſt nimis conſpicua, contra quam nihil prodeſt refugium de coëxiſtentia rerum ad æternitatem in quolibet nunc æternitatis, non autem in quolibet nunc temporis: nihil, inquam, omnino prodeſt hoc refugium, quod nonnulli ex Caietano didicerunt, ſi verum eſt, durationem coëxiſtentiæ rerũ ad æternitatem coæquari durationi, ſeu menſuræ durationis exiſtentiæ eiuſdem rei in ſeipſa, quod Caietanus expreſsè fatetur.

VI. Sed vt magis appareat ſoliditas huius rationis, præcludendum eſt illud refugium, quod videtur ſumi poſſe ex illa diſtinctione à Caietano excogitata. Aiunt enim nonnulli, hanc propoſitionem: Omnia ſunt Deo præſentia ab æterno, vel omnia

coëxi

coëxiſtunt Deo ab æterno; poſſe habere duplicem ſenſum. Primus eſt, quòd omnia quæ ſunt, vel fuerunt, coëxiſtunt Deo ab æterno, & ſunt illi ab æterno præſentia in quolibet nunc æternitatis; & hic ſenſus veriſſimus eſt, quia cum nunc æternitatis vnum tantùm ſit, & indiuiſibile, quidquid exiſtit in æternitate, ſemper exiſtit in æternitate, vt ly *ſemper*, dicit præciſè ipſum nunc æternitatis. Secundus ſenſus eſt, quòd omnia, quæ ſunt vel fuerunt, coëxiſtunt Deo ab æterno, ſiue in æternitate pro quolibet nunc temporis, & hunc ſenſum aiunt eſſe falſum, & impoſſibilem. Et dicunt, iuxta hunc ſecundum ſenſum procedere argumenta Scoti, & aduerſariorum contra D. Thomam. Hoc tamé refugium nihil omnino eos iuuat: quia Caietanus, immo & D. Thom. 1. cont. Gent. cap. 66. ratione ſexta, & Ferrarienſis ibidem, & communiter omnes Doctores docent æternitatem etſi formaliter ſit tantùm vnum nunc indiuiſibile, tamen virtualiter, & extrinſecè prout reſpicit diuerſas partes temporis, & ea quæ fiunt in diuerſis partibus temporis, habere partes, & continere plura inſtantia temporis, & plures partes temporis, ſicut menſura ſuperexcedens continet omnes partes menſuræ, quæ exceditur, & ſicut centrum ſignatum in circumferentia virtualiter correſpondere poteſt omnibus punctis ſignatis in ipſa circumferentia, ad quæ ex ipſo centro ducuntur lineæ ad circumferentiam. Hoc autem ſtante diſtinctio illa à Caietano tanto labore, & annorum ſtudio elaborata nihil videtur illorum cauſam iuuare, quia cùm Theologi quærunt, vtrùm omnes creaturæ ſint ab æterno Deo præſentes ſecundùm ſuas exiſtentias, vt ex tali præſentia inferant, Deum omnia futura contingentia cognoſcere, quæſtio eſſe non poteſt de coëxiſtentia, & præſentia rerum in æternitate ſolùm pro aliquo nunc temporis, & prout æternitas virtualiter continens illud nunc, in quo res producitur extra ſuas cauſas, dicitur etiam eſſe menſura durationis eiuſdem rei: ſed neceſſariò debet intelligi de coëxiſtentia & præſentia rerum in æternitate, prout illa correſpondet ſingulis inſtantibus temporis, & pro quolibet nũc temporis non ſolùm realis, ſed etiam imaginarij; alioquin niſi ſic intelligatur quæſtio, ex præſentia, & coëxiſtentia rerum in æternitate nullo modo poteſt colligi certitudo diuinæ notitiæ de futuris contingentibus. Quod probo immediatè, quia ſi ea ſola ratione futura contingentia videntur à Deo quia illa ſunt Deo præſentia, & coëxiſtentia in nunc æternitatis. ergo tunc ſolùm videntur à Deo, quando ſunt Deo præſentia, & coëxiſtentia in æternitate: ſed creaturæ non ſunt Deo præſentes, aut coëxiſtentes in æternitate in quolibet nũc temporis, ſed in aliquo tantùm. Ergo creaturæ non videntur à Deo in æternitate in quolibet nunc temporis, ſed in eo ſolùm in quo exiſtunt, & ſic verum erit dicere, in hoc nunc temporis, ſiue in æternitate, prout reſpondet huic nunc temporis, Deus non videt Antichriſtum, & in tempore imaginario antequam crearet mundum, ille non videbat mundum, quod dicere eſt erroneum; Ergo falſum eſſe videtur illud, ex quo ſequitur.

Caietan. D. Thom. Ferrarienſis.

Præterea nihil exiſtere poteſt in menſura aliena, quando non exiſtit in menſura propria: ſed res nõ exiſtunt in menſura propria, niſi dum ſunt actu extra ſuas cauſas. Ergo non exiſtunt in æternitate, vt in menſura extranea, niſi pro eodem tempore, quando ſunt actu productæ extra ſuas cauſas. Probatur maior, quia propria menſura durationis exiſtentiæ rei non differt ab eadem rei exiſtentia, niſi ſecundùm rationem, vel ad ſummum formaliter, ſicut differunt motus, & tempus quod menſurat ipſum motum. Ergo exiſtentia rei non poteſt menſurari à menſura aliena exiſtens ſine menſura propria, ſicut motus non poteſt exiſtere ſine tempore, vel menſurari ab aliena menſura, & non menſurari à tempore, quia tempus ſubſtantialiter eſt ipſum eſſe ſucceſſiuum motus. Sic igitur cùm duratio exiſtentiæ rei, & menſura propria eiuſdem durationis realiter vnum & idem ſint, non poteſt durare exiſtentia rei menſurata per ſolam æternitatem, ſine propria menſura.

VII. Secunda ratio principalis ad eandem propoſitionem probandam ſit talis. Si creaturæ coëxiſtunt Deo ab æterno ſecundùm ſuas reales exiſtentias, vel coëxiſtunt illi cum inceptione, & nouitate eſſendi, vel ſine inceptione, & nouitate eſſendi. Si dicatur primum. Ergo creaturæ coëxiſtunt Deo ab æterno in tempore, vel in æuo, omnis enim duratio cum inceptione, & nouitate eſſendi menſuratur tempore, vel ſaltem æuo, vt notum eſt. Si autem dicatur ſecundum, ſequitur primò, creaturam vel eſſe Deum, vel æqualem Deo: quia nihil eſt Deo coæternum ſine nouitate, & inceptione eſſendi, niſi ipſe Deus. Secundò ſequitur, æternitatem non eſſe attributum ſolius Dei. Tertiò æternitatem non eſſe menſuram adæquatam ſolius diuini eſſe, eſſet enim adæquata etiam creaturarum, quia illarum exiſtentiam, & durationem minimè excederet, aut ſi excederet, creaturæ non coëxiſterent Deo ab æterno. Quartò ſequeretur iſtam propoſitionem eſſe veram, creaturæ exiſtunt ab æterno. Valet enim conſequentia iſta, creaturæ ſunt ab æterno in æternitate. ergo creaturæ ſunt ab æterno: ſicut valet iſta, homo eſt albus; ergo homo eſt.

Neque iſta conſequentia eſt ab amplo ad ſtrictum, aut à minùs ſtricto ad magis ſtrictum affirmatiuè, vt nonnulli dicunt, quorum dialectica, in hoc gratis eſt excogitata. Ex quo nanque principio dialectico oſtendere poſſunt, hanc conſequentiam eſſe ab amplo ad ſtrictum, vel à minùs ſtricto, ad magis ſtrictum? Non enim monſtrabunt vnquam, quòd exiſtere ab æterno in æternitate ſit quid magis amplum, vel minùs ſtrictũ, quàm exiſtere ſimpliciter & abſolutè, immo eſt quid magis ſtrictũ, & minùs amplum, quia exiſtere ſimpliciter, & abſolutè eſt quid commune ad exiſtere in ſe, & exiſtere in æternitate, ſecundùm illorum opinionem.

Neque valet, quod alij dicunt, iſtam conſequentiam, homo exiſtit ab æterno in æternitate. ergo exiſtit ab æterno; eſſe à ſecundùm quid ad ſimpliciter: quia vel exiſtentia, qua per ſe creaturæ ab æterno coëxiſtunt Deo in æternitate, eſt exiſtentia vera, & ſimpliciter, vel ſecundùm quid. Si dicas primum, falſum eſt, conſequentiam eſſe ab exiſtere ſecundùm quid ad exiſtere ſimpliciter. Si dicas ſecundum. ergo creaturæ non verè, & propriè coëxiſtunt Deo ab æterno, ſecundùm illarum proprias, & reales exiſtentias, vt illi dicunt, ſed ſolùm ſecundùm quid. Hoc autem alio modo intelligi non poteſt, niſi ſecundùm eſſe cognitum, vel obiectiuum. Quod adhuc magis poteſt declarari hoc modo: vel enim exiſtentia, qua creaturæ ſecundùm illos coëxiſtunt Deo ab æterno in æternitate, eſt exiſtentia vera, & propria illarum, vel non. Si non. ergo dantur plures rerum exiſtentiæ, & adhuc ſequitur, creaturas

turas non verè ſecundùm proprias exiſtentias coëxiſtere Deo ab æterno, de qua re ſolùm eſt quæſtio. Si autem dicatur, eam eſſe veram, & propriam illarum exiſtentiam, vt dicere debent, cui ſuadebunt, quòd exiſtens ſecundùm propriam,& veram exiſtentiam, ſolùm exiſtat ſecundùm quid?

VIII. Tertia autem ratio efficaciſſima ad eandem veritatem probandam ſumitur ab inconuenientibus manifeſtiſſimis, quæ neceſſariò ſequuntur ad ſententiam illorum, qui defendunt hanc rerum coëxiſtentiam ab æterno ſecundùm reales illarum exiſtentias. Data enim illa opinione aperitur via facilis,& tuta ad aſſerendos, & defendendos plures errores in fide. Nam cùm Catholici contra Arianos ex æternitate Verbi probant illius diuinitatem, illi ſtatim reſpondebunt, Verbum eſſe creaturam, & incepiſſe in tempore eſſe; & nihilominus extitiſſe ab æterno in menſura æternitatis. Similiter cùm probamus, Angelos fuiſſe creatos in initio temporis cum mundo viſibili, non autem fuiſſe ab æterno, vt quidam hæretici defendebant, illi dicerent, Angelos incepiſſe in propria menſura,& extitiſſe ab æterno in menſura æternitatis. Et cùm ait Baſilius contra Eunomium, eiuſdem dementiæ eſſe, creaturam ſuo creatori coæternam facere, & eiuſdem creaturæ Dominum ſua æternitate priuare, reſpondebunt Eunomiani, creaturas eſſe ſuo creatori coæternas in menſura æternitatis: neque hoc eſſe inconueniens. Et alia ſimilia abſurda, ad quæ vitanda non ſufficiunt chimeræ, quæ difficultates non ſoluunt.

Baſilius.

CAPVT XVII.

Coëxiſtentia creaturarum ab æterno ex ipſo D. Thoma & eius expoſitoribus adhuc refutatur.

I. SEcunda pars ſecundæ propoſitionis, quam capite præcedenti conſtituimus, erat, ſententiam, quæ docet omnes creaturas ſecundùm reales illarum exiſtentias coëxiſtere Deo ab æterno in æternitate, nullo modo fuiſſe vnquam ſententiam D. Thomæ, id quod in hoc capite probandum eſt. Et inprimis reiicienda eſt ex D. Thoma diſtinctio illa de coëxiſtentia rerum in menſura propria, & in menſura aliena,& inadæquata, qua de medio ablata præcluditur illis, qui hanc opinionem D. Thomæ imponunt, omne refugium. Ea verò facillimo negotio reiici poteſt ex eo, quia cùm D. Thom. dicit, creaturas ſecundùm ſuas exiſtentias eſſe præſentes Deo ab æterno, loquitur de eſſe actualis exiſtentiæ, quod habet res in ſeipſa, quando poſita eſt extra ſuas cauſas, quod contrà diſtinguitur ab eſſe futuro: quia qui attingit ſolum eſſe futurum rei in ſuis cauſis, non poteſt illius habere certam notitiam: qui autem attingit eſſe præſens rei contingentis, quod illa habet in tempore, quando eſt extra ſuas cauſas in rerum natura, habet illius certam notitiam. Modò Deus ab æterno habet præſens non ſolùm eſſe futurum, quod contingentia habent in ſuis cauſis, ſed etiam eſſe actualis exiſtentiæ, quod illa habent in qualibet temporis differentia extra ſuas cauſas, & hoc modo poteſt de futuris contingentibus certam notitiam habere. Iſta igitur exiſtentia, ſecundùm quam res dicuntur præſentes Deo ab æterno, eſt exiſtentia rerum in propria differentia temporis præſentis contrà diſtincta à differentia temporis futuri, qua menſurantur, dum ſunt adhuc in ſuis cauſis, & eſt exiſtentia actualis rerum, quando actu ſubſiſtunt in rerum natura; & ſecundùm hanc exiſtentiam vbique docet D. Thomas, creaturas eſſe Deo præſentes ab æterno, vt patere poterit cuiuis legenti verba illius. De exiſtentia verò earundem rerum, ſiue coëxiſtentia ab æterno extra propriam menſuram, ne verbum quidem reperitur in tota doctrina D. Thomæ. Ergo illa diſtinctio de coëxiſtentia rerum in nunc æternitatis, vt in menſura ſuperiori, & in tempore, vt in propria menſura, nullum habere poteſt fundamentum in doctrina D. Thomæ, & eſt contra illum.

II. Secundò in opinione D. Thom. æternitas eatenus eſt menſura rerum, quæ tempori ſubiiciuntur, quia continet tempus, quod eſt propria menſura rerum, quæ tempore menſurantur, quia qui continet totum aliquod continens, continet etiam omnia contenta in illo continente. Id docet expreſsè D. Thom. 1. p. quæſt. 14. art. 9. & art. 13. legantur illius verba; Et 1. contra Gent. cap. 66. ratione ſexta, vbi rem illuſtrat exemplo loci communis continentis locum particularem, qui continet omnia, quæ fiunt, & ſunt in loco particulari. Sicut cælum continens ſphæram ignis, & aëris dicitur continere omnia, quæ fiunt in ſphæra ignis & aëris. Ergo æternitas non poteſt menſurare durationem exiſtentiæ rerum contingentium, niſi dum illæ ſunt ſub propria menſura, ſicut etiam cælum non poteſt continere ea, quæ ſunt in aëre, aut ſphæris inferioribus, niſi quando illa actu ſunt in dictis ſphæris inferioribus. Vana ergo eſt & contra mentem D. Thomæ diſtinctio illa de exiſtentia rerum in æternitate vt menſura inadæquata, & aliena, & in tempore, vt menſura propria, quatenus ex illa quidam volunt deducere, quòd res poſſint exiſtere in æternitate, quando non exiſtunt in tempore, cùm ex ſententia D. Thomæ res non exiſtant in æternitate, vt menſura aliena, & excedente, niſi quando exiſtunt in tempore, vt menſura propria.

D. Thom.

III. Tertiò quando D. Thomas ex præſentialitate rerum conciliauit certitudinem diuinæ præſcientiæ cum rerum contingentia, ſemper dixit, creaturas ab æterno eſſe præſentes Deo, quia diuinus intuitus, ab æterno fertur ſuper omnes temporis differentias, & attingit omnia quæ fiunt in tempore, & in qualibet differentia temporis, & hoc, quia ſcientia Dei menſuratur æternitate, quæ tota ſimul exiſtens in vnico præſenti repræſentat diuino intellectui, quidquid fit ſucceſſiuè in tempore. Hæc eſt ipſiſſima ratio D. Thom. Nunquam autem inuenietur locus in D. Thom. in quo dixerit, quòd Deus ab æterno videat eſſe actualis exiſtentiæ rerum, quia quidquid fiat in tempore, coëxiſtit Deo ab æterno, vel quia res ſint ab æterno in æternitate, vt in menſura inadæquata: Et ſi eſt alicuis locus in quo id dicat, cur ille non profert[illegible]? Differunt autem toto cælo, vt ſuperiùs dixi, hæc duo, Deus ab æterno videt eſſe præſens actualis exiſtentiæ rerum contingentium, quia intuitus diuinus, vel ſcientia diuina menſuratur æternitate, & præueniendo tempora, videt res antequam fiant; & Deus videt ab æterno eſſe præſens actualis exiſtentię rerum, quia

III.

Digitized by Google

quia illæ ſecundùm ſuas exiſtentias coëxiſtunt Deo ab æterno, & quia actualis rerum exiſtentia menſuratur æternitate: quanuis nonnulli hæc cõfundant,& pro eodem accipiant,ex qua confuſione illorum error naſcitur. Quia ex primo capite ratio certitudinis notitiæ rerum contingentium ſumitur ex Deo: ex ſecundo verò ſumitur ex ipſis creaturis.

IV. Quartò eſto iſta rerum coëxiſtentia poſſibilis eſſet,tamen inſtituto D. Thom. omnino deſeruire non poteſt. Ille enim intendit reddere rationem, quare cùm res fiant ſucceſſiuè, & aliquando nondum habeant eſſe certum, & determinatum, nihilominus Deus illas videat ſine ſucceſſione,& videat illas certò,& determinatè.Huius autem quæſiti ratio reddi non poteſt ex hoc,quòd rerum exiſtentia menſuretur æternitate,ſed ſolùm reddi poteſt ex hoc, quòd ſcientia Dei menſuratur æternitate,quæ cùm ſit tota ſimul,repræſentat diuino intellectui omnia ſimul,& immobiliter, quæ ſucceſſiuè, & cum motus decurſu fiunt. Quod adhuc magis explicatur, quia ſicut æternitas non tollit ſucceſſionem, & variabilitatem ab illis rebus,quæ per illam menſurantur,vti per menſuram extrinſecam,& inadæquatam, ſed ſolùm tollit illam à rebus, quæ per eam menſurantur, vti per menſuram propriam,& intrinſecam; ita per hoc, quòd æternitas eſt menſura rerum variabilium, & ſucceſſiuarum,non poteſt eſſe ratio, quòd res ſine variatione,& ſucceſſione intelligantur à Deo,ſed ſolùm per hoc,quòd eſt menſura diuini eſſe,& diuini intellectus,& diuinæ ſcientiæ,in quibus nulla poteſt eſſe ſucceſſio.

Quintò in ſententia D. Thom. eo modo, quo omnia ſunt Deo præſentia in quolibet nunc æternitatis, ita eodem modo ſunt Deo præſentia in quolibet nunc temporis. Ergo diſtinctio illa de præſentia in nunc temporis,& in nunc æternitatis, eſt contra mentem D.Thomæ. Probo antecedens, nam D. Thomas ait, quòd ideo omnia, quæ fiunt in tempore, ſunt Deo ab æterno præſentia, quia ab æterno diuinus intuitus fertur ſuper omnia prout ſunt in ſua præſentialitate. Modò ſicut iſta propoſitio eſt vera:Intuitus Dei ab æterno fertur ſuper omnia,prout ſunt in ſua præſentialitate; ita iſta eſt vera, in quolibet nunc temporis intuitus diuinus fertur ſuper omnia prout ſunt in ſua præſentialitate, & heri intuitus diuinus ferebatur ſuper omnia, prout ſunt in ſua præſentialitate, & cras feretur ſuper omnia, &c.Ergo in ſententia D. Thom.eodem modo res contingentes ſunt Deo præſentes in quolibet nunc æternitatis,& in quolibet nunc temporis, ſi ly *eodem modo*, ſe teneat ex parte ipſius Dei.

V. Sextò idem D. Thomas conceptis verbis ſuam ſententiam declarauit, dum in 1.p.quæſt.16. art.7. docuit,veritatem non eſſe æternam niſi in intellectu diuino: neque per hoc aliquid aliud à Deo eſſe æternum; quia veritas intellectus diuini eſt ipſemet Deus. Et quæſt. 20. art.2. ad ſecundum vbi docet, nihil eſſe ab æterno, niſi in ipſo Deo.quòd ſi dicatur idem eſſe,creaturam coëxiſtere in æternitate,& coëxiſtere in Deo,hoc non eſt tollere,ſed augere difficultatem:quia iſtud eſſe, quod habet creatura in Deo,non eſt eſſe creaturæ, de quo modò diſputatur,ſed eſt eſſe ipſiuſmet Dei, ſecundùm quod eſſe creatura dicitur vita creatrix. Immo ex hoc deducitur aliud argumentum.

Septimo itaque loco arguitur. Autores, qui admittunt hanc rerum exiſtentiam in nunc æternitatis, grauiter vrgent Scotum, eo quòd dixerit, creaturas habere in Deo ab æterno quoddam eſſe cognitum,quod tamen ſecundùm illum eſt ens rationis,& propè nihil. Et nonnulli, inter quos Dominicus Bañes 1.p.q.14.art.6. & quæſt.15.art.1. & Gabriel Biel in 1.d.35.q.3. art.1. in tantum illum exagitant, vt vocent eius ſententiam temerariam, & errorem Ioannis VVicleff. Si autem error eſt, concedere creaturas habere iſtud eſſe cognitum ab æterno in Deo, multo magis videtur inconueniens dicere, quòd omnes creaturæ ſint Deo coæternæ ſecundùm veras, & reales, & proprias illarum exiſtentias.Docet enim Scotus, quòd creaturæ exiſtunt ab æterno in ipſo Deo, non in nunc temporis, ſed in æternitate, & eodem modo reſpondebit obiectionibus ſicut illi.

VI. Octauò probari poteſt, hanc fuiſſe mentem D. Thomæ,ex ipſiſmet D.Thomæ expoſitoribus,nam Caietanus dicta quæſt.14.art.13. expreſsè fatetur, res non coëxiſtere in æternitate, niſi quando exiſtunt in propria menſura:quia coëxiſtere ſupponit ipſum exiſtere.Ferrarienſis in 1. contra Gent.c.66. §. *Ad ſecundum dubium.*ſic ait: *Ad ſecundum dubium reſpondetur, quòd ſupponit ratio iſta ex præcedentibus, Deum omnia cognoſcere,quæ actu præſentia ſunt ſibi ſecundum eſſe,& quæ ſub eadem duratione cadunt cum ſua intellectione: eo quòd eſſentia ſua vna exiſtens ſit ſimilitudo omnium entium. Sed quia aliqui volebant non entium à Deo cognitionem remouere, eo quòd ſcientia ſit tantùm entium: oſtendit, quòd hoc non habet remouere cognitionem non entium à Deo, quia licèt non entia in hoc tempore non ſint actu, ſunt tamen æternitati,quæ eſt menſura diuinæ intellectionis, præſentia pro tempore, pro quo erunt. Nos autem vno actu videndi non cognoſcimus omnia,*&c.Sentit hic autor,res non eſſe præſentes Deo in æternitate,niſi pro tempore, in quo erunt. Raphael Ripa eadem quæſt.14. a.13. controu. prima ait,quòd *æternitas modo indiuiduo & excellentiſſimo omnes temporis differentias ambit, in quibus mox, vt res incipiunt,vel inceperint, vel incipient, pari modo inceperunt, vel incipiunt, vel incipient eſſe in æternitate.* Et rurſus, *cùm dicitur quòd res ſunt ab æterno, ly* ab æterno,*non ſumitur pro æterno,& ſemper, ſed pro determinata differentia temporis pro præterito reſpectu Adæ, pro præſenti reſpectu noſtri, & pro futuro reſpectu Antichriſti.* Rurſus: *ſolum Deum eſſe ab æterno pro æterno: reliqua verò omnia eſſe quidem in æternitate ab æterno,at pro temporis tantùm differentia,in qua à Deo eſſe obtinent, vt mirum valde ſuerit, quòd tot abſurda noſtra ex ſententia colligant aduerſarij: immò nihil mirum, quoniam non ex noſtra, ſed ex abſurdiore ſenſu, quem non ſomniauimus.* Hæc ille. & rurſus: *Liberi arbitrij noſtri actus non ponimus in æternitate, niſi pro tempore, quo ab ipſo ſcilicet libero arbitrio proficiſcuntur.* Vide illum cap. 1. & 2. Quæ ſi vera ſunt, falsò docent nonnulli alij, quòd licèt futura contingentia incipiant eſſe in tempore, non tamen incipiunt eſſe in æternitate, cùm non ſint in æternitate niſi pro tempore, quo illa à cauſis ſuis proficiſcuntur: item quod aiunt, ſemper futura contingentia exiſtere in æternitate ob eandem cauſam. Quæ docet Aluarez dicta diſputatione octaua ad tertium argumentũ.

Caietan.

Ferrarienſ.

Ripa.

VII. Nonò illimet aſſertores coëxiſtentiæ rerum in æternitate, cùm premuntur difficultatibus, cúinque illis obiicitur,quòd ſi omnia coëxiſterent Deo ab æterno in æternitate,ſequeretur duo contradictoria verificari de eodem reſpectu eiuſdem nunc æternitatis: ſequeretur enim has duas contradi-

ſtorias eſſe veras: Antichriſtus in nunc æternitatis nõ eſt,& Antichriſtus in nũc æternitatis eſt:quia in aliquo nunc tẽporis, quod continetur in æternitate, Antichriſtus eſt; & in aliquo nunc temporis, quod etiam continetur in æternitate,nõ eſt. Huic difficultati, vt ſatisfaciant, coguntur dicere,quòd quanuis æternitas ſit vnum nunc indiuiſibile formaliter,continet tamen virtualiter plura inſtantia, & continet etiam virtualiter ſucceſſionem, vnde & poteſt reſpondere pluribus, & diſtinctis inſtantibus temporis ſucceſſiuè, ſaltem extrinſecè: & ob hanc cauſam contradictoria non verificantur de eodem reſpectu eiuſdem,& ſub eadem ratione, quia iſta duo contradictoria, Antichriſtus in æternitate eſt, Antichriſtus in æternitate non eſt, non verificantur reſpectu æternitatis, quatenus eſt intrinſecè vnum tantùm inſtans indiuiſibile, ſed quatenus extrinſecè, aut virtualiter continet ſucceſſionem, & plura inſtantia temporis, & correſpondere poteſt pluribus inſtantibus ſucceſſiuis ipſius temporis. Et ita præter Caietanum loco citato reſpondet Bañes eadem 1. part. q.10. a.1. ad vltimum argumentum, & Aluarez dicta diſputatione 8. ad 4. Sentiunt igitur, velint nolint,æternitatem continere res ſucceſſiuas, & illas menſurare non præcisè quatenus eſt vnum inſtans indiuiſibile, ſed quatenus ſaltem virtualiter continet ſucceſſionem.Modò quæ non continentur in æternitate, niſi quatenus illa virtualiter continet ſucceſſionem,& plura inſtantia,non coëxiſtunt æternitati ab æterno. Ergo ab ipſiſmet illius aſſertoribus hæc opinio de rerum coëxiſtentia in æternitate videtur euerti.

Caietan. Bañes. Aluarez.

VIII. Demum Catholici reiiciunt ſententiam VVicleffi qui, referente VValdenſi lib.1. doctrin. fidei c.5.& 8. dicebat, creaturas habere quoddam eſſe reale & ideale ab æterno diſtinctum ab eſſe, quod habent in Deo; & reiiciunt illam tanquam errorem. A pari videtur reiicienda hæc ſententia, quia ſi creaturæ ſunt coæternæ Deo ab æternitate, vel ſunt illi coæternæ ſecundùm eſſe reale,vel rationis. Secundum dici non poteſt, iuxta illos, qui eam defendunt.Si dicatur primum,arguo,vel ſunt Deo coæternæ ſecundùm eſſe reale, quod habent in Deo, vel ſecundùm eſſe, quod habent extra Deum. Si dicatur primum, hoc non eſt eſſe creaturarum,ſed Dei. non ergo coëxiſtunt Deo ſecundùm proprias exiſtentias. Si dicatur ſecundum,ergo hæc opinio videtur labi in ſententiam VVicleffi damnatam.

Et reuera eſto ſententia poſſet defendi, modus tamen loquendi omnino admittendus non videtur: nam præpoſitio, *ab*, in rigore ſermonis denotat principium vnde motus, vel durationis. Vnde iſta propoſitio: Creaturæ ſunt ab æterno in æternitate; ſecundùm proprietatem locutionis facit ſenſum, quòd creaturæ exiſtunt in æternitate, ſine initio durationis. Sicut qui dicunt,mundum fuiſſe ab æterno, intelligunt, mundum fuiſſe ſemper ſine initio ſuæ durationis. vnde in rigore ſermonis videtur reiicienda.Neque Aug. neque D.Tho. neque aliquis antiquus Doctor hoc loquendi modo vſus eſſe videtur: quia eſto poſſet habere rectũ ſenſum, tamen ſecundùm proprietatem ſermonis falſus videtur.

IX. Iam verò pro ſolutione difficultatum,& conciliatione opinionum ſit tertia propoſitio.Creaturæ ſunt Deo ab æterno præſentes ſecundùm eſſe obiectiuum,non quatenus eſſe obiectiuum ſignificat illud eſſe cognitum à Scoto excogitatum,ſed quatenus eſſe obiectiuum ſignificat, creaturas ſecundùm ſuas veras,& reales exiſtentias,quas habẽt in tempore, eſſe ab æterno obiectum diuinæ cognitionis,ad quod ipſa diuina cognitio verè, & propriè terminatur,vt ad obiectum ſecundarium.Iuxta ſenſum huius concluſionis intelligi debent illi, qui dicunt, creaturas eſſe ab æterno Deo præſentes ſolùm ſecundùm eſſe obiectiuum: iuxta quem ſenſum concluſio eſt in re ſententia D.Th.eſt enim in ſenſu eadem propoſitio cum prima c.16. firmata:& probari poteſt eiſdem rationibus, quibus illa ibidem probatur, & quibus ſuprà c.4. firmata eſt ſecunda propoſitio.

X. Contra ſecundam propoſitionem eſt primum argumentum Ferrarienſis lib.1. contra Gen. c.66. Si creaturæ ſunt Deo præſentes ſolùm ſecundum eſſe obiectiuum, non autem ſunt Deo coæternæ ſecundùm ſuas reales exiſtentias,ratio illa D.Thomæ,qua probat,quòd Deus cognoſcat futura contingentia, quia illa ſunt ab æterno ipſi Deo præſentia ſecundùm ſuas reales exiſtentias, eſt ratio nugatoria, petens principium, & probans idem per idem: quia probat,quòd Deus cognoſcit futura contingentia, quia futura contingentia ſunt Deo ab æterno præſentia in eius cognitione,quod eſt probare idem per idem,& dicere,cognoſcit hoc quia cognoſcit hoc. Ferrariẽſis.

Reſpondeo,rationem D.Thomæ optimam eſſe, ſed eius vim ab arguente non eſſe perceptam. D. Thom. non intendit ibi reddere rationem ſolùm, ob quam Deus cognoſcit futura contingentia:ſed intendit reddere rationem, ob quam cum certitudine diuinæ cognitionis ſimul ſtat ipſa rerum contingentia, quia in reddenda hac ratione ſtat tota difficultas huius grauiſſimæ controuerſiæ Catholicorum cum hæreticis & infidelibus.Ratio autem optima eſt, quam ille aſſignat hoc modo. Qui videt eſſe præſens actualis exiſtentiæ rei contingentis, poteſt de re contingenti certam notitiam habere. Deus ab æterno videt non ſolùm eſſe futurum,ſed etiam eſſe præſens actualis exiſtentiæ rei contingentis. Ergo poteſt de illa certam notitiam habere ſalua manente rei contingentia. Maiorem ſupponit, vt notam ad ſenſum, & per experientiam. Minorem probat ex eo, quia ſcientia Dei menſuratur æternitate. Hic eſt verus diſcurſus D. Thomæ, in quo non probat idem per idem, ſed probat, quòd certitudo diuinæ præſcientiæ non lædat rei contingentiam per hoc, quòd Deus ſemper videt præſens eſſe actualis exiſtentiæ rei contingentis.

Secundò dico,eſto D. Thom. intenderet ex rerum præſentia probare Deum cognoſcere futura contingentia,nullam tamen committeret petitionem principij. Quod vt intelligatur, notandum eſt, latere æquiuocationem in hoc termino, *præſentia*. Poteſt enim hic terminus accipi, prout ſignificat id, quod opponitur futuritioni,vel præteritioni,& poteſt accipi, prout ſignificat id, quod opponitur abſentiæ. D. Thomas in ſuo diſcurſu vtitur nomine præſentiæ, non quatenus opponitur abſentiæ, quo modo putat arguens illum vti hoc termino: ſed quatenus opponitur futuritioni; & argumentum eſt tale. Qui videt non ſolùm eſſe futurum rei contingentis, quod illa habet in ſuis cauſis,ſed etiam illius eſſe præſens, quod illa habet extra ſuas cauſas, poteſt de re contingenti habere certam notitiam. Deus videt non ſolùm eſſe futurum rei contingentis, quod illa habet in ſuis cauſis, ſed etiam eſſe præſens. ergo poteſt de re contin

Digitized by Google

contingenti habere certam notitiam. Minorem probat ex eo, quòd scientia Dei mensuratur æternitate. Hic est discursus D. Thomæ in quo nulla nulla nugatio, nulla principij petitio apparet.

XI. Secundum argumentum contra eandem conclusionem sumitur ex autoritate D. Thomæ eodem 1. contra Gentes c. 66. ratione 6. vbi docet, quòd omnia, quæ fiunt in tempore, coëxistant æternitati in esse præsenti, & exemplificat de centro in ordine ad omnia puncta existentia in circumferentia, & ex coëxistentia omnium, quæ fiunt ad æternitatem probat, quòd omnia sint Deo præsentia ab æterno. Non ergo D. Thomas loquitur de sola præsentia obiectiua, sed de coëxistentia reali omnium rerum ad æternitatem.

Respondeo, cùm ex tot locis constet, quæ fuerit mens D. Thomæ, superfluum esse, ne plus dicam, velle illum ex loco citato in contrariam sententiam adducere: maximè cùm ibi nihil noui dicat, sed in eadem ratione omnino persistat, quam tradiderat in 1. sententiarum, & in prima parte; nihilominus ad illum locum dico, si verba D. Thomæ inspiciantur, suam solutionem secum afferre. Inquit enim, quòd æternitas coëxistit omnibus, quæ fiunt in qualibet temporis differentia, sicut indiuisibile extra continuum coëxistit omnibus partibus continui, & sicut centrum coëxistit omnibus partibus lineæ. Hoc autem modo non est necesse, vt res coëxistant æternitati, antequam existant in tempore, sed sufficit, vt coëxistant æternitati, & æternitas illis, quando fiunt successiuè in tempore.

Dicetur, verba D. Thomæ ita se habere: *Quidquid igitur in quacunque temporis parte est, coëxistit æterno, quasi præsens eidem, etsi respectu alterius partis temporis sit præteritum, vel futurum.*

Respondeo, D. Thomam immediatè subiungere: *Quidquid igitur per totum decursum temporis agitur, diuinus intellectus in sua æternitate intuetur, quasi præsens: nec tamen quod quadam parte temporis agitur, semper fuit existens.* Non vult ergo D. Thom. dicere, id, quod arguens prætendit, sed quod quid est in qualibet parte temporis, quando coëxistit æternitati, non coëxistit illi sub ratione præteriti, vel futuri, siue, vt est præteritum, sed coëxistit illi solùm vt præsenti, quia æternitas nec præteritum habet, nec futurum. Quidquid igitur æternitati coëxistit, solùm vt præsenti coëxistit, & toti coëxistit. hic est sensus verus illorum verborum.

XII. Tertium argumentum sumunt alij ex variis illis autoritatibus diuinæ Scripturæ, & SS. Patrum, quibus videtur indicari, apud Deum futura iam esse, & præterita minimè præteriisse, quæ autoritates relatæ sunt superiùs ad comprobandas ipsas propositiones. Illi enim aiunt, quòd sicut idem instans temporis correspondet omnibus locis, & attingit omnia loca quantumuis inter se distantia, & omnem durationem rerum quantumcunque diuersarum; ita vnum & idem nunc æternitatis potest esse præsens multis durationibus diuisibilibus; & sicut anima indiuisibilis existens correspondet diuisibilibus partibus corporis; ita æternitas indiuisibilis existens respondere potest partibus diuisibilibus temporis.

Respondeo, autoritates Patrum, & Scripturæ exponendas iuxta sensum primæ & tertiæ propositionis. Exempla verò oppositum suadent, nam sicut instans temporis non attingit loca, quæ nó sunt in illo instanti, neque eas res, quæ in eodem instanti in loco nó sunt: & sicut anima non viuificat partes corporis nondum existentes; ita æternitas non coëxistit partibus temporis, neque rebus tempore mensurabilibus, nondum existentibus in seipsis.

CAPVT XVIII.

An ratio sumpta ex rerum præsentialitate sic explicata sit sufficiens.

DVo dubia non parui momenti in calce capitis 15. proposuimus examinanda circa rationem illam à D. Thoma allatam ex rerum præsentia ad humani arbitrij libertatem cum certitudine diuinæ præscientiæ conciliandam. Alterum erat quænam, & qualis sit ista rerum præsentialitas, quod dubium tribus capitibus antecedentibus, satis, ni fallor, fuit resolutum. Alterum erat, vtrùm hæc ratio sumpta ex rerum præsentialitate sufficiens sit ad demonstrandam certitudinem diuinæ præscientiæ de futuris contingentibus, & eorundem contingentium cum eiusdem præscientiæ certitudine conciliandam, quod dubium nunc aggredimur examinandum, & resoluendum. Circa hoc dubium quidam Theologi arbitrantur, sententiam illam D. Thomæ de rerum præsentialitate non solùm esse falsam, & impossibilem: sed etiam si vera esset, huiusmodi rerum præsentia in æternitate, nihil omnino conferre posset ad hoc, vt Deus futura contingentia certò, & infallibiliter cognoscat, & ad hoc vt rerum contingentia cum certitudine diuinæ præscientiæ valeat conciliari. Ita senserunt Scotus in 1. dis. 39. §. *Aliter ponitur.* D. Bonauentura art. 2. quæst. 3. Alexander Alensis, Gregorius Ariminensis, Gabriel Biel, Marsilius, Gregorius de Valentia, Pesantius, Suarez, & alij, quos citat Vasquez, qui eos sequitur disp. 64. cap. 3. & Nazarius dicta quæst. 14. art. 13. contr. 3. in principio, & Molina ibidem disp. 14. qui multis rationibus id probat. Nec mirum, quia sententiam D. Thomæ in sensu nunquam ab illo meditato acceperunt, quemadmodum superiùs vidimus. I. Scotus. D. Bonauentura. Alexand. Alensis. Gregorius Ariminensis. Gabriel. Marsilius. Gregorius Valentia. Pesantius. Suarez. Vasquez. Nazarius. Molina.

Pro solutione huius dubij iis suppositis, quæ de vero sensu opinionis D. Thomæ proximè à nobis dicta sunt, & iis, quæ de veritate propositionum de futuro contingenti diximus suprà c. 11. in solutione primi argumenti. Notandum est, obiectum proprium intellectus esse verum, & eatenus vnamquanque rem intelligibilem esse, quatenus habet in se determinatam veritatem; & veritatem aliud nihil esse, nisi conformitatem, siue adæquationem rei ad intellectum, & intellectionem eatenus veram esse, quatenus rem intelligit eo modo, quo res est. Hanc doctrinam expresè tradidit D. Thom. 1. part. q. 16. art. 1. vbi dicit, veritatem esse adæquationem, siue conformitatem rei, & intellectus: & art. 3. vbi dicit, quòd verum est obiectum intellectus, sicut bonum est obiectum appetitus. Quod accepit ex Philosopho in 1. lib. Perihermen. cap. vltimo, vbi ait, quòd enuntiationes sunt veræ, quemadmodum, & res, & in 2. lib. Metaph. vbi dicit, quòd res tantum habent de veritate, quantum habent de entitate. Et hoc est verum loquendo vniuersaliter de quocunque intellectu etiam diuino saltem quatenus speculatiuus tantùm est, in ordine ad quodcunque intelligibile etiam creatum. Non enim ex hoc, quòd intellectus est diuinus, potest sine suo obiecto intelligere, obiectum autem intellectus, II. D. Thom. Arist.

vt dixi, nullum aliud est, nisi verum: neque ex hoc, quòd obiectum intelligibile est quid creatum, sequitur quòd possit intelligi certò, & infallibiliter, si non habeat veritatem determinatam, & infallibilem. quia alias veritas non esset conformitas rei ad intellectum, si determinatè & infallibiliter intelligeretur quod non habet certam, & determinatam veritatem, & intelligibilitatem.

III. Secundò notandum quòd veritas duplex est, vel saltem dupliciter concipi potest, vno modo quasi in actu primo, & aptitudinaliter: alio modo in actu secundo exercito, & formaliter. Veritas in actu primo, & aptitudinaliter concepta nihil aliud est, nisi ipsum esse rei cum aptitudinali conformitate, & adæquatione ipsius esse rei ad intellectum, siue cum aptitudinali respectu adæquationis, & conformitatis rei ad intellectum: ista dicitur veritas transcendens, & passio entis, de qua Aristot. 2. lib. Metaph. text. 4. veritas actualiter & formaliter accepta est actualis apprehensio intellectus, qua rem apprehendit, sicuti est cum extrinseca denominatione rei consurgente ex huiusmodi apprehensione, & formali respectu conformitatis intellectus ad rem, & rei ad intellectum, & ista veritas est formaliter solùm in intellectu, & secundùm extrinsecam denominationem est in re intellecta. Si autem quæratur quis sit ordo in istis veritatibus. respondeo, primò esse veritatem obiectiuam in actu primo, & aptitudinalem in rebus. Secundò esse veritatem formalem, & in actu secundo exercito in intellectu. Tertiò esse veritatem actualem & exercitam in rebus intellectis non formaliter, sed solùm per quandam extrinsecam denominationem, sicut sanum vel sanitas dicitur solùm per extrinsecam denominationem inesse medicinæ, vel exercitio. Hinc verò sequitur; nunquam posse esse intellectum formaliter determinatè verum, nisi priùs nostro modo concipiendi in re intellecta sit aptitudinaliter, & passiuè, vt ita dicam, determinata veritas. videndus est D. Thom. de veritate quæst. 2. art. 5.

Aristot.

D. Thom.

Neque obstat, quòd D. Thom. 1. p. quæst. 16. art. 5. ad 2. dicat, quòd quemadmodum res sunt causa veritatis existentis in intellectu nostro, ita è contrario diuinus intellectus est causa veritatis existentis in rebus, ob quod dictum altercantur Molina, & Nazarius. Nam dicimus, D. Thom. ibi loqui de intellectu practico, qui est causa rerum: nos verò vt suprà admonuimus, de speculatiuo tantùm verba facimus, in ordine ad veritatem, quæ futuris contingentibus inest. Et difficultates, quæ ex hoc capite oriuntur, infrà soluemus in solutione vltimi argumenti, quod in contrarium adducemus.

IV. Tertiò notandum est, futura contingentia non habere in se determinatam veritatem secundùm illud esse, quod habent in suis causis contingentibus nondum determinatis, & vltimatè completis. Nam eo ipso quòd aliqua causa est formaliter contingens, ab intrinseca natura implicat manifestam contradictionem, quòd effectus quandiu est in ipsa causa, ita habeat esse determinatum, vt verum sit dicere, iste effectus determinatè & infallibiliter erit. Nam eo ipso tolleretur contingentia causæ, si diceremus effectum, quatenus est in illa, certò, ac infallibiliter futurum. Et hoc est,

D. Thomas.

quod expressis verbis semper docuit D. Thomas præcipuè verò in dicta quæst. 14. art. 13. dum ait: *Alio modo potest considerari contingens prout est in sua causa, & sic consideratur, vt futurum, & contingens nondum determinatum ad vnum; quia causa contingens se habet ad opposita; & sic contingens non subditur per certitudinem alicui cognitioni (ergo neque diuinæ.) Vnde qui cognoscit effectum contingentem in causa sua tantùm, non habet de illo nisi coniecturalem cognitionem. & hoc est, quod voluit dicere Aristoteles, de futuris contingentibus non esse determinatam veritatem.* Idem repetit de veritate quæst. 2. art. 12. ad primum. Habent igitur futura contingentia determinatam veritatem, non secundùm illud esse, quod habent in suis causis contingentibus, sed solùm secundùm illud esse, quod habent, quando sunt producta in rerum natura extra suas causas. Tunc enim habent esse determinatum, immò & necessarium eo modo, quo dicimus, dum aliquid est, necessariò est. Et tamen illa necessitas non variat naturam rei contingentis, sed solùm variat illius esse, vt benè adnotauit Caietanus. Quare cùm futura contingentia non habeant determinatam veritatem secundùm esse, quod habent in secundis causis contingentibus, sed solùm secundùm esse, quod habent actu in rerum natura extra suas causas, huic fit, quòd diuinus intellectus non habet de futuris contingentibus certam notitiam attingendo solùm illud esse, quod contingentia habent in secundis causis, nisi simul attingat esse actualis existentiæ eorundem contingentium extra suas causas. Et hoc est, quod ait D. Thom. futura contingentia non cognosci infallibiliter à Deo, nisi in quantum diuino conspectui subduntur secundùm suam præsentiam, id est, secundùm esse præsens actualis existentiæ.

Aristot. Caiet.

V. Et hæc doctrina verissima est non solùm loquendo de futuris contingentibus absolutis, sed etiam conditionatis, quia ex eo, quòd aliquod contingens est futurum solùm ex hypothesi, non sequitur, quòd illud possit certò cognosci videndo solùm illud esse, quod habet in causis, cùm non sit differentia inter futurum absolutè, & futurum ex hypothesi, nisi quòd de futuro absolutè videtur esse actualis existentiæ, quod habebit absolutè, & de futuro ex hypothesi videtur esse, quod habebit, non absolutè, sed facta suppositione, quòd Deus vellet tales causas in tali ordine constituere. vnde non videtur sibi constare Molina dicta disp. 14. in 2. argumento pro prima conclusione, cùm docet, quòd ex sola comprehensione liberi arbitrij creati potest diuinus intellectus cognoscere quidquid illud esset facturum ex hypothesi, quòd constitueretur in tali, vel tali ordine: vel enim loquitur de comprehensione liberi arbitrij, vt determinati ad productionem huius, vel illius effectus; & tunc cognoscens liberum arbitrium, vt determinatum ad hunc, vel illum effectum, videt etiam ipsos effectus, vt actu emanantes ab ipso libero arbitrio, & sic recurrit ad præsentialitatem rerum, quam ibi conatur mùtilem demonstrare: vel loquitur de comprehensione eiusdem liberi arbitrij, vt nondum determinati ad hunc, aut illum effectum, & sic falsum est, ex illius comprehensione posse intelligi, quid illud esset facturum, ex hypothesi, quòd constitueretur in tali, vel tali ordine. Immo videtur manifestam repugnantiam inuoluere, quòd cognoscens causam vt indeterminatam ad producendum effectum, cognoscat certò effectum, qui ab illa est profecturus: nam quantiscunque circunstantiis adhibitis, quandiu manet indeterminata, vt sic non potest sciri, quòd productura sit determinatum effectum. Adde quòd cùm ex illius

Molina.

ſententia ad perfectam notitiam requiratur non ſolùm infinitas luminis, & intellectus, ſed etiam determinata veritas in obiecto, futura contingentia non habent determinatam veritatem ratione illius eſſe, quod habent in ſecundis cauſis, ſed ſolùm ratione illius eſſe, quod haberent in ſe ex hypotheſi, quòd illorum cauſæ conſtituerentur in tali, &c.

VI. Ex his notationibus facilè colligi poteſt quàm conueniens, propria, & ſolida ſit ratio illa à D. Thoma aſſignata, tum ad certitudinem diuinæ notitiæ de futuris contingentibus demonſtrandam: tum etiam ad eiuſdem diuinæ notitiæ certitudinem cum humani arbitrij libertate conciliandam. Eſt nanque ratio omnium, quæ hactenus à Patribus, aut Scholaſticis aſſignatæ ſunt, tum clariſſima, tum etiam ſolidiſſima, quæ terminis intellectis vix, ac ne vix quidem niſi ab obſtinato poteſt negari. Ea verò talis eſt. Licèt qui ſolùm videt eſſe futuri contingentis, quod habet in ſuis cauſis contingentibus, & indeterminatis, non poſſit ſic illius certam notitiam habere, tamen qui videt etiam eſſe præſens actualis exiſtentiæ eiuſdem contingentis extra ſuas cauſas in rerum natura, poteſt illius habere certam, & infallibilem notitiam: Deus ab æterno in nunc æternitatis videt non ſolùm eſſe, quod futura contingentia habent in ſuis cauſis, ſed etiam eſſe actuale, quod habet, vel habebit vnumquodque illorum in ſeipſo extra ſuas cauſas. ergo habet de omnibus futuris contingentibus certam, & infallibilem notitiam. Hæc, inquam, ratio ad lucem. ſuſpenſa adeò clara, adeò ſolida eſt, vt ſi cum aliis conferatur, ſola ſufficiens videatur. Eſtque ratio nó ſolùm à D. Thoma, ſed à SS. Patribus & Scholaſticis ferè omnibus recepta. Illam enim ex Patribus non obſcurè tradiderunt D. Auguſtinus in locis allegatis cap. 15. & cap. 16. in probatione primæ propoſitionis: Boëtius lib. 5. de Conſol. pro. vltim. & alij omnes Doctores c. 16. allegati. Ex Scholaſticis illam euidenter approbat Scotus in 1. diſ. 39. §. *Auctoritates omnium ſanctorum.* Baſſolis eius diſcipulus diſ. 45. quæſt. 2. art. 3. §. *Contra iſtam opinionem.* Durandus diſ. 38. q. 3. n. 11. §. *Quantum ad ſecundum.* Ricardus ibid. quæſt. 3. & diſ. 39. art. 1. quæſt. 1. Ambroſius Catharinus in opuſculo de Præſcientia, & prouidentia. Marſilius quæſt. 40. art. 2. citatur quoque Abulenſis in cap. 11. libri Ioſue quæſt. 46. & 68. vt omittam hîc diſcipulos D. Thomæ.

Auguſt. Boëtius. Scotus. Baſſolis. Durandus. Ricardus. Amb. Cath. Marſilius. Abulenſis.

VII. Quare Molina recedens à ſententia D. Thomæ, & Boëtij non ſolùm gratis, & abſque ratione id facit, ſed recedit etiam à communi ſententia Patrum, & Scholaſticorum. Neque in confirmationem huius rationis oportet plura adducere, ne laboremus in re notiſſima: neque enim difficultas eſt, an qui videt eſſe præſens actualis exiſtentiæ rei contingentis, poſſit illius certam, & infallibilem notitiam habere, cùm hoc negare, ſit ſenſum ipſum negare: ſed tota huiuſce rei difficultas ſita eſt in declaranda, & aſſignanda ratione, ob quam Deus ab æterno præueniens, & anticipans temporum differentias, videat quæ futura ſunt, antequam fiant, & quomodo attingat ſua cognitione intuitiua ipſum eſſe actualis exiſtentiæ, quod habebit, v. g. Antichriſtus, quando actu erit in mundo, antequam Antichriſtus ſit reuera in mundo. Hæc eſt ſumma huius rei difficultas, hoc diuinæ ſapientiæ pelagus immenſum, cui non poteſt ſatisfieri per ea, quæ habet Molina diſp. 14. prope finem. §. *Ex dictis apparet.* Et ſuprà art. 9. circa finem dum ait: Scientiam diuinam illarum rerum, quæ adhuc futuræ ſunt contingenter, non eſſe proprie ſcientiam viſionis, quandiu illæ adhuc futuræ ſunt, ſed propriè habere rationem ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ. Quanuis vt in modo loquendi conformemur dictis Doctorum, moneat nos vocare illam ſcientiam viſionis. Nam præter quòd hæc illius doctrina eſt non ſolùm contra communem modum loquendi Sanctorum & Doctorum, qui magis attendendus eſt, quàm vnius Molinæ autoritas, ſed abſolutè falſa, quia aut ſequeretur ex illa, Deum nunquam videre futura contingentia notitia intuitiua, quæ ſit verè ſcientia viſionis, aut eſſe in diuina notitia viciſſitudinem, & Deum aliter videre facta, quàm fienda, contra dictum D. Auguſt. lib. 5. de Geneſi ad literam cap. 2. iſta illius doctrina non aſſignat rationem, quomodo Deus ab æterno intelligat eſſe futurum rei contingentis, quod illa nondum habet. non enim ſufficit ad hoc infinitas luminis, vel intellectus, vel ſcientiæ: quia hæc omnia ſolùm ſe tenent ex parte potentiæ, quæ ſine obiecto, & medio non ſufficit ad eliciendam notitiam.

Molina. Auguſt.

VIII. Scio, D. Thomam huic difficultati occurrere dicendo, quòd ex eo diuinus intellectus præcurrit temporum differentias, & ea quæ fiunt in tempore, quia ſcientia Dei menſuratur æternitate, & ideo quidquid ſucceſſiuè fit in qualibet temporis differentia, diuino intellectui in vnico inſtanti repræſentatur ab æterno ſine ſucceſſione. Sed hæc ratio demonſtrat quidem rem, ſcilicet ita ſe habere, quòd Deus ab æterno ſine ſucceſſione videt quidquid ſucceſſiuè futurum eſt in qualibet differentia temporis. At modum rei, id eſt, quomodo hoc fiat, non videtur ſufficienter demonſtrare. Quare vt ſincerè dicam, fortè hic nodus in præſenti vita euidenter ſolui non póteſt, & fortè in hoc ſenſu vera eſt opinio illa c. 11. ex Gabriele, Okamo & Marſilio relata. Aut dicendum puto, diuinam eſſentiam præter modos repreſentandi creaturas ſuperiùs explicatos, alium quoque modum habere repræſentandi ſcilicet creaturas per modum menſuræ repræſentantis rem menſuratam, & ſic diuinam eſſentiam ſimul repræſentare totum tempus, & ea quæ ſucceſſiuè fiunt in qualibet differentia temporis: quia eſt menſura continens ipſum tempus, & omnia, quæ fiunt in qualibet differentia temporis. Et hoc fortè innuere voluerunt Boëtius & D. Thomas. Si hæc ratio non ſatisfacit, ru lector boni animi meliorem excogita, quam libentiſſimè ſuſcipio.

CAPVT XIX.

Argumenta aduerſariorum contra prædictam D. Thomæ rationem adducuntur, & ſoluuntur.

I. COntra rationem iſtam à D. Thom. allatam multis argumentis inſurgunt Molina, & alij nonnulli, quæ ſunt nunc breuiter recenſenda, & ſoluenda.

Primum argumentum eſt, Quoniam iſta rerum præſentia, & coëxiſtentia in æternitate fictitia, & impoſſibilis eſt. Sed ad hoc reſpondeo, rerum præſentiam in æternitate eo modo, qui à

nobis declaratus est, non esse fictitiam, sed veram, & necessariam: & ab illa sumi optimè rationem diuinæ notitiæ.

Secundum argumentum. Deus habet notitiam de futuris contingentibus, quæ nunquam fuerunt,& nunquam erunt, cognouit enim, quòd si Dauid descendisset in Ceilam, viri Ceilitæ tradituri illum erant in manus Saulis lib. 1. Regum c.23. Et quòd si in Tyro, & Sidone facta fuissent quædam miracula,illi essent pœnitentiam acturi, Lucæ 10.Ista tamen reuera non euenerunt,neque euenient. Ergo rerum præsentia non est necessaria, vt diuinus intellectus cognoscat futura contingentia.

Respondeo, rationem D.Thomæ non militare de quacunque notitia cuiuscunque contingentis quomodocunque futuri: sed solùm de notitia intuitiua contingentis futuri absolutè,quatenus absolutè illud futurum est. Vel dico dupliciter aliquid dici futurum, absolutè,& ex hypothesi, licèt illa non essent futura absolutè,erant tamen futura ex hypothesi.

II. Tertium argumentum eiusdem Molinæ: Deus per scientiam naturalem seipsum comprehendens omnia,quæ in illo continentur, perfectissimè cognoscit. ergo cognoscit in seipso liberum arbitrium cuiuscunque creaturæ, quam per seipsum potest condere, & quidquid efficeret liberum arbitrium cuiuscunque creaturæ ex hypothesi,quòd Deus vellet illud creare, & constituere in tali vel tali rerum ordine,& ad quam partem se determinaret,& hoc ante vllum decretum absolutum diuinæ voluntatis de rebus condendis, vel in tali ordine constituendis.Esset enim indignum,& impium asserere,Deum id ignorare. Ergo statim accedente decreto diuinæ voluntatis de rebus in tali vel tali ordine constituendis videt Deus, quid liberum arbitrium sit facturum, priùs quàm aliquid ab illo, vel in tempore, vel ab æterno emanauerit secundùm esse actualis existentiæ. Ergo illa præsentia rerum secundùm illarum actuales existentias omnino impertinens est, cùm sine illa concipiatur in Deo perfecta notitia futurorum contingentium.

Addit verò se coactũ fuisse in hac ratione tãgere totã radicem, vnde credit, Deũ certò cognoscere futura contingentia,& conciliari eandem certitudinem diuinæ cognitionis cum ipsa contingentia.

Respondeo,in argumento multa implicari,quæ communiter à Doctoribus, vt falsa reiiciuntur. Sed quod ad argumenti solutionem satis est,dico, Deum comprehendendo liberum arbitrium videre quidquid actu faciet, si constituatur in tali,aut tali ordine,duobus modis intelligi posse,vno modo quòd videret, aut videat quidquid actu faciet sistendo solùm in cognitione ipsius naturæ liberi arbitrij, & auxiliorum, in quibus liberum ipsum arbitrium constitueretur,præscindendo ab actuali notitia liberæ determinationis eiusdem arbitrij in tali ordine constituti. Et in hoc sensu absolutè negatur, Deum comprehendendo liberum arbitrium, cognoscere quidquid illud efficiet, si constituatur in tali, vel tali ordine. neque hoc arguit indignitatem in Deo,sed impossibilitatẽ in re.sicut impossibile est, quòd spectando solùm esse futurum,quod contingens habet in causa cõtingente, vt contingens est,sciatur certò,an illud sit futurũ: esset enim hoc destruere naturã causæ contingentis, vt suprà dictum est. Alio modo quòd videat, quidquid actu efficiet attingendo actualem ipsam liberi arbitrij determinationem ad hunc,vel illum effectum,& actualem volitionem, quæ ex eodem lib.arbitrio prodiret;& in hoc sensu potest admitti,quòd comprehendendo liberum arbitrium cognoscat,quid illud faceret, si cõstitueretur in tali ordine cum talibus auxiliis. Quanuis modus loquendi non sit proprius,quia vt sic Deus non cognoscit quid futurum sit ex libero arbitrio comprehendendo naturam liberi arbitrij,sed videndo actualem determinationem illius ad talem effectum, & exitum actualem ipsius effectus ab ipso libero arbitrio ex suppositione, quòd constitueretur in tali ordine,quod est in sententiã D.Thomæ,& in rationem ab illo assignatam recurrere.

Quartum argumentum est. Deus non accipit notitiam suam à rebus creatis. Ergo siue res existant,siue non, nihil refert ad certitudinem diuinæ notitiæ, cùm ex alio capite illa sit petenda. Hoc est præcipuum argumentum Scoti. III.

Respondetur, negando consequentiam. Licèt enim esse actualis existentiæ futuri contingentis nõ sit necessariũ ad hoc,vt ex illo diuinus intellectus suã notitiam accipiat; est tamen necessarium ad hoc, vt ipsum futurum contingens possit esse obiectum certæ notitiæ diuinæ: quia nihil potest esse obiectum certæ notitiæ, quod non contineat in se determinatam veritatem: Futurum autem contingens, non continet determinatam veritatem, nisi ratione illius esse actualis existentiæ, quod habet pro aliqua temporis differentia.

Quintum argumentũ. In Deo est prouidentia, & prædestinatio.ergo in Deo est notitia futurorũ contingentiũ,antequam illa concipiantur habere actualem existentiam. Consequentia est euidens, nã res non ideo sunt prouisæ,& prædestinatæ,quia præuisæ sunt futuræ: sed è contrario ideo sunt futuræ,quia sunt prouisæ & prædestinatæ.

Respondeo primò nullum hoc argumento magis vrgeri, quàm Molinam, qui illius est autor, cùm ipse velit,nullum actum liberum fuisse à Deo prædefinitum. Secundò respondeo ad hominem, sufficere vt actus prouisi, & prædestinati ante liberum decretum sint præuisi futuri per scientiam illam mediam, quam idem Molina ponit in Deo. Tertiò respondeo, actus à Deo prouisos, & prædestinatos esse in duplici differentia,alij enim sũt, quos Deus ponit in nobis sine nobis,& sine nostro libero cõsensu,& hos potuit præscire in suo diuino decreto efficaci tanquã in causa determinata: alij sunt,quos Deus nõ ponit de lege ordinaria in nobis sine nobis,& sine nostro libero consensu,de quibus dictũ est suprà c.14.in 4.modo conciliandi autoritates Patrum:& respectu istorũ negatur, priorem esse illorum præscientiã in aliquo diuino decreto,quàm sit illorum actualis existentia, siue quod idem est,negatur, hos effectus fuisse à Deo efficaciter prouisos, & prædestinatos ante præuisam liberam determinationem,& cooperationem diuinæ voluntatis, vt lib.4.& 6.dicemus, est enim res, quæ longiorem requirit declarationem.

Sextũ arg.Deus peccata fieri permittit:sed permittere aliquid fieri est præuidere illud futurũ esse, nisi impediatur, & nolle illud impedire. Ergo prius est,Deũ peccata præuidere futura ex hypothesi,quòd permittãtur,quã videre illud esse,quod in futuro habebũt actu in aliqua tẽporis differẽtia.

Respondeo ex hoc nihil concludi. quia quæ futura sunt ex hypothesi, ea ratione sciuntur à Deo, quatenus videt actualem determinationem causarum ad effectus, & exitum effectuum à causis futurum ex hypothesi,quòd vellet ipsas causas sic creare, & ordinare. IV.

Septimum

Septimum argumentum Scoti. Vel per actualem rerum præsentiam Deus cognoscit futurum contingens, quatenus est præsens, & hoc esse non potest; quia futurum vt præsens non cognoscitur nisi quando est præsens, non autem antea: aut quatenus est futurum, & hoc etiam est impossibile, quia quod cognoscitur, vt futurum, non cognoscitur vt actu præsens.

Respondeo, D. Thomam nunquam dixisse, quòd Deus cognoscat futurum contingens solùm quatenus est præsens, sed dixisse, quòd Deus habet de futuro contingenti certam notitiam, quia videt non solùm illius esse futurum, quod pro aliqua temporis differentia habet in suis causis tantùm, sed etiam illud esse præsens, quod in alia temporis differentia habet in seipso. Videt igitur Deus contingens, & quatenus futurum pro aliqua temporis differentia, & vt præsens pro alia temporis differentia: & sic videt vt futurum, & nihilominus videt certò, & infallibiliter.

V. Pro cuius responsionis maiori declaratione notandum est, quòd quemadmodum ad hoc, vt aliquid dicatur verè futurum, tria requiruntur. Primò vt illud non habeat esse in seipso: Secundò vt habeat esse possibile in suis causis: Tertiò vt per esse possibile, quod habet in suis causis, tendat ad esse reale actualis existentiæ in seipso extra suas causas. Atque in his tribus cõditionibus ratio formalis futuri vt futurum est consistit, per quarum primam distinguitur futurum à præsenti: per secundam à præterito: per tertiam ab eo, quod est possibile fieri, non tamen vnquam factum est, nec vnquam erit. Ita ad hoc, vt aliquid cognoscatur esse verè, & propriè futurum, tria requiruntur. Primò vt cognoscatur, illud pro aliqua temporis differentia non habere esse in seipso: Secundò vt in eadem temporis differentia cognoscatur habere esse possibile in causa tendens ad esse reale: Tertiò vt pro tempore immediatè sequente cognoscatur, illud habiturum esse actualis existentiæ extra suas causas, videatúrque illud esse certò & infallibiliter. Deus igitur cognoscit futura contingentia non ea sola ratione, quia videt illud esse quod habebunt extra suas causas, sed quia videt in hac temporis differentia præcedente, illa non habere hoc esse, sed solùm habere esse possibile in suis causis.

VI. Octauum argumentum. Sicut æternitas coëxistit toti tempori, ita & æuum. Ergo sicut Deus cognoscit futura contingentia per hoc, quòd illa sunt sibi præsentia in æternitate, ita & Angelus poterit cognoscere eadem contingentia per hoc, quòd illa sunt sibi præsentia in æuo: nam sicut Dei cognitio mensuratur æternitate; ita cognitio Angeli mensuratur æuo.

Respondeo cum Caietano, operationem Angelicam, quæ est cognitio, non mensurari æuo, sed instanti temporis discreti; & licèt illud tempus discretum constet ex instantibus diuisibilibus, illa tamen non sunt omnia simul, sed sibiipsis succedunt, & eodem modo Angelicæ cognitiones. Addo etiam æuum non continere tempus, sicut illud continet æternitas, quod probandum erat ab arguente, neque fuit probatum.

Nonum argumentum. Si ex præsentialitate rerum sumenda est certitudo diuinæ cognitionis de futuris contingentibus, iam illorum notitia non debet vocari præscientia, sed præsentium scientia.

Respondeo, ita illam vocari posse in proprietate locutionis, & ita illam vocant Boëtius lib. 5. de Consolat. prosa vltima; & Anselmus libro de casu Angeli cap. 18. & 21. & in lib. concordiæ cap. 1. Addi possunt D. Ambrosius lib. 5. de fide cap. 8. D. Augustinus sermone 11. de verbis Apostoli, & alij multi ex citatis cap. 16. ad probandam primam propositionem.

Boëtius. Anselmus. Ambros.

Decimum argumentum. Diuina præscientia est causa rerum, & ipsarum futurorum contingentium. ergo certitudo diuinæ præscientiæ sumi non potest ex ipsa præsentia futurorum contingentium, prior enim intelligitur esse omnis causa suo effectu: diuina verò præscientia causa est existentiæ, & præsentialitatis ipsarum rerum.

Respondeo, scientiam, quæ est causa rerum, non esse scientiam visionis, quæ speculatrix tantùm est, sed esse scientiam practicam quam suprà cap. 12. diximus ad scientiam simplicis intelligentiæ attinere. Rursus adiicio, neque per scientiam practicam posse Deum certò cognoscere futura contingentia, maximè quæ ex humano arbitrio pendent, antequam videat liberam determinationem arbitrij nostri ad illa: quia diuina præscientia non est proximum, & immediatum principium effectiuum rerum, neque efficit res nisi adiuncto libero decreto liberæ voluntatis, vt suprà dictum est; & decretum absolutum diuinæ voluntatis de actibus liberis, qui pendent ex humano arbitrio, non est ante inspectam determinationem humani arbitrij, vt libero sequente dicetur, & suprà aliquo pacto insinuatum fuit cap. 14. ad finem.

Alia plura argumenta afferunt quidam Scholastici contra dictam rationem D. Thom. allatam. Verùm illa non probant, rationem D. Thomæ solidam, & veram non esse: sed solùm, præter illam ex aliis etiam capitibus posse assignari alias rationes eiusdem certitudinis diuinæ notitiæ de futuris contingentibus: ideireo quantum illa valeant in sequentibus videndum erit.

CAPVT XX.

Vtrùm ex sola inspectione secundarum causarum futura contingentia notitia certa & infallibili valeant cognosci.

I. PRæter rationem à D. Thom. allatam, alias plures rationes afferunt Scholastici, ad probandam certitudinem diuinæ notitiæ de futuris contingentibus, & eandem cum humani arbitrij libertate conciliandam, quas desumunt vel ex notitia secundarum causarum contingentium, vel ex diuino decreto, vel ex efficacitate ipsius diuinæ scientiæ, vel ex diuinis ideis, vel tandem ex infinitate diuini intellectus, & diuini luminis, & diuinæ scientiæ. Hæ rationes, quantum virium habeant ad id, quod earum autores prætendunt, probandum, nunc breuiter aperiendum erit. Et primò in hoc capite videndum, an ex sola notitia quantumcunque perfecta secundarum causarum contingentium, præcisa præsentialitate eorundem contingentium suprà declarata, & probata, possit Deus ipsa futura contingentia cognoscere notitia certa, & infallibili, cui falsum subesse omnino non possit. Vt autem intelligatur status difficultatis emergentis ex hoc dubio, notandum est ex D. Thom. de veritate quæst. 12. art. 10. præcipuè ad septimum, duo esse genera futurorum; quædam enim dicuntur futura simpliciter, & sunt illa, quorum conditiones sunt assignatæ cap. præcedenti ad septimum argumentum, quæ habent esse possibile in causis ita tendens ad esse actuale extra

D. Thom.

ipsas

ipſas cauſas, quòd de facto illud eſſe conſecutura ſunt. Quædam verò dicuntur futura ſolùm ſecundùm quid, & ſunt illa, quæ ita habent eſſe poſſibile in cauſis tendens ad eſſe actualis exiſtentiæ, quod niſi cauſæ impedirentur, de facto illud eſſe conſequerentur: ſed tamen propter ſuperueniens impedimentum in ipſis ſecundis cauſis de facto nunquam conſecutura ſunt ipſum eſſe actualis exiſtentiæ. Iſta dicuntur futura ſecundùm quid, id eſt, ſecundùm diſpoſitionem & ordinem ſuarum cauſarum, non autem ſimpliciter, & abſolutè.

II. Non eſt quæſtio, an futura ſecundùm quid in ſuis cauſis valeant certò, & infallibiliter cognoſci, quia pars affirmatiua eſt vera, & certa, quam expreſsè docuit D.Thom. in 1. lib. Periher. ſectio. 13. & de veritate quæſt. 12. art. 10. præcipuè ad 7. & 2. 2. q. 171. a. 6. præcipuè ad ſecundum argum. Nam ad hoc vt huiuſmodi futura dicantur certò, & infallibiter cognoſci in ſuis cauſis, ſufficit cognoſcere diſpoſitionem, & ordinem ipſarum cauſarum ad tales effectus: & quòd ipſos ſunt certò, & infallibiliter parituræ, niſi ab alia cauſa ſuperueniente impediantur. & non eſt neceſſe noſſe exitum ordinis, & an iſtæ ſecundæ cauſæ ſint de facto impedimentum habituræ. Hoc pacto medicus videns malam humorum temperiem, certò prædicit mortem ægroti futuram, etiamſi illa per medicamentorum applicationem impediatur, & verum prædicit: quia ad hoc, vt verum dicat, ſufficit talem videre humorum intemperiem, quòd ex illa non impedita per medicamina mors ſit infallibiliter ſecutura, vt D.Thom. ait loco citato ex lib. Periher. D.Thom.

Hoc eodem modo Aſtrologus ex inſpectione aſtrorum, & coniunctione corporum cœleſtium certò prædicere poteſt futuras grandines, niues, terræ motus, chaſmata, epidimias, & alia id genus, etiamſi illa, vel per ſpecialem Dei prouidentiam, vel per concurſum aliarum cauſarum nonnunquam impediantur, quia ad hoc, vt verum dicat, ſufficit noſſe, talem eſſe diſpoſitionem in ſecundis cauſis, ſi illæ non impediantur. De quibus lib. 10. Hoc eodem modo verum prædixit Elias 3. Regum cap. 21. *Si mortuus fuerit Achab in ciuitate, comedent eum canes; ſi autem mortuus fuerit in agro, comedent eum volucres cœli.* Et Iſaias Ezechiæ 4. Reg. cap. 10. *Diſpone domui tuæ, quia morieris.* Et Ionas cap. 3. *Adhuc quadraginta dies, & Ninive ſubuertetur: quanuis nihil illorum euenerit.* Et vniuerſaliter hoc modo vera eſt omnis prophetia comminationis; quanuis id, quod Propheta comminatur, non eueniat. Quia ad hoc vt Propheta verum dixiſſe credatur, ſufficit vt viderit, talem eſſe, vel fuiſſe cauſarum diſpoſitionem maximè diuinæ voluntatis, quòd niſi talis diſpoſitio mutetur, vel quia homines per pœnitentiam diuinam voluntatem flectunt, vel ob aliam rationem ipſi Deo notam, ex huiuſmodi diſpoſitione infallibili talis effectus eſſent euenturi, vt idem D.Thom. adnotauit d. quæſt. 12. de veritate art. 10. & 2. 2. quæſt. 171. art. ad 2.

III. Dicetur, hanc notitiam quantumcunque perfectam, nihilominus ſemper eſſe coniecturalem, & manere coniunctam cum imperfectione, quia adhuc remanet ignotum, an effectus ex huiuſmodi diſpoſitione de facto ſit futurus, an non: & ideo talem notitiam non poſſe poni in Deo.

Occaſione ſolutionis huius dubij, nonnulli introducunt quæſtionem non neceſſariam, an conuedi poſſit ſcientia coniecturalis in Deo. Sed omiſſis ſuperfluis dicendum eſt cum D.Thoma loco citato de veritate quæſt. 12. art. 10. in corpore, duobus modis contingere poſſe iſta futura contingentia cognoſci in ſecundis cauſis, vno modo cognoſcendo ſolùm ordinem & diſpoſitionem ipſarum cauſarum ad tales effectus: alio modo cognoſcendo non ſolùm diſpoſitionem, & ordinem cauſarum, ſed etiam exitum ordinis, & diſpoſitionis. Prima notitia ex ſe ſola imperfecta, & coniecturalis eſt. Secunda verò licèt ex eo capite, quòd eſt tantùm notitia diſpoſitionis, & ordinis non ſit perfecta: eſt tamen perfecta ex eo, quòd eſt notitia exitus ipſius ordinis. Deus verò cognoſcit hæc futura contingentia non primo, ſed ſecundo modo. Et ideo nulla ponitur imperfectio in diuina notitia, quia licèt talis notitia non ſit vndequaque perfecta ex eo ſolùm, quòd ſit notitia ordinis: eſt tamen perfecta ex eo, quòd eſt notitia exitus ipſius ordinis. Et quanuis omnis prophetia ſit participatio quædam diuinæ ſcientiæ, nullum tamen eſt inconueniens, aliquando prophetiam eſſe participationem diuinæ ſcientiæ ſolùm quatenus illa eſt notitia ordinis: aliquando verò eſſe participationem eiuſdem ſcientiæ, quatenus eſt ſimul notitia ordinis, & exitus: & ſic aliquando eſſe ſolùm prophetiam comminationis, aliquando verò præſcientiæ.

IV. Illud igitur, quod vertitur in controuerſiam, eſt, an plura contingentia, quæ ſunt ſimpliciter, & abſolutè futura in ſolis ſecundis cauſis contingentibus certò, & infallibiliter valeant cognoſci: ſiue, vt preſſiùs, & ſtrictiùs ſenſum quæſtionis verbis propriis D.Thomæ explicemus, vtrùm inſpiciendo ſolum ordinem cauſarum ad effectus contingentes, & præſcindendo à notitia exitus eiuſdem ordinis, Deus poſſit certò cognoſcere ipſos effectus contingentes. Circa quod dubium duplex eſt opinio Doctorum: aliqui enim aiunt, non poſſe quidem Deum futura contingentia, ſic cognoſcere in ſecundis cauſis indeterminatis: ſed benè poſſe illa ſic cognoſcere in eiſdem cauſis determinatis perfectè ad producendos ipſos effectus contingentes. Ita ſentit Caietan. dicta quæſt. 14. art. 13. §. *Ad obiectiones autem contra applicationem.* Bañes ibi concl. 3. Nazarius contro. 2. concl. 4. Ripa diſ. 1. cap. 4. Aluarez diſp. 12. qui contendunt eſſe expreſſam ſententiam D. Thomæ in locis infrà allegandis. In eandem videtur inclinare Durandus diſ. 38. quæſt. 3. num. 2. Argentina diſt. 40. art. 3. ad 6. contra primam concluſ. & Gregorius de Valentia quæſt. 14. art. 13. punct. 1. Excepto quòd, cùm duobus modis poſſimus concipere, ſecundas cauſas contingentes determinatas ad producendos ſuos effectus, vno modo actiuè, & à ſeipſis, quod proprium eſt cauſarum liberarum: alio modo paſſiuè, quo pacto nonnulli ſentiunt, omnes ſecundas cauſas ad hoc vt exeant in ſuos effectus, neceſſariò debere phyſicè prædeterminari à prima cauſa. Bañes, Nazarius, Ripa, & Aluarez dicunt, Deum poſſe cognoſcere futura contingentia in ſecundis cauſis determinatis paſſiuè. At Durandus, Argentina, & Valentia dicunt, illa cognoſci in ſecundis cauſis determinatis à ſeipſis actiuè. Caietanus. Bañes. Nazar. Ripa. Aluarez. Durandus. Argentin. Gregorius de Valen.

V. Secunda verò eſt eorum, qui docent, in ſolis ſecundis cauſis contingentibus nullo modo poſſe certò cognoſci ipſa futura contingentia. In hanc ſententiam viſus eſt inclinare Ferrarienſis 1. lib. contra Gent. cap. 67. §. *Circa aſſignatam differentiam.* Eam verò ex profeſſo defendit Suarez lib. 1. de ſcientia futurorum contingentium cap. 3. illam etiam Ferrariéſis. Suarez.

etiam defendere oportet eos omnes, qui ex ſola præſentialitate ipſorum futurorum contingentium volunt, ſumi poſſe rationem certæ notitiæ eorundem futurorum contingentium.

Hæc tamen opinionum diſcrepantia benè inſpecta, niſi penitus decipior, potiùs eſt de verbis & modo loquendi, quàm de reipſa. Nam pro prima opinione negari non poteſt, quotieſcunque, & quandocunque futurum contingens incipit habere veritatem determinatam, & eſſe determinatum, illud eſſe certò, & infallibiliter cognoſcibile: etenim omnis veritas de ſe cognoſcibilis eſt. At quando cauſa contingens fuerit perfectè determinata ad aliquem effectum, iam ille effectus continebit determinatam veritatem, & determinatum eſſe. Ergo in cauſa contingenti determinata ille erit certò, & infallibiliter cognoſcibilis. Et certè nullus Philoſophus negauit vnquam, effectum poſſe cognoſci in ſua cauſa, quinimmo talem notitiam vt optimam omnes probant: ſed ſolùm negant, poſſe effectum cognoſci in cauſa nondum determinata. Ergo cùm cauſa contingens fuerit perfectè determinata, poterunt in illa cognoſci effectus contingentes.

VI. Et altera verò parte negari etiam non poteſt, cauſam contingentem tunc ſolùm eſſe perfecta determinatione ad effectum determinatam, quando effectus iam incipit exire ab ipſa cauſa, & acquirere proprium eſſe in rerum natura. & quidem ſi admittamus, ſecundas cauſas ſaltem liberas à ſeipſis determinari ad producendos ſuos effectus, res eſt extra omnem dubietatem: quia cauſa libera in inſtanti ante ipſam operationem poſitis quibuſcunque neceſſariò requiſitis ad agendum, adhuc manet indifferens ad agendum, vel non agendum. immò etiam in ipſo inſtanti operationis, quatenus ſecundùm rationem concipitur prior ſua operatione, poteſt non agere, vt in fine primi libri docuimus. Si autem dicatur, iſtam determinationem eſſe paſſiuam, eadem quoque in illo ſolùm inſtanti eſſe concipitur, in quo effectus incipit ab ipſa cauſa egredi, vt docet Nazarius dicta quæſt. 14. art. 13. contr. 2. ad 1. argumentum contra 4. concluſionem citans ſeipſum ſuprà. Vnde cauſa contingens tunc ſolùm concipitur eſſe perfectè determinata, quando incipit eſſe in rerum natura illius operatio. Ambæ igitur opiniones in re conueniunt, & ſolùm differunt in modo loquendi. An quia cauſa eſt effectu prior, poſſit dici, effectum cognoſci in ipſa cauſa, quatenus in illo priori concipitur, vt determinata ad effectum: an verò quia iſta determinatio, licèt in aliquo inſtanti rationis, vel etiam naturæ poſſit concipi vt prior, tamen eſt ſolùm in eodem inſtanti temporis, in quo effectus incipit exire à cauſa, dicendum ſit, effectum non poſſe cognoſci in cauſa, ſed tantùm in ſeipſo. In qua controuerſia, quæ, vt dixi, de ſolo modo loquendi eſt, ſecundus modus videtur magis proprius, & ad mentem D. Thomæ. Et quòd ſit magis proprius, probatur, quia quandiu concipitur effectus, vt adhuc habens eſſe ſolùm in cauſa contingenti, quatenus talis eſt, ſemper concipitur habere eſſe incertum, & indeterminatum: & ſolùm concipitur habere eſſe determinatum, quando concipitur vt exiens ab ipſa cauſa contingente. Oſtendimus nanque primo libro, maximè cap. 29. & tribus ſequentibus de ratione cauſæ contingentis præcipuè liberæ eſſe, vt poſitis omnibus requiſitis ad complendam illam in actu primo, quatenus concipitur, vt prior ſua operatione, ſemper mancre indifferentem ad operandum, vel non operandum.

Nazarius.

Quòd autem hic modus loquendi ſit magis conformis doctrinæ D. Thom. probatur. nam D. Thom. 1. p. quæſt. 14. art. 13. immò in aliis omnibus locis, quæ reperire potui, in quibus de hac re verba facit, quæ loca adnotaui ſuprà cap. 15. duos tantùm modos videtur aſſignare, ſecundùm quos concipere poſſumus, aliquod futurum contingens certò cognoſci poſſe, vno modo in ſuis cauſis contingentibus: alio modo in ſua præſentialitate. (omitto cognitionem, quæ eſt in ideis, vtpote, quæ ſiue dentur, ſiue non, ad præſens inſtitutum minimè deſeruit.) Aut igitur iſta notitia contingentium in cauſis vltimatè determinatis comprehenditur ſub altero ex his duobus modis, aut eſt tertius modus ab illis diſtinctus. Secundum dici non debet, quia ſi ſic diceretur, tota argumentatio D. Thomæ tot in locis repetita inſufficiens redderetur, vtpote procedens ab inſufficienti numeratione modorum cognoſcendi ipſa futura contingentia. Si autem dicamus primum, vel iſta notitia comprehenditur ſub notitia effectus in cauſa contingenti, & hoc ſimiliter dici non poteſt, quia D. Thom. negat expreſsè, in cauſa contingenti poſſe cognoſci effectum contingentem certò, & infallibiliter. Ergo omnis notitia certa, & infallibilis de futuro contingenti in ſententia D. Thomæ reducitur ad notitiam, quæ habetur ex illius præſentialitate.

VII. D. Thom.

Et vt clariùs loquamur, D. Thomas vbicunque de notitia futurorum contingentium verba facit, ſemper negat, illa in ſecundis cauſis contingentibus poſſe cognoſci, & totam certitudinem præſcientiæ futurorum contingentium ad actualem illorum præſentialitatem reducit. Ergo vanum omnino videtur velle affirmare, futura contingentia in ſolis ſecundis cauſis etiam quantumcunque determinatis poſſe infallibiliter cognoſci. Probemus antecedens apertiſſimis teſtimoniis D. Thomæ. Nam in 1. diſt. 38. quæſt. 1. art. 5. præter ea, quæ habet in corpore, quæ omnia hîc tranſcribere oporteret; ad tertium argumentum expreſsè dicit, quòd *futurum contingens ad diuinam cognitionem non refertur, niſi ſecundum quod eſt in eſſe actuali.* & ad ſextum dicit, quòd *ſcientia Dei non attingit rem ſcitam, niſi ſecundùm quod eſt in ſuo eſſe actuali.* Ergo non attingit illam in cauſa quantumcunque determinata. Et de veritate quæſt. 12. art. 12. in corpore. *Ex quo patet, quòd futurum contingens vt futurum eſt, per nullam cognitionem ſciri poteſt cui falſitas ſubeſſe non poſſit. Vnde cùm diuinæ ſcientiæ non ſubſit falſitas, nec ſubeſſe poſſit, impoſſibile eſſet, quòd futura contingentia cognoſceret Deus, ſi cognoſceret illa vt futura ſunt.* Et ad primum ait: *Ad primum ergo dicendum, quòd licèt contingens non ſit determinatum, quandiu futurum eſt: tamen ex eo, quòd productum eſt in rerum naturæ, veritatem determinatam habet: & hoc modo ſuper illud fertur intuitus diuinæ cognitionis.* & ad decimum. *Dicendum* (inquit) *quòd futurum Deo eſt præſens: & ita eſt determinatum ad vnam partem quamcunque. Sed dum eſt futurum ſic eſt ad vtrumlibet.* Sentit ergo, futura nullam habere determinatam veritatem, niſi in ſeipſis, & in ſua præſentialitate. & quæſt. 6. art. 3. ad 2. dicit quòd *ideo præſcientia, & prædeſtinatio diuina eſt certa, quia reſpicit futurum, vt præſens; qui autem reſpicit futurum in cauſis quantumcunque determinatis, reſpicit illud, vt futurum.* & quæſt. 2. art. 10. dicit, quòd ſolus Deus poteſt de futuris contingentibus habere certam notitiam, quia ſolus Deus videt non ſolum ordinem cauſarum, ſed etiam exitum ordinis. Et quòd

ex

ex ſola inſpectione ordinis cauſarum ſimpliciter loquendo non poteſt certò cognoſci futurum contingens. Qui autem videt ſolam cauſam quàtumcunque determinatam, exitum ordinis non videt,ſed tantùm ordinem ipſum.Et 1.p.quæſt.14. art.13. *Unde qui videt effectum contingentem in ſua cauſa tantùm, non habet de illo niſi coniecturalem cognitionem.* & priùs dixerat, quòd *contingens ſecundùm eſſe,quod habet in cauſa tantùm, non ſubditur per certitudinem alicui cognitioni.*& ad ſecundum. *Si dicam,Deus ſcit aliquid,ergo illud erit,conſequens intelligendum eſt, prout ſubeſt diuinæ præſcientiæ, ſcilicet prout eſt in ſua præſentialitate.* Eadem ferè verba habet ad tertium argumentum.& quæſt.57. art.3. ex eo probat, quòd ſolus Deus,non autem Angelus, poteſt cognoſcere futura contingentia, quia ſolus Deus in nunc æternitatis videt eſſe præſens actualis exiſtentiæ eorumdem contingentium. & 2.2.quæſt.171.art.6.ad primum dicit, ideo ſcientiam Dei de futuris contingentibus,non excludere illorum contingentiam, quia fertur in ea ſecundùm quod ſunt in præſentia, & iam determinata ad vnum.Et ad ſecundum ait:*Diuina præſcientia reſpicit futura ſecundum duo,ſcilicet ſecundum quod ſunt in ſeipſis, in quantum ipſa præſentialiter intuetur, & ſecundum quod ſunt in ſuis cauſis, in quantum ſcilicet videt ordinem cauſarum ad effectus: & quamuis contingentia futura prout ſunt in ſeipſis, ſint determinata ad vnum: tamen prout ſunt in ſuis cauſis non ſunt determinata quin poſſint aliter euenire. Et quamuis iſta duplex cognitio ſemper intellectui,*&c.

Omnes quoque grauiores, & antiquiores D. Thomæ interpretes ita illum intelligunt, vt ſentiat,ea ſola ratione futurum contingens eſſe certò cognoſcibile,quia Deus videt eſſe,quòd illud habet in re extra ſuas cauſas. ita de illo, & cum illo ſentiunt Capreolus in 1.d.38.q.1.art.2. Hiſpalenſ. ibidem quæſt.1.art.1.concluſ.2.& 3. Ferrariẽſis 1. cont. Gentes cap.67. prope initium. Aquarius in additionibus ad Capreolum diſt.38. concl.6.Palatius ibid.quæſt.2.ita etiam D.Thom.intellexerunt Scotus,& omnes illius ſectatores.

Capreolus. Hiſpalenſ. Ferrariẽſis. Aquarius. Palatius. Scotus.

VIII. Verùm contra hanc doctrinam eſt primum argumentum ſumptum ex quibuſdam autoritatibus diuinæ Scripturæ, ex quibus habemus, Deum quædam futura contingentia cognoſcere, quæ in ſeipſis cognoſci non potuerunt, quoniam nunquam fuerunt, neque futura ſunt. Ergo illa non potuerunt cognoſci, niſi in ſuis cauſis.

Reſpondetur, illa non eſſe de numero futurorum abſolutè,de quibus modò nos loquimur, ſed futura ſolùm ſecundùm quid, quæ non eſt inconueniens in ſuis cauſis poſſe cognoſci:quia cognoſcere huiuſmodi futura nihil aliud eſt,niſi cognoſcere ordinem cauſarum ad illa, ſi cauſæ non impediantur à ſua operatione,ſicut in principio huius capitis dictum eſt:cum hoc tamen, quòd Deus videt etiam exitum ipſarum cauſarum, ſi illæ non impedirentur.

Secundò argumentatur nouiſſimus quidam autor. Effectus certò cognoſcitur in cauſa ſimpliciter neceſſaria,eo quòd talis cauſa habet infallibilem ordinem ad talem effectum, ſicut cognoſcimus infallibiliter, quòd omnis homo ſit riſibilis, quia eſt rationalis; ſed cauſa contingens completè determinata, & non impedienda, quantumuis ſit libera,& poſſit non agere,de facto tamen operabitur,& producet ſuum effectum.Ergo etiam in tali cauſa poteſt cognoſci eius effectus contingenter futurus.

Reſpondeo, vt argumentum conſtaret ex debita forma, & materia, debebat arguens ſubſumere iſtam minorem.Sed cauſa contingens quantumcunque libera, vt perfectè determinata (à prima cauſa ſaltem) eſt cauſa ſimpliciter neceſſaria. Et reuera iſtæ minores debent ſubſumi in omnibus ferè argumentis, in quibus iſte autor arguit ex phyſica illa ſua prædeterminatione:ſed ad ſententiam occultandam, aliam minorem ſubſumit, nempe: cauſa contingens completè determinata, & non impedita quantumuis libera,&c.quæ quam proportionem, & connexionem habeat cum maiori, ad hoc vt ex illa ſequatur concluſio ab arguente intenta,nunquam potui intelligere, cùm medium demonſtrationis, quod ponitur pro ſubiecto in maiori, nullo modo ponatur in minori, ſitque argumentum ex pluribus terminis. Præter quod ſi cauſa contingens completè determinata, etiamſi libera ſit,poteſt agere, & non agere, vnde ſciri poteſt,quòd de facto ſit infallibiliter operatura?Aut ſi eſt infallibiliter operatura, & infallibiliter productura effectum, vnde ſciri poteſt, quòd illa ſic determinata poſſit agere,& non agere?Quis hæc paradoxa intelligere valebit? ſi enim quantumcunque determinata,adhuc libera eſt, & poteſt pro ſua libertate agere, vel non agere, iam ex tali determinatione non magis ſciri poteſt, illam eſſe operaturam, quàm non eſſe operaturam. Si autem ex tali determinatione certò ſciri poteſt illam eſſe operaturam, iam non manet æquè indifferens ad non operandum, ſicut ad operandum.

IX. Tertiò argumentantur. Deus in decreto ſuo abſoluto,& efficaci cognoſcit infallibiliter futura contingentia, etiam libera. Ergo etiam in determinatione ſecundarum cauſarum non impediendarum illa cognoſcere poteſt. Probatur conſequentia:quia in ipſa motione,qua Deus determinat ſecundas cauſas contingentes ad ſuos effectus, eſt intentio Dei, quæ deficere non poteſt.

Reſpondeo, in hoc argumento multa implicari, de quibus dubium eſt apud Theologos.Primò implicatur quæſtio, an Deus in ſuo decreto cognoſcat futura contingentia.Secundò,an cauſæ contingentes phyſicè prædeterminentur à prima cauſa, de quibus dicere non attinet ad hunc locum. Secundò dico, in determinatione ſecundarum cauſarum liberarum eſſe intentionem Dei efficacem, non per modum antecedentis, ſed per modum concomitantis.Vnde negatur,effectus liberos, quatenus liberè proficiſcuntur à ſecunda cauſa libera, cognoſci in diuino decreto ante actualem illorum præſentiam. Et eſt doctrina expreſſa D. Thomæ de veritate quæſt. ſexta artic. tertio ad ſextum, de qua re ſtatim dicemus.

Quartò arguunt quibuſdam autoritatibus D. Thomæ, nimirum in 1. contra Gent.cap.66. poſt ſextam rationem, & cap.67.rat.3.& cap.68.ratione 4. vbi videtur dicere, Deum cognoſcere res non ſolùm, vt ſunt in ſeipſis,ſed etiam vt ſunt in ſuis cauſis. Et clariùs in 1. part. quæſt.14. art.13. & adhuc clariùs in 2.2. quæſt.171. art.6. ad 2.vbi ait quòd *Deus dupliciter intuetur effectus contingentes vt futuros; vno modo vt ſunt in ſeipſis præſentes in æternitate: alio modo,vt ſunt in ſuis cauſis ſecundis determinatis.*

Reſpondeo, niſi voluntas contradicendi mentem perturbet, nihil certius eſſe in doctrina D.Thomæ,

D.Thomæ, quàm quòd futura contingentia non poſſint certò cognoſci in ſuis cauſis quantumcunque determinatis. Quod ſatis patere arbitror ex teſtimoniis proximè allatis. Et ad loca in contrarium adducta dico, ſi legantur verba D. Thomæ, oppoſitum manifeſtè ex illis colligi. Docet enim quòd, cùm duobus modis futura contingentia cognoſci poſſint, in ſe, & in ſuis cauſis, notitia, quæ habetur per ſolas cauſas, non eſt certa, neque ſufficiens. Specialiter verò ad ſingula reſpondeo in 1. contra Gent. cap. 67. & 68. loquitur de contingentibus futuris ſolùm ſecundùm quid: vnde ille locus nihil ad rem facit. In 1. p. quæſt. 14. art. 13. tum in corpore, tum ad ſecundum & tertium oppoſitum tam manifeſtè docet, vt mirum ſit arguentem locum illum pro ſua ſententia adducere. Tandem in 2. 2. quæſt. 171. a. 6. ad 2. non ſolùm nihil horum habetur, quæ arguens pro commodo effingit, ſed totum oppoſitum dicit. Et, vt omnium pace loquar, intolerabilis eſt iſta licentia quam arguens non ſolùm in hoc argumento, ſed in multis aliis ſibi arrogauit, autoritates Doctorum immutandi, addendo, detruncando, immutando. Vbi enim quæſo habet D. Thom. illam clauſulam, *alio modo, vt ſunt in ſuis cauſis ſecundùm determinatis?* Neque hoc dixerim ex liuore, ſed veritatis illuſtrandæ cauſa. Sunt enim, qui eam in ſcribendo autoritatem ſibi comparauerunt (vnde illa ſit, neſcio) vt pro libito fingant autoritates, & pro opportunitate rei, de qua agitur, illas inſtituto accommodent, ex qua re veritas obſcuratur, & legentes illorum libros decipiuntur: quod an deceat Doctorem Ethnicum, ne dicam Theologum Chriſtianum, aliorum ſit iudicium.

CAPVT XXI.

An ex efficaci decreto diuinæ voluntatis poſſit colligi ratio infallibilis notitiæ futurorum contingentium.

1. ETſi difficultates, quæ circa hanc quæſtionem oriuntur, potiùs circa diuinum ipſum decretum verſentur, an illud ſit, & quale, & quorum ſit, quàm circa notitiam futurorum contingentium, quæ ex ipſo decreto habetur: eſt tamen illius reſolutio huic tractationi adeò affinis, vt non poſſit hoc in loco præteriri. Supponimus autem, quidquid ſit in rerum natura ſiue neceſſariò, ſiue contingenter ſuccedit, fuiſſe ab æterno efficaciter à Deo decretum, vt eſſet, de hoc enim nullus poteſt dubitare: ſicut dubitari non poteſt, an omnia ſint diuinæ prouidentiæ ſubiecta, & an aliquid in mundo præter Dei intentionem eueniat. Eſt verò notandum, de duobus generibus contingentium poſſe eſſe quæſtionem, nempe de contingentibus, quæ ſunt vel moraliter bona, vel ſaltem indifferentia, & de moraliter malis. Adhuc poteſt hæc quæſtio duobus modis intelligi, vno modo, an in diuino decreto ſolo, præſcindendo ab aliis rationibus poſſint certò cognoſci futura contingentia: alio modo, an diuinum decretum ita ſit ratio cognoſcendi ipſa futura contingentia, vt illo præciſo, nulla alia ſit ratio ſufficiens illa cognoſcendi. Hinc apparet, tria præcipuè dubia in hac quæſtione eſſe propoſita. Primum an diuino decreto ſufficienter poſſint cognoſci futura contingentia præſcindendo ab aliis cauſis. Secundum an ſpecialiter in eodem decreto poſſint cognoſci peccata. Tertium an præciſo ipſo diuino decreto adhuc ſit aliqua ratio ſufficiens cognoſcendi ipſa futura contingentia. De primo dubio hoc capite dicetur. De duobus ſequentibus ſimiliter in duobus capitibus proximè ſequentibus erit ſermo: de ſingulis enim diſtinctè tractandum eſt facilioris doctrinæ gratia.

Circa primum dubium eſt prima opinio, abſolutè affirmans, omnia futura contingentia, tam quæ ex ſecundis cauſis liberis, quàm quæ ex aliis cauſis naturalibus eueniunt in ſolo diuino decreto, quo illa fieri decreuit, certò, & infallibiliter cognoſci. Differunt tamen autores huius opinionis inter ſe, quia nonnulli affirmant, hanc ſolam eſſe rationem ſufficientem cognoſcendi futura contingentia, & nullam aliam ſufficere, & ita ſentit Scotus, quemadmodum à nonnullis explicatur in primo diſtinct. 39. §. *Viſo de contingentia.* Sic illum explicat Rada cont. 30. artic. tertio notab. quinto in fine. & concluſione quinta, & Ludouicus Molina quæſt. 14. artic. 13. diſp. 15. & Aquarius in Addition. ad Capreolum in primo diſtin. 38. quanuis, ſi benè inſpiciantur verba Scoti, ille non dicat, futura contingentia cognoſci in diuino decreto, ſed in diuina eſſentia, quæ tamen id non repræſentat, niſi accedente diuino decreto. Eandem etiam ſententiam tribuunt Durando diſt. 38. quæſt. tertia. Ricardo ibidem quæſt. prima. Heruæo, Ioanni Maioris, & aliis quibuſdam, quos non ita certum eſt, an loquantur præciſiuè. Idem modus dicendi mirum in modum placuit Caluino libro tertio inſtitutionum capite 23. §. ſexto, ait enim: *Sed cùm non alia ratione præuideat quæ futura ſunt, niſi quia ita, vt fierent, decreuit, fruſtrà de præſcientia lis mouetur, vbi conſtat ordinatione potiùs, & nutu omnia euenire.* Alij verò dicunt aliis quoque modis, Deum futura contingentia cognoſcere, nempe in ſua præſentialitate, aut in ideis: ſed nihilominus in decreto efficaci, quo ab æterno omnia futura contingentia prædefiniuit, poſſe eadem contingentia ſufficienter cognoſcere. ita ſentiunt recentiores D. Thomæ expoſitores. Bañes prima parte quæſt. 19. art. 8. Nazarius quæſt. 14. art. 13. cont. ſecunda, concluſ. tertia. Vaſquez diſputatione 65. capite ſecundo & tertio, licèt ille dicat ex diuino decreto ſolùm ſumi poſſe rationem remotam talis notitiæ. Aluarez diſput. 10. & 11. de Auxiliis.

II. Scotus. Rada. Molina. Aquarius. Durandus. Richard. Heruæus. Ioan. Maior. Caluinus. Bañes. Nazar. Vaſquez. Aluarez.

Secunda eſt opinio circa idem dubium abſolutè negans, diuinum decretum quantumcunque efficax præciſa præſentialitate futurorum contingentium in nunc æternitatis, de qua ſuprà dictum eſt, eſſe ſufficientem rationem cognoſcendi ipſa futura contingentia. ita Gregorius Ariminenſis in 1. diſt. 38. quæſt. 2. a. 2. Okam quæſt. 1. Gabriel Biel quæſt. prima articulo ſecundo. Capreolus quæſt. prima art. ſecundo concluſ. prima, & ad argumenta Durandi contra primam concluſionem. Citantur in eandem ſententiam Palatius ibid. quæſt. ſecunda, & Franciſcus à Chriſto diſtin. 39. quæſt. ſexta. ſequitur Catharinus in opuſculo de Præſcientia. Suarez libro primo de ſcientia futurorum contingentium capite ſexto. Videtur inclinare Caietanus quæſt. 14. articulo decimotertio §. *Quoad ſecundum proponuntur duo modi.* Ferrarienſis lib. 1. contra Gentes cap. 66. §. *Ad ſecundum*

III. Gregorius Ariminenſis. Okam. Gabriel. Capreolus. Palatius. Franciſcus à Chriſto. Catharin. Suarez. Caietanus. Ferrarienſis.

Digitized by Google

Hiſpalenſ. Aquarius. *cundum dubium.* Hiſpalenſ. diſt. 38. quæſt. 1. art. 1. concl. 2. & ſequentibus. & Aquarius in Additionib. ad Capreolum loco proximè citato.

Tertia opinio eſt in diuino decreto poſſe cognoſci omnes effectus, quorum ſola diuina voluntas eſt totalis cauſa, aut etiam cum ſecundis cauſis, quatenus illæ efficaciter prædeterminantur ad tales effectus à prima cauſa; non autem effectus, qui liberè pendent à voluntate creata, quatenus libera eſt.

IV. Circa præſens dubium, ſaluo meliori iudicio, videtur mihi dicendū. Primò diuinum decretum eſſe rationem ſine qua non cognoſcendi omnia futura contingentia, ſiue illa pendeant ex ſola diuina voluntate, ſiue etiam ex aliis cauſis. Et hanc concluſionem puto eſſe certiſſimam apud omnes, ſiue Catholicos, ſiue etiam hæreticos, & Philoſophos infideles: quia apud omnes ſapientes certum eſt, eadem eſſe principia eſſendi, & cognoſcendi: at verò diuinum decretum eſt principium eſſendi omnium futurorum contingentium, vt Auguſtinus ait in Enchiridio cap. 95. & D. Proſper in libro ſententiarum exceptarum ex Auguſtino propoſ. 58. vnde poteſt ſic formari ratio huius aſſertionis. Nihil eſt certò cognoſcibile à Deo quod non habet eſſe verum, & determinatam veritatem; ſed nullum contingens, ex quacunque cauſa illud proueniat, ſine diuino decreto poteſt habere eſſe verum, & determinatum. Ergo ſine diuino decreto nullum futurum contingens eſt certò cognoſcibile.

Auguſt. Proſper.

V. Secunda propoſitio. Diuinum decretum eſt ſufficiens ratio etiam proxima cognoſcendi omnia futura contingentia, quorum ſola diuina voluntas eſt cauſa, vel quorum cauſa eſt creata, vt phyſicè per diuinam voluntatem prædeterminata ad productionem illorum. Senſus huius propoſitionis eſt, ſi Deus in tempore efficaciter, & phyſicè prædeterminat omnes ſecundas cauſas contingentes, & liberas ad ſuos effectus, ipſum æternum decretum ſic in tempore prædeterminandi ſecundas cauſas ad effectus contingentes, eſſe ſufficientem rationem diuino intellectui etiam proximam cognoſcendi certò, & infallibiliter omnia futura contingentia. Probatur hæc propoſitio ratione, quæ ſuppoſitis principiis doctrinæ Peripateticæ eſt demonſtratiua. Omnis effectus ſufficienter, & perfectè cognoſcitur in ſua cauſa propria determinata efficaci, & infallibili: at diuina voluntas reſpectu omnium illorum contingentium eſt cauſa propria, & infallibilis, & omnino efficax. Ergo illud eſt ſufficientiſſima ratio cognoſcendi illa omnia certò, & infallibiliter.

VI. Tertia propoſitio. Illorum effectuum, quorum diuina voluntas non eſt totalis cauſa, vel qui ab æterno non ſunt efficaciter prædefiniti per diuinum decretum antecedenter, & quorum cauſæ non ſunt in tempore antecedenter prædefinitæ phyſicè per ipſum diuinum decretum, non poteſt haberi certa, & infallibilis notitia, ſed illa ex aliis cauſis petenda eſt. In hac propoſitione puto omnes conuenire: illi enim, qui aiunt in diuino decreto poſſe certò cognoſci futura contingentia, id ea ſola ratione affirmant, quia putant, omnes cauſas contingentes efficaciter, & phyſicè prædeterminari à Deo ad ſuos effectus. Ratio concluſionis eſt: quia illud, quo ſolùm poſito, res nondum intelligitur habere eſſe determinatum, & veritatem determinatam, non poteſt eſſe ſufficiens ratio illam infallibiliter cognoſcendi; ſed diuinum decretum, quod non eſt totalis cauſa effectus contingentis, & non prædeterminat illius cauſam ad eius productionem, non eſt tale, vt ſolo illo poſito res concipiatur, habere eſſe determinatum, & veritatem determinatam. Ergo non eſt ſufficiens ratio illud cognoſcendi.

VII. Quarta propoſitio. Abſolutè, & ſimpliciter loquendo, ſicut effectuum contingentium, qui pendent à ſecundis cauſis liberis, diuinum decretum non eſt totalis, & omnibus modis adæquata cauſa & ratio eſſendi; ita diuinum decretum non eſt omnibus modis præſcindendo ab actuali illorum præſentialitate adæquata, & per ſe ſufficiens ratio illos certò, & infallibiliter cognoſcendi. Hæc propoſitio mihi in primis probabilis ſuadetur ob autoritatem D. Thomæ. Ille enim cùm tot locis meminerit notitiæ & modi cognoſcendi futura contingentia, nunquam dixit, illa à Deo cognoſci in diuino decreto, ſed ad alios modos, & ad alias rationes recurrit. Et quidem quòd explicitè, & ſub formalibus verbis id nunquam dixerit, arbitror omnes concedere, cùm nullus adhuc citauerit locum, in quo id dicat. Quòd autem neque implicitè id dicat, monſtrabimus inferiùs in diſſoluendis argumentis.

Et confirmatur hanc eſſe mentem D. Thomæ, quia cùm D. Thomas tantopere laborauerit in inuenienda ratione, qua diuinus intellectus futura contingentia infallibiliter nouit, non omiſiſſet rationem facillimam, & cuique peruiam, quæ ex diuino decreto ſumi poteſt, ſi credidiſſet, illam ſufficere, ad eadem futura contingentia infallibiliter cognoſcenda. Quid enim facilius percipitur, quàm in efficaci decreto ſuæ voluntatis Deum poſſe intelligere, quæ ille facere decreuit.

VIII. Secundò probatur, hanc eſſe mentem D. Thomæ. Nam ſi eſſet aliquod decretum efficax, in quo ſolo præſcindendo ab actuali rerum præſentia poſſent futura contingentia infallibiliter cognoſci, illud eſſet decretum diuinæ prædeſtinationis. At ex ſententia D. Thomæ decretum diuinæ prædeſtinationis præſcindendo ab actuali præſentia non eſt ſufficiens ratio cognoſcendi futura contingentia. Docet hoc expreſsè D. Thomas de Veritate quæſt. 6. art. 3. ad 6. vbi propoſito ſibi hoc argumento contra certitudinem prædeſtinationis: *Secundum Anſelmum eadem eſt veritas prædeſtinationis, & propoſitionis de futuro; ſed propoſitio de futuro non habet certam, & determinatam veritatem, ſed variari poteſt, vt patet per Philoſophum in lib. Perihermenias, & in lib. 2. de Generatione. Ergo nec veritas prædeſtinationis certitudinem habet.* Reſpondet eidem argumento, dicens: *Ad ſextum dicendum, quòd ſimilitudo Anſelmi quantum ad hoc tenet, quòd ſicut veritas propoſitionis de futuro non infert futurorum contingentiam; ita nec veritas prædeſtinationis. Sed differt in hoc, quòd propoſitio de futuro non reſpicit futurum, niſi vt futurum eſt, & hoc modo non poteſt habere certitudinem: ſed veritas prædeſtinationis, & præſcientiæ reſpicit futurum, vt eſt præſens, vt in quæſtione de ſcientia Dei dictum eſt: & ideo certitudinem habet.* Hæc ille. Vnde patet D. Th. ſentire præciſa præſentialitate ipſorum futurorū contingentium, per decretum diuinæ prædeſtinationis non poſſe cognoſci ipſa futura contingentia.

D. Thom.

Et

Et profectò si D. Thomas sensisset, posse Deum in solo decreto præscindendo à præsentialitate rerum, futura contingentia cognoscere, nulla erat occasio magis opportuna id exprimendi, quàm occasio solutionis illius argumenti. Immo si vel per vmbram suspicatus esset, ex diuino decreto posse sumi certitudinem diuinæ præscientiæ, non potuisset eo in loco id dissimulare: at neque ibi, neque alibi vnquam ex hoc capite probauit certitudinem diuinæ præscientiæ, sed semper recurrit ad præsentialitatem ipsorum contingentium. Ergo euidens signum est, illum nunquam sensisse in solo diuino decreto posse futura contingentia cognosci.

IX. Tertiò probari potest hæc propositio innumeris autoritatibus Patrum dicentium, Deum multa præscire, quæ non prædefinit, neque prædestinat: nihil autem prædefinire, aut prædestinare, quod non præsciuerit. Sed de his agere potiùs pertinet ad quæstionem, an omnes actus contingentes sint efficaciter prædefiniti, quàm ad præsens negotium. Illas verò autoritates lib. sequente suo loco adducemus, & illarum legitimum sensum studebimus aperire.

Quartò probari etiam potest omnibus illis autoritatibus Patrum, quibus docemur, futura contingentia ideo Deum nosse, quia futura sunt: non autem ideo futura esse, quia illa Deus nouit.

Tandem probatur ratione, nam vel futura contingentia cognoscuntur in diuino decreto efficaci antecedente liberam determinationem voluntatis creatæ, & hoc dici non potest, quia tale decretum tolleret humanam libertatem per ea, quæ dicta sunt lib. 1. cap. 19. & 20. & quæ dicemus lib. sequente cap. 11. & sequentibus, vel in decreto concomitante ipsam liberam determinationem voluntatis creatæ, & sic diuinum decretum se solo non est ratio sufficiens cognoscendi futura contingentia.

X. Contra hanc vltimam conclusionem est primum argumentum. Omnis effectus est sufficienter cognoscibilis in sua causa efficaci, & determinata ad illum producendum, quæ per nullam aliam causam potest impediri. Hæc videtur notissima. sed diuina voluntas est talis causa respectu omnium effectuum contingentium. Ergo omnes effectus contingentes in illius decreto cognosci possunt. Minor verò propositio quoad omnes illius particulas videtur propositio de fide.

Respondeo, maiorem propositionem esse veram de causa totali, & omnibus modis adæquata: non autem de causa, quæ non est omnibus modis totalis, & adæquata sine concursu alterius causæ; qualis est diuina voluntas respectu effectuum contingentium, maximè eorum, qui proficiscuntur à libera voluntate creata, quemadmodum dictum est cap. 14. & lib. 8. dicetur.

XI. Secundum argumentum sumitur ex quibusdam sententiis D. Thomæ per vim extortis. Prima est in lib. 1. contra Gen. cap. 66. ratio sexta. vbi dicit, quòd Deus omnia præterita, præsentia, & futura cognoscit secundùm quod sunt in sua potentia, in suis causis, & in seipsis. Secunda in eodem lib. c. 68. ratione quarta, vbi dicit, quòd Deus non solùm cognoscit res, vt sunt in seipsis, sed etiam secundùm quòd sunt in causis suis, vt dictum est, quia cognoscit ordinem causæ ad suos effectus. Tertia in 2. 2. quæst. 171. art. 6. ad 1. vbi dicit, Deum futura contingentia cognoscere in suis causis determinatis. Quarta in 1. part. quæst. 14. art. 13. vbi dicit quòd Deus cognoscit futura contingentia non solùm quia habet rationes rerum apud se, vt quidam dicunt: sed etiam quia videt omnia in sua præsentialitate. Ibi duos modos assignat D. Thom. alterum cognoscendi futura contingentia in ideis, & in diuino decreto, sicut alibi ex eo probabat, esse in Deo æternas omnium rerum prædefinitiones, quia sunt in Deo ab æterno omnium rerum ideæ, de qua re suo loco.

Respondeo, opinionem, quæ tam violenta autoritatum extorsione indiget, vt probabilis appareat, statim omni probabilitate denudatam sese mõstrare. Ad primam autoritatem millies dictum est, ex illo loco oppositum euidenter haberi. legantur verba. Dicit D. Thom. futura contingentia, & omnia, quæ sunt, vel fuerunt, cognosci à Deo in sua potentia in suis causis, & in seipsis: sed non dicit omnia certò, infallibilitérque cognosci, vel in sola ipsius potentia, vel in solis secundis causis: immo hoc negat tum ibi, tum alibi semper. Ad secundam D. Thomas dicit futura contingentia cognosci in suis causis cognoscendo illarum ordinem ad effectus: sed non dicit hanc solam notitiam sufficere, vt illa dicantur certò, & infallibiliter cognosci: immo hoc negat tum ibi, tum alibi semper, præcipuè in 1. dist. 38. quæst. 1. art. 5. & 1. parte quæst. 14. art. 13. & de Veritate quæst. 12. art. 10. & de Malo quæst. 16. art. 16. & aliis in locis suprà citatis. Ad tertiam plusquam falsum est, id dicere ibi D. Thomam, quod arguens prætendit. Ad quartam respondeo, ex illo modo dicendi nihil certi colligi posse, nam in eodem articulo dicit, quòd Deus cognoscit omnia futura contingentia non solùm in secundis causis contingentibus, sed etiam in seipsis. Et tamen ex hoc modo dicendi nullus sanæ mentis colligit, illum voluisse Deum cognoscere futura contingentia in solis secundis causis. Et dato quòd D. Thomas probauerit sententiam illorum, qui dicunt creaturas cognosci à Deo in ideis, respondetur negando esse idem cognoscere illas in ideis, & in decreto. Sicut negatur esse idem ideas, & diuinum decretum, quod tamen arguens supponit, de qua re infrà.

Alia afferuntur argumenta, sed illa probant in diuino decreto cognosci actus malos moraliter, de quibus specialis erit disputatio cap. statim sequente. Vnicum restat dubium ex Vasquez dicta disp. 65. cap. 2. & 3. contra secundam propositionem, probat enim, quòd diuinum decretum nullo modo possit esse proxima ratio cognoscendi aliquod futurum contingens ex eo, quoniam decretũ diuinũ supra nudam essentiam nihil addit, nisi respectum rationis, qui non potest esse subiectiuè in Deo, sed est in creatura tantùm. Ergo supponit illam in esse. Ergo prius est creaturam cognosci, quàm cognoscatur iste respectus rationis. XII. Vasquez.

Respondeo hoc argumentum probare contra arguentem, diuinum decretum non solùm non posse esse rationem proximam cognoscendi futura contingentia, sed nec etiam remotam. immo probat, Deum priùs cognoscere creaturas, quàm cognoscat se decreuisse creaturas condere; cùm talis respectus sit posterior ipsis creaturis natura, & cognitione. immo probat, priùs esse creaturas, quàm sit diuinum decretum de illis condendis, quod est impossibile. Propterea quidquid sit de illa entitate, quam decretum diuinum addit supra nudam essentiam,

dico, de ratione diuini decreti, vt est in Deo, non esse illum respectum rationis, qui consurgit inter creaturam, & Deum: ille enim est quid extrinsecum ipsi decreto, & ideo ad cognoscendum decretum, non est necesse priùs, vel simul cognoscere ipsum respectum, esto etiam illum intellectus diuinus videat, sicut videt omnia etiam rationis, quæ fabricantur ab humano intellectu, quod neque Vasquez, neque vllus Catholicus potest negare. Dices, quid igitur est istud decretum, in quo Deus videt futura contingentia? Respondeo, rem esse explicatu difficillimam, & quod sciam à nullo hucusque perfectè explicatam. tamen potest dici sine errore, quod est ipsa diuina essentia vt induit modum volentis aliquid esse futurum in rerum natura; & cognoscere futura contingentia in diuino decreto, nihil aliud est, nisi cognoscere ipsa in diuina essentia, vt induente modum causæ per voluntatem efficacem.

CAPVT XXII.

Dubium secundum resoluitur, an in diuino decreto cognoscantur actus moraliter mali, seu peccata.

I. EST sententia quorundam recentiorum Theologorum, illorum maximè, qui dicunt omnes effectus contingentes fuisse ab æterno prædefinitos, & omnes causas contingentes physicè in tempore prædeterminari ad singulos actus, etiam moraliter malos, quoad illorum entitatem naturalem, excepta malitia; omnes effectus etiam moraliter malos, qui dicuntur peccata moris, sufficienter cognosci à Deo in æterno suo decreto, quo decreuit, vt fierent illi actus, quoad illorum naturalem entitatem, & decreuit permittere illorum malitiam. ita sentiunt nonnulli ex citatis cap. præcedenti in referenda prima opinione, præcipuè Aluarez disput. 10. & expresè disp. 11. Eorum argumenta infrà adducemus & soluemus.

Oppositam sententiam puto verissimam, & omnino sequendam, quòd scilicet in solo diuino decreto, siue illud sit decretum positiuũ, siue permissiuum tantùm, actus futuri moraliter mali, qui sunt peccata moris, non possint certò, & infallibiliter cognosci. Hæc enim est expressa mens D. Augustini, & sanctorum Patrum, & D. Thomæ, quorum testimonia non possunt sine manifesta violentia veritati illata aliter, & in alium sensum exponi. Probatur hæc assertio ex SS. Patribus. Est enim frequentissimus, & communissimus dicendi modus apud illos, Deum omnia quidem prænoscere, sed non omnia prædestinare, seu prædefinire. Et specialiter peccata esse quidem à Deo præscita, non tamen prædestinata. ita Concilium Valentinum sub Lothario cap. 10. dicens, Prædestinatione Deum ea tantùm statuisse, quæ ipse vel gratuita miseratione, vel iusto iudicio erat facturus, secundùm Scripturam dicentem, qui fecit, quæ futura sunt. In malis verò ipsorum malitiam præscisse, quia ex ipsis est, non prædestinasse, quia ex ipso non est. Augustinus libro secundo de Prædestinatione & gratia capite 5. & 6. & 13. & 14. & de Prædestinatione Sanctorum capite 10. & lib. 6. Hypognosticon ad finem, & ad articulos sibi falsò impositos, & alibi frequentissimè inquit, nihil Deum prædestinare, quod non præsciat; multa verò præscire, quæ non prædestinat. Et specialiter in dicto libro ad articulos sibi falsò impositos ad vndecimum ait de peccatis: *Nihil ergo talium negotiorum Deus prædestinauit, vt fieret.* Idem habetur apud Fulgentium libro primo ad Monimum capite trigesimo, Damascenum libro secundo de fide capite vltimo, Bedam, & alios plures libro sequenti capite 16. citandos. Si autem Deus actus malos minimè prædestinauit, & tamen præscisuit, vt dicti Patres affirmant, sine dubio illa in diuino decreto nec cognita sunt, nec cognosci potuerunt.

Concilium Valent. — Augustinus. — Fulgentius. Damascen. Beda.

Confirmatur ratio; nam quidquid sit de illa distinctione cognoscendi peccata in decreto permissiuo, aut positiuo, & decreto quoad entitatem naturalem peccati, vel quoad illius malitiam, satis est, sanctos Patres dicere, Deum non cognoscere peccata in suo decreto. Et assertionem, quæ dicit, peccata cognosci in diuino decreto, contrariam esse vsui, & modo loquendi Diui Augustini, & SS. Patrum.

Secundò probatur testimoniis D. Thomæ: nam in quæst. 6. de veritate articulo tertio ad sextum expresè docet, prædestinationem non esse certam, nisi, quia respicit futurum, vt præsens, sicut dictum est in quæstione de scientia Dei. Si autem illa non est certa, quæ prædestinatio bonorum est præcisa præsentialitate rerum, multo minus ex prædestinatione malorum, præcisa præsentialitate, poterunt futura mala infallibiliter cognosci. Sed clariùs quæst. 12. articulo decimo proponit D. Thomas hanc quæstionem, An omnis propheria sufficienter diuidatur in prophetiam comminationis, prædestinationis, & præscientiæ. Et contra hanc diuisionem obiicit sibi hoc argumentum quod est tertium in ordine: *Cùm præscientia sit superiùs ad prædestinationem, quasi in eius definitione posita, non potest præscientia contra prædestinationem diuidi, nisi quantum ad ea, in quibus præscientia prædestinationem excedit: sed præscientia excedit prædestinationem in malis; quia de eis est præscientia, & non prædestinatio,* &c. In corpore verò articuli inter alia sic dicit: *Impletio verò ordinis causarum fit dupliciter, quandoque quidem ex sola operatione diuinæ virtutis, vt suscitatio Lazari, & conceptio Christi, & huiusmodi: & secundùm hoc est prophetia prædestinationis, quia, vt dicit Damascenus, ea, quæ Deus prædestinat, non sunt in nobis: vnde & prædestinatio quasi quædam Dei præparatio dicitur, hoc autem aliquis præparat, quod facturus est ipse, non quod alius. Quædam verò explentur operatione causarum aliarum siue naturalium, siue voluntariarum, & hæc in quantum per alias causas complentur non sunt prædestinata: sunt tamen præscita. Vnde horum dicitur esse prophetia secundùm præscientiam.* Notanda sunt illa verba, *Et hæc in quantum per alias causas complentur non sunt prædestinata.* Sentit nanque apertè, actus humanos in quantum proficiscuntur à causa secunda libera, non esse prædefinitos, quæ est doctrina non solùm Damasceni in locis proximè citatis ex lib. 2. de fide cap. vlt. & in lib. contra Manichæos, versùs finem, sed communissima sanctorum Patrum, vt sequenti libro, Deo dante, monstrabimus. Et ad tertium argumentum propositum respondet D. Thom. in hunc modum: *Ad tertium dicendum, quòd præscientia hîc accipitur contra prædestinationem diuisa quantum ad ea, in quibus præscientia prædestinationem excedit.*

II. D. Thom. — Damascen.

excedit. Non autem excedit præscientia prædestinationem in malis tantùm, si prædestinatio strictè accipiatur: sed in omnibus bonis, quæ non fiunt sola virtute diuina, &c. Ex hoc articulo habemus apertè, ex doctrina D. Thomæ, & Damasceni actus liberos non solùm malos, de quibus in argumento, sed etiam bonos quatenus pendent à libero arbitrio non esse prædefinitos, neque præscitos in decreto diuino, & illorum præscientiam excedere prædestinationem. Et hæc doctrina nunquam fuit à D. Thoma retractata, vt fusè dicemus lib. 4. Quare videre possunt, qui volunt, quam conformitatem habeat doctrina eorum, qui in via D. Thomæ contendunt, actus moraliter malos à Deo præcognosci in suo diuino decreto efficaci.

III. Tertiò probatur eadem veritas ratione. Si Deus cognoscit peccata futura in decreto, vel cognoscit illa in decreto concomitante, vel sequente, vel antecedente. Primum, & secundum dici non possunt, quia ex decreto concomitante sciri non potest, quòd voluntas concomitabitur diuinum concursum. nam quando duæ voluntates conueniunt simul ad vnum actum, vel conueniunt à casu, & hoc de diuina voluntate dici non potest; vel vna mouet alteram, & hoc in tali casu dici non potest, quia voluntas diuina non esset concomitans, sed aut præueniens, aut sequens humanam voluntatem; vel quia vna præscit; quòd si adiungat alteri suum concursum, illa exibit in actum; & tunc ex alio capite quàm ex decreto concomitante oportebit Deum scire, quòd humana voluntas exibit in actum. Si autem dicatur, quòd illud est decretum antecedens, vt de facto nonnulli dicunt, quòd Deus cognoscit actus futuros moraliter malos in duplici decreto, quorum altero decreuit voluntatem humanam prædeterminare ad naturalem entitatem peccati, altero verò decreuit permittere moralem malitiam ipsius peccati.

Contra hanc responsionem arguo. Vel posito hoc decreto sequitur necessariò, & infallibiliter malitia ipsius peccati, vel solùm contingenter, & fallibiliter. Si dicatur primum, iam voluntas humana libera non erit ad peccandum, sed necessariò peccabit: recurremúsque in manifestum Caluinismum, nihil enim, aut parum plus dicit Caluinus, vt lib. 4. monstrabimus. Si dicatur secundum. ergo ex tali decreto Deus non potest certò scire, quòd homo sit peccaturus. nam si adhuc posito decreto potest non peccare, ergo potest poni in esse, quòd non peccet, & sic non sciet illum peccaturum.

Confirmatur ratio ex doctrina D. Thomæ. Vel per diuinum decretum voluntas humana est necessariò determinata ad apponendam actui naturali moralem malitiam, vel non. Si dicas primum, iam Deus determinat voluntatem non solùm ad actum naturalem, sed ad malitiam peccati, & est malitiæ autor, quod nec Caluinus audet manifestè affirmare. Si secundum, argumentor sic. Quandiu effectus est in causa contingente non determinata ad ipsum effectum, effectus per nullam scientiam, siue creatam, siue increatam potest infallibiliter sciri, ex D. Thoma 1. part. quæst. 14. art. 13. & aliis locis suprà citatis; sed posito isto duplici decreto, voluntas humana adhuc manet indeterminata ad ponendam malitiam moralem. Ergo ex isto duplici decreto per nullum intellectum, siue creatum, siue increatum certò sciri potest, quòd voluntas infallibiliter peccabit.

IV. Quartò principaliter probatur eadem veritas ex euersione præcipui fundamenti contrariæ opinionis. Præcipuum enim illius fundamentum est, hominem sine speciali Dei auxilio non posse tentationes vitare, & non posse propriis viribus se continere, ne cadat. Vnde sequi videtur, si Deus decreuit permittere hominem cadere, in eodem decreto videre, quòd ille necessariò sit casurus. Verùm ex eodem fundamento maximè probatur nostra sententia, supponendo vnum, quod est de fide, nempe, Deum nullum hominem deserere (saltem de iustificato loquendo) nisi ille priùs ab homine deseratur, quod vt omittam innumera D. Augustini testimonia, expressè definiuit Concil. Tridentinum sessione sexta de iustificatione cap. 11. vbi definit, Deum semel iustificatos non deserere, nisi ab eis priùs deseratur. & cap. 13. vbi ait: *Tametsi in Dei auxilio firmissimam spem collocare, & reponere omnes debent, Deus enim nisi ipsi illius gratia defuerint, sicut cœpit opus bonum, ita perficiet operans velle, & perficere.* Quibus in locis non solùm Concilium loquitur de gratia habituali, sed de gratia actuali adiuuante ad implenda diuina mandata, & ad perseuerandum vsque in finem. Nam ex isto capite tum ibi, tum Can. 11. ostendit, Deum præcipiendo obseruantiam diuinorum mandatorum, & vsque in finem perseuerantiam in bono, non præcepisse aliquid impossibile; & damnat oppositum asserentes. Ratio Concilij est, quia licèt hæc non possit homo solis naturæ viribus efficere, potest tamen efficere cum diuino auxilio, quod semper habet paratum, quo Deus nullum iustificatum deserit, nisi ille priùs per peccatum Deum deserat. Hoc autem supposito sequitur necessariò veritas nostræ propositionis, & falsitas oppositæ sententiæ, quod sic demonstratur. Prius est hominem peccare, & Deum deserere, & Deum ipsum præuidere, hominem se per peccatum deserentem, quàm sit decretum de homine deserendo. Ergo in decrèto de homine deserendo, & permittendo labi in peccatum non potest cognoscere hominem infallibiliter peccaturum. Antecedens est doctrina S. Concilij. Consequentia probatur, quia idem est decretum permittendi hominem cadere, & decretum hominem deserendi actuali auxilio, quo tenetur ne cadat.

Huic argumento quidam recentiores, vt satisfaciant, dicunt, subtractionem diuini auxilij duobus modis posse considerari, vno modo, vt simplex quædam negatio est; alio modo, vt est priuatio. Et licèt (inquiunt) quatenus priuatio est, prius sit hominem deserere Deum per peccatum, quàm deseri à Deo per subtractionem diuini auxilij: tamen si consideretur, vt negatio est, prius est, Deum deserere hominem, quàm deseratur ab illo.

Sed si sic licet dicere, videtur sanè egregia, & lepida decretorum sacri Concilij delusio, & illius fundamenti subuersio. Quærendum est enim à sic respondentibus, an prius fuerit in diuina voluntate decretum istud subtrahendi auxilium diuinæ gratiæ, quàm præscientia lapsus ipsius hominis, an sit posterius ad ipsam præscientiam. Si enim posterius est, iam in illo decreto non fuit primò præuisum peccatum,

Digitized by Google

ſed ad aliam rationem recurrendum eſt. Si autem dicatur illud eſſe prius, iam Deus decreuit deſerere hominem, antequam homo decreuerit deſerere Deum, quod formaliter, & in terminis eſt contra definitionem Concilij.

V. Præterea in executione huius decreti, vel Deus de facto ſubtrahit homini auxilium ſpeciale, antequam homo auertatur à Deo, vel poſtquam homo auerſus eſt à Deo. Si primum dicas, vanè Concilium hortatur nos ad perſeuerandum, & legis diuinæ præcepta implenda ex hoc, quòd præſtò ſit ſemper nobis diuinum auxilium, nec Deus nos deſerat, niſi priùs deſeratur à nobis. Dicet enim ſtatim quilibet homo cordatus, quid me hortamini ad rectè viuendum, & perſeuerandum vſque in finem? Ego quippe ſine ſpeciali Dei auxilio id facere non poſſum: Deus autem priuſquam viderit me ab illo auerſum per voluntatē meam, iam apud ſe decreuit huiuſcemodi auxilio me deſtituere, & de facto me deſtituit. Quid me deluditis vanis diſtinctionibus? nam ſi Deus ab æterno ante inſpectam voluntatis meæ auerſionem, iam decreuit ſuis auxiliis me deſtituere, quatenus talis deſtitutio ſimplex auxiliorum negatio eſt, & de facto in tempore me deſtituit, & ego ſic deſtitutus, nequeo legem Dei ſeruare, & in finem perſeuerare: Quid me iuuat, quòd quatenus priuatio eſt, ego non niſi poſt inſpectam voluntatis meæ auerſionem deſtituar?

Et vt iſtius irrefragabilis argumenti vires magis appareant, vel homo deſtitutus diuino auxilio quatenus ſimplex negatio eſt, neceſſariò labitur in peccatum, vel non. Si non. iam ex decreto ſubtrahendi homini diuinum auxilium, vt ſubtractio eſt ſimplex negatio, non poteſt Deus certò noſſe, hominem caſurum. Si dicatur, quòd ſic, iam ruit tota argumentatio, & exhortatio Concilij: nam dicent ſtatim hæretici, eſto conſiderata carentia diuinæ gratiæ, vt priuatio eſt, prius ſit, hominem deſerere Deum, quàm è contra, tamen conſiderata eadem carentia, vt negatio ſimplex eſt, iam prius eſt, Deum hominem deſerere, quàm Deus deſeratur, & homo ſic deſtitutus diuina gratia, vt deſtitutio ſimplex negatio eſt, non poteſt non labi in peccatum, neque in bono perſeuerare.

VI. Demum iſta reſponſio refellitur ex principiis veræ Philoſophiæ, nam licèt carentia formæ in aliquo ſubiecto poſſit habere rationem ſimplicis tantùm negationis, vt, verbi gratia, non videre in lapide: tamen carentia formæ in ſubiecto, in quo eſt debitum habendi illam, nunquam poteſt habere rationem ſimplicis negationis, ſed ſemper habet rationem priuationis: modò quilibet in gratia conſtitutus habet debitum habendi auxilium actuale ad vitanda peccata, & ad perſeuerandum. Ergo in præſenti negotio illa diſtinctio de carentia auxilij diuini, vt negatio, & vt priuatio eſt, omnino eſt extra propoſitum. Minor probatur, nam ſi homo conſtitutus in Dei gratia non haberet iſtud debitum habendi huiuſmodi auxilium, non omnes, qui illo priuantur, eo priuarentur ſua culpa: ſed quicunque tali auxilio priuantur, ſua culpa illo priuantur, vt omnes Doctores dicunt, & præcipuè D. Auguſtinus in lib. de correptione, & gratia cap. 5. & 11. ergo omnes ſaltem iuſtificati habent debitum habendi iſtud auxilium. Auguſtinus.

Præterea in quocunque Deus conſtituit debitum vitandi omnia peccata, & legis diuinæ obſeruandæ, & vſque in finem perſeuerandi, in eo conſtituit etiam debitum habendi iſtud auxilium, ſine quo homo hæc præſtare non poteſt: ſed in omni ſaltem iuſtificato Deus conſtituit debitum hæc omnia agendi.

Dices, quomodo conſtituit Deus in homine debitum habendi iſtud auxilium, ſi illud ex ſolo diuino beneplacito omnino pendet? Reſpondeo, ex eo, quòd Deus videns hominem non poſſe ſine huiuſmodi auxilio diuina mandata ſeruare, peccata vitare, & vſque in finem perſeuerare, nihilominus conſtituit in eo debitum hæc omnia peragendi, conſtituit ſe ipſum debitorem huiuſmodi auxilium tradendi, niſi per hominem ſteterit. Quare quicunque tali auxilio priuatur, ſua culpa priuatur.

VII. Propterea alij reſpondent ſupradicto argumento, Concilium loqui de auxilio ſufficienti, cum quo poteſt vitare omnia peccata, & vſque in finem perſeuerare ſi vellet; non autem de auxilio efficaci, cum quo de facto eadem peccata vitat, ſine quo auxilio licèt homo poteſt ſtare, tamen de facto cadit.

Contra hanc reſponſionem, qua nonnulli millemodis abuntur, omiſſis aliis difficultatibus, quas illa continet, ſic arguo. Vel cum ſolo auxilio ſufficienti homo poteſt non cadere, vel non. Si dicas ſecundum, iam deſtruis quod dicis, auxilium enim, quod dicis eſſe ſufficiens, iam non erit ſufficiens. Si dicas primum: vnde ergo Deus ſcit quòd de facto cadet, ſi cum tali auxilio ſcit, quòd homo non cadere poteſt? Dicere nanque, quòd ſcit quidem, illum cum tali auxilio poſſe non cadere, ſed tamen quòd de facto cadet, eſt dictum voluntarium, & irrationabile. ſi enim poteſt non cadere, poſſibili poſito in eſſe, nullum ſequetur impoſſibile: ponamus igitur, quòd de facto non cadat, Deus neſciet, illum eſſe caſurum.

VIII. Vltimò probatur eadem veritas, & ſimul reiiciuntur omnes ſupradictæ reſponſiones. Nam quidquid ſit de homine poſt lapſum primorum parentum, tamen loquendo de homine conſtituto in ſtatu iuſtitiæ originalis, & de Angelo conſtituto in ſtatu viæ, non potuit Deus in decreto permittendi illius lapſum certò, & infallibiliter ſcire, illum lapſurum eſſe. Nam cum eodem prorſus auxilio, cum quo homo lapſus eſt, potuiſſet ſtare ſi voluiſſet, & hoc eſt vnum diſcrimen inter ſtatum iuſtitiæ originalis, & naturæ corruptæ, quod aſſignat D. Auguſtinus libro de natura, & gratia cap. 42. & 49. & lib. 1. contra duas epiſtolas Pelagianorum cap. 2. & de bono perſeuerantiæ cap. 7. & lib. de correptione. & gratia cap. 10. 11. & 12. vbi dicit, quòd ſi homo in ſtatu iuſtitiæ originalis non habuiſſet auxilium, quo potuiſſet ſtare, ſi voluiſſet, & per ſubtractionem diuini auxilij cecidiſſet, iam illius peccatum in Deum refundendum eſſet: & dicit quòd relictum erat in gyris Adæ perſeuerare, vel non perſeuerare: non quidem quòd tunc ſine ſupernaturali auxilio id poſſet efficere, ſed quia illud auxilium erat quodammodo debitum illi ſtatui. Addit quòd cum eiſdem omnino auxiliis, cum quibus mali angeli ceciderunt, boni Angeli ſteterunt. Legatur dictum cap. 10. lib. de correptione, & gratia. §. *Quapropter ſaluberrimè.* & cap. 11. *Si autem hoc aditorum, vel Angelo vel homini*, &c. & ſufficient ad excutiendam nebulam obſcurantem radios veritatis, & euertenda omnia, quæ dicuntur de notitia futuri lapſus ex decreto permittendi peccatum. Auguſt.

Contra

Contra hanc aſſertionem eſt primum argumentum ſumptum ex diuina Scriptura, quæ docet, hominem, cui Deus decreuit ſubtrahere ſuum auxilium, infallibiliter labi, & ruere in malum. Pſal. 80. *Et dimiſi eos ſecundùm deſideria cordis eorum: ibunt in adinuentionibus ſuis.* Idem probari poteſt teſtimonio Concilij ſecundi Arauſicani, & multorum Patrum, quæ videri poſſunt apud Cardinalem Bellarminum: non enim neceſſe eſt illa hîc adducere, cùm certum ſit ex fide, hominem non poſſe ſine diuino auxilio ſtare, neque quoad eſſe naturale, neque etiam ſupernaturale.

Concilium Arauſicanū.

Reſpondeo, dubium non eſſe inter Catholicos de hac re, ſed dubium in hoc ſitum eſt, cùm certum ſit ſecundùm fidem, Deum nullum, maximè iuſtificatum deſerere, niſi ab illo priùs deſeratur, & cùm nullum quantumuis impium deſerat auxiliis ſaltem ſufficientibus ad ſalutem, vt lib. 7. euidenter probabitur, & ſi quem deſerit, in pœnam præcedentium delictorum ille deſeratur, & quicunque peccat, ita peccet, vt poſſit non peccare: vnde nouerit Deus, quòd ſi ſubtrahat homini auxilium efficax, & relinquat illi auxilium ſufficiens, homo infallibiliter ſit peccaturus. non enim poteſt dici, quòd hoc nouerit in decreto ſubtrahendi aliquod auxilium, ſine quo homo non poſſit peccata vitare, neque, quòd hoc nouerit ex eo, quòd ſciat, hominem cum auxilio ſufficienti poſſe quidem peccata vitare, ſed de facto non vitaturum: nam hoc eſt, de quo eſt tota difficultas, vnde ſciat, quòd cùm poſſit peccata vitare, tamen de facto non vitabit.

IX. Secundum argumentum eſt. Si in tempore, quo homo tenetur implere aliquod præceptum, vel exercere aliquem actum virtutis, non prædeterminatur à Deo ad huiuſmodi actum, ille non producet talem actum, & peccabit peccatum omiſſionis. Ergo in decreto non prædeterminandi hominem ad talem actum cognoſcit Deus futurum peccatum. Similiter ſi decreuit prædeterminare hominem ad naturalem actum peccati, cognoſcit, quòd homo infallibiliter peccabit peccatum commiſſionis.

Reſpondeo negandum omnino eſſe antecedens illud, ſi Deus prædeterminare decreuit Petrum ad actum naturalem peccati, ille neceſſariò peccabit, vel ſi non decreuit prædeterminare ad actum virtutis, Petrus peccabit peccatum omiſſionis. Vel dicendum argumentum procedere ex conditionalibus, quas negamus vnquam Deum ponere in eſſe: ſi enim illas poneret in eſſe, euerteret hominis libertatem; & neceſſitaret illum ad peccandum.

CAPVT XXIII.

Dubium tertium expenditur, An præciſo diuino decreto adhuc concipiatur in Deo certa notitia futurorum contingentium.

I. QVæſtio, quæ tangitur in hoc dubio non eſt, an præciſo diuino decreto, tanquam cauſa, & ratione eſſendi ipſorum futurorum contingentium ſaltem per modum concurrentis cum ſecundis cauſis contingentibus, poſſit Deus futura contingentia cognoſcere. Certum enim eſt, quòd, quemadmodum præciſo diuino decreto, neque res contingentes, neque neceſſariæ, neque aliquid omnino eſſe poteſt extra Deum, iuxta ſententiam D. Ioannis in Apocalyp. cap. 4. *Quia tu creaſti omnia, & propter voluntatem tuam erant, & creata ſunt.* Et clariùs in lib. Sapientiæ cap. 11. *Quomodo autem poſſet aliquid permanere, niſi tu voluiſſes? aut quod à te vocatum non eſſet conſeruaretur?* ita præciſo eodem decreto nullum futurum contingens habere poſſet rationem obiecti intelligibilis per ſcientiam viſionis, de qua modò eſt quæſtio. Eſt autem tota quæſtio, an præciſo eodem decreto, vt ratione intelligendi per modum determinantis ipſum diuinum intellectum ad intellectionem futurorum contingentium, adhuc poſſit concipi in Deo perfecta notitia eorundem contingentium. Referuntur in hac re ab Aluarez diſput. 13. nonnulli dicentes, ante decretum diuinum cognoſci à Deo futura contingentia per ſimplicem intuitum veritatis rei, & per infinitatem diuini intellectus. ſed quinam Doctores hoc affirment, videre non poſſum. Scio Molinam, Valentiam, & Vaſquez in locis cap. ſequenti ſtatim allegandis dicere, Deum per infinitatem ſui intellectus, & diuinæ ſcientiæ, & luminis, & per ſimplicem intuitum veritatis rerum cognoſcere ſufficienter futura contingentia. At quòd illa cognoſcat vt futura ante diuinum decretum de ipſis futuris contingentibus creandis, hoc nec dicunt, nec dicere poſſunt, immo Vaſquez id expreſsè negat diſput. 65. num. 9. & 10.

Aluarez.

Vaſquez.

Contra hos autores ponit idem Aluarez concluſionem, quòd ante omne decretum diuinæ voluntatis, ſiue in illo priori ſigno rationis antequam intelligatur in Deo huiuſmodi decretum determinans quid ſit futurum, quid non ſit futurum, nulla propoſitio de futuro contingenti habet determinatam veritatem, ac per conſequens in illo ſigno priori non eſt cognoſcibile etiam à Deo ex ipſa veritate obiecti, quod ſit determinatè futurum. Quam concluſionem multipliciter probat, & rectè. Sed neque autores citati affirmant, vllam propoſitionem de futuro contingenti habere determinatam veritatem ante diuinum decretum de rebus creandis, vel abſolutum, vel ſaltem, ex hypotheſi.

III.

II. Ad hanc igitur quæſtionem dico breuiter, licèt præſcindendo à diuino decreto de futuris creandis tanquam à ratione, & cauſa eſſendi ipſorum futurorum, ob quam illa fiunt obiectum idoneum, vt ad illud terminetur diuina notitia, non poſſit eſſe in Deo certa notitia de ipſis futuris contingentibus, vt futura ſunt: tamen ſi concipiamus diuinum decretum per modum determinantis intellectum diuinum ad intellectionem eorundem contingentium præſcindendo ab ipſo decreto, vt à ratione intelligendi, adhuc poteſt concipi in Deo perfecta notitia eorundem futurorum contingentium. Itaque quanuis de facto præciſo diuino decreto, non poſſit Deus cognoſcere futura contingentia, quia diuinum decretum eſt illis ratio eſſendi: tamen ſi per impoſſibile Deus non cauſaret res per ſuam voluntatem, ſed ageret immediatè per ſuam naturam, quemadmodum nonnulli dicunt ſenſiſſe Ariſtotelem, in quo caſu diuinum decretum non eſſet futuris contingentibus ratio eſſendi, Deus præciſo per impoſſibile quocunque decreto, per ſuam eſſentiam tanquam ſpeciem intelligibilem repræſentatiuam omnis veritatis, & vt formam intellectam repræſentantem diuino

intellectui in nunc æternitatis omnia futura contingentia ſufficienter cognoſceret ipſa futura contingentia. Quæ aſſertio ſic explicata eſt expreſſa mens D. Thomæ in 1. diſt. 38. quæſt. 1. artic. 3. in corpore, vbi propoſita quæſtione ſub iſtis verbis, *Et ideo nunc reſtat inquirendum, vtrùm ſcientia diuina impediatur ratione contingentiæ: contingentia enim duplici ratione videtur effugere diuinam cognitionem*, &c. Quæſtionem ſoluens inter alia dicit: *Quia cùm ſcientia ſit certa cognitio ex ipſa ratione certitudinis etiam excluſa cauſalitate, requirit certitudinem, & determinationem in ſcito.* Et infrà: *Non enim poteſt eſſe, quòd Deus ſimul ſciat, hunc curſurum, & ille deficiat à curſu; & hoc propter certitudinem ſcientiæ, & non propter cauſalitatem.* Clariùs de veritate quæſt. 6. art. 3. vbi diſtinguit certitudinem ſcientiæ, à certitudine ordinis, & cauſalitatis, & docet prædeſtinationem eſſe certam non ſolùm certitudine præſcientiæ, ſed etiam ordinis, & cauſalitatis, quod omnino dicere non potuiſſet ſi certitudo diuinæ præſcientiæ ita penderet ex diuino decreto, quòd illo præciſo non remaneret iſta: non enim poſſet diſtingui certitudo præſcientiæ à certitudine ordinis, & cauſalitatis, ſi illa certitudo, quæ præſcientiæ ineſt, penderet ex decreto, quod habet rationem cauſæ: neque verum eſſet, quod ait ibi D. Thomas, prædeſtinationem addere ſupra prouidentiam certitudinem ordinis, & cauſalitatis: nam aut prouidentia non eſſet certa, aut eſſet certa certitudine diuini decreti; & ſic eſſet certa certitudine ordinis, & cauſalitatis, ſicut etiam prædeſtinatio.

III. Auguſt. Probatur autem noſtra aſſertio euidenti auctoritate D. Auguſtini, & aliorum Patrum, qui dicunt, Deum multa præſcire, quæ non prædeſtinat, & non prædefinit, vt ſuprà dictum eſt, & etiam lib. ſequenti ex profeſſo dicemus. Sed ſpecialiter probatur ex eodem Auguſtino lib. tertio de libero arbitrio cap. 4. vbi inquit: *Non igitur quia Dei præſcientia eſt, neceſſe eſt fieri, quæ præſcierit; ſed tantummodo quia præſcientia eſt, qua ſi non certa prænoſcit, vtique nulla eſt.* Et infrà: *Sicut itaque non ſibi aduerſantur hæc duo, quòd tu præſcientia tua noueris, quod alius ſua voluntate facturus eſt: ita Deus neminem ad peccatum cogens, præuidet tamen eos, qui propria voluntate peccabunt.* Quæ Auguſtini comparatio manifeſtè ſupponit, ex alio capite ſumi certitudinem diuinæ præſcientiæ, quàm ex diuino decreto. Aliàs verè dicere non poſſet, quòd ſicut homo non cogit ad peccandum, quem peccaturum eſſe prænouit, ita nec Deus: nam diceret ſtatim diſcipulus, cum quo ibi Auguſtinus diſputabat, quòd alia eſt ratio de ſcientia hominis, alia de ſcientia Dei. Scientia hominis non pendet ex decreto: ſed ſcientia Dei pendet ex decreto. Demum ipſe Auguſtinus in lib. de prædeſtinatione ſanctorum cap. 9. repetens reſponſionem quandam à ſe traditam argumento Porphyrij in epiſt. 49. quæſt. 2. quæ epiſtola eſt liber Auguſtini de ſex quæſtionibus Paganorum. (erat autem quæſtio Porphyrij, cur Chriſtus, qui ſe dicit ſalutem, & vitam, & in ſe ſolo omnium hominum ſalutem reponit, aduentum ſuum in mundum per tot ſæcula diſtulerit. Cui quæſtioni in dicta epiſtola reſpondit Auguſtinus, tunc Chriſtum, & illuc veniſſe, quando, & vbi ſciebat futuros eſſe, qui in illum eſſent crediturí,) inquit Auguſtinus dicto capite 9. ſe in ea epiſtola ex ratione ſumpta ex ſola diuina præſcientia, ſine præiudicio tamen aliarum cauſarum reſponſionem ſufficientem attuliſſe, quæ ſatis eſſet ad Paganorum perfidiam conuincendam. Senſit igitur Auguſtinus, Deum præciſo etiam decreto ſuæ voluntatis habere certam notitiam de futuris contingentibus: alioquin ratio ſumpta ex ſola præſcientia non fuiſſet ſufficiens ad conuincendam perfidiam Paganorum, nam diceret ſtatim Porphyrius, vndénam ineſt diuinæ præſcientiæ iſta certitudo, quòd tunc, & illic futuri eſſent, qui in Chriſtum crederent? an ex diuino decreto, an aliunde? ſi ex diuino decreto, iam hoc eſt, quod quæro, quare Deus tot ſæculis aduentum ſuum mundo ſubtrahere decreuerit? ſi autem aliunde, iam aliunde præciſo ipſo diuino decreto haberi poteſt certa notitia futurorum contingentium.

IV. Hinc apparet, veram non eſſe doctrinam quorundam recentiorum dicentium, certitudinem diuinæ notitiæ de futuris contingentibus tandem vltimatè reducendam eſſe non ſolùm in præſentialitatem rerum in nunc æternitatis, ſed in diuinum decretum, & prædeterminationem ſecundarum cauſarum non impediendarum; neque illam doctrinam eſſe vllo pacto ad mentem D. Thomæ, cuius ſignum euidentiſſimum apud me eſt, quòd cùm D. Thom. tantopere in tot locis laborauerit, vt inueniret ſolidam rationem huius certitudinis, nunquam meminit huius decreti, neque huius prædeterminationis ſecundarum cauſarum, cùm tamen haberet in promptu hanc rationem reddere, ſi illam ſufficientem reputaſſet: & quòd omnia loca, quæ nonnulli conantur adducere ex D. Thoma ad id probandum, ſunt corrupta, & deprauata, in quibus D. Thom. nihil tale dicit, ſed totum oppoſitum, ſicut ſunt loca illa citata ex 1. parte quæſt. 14. artic. 13. & 2. 2. quæſt. 171. art. 6. ad ſecundum, & ex 1. cont. Gentes cap. 67. ratione tertia & 68. de quibus dictum eſt cap. 20. ad ſecundum argumentum.

V. D. Thom. Contra hanc aſſertionem eſt vnicum argumentum, quoniam D. Thomas in 1. diſt. 39. art. 1. & alij Theologi communiter affirmant, ſcientiam liberam in Deo ſubiectam eſſe imperio diuinæ voluntatis; ob quam cauſam concedunt hanc propoſitionem: Deus poteſt non ſcire illud, quod ſcit. habere aliquem ſenſum verum. Ergo tota ratio certitudinis ſcientiæ liberæ videtur fundari in decreto diuinæ voluntatis.

Reſpondeo, ſenſum D. Thomæ, & Doctorum eſſe, ſcientiam liberam ſubiectam eſſe diuino decreto, & imperio voluntatis non ratione ſui, ſed ratione obiecti ſcibilis. Et D. Thomas loquitur de ſcientia practica, quæ eſt cauſa rerum, non de ſcientia viſionis, quæ ſiue etiam non eſſet in Deo iſtud decretum, adhuc eſſet in illo, vt dictum eſt.

CAPVT XXIV.

Tres aliæ rationes cognoſcendi futura contingentia à Scholaſticis allatæ expenduntur.

Pro

I. PRo complemento ſecundæ controuerſiæ examinandæ ſunt tres aliæ rationes, ex quibus nonnulli Theologi nituntur probare certitudinem diuinæ præſcientiæ de futuris contingentibus. Prima ratio ſumitur ab illis ex cauſalitate, & efficacitate diuinæ præſcientiæ. Secunda ex ideis. Tertia ex infinitate diuini intellectus, & diuinæ præſcientiæ.

Primam rationem aſſignat Palatius in 1. diſt. 39. quæſt. 2. diſp. 2. dub. vltimo, referente Suarez lib. 1. de ſcientia futurorum contingentium c. 5. in principio. Dicit enim, quòd diuina præſciẽtia etiam vt antecedit diuinum decretum, determinauit, quinam effectus contingentes ſint futuri, & eſt de ſe efficax, & ex eius efficacitate diuinus intellectus ſufficienter cognoſcit omnes effectus contingentes futuros. Verùm de cauſalitate diuinæ ſcientiæ, & illius efficacia cap. 12. & duobus ſequentibus. Nunc quod ad rem attinet, breuiter dico, diuinam ſcientiam duobus modis poſſe conſiderari; vno modo, vt eſt determinata per diuinum decretum liberum: alio modo præſcindendo à diuino decreto. Si conſideretur primo modo, dico ex efficacitate diuinæ ſcientiæ poſſe ſumi eandem rationem, quæ ſumitur ex ipſomet diuino decreto, non maiorem, nec minorem, cùm diuina ſcientia non ſit actu cauſa rerum, niſi adiuncto decreto diuinæ voluntatis. Si autem conſideretur ſecundo modo, dico per quamcunque efficaciam ipſius diuinæ præſcientiæ certò ſciri non poſſe aliquod futurum contingens quatenus futurum: quia diuina ſcientia præciſo diuino decreto nullius futuri contingentis eſt cauſa.

Dicetur, quòd ex hoc ſequeretur, eſſe aliquam imperfectionem in diuina præſcientia, ſi dicamus illam eſſe ex ſe indeterminatam circa aliquod obiectum ad iudicandum an illud ſit futurum, nec ne, niſi determinetur priùs à diuina voluntate.

Reſpondeo, ſcientiam diuinam eſſe de ſe indeterminatam ad ferendum iudicium de contingenti, an illud ſit futurum, necne, nullam arguere imperfectionem in ipſa præſcientia, ſed ſolùm in obiecto ſcibili, quod ante diuinum decretum non habet determinatam veritatem, per quam ſit ſubiicibile ipſi diuinæ præſcientiæ. Adhuc diuinam præſcientiam reſpectu obiecti creati determinari per decretum diuinæ voluntatis, nullam dicit imperfectionem in diuina præſcientia; quia per talem determinationem nulla accidit intrinſeca mutatio in ipſa diuina præſcientia, ſed tantùm in re ſcita. Diuina enim præſcientia etiamſi nulla creatura eſſet futura, quoad ſuam ſubſtantiam, eadem omnino eſſet, quæ nunc eſt; licèt quoad illum reſpectum extrinſecum præſcientiæ, quem dicit ad creaturas, non eſſet eadem, ſicut dicit Hugo noſter Victorinus lib. 1. de Sacramentis p. 2. c. 6. Quòd ſi futura non eſſent, in Deo præſcientia non eſſet: ſed nihilominus in Deo fuiſſet, quia ipſa, quæ in Deo eſt, præſcientia fuiſſet.

Hugo Victorinus

II. Circa ſecundam rationem, quæ ſumi poteſt ex diuinis ideis, non multum eſt immorandum, cùm de ea ſatis dictum ſit ſup. cap. 10. Et iuxta ea, quæ ibi dicta ſunt, iterum dicendum eſt, ideas ante liberum decretum diuinum de rebus ad extra creãdis nullum futurum contingens diſtinctè repræſentare: ſed ſolùm repræſentare creaturas, vt poſſibiles: accedente verò decreto eaſdem creaturas repræſentare, vt abſolutè futuras: neque ex hoc ſequi, diuinam eſſentiam, vt idea eſt, accipere vim repræſentandi ex decreto libero, ſed ſolùm ſequi, creaturas ex eodem decreto acquirere eſſe repræſentabile, acquirendo determinatam veritatem, & determinatum eſſe: adeò quòd ex parte repræſentantis tam eſt naturalis repræſentatio, qua diuina eſſentia repræſentat creaturas, vt futuras, quàm illa, qua repræſentat eaſdem, vt poſſibiles: & nihilominus ex parte rei repræſentatæ prima eſt libera, ſecunda verò naturalis. Quod benè declarari poteſt exemplo allato à Scoto 1. diſt. 39. §. *Viſo de contingentia*. Si enim eſſent duo colores, quorum alter eſſet naturaliter oculo præſens, alter verò ſolùm contingenter, oculus ex parte ſua naturaliter videret vtrumque, & nihilominus ex parte rerum viſarum vna fieret viſibilis naturaliter, altera verò liberè, ſeu contingenter.

Ex quo ſequitur, rationem cognoſcendi futura contingentia ſumptam ex ideis eandem omnino eſſe cum illa, quæ ſumitur ex diuino decreto, aut ſaltem illa præciſa ex ſe ſufficientem minimè eſſe.

III. Circa poſtremam rationem eſt ſententia quorundam recentiorum Doctorum, quòd ex infinitate diuini intellectus, & diuini luminis, & altitudine & infinitate diuinæ præſcientiæ, & ex determinata veritate, quæ ipſis futuris contingentibus ineſt, colligi poſſit ſufficiens ratio certitudinis notitiæ futurorũ contingentium: ita ſentiunt Ludouicus Molina dicta quæſt. 14. art. 13. diſp. 14. 15. & 16. §. *In quo ergo ab auctoribus*. Suarez lib. 1. de ſcientia futurorum contingentium cap. 8. Gregor. de Valent. 1. p. quæſt. 14. art. 13. puncto 3. & Vaſquez diſp. 65. cap. 4. vbi dicit, ſe primum poſt Scotum hũc modum dicendi inueniſſe, eúmque in Hiſpaniis, & Romæ publicè docuiſſe, & fuiſſe poſtea in ſcholis à quibuſdam Theologis paſſim vſurpatum. Quid autem in hac cauſa dixerit Scotus, quod illorum iuuet ſententiam, iam indicauimus tum hîc circa ſecundam rationem deſumptam ex ideis, tum ſuprà cap. 10. ad primam rationem ipſius Scoti contra ſecundum dictum, vbi illius verba fideliter retulimus ex 1. diſt. 39. §. *Viſo de contingentia*.

Molina. Suarez. Greg. Valét. Vaſquez.

IV. Hæc illorum doctrina quoad illa, in quibus omnes conueniunt, eſt ſine dubio vera: non eſt tamen nuper excogitata, ſed communis ſententia omnium fere Theologorum, qui docent, certitudinem diuinæ notitiæ de futuris contingentibus ſumendam eſſe ex illorum præſentia in nunc æternitatis, ſiue ex eo, quòd diuinus intellectus ab æterno fertur in eſſe præſens actualis exiſtentiæ, quod aliquando ſunt habitura. Eſt namque hæc ſententia eadem prorſus cum illa, ne pilum quidem ab illa diſcrepans, niſi ſolis verbis: quia idem ſunt in re, certitudinem diuinæ notitiæ ſumi ex determinata veritate, quam habent futura contingẽtia, & illam ſumi ex eo, quòd diuinus intuitus feratur in eſſe præſens actualis illorum exiſtentiæ, cùm futura contingentia nullam habeant determinatam veritatem, niſi ratione illius eſſe præſentis actualis exiſtentiæ, quod habent in aliqua temporis differentia, prout ſuprà dictum eſt. Propoſitiones enim de futuro contingenti non continent determinatam veritatem ratione illius eſſe futuri, quod habent contingentia in ſuis cauſis, neque vt ſunt formaliter de futuro, ſed ratione eſſe præſentis, quod futurum contingens eſt habiturum in ſeipſo extra cauſas. Quòd etiam ſumenda ſit ratio huius certitudinis ex infallibilitate diuini intellectus, & luminis, & diuinæ notitiæ, de hoc nullus Doctor Catholicus vnquam dubitauit. Sed in hoc ſolùm

eſt

est difficultas, quia esto sit infinitus intellectus, infinitum lumen, infinita diuina notitia, tamen si futurum contingens non est de se intelligibile, talis infinitas non sufficit ad illud intelligendum; quemadmodum infinitas diuinæ potentiæ non sufficit ad hoc, vt fiat, quod fieri non est possibile.

V. Vnde infertur primò, falsum esse, quod ait Molina, Deum certò cognoscere futura contingentia, non quidem certitudine, quæ proueniat ex obiecto, quod ex se contingens est, potéstque aliter re ipsa euenire: sed certitudine, quæ prouenit ex illimitata, & infinita perfectione cognoscentis, qui ex seipso cognoscit obiectum, quod de se erat incertum, & fallax. Nam licèt diuinus intellectus non requirat certitudinem in obiecto secundario, vt ex eo accipiat certitudinem suæ notitiæ; requirit tamen illam, vt obiectum aptum sit terminare ipsam notitiam certam diuini intellectus. neque enim infinitas diuini intellectus, vel luminis facit, vt cui de se repugnat intelligibilitas, sit intelligibile: neque hanc inintelligibilitatem illa potest vincere, sicut neque infinitas diuinæ potentiæ vincere potest impossibile facere, neque contradictoria. Quare si obiectum de se est incertum, & fallax, nullam continens determinatam veritatem, vanum est fingere, illud per infinitatem diuini intellectus, vel diuini luminis infallibiliter intelligi posse. Et propterea veritissimè docuit D.Tho. vbique sibi constans, futura contingentia non esse ab vllo intellectu cognoscibilia, nisi pro eo statu, in quo illa continent determinatam veritatem, qui est status præsentialitatis illorum extra suas causas.

VI. Secundò infertur, falsum esse, quod ibi dicit Vasquez, ex determinata veritate, quam habent futura contingentia, modo ab illo declarato tum ibi, tum disputatione sequenti, posse sumi certitudinem notitiæ eorundem contingentium. Vult enim ille, quòd propositiones de futuro contingenti, vt sunt simpliciter de futuro, contineant determinatam veritatem: & idcirco reiicit sententiam Philosophi dicentis, de futuris contingentibus non esse determinatam veritatem, tanquam falsam, & fidei Catholicæ contrariam. Et sic consequenter reiicit sententiam D. Thomæ, qui vbique sententiam Philosophi in hoc probat, & sequitur. Quæ tamen opinio Vasquez absque dubio est falsa, & contra communem sensum omnium sapientum: nam futurum contingens, vt futurum non habet esse certum, & determinatum; & si habet esse certum, & determinatum, iam amittit rationem contingentis. non igitur sumi potest certitudo diuinæ præscientiæ de futuris contingentibus ex determinata veritate illorum, quatenus futura sunt, quia vt sic nullam determinatam veritatem possunt continere.

VII. Tertiò infertur, falsum esse, quod idem Vasquez ait ibidem n. 19. & 20. post Gregorium Arimin. & Gabrielem. tantam esse vim, & perfectionem diuini intellectus, vt etiamsi per impossibile Deus non esset omnipotens, & non esset rerum causa, sed res essent, vel à casu, vel ex aliis causis, nihilominus infinitas diuini intellectus sufficeret ad notitiam eorumdem futurorum contingentium. & illud quòd infrà num. 24. dicit de diuina essentia, quòd etiam ante diuinum decretum res possent in diuina essentia repræsentari, & infinita sua sapientia certò cognosci, etiamsi res essent à casu, vel ex aliis causis. Quia omnis cognitio fit per aliquam repræsentationem, & omnis repræsentatio fit per aliquam assimilationem: at si futura contingentia essent à casu, aut ex aliis causis, & diuina essentia non haberet in se vim causandi illa, & ea sua virtute non contineret, nulla intercedere posset repræsentatio, nulla assimilatio inter diuinam essentiam, & ipsa futura contingentia; omnis nanque assimilatio, vt scitè docet D. Thom. de veritate quæst. 2. art. 14. in corpore, prouenit ex aliqua forma existente in iis, quæ sunt similia, vel formaliter, vel saltem virtualiter, & eminenter. Tribus autem modis fieri potest ista assimilatio, vel quia vnum est causa alterius, vel quia vnum est effectus alterius, vel quia vtrùque est effectus tertij. At in casu posito diuina essentia neque esset causa contingentium, neque effectus, neque vtrunque esset effectus alicuius tertij. ergo nulla similitudo, nulla repræsentatio inter illa intercederet. ergo infinitas diuini intellectus non sufficeret ad illa cognoscenda.

Greg. Arim. Gabriel.

D. Thom.

Quartò infertur, falsum esse, quod idem autor ait ibidem num. 22. quòd licèt possibilitas creaturarum supponat, vt priorem possibilitatem Dei, & illius esse: non tamen supponit Deum, vt potentem producere, aut vt actu producétem ipsas creaturas, quod dicit, se probare infrà disputatione 104. Quia ex hac doctrina sequeretur creaturas esse possibiles in ordine ad aliam potentiam, quàm ad potentiam diuinam, quod est erroneum. Sequela probatur, nam possibile dicitur per aliquam potentiam, vel igitur per potentiam propriam, & hoc dici non potest de re nondum creata; vel per alienam, & ista vel erit alia à diuina omnipotentia, & hoc, vt dixi, est erroneum affirmare, vel per potentiam diuinam, & tùc implicat possibilitatem creaturarum non supponere Deum, vt potentem producere ipsas creaturas. VIII.

Atque tandem ex omnibus antedictis apparet, solam rationem à D. Thoma assignatam, esse veram, & ex se sufficientem ad conciliandam certitudinem diuinæ præscientiæ cum contingentia rerum.

CAPVT XXV.

Tertia principalis controuersia proponitur, an sit in Deo scientia contingentium futurorum ex hypothesi, quã nonnulli vocant scitẽtiam mediam. Et sensus quæstionis declaratur.

I. QVæ hactenus dicta sunt de scientia contingentium futurorum absolutè, sufficere posse videntur, ad cuiusuis ingenium, nisi omnino stupidum, aut obstinatum illud fuerit, conuincendum, ne dicam suadendum, nullo pacto lædi rerum contingentiam, & hominis libertatem per certitudinem infallibilem diuinæ præscientiæ. Verùm quia non ex hoc capite solùm, sed aliis pluribus hostes veritatis humanam libertatem oppugnare nituntur, visum est nonnullis, iisque cumprimis doctis, ac præclaris viris, & in disputando contra præsentium temporum hæreticos non parum versatis, aut non sufficere constituere in Deo scientiam naturalem, qua videt res vt possibiles tantùm; & liberam, qua videt res tantùm, quæ absolutè, & (vt aiunt) de facto futuræ sunt: aut saltem non ita facilè per illas solas tolli posse difficultates contra ipsam humanam libertatẽ emergentes, sed præter illas constituendam esse in Deo tertiam

tertiam quandam ſcientiam, qua videat futura contingentia, quæ non abſolutè futura ſunt, ſed ſolùm ex hypotheſi, ſiue ex ſuppoſitione, quam illi vocant ſcientiam mediam inter abſolutè naturalem, & abſolutè liberam, non quidem per negationem extremorum, ſcilicet quòd ſit aliqua ſcientia in Deo, quæ neque ſub ſcientia naturali, neque ſub ſcientia libera reuera contineatur, hoc enim videtur impoſſibile, cùm omnis ſcientia in Deo, vel antecedat diuinum decretum liberum, & ſic ſit naturalis, vel ſequatur decretum liberum, & ſic ſit libera: ſed quia participat cõditiones vtriuſque ſcientiæ, eo modo, quo & commentator in 3. lib. de Cælo com. 67. dixit, formas elementorum eſſe medias, inter ſubſtantiam, & accidens; quod non ita accipiendum eſt, vt exiſtimauerit, eſſe aliquam naturam mediam inter naturam ſubſtantiæ, & naturam accidentis; ſed quia formæ quatuor elementorum cùm ſint re vera ſubſtãtiæ, participant nihilominus conditiones formarum accidentalium, quarum vna eſt intendi, & remitti. ita ſcientia iſta vocatur ab illius aſſertoribus ſciẽtia media per participationem conditionum ſciẽtiæ tum naturalis, tum liberæ: nam cùm ſecundùm ſubſtantiam ſit ſcientia naturalis, exiſtãtque in Deo ante omnem actum liberum diuinæ voluntatis, nihilominus ratione obiecti participat conditiones ſcientiæ liberæ, quatenus illius obiectum eſt quid contingenter euenièns ex cauſa creata, & libera, ſuppoſito, quòd illa à Deo crearetur, & conſtitueretur in tali ordine, & cum talibus circunſtantiis. De hac ſcientia media grauis controuerſia non multis abhinc annis excitata eſt inter Scholaſticos Doctores, nonnullis contendentibus, illam in doctrina priſcorum Patrum, immo verò in diuina Scriptura non leue habere fundamentum: eſſéque apprimè vtilem ad humani arbitrij libertatem non ſolùm cum infallibilitate diuinæ præſcientiæ, ſed etiam cum efficacia diuini decreti, & diuinæ prædeſtinationis, & cum immutabilitate ordinis diuinæ prouidentiæ, conciliandã & tandẽ ad cauillos hæreticorũ ſoluendos. Aliis è contrario aſſerẽtibus illam neque in doctrina Sanctorum Patrum, neque in diuina Scriptura haberę ſolidum fundamentum: neque vllo modo conferre ad veritates theologicas explicandas, aut humani arbitrij libertatem cum diuina præſcientia, aut cũ diuino decreto conciliandam, aut ad hæreticorum ſophiſmata ſoluenda: neque minùs vtiliter, minúſque dilucidè tot ſæculis ante exortam ſententiam iſtam de ſcientia media à tot Patribus, & à Scholaſticis fuiſſe defenſam Catholicam veritatem: immo ſcientiam iſtam mediam vel ipſa eius nouitate non parum ſuſpectam eſſe, & ſapere manifeſtum Semipelagianiſmum.

Etſi autem decreueram omnino controuerſiam iſtam ſilentio præterire, ne in re tam graui, in qua vt diſcipulus maximè cupio ex aliis diſcere, de opinionibus Doctorum videar velle arbitrari: tamẽ ne quis mihi ſuccenſeat, quòd tem ad totum argumentum huius operis explicandum apprimè vtilem vel inconſideratus, vel malitioſus omiſerim, tria de iſta ſcientia media breuiter dicere conabor. Primò enim aperiam ſenſum quæſtionis, vt ſtatus controuerſiæ inter Doctores percipiatur. Secundò referam fideliter opiniones Doctorum. Tertiò dicam quid in hac controuerſia probabile exiſtimẽ, abſtinendo ab omni cenſura, quippe qui nullo partium ſtudio, ſed ſolùm Catholicæ veritatis illuſtrandæ gratia ſcribo.

II. Vt igitur intelligatur ſenſus quæſtionis, quæ hîc controuertitur, an ſit in Deo ſcientia contingentium futurorum conditionatorum, ſiue futurorum ſolùm ex hypotheſi, & ſub conditione ante omne decretum liberum diuinæ voluntatis. Primò notandum eſt, nomine futurorum contingentium conditionatorum à Scholaſticis præcipuè intelligi actus humanos, qui pendent ex libera hominis voluntate, & pro eodem accipi futura contingentia conditionata, & cõtingentia, quæ non ſunt in re ipſa futura in aliqua temporis differentia, ſed enunciantur futura ſolùm ſub conditione, & ex hypotheſi, id eſt, ex ſuppoſitione. Sicut, verbi gratia, cùm dixit Saluator Matthæi 11. *Si in Tyro, & Sidone factæ fuiſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egiſſent.* Illa pœnitentia eſt futurum contingens cõditionatum, quia nunquam fuit, & nunquam erit, & nõ enunciatur ibi, vt futura abſolutè, ſed vt futura ſolùm ex ſuppoſitione iſta, quòd fierent in Tyro, & Sidone virtutes, quæ factæ ſunt in Iudæa. adeò quòd idem eſt futurum conditionatum, & futurum ex ſuppoſitione.

Portò ſuppoſitio, ſiue hypotheſis dupliciter à Logicis accipi conſueuit, vno modo pro nota coniunctionis, per quam plures propoſitiones categoricæ fiunt coniũctione vna propoſitio hypothetica, in qua neque antecedens, neque conſequens enunciatur abſolutè exiſtere, ſed tantùm enunciatur illatio conſequentis ex antecedenti, ſiue antecedens, ſiue etiam conſequens ſit verum, ſiue falſum & impoſſibile; vt cum dico. Si aſinus eſt rationalis, eſt riſibilis: in hac enim propoſitione neque affirmas, aſinum eſſe rationalem, neque eſſe riſibilem, ſed ſolùm ex hoc antecedenti, aſinus eſt rationalis, ſequi iſtud conſequens, aſinus eſt riſibilis. Alio modo accipitur ſuppoſitio pro propoſitione, quam arguens accipit ſine probatione, tanquam ab aduerſario conceſſam, vel quia ad arguentem non ſpectat illam probare, ſed ſupponitur, vt probata in ſuperiori ſcientia, quo pacto propoſitiones, quæ medium demonſtrationis cõtinent, diuiduntur in dignitates, axiomata, ſuppoſitiones, &c. quo pacto principia ſcientiarum ſubalternatarum dicuntur ſuppoſitiones acceptæ tãquam probatæ in ſcientia ſubalternante. Hæc ſuppoſitio non facit plures categoricas, vnam hypotheticam, & conſequens, quod eſt ex hac ſuppoſitione, enunciatur exiſtens, vel futurum, abſolutè enunciatur exiſtere, vel futurum eſſe, & non enunciatur ſola illatio antecedentis ex conſequẽte. & quòd iſta ſuppoſitio non faciat plures categoricas coniunctione vnam hypotheticam, patet. nam ſi Muſicus conficiat hoc argumentum, proportio in Diateſſeron eſt imperfecta, iſta eſt proportio in Diateſſeron. ergo imperfecta. Maior propoſitio, quæ eſt ſuppoſitio accepta ex principiis Arithmeticæ non fit propoſitio hypothetica coniunctione vna cum concluſione, ſed vtraque remanet categorica. Quòd autem concluſio, quæ deducitur ex huiuſmodi ſuppoſitione, enuncietur verè, & propriè exiſtere, eſt etiam res manifeſta.

III. Hæc verò ſuppoſitio ſecundo modo accepta duplex eſt: altera, quæ cum illo, cui ſupponitur, habet proportionem, vel conuenientiam, vt ſi dicam; ſi Petrus tentabitur de tali peccato, Petrus conſentiet: eſt enim proportio, & conuenientia inter tentationem, & conſenſum, quia tentatio eſt via, & diſpoſitio ad conſenſum: altera, quæ cum eo, cui ſupponitur, nullam habet proportionem, vel conuenientiam, quia non eſt magis diſpoſitio, &

via

Digitized by Google

via ad illud, quàm ad quiduis aliud. Vt ſi dicam, ſi Petrus hodie ſcribet Romæ, cras tonabit Mediolani. Adeò quòd ſingula colligendo tres erunt ſpecies ſuppoſitionis, prima, quæ nihil aliud eſt, niſi notitia illationis conſequentis ex antecedenti ſiue vero, ſiue falſo, per quam propriè fiunt hypotheticæ, & conditionales. Secunda quæ retinet ſimpliciter naturam ſimplicis categoricæ, ex qua enunciatur aliquid verè exiſtere, & habet proportionem, & conuenientiam cum illo, tanquam via, & diſpoſitio ad illud. Tertia quæ ſimpliciter retinet naturam ſimplicis categoricæ, & ex qua enunciatur aliquid verè exiſtere: ſed ad illud nullam habet proportionem, neque conuenientiam. Atque tandem hinc deducimus, tria genera propoſitionum de futuro contingenti conditionato fieri poſſe, prima eſt, in qua non enunciamus verè aliquid futurum; ſed ſolùm enunciamus, veram eſſe illationem conſequentis ex antecedenti. vt cùm dico: ſi homo erit aſinus, homo erit rudibilis. Secunda in qua enunciamus aliquid verè futurum ex ſuppoſitione, quæ habet proportionem, & conuenientiam cum illo tanquam diſpoſitio, & via ad illud. vt cùm dico, ſi talis puella petatur in vxorem, conſentiet in matrimonium. Tertia in qua enunciamus, aliquid futurum ex vera ex ſuppoſitione, quæ cum illo nullam habet proportionem, & conuenientiam. vt cùm dico, ſi gallus cantabit, mare intumeſcet.

In hac controuerſia non eſt quæſtio de futuris conditionatis, quæ enunciantur per primam propoſitionem, ſiue per propoſitionem primi generis: quia nullum eſt tale futurum conditionatum, quod ſit contingens, ſed omne tale vel eſt neceſſarium, vel eſt impoſſibile. nam ſi illatio conſequẽtis ex antecedenti ſit vera, erit etiam neceſſaria, & neceſſariò à Deo cognita. vt iſta: ſi eſt homo, eſt animal rationale. Si autem ſit falſa, erit etiam impoſſibilis, & incognita. vt iſta: ſi eſt homo, eſt lapis. Neque etiam quæſtio eſt de futuris contingentibus conditionatis, quæ enunciantur per propoſitiones tertij generis, quia iſta nullam continent determinatam veritatem: vnde à nullo intellectu etiam diuino ſunt ſcibilia. Remanet ergo tota quæſtio de futuris contingentibus conditionatis, quæ cum conditione ſiue cum ſuppoſitione, quæ illis ſupponitur, habent proportionem aliquam, & conuenientiam, quæ enunciantur futura per propoſitiones ſecundi generis, vt dictum eſt, an huiuſmodi contingentia cognoſcantur à Deo.

IV. Secundò principaliter notandum eſt circa illam particulam, ante liberum decretum diuinæ voluntatis, hanc particulam duobus modis intelligi poſſe, vno modo ante omne decretum abſolutum actu, & realiter exiſtens in Deo: alio modo ante omne decretum conditionatum, & exiſtens in Deo ſolùm ex ſuppoſitione: vt, verbi gratia, ſit ſenſus, eſſe in Deo ſcientiam futurorum conditionatorum, etiamſi ſupponamus, quòd Deus nihil decreuiſſet creare, neque conſtituere ſecundas cauſas liberas in tali, & tali ordine, & cum talibus, & talibus circunſtantiis. In præſenti quæſtione non poteſt eſſe dubium, an ſit in Deo ſcientia futurorum contingentium conditionatorum ante omne decretum liberum conceptum in Deo ex hypotheſi. immo ſupponimus ante huiuſmodi decretum, nihil Deum ſcire poſſe futurum ad extra. & cùm quærimus, an Deus ſciat, quid homo faceret, ſi decreuiſſet conſtituere illum in tali, vel tali ordine, ſupponitur ad hoc futurum conditionatum ipſum liberum decretum diuinum creandi hominem, & conſtituendi illum in tali, vel tali ordine, quod tamen ponimus in Deo non abſolutè, ſed ſolùm ex ſuppoſitione, ſicut etiam iſta contingentia dicimus futura ſolùm ex ſuppoſitione huiuſmodi decreti. Eſt igitur dubium an talis ſcientia ſit in Deo ante liberum decretum reuera exiſtens in Deo, & non ſolùm ex ſuppoſitione. Eſt etiam aliud dubium, quoniam duplex decretum imaginari poſſumus in Deo circa futura contingentia, alterum prædefiniendi, ſeu (vt formaliùs loquamur) prædeterminandi phyſicè omnes cauſas liberas ad futuros illarum actus liberos & contingentes: alterum verò conſtituendi ſolùm ipſas ſecundas cauſas in tali, & tali ordine cum talibus, & talibus auxiliis antecedentibus, & concurrendi etiam cum illis ad actualem operationem, prout quælibet cauſa liberè vel contingenter ſeſe determinare voluerit ad certum actum circa certum obiectum. Eſt itaque dubium, an ante omne decretum prædeterminandi cauſas ſecundas phyſicè ad quoſlibet actus circa quodlibet obiectum exiſtens in Deo vel abſolutè, vel ſaltem ex ſuppoſitione, ſit in Deo certa notitia futurorum conditionatorum. Nam de decreto creandi ſecundas cauſas contiugentes, & conſtituendi illas in tali, & tali ordine, & concurrendi cum illis ad ſingulos actus, iuxta vniuſcuiuſque exigentiam, nulla poteſt eſſe dubitatio; quia ante huiuſmodi decretum exiſtens in Deo, vel abſolutum, vel conditionatum, vel abſolutè, vel conditionaliter, nulla poteſt eſſe in Deo notitia alicuius futuri contingentis ſiue abſoluti ſiue conditionalis.

Quare omnia colligendo, & iungendo, ſenſus quæſtionis præſentis controuerſiæ eſt, an propoſitiones de futuro contingenti conditionales ſecũdi generis ex tribus ſuprà declaratis, ante omne liberum decretum exiſtens in Deo abſolutè, & non ſolùm ex hypotheſi, vel ſaltem ante omne decretum liberum exiſtens in Deo ex hypotheſi prædeterminandi phyſicè ſecundas cauſas contingentes ad ſuos actus, contineant in ſe determinatam veritatem, & vt ſic ſint obiectum diuinæ notitiæ certæ, & infallibilis.

CAPVT XXVI.

Opiniones Doctorum referuntur.

DE iſta ſcientia media tres ſunt Doctorum opiniones præcipuæ. Prima opinio docet, ante omne decretum prædeterminandi ſecundas cauſas liberas, & contingentes ad illarum actus exiſtens in Deo ſiue abſolutè, ſiue etiam ex hypotheſi, Deum ex ſola infinitate diuini intellectus, & luminis, aut ex comprehenſione perfectiſſima liberi arbitrij creati, aut ex ſimplici apprehenſione veritatis exiſtentis in futuris contingentibus conditionatis cognoſcere omnia futura contingentia conditionata, & quidquid faceret quælibet ſecunda cauſa ſiue libera, ſiue contingens, ſi à Deo conſtitueretur in tali ordine, cum omnibus requiſitis ad illam conſtituendam in actu primo, & cum ipſo diuino concurſu ſibi parato ad exeundum in actũ ſecundum, vtrùm exiret in actum ſecundum, & quando, & quomodo. Verbi gratia, quid faceret Adam, ſi Deus decreuiſſet illum creare, & conſtituere in Paradiſo terreſtri, & permittere illum tẽtari: & quid faceret Eua, ſi permitteret illam à ſerpente tentari, an conſenſuri eſſent in peccatum. & I.

hanc

hanc ſcientiam ponunt in Deo ante omne liberum decretum actu exiſtens in Deo. Vnde & vocant illam ſcientiam naturalem ex parte ſcientis, licèt ex obiecto ſcibili quodammodo induat rationem ſcientiæ liberæ: quia eius obiectum eſt quid pendens ex voluntate creata libera ex hypotheſi, quod conſtitueretur in tali, & tali ordine cum talibus, vel talibus circumſtantiis.

Eſt tamen inter autores huius opinionis aliqua varietas in ea declaranda, & præcipuè in explicando medio, in quo huiuſmodi futura contingentia à Deo cognoſcuntur, quemadmodum non eodem modo omnes declarant, quo pacto Deus cognoſcat futura contingentia abſoluta: nam eadem prorſus eſt difficultas de his, & de illis ne latum quidem vnguem diſtans, hoc vno excepto, quòd illa ſunt futura abſolutè, iſta verò ſolùm ex ſuppoſitione. Sed parum referet has declarandi varietates hic recenſere: nam ſi vera ſit opinio, parum retulerit, eam ab aliquibus non recte defendi. Si autem falſa, parum etiam iuuabit conari illam benè defendere, fallitas enim nunquam benè defendi poteſt.

II. Secunda opinio eſt illorum, qui abſolutè negant eſſe in Deo ſcientiam alicuius futuri conditionati, quod non ſit reuera futurum: quibus cum obiiciuntur quædam teſtimonia diuinæ Scripturæ, ex quibus habetur, Deum cognoſcere quædam futura contingentia, quæ reuera non ſunt futura, neque vnquam fuerunt: exempli gratia, cùm legimus lib. 1. Regum cap. 23. Deum reſpondiſſe Dauidi, quòd ſi deſcenderet in Ceilam, viri Ceilæ illum traderent in manus Saulis, & cùm ait Saluator apud Matthæum cap. 11. exaggerans Iudæorum duritiem, *Si in Tyro, & Sidone facta eſſent virtutes quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egiſſent.* Neque enim illa proditio Dauidis, neque illa Tyriorum, & Sidoniorum pœnitentia, vnquam fuerunt, neque vnquam erunt. Reſpondent, Scripturam non indicare his loquendi modis, quòd Deus re vera viderit illa contingentia eſſe futura: nam ſententiam, quæ dicit, Deum verè vidiſſe talia contingentia futura eſſe ex illis ſuppoſitionibus, D. Auguſtinus in lib. de Prædeſtinatione Sanctorum cap. 14. & D. Proſper in epiſtola ad Auguſtinum, quæ præmitti ſolet ante dictum librum Auguſtini recenſent inter errores Pelagianorum, & Semipelagianorum. ſed ſolùm indicare, quòd Deus vidit propenſionem ſecundarum cauſarum ad illos effectus pariendos, ſi poſitæ eſſent in rerum natura illæ ſuppoſitiones, ſcilicet ſi Dauid deſcendiſſet in Ceilam, etſi in Tyro, & Sidone factæ fuiſſent illæ virtutes. Atque hoc modo ſoliti erant reſpondere nonnulli, cùm primùm hæc quæſtio in ſcholis cœpit exagitari; quemadmodum non obſcurè videntur retigiſſe Ianſenius in ſua concordia Euangelica ad c. 11. D. Matth. c. 47. & Ambr. Cathar. in opuſculo de prædeſtinatione p. 2. circa finem. Verùm quia hic dicendi modus manifeſtam vim videtur inferre diuinis Scripturis, & Patribus aperte affirmantibus, Deũ huiuſmodi futura contingentia conditionata certò, & infallibiliter cognoſcere, idcirco

Auguſtinus. Proſper.

Ianſen. Catharinus.

III. Eſt tertia opinio recentiorũ quorundam, qui aſſidua concertatione cautiores effecti confitentur, Deũ huiuſmodi futura conditionata certò, & infallibiliter cognouiſſe: ſed aiunt, illa cognouiſſe in decreto, quo ab æterno ſtatuit eorũ ſecundas cauſas in tẽpore phyſicè prædeterminare ad illorum productionẽ poſitis illis cõditionibus. verbi gratia dicunt, Deũ apud ſe ab æterno decreuiſſe, ſi Dauid iret in Ceilam, phyſicè prædeterminare voluntatem illorum ciuium ad actum traditionis Dauidis in manus Saulis. & ſi in Tyro, & Sidone fierent illæ virtutes, decreuiſſe Tyrios, & Sidonios phyſicè prædeterminare ad actum pœnitentiæ, & ſic ſub conditione ab æterno prædefiniuiſſe actum proditionis Ceilitarum, quoad illius ſubſtantiam, excepta malitia, & pœnitentiam Tyriorum, & Sidoniorum; & in huiuſmodi decreto vidiſſe illa futura conditionata, & in ſimili etiam decreto videre, ſi videt aliquod aliud futurum conditionatũ.

Hinc nonnulli inferunt, hanc ſcientiam nullo modo ad ſcientiam naturalem ſpectare, ſed ſub ſcientia libera contineri: quia (inquiunt) illa non concipitur in Deo ante liberum Dei decretum. Alij verò, vt eorum formalia verba referam, fatentur, veriſſimum eſſe, huiuſmodi futura Deum noſſe, & plus quàm certò, & omni firmitudine: at in decreto conditionato ſuæ voluntatis. Quemadmodum enim nequit intelligi, vt ſit quippiam, quatenus res, vel (vt aiunt) ens futurum abſolutè niſi ex decreto abſoluto voluntatis Dei: ita nihil ſub conditione, niſi ex huiuſmodi voluntatis conditionato decreto, & poſt pauca. *Sunt autem* (inquiunt) *hæc conditionata ſcibilia, & veritatis determinatæ, ergo ab ipſo ſciuntur, quod, & omnia id genus primò concedimus ſenſu bono etiam indicato. Sed negamus, quam inferunt conſequentiam. ergo per ſcientiam mediam. Stat enim vt per eam ſimplicis intelligentiæ, cùm non niſi, vt poſſibilia reuera intelligantur.* Et paucis interiectis. *Quare fieri nequit, vt detur obiectum ſcibile ante liberum voluntatis diuinæ actum, hæc indifferentia, & non determinata, potius quàm alia volentis, & determinantis.* quibus in verbis licèt videantur dicere, hanc ſcientiam non comprehendi ſub ſcientia libera, ſed naturali: tamen cùm dicant, per hanc notitiam, quatenus ea naturalis eſt, non videri huiuſmodi contingentia vt futura, ſed vt poſſibilia ſolummodo, & cùm addant, fieri non poſſe, vt detur obiectum ſcibile, ante liberum diuinæ voluntatis decretum, & actum hæc indeterminata potiùs, quàm alia volentis & determinantis: aut non reſpondent ad quæſitum, quod eſt, non de contingentibus, vt poſſibilia ſunt (de hoc enim nulla eſt quæſtio inter Doctores) ſed vt futura ſunt ex hypotheſi, & poſitis quibuſdam conditionibus. aut contradictoria dicunt, dum aiunt, hanc notitiam non ſpectare ad ſcientiam liberam, ſed naturalem, & nihilominus addunt, fieri non poſſe, vt detur aliquod obiectum ſcibile ante liberum actum diuinæ voluntatis, rem de ſe indeterminatam volentis, & determinantis. aut tandem putant, eam eſſe ſcientiam naturalem, quæ non eſt in Deo, niſi ſuppoſito actu libero diuinæ voluntatis circa obiectum ſcibile, & hoc eſt contra communem doctrinam omnium Theologorum. neque eos iuuat, quòd dicant, iſtud decretum eſſe conditionatum, & non liberum: nam ex eo, quod eſt decretum conditionatum, non tollitur quin ſit verè liberum, & ex conſequenti non ſit in poteſtate diuinæ voluntatis illud ponere, vel non ponere, & etiam conſequenter non fuerit in poteſtate diuinæ voluntatis, hanc ſcientiam habere, vel non habere, ſicut de ſcientia futurorum contingentium abſolutorum dixit D. Thom. in 1. ſentent. diſt. 39. quæſt. 1. art. 1. Quare ſi futura conditionata non ſunt ſcibilia ante liberum decretum actu exiſtens in Deo, ſiue illud ſit abſolutum, ſiue conditionatum. illorum ſcientia naturalis non eſt, ſed libera.

Ripa.

D. Thom.

Aut tandem per liberum decretum exiſtens in Deo conditionatum intelligunt liberum decretum exiſtens in Deo non abſolutè, ſed ſolùm ſub conditione: vt cùm dico, Deus ſcit quid facerent homines de alio mundo, ſi decreuiſſet alium mundum creare: differt autem maximè dicere eſſe in Deo aliquod decretum liberum conditionatum, & dicere eſſe in Deo aliquod decretum liberum ex hypotheſi, & ſub conditione. nam primo modo dicimus decretum reuera eſſe in Deo per modum loquendi abſolutum: dicimus nanque, quòd Deus vult, & decreuit omnes homines ſaluos facere, ſi tamen illi velint mediis ad ſalutem neceſſariis vti. At ſecundo modo non dicimus, decretum eſſe re vera in Deo, neque id per propoſitionem abſolutè abſolutam enunciamus, ſed ſolùm per conditionalem hoc modo, ſi Deus vellet, ſi Deus decreuiſſet. Si autem præfati autores hoc modo intelligi velint, quòd ante liberum actum diuinæ voluntatis conceptum exiſtere in Deo ſaltem ex ſuppoſitione nullum ſit obiectum ſcibile, etiam vt futurum ex conditione, verum dicunt; & ſcientiam futurorum conditionatorum ex hoc capite non repugnat comprehendi ſub ſcientia naturali. Sed hæc illorum ſententia videtur recurrere in primam opinionem, à qua tamen illi totis viribus reſiliunt. nam autores primæ opinionis non negant, ante liberum decretum exiſtens in Deo ſub conditione tantùm, non poſſe Deum cognoſcere futura conditionata, immo conceptis verbis id exprimunt, cùm aiunt, Deum ſcire, quid feciſſet talis, vel talis ſi decreuiſſet illum creare, & conſtituere in tali ordine cum talibus auxiliis, &c. Neque enim iſtud decretum liberum exiſtens in Deo ſolùm ſub conditione: vt dum dico, ſi Deus vellet, aut decerneret, me in tali ordine conſtituere, ſcit quid eſſem facturus, pugnat cum ſcientia naturali, & conſtituit ſcientiam liberam: quia decretum liberum, quod facit ſcientiam eſſe liberam, eſt illud ſolum, quod eſt in Deo abſolutè, & non ſub conditione. Erunt igitur iſtæ duæ opiniones è regione inter ſe pugnantes vna eadémque in re ſententia, & ſolùm erit inter illas diſcordia circa qualitatem diuini decreti, an concipi poſſit in Deo perfecta notitia futurorum conditionatorum, ex ſolo decreto conditionali creandi ſecundas cauſas, & conſtituendi illas in tali, vel tali ordine, & offerendi illis ſuum concurſum præparatum ad exeundum in actum ſecundum pro illarum libertate, & determinatione. An præter illud requiratur decretum prædeterminandi eaſdem cauſas ad ſingulos actus prædeterminatione phyſica, & omnino efficaci. & ad hoc ſolum punctum, mea quidem opinione, videtur tandem redacta tota hæc controuerſia apud nonnullos Doctores. Quare præſens controuerſia, non maiorem, nec aliam difficultatem videtur continere, quàm contineat controuerſia illa de diuinis decretis, & de phyſicis prædeterminationibus, & ex illius ſolutione etiam iſtius ſolutio colligitur. Hæc autem volui adnotare, vt legentes intelligant, in modico eſſe difficultatem, & diſcordias inter Scholaſticos non adeò graues, ac irreconciliabiles eſſe, quin conciliari, & tolli poſſent: niſi aliquando forent, qui ex propria ſententia vellent eſſe diſcordes, quos tentare ad inuicem conciliare, inanis eſt labor, vt de conciliatore Ariſtotelis, & Galeni in quodam ſuo Theoremate Marcus Antonius Zimara vtiliter, & eleganter iocatur.

Rationes verò, inſtantias, ſubtilitates, reſponſiones, redargutiones, hinc inde allatas; amplificatas, & exaggeratas (vtinam ea charitate, & eo inquirendæ virtutis ſolo ſtudio, quæ Doctorem catholicum, ſolius veritatis, & non partium fouendarum ſtudioſum decent) miſſas faciemus, qui nulli ipſarum partium addicti, ſolùm cupimus, ac ſtudemus Catholicam veritatem, & humanam libertatem ab hoſtibus illæſam pro viribus ſeruare.

CAPVT XXVII.

Eſſe in Deo notitiam certam, & infallibilem quorundam contingentium futurorum, ſolùm ex ſuppoſitione, non autem abſolutè.

IN hac opinionum controuerſia dicam breuiter, quid veritati conſentaneum mihi videatur, ſaluo ſemper iudicio meliùs ſentientium, & abſque vlla omnino cenſura: Sit igitur prima propoſitio: Negari omnino non poteſt, eſſe in Deo ſcientiam certam, & infallibilem aliquorum contingentium futurorum ſolùm ex hypotheſi, non autem abſolutè. Hæc propoſitio probatur ex allegata paſſim ab omnibus autoritate in lib. 1. Regum c. 23. vbi Dauide conſulente Dominum, *ſi tradent me viri Ceilæ, & vires, qui ſunt mecum in manus Saul*, Dominus reſpondit, *tradent*. illud autem fuit futurum conditionatum, non autem futurum abſolutè. & apud Matthæum c. 11. vbi Saluator ait: *Væ tibi Corozain, væ tibi Bethſaida, quia ſi in Tyro, & Sidone factæ eſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egiſſent.* quod contingens fuit futurum ſolùm ex ſuppoſitione, non autem abſolutè. I.

Reſpondetur à nonnullis, Scripturam non indicare his modis loquendi, Deum reuera cognouiſſe, illa contingentia eſſe futura, ſi poſitæ fuiſſent illæ conditiones: ſed ſolùm indicare, quòd cognouit diſpoſitionem ſecundarum cauſarum ad producendos illos effectus, ſi poſitæ fuiſſent illæ conditiones, nempe, quòd animi Ceilitarum erant diſpoſiti ad Dauidem tradendum, ſi ille iuiſſet Ceilam, & quòd Tyrij, & Sidonij erant diſpoſiti ad agendam pœnitentiam, ſi vidiſſent illa miracula, quæ Chriſtus fecit ante oculos Iudæorum. Quam reſponſionem confirmant autoritate Gloſſæ interlinearis in illum locum ex 1. Regum cap. 23. quæ exponit illa verba, *tradent te*, id eſt, voluntatem habent tradendi te. Potuiſſent addere teſtimonium D. Thomæ 2. 2. quæſt. 171. art. 6. ad ſecundum, & de veritate quæſt. 12. art. 10. vbi exponit propheticas comminationes, quibus aliquando prædicuntur nonnulla futura, quæ poſtea non eueniunt, ad hoc vt ſint vera, ſufficere, quòd talis fuerit diſpoſitio ſecundarum cauſarum, vt non impedita pareret tales effectus. Gloſſa interlinear. D. Thom.

Verùm hæc reſponſio non videtur vera ob multiplicem cauſam. Primò, quia videtur eſſe manifeſtè contra diuinam Scripturam, nam Scriptura manifeſtè dicit Deum illa futura cognouiſſe: nam ſi Chriſtus certò non cognouiſſet Tyrios, & Sidonios acturos pœnitentiam, vanè exaggeraſſet duritiem Iudæorum comparatione Tyriorum, & Sidoniorum. Deinde ſi ſic liceret diuinam Scripturam exponere, & quod illa euidenter dicit, in dubium reuocare, periret tota illius certitudo. Certè D. Auguſtinus lib. 3. de Doctrina Chriſtia II. Auguſt.

Digitized by Google

Christiana dicit, sensum literalem diuinæ Scripturæ semper retinendum, & omnibus aliis præferendum, quando ad illum nullum sequitur absurdū: Si autem dicamus Deū re vera cognouisse, an Ceilitæ prodituri essent Dauidem, & an Tyrij, & Sidonij acturi essent pœnitentiam, si vidissent miracula ante oculos Iudæorum facta, nullum sequitur absurdum. Cur non ergo hunc sensum retineamus?

Secundò repugnat ista responsio doctrinæ D. Augustini in lib. de bono perseuerantiæ cap. 10. vbi proposita quæstione, si Deus præuidit Tyrios, & Sidonios acturos pœnitentiam, visis illis miraculis, cur illa coram eis non fecerit, cùm se omniū salutem tantopere fateatur exoptare? Respondet ex sententia cuiusdam Doctoris Catholici, quam probat, Deum præuidisse quòd post peractam pœnitentiam essent nihilominus ad peccata reuersuri, & sic in die iudicis forent durius puniendi: & ideo mitiùs egisse Christum cum illis, non patrando coram eis illa miracula, vt mitiùs puniantur. Quam responsionem tacitè videtur innuere ipse Saluator post illa verba relata Matthæi 11. subijcit enim, *verumtamen dico vobis, Tyro, & Sidoni remissius erit in die iudicij, quàm vobis.* Præterea idem Augustinus in eodem lib. cap. 14. multis verbis testatur, Christum reuera cognouisse, quòd Tyrij, & Sidonij fuissent acturi pœnitentiam, si coram eis illa signa patrata fuissent. & inter alia sic scribit: *Non ergo erant sic excæcati oculi Tyriorum, & Sidoniorum, quoniam credidissent, si qualia viderunt illi, signa vidissent.*

August.

III. Quòd si quis dicat, Augustinum dicere quidem quòd Tyrij, & Sydonij fuissent crediturī, at non dicere, quòd talis cognitio fuerit omnibus modis certa cùm fuerit certa, solùm considerata dispositione causarum, vel moraliter, sicut de facto nonnulli respondent. Hæc responsio tollitur primò, quia illa non potest accommodari testimonio citato ex illo cap. 10. ibi enim August. loquitur de cognitione certa, & euidenti, cùm dicat, idcirco noluisse Christum coram eis illa signa facere, quia præuidit illos post fidem susceptam, relapsuros in Apostasiam: & ideo mitiùs cum illis egisse, ne grauiùs puniantur in die iudicij. Secundò, quia data huiusmodi responsione vnum ex tribus necessariò sequitur, aut Scripturam affirmare rem omnino dubiam pro certa, & constanti, & nolle quòd possit negari tanquam incertum, & dubium, quod reuera est incertum, & dubium; aut veritatem certam & infallibilem Christum certò, & infallibiliter minimè cognouisse; aut istā veritatem vt certam, & infallibilem certò, & infallibiliter agnouisse. primum, & secundum omnino dici non possunt. ergo tertium.

D. Thom.

Tertiò repugnat eadem responsio doctrinæ D. Thom. Esto enim dicat D. Thom. ad hoc, vt prophetia comminationis sit vera, sufficere, si cognoscantur dispositione, secundarum causarum ad huiusmodi futura producenda: docet tamen, solam notitiam dispositionis secundarum causarum esse de se imperfectam, & incertam, & coniecturalem tantummodo; & ideo quia in Deo non potest poni notitia coniecturalis, & imperfecta, semper notitiam dispositionis, & ordinis secundarum causarum ad huiusmodi futura contingentia producenda, coniunctam esse cum certa notitia exitus, & executionis eiusdem ordinis: adeò quòd semper Deus videt simul, quam dispositionem, & quem ordinem habent secundæ causæ contingentes ad singulos effectus contingentes producendos, & videt quem exitum habebit talis ordo, an de facto hæc, vel illa causa sit effectum productura, an impedimentum habitura, ne effectum producat, & ex hoc capite diuina notitia est certa, & infallibilis. ita docet D. Thomas vt alia loca omittam in 2. 2. quæst. 171. art. 6. ad secundum vbi ait: *Quamuis futura contingentia, prout sunt in seipsis, sint determinata ad vnum: tamen prout sunt in suis causis, non sunt determinata, quin possint aliter euenire. & quamuis ista duplex cognitio semper intellectui diuino cōiūgatur nō tamē coniūgitur semper in reuelatione prophetica.* Et clariùs in q. 12. de veritate a. 10. *Circa futurorū* (inquit) *cognitionē duo est considerare, scilicet ipsum ordinem secundarū causarum ad futuros effectus, & exitum siue executionem ordinis in hoc quòd effectus procedunt à suis causis. Quecunque igitur virtus creata aliquam cognitionem habet de futuris, sua cognitio non fertur nisi ad ordinem causarum, sicut medicus secundùm hoc dicitur mortem futuram præscire, in quantum scit naturalia principia ordinata ad effectum mortis*, &c. *sed Deus non solùm cognoscit futura ratione ordinis causarum, sed etiam quantum ad ipsum exitum, vel executionem ordinis.* & ex hoc paulò inferiùs concludit, quòd remanet solius Dei proprium, verè scire futura. Repugnat itaque apertissimè sententiæ D. Thomæ ponere in Deo aliquam notitiam ordinis, vel dispositionis secundarum causarum ad aliquos effectus, non coniunctam cum notitia exitus, & executionis talis ordinis, qua videat, an ipsæ secundæ causæ de facto sint tales effectus parituræ, an sint impedimentum habituræ, ne illos producant: quia talis notitia coniecturalis est, & omnino incerta. Vnde qui dicunt, Deum vidisse solùm propensionem animi Ceilitarum ad prodendum Dauidem in manus Saulis; non autem vidisse quem exitum foret habitura talis animi propensio, & Christum cognouisse solùm dispositionem Tyriorum, & Sidoniorum ad fidem recipiendam, non autem vidisse, vtrùm de facto illam essent recepturi, ponunt in Deo notitiam incertam, & coniecturalem, & aduersantur doctrinæ D. Thomæ.

IV. Quartò repugnat eadem responsio manifestissimæ rationi. Nam Dauid consulens Deum, an Ceilitæ illum essent proditurī, non tantùm consuluit, vt sciret illorum animi dispositionem, sed multò magis vt sciret effectum, & an reuera illum essent de facto prodituri. Si ergo Deus respondisset solùm de dispositione causarum, & non magis de euentu ipso, non ad votum respondisset, sed potiùs consulentem ambigua responsione delusisset ad instar Delphici oraculi, aut similium. Deinde vel Deus ignorabat Ceilitas de facto ipsum Dauidem fore proditurōs: vel sciebat, non esse proditurōs; vel sciebat esse proditurōs. Si datur primum. ergo falsum dedit responsum, quia respondit, certò futurum, quod ignorabat certò futurum, & sic dixit se scire, quod reuera nesciebat. Si secundum, & dem, modò falsum dedit responsum: quia dixit, proditurōs esse, quos sciebat non esse proditurōs. Si dicatur tertium, sequitur, Deum cognouisse non solùm dispositionem, & ordinem voluntatum virorum Ceilæ ad illam proditionem, sed etiam eiusdem ordinis exitum, & executionem.

Tertiò si Deus respondit solùm de causarum dispositione, & non de ipso euentu, eo

tentiis. Ex quibus patet, nihil minus conuenire doctrinæ D. Augustini, quàm responsionem allatam.

VII. Quid autem dicere voluerit Augustinus in illis verbis à respondente citatis ex lib. de Prædestinatione sanctorum cap. 14. facilè intelliget, qui legerit verba illius de bono perseuerantiæ cap. 10. ad finem in illis verbis: *Ego verò quantum ad hoc, quod ago, attinet, sufficere video, vt secundum istam quoque sententiam demonstrentur, homines non iudicari de iis, quæ non fecerunt, etiamsi facturi fuisse præuisi sunt.* Hoc erat nouum illud genus absurditatis Semipelagianorum, de quo Prosper in epistola ad Augustinum, quod vbique refutat Augustinus, quod adeò absurdum reputat, vt loco proximè citato tandem subiungat: *Quanquam, vt dixi, hanc opinionem, qua putantur in morientibus, vel mortuis vindicari peccata, qua præsciti sunt facturi esse, si viuerent, etiam refellere pudeat, ne videamur & nos æstimare, aliquius esse momenti, quam maximus disputatione cohibere, quàm silentio præterire.* Non est autem absurdum illud, contra quod tam acriter inuehitur Augustinus, Deum scire, quid quisque facturus esset, si diutius viueret. hoc enim in tantum abest, vt habeat pro absurdo, quòd vbique illud confitetur, vel etiam vbi refutat illud absurdum, sicut monstrant illa verba proximè citata, *etiam si facturi esse præuisi sunt.* & illa, *qua præsciti sunt facturi esse, si viuerent.* Et tandem assumit sibi pro præcipuo fundamento ad beneficium diuinæ prædestinationis commendandum, amplificandum, exaggerandum. Quæ omnia oportuit adnotare propter nonnullos, qui homines terrent autoritatibus D. Augustini.

August.

CAPVT XXVIII.

Scientiam futurorum contingentium conditionatorum non supponere in Deo liberum decretum existens in Deo absolutè, neque etiam ex suppositione prædeterminandi physicè secundas illorum causas.

I. SEcunda propositio: Scientia futurorum contingentium conditionatorum non supponit in Deo liberum decretum prædeterminandi physicè secundas illorum causas contingentes ad productionem talium futurorum: sed omne tale decretum, & quodcunque aliud decretum liberum actu existens in ipso Deo antecedit. Hæc propositio quadruplici argumentorum genere potest probari. Primò testimoniis diuinæ Scripturæ: Secundò testimoniis SS. Patrum, præcipuè D. Augustini: Tertiò testimoniis Scholasticorum, maximè D. Thomæ: Quartò rationibus Theologicis. Et quidem ex diuina Scriptura possent adduci testimonia, quibus solet probari, futura contingentia, quæ actu sunt futura in rerum natura non esse per aliquod diuinum decretum antecedens efficaciter prædefinita, neque illorum causas physicè in tempore ad illa prædeterminari, & quibus probatur, futura contingentia absoluta præcognita esse à Deo etiam præciso quocunque libero decreto. Eadem enim est prorsus ratio de his, & de illis. Sed illis modò omissis, probanda est nobis in hoc capite testimoniis sanctorum Patrum, maximè verò D. Augustini: in aliis verò duobus sequentibus probabitur testimonio Scholasticorum, & ratione,

Et vt incipiamus ab autoritate D. Augustini, primum testimonium sumitur ex locis capite præcedenti allegatis ad probandam primam conclusionem, maximè ex lib. de bono perseuerantiæ cap. 9. cùm ait: *Certè poterat illos Deus præscius esse lapsuros, antequam id fieret, auferre ex hac vita.* Et ex lib. de Correptione, & gratia cap. 8. cùm ait: *Respondeant, si possunt, cur illos Deus, cùm fideliter, & piè viuerent, non tunc de vita huius periculis rapuit, ne malitia mutaret intellectum eorum, aut ne fictio deciperet animam eorum. Vtrum hoc in potestate non habuit: an eorum futura mala nescuit? Nempe nihil horum nisi peruersissimè, & insanissimè dicitur.* Hæc testimonia, hi modi loquendi apertè indicant, illa futura conditionata, de quibus ibi Augustinus loquitur, non esse cognita à Deo in aliquo decreto antecedente, quo illorum causas decreuerit ab æterno physicè in tempore ad eorum productionem prædeterminare. Quia stante huiusmodi decreto non habuit ampliùs in sua potestate illa mala opera impedire, etiam quoad substantiam actus: sicut semel supposito in Deo decreto de mundo creando, non habet ampliùs in sua potestate nolle mundum creare. Aut igitur concedendum est, Deum præcognouisse illorum futura mala opera, de quibus Augustinus loquitur, sine decreto libero prædeterminandi physicè eorum voluntates ad talia opera secundùm illorum substantiam: aut falsum docet Augustinus, cùm ait, Deum potuisse illos auferre ex hac vita antequam caderent. Secundum dici non debet. ergo primum. II. Augustin.

Secundum testimonium colligitur ex eodem libro de bono perseuerantiæ cap. 10. vbi reddens rationem illius quæstionis, cur Deus noluerit apud Tyrios, & Sidonios fieri illa signa, quibus visis illi essent in Christum crediturі. refert responsionem illius Doctoris Catholici, quem etiam encomiis commendat, dicentis, præsciuisse Dominum Tyrios, & Sidonios à fide fuisse postea recessuros cùm factis apud se miraculis credidissent: & misericordia potiùs eum illic ista miracula non fecisse; quoniam grauiori pœnæ obnoxij fierent, si fidem, quam tenuerant, reliquissent, quàm si eam nullo tempore tenuissent. hic locus diligentissimè notandus est. Primò, quia ex hoc habetur, vsum scientiæ mediæ fuisse antiquissimum, in Ecclesia Dei apud Catholicos; neque inter Catholicos, & Semipelagianos fuisse vnquam de hac re controuersiam: alioquin D. Augustinus non retulisset hanc responsionem illius Doctoris, quæ tota in scientia media futurorum conditionatorum fundata est, vt patet etiam lippo, & ignaro: aut si retulisset, non eam probasset, non istum Doctorem tot encomiis, tot epithetis exornasset, vocans eum Catholicum, nobilem, doctum, acutum, immo acutissimum: sed saltem errorem in ea latentem indicasset. Secundò ex eodem loco habetur, futura illa conditionata fuisse à Deo cognita, & non in aliquo decreto prædeterminandi voluntatem Tyriorum, aut Sidoniorum. Quomodo enim est intelligibile, Deum prædefiniuisse eos prædeterminare ad actum fidei, & ad actum apostasiæ, quam præuidebat secuturam ex suppositione, quòd visis illis signis essent crediturі? Si decreuit illis non exhibere talia signa, vt crederent, ne à fide recedentes acriùs punirentur. Hæc enim duo apertè repugnant, Deum absolutè decreuisse, vt non fierent coram illis ea signa, ne credentes, III.

& poſtea à fide recedentes, grauiùs forent puniendi, & Deum decreuiſſe illos prædeterminare ad actum fidei. addo etiam (ex ſententia ponentium phyſicas prædeterminationes) ad actum apoſtaſiæ, quoad eius ſubſtantiam ex ſuppoſitione, quòd fierent coram eis talia ſigna. Addo, cùm illa ſuppoſitio, nempe faciendi corã eis illa ſigna, ex ſola Dei voluntate penderet, frigidè admodum dici, Deum decreuiſſe prædeterminare Tyrios, & Sidonios ad actum fidei, ſi fierent coram eis illa ſigna: quia hoc eſſet nihil aliud dicere, niſi dicere, decreuit dare eis fidem, ſi decreuiſſet facere coram eis miracula.

IV. Tertium teſtimonium ſumitur ex epiſtola 49. quæſt. 2. vbi ſoluens quæſtionem Porphyrij, quærentis, quare Chriſtus tot ſæculis aduentum ſuum in mundum diſtulerit, & præſentiam ſuam tot gentibus ſubtraxerit. Reſpondet Chriſtum veniſſe tunc, & illuc, quando, & vbi ſciebat, futuros eſſe qui in illum eſſent crediturí. Quam reſponſionem expendens in lib. de Prædeſtinatione ſanctorum cap. 9. poſt multa ait: *Cernitis ne me ſine præiudicio latentis conſilij Dei, & aliarum cauſarum, hoc de præſcientia Dei dicere voluiſſe, quod conuincendæ Paganorum infidelitati, qui hanc obiecerant quæſtionem, ſufficere videretur.* Idem repetit in libro de bono perſeuerantiæ cap. 9. Ex hoc loco tria maximè notatu digna eliciuntur. Primum, Auguſtinum ipſum vſum fuiſſe ſcientia futurorum conditionatorum ad Paganorum quæſtiones ſoluendas, & illorum perfidiam conuincendam. Secundum, Auguſtinum, etſi doctrinam à ſe traditam in illa quæſtione 2. retractauerit, quantum ad id, quod videbatur referre cauſam diuinæ prædeſtinationis in præſcientiam boni vſus liberi noſtri arbitrij: nunquam tamen illam retractaſſe quoad id, quod dixerat, Deum ab æterno præuidiſſe, quando, & vbi futuri eſſent, qui in illum eſſent crediturí, cùm eandem doctrinam probauerit in libris de Prædeſtinatione ſanctorum, & de bono perſeuerantiæ, quos ſenio confectus, & morti proximus ſcripſit. Tertium eſt, in ſententia Auguſtini Deum certò cognouiſſe futura contingentia conditionata, etiam præſcindendo à diuino decreto. Nam ille ait, ſe ex ſola diuina præſcientia ſine præiudicio latentis conſilij diuini, & aliarum cauſarum attuliſſe rationem, & reſponſionem, quæ ſufficeret ad Paganorum perfidiam conuincendam. Hoc autem eſt dicere, etiam præſcindendo à diuino decreto Deum cognoſcere potuiſſe, qui, & quando eſſent in eum crediturí, ex hypotheſi, quòd in mundum veniſſet, & miracula feciſſet, & alia, quæ reuera fecit. Quod euidentiſſimè probatur ex hoc, quia niſi ſic dicamus, Auguſtinus argumentum Porphyrij non ſolùm non ſoluiſſet, ſed maximè roborare tidiceret enim Porphyrius: Vnde ſciuit Chriſtus, quòd quando venit, & vbi venit, futuri eſſent homines, qui in illum eſſent crediturí? ſi dicatur, inde id cognouiſſe, quia cognouit ſuum decretum, quo ab æterno definierat, tunc prædeterminare homines ad credendum, & non priùs, illos, & non alios, ibi, & non alibi, hoc eſt de quo maximè quæro. Cur veſter Chriſtus, qui in ſe ſolo vult reponi omnium ſpem, & ſalutem, qui ſe prædicat omnium Saluatorem, & vitam, decreuit hos ſolos ad fidem vocare, & non alios; tunc, & non priùs; ibi, & non alibi. profectò ſi certitudo diuinæ præſcientiæ in iſtud decretum eſt renocanda, reſponſio Auguſtini perfidiam Paganorum non ſolùm non conuinceret, vt ille ait, ſed maximè foueret.

Quartum teſtimonium ſumitur ex lib. de bono perſeuerantiæ cap. 9. vbi de Tyriis, & Sidoniis verba faciens, ita ait: *Sed nunquid dicere poſſumus, Tyrios, & Sidonios talibus apud ſe virtutibus factis credere noluiſſe, aut creditures non fuiſſe, ſi fierent cum eis? Ipſe Dominus teſtatur, quòd acturi eſſent magnæ humilitatis pœnitentiam, ſi in eis facta eſſent diuinarum ſigna illa virtutum.* Quod teſtimonium neque negari, neque gloſſari poteſt. Neque dici poteſt, Chriſtum cognouiſſe illos acturos pœnitentiam in decreto, quo decreuerat illos ad pœnitentiam prædeterminare, quia Auguſtinus ipſe cap. 14. refundit certitudinem diuinæ præſcientiæ de illorum pœnitentia, non in diuinum decretum, ſed in propenſionem, & diſpoſitionem voluntatis illorum. Sic enim ait: *Ex quo apparet habere quoſdam in ipſo ingenio diuinum naturaliter munus intelligentiæ, quo mouentur ad fidem, ſi congrua ſuis mentibus vel audiant verba, vel ſigna conſpiciant.* Et loquebatur de iiſdem Tyriis, & Sidoniis verſans circa illam ſententiam apud Matthæum 11. *Si in Tyro, & Sidone*, &c. Et infrà: *Non erant ergo ſic excæcati oculi, nec ſic induratum cor Tyriorum: quoniam credidiſſent, ſi qualia viderunt iſti, ſigna vidiſſent.* Dicetur, D. Auguſtinum ſubiungere: *Audiunt enim hæc, & faciunt quibus datum eſt: non autem faciunt, ſiue audiant, ſiue non audiant, quibus datum non eſt.* Quibus in verbis videtur apertè reducere certitudinem futuræ pœnitentiæ in decretum dandi illis media efficacia ad pœnitentiam peragendam. V.

Reſpondeo, nullum negare poſſe, ad pœnitentiam peragendam neceſſarium eſſe auxilium gratiæ præuenientis: ſed Auguſtinus in iſtis verbis, non reddit rationem, cur illi feciſſent pœnitentiam, ſi vidiſſent illa ſigna: ſed reddit rationem, cur non fecerit ſigna, quibus viſis ad pœnitentiam conuerſi fuiſſent. Et rationem inquit fuiſſe, quia non erant altiori Dei iudicio ex maſſa perditionis diſcreti. rationem verò, ob quam cognoſcebat, quòd ſi feciſſet coram eis illa ſigna, & dediſſet efficax auxilium, & vocatione congrua illos vocaſſet, illi fuiſſent crediturí, non aſſignat ex eo capite, ſed ex eo, quòd haberent in ipſo ingenio diuinum naturaliter munus intelligentiæ, quo mouerentur ad fidem, ſi congrua ſuis mentibus vel audirent verba, vel viderent ſigna: & oculi eorum non erant ſic excæcati, neque cor illorum ſic induratum, vt non crederent, ſi qualia viderunt Iudæi, ſigna vidiſſent.

Quod ex eo maximè confirmatur, quia ſi certitudo præſcientiæ Chriſti de futura illorum pœnitentia reducatur in diuinum iſtud decretum, eneruabitur tota illa obſtinationis Iudæorum increpatio, & exaggeratio, qua illos Saluator perſtringit comparatione Tyriorum, & Sidoniorum. dicere nanque poterant Iudæi: Quid nobis Domine ſuccenſes, quòd factis tot ſignis tibi non credamus, quibus viſis Tyrij, & Sidonij eſſent crediturí? Si nos quoque ad pœnitentiam, ſicut illos prædeterminare decreuiſſes, nos etiam quemadmodum & illi pœnitentiam ageremus. at ſine tua illa phyſica prædeterminatione hoc omnino agere non eſt in noſtra poteſtate.

Neque ſatisfacit illorum reſponſio, qui dicunt, Iudæos iure increparos fuiſſe, quia maiora impedimenta oppoſuerunt diuinæ gratiæ, quàm Tyrij, & Sidonij: vel eorum, qui dicunt, Tyrios, & Sidonios etſi non eſſent magis diſpoſiti poſitiuè, fuiſſe tamen magis diſpoſitos negatiuè,

negatiuè, quia minora habebant impedimenta. Nam ſicut dicit Auguſtinus de prædeſtinatis, & non prædeſtinatis, quòd nec Tyriis profuit, quòd poterant credere, quia prædeſtinati non erant: nec Iudæis obfuiſſet, quòd non poterant credere, ſi prædeſtinati eſſent. quia audiunt, & faciunt hæc, quibus datum eſt: non autem faciunt ſiue audiant, ſiue non audiant, quibus datum non eſt: ita ſi tota certitudo pœnitentiæ Tyriorum, & Sidoniorum in ſolum decretum prædeterminandi illos eſſet reducenda, neque Tyriis profuiſſet, quòd minora, neque Iudæis obfuiſſet, quòd maiora opponerent impedimenta. & ſic tota illa exaggeratio omnem vim amitteret.

Præter quod cùm in ſententia eorum, qui phyſicas admittunt prædeterminationes, nullus ſine eo, quòd phyſicè prædeterminetur ad ſingulos actus, valeat maiora vel minora impedimenta opponere diuinæ gratiæ, neque eadem impedimenta auferre, nulla videtur eſſe iſta reſponſio, quæ ex maioribus vel minoribus impedimentis gratiæ oblatis deſumitur, cùm iſta maior, vel minor impedimentorum oppoſitio non in hominum voluntates, ſed in diuinum decretum ſit finaliter reiicienda.

VI. Quintum teſtimonium Auguſtini ſumitur ex lib. 1. ad Simplicianum quæſt. 2. vbi diſtinguit duplex genus diuinæ vocationis, quarum alteram vocat congruam, & eſt illa, qua Deus ita vocat hominem ſicut ſcit, quòd vocatus audiet, & conſentiet. Alteram non congruam, & eſt illa, qua vocat hominem iis modis, quibus ſcit, quòd vocatus non conſentiet. Hæc diſtinctio manifeſtè ſupponit, quòd ante decretum vocandi aliquem, Deus ſciat, quòd tali, & tali modo vocatus conſentiet: aliis autem modis vocatus minimè conſentiet: quod eſt ponere in Deo ſcientiam futurorum conditionatorum ante liberum decretum.

Quòd ſi dicatur, vt nonnulli dicunt, Deum ita vocare homines, ſicut nouit illos vocationem ſecuturos, quia ita vocat, ſicut nouit ſe facturum, vt ſequantur vocationem: ſicut dicimus illum vocaſſe Lazarum reſuſcitandum eo modo, quo ſciebat, quòd illum eſſet reſuſcitaturus. Quod alij magis explicant, dicentes Auguſtinum nihil aliud ſignificare voluiſſe, niſi gratiæ ſuæ vim, & energiam Deum non ignorare, quia nonnullos ita vocat, vt obſequentes faciat: ideo vocatos videat ſecuturos, quia vocando facturus ſit, vt ſequantur. quam reſponſionem videntur probare ex Auguſtino in lib. de Prædeſtinatione ſanctorum cap. 9. 10. & 12. & de bono perſeuerantiæ cap. 14. quibus in locis Auguſtinus ait, quòd prædeſtinatione Deus ſua dona præſciuit, quæ fuerat ipſe facturus.

Vt omittamus, hunc modum dicendi plauſibilem admodum ſemper fuiſſe Caluino, quippe qui ex hoc fundamento potiſſimum nititur probare, liberum hominis arbitrium in ipſo actu noſtræ conuerſionis ſolùm paſſiuè ſe habere, quia in illo Deus facit, vt faciamus, & quia reſuſcitatio ſpiritualis ſimilis eſt reſuſcitationi corporali. *Quid enim* (dicebat Caluinus) *homines mortui præſtiterunt, quando Chriſtus mortuos reſuſcitabat?* Quod fundamentum benè euertit Bartholomæus Camerarius lib. 2. de libero arbitrio cap. 3. quia cùm miraculo homo reſurgit in corpore, eo inſcio, & nullum conſenſum præbente, totum negotium perficitur: at cùm quis ſpiritualiter reſurgit (de adulto loquimur) id abſque illius conſenſu minimè perficitur, qui motus à Deo mouetur ad præſtandum ipſum conſenſum & detestandum peccatum: quod non ideo dixerim, vt ſic reſpondentes Caluiniani erroris velim notare, abſit, ſed ſolùm vt appareat, quam conuenientiam cum ſententia Caluini habeat ſententia eorum, qui dicunt, quando Auguſtinus ait, Deum homines vocare iis modis, quibus ſcit, quòd vocati audient, & conſentient, nihil aliud velle ſignificare, quàm gratiæ ſuæ vim, & energiam, qua ita homines vocat, ſicut Chriſtus vocauit Lazarum, & qua ita vocat, vt obſequentes faciat.

Barth. Cam.

Quod ſpectat ad doctrinam Auguſtini, iſtam reſponſionem eidem doctrinæ omnino accommodari non poſſe apertè oſtenditur ex eo, quòd Auguſtinus in tota illa ſecunda quæſtione ad Simplicianum congruentiam diuinæ vocationis fundat non in energia & efficacia diuinæ gratiæ, ſed in proportione, & conuenientia, quam habet cum humanis propenſionibus, affectionibus, & inclinationibus. Ob hanc maiorem, vel minorem proportionem, & conuenientiam docet ibi Auguſtinus vocationem, quæ vni eſt congrua, alteri non eſſe congruam. eſtque obſeruatio frequentiſſima non ſolùm Auguſtini, ſed communis omnium Patrum dicentium, Deum in vocandis peccatoribus propriam cuiuſque affectionem, & animi inclinationem obſeruare, & iuxta varias hominum affectiones proportionata obiecta ſingulis proponere, vt moueantur ad fidem. Exempli gratia. videt Petrũ, & Andream intentos piſcationi, & ait illis, venite poſt me, faciam vos fieri piſcatores hominum. Vidit Iudam auri cupidum, & dedit illi curam loculorum, vt ſeruaret ea, quæ Apoſtolis offerebantur. Non ergo voluit Auguſtinus ſolùm ſignificare, Deum non ignorare, quam vim, & efficaciam habeat eius gratia, & vocatio vt vocatus conuertatur, & obſequens fiat: ſi enim hoc ſolùm ſciret, totum negotium noſtræ iuſtificationis in ſolam Dei gratiam cum Caluino reducere videretur: ſed vult ſignificare, Deum optimè ſcire, quam proportionem, & conuenientiam habeant ſingulæ vocationes cum cuiuſuis hominis ingenio, & affectionibus, & diſpoſitionibus, vt vocatus audiat, vel non audiat, conuertatur, vel non conuertatur. réſque in Auguſtino maximè in illo loco adeò clara eſt, vt velle pluribus illam illuſtrare nihil ſit, niſi fruſtrà tempus perdere.

Quæ verò pro corroboratione dictæ reſponſionis afferuntur ex libro de prædeſtinatione ſanctorum, & de bono perſeuerantiæ, facilem habent intelligentiam, vel ex ipſo Auguſtino de Prædeſtinatione ſanctorum cap. 10. vel ex D. Thoma de veritate q. 12. art. 10. in corpore, & ex Ioanne Damaſceno ibi citato, & ad primum, & tertium argumentum, quibus in locis habetur, quòd ſi prædeſtinatio ſtrictè, & propriè accipiatur, ad ea ſolùm ſe extendit, quæ ſola virtute diuina fiunt. & de his loquitur Auguſtinus in locis allegatis, quando inquit, quòd prædeſtinatione Deus illa præſciuit, quæ fuerat ipſe facturus, vt ſunt gratia, vocatio; &c. de qua re nullus poteſt dubitare. Sed hoc quid ad rem noſtram?

Auguſt. D. Thom. Damaſc.

VII. Sextum & vltimum teſtimonium adduci poteſt non ſolùm ex Auguſtino, ſed ex aliis Patribus, qui Paganis interrogantibus, cur Deus homines, & Angelos creare voluerit, quos ruituros in peccatum cognouit, cur Saulem in Regem elegerit, quem ingratum futurum præuidit, cur infantes non ſtatim rapiat poſt Baptiſmum, quos præui-

det, si diutiùs viuant, futuros peccatores, & alia id genus multa quærentibus à Christianis, respondent, & nullus respondendo negat, Deum hæc, & alia similia ab æterno præuidisse. Immo verò
Augustinus. apertè id affirmant, vt videri potest apud Augustinum epist. 105. & lib. de Correptione, & gratia cap. 8. Tertullianum lib. 2. contra Marcionem.
Tertul. Chrysost. Damasc. Gregorius Nyssenus. Cyrillus Alexand. Chrysostomum homilia de Adamo, & Eua. Damascenum lib. 2. de fide cap. 22. & lib. contra Manichæos pag. 541. Gregorium Nyssenum oratione 7. Cyrillum lib. 9. in Ioannem cap. 10. & lib. 3. contra Iulianum post medium. Neque dici potest ex illorum sententia, Deum hæc cognouisse in aliquo decreto antecedente, tum quia primum decretum circa creaturas fuit de illis creandis, vnde non potuit decernere, permittere eas cadere in peccatum, antequam decerneret eas creare, & sic non potuit præuidere in tali decreto, quòd illæ essent peccaturæ, antequam decerneret illas creare: tum quia Deus non decreuit, vt illa mala facerent: tum denique quia non potuit in decreto permittendi peccatum præuidere peccatum Adæ, & Angelorum sicut suprà dictum est: nam cum eisdem planè auxiliis, cum quibus boni Angeli steterunt, mali lapsi sunt; & cum eisdem auxiliis, cum quibus Adam cecidit, stare potuisset, si voluisset, vt sufficienter ex doctrina D. Augustini probatum est suprà cap. 22.

VIII. Confirmatur, hanc esse mentem sanctorum Patrum, nam illi formalibus verbis testantur, Deum præuidisse ista contingentia futura solùm
Glossa ordin. sub conditione. Glossa in epistolam D. Iudæ Apostoli circa illa verba: *Cùm Michael Archangelus cum diabolo disputans altercaretur*, &c. ita ait: *Præuiderat Dominus Moysem à Iudæis post mortem adorandum, & si corpus haberet, pro Deo habendum. Et ideo Diabolus cultum legis desiderans verti in idolatriam altercatus fuisse dicitur cum illo Angelo.* Illud autem fuit futurum conditionatum, & non
Gregorius Nyssenus. absolutum. Gregorius Nyssenus oratione de iis, qui præmaturè abripiuntur ante finem sic dicit: *Verisimile est, Deum, qui id, quod futurum est, æquè vt præteritum cognouit, progressum vitæ infantis ad perfectionem prohibere, ne quod vi præscia malum animaduersum est, in eo, qui ita victurus fuisset, perficiatur.* Cyrillus lib. 3. contra Iulianum probans
Cyrillus Alexand. quoddam dictum Porphyrij dicit, quòd *Deus sciens futurum, sæpenumero præuenit, hos quidem adhuc adolescentes priùs è vita eripiens: illos verò relinquens.* Quæ testimonia, vt alia omittam, passim à scribentibus in hac causa allegata, non videntur posse explicari recurrendo ad decretum prædeterminandi secundas causas ad huiusmodi futura: nam si Deus ne Iudæi in idololatriam laberentur, potiùs voluit Moysis corpus occultum manere, & Michael ob hanc causam cum Diabolo volente Moysis corpus manifestare, altercatus est: si Deus morte immatura adolescentes eripit ex hac vita, ne cadant in peccata, in quæ præuidet casuros, si diutius viuerent. Cui vnquam suaderi poterit, Deum decreuisse Iudæos, & istos adolescentes ad illos actus idololatriæ, & peccatorum etiam, vt præcisè actus naturales sunt, physicè etiam sub conditione prædeterminare? nam in tantum est, vt decreuerit hominum voluntates ad illos actus prædeterminare, quòd, vt ne fierent tales actus, potiùs voluit homines morte immatura præuenire.

CAPVT XXIX.

Eadem propositio secunda autoritate Scholasticorum, & ratione Theologica suadetur.

TEstimonium sancti Thomæ maximum est, & maximum esse debet ad eandem secundam propositionem suadendam. cuius, vt omittam loca ab aliis Doctoribus citata, duplex est locus in hac re mihi quidem satis quidens, & rem concludens. Primus est in quæst. 6. de verit. art. 3. vbi cùm docuisset, prædestinationem esse certam non solùm certitudine præscientiæ, sed etiam ordinis, & causalitatis, declarans, quomodo ista certitudo ordinis, & causalitatis non lædat arbitrij libertatem, sic ait: *Inuenimus enim ordinem compossibilem esse respectu alicuius dupliciter, vno modo in quantum vna causa singularis producit effectum suum ex ordine diuinæ prouidentiæ. Alio modo quando ex concursu causarum multarum contingentium, & deficere possibilium peruenitur ad vnum effectum, quarum vnamquamque Deus ordinat ad consecutionem effectus loco eius, qua deficit, vel ne altera deficiat, sicut videmus, quòd omnia singularia vnius speciei sunt corruptibilia, & tamen per successionem vnius ad alterum potest in eis secundùm numerum saluari perpetuitas speciei, diuina prouidentia taliter gubernante, quòd non omnia deficiant vno deficiente. Et hoc modo est in prædestinatione: liberum enim arbitrium deficere potest à salute, tamen in eo, quem Deus prædestinat, tot alia adminicula præparat, quòd vel non cadat, vel si cadat, quòd resurgat, sicut sunt exhortationes, & suffragia orationum, donum gratiæ, & alia huiusmodi, quibus Deus adminiculatur homini ad salutem.* In hoc articulo D. Thomas multa notabilia dicit. Primò docet esse præscientiam, & certitudinem præscientiæ sine certitudine ordinis, & causalitatis. Ergo non quidquid Deus præscit, præscit in decreto physicè prædeterminandi secundas causas, illa enim esset semper certitudo ordinis, & causalitatis. Secundò docet, certitudinem ordinis diuinæ prædestinationis non esse certitudinem causalitatis alicuius particularis causæ, ad sic causandum à diuina prouidentia determinatæ. Vbi ergo illa certitudo fundata in physica prædeterminatione? Tertiò docet omnes causas secundas concurrentes ad salutem prædestinati esse contingentes, & suapte natura defectibiles, & vt tales concurrere: neque prædestinationem ex eo certam esse, quòd aliqua illarum sit de se ita efficax, & ita voluntatem determinet, quòd quatenus voluntas subsistat tali determinationi, deficere non possit ab assecutione finis. Quartò docet certitudinem ordinis diuinæ prædestinationis sitam esse in hoc, quòd cùm omnes causæ deficere possint, sunt tamen à Deo sic ordinatæ, vt non simul omnes deficiant, sed vna deficiente, altera eam teneat, vel illi succedat, si illa defecerit. Hæc sunt clara ex textu, neque negari possunt. Ex hoc verò discursu sic arguitur. Vel Deus in prædestinando hunc ordinem certò, & infallibiliter cognouit, quòd causæ ex se possibiles deficere, si sic ordinarentur, de facto non omnes deficerent, vel non. Si dicatur, quòd non. hoc est ponere ignorantiam in Deo, & facere Deum cæco modo agentem, & nego

I. D. Thom.

Digitized by Google

& negotium prædeſtinationis confusè diſponentem, & euertere ipſam certitudinem diuinæ prædeſtinationis,contra id, quod D.Thom.ibi intendit firmare.Si dicatur primum: ergo ex ſententia D.Thom. Deus cognouit hoc futurum conditionatum, ſi conſtituero hunc ordinem ſecundarum cauſarum defectibilium, illæ tamen non omnes de facto deficient, & hoc non potuit cognoſcere in decreto phyſicè prædeterminandi dictas cauſas, aut aliquam illarum, quia phyſica prædeterminatio ex diſcurſu D. Thomæ non relinquit ſecundas cauſas defectibiles,vt illi ſubſtant.Et ideo cùm D.Thom.aſſignaſſet duos modos, ſecundùm quos imaginari quis poſſet, ordinem cauſalitatis diuinæ prædeſtinationis eſſe certum,primum modum, qui eſt,quando vna cauſa ſingularis producit effectum ſuum ex ordine diuinæ prouidentiæ, ad quem modum neceſſariò reducenda eſt phyſica prædeterminatio,ſi illa datur,penitus omiſit.

II. Secundus locus apertus eſt in quæſt. 12. de veritate art.10. tum in corpore, tum ad tertium argumentum,vbi expreſsè docet,diuinam præſcientiam,ſi proprie,& ſtrictè loqui velimus, excedere prædeſtinationem ſeu prædefinitionem: nam pro eodem accipiuntur, non ſolùm in malis, ſed etiam in omnibus bonis,quæ non fiunt ſola diuina virtute,ſed à ſecundis cauſis liberis, quatenus tales ſunt. Si ergo ex ſententia D. Thomæ, quæ non eſt eius ſolùm,ſed D.Damaſceni, & D.Auguſtini, vt ſuprà dictum eſt, actus liberi voluntatis creatæ, qui fiunt ab illa quatenus libera eſt, proprie & ſtrictè non ſunt prædefiniti, & ſic diuina præſcientia reſpectu illorum excedit prædeſtinationem. Ergo ſiue Deus præuideat illos futuros abſolutè, ſiue etiam ex hypotheſi ſolùm, non poteſt dici illos præuideri ſolùm in diuino decreto libero prædeterminandi phyſicè humanam voluntatem ad eoſdem actus.Loqui verò D. Thom. de futuris non ſolùm abſolutis, ſed etiam conditionatis conſtat, quia diſtinguit ibi varia genera prophetiæ, quorum vnum dicitur genus prophetiæ communitatis, quæ ſolùm verſatur circa futura ſecundùm quid ex hypotheſi.

III. Accedit in eiuſdem propoſitionis confirmationem autoritas omnium illorum Scholaſticorum, qui aſſignant cauſam noſtræ prædeſtinationis ex parte boni vſus liberi noſtri arbitrij, ſecundùm quam opinionem neceſſariò ſequitur, actus liberos humani arbitrij ſaltem aliquos eſſe à Deo præcognitos ante omnem prædefinitionem, de qua opinione dicemus lib. 6. quæ opinio licèt in eo quòd conſtituit cauſam noſtræ prædeſtinationis in bono vſu liberi arbitrij humani, ſit reprobanda,ſufficit tamen,vt ex ea colligatur ſcientiam futurorum contingentium conditionatorum non eſſe monſtrum omnibus Patribus, & Scholaſticis ante noſtra tempora inuiſum. Deinde accedunt ſententiæ ipſorum Scholaſticorum,qui conceptis verbis eandem ſcientiam videntur aſſeruiſſe, & illa in controuerſiis fidei vſi ſunt, præcipuè aduersùs hæreticos.

IV. In primis hanc ſcientiam videtur probare Th. VVald. Thomas VValdenſis, qui fuit acerrimus humanæ libertatis aduersùs VVichleffitas propugnator. Nam lib.1. Doctrinalis fidei cap.23.reiiciens doctrinam VVicleffi aſſerentis, omnia ex abſoluta neceſſitate euenire ob efficaciam diuini decreti, & certitudinem diuinæ præſcientiæ, docet diuinum decretum, & diuinam præſcientiam actibus humanis nullam imponere neceſſitatem. Primò, quia diuina voluntas non eſt tota cauſa humanorum actuum, ſed humana voluntas eſt illorum cauſa, quatenus vertibilis eſt: & ideo nullam eſt diuinum decretum, quod illius vertibilitatem lædat. Secundò dicit ob arbitrij vertibilitatem multa Deũ prædicere,& præuidere futura quæ nõ eueniẽt de facto.Ecce tibi futurũ aliquod cognoſci à Deo,quod tamẽ reuera nõ eſt futurum.Tertiò dicit certitudinem diuinæ præſcientiæ non imponere rebus ſcitis neceſſitatẽ,quia multa ſunt,quæ Deus præſcit futura, quæ ipſe non ordinauit, vt fierent, quæque potius contra diuinam præordinationem eueniunt; & hæc omnia probat autoritatibus D.Hieron.& D.Auguſtini. Sentit hic Doctor certitudinem præſcientiæ futurorum contingentium non eſſe fundatam in diuino decreto, & loquitur indiſtinctè de futuris tam ex ſuppoſitione,quàm abſolutè,vt patet legenti.

Ruardus Taper art.7.pag.mihi 15. dicit, incertum eſſe,an vocatio ſecundùm propoſitum (eam Auguſtinus vocat congruam vocationem) ſit certa ſolùm ex eo, quòd Deus vocat hominem,prout aptus eſt ſequi ſecundùm ſuas affectiones: vel ex eo quòd dirigit hominem directione, & diſpoſitione inſuperabili, quæ tamen nihil ponit in homine niſi motus cordis,qui ſunt etiam in alio,qui ſecundùm hoc propoſitum nõ dirigitur:vel ex eo quòd impediuntur cogitationes, & motus animi, quibus impediri,& retardari poſſet vocatio. Hoc dicẽdi modo planè hic autor,qui egregiè pro fide Catholica cõtra hæreticos ſcripſit,manifeſtè ſupponit in Deo notitiã,qua ſciuit,quę vocatio futura eſſet cõgrua, non attenta phyſica prædeterminatione, ſed inſpecta cuiuſque affectione, & quæ vocatio futura eſſet cõgrua,impediẽdo cogitationes, & motus animi,& quæ cogitationes, & qui motus forent in impedimentũ vocationis cõgruæ, niſi impedirẽtur,quæ nõ potuit in aliquo decreto præcognouiſſe,cùm nullum tale decretum prædefiniendi tales motus concipi poſſit in Deo, decernente potiùs tales motus impedire. V. Ruardus Taper.

Marſilius Inguen apertè probat eandem ſcientiam futurorum conditionatorum in 1. quæſt.40. art.2. parte 1. concluſ. 4. in fine. Dominicus Soto ſolidæ doctrinæ autor eandem probat lib.3. ſuarum ſummularum logicalium cap. 8. lectio. 3. & Driedo lib. concordiæ prima p. cap.4. ad tertium. VI.

Thomas Stapletonius, qui aduersùs recentes hæreticos pro veritate Catholica & verbo,& ſcripto vſque ad noſtra tempora pugnauit, eadem ſcientia futurorum conditionatorum vſus eſt in comment.ad caput 11.D.Matthæi circa illa verba: *Si in Tyro,& Sidone facta eſſent virtutes, quæ*, &c. & ad caput nonum ad Romanos §. *Deum altitudine*, &c. Stapletonius.

Cardinalis Bellarminus, cuius in Eccleſia Catholica autoritatem pro eadem Eccleſia contra illius hoſtes labores ab illo calamo exarati ſine alio laudatore teſtantur, eadem ſcientia non ſemel vſus eſt in ſuis controuerſiis reſoluendis, maximè lib.2.de Amiſſione gratiæ cap.17.vt omittamus Ludouicum Molinam, Franciſcum Suarez, Gabrielem Vaſquez, & alios eiuſdem inſtituti eruditiſſimos viros. Bellarmin.

Tandem probari poteſt eadem propoſitio rationibus Theologicis, quarum prima ſumi poteſt ex proportione inter futura contingentia abſoluta,& futura conditionata. Nam præſcindendo à quocunque diuino decreto ſaltem antecedente ſaluatur in Deo certa ſcientia futurorum contingẽtium abſolutorũ: ergo eadem ratione præſcindendo VII.

dendo à quocunque ſimili decreto ſaluatur in Deo ſcientia futurorum conditionatorum. Conſequentia eſt euidens, non enim aſſignabilis eſt maior ratio de vno, quàm de altero genere futurorum contingentium. Antecedens probatum eſt ſuprà cap. 23. & nunc iterum confirmatur autoritate D. Thomæ de Veritate quæſt. 6. art. 3. & 1. parte quæſt. 23. art. 7. vbi dicit, quòd certitudo diuinæ prædeſtinationis ſupra prouidentiam addit certitudinem ordinis, & cauſalitatis. Si hoc eſt verum, ergo prouidentia communis, ſaltem quoad actus liberos, & contingentes non eſt certa niſi certitudine præſcientiæ: ergo præſcindendo à quocunque decreto eſt in Deo certa præſcientia futurorum contingentium, & actuum liberorum, quia certitudo diuini decreti eſt certitudo ordinis, & cauſalitatis.

VIII. Secunda ratio ſumi poteſt ex diuina prouidentia. pertinet nanque ad perfectam prouidentiam, qualem in Deo concipere oportet, ſcire, qui modus agendi ſit aptior ad finem aſſequendum, quáve ratione omnibus inſpectis ipſum finem faciliùs aſſequamur, & ad hoc maximè conducit ſcire, quid ex vnoquoque modo agendi ſit ſecuturum, ſi hic vel ille modus agendi adhibeatur; vnde & videmus, homines prouidos maxima ſolicitudine inueſtigare, quis modus magis ſit idoneus ad fines, quos intendunt, aſſequendos, & ob hanc cauſam ſæpe plures modos aſſequendi eundem finem ad inuicem conferre, & explorare, an iſte, an ille ſit conuenientior.

Neque hæc ratio militat ſolùm de prouidentia humana, quæ de ſe incerta eſt, quemadmodum & voluntas hominis eſt inefficax ad ea, quæ voluerit perficienda, ſed militant etiam de prouidentia diuina: eſto enim diuina voluntas ſit de ſe efficaciſſima, ita vt poſſit quidquid vult: tamen dicere quòd non oporteat, Deum prænoſcere omnes modos, & omnes circunſtantias agendorum, ſed ſufficere ad rationem diuinæ prouidentiæ, vt diuina voluntas ſit de ſe efficaciſſima, eſt quidem facere Deum omnipotentem, ſed non eſt facere Deum prudentem, & prouidum, qui omnia ſapientia, & prudentia moderetur. immo hoc eſt facere Deum improuidum, cui ſit pro ratione ſola voluntas; qui in mundo gubernando minimè reſpiciat, quis modus agendi, quid naturæ cuiuſque rei magis conueniat. Non ſic loquuntur de Deo diuinæ Scripturæ, ſed dicunt, Deum omnia in ſapientia feciſſe, & in certo numero, & pondere, & menſura Et Eccleſia dicit, nos diuina prouidentia conditos eſſe, & gubernari. Quid verò eſt, Deum omnia feciſſe in ſapientia, & prudentia, & numero, & pondere, & menſura, niſi omnibus vndique collatis rationibus, & circunſtantiis agendorum, id tandem effeciſſe, quod melius eſſe viſum eſt illius incomparabili ſapientiæ? iuxta vulgatam Auguſtini ſententiam illam: *Quicquid vera ratione tibi melius occurrerit, hoc ſcias Deum effeciſſe.* lib. 3. de lib. arbitrio cap. 5. Auguſtinus.

IX. Tertia ratio ſumitur ex mundi creatione, & conſtitutione ordinis vniuerſi. Vel enim in eo opere intellectus diuinus direxit voluntatem, vel è contra voluntas direxit intellectum. Secundum dici non poteſt, quia hoc eſſet ordinem rerum peruertere, & ponere cæcum ad ducendum eum, qui videt. Si dicatur primum. ergo antequam diuina voluntas decerneret mundi conſtitutionem, oportuit intellectum diuinum optimè prænouiſſe, quid melius foret agere, quid omittere, quis ordo rerum eſſet pulchrior, & magis idoneus ad Dei ſapientiam, potentiam, & bonitatem prædicandam, & de omnibus agendis iudicium abſoluiſſe, & tale iudicium voluntati obtuliſſe. Hic eſt ordo omnino neceſſarius inter intellectum, & voluntatem in omni agente cum prudentia, tam in Deo, quàm in creatura. Neque in hoc eſt differentia inter Deum, & creaturam: ſed in eo, quòd diuinus intellectus de rebus agendis format iudicium omnino certum, & rectum: non ſic autem intellectus creatus.

X. Quarta ratio ſumi poteſt ex humanis conſultationibus. eſt enim omnibus hominibus inſitum à natura, vt de futuris euentibus diuina oracula conſulant. Deus ipſe per Iſaiam cap. 25. ait: *Ventura interrogate me.* Omnes autem conſultationes humanæ ſupponunt eſſe in Deo notitiam iſtorum contingentium conditionatorum. v.g. quid faciat miles, ſi ad bellum proficiſcetur, an victor domum reuertetur, an occidetur. Quid faciet nauta, ſi maris fluctibus nauem commiſerit, & alia id genus.

XI. Quinta ſumitur ex coordinatione malorum, quæ eueniunt in mundo. Vel enim Deus permittit fieri mala, quia nouit, quibus bonorum vſibus illa valeat accommodare, vt ſæpè Auguſtinus ait, & hoc eſt, quod nos quærimus, & intendimus: vel quia ſolùm nouit, quòd per ſuam omnipotentiam, ex quolibet malo poteſt bonum elicere, & defectus ex malo prouenientes recompenſare: & qui ſic dicunt, non poſſunt rationem reddere, cur Deus magis velit elicere hoc bonum ex permiſſione huius mali, quàm alterius. v.g. cur potiùs voluerit elicere bonum incarnationis filij Dei ex peccato Adæ, quàm ex peccato Angeli; & cur potiùs voluerit elicere bonum humanæ redemptionis ex peccato Iudæ, & Iudæorum, quàm ex abnegatione Petri, vel lapſu Magdalenæ. immo permiſſio huius, vel illius mali in indiuiduo, aut etiam in ſpecie non eſſet intenta à diuina prouidentia, cùm per ſic reſpondentem ex permiſſione cuiuſlibet mali per ſolam efficaciam diuinæ voluntatis quodlibet bonum elici poſſet. Quod tamen eſt contra doctrinam D. Auguſtini in Enchirid. cap. 95. & 96. & alibi. Auguſt.

Sexta ſumitur ex cognoſcibilitate actuum moraliter malorum. Deus enim cognouit quoſlibet actus moraliter malos futuros etiam ex hypotheſi, cognouítque ab æterno; quòd ſi hominem, & Angelum conderet in eo ſtatu in quo illos condidit, illi peccaturi eſſent, vt omnes Patres concedunt. Hoc verò non potuit cognoſcere in ſolo decreto permittendi eos labi ſi voluiſſent, neque in alio aliquo decreto eorum voluntatem phyſicè prædeterminandi, vt ſuprà cap. 23. ex D. Auguſtino probauimus.

XII. Septima ſumitur ex cognoſcibilitate, & determinata veritate eorundem contingentium futurorum ex hypotheſi: omnis enim determinata veritas eſt à Deo certò cognoſcibilis: ſed futura cõtingentia conditionata habent ſuam determinatam veritatem, quod ſic probo. Accipiamus, v.g. hanc hypotheſim, Petrus eſt à Deo conſtitutus in tali ordine cum omnibus requiſitis ad ponendum illum in actu primo completo, & determinato ad exeundum in actum ſecũdum elargiendi eleemoſynam. licèt Petrus in eo inſtanti, in quo conſtitutus eſt in actu primo tantùm, ſit indifferens ad eliciendum, vel non eliciendum actum ſecundum largitionis eleemoſynæ, tamen in inſtanti immediatè ſequenti ex natura rei oportebit, illum habere aliquem determinatum actum ſecundum

circa

circa ipſam largitionem eleemoſynæ, nam vel dabit eleemoſynam, vel illam negabit, vel manebit ſuſpenſus: & quilibet illorum erit actus determinatus, nihil enim exiſtit, niſi in actu determinato. Vnde licèt ex vi talis ſuppoſitionis non ſequatur in ſecũdo inſtanti aliquis actus determinatus, ſed ſolùm aliquis actus in confuſo, tamen ex eo quòd nihil poteſt exiſtere in rerum natura, niſi in actu determinato, facta tali hypotheſi neceſſariò ſequitur in ſecundo inſtanti aliquis actus determinatus. & ille habebit determinatam veritatem, & illa veritas eſt à Deo ab æterno cognita.

CAPVT XXX.

Argumenta contra ſupradictas propoſitiones adducuntur, & ſoluuntur.

I. COntra ambas propoſitiones hactenus probatas quidam Scholaſtici plurima afferunt argumenta, quæ ex iam dictis partim manent ſoluta, partim veniunt in præſentiarum ſoluenda. Primum argumentum eſt. Iſta ſcientia media nullum habet fundamentum in diuina Scriptura, neque in doctrina ſanctorum Patrum, maxime D. Auguſtini, éſtque nouum figmentum ante paucos annos inauditum. Ergo ex ſcholis Theologorum reiicienda eſt.

Reſpondeo, ex iam dictis patere ſufficienter hanc ſcientiam, quoad rem habere euidens fundamentum in diuina Scriptura, illiuſque vſum fuiſſe omnibus ſæculis in Eccleſia Dei à Patribus receptum. Quoad nomen verò ſcientiæ mediæ non eſſe admodum antiquum: ſed hoc nihil referre, neque enim antiquum eſt nomen ſcientiæ liberæ, neque nomina hæcceitatis, actus entitatiui, ſignati, exerciti, & alia id genus, quibus paſſim recentiores vtuntur in ſcholis, fuerunt in vſu ante annos quingentos.

II. Secundum argumentum. Teſtimonia diuinæ Scripturæ, quæ in ſpeciem videntur fauere iſti ſcientiæ mediæ, debent exponi de notitia diſpoſitionis ſecundarum cauſarum, non de notitia futurorum euentuum. ita enim exponit Gloſſa Interlinearis illud ex 1. Regum cap. 3. & D. Auguſtinus libro de Prædeſtinatione ſanctorum cap. 14. illud Sapientiæ cap. 4. *Raptus eſt ne malitia mutaret intellectum eius*, &c.

Gloſſa interlin. Auguſtinus.

Reſpondeo non poſſe conſtitui in Deo ſolam notitiam diſpoſitionis, & ordinis cauſarum contingentium ſine notitia exitus, & executionis talis ordinis: quia prima notitia ſine ſecunda incerta eſt, & coniecturalis, vt docet D. Thom. de Veritate. quæſtio. 12. art. 10.

D. Thom.

Tertium argumentum. Futurum quod reuera non eſt futurum, certæ præſcientiæ obiectum eſſe non poteſt ex Auguſtino in libro de Prædeſtinatione ſanctorum cap. 14. & libro 1. de origine animæ cap. 12.

Reſponderur, Auguſtinum accipere nomẽ præſcientiæ iuxta ſtrictam, & rigoroſam acceptionem, quo pacto dicit relationem ad id ſolũ, quod reuera futurum eſt: & cum hoc ſtat, accepto nomine præſcientiæ non ita ſtrictè, Deum præſcire etiam ea, quæ futura ſunt non reuera, & abſolutè, ſed ſolùm ex hypotheſi.

III. Quartum argumentum. Iſta ſcientia media non ſolùm habet aliquod probabile fundamentum in doctrina ſanctorum Patrum: ſed manifeſtè ab illis reiicitur, tanquam dogma Semipelagianorũ, maximè ab Auguſtino dicto libro de prædeſtinatione Sanctorum cap. 14. & Proſpero, & Hilario in ſuis epiſtolis ad Auguſtinum miſſis, quæ dicto Auguſtini libro præmitti ſolent.

Auguſtinus. Proſper. Hilarius.

Reſpondeo. Si attentè legantur omnia ſcripta D. Auguſtini, & D. Proſperi contra Semipelagianos, ne minima quidem ſuſpicio eſſe poteſt, hunc fuiſſe illorum errorem, contra quem illi ſcripſerunt. Loquor liberè, quia omnes libros Auguſtini, in quibus de gratia, libero arbitrio, prædeſtinatione, reprobatione, contra Pelagianos, & Semipelagianos diſputauit ſemel, iterum, ac tertiò diligenter, quantum potui, legi & adnotaui, & in compendium deduxi, quod fortaſſe niſi præſens volumen debitam quantitatem exceſſerit ad illius calcem adiiciam. Qui autem libros Auguſtini concisè ſolo partium ſtudio, aut alicuius opinionis impugnandæ gratia legere voluerit, poterit non ſolùm ex illis, ſed vel ex ſanctis Euangeliis quodnis abſurdum probare, quemadmodum hæretici tam recentiores, quàm antiqui conati ſunt ex diuinis Scripturis ad ipſorum ſenſum deprauatis ſuos errores comprobare, & ſpecialiter hæretici Prædeſtinati ex doctrina Auguſtini ab illis prauè intellecta conati ſunt plures errores de diuina Prædeſtinatione, & libero hominis arbitrio probare.

Non negat Auguſtinus, Deum certò noſſe futura conditionata, quæ nunquam ſunt futura: ſed negat ex iſtis futuris conditionatis, vel à Deo præuiſis ſumi poſſe rationem, & cauſam diuinæ prædeſtinationis, vel reprobationis. Error enim Semipelagianorum non erat, quod dicerẽt, Deum nouiſſe, quid egiſſent homines, aut paruuli, ſi diutius vixiſſent. Sed infantes prædeſtinatos fuiſſe, & reprobatos ex bonis, vel malis operibus, quæ præuiſi ſunt facturi, ſi diutius vixiſſent. Hic ille eorum fuit error, hoc nouum abſurdum, contra quod vbique pugnant Auguſtinus, & Proſper, oſtendentes, diuinam prædeſtinationem non eſſe ex meritis præuiſis. Rem verò ita ſe habere, demonſtrant verba ipſius Proſperi in epiſt. ad Auguſtinum, cùm ait. *In tantum quibuſcunque commentitiis meritis electionem Dei ſubiiciunt, vt præterita, quæ non extant, futura, quæ non ſint, futura confingant: nouóque apud illos abſurditatis genere, & non agenda præſcita ſint, & præſcita non acta ſint.* Et verba illa Auguſtini in d. libro de Prædeſtinatione Sanctorum cap. 13. *Sed quia hominum futura, quæ non ſunt futura, proculdubio nulla ſunt merita, & hoc videre facillimum eſt, ideo nec Pelagiani hoc dicere potuerunt.* & lib. de bono perſeuer. cap. 10. *Ego verò quantum ad hoc, quod ago, attinet, ſufficere video, vt ſecundum iſtam quoque ſententiam demonſtremus, homines non iudicare de iis, quæ non fecerunt, etiamſi facturi fuiſſe præſciti ſunt. Quanquam, vt dixi, hanc opinionem, qua putantur in morientibus, vel mortuis vindicari peccata, quæ præſciti ſunt facturi eſſe ſi viuerent, etiam refellere pudeat: ne videamur & nos exiſtimare, alicuius eſſe momenti, quam maluimus diſputatione cohibere quàm ſilentio præterire.* hoc eſt abſurdum, hic ille error Semipelagianorum de ſcientia futurorum conditionatorum, qui, inquam, non eſt de ipſa ſcientia, quam vel ipſemet Auguſtinus in iſtis verbis admittit, dum ait: *Etiamſi facturi fuiſſe præſciti ſunt.* & rurſus, *quæ præſciti ſunt facturi eſſe ſi viuerent.* Sed eſt error de abuſu ipſius ſciẽtiæ, quia volebãt illi, homines eſſe prædeſtinatos vel reprobatos ex operib. quæ feciſſent, ſi diutiùs vixiſſent. Quæ eſt manifeſta, & abſurda hæreſis: nullus enim iudicatur dignus præmio, vel ſupplicio pro iis, quæ feciſſent, ſed ſolùm pro iis, quæ actu geſſit, quod probat Auguſtinus

Digitized by Google

ſtinus teſtimonio illo D.Pauli dicentis: *Oportet nos manifeſtari ante tribunal Chriſti, vt recipiat vnuſquiſque propria corporis, prout geſſit.* Non dicit prout geſſiſſet, ſed prout geſſit. Contra hunc errorem præcipuè tendit totus Auguſtini diſcurſus. Vnde formaliter ad argumentum reſpondetur, Auguſtinum non negare, Deum futura conditionata præſcire: ſed negare, eum illa præſcire in ratione cauſæ prædeſtinationis, vel reprobationis: quia hoc modo nihil præſciri poteſt, niſi quod reuera futurum eſt, nam quod nullo modo eſt, neque verè futurum eſt, non poteſt vllius rei eſſe cauſa. Et accipit nomen præſcientiæ ſtricto modo, prout dicit reſpectum ad id ſolum, quod reuera futurum eſt. Hanc reſponſionem oportuit longiùs perſequi, ne relinqueretur ſuſpicioni locus in doctrina Auguſtini.

IV. Quintum argumentum. Deus non poteſt ante decretum ſuæ voluntatis ſcire, quot Angeli, vel homines eſſent futuri, ſi vellet alium mundum creare. Ergo ante decretum ſuæ voluntatis non poteſt ſcire, quot, vel quales actus producturus eſſet homo, ſi crearetur, vel conſtitueretur in tali, vel tali ordine rerum. Probatur conſequentia, quia ſicut omne id, quod Deus operatur immediatè ad extra, pendet intrinſecè ex decreto ſuæ voluntatis; ita quod operatur mediantibus ſecundis cauſis pendet, etiam intrinſecè ex diuina voluntate, quia diuina cauſalitas, & prouidentia ſe extendit ad quodcunque ens in particulari.

Reſpondeo, primò diſtinguendum eſſe antecedens, quia vel intelligitur ante decretum conceptum in Deo ex hypotheſi, & ſic eſt verum, ſed non ad rem: vel ante decretum abſolutum exiſtēs actu in ipſo Deo, & ſic eſt falſum. Secundò reſpōdetur negando conſequentiam. Ad probationem reſpondetur, ea quæ Deus operatur ſe ſolo immediatè vt cauſa totalis ſine aliis cauſis, vt ſunt gratia, creatio mundi, & ſimilia, pendent etiam à Deo, & ab eius voluntate, ita vt non expectetur concurſus aliarum cauſarum: & ideo de talibus oportet eſſe diuinum decretum antecedens. At quæ fiunt à Deo mediantibus ſecundis cauſis liberis, non pendent à Deo vt à cauſa totali, & ideo illorum non eſt decretum antecedens. Vnde formaliter dicitur, licèt tam quoad ea, quæ Deus operatur mediantibus ſecundis cauſis, quàm quoad ea, quæ operatur ſe ſolo immediatè requiratur diuinum decretum: non tamen requiritur idem decretum, neque eodem modo ſe habens, nam ad ea, quæ ſe ſolo operatur, requiritur decretum antecedens: ad alia verò ſufficit decretum concomitans. Et ſic ſine decreto antecedente, maximè prædeterminandi phyſicè illorum cauſas poſſunt eſſe cognita à Deo ab æterno.

V. Sextum argumentum. Propoſitiones de futuro contingente non habent determinatam veritatem ex 1.Periherm. Ergo vt ſint ſcibiles etiam à diuino intellectu, oportet illas prædeterminari per diuinum decretum.

Reſpondeo, ex dictis ſuprà cap. 11. & alibi repetitis ſatis conſtare, quòd futura contingentia etiam abſoluta habent determinatam veritatem præſcindendo etiam à decreto diuino antecedente, de quo arguens intendit. Habent enim determinatam veritatem non reſpectu illius eſſe futuri, quod habent ſolùm in ſecundis cauſis, ſed ratione eſſe præſentis, quod pro aliqua temporis differentia habebunt in ſeipſis extra ſuas cauſas, vt centies dictum eſt. & eadem quoad hoc ratio eſt de futuris abſolutè, & de futuris ſolùm ex ſuppoſitione; neque D.Thom. vnquam dixit, futura contingentia habere determinatam veritatem ob diuinum decretum prædeterminandi phyſicè illorum cauſas: ſed ſolùm ob illud eſſe præſens actualis exiſtentiæ, quod illa habent aliquando in ſeipſis extra ſuas cauſas.

Septimum argumentum. A cauſa contingenti omnino indifferenti non poteſt prouenire effectus certus, & determinatus, & certò cognoſcibilis, niſi illa priùs ab aliquo determinetur. Voluntas creata eſt cauſa indifferens, & contingens. Ergo ab illa non poteſt prouenire effectus determinatus certò cognoſcibilis à Deo, niſi priùs ab aliquo illa determineturſed iſtud determinans nullum aliud eſſe poteſt niſi Deus per ſuum decretum. ergo ante diuinum decretum non eſt ſcibile quid voluntas creata ſit effectura. Maior propoſitio primi ſyllogiſmi eſt doctrina Auerrois in ſecundo Phyſic. comm. 48. & D.Thom. 1. part. quæſt. 19. art. 3. ad 5. Minor ſecundi ſyllogiſmi probatur, quia ſi eſt aliquod determinans voluntatem, vel eſt obiectum, vel Deus per ſuum decretum efficax. non obiectum, quia nullum obiectum propoſitum voluntati poteſt illam determinare, quoad exercitium, vt multis in locis probat D.Thomas. relinquitur ergo vt iſtud determinans ſit ſolus Deus, qui poteſt voluntatem immutare, iuxta illud. *Cor Regis in manu Domini, & quocunque voluerit, inclinabit illud.* Auerroes. D.Thom.

Reſpondeo, voluntatem in actu primo eſſe indeterminatam, etiam quibuſcunque poſitis, vt lib. 1. capite 19. 29. & ferè per totum illum librum dictum eſt: & nihilominus ad hoc, vt exeat in actum ſecundum determinatum, neceſſe eſſe illam ab aliquo determinari. à quo verò determinetur, ibi dictum eſt, eam determinari ab obiecto ſpecificatiuè, & à ſeipſa pro innata illius libertate quoad exercitium; addo etiam quoad actus moraliter bonos, maximè ſupernaturales, determinari quodammodo à Deo per modum excitantis, & ſuadentis, & adiuuantis, ſed non efficaciter prædeterminantis phyſicè eo modo, quo arguens imaginatur.

VI. Octauum argumentum. Iſta ſcientia media ad nihil vtilis eſt. non enim ad conciliandam noſtram libertatem cum diuina præſcientia, & prædeſtinatione, & cum efficacitate diuinæ gratiæ, quia ſine illa ſciunt Theologi hæc omnia conciliare. Non ad euitandas alias difficultates, quæ per illam potiùs augentur, quàm minuuntur, nam illa admiſſa ſequitur, tandem bonum vſum liberi arbitrij reducendum eſſe in aliquid naturale, nimirum vel in conſtellationem, vel in proprietatem naturalem ipſius liberi arbitrij, vel in complexionem indiuidualem, quæ non ſit in poteſtate hominis, ratione cuius allèritur vocationem in talibus circunſtantiis congruam eſſe voluntati, vt ſi per illam excitetur, infallibiliter ſit præſtitura conſenſum. Probatur conſequentia, nam quod Petrus. v.g. ſic vocatus infallibiliter ſit præſtiturus conſenſum, non poteſt refundi in diuinum decretum, neque in efficaciam diuinæ gratiæ, quia aſſertores ſcientiæ mediæ nolunt diuinam gratiam mouere voluntatem efficaciter, ſed eam liberam, & indifferentem relinquere, à cauſa autem libera, & indifferente; vt tali exire determinatus effectus non poteſt. neque id poteſt refundi in ipſam voluntatem conſtitutam ſub talibus auxiliis,

liis, & in talibus circunſtantiis, quia ſub illis adhuc ea manet indeterminata,& indifferens.neque in obiectum, quia nullum obiectum poteſt mouere efficaciter voluntatem ſaltem quoad exercitium.Relinquitur ergo vt talis determinatio refundi poſſit ſolùm, vel in cæleſtem conſtellationem, vel in proprietatem naturalem liberi arbitrij,vel aliquid ſimile.

Reſpondeo, an iſta ſcientia ſit vtilis ad Theologicas difficultates enodandas,maximè ad hæreticorum cauillos tollendos,& libertatem humani arbitrij cum diuina præſcientia, prædeſtinatione, & efficacia diuinæ gratiæ conciliandam, credendum eſſe in arte verſatis, & peritis iuxta regulam à Iureconſultis traditam.

Quod autem addit arguens, poſita ſcientia media ſequi illud inconueniens, ad quod nititur deducere,negatur,ex poſitione talis ſcientiæ, niſi quis ea abutatur, ſequi aliquod inconueniens, & multò minus illud inconueniens, ad quod arguens deducit.Et cùm quæritur, vnde ſit certum, quòd Petrus ſic vocatus infallibiliter ſit præſtiturus conſenſum.Reſpondeo,id certum eſſe primò, quia Deus ita ordinauit ſecundas cauſas concurrentes ad illius ſalutem, vt licèt omnes ſint de ſe defectibiles,non tamen omnes de facto deficiant, præſuppoſita iſta ſcientia per quam nouit,quòd ſi illæ adhibeantur, non omnes deficient. vt ait D. Thomas de veritate quæſt.6.art.3. Secundò,quia Deus ita illum vocat,ſicut ſcit congruum eſſe, vt vocantem non ſpernat,vt ait Auguſtinus lib.1. ad Simplicianum quæſt.2. Tertiò,quia obiectum tale proponit, quod voluntatem excitabit, & illa ſe ad exercitium determinabit; & in hæc omnia refunditur illa certitudo, non autem in aliquam conſtellationem, aut proprietatem naturalem: multò minus in decretum diuinum phyſicè prædeterminans voluntatem Petri.

D.Thom. Auguſtinus.

VII. Nonum argumentum. Ex poſitione iſtius ſcientiæ mediæ ſequitur eneruari efficaciam diuinæ gratiæ, & ex nobis ipſis poſſe aſſignari cauſam noſtræ prædeſtinationis, aut ſaltem cauſam, ſeu conditionem, ob quam ratio ordinis mediorum in finem ſortiatur rationem prædeſtinationis, vel retineat ſolùm rationem communis prouidentiæ. Probatur conſequentia, quia priùs eſt, Deum præuidere Petrum conſtitutum in talibus circunſtantiis, cum talibus, vel talibus auxiliis conſenſurum eſſe pro ſua libertate, quàm Deum prædeſtinare Petrum ad gloriam.

Reſpondeo, quod ſpectat ad efficaciam diuinæ gratiæ,alibi tractandum eſt,neque enim per ſcientiam mediam ea vllo modo eneruatur. Quod autem attinet ad diuinam prædeſtinationem, negatur conſequentia. Qui enim dicit, Deum præuidere, ſi decerneret Petrum conſtituere in talibus circunſtantiis, præueniendo illum talibus auxiliis,vocando illum vocatione congrua, proponendo illi obiecta,quibus moueretur, illũ pro ſua libertate conſenſurũ,priùs ex hypotheſi ponit in Petro auxilia diuinæ gratiæ & vocationẽ congruam,quam ex hypotheſi videatur illius conſenſus. Vnde ad probationẽ conſequentiæ dico primò,ad hoc vt aliquid à Deo præuiſum poſſit conſtitui pro cauſa prædeſtinationis, vel reprobationis non ſufficit,vt præuiſum ſit futurum ſolum ex hypotheſi, ſed oportet vt ſit præuiſum futurum abſolutè, vt Auguſtinus dicit contra Semipelágianos locis citatis ex libro de prædeſtinatione ſanctorum cap.13.& de bono perſeuerantiæ c.10.

Auguſtinus.

& aliis in locis. Secundò dico,ad hoc vt bonus vſus liberi arbitrij præuiſus futurus ex hypotheſi poſſet aſſignari pro cauſa noſtræ prædeſtinationis, oporteret illum præuiſum eſſe vt futurum ex ſolis viribus liberi arbitrij non excitati, neque præuenti, neque adiuti per diuinum auxilium. & oporteret illius intuitu Deum motum eſſe ad gratiam prædeſtinationis hominibus præparandam: nihil autem iſtorum dicunt, (quod videre potuerim)illi,qui ſcientiam iſtam mediam defendunt. Et tandem eſto viderit Deus, quòd homo conſtitutus in talibus, vel talibus circunſtantiis, cum talibus auxiliis eſſet præſtiturus conſenſum, adhuc liberum erat ei de facto illum in talibus circunſtantiis,& cum talibus auxiliis conſtituere, quod eſt propriè prædeſtinare.

VIII. Decimum argumentum.Futurum conditionatum ante diuinum decretum non eſt ſcibile, quia non habet eſſe neceſſarium,& determinatum, vt docet D.Thom.1.part.quæſt.14.art.13. D.Thom.

Reſpondeo, ante diuinum decretum concomitans, vel abſolutè, vel ex hypotheſi illud non eſt ſcibile; ſed ante diuinũ antecedẽs benè eſt ſcibile. Non ratione illius eſſe, quod habet in ſuis cauſis contingentibus,de quo loquitur D.Thom.in loco allegato:ſed ratione eſſe præſentis,de quo ſatis ad ſuperabundantiam dictum eſt.

Vndecimum argumentum. Nullus effectus intelligi poteſt futurus in mundo ſiue abſolutè,ſiue ex hypotheſi abſque diuino decreto. ergo ante illud nullum futurum conditionatum eſt ſcibile. Probatur antecedens, quia nulla creatura poteſt eſſe in mundo ſine diuina cauſalitate, vnde nonnulli inferunt,quòd aſſertores iſtius ſcientiæ mediæ auferant à Deo primam, & veram cauſalitatem, & efficientiam reſpectu actuum humanorum: quia ſecundùm illos Deus eſt ſolùm cauſa actuum humanorum, quatenus ordinat ſecundas cauſas,non autem quoad illorum actuum ſubſtantiam, & entitatem:non enim ita illos cauſat primò effectiuè, quin illi priùs eſſent futuri ab humana voluntate,ſi illa poneretur in tali ordine,& cum talibus circunſtantiis. Et quoad eorundem opinionem ſequatur,quòd quia facit homo faciat Deus,& non è contra, quod eſt contra D.Auguſtinum,& contra veram Philoſophiam.

Reſpondeo,effectus eſſe in duplici differentia: quidam enim ſunt, quorum Deus eſt præciſa, & totalis cauſa: quidam verò, quorum non eſt totalis, & præciſa cauſa, ſed tantùm concauſa, quos vult à ſecundis cauſis proficiſci liberè & contingenter,ita vt ſi ſecundæ cauſæ nolint ſuam cauſalitatem apponere,illi non ſequantur: ita tamen quòd iidem effectus ſint etiam à Deo immediatè agente cum ſecundis cauſis. Proportione horum effectuum duplex eſt decretum in Deo: aliud, quo decreuit ſecundas cauſas producere, & omnia neceſſaria ad edendas ſuas ipſarum actiones illis tribuere, & ſuum etiam concurſum illis adiungere in actu primo: aliud verò, quo decreuit cum ſecundis cauſis maximè liberis ad ſingulos illarum actus concurrere in actu ſecundo. Primum decretum eſt antecedens, ſecundum verò eſt ſolùm concomitans: nullus autem effectus eſt futurus in mundo abſque altero horum duorum decretorum: nam effectus primi generis pendent ſimpliciter ex decreto diuino præcedente: effectus autem ſecundi generis pendent quidem ex aliquo decreto antecedenti, nimirum conſtituendi illorum cauſas in

eſſe & in talibus circunſtantiis cum talibus auxiliis ad agendum, & adiungendi illis diuinum concurſum in actu primo : non autem pendent ex decreto antecedenti ponendi tales effectus in eſſe, & ob hoc prædeterminandi phyſicè eorum cauſas ad illorum productionem ante inſpectam liberam determinationem ipſarum ſecundarum cauſarum, quemadmodum arguens prætendit: hoc nanque eſſet ordinem ſecundarum cauſarum liberarum inuertere, & earum cauſalitatem peruertere. Vnde non ſequitur, per iſtam ſcientiam auferri à Deo primam cauſalitatem in ordine ad actus humanos liberos, & Deum non eſſe cauſam illorum quoad ſubſtantiam actus. Deus enim eſt cauſa actuum humanorum liberorum primò, quia dat eſſe voluntati humanæ liberæ : ſecundò, quia dat illi vim agendi : tertiò, quia tum eſſe tum vim agendi conſeruat : quartò, quia voluntatem humanam applicat ad agendum, non quidem phyſicè prædeterminando ad hunc vel illum actum particularem, ſed inclinando vt motor vniuerſalis ad vniuerſale bonum, vt D.Thom. ait in prima ſecundæ quæſt.9. art. 6. & quæſt. 10. attic. quarto. Addo etiam, quoad actus ſupernaturales mouere Deum humanam voluntatem ad tales actus in particulari non ſolùm moraliter, ſed etiam verè phyſicè, abſque eo tamen, quòd phyſicè illam prædeterminet. Non enim ſunt vnum & idem, mouere voluntatem phyſicè, & illam prædeterminare phyſicè, quia mouere phyſicè eſt inchoare motum, vel largiri inchoationem motus ipſi voluntati ad bonum : prædeterminare verò ipſam voluntatem phyſicè, eſt illam in termino motus conſtituere ; terminus autem motus humanæ voluntatis eſt conſenſus, vel diſſenſus: Deus autem poteſt humanam voluntatem ad aliquod bonum particulare maximè ordinis ſupernaturalis mouere etiam phyſicè, non expectato conſenſu eiuſdem voluntatis ; at prædeterminare illam, & conſtituere in termino conſenſus ſine illa omnino non poteſt, vt vel ipſa vox conſenſus ſignificat ; dicitur enim conſenſus plurium conueniens ſenſus. Quintò eſt Deus cauſa actuum liberorum humani arbitrij per ſuum concurſum, quo cum ipſa voluntate ſimul tempore, & natura eundem numero actum producit, ita vt idem actus totus totalitate effectus ſit ſimul à Deo & ab humana voluntate quoad illius ſubſtantiam, quod expreſsè fatentur omnes illi, qui aſſerunt iſtam ſcientiam mediam.

D.Thom.

IX. Non etiam ſequitur, Deum velle, quia homo vult, & non è contrà hominem velle, quia Deus vult. Nam loquendo de concurſu Dei cum ipſa voluntate, cùm ille nec ſit prior, nec poſterior natura ipſo influxu humanæ voluntatis, ſed ſimultaneus, ſicut dicitur, homo vult quia Deus vult, ita è contrario. Abſolutè autem loquendo dicendum eſt, hominem velle quia Deus vult, quoad actus moraliter bonos, non autem è contra Deus vult, quia homo vult. Nam ad hoc vt homo velit tales actus, non ſolùm neceſſarius eſt illi diuinus concurſus, ſed neceſſe eſt etiam humanam voluntatem à Deo præueniri ſuis auxiliis excitantibus, benè poteſt concedi quod Deus non vult, ſi homo non vult in ſenſu negatiuo. Loquendo verò de actibus moraliter malis, puto concedi poſſe, Deum velle iſtos actus, quia homo illos vult, & non è contra, ſaltem de illis loquendo, quibus moralis malitia eſt intrinſecè, & inſeparabiliter adiuncta, vt odium Dei.

Sed contra hunc modum dicendi eſt inſtantia. quia licèt ſecundum hunc modum dicendi defendatur quòd effectus humanæ voluntatis, qui eſt illius operatio, ſit effectiuè à Deo, non tamen declaratur, quomodo influxus eiuſdem voluntatis in ipſum effectum ſit effectiuè à Deo. Quòd verò id non declarent, probatur, quia omnis effectus eſt poſterior ſua cauſa, & cauſa eſt prior effectu : ſed decretum diuinum concurrendi cum humana voluntate ex hypotheſi, quod illa velit operari, non eſt prius ipſo influxu humanæ voluntatis. ergo non poteſt eſſe illius cauſa.

Reſpondeo, non eſſe hìc proprium locum de hac re diſputandi, ſed de hoc agendum lib. 8. & 9. Nihilominus quia in hac inſtantia putant nonnulli eſſe vim inſuperabilem, quæ tamen nullam, etiã minimam vim habet, immo illa admiſſa tollitur omnis propria ſecundarum cauſarum actiuitas. Reſpondeo primò quærendo à ſic arguentibus, vtrùm illi admittant, ſecundas cauſas habere ſuas proprias cauſalitates ? Reſpondebunt, habere, niſi velint incidere in abſurditatem quorundam Philoſophorum, qui dicebant, ſecundas cauſas nihil verè operari, ſed ſolùm Deum ad illarum præſentiam, quam refutat D. Thom. de potentia quæſt. tertia artic. ſeptimo, & libro tertio contra Gentes capite 69. & prima parte quæſt. 105. attic. 5. & libro tertio de Regimine Princip. capite 8. quam abſurditatem videtur admittere Caluinus libro ſecundo contra Pighium pag. 241. §. *Sed videte*. Rurſus quærendum eſt, an cauſalitas ſecundæ cauſæ, vt eſt ſecunda cauſa præcisè, & propriè, ſit cauſalitas primæ cauſæ. Reſpondebunt quòd non, niſi velint confundere actionem increatam cum creata, & creaturam cum Deo ; loquor hìc de actione ſecundæ cauſæ propriè, vt eſt à ſecunda cauſa, & ſub ea ratione, qua eſt à ſecunda cauſa, ſub hac enim ratione non eſt à prima cauſa, niſi ſecunda cauſa ſit prima cauſa. Demum quærendum eſt ab illis, an cauſalitas ſecundæ cauſæ, & influxus ſecundæ cauſæ in effectum ſint vnum, & idem. Puto reſpondebunt affirmatiuè, neque enim conſtare poteſt, quæ diſtinctio ſit inter illa. Si verò hæc ita ſe habent, ex omnibus ſequitur etiam in ſententia arguentium, aut tollendam eſſe omnem cauſalitatem ſecundarum cauſarum : aut illarum influxum vt eſt ab illis ſub ratione, qua eſt à ſecundis cauſis, non eſſe à Deo, & cùm ille ſit aliqua entitas, etit aliqua entitas in mundo, quæ nec ſit Deus, nec à Deo. Dicendum igitur, quòd nulla eſt entitas creata, quæ non ſit à Deo, etiam ipſe influxus ſecundarum cauſarum in ſuos effectus; non quòd omnes cauſæ ſecundæ prædeterminentur ad ſuos effectus, nam iſta prædeterminatio difficultatem non aufert: ſed quia totum eſſe, & tota vis cauſandi ſecundarum cauſarum pendet à Deo etiam dum actu operantur, & ſub ea ratione, qua actu operantur, & quia influxus ſecundæ cauſæ in effectum idem eſt omnino cum ipſa operatione eiuſdem ſecundæ cauſæ, quæ cùm ſit immediatè tum à Deo tum à creatura, etiam ipſe influxus ſecundæ cauſæ in effectum erit à Deo quoad illius ſubſtantiam. Veteri autem admittere, quòd iſte influxus ſub ea præſcita ratione, qua eſt à ſecunda cauſa, non ſit à Deo, eſt trepidare timore, vbi non eſt timor, & nimis religioſum eſſe, ſicut nimis religioſus

D.Thom.

Caluinus.

ligioſus eſſet, qui vellet, Deum ita in omnibus operari, vt nollet ſecundas cauſas vllam habere propriam cauſalitatem: ſufficit enim quòd ſit à Deo ſub alia ratione.

X. Vltimum argumentum. Si Deus cognoſcit omnia futura conditionata, cùm humanus intellectus poſſit formare infinitas hypotheſes, & ſuper illis Deum conſulere, oporteret, Deum illas omnes noſſe, & quid ex vnaquaque illarum eſſet futurum, quod videtur abſurdum.

Reſpondeo, omnes hypotheſes, in quibus adeſt bonitas conſequentiæ, aut ex vi illationis, aut ex concomitantia, & proportione inter illas, & ea quæ ex illis ſequuntur, & omnia futura, quæ ex huiuſmodi ſuppoſitionibus ſecutura eſſent, Deus certò, & infallibiliter nouit. Neque inde ſequitur aliquod abſurdum, ſicut abſurdum non eſt, Deum noſſe infinita individua creabilia ſub qualibet ſpecie.

Hæc autem omnia dixerim, non quòd oppoſitam ſententiam aliqua nota dignam exiſtimem, ſed vt quid in hac controuerſia veritati magis conſentaneum arbitrarer, liberè, ac ſincerè aperirem.

extra Deum, non per reſpectum ad ipſam diuinam actionem, niſi fortè ſecundùm noſtrum modum concipiendi. vnde voluntas in Deo potiùs denotat in rei veritate actionem, quæ eſt volitio, quàm potentiam ad ipſam actionem: potentia enim, quæ diſtinguitur à ſua actione, eſt imperfecta, & perficitur ab actione, & facit compoſitionem accidentalem cum ipſa actione, quæ omnia ab intellectu, & voluntate diuina remouenda ſunt. Et doctrinam hanc D. Thomæ fuſiùs explicat, & probat
Capreolus. Capreol. in 1. d. 35. q. 1. art. 2. concl. 2. Suppoſito itaque, Deum velle aliquid, quæritur de obiecto diuinæ volitionis, an illud poſſit eſſe aliquid extra Deum. Et ratio dubitandi duplex eſt. Altera quia obiectum voluntatis eſt bonum, quod per intellectum propoſitum eidem voluntati, illam mouet ad ſui deſiderium in genere finis: nihil autem videtur eſſe extra Deum, quod ſub aliqua ratione boni quantuncunque excellentis diuinam voluntatem valeat mouere, tum quia in ipſo Deo eſt ratio omnis bonitatis, iuxta illud Exodi 33. *Oſtendam tibi omne bonum*: tum quia omnis bonitas creaturæ nihil aliud eſt, niſi participatio ipſius bonitatis diuinæ.

Altera verò dubitandi ratio eſt etiam, quia ſi aliquid extra Deum eſt obiectum diuinæ voluntatis, vel illud eſt volitum à Deo, vt ab illo Deus accipiat aliquam perfectionem, & hoc dici non poteſt. vel vt communicet illi ſuam perfectionem diuinam, & hoc etiam dici non poteſt: quia videtur ex hoc ſequi, pertinere ad diuinam perfectionem, Deum velle alia à ſe; & ſic ſequeretur, Deum non poſſe non velle alia à ſe, ſicut non poteſt non velle ſuam perfectionem.

III. Vt has rationes, ſimúlque totam controuerſiam ex integro diſſoluamus, tria dubia erunt hîc reſoluenda. Primum, an Deus reuera velit aliquid aliud à ſe. Secundum, an alia à ſe Deus velit liberè, an naturaliter. Tertium, an velle alia à ſe attineat ad perfectionem diuinæ voluntatis. Primum in hoc capite, duo verò poſteriora in cap. ſequenti expendemus.

Ad primum itaque dubium reſolutè dicendum eſt, Deum velle alia à ſe. Quæ eſt aſſertio non ſolùm de fide, ſed etiam probata rationibus naturalibus. Et quidem in diuina Scriptura innumera ſunt teſtimonia, quibus illa ſuadetur. Dicitur nanque in Pſal. 113. *Deus autem noſter in cælo, omnia, quæcunque voluit, fecit.* & Sapientiæ 11. *Quomodo autem poſſet aliquid permanere, niſi tu voluiſſes.* 1. ad Cor. cap. 2. *Qui operatur omnia ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ.* Apoc. 4. *Quia tu creaſti omnia, & propter voluntatem tuam erant, & creata ſunt.* Ne dicam, totam diuinam Scripturam nihil aliud eſſe, niſi effectum diuinæ voluntatis, aliquid extra Deum volentis.

Philoſophi quoque agnouerunt, Deum intellectu, & voluntate præditum eſſe, & agere per intellectum, & voluntatem, & aliquid extra ſe operari, ſaltem motum corporũ cœleſtium. Vnde fit conſequens, ex illorum ſententia Deum velle aliquid
D. Thom. extra ſeipſum. Ratio quin etiam allata à D. Thoma 1. p. q. 19. art. 1. ex proportione inter agentia naturalia, & ea, quæ agunt per intellectum, & voluntatem, optima eſſe videtur, ad eandem veritatem ſuadendam, & declarandam. Res enim naturales habent naturalẽ inclinationem nõ ſolùm ad acquirendum proprium bonum, cùm illud non habent, & ad quieſcendũ in eo, cùm illud habent, ſed etiam ad ipſum bonũ aliis communicandum. Ergo à ſimili agens per intellectũ, & voluntatem habet inclinationem non ſolùm ad acquirendum proprium bonum, & quieſcendum in eo, ſed etiam ad proprium bonum aliis communicandũ. Deus eſt agens per intellectum, & voluntatem. Ergo habet inclinationem nõ ſolùm ad quieſcendũ in bono proprio, ſed etiã ad proprium bonum aliis à ſe communicandum. hæc autem inclinatio ſequens notitiam intellectiuam nihil aliud eſt, niſi voluntas. Primum antecedens probatur: quia experientia docet, res naturales, cùm fuerint perfectę, ſuam bonitatem aliis communicare. Prima conſequentia deducitur ex eo, quoniam quidquid perfectionis eſt in cauſa inferiori, & in creatura, debet poni in prima cauſa, quæ eſt Deus. Ex hoc diſcurſu concludit D. Th. per hæc verba: *Vnde & hoc pertinet ad rationem voluntatis, vt bonum, quod quis habet, aliis communicet, ſecundùm quod poſſibile eſt, & hoc præcipuè pertinet ad voluntatem diuinam, à qua per quandam ſimilitudinem deriuatur omnis perfectio.*

Verùm in hoc D. Thom. diſcurſu quædã ſunt, IV. quæ difficultatem apparentem habere videntur. Primùm nanque cùm ait, quòd quemadmodum res naturales habent naturalem inclinationem ad proprium bonum aliis communicandũ, ita agentia per intellectum, & voluntatem. Si hæc proportio vera eſt, ſequitur ex illa, quòd ſicut inclinatio agentium naturalium ad proprium bonum aliis communicandum, non libera, ſed naturalis eſt, ita etiam inclinatio agentium per intellectum, & voluntatem, & maximè ipſius Dei ſuo modo ſit naturalis, & non libera: & ſic ſequitur, Deum non liberè, ſed naturaliter velle alia à ſe. Quòd ſi quis dicat proportionem tenere in aliquibus ſic, & in aliquibus non, hoc eſt totã vim rationis euertere.

Secundò ait ſpectare ad perfectionem agentis tum naturalis, tum voluntarij, velle propriam bonitatem aliis communicare. Si hoc eſt verum. Ergo ſequitur, ſpectare ad diuinam perfectionem, vt Deus velit alia à ſe. hæc autem perfectio vel naturalis eſt, & ſic non poterit Deus non velle alia à ſe; vel libera, & ſic eſt aliqua perfectio diuina, quæ poteſt ipſi Deo ineſſe, vel non ineſſe.

Tertiò ait, pertinere ad rationem voluntatis, maximè diuinæ, vt bonum, quod quis habet, aliis communicet, ſecundùm quod poſſibile eſt. hoc ſi verum eſt, duo abſurda non parui momenti ex illo ſequuntur: primum quòd Deus velit extra ſe, quidquid velle poteſt, & faciat, quidquid facere poteſt, nec plura facere poſſit, quàm faciat, quæ fuit hæreſis VVicleffi, Abaillardi, Lutheri, & Caluini, vt infrà dicemus. Secundum, quòd Deus ab æterno mundum produxerit; cùm ab æterno non repugnauerit, mundum producere potuiſſe ſaltem in ſententia D. Thomæ 1. part. D. Thom.
quæſt. 46. art. 2. qui fuit error Ariſtotelis, & Philoſophorum. primum enim, & ferè vnicum fundamentum, cui illi innituntur, ad mundi æternitatem adſtruendam, eſt quòd ad diuinam bonitatem ſpectet ſeipſam aliis communicare, quatenus poſſibile eſt, vt videri poteſt ex ſecundo argumento Proeli pro æternitate mundi, quod refert Ioannes Grammaticus in ſuo lib. de æterni- Ioan. Gram.
tate mundi.

Qui volunt omne verbum ſancti Doctoris iux- V.
ta ſtrictiſſimam, & rigoroſiſſimam ſignificationem accipiendum eſſe, & omnem illius rationem exactiſſimam eſſe demonſtrationem, immo & omne commentum Caietani eſſe oraculum, cui nefas ſit non aſſentire, multa dicunt, vt has ſoluant difficultates, quæ longum nimis foret hîc recenſere. Mihi, ſaluo meliori iudicio, videtur dicendum,

Ad primam difficultatem D. Thom. non attuliſſe illã rationem veluti demonſtrationẽ cui ipſa concluſio quam probandam aſſumit, principaliter innitatur. nam illam principaliter aſſumit probandam autoritate diuinæ Scripturæ, qua potiſſimum conſueuit propoſitiones de fide probare: ſufficit enim teſtimonium diuinæ Scripturæ ad illius certitudinem demonſtrandam. Cum hoc verò oſtendit etiam ex analogia proportionis inter inclinationem naturalem, quam habent agentia naturalia ad ſuam bonitatem aliis communicandam, & agentia per voluntatem ad eandem ipſorum bonitatem aliis communicandam, non repugnare diuinæ bonitati, Deum velle alia à ſe: immo id eſſe maximè ſecundùm illius naturalem inclinationem. Quare formaliter reſpondendo ad argumentum. Dico, aliquid eſſe ſecundùm naturam, vel ſecundùm naturalem inclinationem alicuius, duobus modis accidere: vno enim modo eſt aliquid ſecundùm naturalem inclinationem, quia res eſt ad illud naturaliter determinata etiam in actu ſecundo. hoc modo dicimus, quòd ignis ſecundùm ſuam naturalem inclinationem calefacit, & adurit, & lapis ſecundùm ſuam naturalem inclinationem fertur deorſum. Alio modo dicitur aliquid ſecundùm naturam, vel naturalem inclinationem, quia res licèt non ſit ad illud naturaliter determinata in actu exercito, eſt tamen conueniens eius naturæ ſic agere, & ad ſic agendum non ſolùm non habet repugnantiam, ſed potiùs habet maximam propenſionem. Quo pacto dicimus, eſſe ſecundùm naturam hominis, eſſe animal ſociabile, virtute præditum, ambulare, alterum amare; imò & apud homines in more poſitum eſt, & quotidiana id docet experientia, dicere, ſe naturaliter aliquos diligere potius quàm alios, & naturali etiam propenſione à quorundam aliorum amicitia, & familiaritate abhorrere. Cùm autem ait D. Thom. in hoc diſcurſu, eſſe ſecundùm naturalem inclinationem agentis per voluntatem, & præcipuè Dei, velle ſuam bonitatem aliis à ſe communicare, accipitur id, quod eſt ſecundùm naturam non primo, ſed ſecundo modo: id nanque ſufficiebat D. Thom. ad oſtendendum, quòd Deum velle alia à ſe, non ſolùm non repugnat diuinæ bonitati, & perfectioni, ſed eſt illi maximè conſentaneum, & conforme naturæ ipſius diuinæ bonitatis.

VI. Ad ſecundam difficultatem reſpondendum eſt fuſiùs cap. ſequenti. nunc breuiter dicendũ, quòd ſpectare ad diuinam perfectionem, velle alia à ſe, duobus modis poteſt intelligi: vno modo, quòd ex eo, quòd Deus velit alia à ſe, accedat aliquid perfectionis Deo. Alio modo, quòd ex diuina perfectione naſcatur quòd Deus velit alia à ſe. Spectat autem ad diuinam perfectionem velle alia à ſe non primo, ſed ſecundo modo: & iſta perfectio eſt naturalis Deo. Et tamen non ſequitur, quòd naturaliter velit alia à ſe, quia eſt perfectio naturalis non primo, ſed ſecundo modo dicta ex duobus enumeratis in ſolutione primæ difficultatis.

VII. Ad tertiam reſpondeo, illam clauſulam, *quantum poſſibile eſt*, poſſe duobus modis accipi: vno modo, vt iſta clauſula modificet virtutem communicantem ſuam perfectionem, & actum communicandi, & tunc facit ſenſum, quòd ad diuinam perfectionem ſpectat ſuam bonitatem aliis à ſe communicare, quantum poſſibile eſt ſecundùm totam virtutem agentis, & ſecundùm intenſiſſimum actum, quem habere poteſt. Alio modo, vt iſta clauſula modificet, ſeu determinet modum communicãdi, & capacitatem creaturæ, cui fit talis communicatio: & tunc facit ſenſum, quòd ad diuinam perfectionem ſpectat ſuam bonitatẽ aliis à ſe communicare, ſecundùm quòd diuina bonitas eſt à creaturis participabilis, eo modo quo dixit Ariſt. lib. 2. de Anima text. 34. omnes creaturas quadantenus diuinam bonitatem, & perfectionẽ generando ſibi ſimile in ſpecie participare. Primo autem modo accipit arguens iſtam clauſulam, *ſecundùm quod poſſibile eſt*. At reuera à D. Thom. nõ ſic accipitur, neque enim ſic accepta ad eius inſtitutũ conferebat, ſed ſolũ accepta ſecundo modo: quia mens D. Thomæ erat occurrere cuidam obiectioni tacitæ, quæ fieri potuiſſet, dicendo, quòd perfecta diuinæ perfectionis communicatio impoſſibilis eſt. Cui dubitationi occurrit dicendo, quòd ſpectat ad diuinam perfectionem ſuam bonitatem eo modo communicare, quo communicari poteſt. Et iuxta hunc ſenſum omnia bene cohærent. Ariſtot.

Ad rationem verò dubitandi factam in princi- VIII.
pio reſpondetur, non quodcunque obiectum volitum mouere voluntatem, ſed illud ſolum, quod eſt volitũ in ratione vltimi finis. Eſto igitur Deus velit alia à ſe, tamen non vult illa, vt finem, ſed vt media ad vltimum finem, qui nullus alius eſt, niſi ipſemet Deus. Et adhuc poteſt dici, quòd obiectum voluntatis duplex eſſe poteſt: alterum, quod eſt volitum, vt ex eo, vel mediante illo agens conſequatur aliquam bonitatem. Alterum quod eſt volitum, vt agens illi communicet ſuam bonitatem. Ratio illa concludit de obiecto volito primo modo: Deus autem vult creaturas extra ſe, vt obiectum volitum non primo, ſed ſecundo modo.

CAPVT II.

Secundum, & tertium dubium capite præcedenti propoſita expenduntur, & reſoluuntur.

ERat ſecundum dubium, an alia à ſe Deus velit I.
liberè, an naturaliter. Accipimus verò pro vno, & eodem, velle aliquid naturaliter, & velle illud neceſſariò, ita vt non poſſit non velle. In hoc dubio omnes antiqui Philoſophi, qui mundi æternitatem probauerunt, arbitrati ſunt, Deum velle alia à ſe non liberè, ſed naturaliter, & neceſſariò, ita vt non poſſit non velle: idque non eſt dubium ſenſiſſe Ariſtotelem, & eius Commentatorem Auerroëm; etſi nanque Ariſtoteles diſtinxerit agentia naturalia ab agentibus per voluntatem, & conſtet, de mente ipſius Ariſtotelis Deum agere per intellectum, & voluntatem, & Commentator ipſe videatur in lib. Deſtructionum diſp. 3. ad 2. dubium vindicare Ariſtotelem, & Philoſophos à calumnia, quæ illis impoſita fuerat, quòd dicerent, Deum agere neceſſariò ex neceſſitate naturæ, dum inquit, *Et non ſequitur eis* (ſcilicet Philoſophis) *aliquid huius quæſtionis, ſcilicet quòd Deus ſit agens ex neceſſitate naturæ, nam ipſi tenent, quòd actio eius emanat à ſcientia, & non ex neceſſitate inducente ad illud, neque ex ſe, neque ex re ab extra: ſed propter excellentiam, & bonitatem ſuam: & eſt neceſſariò volens, & eligens excellentiori gradu volentium, & eligentium, nam non euenit ei diminutio, quæ euenit volenti, quod apparet. & hac eſt doctrina ſapientis Principis Philoſophorum in quibuſdam libellis ſuis editis in ſcientia Metaphyſica.* Nihilominus eos ſenſiſſe, Deum velle res ad extra ex neceſſitate naturæ, non quidem eo modo, quo agentia ſine cognitione, ſed eo modo, quo agentia cum cognitione, quæ eſt naturalis neceſſitas diuinæ bonitatis, apparet tum ex citatis verbis Auerroë.

eiuſdem

eiuſdem Commentatoris, qui id apertè fatetur, tum ex toto diſcurſu, quo illi probant mundi æternitatem, de qua re dicendum eſt controuerſia ſequenti.

Hæretici etiam omnes, qui affirmant, Deum ad extra neceſſariò operari, & facere, quidquid poteſt, nec plura poſſe facere, quàm faciat, ex quibus ſunt Abailardus, VVicleffus, Lutherus, & Caluinus, ſi conſequenter loqui volunt, dicere debent, Deum quidquid ad extra vult, naturaliter, & neceſſariò velle.

II. Circa hunc errorem non opus eſt diutiùs hîc immorari, quoniam in ſequenti controuerſia ex profeſſo diſputandum eſt, an Deus agat ad extra ex neceſſitate naturæ. Nunc breuiter reſoluendum eſt præſens dubium, præmiſſa diſtinctione de creaturis duplici modo conſideratis, vt poſſibiles ſunt, & vt abſolutè futuræ, & de neceſſitate abſoluta, & ex ſuppoſitione. qua diſtinctione ſuppoſita,

Dicendum eſt primò, creaturas, vt abſolutè futuras Deus vult tantùm liberè, nullo autem modo naturaliter, neque abſolutè neceſſariò. Quæ aſſertio eſt doctrina fidei Catholicæ, quam probant
D. Thom. Ariſtot. omnes Theologi poſt D. Thom. dicta q. 19. art. 3. ex D. Paulo 1. ad Corinth. 2. vbi dicit, Deum res ad extra operari ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ: voluntas autem, quæ operatur ex conſilio, libera omnino eſt, vt conſtat ex 3. lib. Ethic. cap. 2. & 3. Et etiam ratione demonſtratiua, quia nihil neceſſariò eſt volitum, niſi finis, & illud quod cum fine habet neceſſariam connexionem: finis autem diuinæ voluntatis nihil eſſe poteſt extra Deum, ſed eſt ſola diuina bonitas. Rurſus nihil extra Deum eſſe poteſt, quod habeat cum diuina bonitate neceſſariam connexionem, tanquam medium ad finem, neque enim Deus creaturis indiget ad ſuum finem aſſequendum, & Deus minimè eſſet, ſi illis indigeret, iuxta id quod Propheta dicit in Pſal. 15. *Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges:* Neque etiam minus perfectus, neque minus bonus eſſet, non producens creaturas, quàm illis productis.

III. Dicendum ſecundò videtur, creaturas, vt poſſibiles ſunt, Deum velle neceſſariò voluntate ſimplicis complacentiæ, inefficaci tamen, quemadmodum neceſſariò, & naturaliter eaſdem creaturas, vt poſſibiles intelligit. ita ſentit Scotus in 3.
Scotus. Ricardus. Caiet. Suarez. Vaſquez. ſentent. d. 32. q. vnica in principio, Ricardus in 1. d. 45. art. 1. q. 5. ad vltimum. Caiet. 1. part. q. 34. art. 3. §. *ad imaginationes Scoti.* Suarez diſp. 3. Metaph. ſect. 16. Vaſquez 1. part. diſp. 79. ob quam cauſam ſentit etiam Caiet. Spiritum ſanctum produci ex amore creaturarum, vt poſſibilium, ſicut & dicit, Verbum produci ex notitia creaturarum, vt ſunt poſſibiles. Non me latet tamen, oppoſitam ſententiam tueri Alexand. Alenſem. 1. part. q. 34. memb. 4. & D. Bonauent. in 1. d. 45. art. 1. q. 2. contendentes non diligi à Deo creaturas, niſi futuras. At vtranuis ſententiam quis tueatur, parum retulerit.
Alexander Alenſis. D. Bonauentura.

Dicendum tertiò eſt, Deum velle neceſſariò creaturas vt futuras neceſſitate ex ſuppoſitione, quæ eſt neceſſitas immutabilitatis. Suppoſito enim, quòd ſemel eas voluerit, non poteſt eas amplius non velle. ita affirmat etiam D. Th. & res eſt de ſe manifeſta, nulla egens longiori probatione.

IV. Argumenta, quæ contra hanc reſolutionem fieri poſſunt, præcipua ſunt, quæ affert, & ſoluit D. Thom. dicta quæſt. 19. art. 3. quæ partim ex dictis ſoluta ſunt, partim in ſequenti controuerſia ſunt adducenda, & ſoluenda. Nunc ſolùm duo, vel tria ex illis breuiter adducemus, & ſoluemus.

Primum eſt. Quidquid Deo eſt naturale, eſt illi neceſſarium: ſed velle alia à ſe, eſt Deo naturale, ergo neceſſarium. Probatur minor. Nam ſi non eſt Deo naturale. Ergo eſt illi contra naturam.

Reſpondet D. Thom. ibid. ad tertium, quòd velle alia à ſe neque eſt Deo naturale, neque contra naturam, quoniam inter hæc duo datur medium, quod eſt eſſe voluntarium. vel dicendum, vt cap. præcedenti ad primam difficultatem dictum eſt, duobus modis aliquid poſſe dici naturale, & argumentum in maiori loqui de naturali primo modo ex ibi aſſignatis: in minori verò loqui de naturali ſecundo modo accepto; vt formaliter reſpondendo dicamus, accepto naturali primo modo maiorem eſſe veram, ſed minorem falſam: accepto autem naturali ſecundo modo, minorem eſſe veram, ſed maiorem falſam eſſe, ſaltem quatenus connotat aliquem reſpectum cauſalitatis Dei ad creaturas.

Secundum argumentum eſt. Ab eo, quod eſt V. ad vtrumlibet, nulla ſequitur actio, niſi ab aliquo inclinetur ad vnum, vt dicit Commentator in 2. Phyſic. comm. 48. Ergo ſi voluntas Dei reſpectu creaturarum ſe habet ad vtrumlibet, oportebit illam ab aliquo alio determinari ad effectum. Conſequens autem ſupponitur eſſe abſurdum.

Reſpondet D. Thom. ad 5. Quòd cauſa, quæ eſt ex ſe contingens, oportet quòd determinetur ab aliquo exteriori ad effectum: ſed voluntas diuina, quæ ex ſe neceſſitatem habet, determinat ſeipſam ad volitum, ad quod habet habitudinem non neceſſariam.

Ex hac doctrina nonnulli Theologi deducunt, ex mente D. Thom. omnes ſecundas cauſas contingentes, etiam humanas voluntates, vt exeant in quemcunque actum particularem, & determinatum, opus habere, prædeterminari phyſicè à prima cauſa ad ſingulos actus, etiamſi mali moraliter ſint, quoad naturalem tamen illorum entitatem duntaxat, & nō quoad moralem malitiam. Vtrùm autem iſta doctrina vera ſit, non opus eſt hîc diſputare. Solùm occurrit dicere, non videri mihi, eam ex hac reſponſione D. Thomæ neceſſariò deduci, loquendo de ſecundis cauſis liberis, ſi vera ſunt, quæ ex eodem D. Thoma adnotauit Caietanus circa ſolutionem quarti, & quinti argumenti. Notat enim ibi loci D. Thomam, accipere contingens, vt diſtinguitur non ſolùm à neceſſario, ſed etiam à libero. vnde ex ſententia D. Thomæ liberum eſt quid medium inter neceſſarium, & contingens: & ſic diuina voluntas reſpectu creaturarum neque eſt cauſa neceſſaria, neque contingens, ſed libera. Proportione quadam doctrinam D. Thomæ & Caietani huic illorum doctrinæ applicando, cùm D. Thomas loquatur de cauſa ex ſe contingenti, verba illius extendi non debent ad voluntatem humanam, quæ eſt cauſa potiùs libera. quàm contingens appellanda. Secundò, dato, quòd ſub cauſa contingenti, de qua ibi eſt ſermo, comprehendatur à D. Thoma etiam voluntas creata, non tamen conſtat, D. Thomam loqui de determinatione illa phyſica præcedente, & efficaci, quam illi affirmant neceſſariam eſſe ad hoc, vt voluntas exeat in actum. Videtur enim ſufficere qualiſcunque determinatio, etiam non phyſica, qualis ea eſt, quæ fit ab obiecto: aut certè nomine determinationis D. Thom. non intelligit illam efficacem, & phyſi-

cam prædeterminationem, quam nonnulli affirmant, ſed qualemcunque inclinationem voluntatis in obiectum propoſitum. quod veriſſimum mihi eſſe ſuadeo ex eo, quia in argumento ipſo, cui reſpondet, pro eodem accipit inclinationem, & determinationem.

Dicetur, inclinatio voluntatis, & prædeterminatio eiuſdem voluntatis ad actum determinatum circa determinatum obiectum, vnum & idem ſunt, & ſi inclinatio phyſica eſt, etiam determinatio phyſica erit; aut igitur vtrunque negandum eſt, aut vtrunque concedendum.

Reſpondeo accepto nomine phyſicæ prædeterminationis, vt à quibuſdam accipitur, mihi certiſſimum eſſe, non vnum & idem eſſe, phyſicè voluntatem inclinari in obiectum à ſuperiori cauſa, & phyſicè voluntatem prædeterminari ad talem actum circa tale obiectum à ſuperiori cauſa: quoniam voluntatem phyſicè inclinari, eſt voluntatem accipere inchoationem motus in obiectum. voluntatem autem phyſicè prædeterminari ad talem actum, eſt voluntatem conſtitui in termino ſui motus erga tale obiectum. non ſunt autem vnum & idem, voluntatem à prima cauſa accipere inchoationem ſui motus, & voluntatem conſtitui in termino motus, vt vel etiam nouitij in Philoſophia videre poſſunt. quòd ſi illi qui phyſicas prædeterminationes introduxerunt, nihil plus aſſerere velint, cùm aiunt, voluntatem humanam ad ſingulos actus phyſicè à Deo prædeterminari, niſi diuinam præmotionem inchoare in voluntate illius motum erga quodcunque determinatum obiectum, puto eorum ſententiam quoad omnes actus moraliter bonos, vel ſaltem indifferentes eſſe probabiliſſimam: quoad actus verò ſupernaturales eſſe omnino neceſſariam. Sed iam ingentes gratiæ ſunt Deo agendæ, quòd, pauciſſimis exceptis, omnes tam negantes, quàm aſſerentes phyſicas prædeterminationes, tandem in eandem conuenerunt ſententiam, vt fuſiùs Deo dante monſtrabitur lib. 8. & 9.

VI. Tertium argumentum eſt. Quidquid Deus ſcit, ex neceſſitate ſcit. Ergo à pari quidquid Deus vult, ex neceſſitate vult. Conſequentia probatur: quia ſicut ſcientia diuina eſt ipſa Dei eſſentia, ita etiam voluntas.

Reſpondet D. Thomas ad ſextum, quòd ſicut ſcientia, ita & voluntas eſt eademmet Dei eſſentia, & ſic omnia iſta ſunt neceſſaria tam diuinum velle, & diuinum ſcire, quàm diuinum eſſe. Differunt tamen diuinum ſcire, & diuinum velle, quia diuinum ſcire habet neceſſariam habitudinem ad ſcita, non autem diuinum velle. cuius diſcriminis rationem ipſe reddit ex eo, quia ſcientia habetur de rebus, prout ſunt in ſciente, voluntas autē comparatur ad res, prout ſunt in ſeipſis.

Aut reſponderi poteſt ex doctrina eiuſdem D, D. Thom. Thom. in 1. diſtinct. 39. art. 1. quòd ſicut voluntas aliorum extra Deum eſt libera, non neceſſaria, abſolutè loquendo: ita etiam ſcientia. ex ſuppoſitione verò ſicut ſcientia creaturarum neceſſaria eſt, ita & voluntas.

VII. Erat tertium dubium, an Deum velle alia à ſe, ſpectet ad perfectionem diuinæ voluntatis. Caiet. Circa quod dubium Caiet. d. q. 19. art. 2. ait, duobus modis intelligi poſſe, Deum velle alia à ſe: vno modo aptitudinaliter, quod eſt, Deum eſſe volitiuum: alio modo actualiter, quod eſt, Deum actu velle. Hac diſtinctione ſuppoſita ad dubium tria dicit. Primò quòd Deum velle alia à ſe, eſt perfectio in Deo, ſi accipiatur aptitudinaliter pro eo, quod eſt, eſſe volitiuū creaturarum: ſicut etiam eſt perfectio in Deo, eſſe factiuum creaturarum, id eſt poſſe facere creaturas. ſed de hoc velle non eſt præſens quæſtio, iſta nanque volitio eſt naturalis, nos verò quærimus ſolùm de volitione libera. Secundò dicit, quòd Deum velle alia à ſe actualiter eſt etiā perfectio in Deo, ſed libera & voluntaria. Tertiò addit, nō eſſe inconueniens, concedere, potuiſſe Deo deeſſe aliquā perfectionē voluntariam, & liberā. Neque inde ſequi, potuiſſe ſimpliciter deeſſe aliquā perfectionē Deo, quia dictiones *voluntaria*, & *libera*, diminuunt à ratione perfectionis, ac denotant, oppoſitum non dicere imperfectionem.

Hanc opinionē nonnulli notant, vt patū tutam in fide, & ferè apud omnes malè audit. Alij verò ſtudioſi doctrinæ Caietani eā ſic exponūt, dicúntque, duobus modis aliquam perfectionē dici poſſe voluntariam, & liberam, vno modo, quia liberè, & voluntariè acquiritur, & conſeruatur: alio modo, quia voluntariam, & liberam habet habitudinem ad obiectum, cui ipſa perfectio communicatur. Primo modo eſſet error impius in fide, ponere aliquam liberam perfectionem in Deo. Secundo autem modo nullum eſt inconueniens: & hoc modo Caietanus ponit liberas perfectiones in Deo, dum ait, quòd volitio actualis creaturarum eſt perfectio in Deo libera, & voluntaria: actus enim diuinæ volitionis, qui ſecundùm rem eſt vnicus, & ſimpliciſſimus, duobus modis conſiderari poteſt, vno modo, vt terminatur ad obiectum primarium, & intrinſecum, quod eſt diuina eſſentia, & vt ſic naturalis perfectio eſt; altero modo vt terminatur ad obiectum ſecundarium, & extrinſecum, quod ſunt creaturæ, & vt ſic eſt perfectio voluntaria, & libera, quia potuit Deus actum ſuæ volitionis abſque detrimento ſuæ perfectionis ad creaturas non extendere.

VIII. Hæc autem doctrina, quantum videre poſſum, ſic explicata, nihil continet, quod audiat malè, vel ſit in fide ſuſpectum. Verùm radicem difficultatis conuellere nō videtur, tota enim radix huius difficultatis videtur ſita eſſe in hoc, quia cùm vnicus tantùm, & ſimpliciſſimus ſit actus diuinæ voluntatis, quo Deus vult ſeipsū, & creaturas, qui quatenus terminatur ad diuinam bonitatem, eſt naturalis, & nihilominus idē actus, quatenus terminatur ad creaturas eſt liber. Difficile admodū videtur declarare, quid addat diuina volitio, quatenus libera eſt, ſupra ſeipſam quatenus naturalis eſt. Quod vt adhuc clariùs (ſi id fieri poteſt) explicemus, tria poſſumus imaginari concurrere ad cōſtituendam liberam volitionem in Deo. Primum eſt ipſe actus diuinæ volitionis, qui, vt dixi, ex parte rei idē eſt cū actu volitionis naturalis, & eſt ipſamet Dei ſubſtātia. Secundū eſt reſpectus quidam rationis conſurgens inter Deū volentem, & creaturam volitā, qui cùm ſit ens rationis, & quid ipſi Deo extrinſecum, nihil perfectionis vel ponit in Deo, vel aufert à Deo. Tertium eſt proximū fundamentum iſtius reſpectus, quod non videtur eſſe poſſe ipsū obiectum volitum, quia non exiſtente obiecto volito exiſtit nihilominus iſte reſpectus, modò enim non exiſtente Antichriſto Deus vult Antichriſtum eſſe, & iſtud fundamentum videtur talis eſſe conditionis, quòd illo poſito Deus dicitur volens, & ponitur reſpectus volentis ad volitum, & illo ablato aufertur. Difficultas itaque non eſt de actu ipſo ſpectato quoad illius entitatē, neque de reſpectu rationis, ſed de fundamento proximo, ex quo conſurgit talis reſpectus, quid illud ſit, & an ſit perfectio, & quānam ratione abſque eo, quòd accedat Deo aliqua realis entitas,

liberè

liberè ponatur, & ſine diminutione liberè etiam auferatur. cui difficultati non videtur fieri ſatis per hoc, quòd Deus pro ſuæ libertatis arbitrio poſſit ſe determinare ad ponendum hoc fundamentum proximum talis reſpectus: nam eſto hoc ſit verum, non tamen declarat, an illud ſit aliquid, an nihil, an ens reale, an rationis. Neque verum eſſe puto, quod quidam dicunt, Deum non determinare ſeipſum per aliquod velle intrinſecum potiùs ad producendum, quàm non producendum creaturas: mihi enim pluſquam certiſſimum eſt per ſuum velle ſe ad creaturarum productionem determinare. omne autem velle cuilibet volenti intrinſecum eſt, cùm ſit actus vitalis.

IX. In hoc dubio libenter fateor meam ignorantiam, potiùs me ſcire poſſe, quid non ſit illud proximum fundamentum, quàm quid illud ſit. Nõ eſt tamen hæc difficultas contingens circa ſolum actum volitionis liberæ creaturarum, ſed circa quoſcunque actus liberos diuini intellectus, & diuinæ voluntatis. Addo ſecundùm communem modum loquendi omnium Theologorum, à quo non eſt gratis diſcedendum, neque volitio libera creaturarum, neque vllus actus liber dicit perfectionem nec imperfectionem ſupra naturalem perfectionem, quam important iidem actus ſecundùm illorum entitatem, & ſubſtantiam.

X. Vnicum eſt argumentum contra ea, quæ dicta ſunt, quo videtur probari, ex libera creaturarum volitione accedere Deo aliquid perfectionis. Argumentum talo eſt. Omne medium conueniens ad finem aſſequendum, eſt agenti bonum, & vtile. Creaturæ ſunt volitæ à Deo, vt media ad finem. Ergo aliquo modo ſunt bonæ, & vtiles ipſi Deo. Ergo ex volitionè creaturarum accedit aliquid bonitatis, & perfectionis Deo.

Ad hoc argumentum nonnulli reſpondent, ex volitione creaturarum accedere aliquid perfectionis ipſi Deo, duobus modis accipi poſſe. vno modo extrinſecè, & extenſiue, & ſic non eſt inconueniens, accedere Deo aliquid perfectionis ex volitione creaturarum. Alio modo intrinſecè, & intenſiuè, & hoc pacto erroneum eſſet dicere, quòd ex volitione creaturarum accedat Deo aliquid perfectionis: quid verò ſit, ex volitione creaturarum accedere Deo perfectionem extrinſecè, & extenſiuè, illi declarant, quòd eſt diuinam gloriam, bonitatem, & perfectionem magis manifeſtari, & lucere, & extendi in creaturis. Vel dicendum, duobus modis aliquod medium poſſe dici conueniens ad finem, vno modo, vt per illud agẽs aſſequatur finem nondum habitum, alio modo, vt in eo exerceat, & ſplendeſcere faciat bonitatem, & perfectionem finis iam habiti. ex volitione medij conuenientis ad finem primo modo accedit aliquid bonitatis, & perfectionis agenti. At ex volitione medij ad finem conuenientis ſecundo modo, non accedit aliquid bonitatis, & perfectionis agenti, ſed è contrario bonitas, & perfectio agentis communicatur ipſi medio: creaturæ verò ſunt volitæ à Deo, vt media ad finem, ſecundo, non primo modo, videlicet ad Dei bonitatem, & gloriam, & perfectionem manifeſtandam in ipſis creaturis illam per diuinum velle participantibus.

CAPVT III.

Secunda controuerſia principalis proponitur, an aliorum à ſe Deus ſit cauſa per ſuam voluntatem, & ſenſus communis aperitur.

DVo ſunt dubia præcipua ſub vnico titulo propoſitæ quæſtionis comprehenſa, an aliorum à ſe Deus ſit cauſa per ſuam voluntatem. Primum eſt, vtrùm diuina voluntas ſit rerum cauſa per modum principij proximi executiui, circa quod dubium non opus eſt hic longam texere diſputationem, illud nanque ſufficienter, quantum inſtituti noſtri ratio poſtulat, reſolutum eſt lib. præcedente cap. 13. vbi docuimus, voluntatem in Deo eſſe proximum, & immediatum principiũ effectiuum creaturarum per modum exequentis, idque ex ſententia D. Thomæ, Scoti, & aliorum Doctorum. Vtrùm verò ſit de fide ita ſentire, quòd Deus ſit cauſa rerum per voluntatem, tanquam per principium proximum effectiuum & productiuum. Partem affirmatiuam videntur tenere Molina eadem quæſt. 19. art. 4. & Vaſquez ibid. diſp. 82. cap. 1. vbi id probant quibuſdam autoritatibus diuinæ Scripturæ, & Iuſtini Martyris, quæ reuera intentum non concludunt: ſolum enim probant, Deum producere res per voluntatem, & non per naturam, quatenus particula, *per voluntatem*, ſignificat idem, quod liberè, & non ex neceſſitate naturali, & dictio *per naturam*, ſignificat idem, quod ex neceſſitate naturali, & non per modum libertatis. Non autem probant, Deum producere res per voluntatem, quatenus denotat principium proximum executiuum, & effectiuum. Nam eſto Deus non operetur ad extra ex neceſſitate naturali, ſed liberè, poterit tamen aliquis concipere, eſſe aliud attributum, & aliud principium proximum productiuum creaturarum per modum potentiæ executiuæ, diſtinctum à voluntate eo modo, quo vnum attributum diſtinguitur ab aliis, ſicut de facto nonnulli dicunt: & hoc dicere non puto continere errorem in fide, licèt hæc ſententia probabilis omnino non videatur propter rationes loco citato adductas, tum etiam, quia dato, & non conceſſo, quòd eſſet in Deo alia potentia executiua præter voluntatem, oporteret eam in agendo ſubiici imperio diuinæ voluntatis, alioqui non poſſet reddi ratio, ob quam non faciat, quidquid poteſt, & quando poteſt. I. Molina. Vaſquez.

Secundum dubium ſub titulo eiuſdem quæſtionis propoſitum eſt, an Deus aliorum à ſe ſit cauſa per voluntatem, quatenus voluntas eſt, id eſt, quatenus libera eſt: an verò ſit cauſa rerum per naturam, vel per voluntatem, vt natura eſt. Diximus enim lib. 1. & etiam in principio lib. 2. idque excepimus ex D. Thoma 1. part. q. 41. art. 2. & quæſt. 83. art. 4. Voluntatem duplicitèr poſſe conſiderari, vt voluntas eſt, & deliberata, ſeu libera, & vt eſt natura. & hoc dubium principaliter examinandum, & reſoluendum eſt in præſenti controuerſia. confert nanque illius ſolutio ad humani arbitrij libertatem firmandam, quia multorum, eorumque non leuis notæ Doctorum eſt ſententia, ſi Deus ageret ad extra non liberè, ſed ex naturæ neceſſitate, omnem rerum contingentiam funditus euerſum iri, omnémque humanæ voluntatis libertatem. II. D. Thom.

Circa præſens dubium fuit communis error omnium ferè antiquorum Philoſophorum, Deum ad extra operari non liberè, ſed ex neceſſitate naturæ. Et quoniam, vt lib. 1. cap. 1. adnotauimus, tribus modis concipi poteſt, Deum agere ex neceſſitate naturæ, primo modo quòd ſit agens naturale ſine intellectu, & voluntate. Secundo quòd licèt ſit præditus intellectu, & voluntate, non tamen agat per intellectum, & voluntatem, ſed per ſuam naturam, vt principium immediatum cauſandi

ſandi eo modo, quo & Durandus dixit, diuinas emanationes ad intra non eſſe per intellectum, & voluntatem, vt principia productiua, ſed per ipſam naturam. Tertio, quòd ipſa voluntas ſit principium productiuum rerum, non tamen quatenus voluntas eſt libera, ſed quatenus eſt natura. Nullus dixit Deũ agere ex neceſſitate naturę primo modo, conſtat enim apud omnes Philoſophos, Deum eſſe ſubſtantiã intellectualem agentem per intellectũ, & voluntatẽ; ſed dixerunt, illum agere ex neceſſitate naturæ, vel ſecundo, vel tertio modo tantùm.

III. Ariſtoteles. De Ariſtotele, & Commentatore eſt ſententia nonnullorum, illos ſenſiſſe, Deum non naturali neceſſitate, ſed liberè ad extra operari, tum quia Ariſtoteles lib. 2. Phyſic. & aliis in locis diſtinguit agentia naturalia ab agentibus per intellectum, & voluntatem: tum quia multa ſunt teſtimonia, ex quibus videtur colligi, Ariſtotelem ſenſiſſe, Deum ad extra operari liberè, & quod vult, & quando vult: tum denique quia Commentator diſp. 3. Metaph. ad ſecundum dubium ex profeſſo reiicit ſententiam illorum, qui dicebant, Deum de mente Ariſtotelis, & Philoſophorum agere ex neceſſitate naturæ, tanquam impoſſibile, & aliis pluribus in locis citatis à Zimara in ſua tabula in verbo, *Dei actio*, & verbo, *Dei ſcientia*, affirmat, Dei actionem procedere ab illo non neceſſariò neceſſitate aliqua inducente illum ad agendum, neque ex ſe, neque ex re extra ſe. Commen.

Tamen his non obſtantibus re diligenter inſpecta dicendum eſt, illos etiam ſenſiſſe, Deum agere ad extra neceſſariò neceſſitate aliqua naturali oppoſita modo agendi cum vera libertate. nam licet non agat neceſſariò eo modo, quo agunt res ſubſtantiales, & ſubſtantiæ corporeæ, agit tamen neceſſariò neceſſitate ſuæ bonitatis, & immutabilitatis, quæ neceſſitas quædam naturæ eſt, quemadmodum Auerr. loco cit. ex diſp. 3. ad dubium ſecundum, & lib. 8. Phyſic. com. 15. expreſsè fatetur: & in hac neceſſitate bonitatis & immutabilitatis fundãtur omnes diſcurſus illorum ad probandam mundi, & motus æternitatem, qua ſublata omnes illorum rationes euaneſcunt. Et in hoc illi ſimiliter errant contra fidem Catholicam, ſicut alij Philoſophi, quia arbitrantur, quòd cum neceſſitate diuinæ bonitatis, & immutabilitatis non ſtet ſimul, Deum ad extra libere ita agere, vt poſſit non agere, & in tempore mundum creare, non autem ab æterno, quæ eſt ſententia contra fidem. Neque autoritates, quæ ex eius libris afferuntur ad probandum, quòd ſenſerit, Deum liberè operari ad extrà, propoſitum, & intentum concludunt, tum quia omnes ſunt exceptæ ex libris moralibus, in quibus vti ſolet ſermonibus popularium, non autem loquitur ſecundùm propriam ſententiam, quæ non ex libris moralibus, ſed ſpeculatiuis, & acroamaticis ſpectanda eſt: tum etiam, quia ex aliis locis ſuam interpretationem accipiunt. Et ita de Ariſtotele ſenſerunt autores à nobis citati lib. 2. cap. 1. in recenſendo ſecundo errore, & alij plures, quos citant Molina dicta q. 19. art. 4. Vaſquez ibid. diſp. 81. & Suarez diſp. 30. Metaph. ſectio. 16. n. 32. nempe Scotus, Gregor. Arimin. Marſilius, Gulielmus Okam, Gabriel, Heruæus, Ferrarienſis, Soto, Iulius Sirenius, & Petrus Pomponatius. Molina. Vaſquez. Suarez.

IV. Errorem Philoſophorum ingenti animi feruore ſuſceperunt hæretici Petrus Abaillardus, Ioan. VVicleffus, Lutherus, Laurentius Valla, Bucerus, & Calumus, & primo ſæculo naſcentis Eccleſiæ Simon Magus eodem cap. 1. lib. 2. ſuprà citati. Ex hoc verò errore deducebant iſti hæretici alium errorem, quòd quidquid Deus facere poteſt, actu faciat, & plura facere non poſſit, quàm faciat: vnde Calumnus lib. 1. inſtit. cap. 16. §. 3. ait: *Sane omnipotentiam ſibi vendicat, & deferri à nobis vult Deus, non qualem Sophiſtæ fingunt, inanem, otioſam, & quaſi ſopitam, ſed vigilem, efficacem, operoſam, & quæ in continuo actu verſetur.* & ante illum Petrus Abaillardus referente D. Bernardo: *Ex his itaque tam de natura*, inquit, *quàm de ſcripto collatis conſtat, id ſolum Deum facere poſſe, quod aliquando facit.* & Ioan. VVicleffus lib. 1. Trialogi cap. 11. apud VValdenſem lib. 1. Doctrinalis fidei cap. 10. dicit, quòd *omnipotentia Dei, & actualis eius creatio coæquantur, & inde eſt omnipotens, quia omne poſſibile producit, & nihil eſſe producibile, niſi quod eſt.* Calumnus. Petrus Abaillardus. Ioan. VVicleff.

Hi duo errores ſunt hoc in loco à nobis ſuo ordine refutandi. Primò itaque oſtendemus, Deum ad extra liberè operari, quidquid operatur. Secundò Deum plura, & infinita facere poſſe, quæ non facit, neque vnquam faciet. Et quia, vt diximus, eſt ſententia nonnullorum, ſi Deus ad extra ageret ex naturæ neceſſitate, & non liberè, euerſum iri humanam libertatem. Tertio loco videbimus, an ſi per impoſſibile Deus ageret ad extra ex neceſſitate naturæ, adhuc poſſet eſſe in rebus contingentia, & in homine vera libertas. V.

Primum probatur teſtimoniis diuinæ Scripturæ, quæ quadripartita ſunt: nam quædam ſunt teſtimonia, quæ expreſsè docent Deum omnia operari ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ. ita habetur ex Pſal. 111. in illis verbis, *Magna opera Domini, exquiſita in omnes voluntates eius.* & Pſal. 113. in illis, *Deus autem noſter in cœlo omnia, quæcunque voluit, fecit.* & Danielis cap. 3. dixerunt tres pueri Regi Nabuchodonoſor. *Potens eſt Deus nos de manibus tuis ô Rex liberare. Quod ſi noluerit, ſtatuam, quã feciſti, non adoramus.* & cap. 4. dixit Regi Daniel: *Septem quoque tempora mutabuntur ſuper te, donec ſcias, quòd dominetur Excelſus ſuper regnum tuum, & cuicunque voluerit, det illud.* & Eſther c. 13. *Non eſt, qui poſſit tua reſiſtere voluntati, ſi decreueris ſaluare Iſrael.* & D. Paulus primæ ad Corinth. 12. *Diuidens ſingulis, prout vult.* primæ ad Corinth. 2. *Operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ.* hi autem modi idem ſignificant, quòd Deum operari liberè. Alia ſunt teſtimonia quæ docent, Deum hominum precibus, & pœnitentia placari, & flagella, quæ illis immittere decreuerat, continere. Paralip. lib. 2. cap. 7. *Si clauſero cœlum, & pluuia non fluxerit, & mandauero, & præcepero locuſtæ, vt deuoret terram, & miſero peſtilentiam in populum meum, conuerſus autem populus meus, ſuper quos inuocatum eſt nomen meum, deprecatus me fuerit, & exquiſierit faciem meam, & egerit pœnitentiam à viis ſuis peſſimis, & ego exaudiam eum de cœlo, & propitius ero peccatis eorum, & ſanabo terram eorũ.* & 3. Regũ c. 21. dixit Elias Achab in nomine Domini: *In loco hoc, in quo linxerunt canes ſanguinem Naboth, lambent quoque ſanguinem tuum.* & alia plura, quæ ibid. leguntur. Nihilominus paulo infrà ait Dominus ad Eliam: *Quia humiliatus eſt* (ſcilicet Achab) *mei cauſa, non inducam malum in diebus eius, ſed in diebus filij eius inferam malum domui eius.* Simile exemplum habetur lib. 4. Regum cap. 10. Sapiens quoque dicit Sapientiæ 11. *Deum diſſimulare peccata hominum propter pœnitentiam.* & Ieremiæ c. 18. *Si pœnitentiam egerit* (inquit) *gens, agam & ego pœnitentiam.* Simile habetur Ezechiel. 18. & 33. & Ioelis cap. 2. & alia eiuſdem generis ſunt ſexcẽta teſtimonia in diuinis Scripturis.

Alia

Alia ſunt teſtimonia, quæ demonſtrant, Deum dependenter aliqua velle ex hominum voluntate, id eſt, ſi illi quoque ea velint, & in poteſtate hominum poſitum eſſe, accipere à Deo bonum, & malum, vitam & mortem, quæ teſtimonia copiosè adduximus lib.2. cap.6. & alia ſimilia videri poſſunt apud Thom. VVald. lib. 1. cap.12. in principio, maximè teſtimonium illud ex lib. Geneſ. cap.19. vbi promittit Deus Abrahæ parcere toti ciuitati Sodomorum, ſi in ea reperti eſſent decem viri iuſti, quod teſtimonium ad hoc propoſitum expendit D. Auguſtin. quæſtione 40. in Geneſ. & illud ex Marci cap. 6. vbi dicitur, quòd *Chriſtus non poterat multas virtutes facere apud Nazarethanos, propter incredulitatem illorum.*

Alia demum ſunt teſtimonia, quibus probatur, Deum plura facere poſſe, quæ non facit, quæ teſtimonia inferiùs adducemus.

VI. Secundò probari poteſt hæc veritas teſtimoniis ſanctorum Patrum, quibus probatur, Deum eſſe præditum libero arbitrio, quæ paſſim adduci ſolent à Commentatoribus D. Thom. dicta q.19.art. 10. eáque videri poſſunt copiosè citata à Cardinale Bellarmino lib.3. de gratia, & libero arbitrio cap. 16. Illa nanque optimè etiam probant hanc propoſitionem, quòd Deus liberè ad extra operatur.

D.Thom. Bellarmin.

Quartò probatur argumento irrefragabili D. Auguſtini lib.4. de Geneſi ad litteram cap.4. quod ſolum ſufficit ad conuincendos omnes hæreticos, qui diuinam Scripturam recipiunt, & admittunt mundi creationem. Certum nanque eſt ex initio diuinæ Scripturæ, Deum in principio temporis cœlum, & terram condidiſſe per ſeipſum immediatè: hoc autem ſuppoſito impoſſibile eſt, Deum omnia ex neceſſitate naturæ operari, quia quod agit ex neceſſitate naturæ, operatur ſtatim, vt poteſt, & quidquid poteſt. Si ergo Deus agit ex neceſſitate naturæ, reddant nobis hæretici rationem, cur Deus mundum in tempore, & in tali tempore, non autem ab æterno creauerit, aut ſaltem per mille ſæcula antè illud tempus ipſum mundum condiderit. Certè huius dilationis nullam poterũt hæretici apparentem, ne dicam euidentem rationem aſſignare.

Auguſt.

Quintò probatur alio argumento D. Auguſtini ſumpto ex lib.9. de Geneſi ad literam cap.17. Si Deus agit ad extra ex neceſſitate naturæ, nihil omnino efficere poteſt præter conſuetum curſum, & ordinem rerum, nam agens ex neceſſitate naturæ ad vnum modum agendi ſemper eſt determinatum: ſed Deus plura facit præter conſuetum curſum, & ordinem rerum, quæ vocantur miracula, cuiuſmodi fuit reſuſcitatio Lazari, illuminatio cæci nati, & alia id genus. Non ergo eſt agens ex neceſſitate naturæ. Videri poſſunt hæc argumenta amplificata apud VVald. lib. eodem 1. Doctrinalis fidei c.11.

Thom. VValdenſ.

VII. Sextò probatur argumento ſumpto ex perfectionibus, quæ reperiuntur in creaturis. Conſtantiſſimum enim eſt apud omnes homines ſanæ mẽtis, omnem perfectionem ſimpliciter, quæ ſit in aliqua creatura, debere reperiri in Deo. At in creaturis reperitur libertas, vt lib.2. monſtratum eſt, eámque omnes homines reputant maximam perfectionem, nullus enim etſi obſtinatiſſimus Caluinita non vult ſe eſſe dominum ſuarum actionum, & habere ſe in illas poteſtatem: nullus eſt mortalium, qui pro libertate tanquam bono quodam præcipuo non ſummopere prælietur, hinc enim omnia ferè bella in mundo exoriuntur, & ſi tantæ dignitatis ac perfectionis exiſtimamus, hominem eſſe dominum ſuarum actionum externarum, in quibus tamen ab homine cogi poteſt, quãto maioris perfectionis æſtimandum eſt dominium actionum internarum, vt Philoſophus quidam argutè ſatis Magno Alexandro fertur dixiſſe, quòd qui totum mundum ſibi ſubiecciſſet, adhuc tamen ſui ipſius dominus effectus non eſſet, ſed ſibi à vitiis ſineret dominari? Porrò ſi tam magnum bonum, & tam ingens perfectio æſtimatur, hominem ſuarum actionum tum externarum, tum internarum dominum eſſe, cur quæſo homines ſunt in Deum impij, & ſummè ingrati, vt velint bono, quod à Deo acceperunt, ipſum Deum priuare? Cõfirmari autem poteſt hæc ratio, nam homo ad Dei imaginem, & ſimilitudinem dicitur effectus. At hæc ratio imaginis, & ſimilitudinis potiſſimùm penes arbitrij libertatem attenditur, vt tradit Catena Græcorum Patrum ad illum locum lib Gen. *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram.*

VIII. Septimò ab agente per intellectum, & voluntatem nihil eſt neceſſariò volitum niſi finis, & media, quæ ſunt neceſſaria ad finem: ſed nihil eſt extra Deum, quod poſſit eſſe ab illo volitum vt finis, aut vt medium neceſſarium ad finem. Ergo nihil eſt extra Deum ab illo volitum neceſſariò. Minor probatur quoad primam partem, nempe quoad hoc, quòd nihil extra Deum poſſit eſſe ab illo volitum ſub ratione finis; nam finis habet rationem optimi: at nihil eſt extra Deum, quod illi comparatum habeat rationem optimi. Probatur etiam ſecunda pars, quòd nihil poſſit eſſe medium neceſſarium Deo ad ſuum finem aſſequendum, quia nihil eſt extra Deum quo mediante ille ſit perfectus, & bonus, & Deus.

Octauò argumentor ex communi conſenſu omnium hominum, qui falſus omnino eſſe nequit, vt lib.2. c.15. dictum eſt: at communis animi conceptio eſt, Deum agere liberè, & non ex neceſſitate naturæ, nam quicunque mortalium vel ipſa natura docente in ſuis neceſſitatibus diuinam opem implorant, votis, orationibus, aris, thure, ſacrificio, libamine. At nónne hæc omnia vanè effunderent, ſi Deus exoratus nihil aliud efficere poſſet, niſi quod agit ex neceſſitate naturæ? Tandem Deus infinitæ eſt virtutis in agendo. ergo non agit ex neceſſitate naturæ. Valet conſequentia, quia ſic ageret quidquid poſſet, & quantum poſſet, & quando poſſet. Faceret ergo omnia ſimul, & ſemel duntaxat operaretur, & faceret ſimul infinita.

CAPVT IV.

Argumenta aduerſariorum contra diuinam libertatem in agendo adducuntur, & ſoluuntur.

COntra diuinam in agendo libertatem cap. præcedenti firmatam arguunt Philoſophi, & hæretici multipliciter. Primum argumentum ſumunt ex natura diuinæ bonitatis. De natura ſummi boni eſt ſeipſum aliis communicare, & ſuam bonitatem aliis rebus impertiri, quantum fieri poteſt: Deus eſt ſummum bonum. Ergo ex neceſſitate naturali ſuæ bonitatis ipſam bonitatem aliis à ſe impartitur, quantum poſſibile eſt: hoc autem eſt quod Philoſophi dicunt, Deum agere neceſſariò I.

Digitized by Google

riò ad extra neceſſitate ſuæ bonitatis. hoc eſt ſecundum argumentum Procli apud Ioan. Grammaticum in lib. de æternitate mundi, quod virtualiter tangit Auerr. in lib. deſtructio. diſp. 3. ad ſecundum dubium. Idem argumentum adducit VVicleffus, licèt ad alium ſcopum, vt inferiùs dicemus.

Ioan. Grammat.

Reſpondeo, aliquid eſſe de natura alicuius duobus modis contingere, vno modo, quòd res tendat in illud naturali quadam neceſſitate, etiam in actu ſecundo, quo pacto dicimus, quòd de natura grauis eſt tendere deorſum: Alio modo, quòd ſit conueniens naturæ rei, & illi proportionatum, eſto res non tendat in illud naturali neceſſitate, quo pacto plura ſecundùm naturam hominis ſunt, quæ tamen non ex naturali neceſſitate facit. De natura itaque ſummi boni eſt, ſuam bonitatem aliis communicare non primo, ſed ſecundo modo, ſicut ſuprà cap. 1. dictum eſt. Vnde non ita pertinet ad naturam diuinæ bonitatis ſeipſam aliis communicare, vt niſi ſeipſum communicaret ad extra, Deus foret minus bonus, ac minus perfectus. Et ratio eſt, quia per communicationem Deus nõ recipit perfectionem ex creaturis, ſed vice verſa illam eis communicat. quam rationem non ignorauit, nec tacuit etiam Auerroës in 1. diſp. phyſica ad quartum dubium.

Auerroes.

II. Secundum argumentum. Si Deus non eſt cauſa neceſſaria ad extra. Ergo eſt cauſa contingens. Conſequens eſt falſum, quia eſſe cauſam contingentem dicit imperfectionem in ipſa cauſa. Conſequentia probatur, quia non neceſſarium eſſe, & poſſibile non eſſe, & contingens eſſe, æquipollent adinuicem. Reſponderi forſan poſſet ex Scoto, nõ omnem cauſam contingentẽ dicere imperfectionem, quia prima cauſa ſe habet contingenter ad extra, & tamen abſque vlla imperfectione. Sed hæc reſponſio ſuperiùs fuit reiecta.

Reſpondetur negando conſequentiam, quia, vt ſuprà dictum eſt ex doctrina D. Thomæ, inter cauſam contingentem, & neceſſariam datur cauſa libera, quæ de ſe neque eſt neceſſaria, neque contingens.

Vel dicendum eſt ex doctrina eiuſdem D. Th. 1. contra gentes cap. 82. & 1. part. q. 19. art. 3. ad quartum, duobus modis contingere poſſe aliquam cauſam non habere ad effectum neceſſariam habitudinem, vno modo ex defectu virtutis ipſius cauſæ, vt contingit in ſecundis cauſis: alio modo ex imperfectione effectus, qui non adæquat virtutem cauſæ, & hoc modo dicimus primam cauſam, quæ eſt Deus, non habere neceſſariam habitudinem ad aliquid extra Deum.

D. Thom.

III. Tertium argumentum. Si Deus non neceſſariò, ſed liberè operatur, ita vt poſſit non operari, ſequitur, quòd ſit in Deo potentia paſſiua, & mutabilitas. Probatur conſequentia, quia illa eſt potentia paſſiua, quæ non eſt ſemper coniuncta cum ſuo actu, & ibi eſt tranſitus de potentia ad actum. Hoc argumentum inſinuat Ariſtoteles in 12. Metaph. text. 30. & Auerr. in 8. Phyſic. cap. 15.

Ariſtoteles.

Confirmatur argumentum ab ipſo Philoſopho in eodem lib. 12. Metaph. text. 48. Deus ex neceſſitate ſuæ naturæ ſemper eſt in optima diſpoſitione: ſed optima diſpoſitio agentis eſt agere. ergo Deus de neceſſitate naturæ agit. quòd autem agere ſit optima diſpoſitio agentis, ex eo patet, quia otium eſt contra optimam diſpoſitionem cuiuſlibet cauſæ. Hoc argumẽtum tangit Caluinus lib. 1. Inſtit. c. 16. §. 3. cuius verba ſuprà retulimus.

Caluinus.

Reſpondeo negando conſequentiam quoad vtrunque inconueniens, quod per illam ex antecedenti deducitur. non enim in Deo eſt potentia ad actum: neque verum eſt, diuinam potentiam non ſemper eſſe coniunctam cum ſuo actu perfectiſſimo, vt arguens imaginatur: nam in Deo propriè non eſt potentia ad actum, vt hoc libro cap. 1. dictum eſt, ſed ſolùm ad obiectum, in quantum diuinæ potentiæ aliquando correſpondet obiectum ad extra, aliquando non. & ſic quando Deus de non creante fit creans, non tranſit de potentia ad actum, ſed creatura eſt illa, quæ tranſit de potentia obiectiua ad actum, & de non eſſe ad eſſe, & ſic mutatio eſt in creatura, non in Deo.

Ad confirmationem, in qua Caluinus putat magnam vim ſitam eſſe, primùm retorquenda eſt ratio contra illum. Nam ſi illa eſt in Deo potentia inanis, otioſa, & quaſi ſopita, quæ non eſt ſemper coniuncta cum actu. Ergo per infinita ſæcula antequam Deus mundum produceret, eius potentia fuit otioſa, inanis, & ſopita. quid enim efficiebat tunc, circa quid euigilabat Dei omnipotentia? Magis igitur conſequenter loquuntur Philoſophi, qui dicentes Deum agere ex neceſſitate naturæ, dicunt mundum eſſe æternum, licèt ipſi quoque errent, quàm ſtupidiſſimi Caluinitæ, qui ex Euangelio Chriſti, & doctrinis Paganorum vnam tertiam ſectam conflare volentes, dogmata, & paradoxa inextricabilia fingentes, Deum ipſum probris, & contumeliis grauiſſimis afficiunt. Quid enim eſt dicere, diuinam omnipotentiam, quæ in continuo motu, & operatione non verſatur, inanem eſſe, & otioſam, & quaſi ſopitam, niſi dicere, Deum per æternam durationem ante creationem mundi cõpoſitis manibus inanem, & otioſum ſtetiſſe, aut in lecto conſopitum, aut in diuerſorio ſterrentem, aut nugis incumbentem, qualem Deum Prophetas Baal ſuo tempore coluiſſe aiebat Elias lib. 3. Regum c. 17. Quòd ſi per æternam illam durationem antequam Deus aliquid ad extra produceret, Deus ipſe nec otioſus manſit, nec inanis, & conſopitus, ex hoc apparet tum impudentia Caluini, tum vanitas illius argumenti.

Dicendum igitur, quòd duplex eſt potentia, & duplex actio illam conſequens, altera per quam agens propriam perfectionem conſequitur: altera per quam agens propriam perfectionem aliis à ſe largitur, & communicat. quando actio eſt talis naturæ, vt per illam agens ſuam perfectionem conſequatur, ad hoc, vt ſit in optima diſpoſitione, oportet, illum ſemper agere. At verò actio Dei ad extra, & potentia ad illam ordinata non eſt talis naturæ, vt per eam Deus conſequatur ſuam perfectionem, ſed vt per eam Deus ſuam perfectionem aliis à ſe communicet. Hinc eſt, quòd nec mundum producens magis perfectus, aut operoſus, neque ante mundi productionem minus perfectus, aut otioſus, aut minus fuit in ſua optima diſpoſitione, & in hoc hallucinatus eſt Ariſtoteles cum Philoſophis.

IV. Quartum argumentum. Perfectiſſimus modus cauſandi, eſt Deo attribuendus: ſed perfectiſſimus modus cauſandi eſt cauſare neceſſariò. Ergo Deus cauſat neceſſariò. Probatur minor, quia eſſe ens neceſſarium eſt maxima perfectio: eſſe cauſam eſt maxima perfectio. Ergo eſſe cauſam neceſſariam eſt maxima perfectio.

Reſpondeo negando minorem. Ad probationem reſpondetur, quòd eſſe ens neceſſarium dicit perfectionem; & eſſe cauſam dicit perfectionẽ, & tamen

tamen esse causam necessariam non dicit perfectionem, sed imperfectionem. Cuius ratio colligitur ex D. Thom. locis supra citatis ex 1. contra gentes c.82.& 1.p.q.19.a.3 ad quartum, quia causa necessaria dicit dependentiam ab aliquo, sine quo illa non est perfecta. D.Thom.

Quintum argumentum. Causa indeterminata est de se imperfecta: at diuina omnipotentia nullam admittit imperfectionem. Ergo.

Respondeo, duobus modis causa dicitur indeterminata, vno modo quia nondum est in sua vltima perfectione: alio modo quia effectus non habet ad illam necessariam habitudinem, & ordinem. Prima causa est indeterminata secundo modo, non autem primo modo.

Sextum argumentum sumi potest ex autoritate Dionys. c.4. de diuinis nominibus, vbi dicit, quòd sicut noster sol nó ratiocinans, non eligens radios suos diffundit in omnia corpora, ita & diuina bonitas in omnia entia. Dionys.

Respondeo ex D.Tho. in 1.d.43. q.2.a.1. ad primum, similitudinem D.Dionysij non attendi quoad omnia, maximè quoad necessitatem agendi sine cognitione, constat enim in hoc non attendi, cùm Deus sit agens per cognitionem, sed attendi quoad vniuersalitatem causandi. D.Thom.

V. Septimum argumentum. Esto Deus ab æterno liber fuerit ad volendum, vel nolendum esse mundum; tamen semel supposita in Deo voluntate, quòd mundus esset, non ampliùs potuit, nec potest mundum non creare, & semel supposito, quòd voluerit Antichristum esse, non manet in eo physica potentia ad ampliùs volendum, quòd Antichristus non sit, vt dicit D. Thom. 1. contra gentes cap. 83. quem ibi sequitur Ferrarien. & Caietan. in 1. part. quæst. 19. art. 7. Ergo saltem ex hoc capite quidquid Deus ad extra operatur, necessariò operatur. D.Thom. Ferrarien. Caietan.

Ad dissoluendum hoc argumentum Theologi multa dicunt, quorum dictorum summa hæc est, esse modò in Deo potentiam ad volendum, quòd Antichristus non sit, duobus modis intelligi potest, vno modo quòd supposito, quòd Deus velit Antichristum esse, simul in diuina voluntate coniungi possit actus non volendi, aut nolendi Antichristum esse. & in hoc sensu dicunt, D. Thom. & Caiet. & alij quòd postquā Deus voluit Antichristum esse, rémaneat nihilominus in sensu diuiso in Deo potentia etiam physica ad volendum, & faciendū, quòd Antichristus non sit futurus: & in hoc sensu verum est, quòd etiam postquam Deus semel voluit aliquid esse futurum ad extra, adhuc nihilominus illud liberè producit, & potest non velle, & non producere, & ita sentiunt Scotus in 1. dist. 39. q. 1. D. Bonau. & alij quos referunt, & sequuntur Trigosius 1.p. q.14.a.2.dub.5.& Dominicus Bañes 1.p.q.19.a.10. dub.2. Scotus. Bonauent. Trigosius. Bañes.

CAPVT V.

Deum plura facere posse, quàm faciat.

I. NVnc secundo loco probandum nobis est, Deum longè plura facere posse, quàm actu faciat: ex quo etiam deducemus, Deum ad extra liberè operari, non autem ex necessitate naturæ. Id verò probatur in primis autoritate diuinæ Scripturæ, quæ conceptis verbis id testatur Danielis c. 3. *Ecce enim Deus noster, quem colimus, potest eripere nos de camino ignis ardentis, & de manibus tuis ô Rex liberare. quod si noluerit, notum sit tibi Rex, quòd Deos tuos non colimus.* Secunda autoritas est in lib. Esther c.13. *Domine Rex omnipotens in ditione tua cuncta sunt posita: & non est, qui tuæ possit resistere voluntati si decreueris saluare Israel.* Tertia est in lib. Sapientiæ c.11. *Non enim impossibilis erat omnipotenti manus tua, quæ creauit orbem terrarum, ex materia inuisa, immittere illis multitudinem vrsorum, & audaces leones.* Quarta ex Euangelio Matth. c.19. vbi ait Saluator. *Facilius est camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnum cœlorum:* & paulo infrà: *Hoc apud homines impossibile est, apud Deum omnia possibilia sunt.* istud fuit de possibilibus, quæ nunquam leguntur facta. Quintum testimonium habetur ex eodem Euangelio cap.26. cùm ait Saluator. *An putas, quia nō possum rogare Patrē meum, & exhibebit mihi modò plusquam duodecim legiones Angelorum.* istud etiam fuit de possibilibus, quæ Deus actu non fecit. & hæc duo posteriora testimonia à D. Augustino adducuntur ad hoc probandum lib. de Spiritu & litera c. 1. Sextum testimonium habetur ex eodem Euangelio cap.3. ibi: *Dico enim vobis, quoniam potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.* Septimum ex Euangelio Marci c.14. *Abba Pater, transfer calicem hunc à me, omnia tibi possibilia sunt.* hæc possibilia Deus non fecit. Augustinus.

II. Verùm ad hæc, & alia testimonia similia, quæ adducit Thom. VValdens. lib.1.cap.12. respondebat VVicleff, Deum potuisse illa omnia facere, si vellet, sed absolutè non potuisse, quia non poterat velle. Hanc responsionem reiicit idem VValdens. longo discursu ibid. cap.15. Primò ex eo, quia nihil tam propriè dicimur posse, quàm illud, quod si volumus, facimus, vt dicit Augustinus lib.3. de libero arbitrio c.3. quare apertissima est repugnātia dicere, quòd Deus potest aliquid facere, si vult, & tamen illud absolutè facere non potest. Secundò, quia aliud est potestas aliquid faciendi, aliud voluntas, & cùm quæritur de potestate faciendi, ineptè respondetur de voluntate: potestas enim præcedit voluntatem. vnde hoc modo D. Anselmus lib. de casu Angeli cap. 12. discipulum redarguit, quòd interrogatus, An Angelus possit per se velle aliquid, respondit, potest, si aliquando vult. *Non respondes*, inquit Anselmus, *ad interrogationem meam. ego quæro de nihil volente, & potestate, quæ præcedit rem: & tu respondes de potestate, & voluntate, quæ fit cum re.* Igitur qui potest aliquid, si vult, & potestatem habet ad faciendum, & potestatem habet ad volendum, & potestas faciendi prior est voluntate faciendi. Tertiò redarguit eandem responsionem VVicleffi ex Augustino epistola 49. & D. Anselm. loco cit. qui diuinam omnipotentiam magnificant, quòd potuerit de nihilo mundum creare, quòd potuerit ex alia, quàm ex Virgine, carnem assumere, & aliunde Euam formare, quàm ex costa Adæ. Si nanque vera est glossa illa VVicleffi, *potuit, si voluit*, non magis est commendanda omnipotentia Dei, quàm muscæ: nam & musca potest mundū de nihilo creare, si vult, sed non potest velle. Quartò inquit quòd VVicleff iustificat Iudæos dicentes, *Nunquid poterit Deus parare mensam in deserto?* ob quam causam ignis accensus est in Iacob, & ira Dei ascendit in Israel: quia non crediderunt Deo, nec sperauerunt in salutari eius. Augustin. Anselm.

Nam licuit Iudæis dubitare, ſi Deus vellet parare menſam in deſerto. Ergo licuit dubitare, ſi poſſet: quia VVicleff. ait, quòd Deus poteſt, ſi vult, & illis non conſtabat, an Deus vellet. Ergo dubitare poterant, an Deus poſſet: & tamen ob illorum dubitationem accenſus eſt ignis in Iacob, & ira Dei aſcendit in Iſrael. Hanc autem impugnationem longiùs ſum proſecutus, quoniam quidam recentiores Theologi eandem gloſſam adhibent illis verbis Concilij Tridentini ſeſſ.6. can.4 *Neque poſſe diſſentire, ſi velit* dicentes, liberum arbitrium à Deo motum, & excitatum poſſe diſſentire, ſi velit: ſed tamen velle non poſſe, quæ in terminis eſt gloſſa VVicleffiſtica eiſdem autoritatibus Auguſtini, & Anſelmi eodem modo reiicienda, vt patet ſingula ſingulis applicando.

III. Thom. VValdenſ. Auguſtinus. Secundò principaliter probatur eadem veritas teſtimoniis Patrum, quæ ſatis copiosè recenſet VValdenſ. eodem lib.1. c.11.& ſequentibus. Quare hic ſolùm notabuntur loca, ex quibus illa ſumi poſſunt. Deum verò poſſe infinita facere, quæ non facit, docent D. Aug. epiſtola tertia ad Voluſianum, & lib.9. de Geneſi ad literam cap.17. lib.4. cap.4. & q.40. in Geneſ. de ſpiritu & litera cap.1. & 2. lib.13. de Trinit. cap.10. & 18. lib.1. contra aduerſarium legis & Prophetarum cap.16. epiſt. 49 ad Deo gratias. lib. de perfectione iuſtitiæ circa finem, in Enchirid. cap.95. lib. de natura, & gratia c.7. & rurſum lib.6. de Geneſ. ad literam cap.15. & 19. & lib.7. c.10. & in Pſalm.146. circa illa verba, *& ſapientiæ eius non eſt numerus.* D. Gregorius Nazianz. idem docuit epiſtola prima ad Chelidoniũ. Greg. Nicenus lib. de fato c. vltimo. Ambroſ. lib. 2. de fide c.3. Hier. & Chryſ. circa illa verba; *Pater, ſi poſſibile eſt, tranſfer calicem hunc à me*, & illa: *An putas, quia poſſum rogare Patrem.* Gregor. Romanus lib.2. Mora. c.25. Beda lib.6. in Lucam c.92. circa illa verba: *Ecce gladij duo hic.* & lib.2. in Marcum c. 23. circa illa verba, *Non poterat ibi Chriſtus vllam virtutem facere.* D. Bernard. epiſtolis 189, 190, 191, & 192. in quibus confutauit errores Abailardi. Hugo noſter de Sancto Victore lib.1. de ſacramentis par. ſecunda cap. vltimo, vbi eandem veritatem probat multis teſtimoniis diuinæ Scripturæ.

Gregor. Nazianz. Greg. Nic. Ambroſ. Hieron. Chryſoſt. Greg. Rom. Beda. Bernardus. Hugo Victor.

IV. Concil. Senonen. Gaufridus. Baronius. Tertiò probatur ex definitione Concilij Senonenſis celebrati circa annum Domini 1140. per Cononem S.R. Eccleſiæ Cardinalem, & Senonenſem Archiepiſcopum Canonicum Regularem S. Nicolai de Arualia, vt refert Gaufridus Ciſterciẽſis Monachus in epiſtola hiſtorica de rebus geſtis D. Bernardi ad Cardinalem Albanenſem, quæ habetur apud Cardinal. Baronium tom.12. ſub anno 1148. In quo Concilio damnati ſunt errores Petri Abaillardi, inter quos erat articulus, quòd Deus non poſſit plura facere, quàm faciat, vt idem Gaufridus refert in dicta epiſtola, & Cardin. Baronius eodem tom.12. ſuprà ſub anno 1140. vbi refert congreſſum D. Bernardi Abbatis, cum Abaillardo, & eius de hæretico victoriã in dicto Concilio, & damnationem errorum illius. & licèt illud Concilium fuerit Prouinciale, tamen illius damnatio contra Abaillardum confirmata eſt per Innocentium ſecundum Romanum Pontificem in Concilio Romæ celebrato, vt idem Baronius ibi loci refert.

V. Quartò probatur ratione. Homo plura facere poteſt, quàm faciat. Deuter.30. *Deus vitam, & mortem dedit ante faciem hominis, bonum & malum.* Prou. 18. *Mors & vita in manibus linguæ.* Ieremiæ 2. *Ecce ego do coram vobis viam vitæ, & viam mortis.* Pilatus etiam dixit Ioan.19. *Neſcis, quia poteſtatem habeo dimittere te, & poteſtatem habeo, crucifigere te.* Ergo multo magis Deus poteſt facere multa, quæ non facit. alioqui minus potens erit, quàm homo.

Quintò per diuinam potentiam fieri poteſt, vt homo viuat ſine vllo peccato etiã veniali, vt Aug. docet in lib. de perfect. Iuſtitiæ contra Cœleſtium in fine. Sed hoc puro homini excepta B. Virgine nunquam contigit, vt idem Auguſt. fatetur lib. de Spiritu, & litera c.1. Ergo ſunt quædam, quæ Deus facere poteſt, & non facit. Auguſt.

VI. Sextò. Si Deus quidquid poteſt, facit; ergo infinitæ virtutis non eſt. Probatur conſequentia, quia faceret infinitum: at infinitum minimè facit, vt experientia docet. Dicetur, Deum agere quidquid poteſt, non abſolutè, ſed quantum iudicat bonum ad perfectionem, & conſeruationem vniuerſi, quo pacto Soncinus lib.9. Metaph. q.39. & 41. non ineptè mentẽ explicat Ariſtotelis dicentis, Deum agere ad extra ex neceſſitate naturæ. Soncinus.

Sed hæc reſponſio non ſatisfacit, quia oportet reſpondentem aſſignare aliquam rationem, propter quam, cùm Deus agat ad extra ex neceſſitate naturæ, tamen illius actio, & potentia non adæquentur, ſed limitetur actio ad id ſolum, quod exigit, & poſtulat mundi perfectio, & ornatus. neque enim poteſt dici, quòd limitetur ex apprehenſione, quòd bonum ſit ad perfectionem vniuerſi ſic agere, & non aliter: quia recurret eadem quæſtio, cur cùm diuina potentia non limitetur ad hunc mundum, neque ad hæc, quæ actu fiunt, ſed ad alia multa extendatur, nihilominus apprehendat, eſſe bonum hunc mundum condere, non alios, ſic agere, & non aliter. Alia plura, eáque peregregia ad eandem veritatem probandam adducunt Theologi poſt Magiſtrum in 1.d.43. & 44. & D.Thom. 1.p.q. 25.a.5. & 6.

VII. VVald. Contra hanc veritatem eſt primum argumentũ VVicleffi referente VValdenſe eodem lib.1. c.16. Si Deus potuit mundum meliorem facere, quàm fecit; ergo inuidus fuit. hoc argumento vtebatur etiam ille aduerſarius legis, & Prophetarum, contra quem ſcribit Auguſtin. vt apparet ex lib.1.c.16. Auguſt. Confirmabat VVicleffus ſuam ſententiam teſtimonio Lactantij Firmiani in lib. de ira Dei c.3. dicentis: *Conſiderans conditionem rerum, intelligo nihil fieri aliter debuiſſe, vt non dicam potuiſſe: quia Deus poteſt omnia, ſed neceſſe, vt prouidentiſſima illa Maieſtas id effecerit, quod erat melius, & rectius.* Lactant.

Confirmari poteſt ſecundò ex vulgato illo axiomate Philoſophorum, Deus, & natura ſemper faciunt de poſſibilibus, quod melius eſt, quod habetur ex Ariſt. lib.8. Phyſic. text.48. & 56. cui concordat dictum Auguſtini lib.3. de libero arbitrio c.5. dicentis: *quidquid vera ratione tibi melius occurrerit, hoc ſcias Deum effeciſſe.* Ariſtoteles. Auguſt.

Reſpondet VValdenſis eodem lib. 1. cap.16. ex Auguſtino lib. 1. contra aduerſarium legis & Prophetarum cap. 16. quòd ſicut nulla cauſa, nulla neceſſitas fuit Deo producendi mundum ad extra, niſi eius bonitas, nec minùs bonus fuit ante productionem mundi, quàm poſt: ita inuidiæ argui non poteſt, quòd meliorem, aut pulchriorem non fecerit, cùm potuerit. Vtrùm autem mundum perfectiorem quoquo modò ſit, facere potuerit, & quomodo, vide i poteſt apud D.Thomam, & illius Commentatores 1.p. q.25.a. 6. & Magiſtrum in 1.diſt.44. D.Thom. Magiſter.

Ex eodem fundamento ſoluuntur ſex poſteriora ex 12. argumentis, quæ affert Pererius lib.15. de principiis rerum naturalium c. 8. illa enim procedunt Pererius.

Digitized by Google

dunt, ac si ex creatione mundi accederet aliqua perfectio,& bonitas ipsi Deo,quod falsum esse etiam Auerroes intellexit in 1.disp.physica ad quartum dubium.

Ad confirmationem respondetur, autoritatem illam Lactantij intelligendam esse de necessitate agendi quoad specificationem actus, non quoad exercitium,id est, supposito quòd velit operari ad extra,non potest nisi quod bonum, & perfectum est operari: non tamen necessitatur in exercitio ad omne bonum operandum.Rursus illud dictum, Deus semper facit,quod melius est, duobus modis potest intelligi, vel respectu cuiuslibet boni particularis:vel respectu boni vniuersalis.illud dictũ nõ est intelligendũ respectu cuiuslibet boni particularis,sed respectu boni cõmunis, & vniuersalis: nã respectu boni particularis melius erat Iudæ, si natus non fuisset, vt Euangeliũ inquit,& tamen non erat melius respectu communis boni totius generis humani. Similiter respectu boni particularis melius esset mala nulla permittere:at respectu boni vniuersalis melius est, mala permittere, vt Augustinus dicit in Enchiridio.

VIII. Secundum argumentum VVicleffi erat, Deus semel condita non potest ampliùs annihilare,quia si creatura aliqua annihilaretur,derogaretur diuinæ bonitati, quæ seipsam diffundit in rerum creatione,qualiter antiquitus dictum est, quòd omne bonum est suipsius diffusiuum.

Anselmus. Respondetur ex D.Anselmo in Prosologio c.2. quòd quemadmodum in creatione rerum Dei bonitas non crescit, ita si res annihilarentur, eadem Dei bonitas non minueretur: estque expressa autoritas Dauidis, quam ad hoc propositum inducit Augustinus in Psal.101. circa illa verba,*Opera manuum tuarum sunt cœli. ipsi peribunt, tu autem permanes,& sicut vestimentum veterascent, & velut amictum mutabis eos, & mutabuntur: tu autem permanes*, &c.

IX. Tertium argumentum sumi potest ex D.Thom. D.Thom. 1.part. quæst.25. art.5. in secunda opinione, vbi refert quosdam dicentes, Deum non posse plura facere, quàm faciat: quia diuina potentia determinatur ad agendum per diuinam iustitiam, & diuinam sapientiam,sine qua Deus nihil operatur.

Respondetur, ex eo,quòd Deus operatur,quidquid operatur, secundùm ordinem diuinæ sapientiæ,& diuinæ iustitiæ, solùm concludi, quòd non potest aliter facere, quoad specificationem actus, non autem probat, quòd non plura facere possit quoad exercitium,id est,licèt Deus non possit facere nisi quod postulat ordo sapientiæ, & iustitiæ, non tamen facit,quidquid facere posset secundùm ordinem iustitiæ. & sapientiæ: neque enim diuina sapientia dictat necessariò esse aliquid faciendum, neque tenetur ex debito iustitiæ aliquid extra Deum creare.

CAPVT VI.

An si Deus ageret ad extra ex necessitate naturæ, adhuc esset in rebus contingentia, & libertas.

I. QVia sententia est quorundam Theologorũ nõ minimæ autoritatis, quòd si Deus ageret ad extra non liberè,sed ex necessitate naturæ,tolleretur humana libertas, & rerum contingentia de mundo, operæ prętium esse censui hoc in loco hanc quæstionem breuiter expendere, maximè quòd illius solutio ad inuestigandã, & inuemendã radicem humanæ libertatis non parũ conferre videatur aliquibus. Hæc quæstio eadem omnino est cũ illa, quam sub aliis verbis disputant Doctores, an diuina voluntas sit causa libertatis, & contingentiæ existentis in rebus sub ea ratione,qua libera est,an sub ea ratione præcisa, qua efficax est: non enim est dubium, diuinam voluntatem efficacem esse causam omnis contingentiæ, & libertatis existentis in rebus, tum efficientem tum etiam finalem, cùm sit causa omnium rerũ secundùm omnes modos causandi;& etiam finis contingentiæ,& libertatis, & multiplicitatis rerum existentium in vniuerso nihil aliud sit,nisi ostensio diuinæ sapientiæ,potentiæ,& bonitatis. Neque de hac re est cõtrouersia apud Theologos Catholicos: de qua re videri potest Trigosius q.15. a.2.dub.2. sed dubiũ est,cùm possimus imaginari, diuinæ voluntatis efficaciam esse aliquid prius ad hoc,quod est,voluntatem agere liberè, & voluntatem agere necessariò,an ad hoc,vt sit libertas,& contingentia in rebus, necesse sit, voluntatem diuinam esse causam rerum sub ea ratione, qua est non solùm efficax, sed etiam libera. An sufficiat, esse causam rerum sub ea ratione, qua efficax est, non autem sub ea ratione, qua libera est.adeò quòd etiamsi non esset libera in agendo,dummodo esset efficax,sicut modò est,nihilominus reperiretur contingentia, & libertas in rebus. Trigosius.

Dixi autem notanter,& distinctè contingentia, & libertas propter eos,qui hæc duo in vnum confundunt, & putant,nullos esse effectus contingentes in rebus. præter liberos, quam opinionem tenuerunt Gulielmus Okam quodlibeto 1.q.17. & Auicenna in sua Metaph.& Molina 1.part. q.14.a. 13.disp.12. quæ opinio communiter non tenetur, vt videri potest apud D.Th.1.p.q.115.a.6.Pererium lib.9.de principiis rerum naturalium c.11. Gulielm. Okam. Auicenna. Molina. D.Thom. Pererius.

II. In hac quæstione est prima opinio dicens,diuinam voluntatem esse causam contingentiæ, & libertatis in rebus sub ea ratione, qua libera est, ita quòd nisi Deus ageret liberè ad extra, non esset in rebus contingentia,neque libertas. Hanc opinionem tenuit Scotus in 1.sententiarum d.2.q.2,& d. 8.q.4.& d.38.& 39.q.4.& in 2.d.1.q.3.qui dicit,Aristotelem & Philosophos dicentes, Deum agere ad extra ex necessitate naturæ, & nihilominus cõcedentes,quòd sit contingentia, & libertas in rebus,latenter concessisse duo contradictoria.Eandẽ opinionem aliqua ex parte secuti sunt Dominicus Bañes 1.p.q.19.a.8.& ibi Cumel,& Corduba lib.1. suarum quæstionum q.55.dub.4. Scotus. Bañes. Cumel. Corduba.

Ludouicus Molina 1.part.q.14.a.13.disp.11.dicit, sententiam Scoti fundari in hoc, quòd influxus Dei, seu concursus generalis cum secundis causis sit influxus in ipsas causas secundas, imponens illis necessitatem etiam voluntati humanæ ad operandum,& quòd sit sufficiens producere sine secundis causis,quod producit cum illis. Et dicit, quòd etiam Corduba in loco citato hoc tribuit Scoto. vbi verò Scotus id dixerit, difficile est reperire.Verũ enim est quod in 4.dist.49.q.6.§.*Dico ergo. versic. & si arguas.* litera N. videtur hanc doctrinam redolere:tamen in eodem 4.d.1.q.1. ad vltimum non obscurè oppositum insinuat,& apertè docet, quando causa prima concurrit cum secunda habente vim causandi per modum permanentis, primam causam nihil influere de nouo in secundam causam. Molina. Scotus.

Hanc autem ſententiam ſic declaratam ipſe Molina reiicit, vt falſam, & pluſquam periculoſam in fide, fortè quia ipſe arbitratur, quòd dicere, concurſum primæ cauſæ cum ſecundis cauſis eſſe influxum non ſolùm in effectus, ſed etiam in ipſas cauſas, ſit aſſertio periculoſa in fide, tanquam illo influxu poſito in ipſas ſecundas cauſas tollatur neceſſariò libertas, & contingentia ſecundarum cauſarum, quod vtrùm verum ſit, iudicandum aliis relinquo.

III. Secunda opinio eſt, etiamſi Deus ageret ad extra ex neceſſitate naturæ, quòd nihilominus ſaluaretur libertas, & contingentia ſecundarum cauſarum. Hanc opinionẽ ex parte tenuerunt etiã Bañes & Cumel, & Corduba. Eam verò expreſsè defendunt Caiet. 1. part. q. 19. a. 8. Nazarius dicta q. 19. a. 8. controu. 1. & ſecunda, & Aluarez diſp. 26. de auxiliis.

Caietan. Nazarius. Aluarez.

Eſt tamen inter autores, qui hanc opinionem ſequuntur, multiplex diſcordia, nam aliqui eam tenent abſolutè: alij verò ſolùm adhibita hac ſuppoſitione, quòd in tali caſu Deus eodem modo concurreret cum ſecundis cauſis, illas mouendo, & adiuuando, ſicut mouet, & adiuuat nunc, quod dicere quantum intelligo, nihil eſt dicere: quia nullus poteſt dubitare, ſi concurreret cum ſecundis cauſis, ſicut cõcurrit modò, & illas moueret, & adiuuaret, ſicut adiuuat modò, vtrùm ſaluaretur rerũ contingentia, & arbitrij noſtri libertas, cùm illa modò ſaluetur. Sed dubiũ eſt, an ſtante hypotheſi, quòd Deus ageret ex neceſſitate naturæ, poſſet concurrere cum ſecundis cauſis, ſicut concurrit modò, & illas mouere, & adiuuare, ſicut adiuuat modò? Rurſus alij dicunt, quòd in tali caſu eſſet quidem in rebus contingentia, non tamen ſaluaretur humani arbitrij libertas. Alij verò dicunt, quòd vtrunque ſaluaretur. Denum alij dicunt, quòd tunc rerum contingentia reduceretur ſolùm in ſecundas cauſas, non autem in primã cauſam: quia tunc rerum contingentia non eſſet electa ab ipſa prima cauſa. Alij verò dicunt, etiam in tali caſu contingentiam, & libertatem fore reducendam in ipſam primam cauſam: quia illa in tali caſu eſſet agens per intellectum, & voluntatem, & ſic ipſa contingentia, & libertas eſſet volita, & intenta à prima cauſa ſicut modò, & eſſet ſolùm differentia in hoc, quòd modò eſt intenta liberè, tunc verò neceſſariò.

IV. Circa præſens dubium. Dico primò: ſi Deus ageret ad extra ex neceſſitate naturæ, non poſſet eodem modo concurrere cum ſecundis cauſis, illas mouendo, & adiuuando, quo nunc de facto concurrit. Probatur, quia modò ita concurrit cum ſecundis cauſis, vt ſinat ſuum concurſum modificari in illis: at in tali caſu non ſineret ſuum concurſum modificari in ſecundis cauſis. Ergo non eodem modo concurreret. De maiori propoſitione non poteſt eſſe dubium inter Doctores. Minor probatur, quia actio, & concurſus primæ cauſæ non poteſt modificari in ſecundis cauſis defectibilibus, & contingentibus, niſi defectibilitas, & contingentia ipſarum ſecundarum cauſarum ſit intenta, & electa à prima cauſa: ſed in tali caſu defectibilitas, & contingentia ſecundarum cauſarum non eſſet intenta, & electa à prima cauſa. Ergo non poſſet concurſus primæ cauſæ modificari in ſecundis cauſis. Maior huius probationis videtur de ſe manifeſta, quia niſi defectibilitas, & contingentia ſecundæ cauſæ ſit electa à prima, concurſus primæ non ſolùm modificatur, ſed impeditur à ſecunda cauſa: vnde & cauſalitas corporis cœleſtis ſæpe impeditur, & fruſtratur à cauſis ſublunaribus. Adde quòd eadem maior eſt doctrina D. Thom. iuxta declarationem Caietani eadem q. 19. a. 8. nam D. Thom. q. 14. art. 13. ad 1. dicit, quòd etiamſi prima cauſa eſſet neceſſaria, tamen effectus euenirent contingenter, propter ſecundas cauſas, in quibus actio primæ cauſæ modificatur, quod etiam dixerat lib. 3. cõtra Gentes c. 86. ratione ſecunda. Nihilominus eadem q. 19. a. 8. in corpore totum oppoſitum dicit, quòd ſi contingentia rerum reduceretur ſolùm in ſecundas cauſas, tunc non eſſet volita, & intenta à Deo, quod eſt inconueniens: quia tunc ſecunda cauſa contingens poſſet impedire primam. Quam apparentem contrarietatem Caiet. ſoluens ait, quòd in q. 14. a. 13. ad primum, loquitur de cauſarum ſecundarũ defectibilitate electa, & intenta à prima cauſa: at in q. 19. a. 8. loquitur in caſu, quo talis defectibilitas non eſſet intenta à prima cauſa. Minor verò eiuſdem probationis, quòd in tali caſu non poſſet contingentia, & defectibilitas ſecundarum cauſarum eſſe ex intentione, & electione primæ cauſæ, probabitur in ſequentibus.

D. Thom. Caietan.

V. Dico ſecundò: ſi Deus ageret ad extra ex neceſſitate naturæ, nulla eſſet in rebus contingentia, & in homine libertas. Hanc propoſitionem præter Scotum, & illius ſectatores apertè recipiunt Ferrar. 1. contra Gentes c. 67. §. *Ad euidentiam ſecundi dubij. verſic. propter hoc bene dicit Scotus.* ita vt mirum ſit, illum à nonnullis in contrariam ſententiam citari, & quantum attinet ad humanam libertatem Dominicus Bañes loco cit. & Corduba. In eandem videtur inclinare Cardinal. Bellarminus lib. 3. de gratia & libero arbitrio cap. 10. ad finem.

Ferrarienſ. Bañes. Bellarmin.

Hæc probatur primò ex fundamento iacto, quia in tali caſu concurſus & actio primæ cauſæ non poſſet modificari in ſecundis cauſis, ſicut neque impediri, vnde quidquid per actionem primæ cauſæ produceretur, neceſſariò produceretur.

Secundò probatur ratione Ferrarienſ. apud me irrefragabili, quia implicat contradictionem, aliquam cauſam agere neceſſariò eo modo, quo nos ſupponimus, Deum agere neceſſariò, & effectum non produci per talem actionem. Nam cùm ſupponimus, quòd Deus ageret ex neceſſitate naturæ, ſuppoſitio non eſt de cauſa neceſſaria ſolùm in actu primo, & ſecundùm diſpoſitionem, quia talis cauſalitas dicit maximam imperfectionem, quæ in Deo concipi non poteſt: ſed eſt de cauſa neceſſaria ſecundùm actum ſecundum. Si autem Deus eſſet cauſa neceſſaria in actu ſecundo, & non ſolùm in actu primo, ſicut cœlum, & ſydera, implicaret contradictionem, Deum agere neceſſariò, & effectum non ſequi neceſſariò. vnde rectè concludit cum Scoto, quòd Philoſophi concedentes, Deum agere ex neceſſitate naturæ, & nihilominus dicentes, eſſe in rebus contingentiam, latenter conceſſerunt duo contradictoria.

VI. Tertiò probatur ratione illa, qua Stoici vtebantur ad probandum, quòd omnia eueniant ex abſoluta neceſſitate, cuius meminerũt Alex. Aphrodiſæus lib. de fato cap. 13. & Ficinus in lib. 17. Plotini de fato. Si prima cauſa neceſſariò mouet; ergo ſecunda cauſa neceſſariò mouetur: ſed ſecunda eodem genere motionis, quo mouetur à prima, mouet tertiam, & tertia quartam, & ſic deinceps vſque ad vltimam cauſam, & vltimum effectum. Ergo poſito, quòd prima cauſa neceſſariò agat, omnes ſecundæ cauſæ neceſſariò agunt. Ergo nulla remanet contingentia, nulla libertas in ſecun-

Alex. Aphr. Ficinus.

dis

dis cauſis. Omnes iſtæ illationes probantur, quia ſecunda cauſa dependet à prima quoad eſſe, & operari, & modum operandi. Ergo ſi prima cauſa mouet ſecundam ex neceſſitate, ſecunda habet modum operandi ex neceſſitate: alioqui ſecunda cauſa non habebit modum operandi à prima, non enim eſt intelligibile, quòd quidquid exit à prima cauſa, exeat neceſſariò, & per modum neceſſarij, & quòd ſecunda cauſa pendeat à prima in eſſendo, in operando, & in modo operandi, & tamen modus operandi ſecundæ cauſæ ſit contingens, & non neceſſarius. quare aut negandum eſt primum antecedens, aut admittendæ illationes, quas qui non admittunt, admiſſo antecedenti, contradictoria admittunt.

Quartò, ſi cauſa prima neceſſariò moueret cauſam ſecundam ad agendum; ergo ſemper illam moueret ad agendum. Ergo cauſa ſecunda ſemper ageret.

Dicetur, quòd non ſemper ageret, quia poſſet impediri ab alia cauſa ſecunda concurrente, & impediente.

Contrà iſta cauſa ſecunda non poſſet concurrere ad ponendum impedimentum alteri cauſæ ſecundæ, niſi quatenus mota à prima. Ergo etiam illa ſemper moueretur ad ponendum impedimentum, & ſic vel vna ſemper ageret, vel altera ſemper impediret, & ex conſequenti vel neceſſariò ſemper eſſet actio, vel nunquam eſſet actio, nam quòd aliquando impediret, aliquando non, nulla poteſt aſſignari ratio.

Quintò probari poteſt ad hominem. dicunt enim nonnulli, quòd data illa hypotheſi remaneret quidem contingentia in rebus, ſed non remaneret libertas in humana voluntate. Ratio illorum eſt, quia ſi eſſet liberum arbitrium, vel illud moueretur à Deo, vel à ſeipſo. Si à ſeipſo. Ergo Deus non eſſet primum mouens: Si à Deo. Ergo neceſſariò moueretur, & ſic non remaneret liberum arbitrium. Hæc ratio æquè procedit de aliis ſecundis cauſis contingentibus, ſicut de libero arbitrio, nam eodem modo dici poteſt, vel ſecundæ cauſæ mouerentur à ſeipſis, & ſic Deus non eſſet primum mouens: vel à prima cauſa, & ſic mouerentur neceſſariò. Neque video, cur iſta ratio potius habeat locum in libero arbitrio, quàm in aliis cauſis contingentibus.

VII. Ex his verò apparet etiam ſolutio argumentorũ, quæ afferunt pro ſua ſententia, qui contrarium ſentiunt, eſt enim primum illorum argumentum: Data illa hypotheſi, adhuc eſſent multæ cauſæ ſecundæ impedibiles, & defectibiles. Ergo eſſet contingentia in rebus.

Reſpondeo, data illa hypotheſi nulla cauſa eſſet impedibilis, aut defectibilis: quia moueretur neceſſariò à prima cauſa, aut ſi contingeret impedimentum, illud etiam neceſſariò eueniret.

Secundum argumentum. Prima radix contingentiæ in rebus eſt ſumma efficacia diuinæ voluntatis: at data illa hypotheſi diuina voluntas non eſſet minus efficax, quàm modò. Ergo non eſſet minor contingentia.

Reſpondetur, cauſa contingentiæ in rebus eſt efficacia diuinæ voluntatis non præcisè, ſed vt coniuncta cum ſumma eiuſdem libertate: neque vnquam oppoſitum inſinuauit vel etiam per vmbram D. Thom.

Tertium argumentum. Si Deus moueret voluntatem alicuius hominis particularis medio iudicio indifferenti rationis, talis volitio eſſet formaliter libera, etiamſi Deus moueret voluntatem per actum naturalem, quia actus voluntatis eſt formaliter liber, & indifferens, manente iudicio rationis indifferenti, etiamſi Deus moueat voluntatem ex neceſſitate naturæ.

Reſpondeo, falſum aſſumi, quòd manente indifferentia iudicij voluntas in tali caſu eſſet libera, nam & Caluinitæ, & alij hæretici admittunt indifferentiam iudicij quoad multa, quorum tamen comparatione negant arbitrij libertatem. vnde ſaltem contra illos debebat iſtud aſſumptum ab arguente probari: ſed de hac re ſatis dictum eſt lib. 1. cap. 8.

Quartum argumentum ſumitur ex autoritate D. Thomæ 3. contra Gentes c. 86. vbi dicit, quòd à cauſa prima non ſequitur effectus neceſſariò, niſi cauſa ſecunda, quæ concurrit cum prima, ſit etiam illa neceſſaria, ſicut apparet in ſyllogiſmis, in quibus maior propoſitio eſt de neceſſario, & minor de contingenti. in illis enim concluſio ſequitur de contingenti, non de neceſſario. Et eſt ratio ſecunda D. Thomæ. D. Thom.

Reſpondet Ferrarienſ. quòd ibi D. Thomas loquitur de cauſa neceſſaria ſolùm in actu primo, & ſecundùm diſpoſitionem, non autem de cauſa neceſſaria in actu ſecundo, & in exercitio, qualem cauſam oporteret eſſe Deum reſpectu cauſarum ſecundarum.

Quintum argumentum eſt Vaſquez in 1. part. diſp. 100. quod licèt videatur dirigere contra Scotum, videri tamen poſſet aduerſari huic noſtræ doctrinæ. Illud autem eſt, ſi ex modo operandi ipſius Dei in tali caſu impediretur noſtra libertas, cùm noſtra voluntas non poſſit non eſſe ſubiecta modo operandi ipſius Dei, nullus reperiretur actus liber eiuſdem voluntatis, immo repugnaret ei libertas ab intrinſeco. VIII. Vaſquez.

Reſpondeo, non ex quocunque modo operandi primæ cauſæ impediri libertatem noſtræ voluntatis, ſed ſolùm ex modo operandi ex neceſſitate naturæ, ideo eius argumentum nihil concludit: ſicut non licet arguere ab vno modo operandi ad alium modum, & ad omnes alios modos.

Sextum argumentum eſt eiuſdem. Si vera eſſet opinio Scoti, ſequeretur, totam libertatem noſtrarum operationum reducendam eſſe non in noſtram voluntatem, ſed in ſolam voluntatem diuinam, & actus noſtros non debere dici liberos, eo quòd elicerentur à noſtra voluntate libera, ſed ſolùm, quia liberè procedunt à Deo. IX.

Reſpondeo, negando conſequentiã, nam aliud eſt, noſtram voluntatem non poſſe manere liberam, niſi diuina voluntas, cui voluntas creata in omni ſua operatione ſubordinatur, maneat libera: aliud eſt, dicere noſtram voluntatem ea ſola ratione dici liberam, & actiones noſtras ea ſola ratione dici liberas, quia procedunt à voluntate diuina, vt libera eſt. Primum dictum eſt verum, non autem ſecundum, actus enim noſtri liberi ſunt non ſolùm, quia procedunt à voluntate diuina, vt libera, ſed etiam quia procedunt à voluntate humana, vt eſt libera. Sed tamen dicimus, quòd voluntas humana non eſſet libera, niſi diuina eſſet libera.

Septimum argumentum eſt eiuſdem. Si priùs natura actus liber produceretur à Deo, quàm à voluntate noſtra, ſequeretur, quòd etiam nunc Deo liberè cooperante nullus actus noſtræ voluntatis eſſet verè liber, quia ſi priùs natura à Deo producitur, voluntas non poteſt illum impedire.

Reſpondeo, non eſſe inconueniens conuenire cum aliquo Doctore in concluſione, & non conuenire cum illo in ratione, & in modo probandi ipſam concluſionem.

Digitized by Google

Dico secundò Scotum, quantum videre potui, ex propria sententia non docuisse quòd actus liberi humanæ voluntatis, & cuiuscunque alterius secundæ causæ producantur priùs natura à Deo, quàm ab ipsis secundis causis: solùm enim dicit, quòd prima causa priùs naturaliter respicit effectum secundæ causæ, quàm respiciat illum causa secunda. sed declarat, quòd respicere naturaliter priùs effectum non est, priùs in aliquo instanti naturæ producere effectũ, sed priùs effectum dependere à prima causa, quàm à secũda ordine causalitatis, & influentiæ, quatenus virtus secundæ causæ pendet à prima, & est declaratio eiusdem Scoti in 4. d. 1. quæst 1. ad vltimum argumentum. Scotus.

Dicetur, quòd hanc esse mentem Scoti colligitur ex illo argumento secundo, quod ex Scoto adducit Caiet. 1. part. quæst. 14. art. 13. §. *contra secundam autem.* arguit enim quòd causa prima priùs naturaliter, & simpliciter respicit effectum, quàm causa posterior. Ergo in illo priori dabit effectui necessitatem.

Respondeo, Scotum declarare, quid sit causam primam priùs respicere effectum, quàm causam secundam in dicto loco quarti sententiarum. Verùm autem ex tali modo respiciendi priùs effectum sequatur, quòd si causa prima agit necessariò, etiam secunda agat necessariò, iam demonstratum est. Argumenta verò Scoti non procedere contra D. Thomam bene demonstrat Ferrariensis lib. 1. contra gentes cap. 67. §. *ad euidentiam secundi dubij.* Ferrariensis.

X. Octauum argumentum est eiusdem. Si Deo necessariò operante non posset nostra voluntas manere libera, hoc eueniret vno ex tribus modis, aut quia Deus necessariò esset determinatus ad voluntatem nostram sua vocatione præueniendam, & hoc non tolleret libertatem, nisi ex parte intellectus esset talis cogitatio, quæ necessariò moueret voluntatem; aut secundò, quia Deus necessariò deberet cooperari cum voluntate, prout illa exigeret: at neque isto modo tolleret libertatem, vt satis patet: aut tertiò, quia Deus impediret nostram libertatem, præfiniendo opera nostra, & nostrum consensum ante nostram liberam determinationem; sed hoc facere non posset, quia neque modò potest actus nostros sic prædefinire, cùm liberè nobiscum operatur, vt dicit se monstrasse disput. 99. cap. vltimo. Ex hoc verò concludit, quòd voluntatis diuinæ libertas, qua nobiscum liberè cooperatur, nihil omnino confert ad hoc, vt actiones nostræ dicantur liberæ; quia tota ratio liberi, quæ in sola denominatione extrinseca posita est, à nostra voluntate solùm pendet, & siue Deus necessariò, siue liberè cooperaretur, eodem modo actiones nostræ essent liberæ, nam prima, & sola causa actus liberi est creata voluntas.

Respondeo hoc argumentum cum corollario, quod ex illo deducit, continere multa dubia, & fortasse etiam falsa, vt quòd libertas diuina nihil conferat ad libertatem nostram, & quòd tota ratio liberi consistat in sola extrinseca denominatione, & quòd prima radix libertatis reduci debeat in solam humanam voluntatem.

Ad argumentum respondetur, quòd impediretur nostra libertas, quia Deus præfiniret, & prædeterminaret nostrum consensum ante nostram determinationem. Ad improbationem dico, illam satis frigidam esse, quia modò supponimus, Deum agere liberè ad extra, & ita operari cum secundis causis, vt illas suos motus agere sinat, vt dicit Augustinus lib. 7. de ciuit. cap. 30. At in tali casu alius esset modus agendi penitus oppositus. Augustin.

CAPVT VII.

Corollaria quædam deducuntur, quibus radix libertatis, & contingentiæ rerum aperitur.

QVæ hactenus dicta sunt in cap. præcedenti, ea ratione dicta sunt, quoniam valdè videntur conferre ad radicem humanæ libertatis, & contingentiæ rerum inueniendam, de qua pauca hìc per modum corollarij subnectemus. & primò deducimus, quòd prima radix humanæ libertatis per modum efficientis sit voluntas diuina sub ea ratione, qua libera est, adeò quòd si per impossibile Deus non esset agens liberum, humana voluntas non esset libera. Statuitur hæc propositio contra autores c. præcedenti citatos pro secũda opinione, & contra Vasquez d. q. 100. c. 3. qui primam radicem libertatis contendit esse solam voluntatem creatam, tribuitque eandem opinionem Alexand. Alens. & Bonau. in disp. præc. c. 7. qui tamẽ in locis citatis id non dicunt, & tribuit eandem sententiam Caiet. & Barthol. Camerario, & reuera illa sequitur ad opinionem Caietani. vnde qui volunt cum Caiet. defendere, quòd etiamsi Deus ageret ad extra ex necessitate naturæ, esset in rebus libertas, & nihilominus volunt, primam radicem eiusdem nostræ libertatis reducere in diuinam libertatem, videntur mihi velle ex duabus opinionibus contrariis vnam opinionẽ conflare. I. Vasquez.

Nostram verò sententiam probant omnes illi, qui tenent, si Deus ageret ex necessitate naturæ, ablatum iri humanam libertatem, & specialiter eam defendit ex recentioribus Bañes d. q. 19. art. 8. conclus. 4. & 9. Probatur, quia omne tale per participationem reducitur ad tale per essentiam, quod est causa omnium aliorum, quæ sunt in illo genere: sed voluntas humana est libera per participationem diuinæ libertatis, sicuti est ens, & bonum per participationem diuinæ entitatis, & bonitatis. Ergo libertas humana dependet à prima causa libera, vt à radice, & prima causa omnis libertatis. Bañes.

Neque valet dicere, quòd sufficiat, tale per participationem debere reduci ad tale per essentiam, aut formaliter, aut virtualiter. quia quando perfectio participata est perfectio simpliciter, oportet illud, à quo est participata, esse tale simpliciter, id est, continere illam non solùm eminenter, sed etiam simpliciter, & formaliter, alioqui præluderetur Theologis via ad probandum contra Rabbi Moysem, quòd attributa, seu perfectiones, quas nos transferimus in Deum ex creaturis, non sunt in Deo solùm eminenter, sed etiam formaliter: modò libertas est perfectio simpliciter in natura intellectuali, dicit enim perfectionem sine imperfectione; & in quocunque illa ponatur, semper melior est ipsa, quàm non ipsa, immo ab omnibus reputatur maximum bonum. Ergo si non esset in prima causa talis perfectio, non posset etiam reperiri in secundis causis. II.

Neque verum est, quod ait quidam recentior, quòd in tali casu libertas non esset perfectio simpliciter, sed secundùm quid, vel quòd Deus si ageret ex necessitate naturæ, non esset absolutissimè perfectus, vtpote carens huiusmodi perfectione. Nam contra primum dictum facit, quòd in tali etiam casu libertas esset perfectio nullam

dicens

dicens impersectionem, & in quocunque poneretur, melior esset ipsa, quàm non ipsa. Ergo esset perfectio simpliciter. Adde, quòd si tunc non esset perfectio simpliciter, immutaretur ordo rerum, nam quod est modò perfectio simpliciter, tunc non esset perfectio simpliciter, & sic non esset idem ordo, & sic ruit totum fundamentum discursus illorum, qui oppositum sentiunt; est enim illorum fundamentum, quòd etiamsi Deus ageret ex necessitate naturæ, esset nihilominus idem ordo rerum, & idem modus agendi in rebus.

Secundum etiam dictum reiicitur, quia si Deus careret ista perfectione, minor esset perfectio in Deo, quàm in creatura, & sic non esset Deus. Adde quòd libertas est perfectio intrinseca naturæ intellectualis, & inseparabilis ab illa, vt dictum est lib. 1. ex sententia D. Ioan. Damasceni, Bernardi, & Alexandri Aphrodisæi; quare aut Deus non esset naturæ intellectualis, vt respondens supponit, aut non careret tali perfectione, vt ille affirmat.

Ioannes Damasc. Bernardus. Alex. Aphrod.

III. Nazarius. Contra hoc corollarium arguit Nazarius, etiamsi Deus ageret ex necessitate naturæ, vellet nihilominus eundem ordinem causarum, & effectuum, & eundem ordinem, & modum agendi in rebus, quem modò vult. Ergo vellet esse in vniuerso causas liberas. Antecedens probat, quia vel supponimus, quòd tunc esset idem ordo rerum, & sic habetur intentum, vel quòd esset alius ordo, & tunc nihilominus Deus præhaberet in se omnes perfectiones, & modos rerum possibiles, & omnes illos suo intellectu cognoscens vt bonos, & aptos ad manifestationem gloriæ suæ, necessariò vellet, & causaret, & sic causaret modum agendi liberè.

Confirmat, quia ad hoc, vt Deus producat aliquem effectum, non est necesse, vt præhabeat illum in se formaliter, sed sufficit, vt præhabeat illum virtualiter, & eminenter.

Respondeo, in illo casu falsum esse, quòd Deus præhaberet in se omnes perfectiones, & omnes modos rerum possibiles saltem eo modo, qui sufficiens esset ad illos producendos: non enim haberet in se formaliter perfectionem libertatis, & modum agendi liberè, & sic non posset hanc perfectionem, & hunc modum producere, neque enim contineret hanc perfectionem, & hunc modum formaliter, quod tamen necessarium esset, ad hoc vt posset illa producere ad extra.

IV. D. Thomas. Secundum corollarium: Proxima causa libertatis voluntatis creatæ per modum subiecti est voluntas, & per modum efficientis per simplicem emanationem est ipsa natura intellectualis. Hanc conclusionem docet D. Thom. 1. 2. quæst. 17. art. 1. ad secundum. Ea verò deducitur ex doctrina D. Ioann. Damasceni, D. Bernardi, & Alexandri Aphrodisæi, qui dicunt, quòd libertas est proprietas intrinsecè sequens naturam intellectualem, & Damascenus lib. 2. de fide cap. 3. dixit, omne, quod ratione vtitur, arbitrij libertate præditum esse oportere. Et D. Bernardus in lib. de libero arbitrio dicit, quòd *libertas à necessitate æquè, & indifferenter Deo, vniuersæque tam malæ, quam bonæ rationali conuenit naturæ, nec peccato, nec miseria minuitur, nec maior in iusto est, quàm in peccatore, nec plenior in Angelo, quàm in homine.* Sicut igitur naturalis proprietatis causa proxima nulla alia est, nisi natura cuius illa est proprietas, ita libertatis causa proxima nulla alia est, nisi natura ipsa rationalis. Est autē istud corollarium contra opinionem, quæ solet tribui Scoto, quæ totam causam humanæ libertatis reducit in solam diuinam voluntatem, quæ opinio satis impugnata est lib. 1. cap. 12. prop. 12.

V. Tertium corollarium: Prima radix contingentiæ rerum reducenda est simili modo in diuinam voluntatem, vt operantem liberè, ad extra. adeò quòd si Deus non ageret libere ad extra, non solùm tolleretur libertas humana, sed rerum contingentia. Hæc assertio deducitur ex præcedentibus. & eo modo est probanda.

Molina. Quartum corollarium: Causa proxima, & immediata contingentiæ rerum non est sola voluntas Angelica, & humana, sed ipsa natura cuiuslibet secundæ causæ contingentis. Conclusio statuitur contra Ludouicum Molinam 1. part. q. 14. art. 13. disp. 12. concl. 3. vbi docet, quòd tota causa contingentiæ rerum aliarum causarum est liberum arbitrium Angelicum, vel humanum, aut vestigium quoddam libertatis, quod reperitur in brutis, quorum actiones quia permiscentur cum actionibus aliarum causarum naturalium, ex tali permixtione oritur contingentia in rebus. dicit enim, quòd omnes aliæ causæ naturales sunt ex necessitate naturæ determinatæ ad agendum, adeò quòd adhibitis illarum debitis circunstantiis, necessariò sequitur actio: verùm quia multoties pendet ex humani, vel Angelici arbitrij libertate, apponere debitas circunstantias, vel apponere impedimenta, hinc fit, vt res eueniant contingenter. quam sententiam docuerat Auicenna lib. 10. suæ Metaph. cap. 1. referente D. Thom. lib. 3. contra Gentes cap. 86. & Gulielmo Okam quodlibeto 1. q. 17. & Gabriele Biel in 1. d. 38. q. 1. art. 1. & ex parte Antonius Corduba in suo quæstionario lib. 1. quæst. 55. dub. 4. Nostram tamen conclusionem tuentur D. Thom. ibid. & in 6. Metaph. ad text. 5. & eius discipuli 1. part. q. 115. art. 6. Probatur verò per ipsam experientiam, nam multa videmus euenire contingenter, vt ventos, grandines, tonitrua, pluuias, & alia id genus, quæ nullo modo pendent ex libero arbitrio hominis, vel Angeli. Deinde proxima radix contingentiæ nihil aliud est, nisi debilitas virtutis secundarum causarum, quæ non ita potentes sunt, vt aliquando non deficiant, & vt possint omne impedimentum occurrens remouere: at huius debilitatis causa non est voluntas humana, aut Angelica.

Auicenna. Okam. Gabriel. Corduba. D. Thom.

Tandem quòd secunda causa præparata ad producendum effectum, impediatur à causa superueniente, hoc non est semper per voluntatem hominis, vel Angeli, nam sæpe applicato igne ab homine ad comburendum, superuenit pluuia, & illum extinguit, & extinctio est contra hominis voluntatem.

VI. Contra hoc vltimum corollarium est primum argumentum. Posita causa naturali sufficiente ad agendum necessariò sequitur effectus. Ergo nulla est causa naturalis, quæ agat contingenter.

Respondeo, posita causa naturali sufficiente ad agendum, & non impedita, necessariò sequitur actio: at cum hoc stat, causam, quæ nisi impediretur esset de se sufficiens ad agendum, impediri à causa superueniente, & non sequi actionem, & ob hoc effectus, qui prouenit à causa impedibili, quatenus est impedibilis, dicitur effectus contingens, & talis causa dicitur agere contingenter.

Secundum argumentum est. Inter causam naturalem, & causam liberam hoc est discrimen, quòd causa libera positis omnibus requisitis ad

Digitized by Google

agendum potest agere, & non agere: at causa naturalis positis omnibus requisitis non potest non agere, & necessariò agit.

Respondetur, duobus modis aliquam causam dici agere necessariò, vno modo, quatenus necessariò agere opponitur ei, quod est contingenter agere, & illud significat, quod semper agit, & nunquam potest impediri: alio modo quatenus necessariò agere opponitur ei, quod est liberè agere, & significat illud, quod si habeat omnia requisita, non potest quidem non agere, sed tamen non est necesse, quòd semper habeat omnia requisita ad agendum, neque quòd non possit ab alia causa superueniente impediri. Quando igitur Theologi, & Philosophi ponunt discrimen inter causam naturalem, & liberam, quòd causa naturalis positis omnibus requisitis necessariò agit, intelligunt secundo modo, non primo.

VII. Aristot. Tertium argumentum. Aristoteles in lib. Periherm. definit contingens, quod est illud, quod non est ad vnam partem determinatum; modò omnes causæ naturales sunt ad vnam partem determinatæ. Ergo in causis naturalibus nulla est contingentia.

Respondetur, aliquid dici duobus modis determinatum ad vnum, vel quia eius causa illum ita necessariò producit, vt non possit deficere ab illius productione, neque à causa superueniente impediri; vel quia licèt causa illius sit determinata ad illud producendum, nisi impediatur, potest tamen impediri. Aristoteles in lib. Periherm. dicit contingens non esse determinatum ad vnam partem primo modo, nam contingens contradictoriè opponitur ei, quod est primo modo determinatum, & cum hoc stat, quòd sit determinatum ad vnum secundo modo, & quòd secundæ causæ naturales eodem secundo modo ad vnum determinatæ nihilominus dicantur verè contingentes, dummodo non sint determinatæ primo modo.

CAPVT VIII.

Tertia controuersia principalis proponitur, an omnes actus humani, & omnia, quæ fiunt in tempore, sint ab æterno prædefinita.

I. Difficilem aggredimur contrôuersiam de diuinis Prædefinitionibus, cuius tamen resolutio, vt initio huius quarti libri dictum est, non potest ab eo, qui humanam libertatem contra hæreticos maximè recentiores suscepit defendendam, silentio præteriri. Etsi verò eadem sit difficultas de actibus humanis, & de omnibus aliis rebus, quæ successiuè in mundo eueniunt, hoc in loco solùm verba faciemus de actibus humanis; & quoniam actus humani possunt dupliciter considerari, vno modo quoad illorum entitatem naturalem; alio modo quoad entitatem moralem, secundùm quam dicuntur moraliter boni, vel mali, & digni præmio, aut supplicio. De actibus humanis sub vtraque ratione hîc agendum est, & notandum, quòd præsens controuersia duplex dubium principale perstringit. Alterum est circa existentiam prædefinitionis diuinæ, an omnes actus humani sint ab æterno prædefiniti à Deo: alterum est circa qualitatem eiusdem prædefinitionis, an diuina prædefinitio antecesserit omnem præscientiam futuræ determinationis humanæ voluntatis ad eosdē actus, & an inferat eisdem actibus necessitatem euentus, & qualem. ad cuius rei intelligentiam declaranda est breuiter hæc vox, *prædefinitio*, pro cuius declaratione

Notandum, quòd prædefinitio componitur ex præpositione, *præ*, & nomine *definitio*. Definitio autem à verbo *definio*, derivatur. Porrò istud verbum *definio*, significat idem, quod alicui fines ponere, vel constituere, pro quo est apud Græcos verbum ὁρίζω. vnde fit; vt quemadmodum multis modis dicimur alicui rei fines constituere: ita verbum *definio*, variam habeat acceptionem. Accipitur enim primò pro eo, quod est, constituere terminos agro, vel prouinciæ, vel regno. iuxta quam acceptionem dicit Cicero pro Sextio, imperium populi Romani orbis terrarum terminis definiri. & lib. 2. de Diuinatione, orbes Orizontales aspectum nostrum definire. sunt enim orbes Orizontales circuli illi in sphæra, qui totam sphæram in duas partes diuidunt, quarum altera superior à nobis conspicitur: altera quæ est inferior videri minimè potest. & ideo circulus ille dicitur Orizon ab ὁρίζω, quod est *definio*, quia ad illum circulum visio nostra finitur & terminatur. Secundò accipitur verbum definire pro eo, quod est rei essentiam, & naturam quibusdam terminis circunscribere: & ista acceptio frequentissima est apud Logicos, Philosophos, & Theologos. vnde definitio consueuit appellari oratio, quæ rei essentiam quibusdam terminis circunscribit. Tertiò accipitur definire pro eo, quod est aliquid mente decernere, & constituere. nam qui aliquid firmiter statuit sua voluntate, vel illud tanquam finem sibi constituit, vel illi finem statuit, ad quē ipsum ordinat. Iuxta hanc tertiam acceptionem, quæ est etiam frequentissima apud Theologos, accipitur à nobis in præsenti controuersia verbum definire. quare nomine prædefinitionis diuinæ intelligimus diuinum decretum, quo statuit, vt aliquid esset futurum, siue illud habeat rationem finis, siue habeat rationem medij ad finem ordinati.

II. Notandum secundò circa illam particulam, *præ*, quæ significat idem, quod antè, quòd hęc præpositio duo potest importare, vel antecessionem æternitatis ad tempus, siue antecessionem durationis; vel antecessionem in ratione causæ. Si accipiatur primo modo, sensus huius quæstionis erit, vtrùm ab æterno decreuerit Deus, vt essent in tempore isti actus liberi humani arbitrij, qui de facto in tempore succedunt: & sic quæstio erit solùm de existentia diuini decreti. Si autem accipiatur secundo modo, aliquid plus quæritur, quàm existentia eiusdem decreti, quæritur enim non solū, an Deus ab æterno decreuerit, vt essent omnes actus liberi, qui in tempore futuri sunt, sed etiam vtrùm istud decretum præcesserit omnem scientiam futuritionis eorundem actuum, vel determinationis humanæ voluntatis ad eosdē actus, & hoc in ratione causæ, ita vt futuri esse sint ab æterno pręuisi, quia Deus decreuit, vt essent futuri, non autē ideo decreuerit Deus, vt essent futuri, quia præuiderit illos esse futuros. & sic quæstio est potiùs de qualitate decreti, quàm de illius existentia. In hoc igitur capite videbimus, an actus liberi sint ab æterno prædefiniti, quatenus dictio, *præ*, denotat solùm antecessionem durationis, & æternitatis ad tēpus. In sequentibus verò agemus de prædefinitionibus, quatenus dictio, *præ*, denotat antecessionem in ratione causæ: & sic in hoc capite erit solùm quæstio de existentia eiusdem decreti seu prædefinitionis. & vt adhuc clariùs percipiatur sensus huius dubitationis,

Notandum

III. Notandum eſt tertiò duobus modis concipi poſſe in Deo decretum de humanis actibus, vno modo ſub conditione,id eſt,quòd illud decretum fuerit conditionatum,hoc pacto,quòd decreuerit, vt omnes eſſent actus liberi humanæ voluntatis, qui futuri ſunt,ſub conditione tamen,ſi voluntas humana vellet ſeipſam liberè ad illos determinare, hoc pacto nimirum quòd decreuerit voluntatem creare,& conſtituere in tali ordine,& dominam ſuorum actuum, & illi exhibere ſuum concurſum paratum ad ſingulos actus, decernendo concurrere ad ſingulos,ſi illa vellet ſe ad illos determinare,non tamen decernendo, vt ſinguli abſolute eſſent futuri. Alio modo poſſumus concipere illud decretum in Deo abſolutum, ſcilicet quòd abſolutè decreuerit,& non ſolùm ſub conditione iſtos actus eſſe futuros. Præſens quæſtio eſt de decreto non ſolùm conditionato,ſed etiam abſoluto, quod decretum adhuc duplex eſſe poteſt,aliud poſitiuum, quo Deus decreuit aliquid, vt fieret,quia illud voluit fieri: aliud permiſſiuũ, quo decreuit,vt aliquid fieret,non quòd ipſe vellet,vt fieret, ſed quia præuidit humanam voluntatem illud facturam, ſi permitteret, & decreuit permittere, quia ſic exigebat ratio humanæ libertatis, & ordo diuinæ ſapientiæ inſcrutabilis.

Hic autem erit quæſtio de decreto abſoluto non ſolùm poſitiuo, ſed etiam permiſſiuo.De vtroque verò decreto habetur autoritas Auguſtini in Enchiridio cap.95. in fine,& vt meliùs intelligatur differentia inter vtrunque decretum poſitiuum & permiſſiuum,

IV. Notandum eſt quartò, differentiam eſſe inter hæc tria.Permiſſio,intentio,& definitio.nam permiſſio reſpicit ſolùm potentiam cauſæ agentis, non autem ipſam actionem,vt egredientem à potentia:vnde licèt cauſa non poſſit ſimul oppoſita facere, tamen permiſſio poteſt eſſe oppoſitorum ſimul,quando potentia cauſæ eſt ad oppoſita, vt contingit in cauſa libera. Rurſus permiſſio poteſt eſſe actus mali, non autem intentio, neque voluntas definitiua: nam permiſſio eſt voluntas relinquendi cauſam liberam potentem deficere, & non deficere ſuæ libertati, non autem eſt voluntas, vt deficiat. Intentio verò eſt voluntas, qua Deus vult, vt aliquid fiat,non tamen efficax, & abſoluta, ſed conditionata & ſimplicis cuiuſdam complacentiæ. At definitio eſt voluntas efficax, & abſoluta, qua Deus vult aliquid ita, vt abſolutè illud ſit, & eueniat. Et ſic omnis definitio eſt intentio,& permiſſio,quia qui definit, vt aliquid ſit,intendit,vt illud ſit,& permittit,vt fiat: non autem è contra.

Quare omnia colligendo quæſtio in hoc capite examinanda eſt,vtrùm humanæ actiones etiam moraliter malæ ſint à Deo ab æterno prædefinitæ decreto abſoluto, aut poſitiuo, aut ſaltem permiſſiuo.

V. Circa præſens dubium eſt quædam opinio dicens, actus humanos liberos non eſſe per Dei prouidentiam ab æterno prædefinitos in particulari, & quoad omnes illorum circunſtantias poſitiuas. Huius opinionis meminerunt Suarez lib.2. de diuinis auxiliis cap.7. Vaſquez 1.part.diſp.87. cap. 1. Aluarez diſp. 18.& Nazarius q. 22. art.4. dub.1.vbi tribuit Molinæ,,quòd dixerit, non eſſe neceſſe, omnes effectus liberos, & contingentes eſſe intentos per diuinam prouidentiam, ad hoc vt reſpectu eiuſdem diuinæ prouidentiæ non debeant dici caſuales,aut fortuiti,ſed ſufficere,quòd omnes ſint præuiſi etiam in particulari, atque à diuina prouidentia ob debitum finem permiſſi, & quòd mors illius, qui dum natare vellet, præter ſuam intentionem ſuffocatus eſt, non fuit intenta,& volita à Deo,ſed permiſſa duntaxat. Quam opinionem dicit eſſe non ſolùm contra D.Thom. ſed etiam contra diuinam Scripturam:& reuera ſi ſic dicit, puto non eſſe opinionem ſuſtinendam. Sed quantum colligi poteſt ex Commentario eiuſdem Molinæ in dictum art. 4. ille non negat prædefinitionem iſtorum actuum, quatenus dictio, *præ*, denotat anteceſſionem æternitatis ad tempus, ſed quatenus importat anteceſſionem in ratione cauſæ, totus nanque ille eius diſcurſus tendit ad impugnandam opinionem Caietani,qui dicebat,Deum antecedenter ad præſcientiam qualemcunque determinationis humanæ voluntatis efficaciter prædefiniuiſſe omnes actus liberos eiuſdem voluntatis, & ad illos præparaſſe nexum cauſarum inſolubilem, & eſſe de ratione intrinſeca diuinæ prouidentiæ affectionem infallibilem illius finis, ad quem quælibet cauſa eſt ordinata, & ex hoc deducebat Caietan. non eſſe à nobis intelligibile in hac vita, quomodo cum hac prædefinitione, & cum hoc nexu cauſarum inſolubili, & ineuitabilitate euentus eorundem effectuum poſſit conciliari humani arbitrij libertas. putat autem Molina quòd neque in altera vita.

Suarez. Vaſquez. Aluarez. Nazarius.

VI. In hoc dubio reſoluendo ſit Prima propoſitio: Omnes actus humanæ voluntatis moraliter boni,aut indifferentes,quantumcunque liberi,ſunt à Deo ab æterno abſolutè prædefiniti prædefinitione efficaci & poſitiua.

Hæc propoſitio probatur primò euidenti autoritate diuinæ Scripturæ, quæ docet, id ſolum euenire in mundo,quod Deus fieri voluit, & decreuit.Iudith cap.9. *Et hoc factum eſt,quod ipſe voluiſti.*Sapientiæ cap.11.*Quomodo autem poſſet aliquid permanere, niſi tu voluiſſes.* Apocal.4. *Tu creaſti omnia, & propter voluntatem tuam erant, & creata ſunt.*

Secundò probatur autoritatibus,quibus docetur actus, qui ſupponunt alios actus moraliter malos, eſſe à Deo efficaciter prædefinitos, & vt alia exempla omittamus, ipſa mors Chriſti, quæ per execrandum facinus Iudæorum ſecuta eſt, fuit efficaciter à Deo prædefinita, vt habetur ex Iſaiæ cap.43.& 53. Matth.26. Lucæ 22. Ioan.14. Actuum 4. & 17. ad Roman.8. iunctis iis, quæ in exponendis dictis locis tradunt ſancti Patres.

Tertiò probatur aliis autoritatibus, in quibus diuina Scriptura docet,Deum punire peccata hominum mediante aliorum peccato, qualis eſt illa apud Iſaiam 14. *Iurauit Dominus exercituum, dicens: Si non vt putaui,ita erit, & quomodo mente tractaui, ſic euenet, vt conteram Aſſyrium in terra mea,* &c.Nulli etiam dubium eſſe poteſt,Deum prædefiniuiſſe multis electis gloriam per martyria, perſecutiones, oppreſſionéſque aſſequendam: vnde non eſt dubium illa omnia euenire ex diuina prærordinatione.

VII. Quartò probatur teſtimoniis Sanctorum Patrum. D.Irenæus lib.2. aduersùs hæreſes cap. 45. ita ait:*Quid autem,ſi quis interroget nos, ſi omnis numerus omnium,quæ ſunt facta,& quæ fiunt,fiunt à Deo, & ſi ſecundùm illius prouidentiam vnuſquiſque eorum eam,quæ ſecundùm ſe eſt,accepit quantitatem, nobiſque conſentientibus, & confitentibus,quia nihil omnino horum,quæ facta ſunt, & quæ fiunt, & fient, Deum fugit, ſed per illius prouidentiam vnumquodque eorum & habitum,& ordinem, & numerum, & quantitatem accipere, & accepiſſe propriam, & nihil omnino neque vanè,* Irenæus.

Digitized by Google

nè, nec vt prouenit, factum, aut fieri, sed cum magna aptatione, & consonantia sublimi, & esse admirabilem rationem, & verè diuinam, quæ possit huiusmodi, & discernere, & causas proprias enuntiare, accipiens à nobis huiusmodi testimonium, & consensum pergat adhuc, &c. Leo primus serm. 16. de passione ita scribit: *Cùm ergo omnia, quæ in Christum Iudaica admisit impietas, tanto ante prædicta sint, vt non tam de futuris, quam de præsentibus propheticus sit sermo contextus, quid aliud nobis, quam sempiternarum dispositionum Dei incommutabilis ordo referatur, apud quem & discernenda iam diiudicata, & futura iam facta sunt: cùm enim qualitates actionum nostrarum, & effectus omnium voluntatum scientia diuina præueniat, quanto magis Deo nota sunt opera tua?*

D. Augustinus tract. 104. in Ioan. circa illa verba: *Pater venit hora, clarifica filium tuum. Ostendit,* inquit, *omne tempus, & quid, & quando faceret, vel fieri sineret, ab illo esse dispositum, qui temporis subditus non est: quoniam quæ futura erant per singula tempora, in Dei sapientia causas efficientes habent, in qua nulla sunt tempora.* & in Soliloquiis cap. 26. ait, *Antequam enim nascerer ego filius ancillæ tuæ, Domine spes mea, ab uberibus matris meæ, tu præuenisti, præparasti mihi semitas, quibus incederem, & venirem ad gloriam domus tuæ. Priusquam me formares in utero nouisti me, & antequam exirem de vulua, quidquid tibi placuit, præordinasti me. Quæ & qualia sunt in libro tuo scripta de me in secreto consistorij tui, ego quidem ignoro, vnde & valde timeo: tu verò nosti quoniam, quod ego per successus dierum; & temporalium hinc ad mille annos huius temporalitatis expecto, in conspectu æternitatis tuæ iam factum est, & quod futurum est, iam factum est.*

D. Gregorius lib. 12. Moralium cap. 2. *Cuncta,* inquit, *Deus præsciens ante sæcula, decreuit, qualiter per sæcula disposuit.*

Theodoretus in illa verba ad Ephes. cap. 1. *Elegit nos in ipsò ante,* &c. *Ab initio,* inquit, *ante mundi constitutionem ea quæ ad nos pertinebant præscisit & prædefiniuit.*

Addi possent autoritates D. Dionysij cap. 5. de diuinis nominibus, & Damasceni in oratione prima de imaginibus, quibus in locis apertè dicunt, esse in Deo rationes, & exemplaria omnium rerum, quæ fiunt ad extra, quæ exemplaria diuina Scriptura vocat bonas voluntates, & prædefinitiones existentium prædeterminatiuas, & effectiuas. Verùm quia per illas rationes, & illa exemplaria hi Patres intelligunt ideas, quæ ideo vocantur bonæ voluntates, & prædefinitiones, quia ideæ non sunt repræsentatiuæ, & causatiuæ rerum, nisi adiuncta diuina voluntate, & eius decreto, ideo videri posset alicui, has autoritates non ad rem facere: sed tamen etiam illæ optimè intentum probant. Sicut enim ideæ sunt omnium etiam actuum liberorum repræsentatiuæ, vt lib. præcedenti dictum est: ita oportet esse in Deo prædefinitiones omnium rerum, quarum illæ sunt repræsentatiuæ, nam, vt dictum est, illæ non sunt repræsentatiuæ sine huiusmodi prædefinitionibus, & quorum non est in Deo aliquo modo prædefinitio, illorum ideæ non sunt repræsentatiuæ.

VIII. Demum D. Thom. 1. part. q. 25. art. 5. ad primum ait quòd fieri nequit, vt Deus aliqua faciat, quæ non præsciuerit, & non præordinauerit se facturum: quia ipsum facere subiacet præscientiæ, & præordinationi.

Scotus. Scotus etiam in 1. dist. 39. §. *viso de contingentia,* soluens quæstionem, quomodo certitudo diuinæ præscientiæ stet cum rerum contingentia, ait: *Hoc potest poni dupliciter, vno modo per hoc, quod intellectus diuinus videt determinationem voluntatis diuinæ, videlicet illud fore pro A quia voluntas diuina illud determinat fore pro illo, scit enim illam voluntatem esse immutabilem, & non impedibilem.* quæ sententia Scoti iuxta sensum huius conclusionis non videtur posse ab aliquo impugnari.

Vltimò probatur ratione Theologica, quæ deducitur ex diuina causalitate. Ad illa omnia se extendit diuina præscientia, & diuinum decretum, ad quæ se extendit diuina causalitas: at diuina causalitas se extendit ad omnes actus humanos quantuncunque liberos. Ergo & diuinum decretum se extendit ad omnes actus quantuncunque liberos, & sicut diuina causalitas se extendit ad actus humanos non solùm in communi, sed etiam in particulari, & secundùm omnes illorum circunstantias, ita & diuinum decretum.

Secunda propositio: Actus moraliter mali non IX. sunt prædefiniti decreto positiuo, sed permissiuo tantùm, id est, non prædefiniuit Deus, vt fierent illi actus moraliter mali, neque eos fieri voluit: sed præuidens eos futuros ex voluntatis humanæ libero arbitrio, si illud permitteret sic operari, decreuit permittere liberum arbitrium, creatum sic agere, & actus moraliter malos in bonum & conuenientem aliquem finem ordinare. Hæc propositio est certissima doctrina D. Augustini plurib. Augustinus. in locis, sed præcipuè in Enchiridio cap. 95. & 96. vbi sic habet: *Non ergo fit aliquid, nisi omnipotens fieri velit, vel sinendo vt fiat, vel ipse faciendo. Nec dubitandum est, Deum facere bene etiam sinendo fieri, quæcunque fiunt malè, nõ enim hoc nisi iusto iudicio sinit: & profectò bonum est omne, quod iustum est. Quamuis ergo ea, quæ mala sunt, in quantum mala sunt, non sint bona, tamen vt non solùm bona, sed etiam sint & mala, bonum est: nam nisi esset hoc bonum, vt essent mala, nullo modo esse sinerentur ab omnipotente bono.*

Quòd autem moralem malitiam decreto positiuo non prædefinierit, non potest in dubium reuocari, quoniam non Deus volens iniquitatem ille est, vt Dauid Psal. 5. testatur, & quia diuina Scriptura docet, Deum peccata non velle, sed odio habere, & persequi. hinc est, quòd etiamsi actus peccati quoad illius naturalem entitatem sit ab ipso Deo, tamen vsus obtinuit apud D. Augustinum, Damascenum, & alios Patres infrà citandos, vt dicant, actus moraliter malos solùm à Deo esse præuisos, non autem prædestinatos, seu prædefinitos: & hoc modo loquendi etiam nos vti debemus, ne videamur cum recentioribus hæreticis, qui Deum faciunt autorem peccati, conuenire, de qua re cap. 18. Hæc autem æterna Dei prædefinitio humanam libertatem nullo modo lædit, sicut illam non lædit certitudo diuinæ præscientiæ.

CAPVT IX.

An actus liberi ordinis naturalis moraliter boni, aut saltem indifferentes sint prædefiniti, quatenus prædefinitio dicit antecessionem diuini decreti ad præscientiam futuritionis mediorum.

OStendimus capite præcedenti, existere in L. Deo ab æterno decretum, quo omnes actus humani sunt ab illo absolutè prædefiniti. Nunc de qualitate eiusdem decreti dicendum est, & videndum, an illud sit in Deo ante omnem præscientiam determinationis voluntatis creatæ ad eos-

dem

dem actus,& quomodo ſe habeat ad illos. Et quia actus humani ſunt in triplici differentia,alij enim ſunt moraliter boni,alij moraliter mali,alij indifferentes:Rurſus actus moraliter boni alij ſunt ordinis naturalis, alij ordinis ſupernaturalis, quas diſtinctiones hîc ſupponimus tanquam notas ex bona Theologia,iſta tractatio erit tripartita, nam primò dicemus de actibus ordinis naturalis, qui ſunt moraliter boni,vel indifferentes.Secundò de actibus ordinis ſupernaturalis. Tertiò de actibus moraliter malis.

II. Circa actus ordinis naturalis moraliter bonos, aut indifferentes, an illi ſint à Deo prædefiniti ante omnem præſcientiam determinationis voluntatis humanæ ad eoſdem actus, ſunt innumeræ opiniones, quæ tamen omnes ad tres principales reduci poſſunt, duas extremas, & tertiam mediam.

Prima opinio ſimpliciter affirmat, omnes, & ſingulos actus humanos quantumuis liberos fuiſſe à Deo decreto abſoluto, & efficaci ab æterno prædefinitos ante qualemcunque præſcientiam futuritionis eorundem actuum, aut determinationis voluntatis creatæ ad eoſdem actus. Verùm hæc opinio diuerſimodè à diuerſis declaratur. Primus modus declarandi eſt, omnes, & ſingulos actus humanos ita eſſe ante quamcunque præſcientiam determinationis humanæ voluntatis ad illos efficaciter,& abſolutè à Deo prædefinitos,vt talis prædefinitio tollat omnem veram rationem libertatis ab ipſis actibus, & ab humana voluntate:& hic eſt modus dicendi Petri Abaillardi,VVicleffi,Lutheri,Caluini,& Bezæ,quos retulimus in initio huius quarti libri, & hæreticorum qui vocabantur Prædeſtinati,quorum meminimus lib.2. cap.3.

Hic modus dicendi eſt manifeſtus error,qui ex eiſdem fundamentis eſt refutandus, quibus lib.2. probata eſt humani arbitrij libertas. motiua autem, quibus iſti hæretici ſuum errorem nituntur confirmare, inferiùs adducemus, & ſoluemus.

III. Secundus modus dicendi eſt aliorum, quos refert Thomas VValdenſis, qui cùm Catholici eſſent,nihilominus dicebant,iſtud efficax decretum imponere neceſſitatem antecedentem humanis euentibus: ſed tamen dicebant,quòd iſta neceſſitas libertati non repugnat arbitrij,eo quòd duplicem cauſam reſpiciat, cauſam ſuperiorem, penes quam neceſſitatem ſuam habet,ſcilicet ſcientiam, & voluntatem diuinam, & aliquam cauſam mediam reſpicit pro cauſa ſecunda,per quam prouidit Deus rem talem eſſe futuram,& in iſta ſecunda cauſa eſt libertas,& poſſibilitas aliter euenien-
di,non autem in prima: & hunc modum dicendi contendebant eſſe ad mentem D. Thom. immò D.Anſelmi,& D.Auguſtini. Videatur idem VValdenſis libro 1.Doctrin.cap.28.Hunc modum idem
VVald. VValdenſis refutat tanquam erroneum, & probat,eſſe contra mentem D.Thomæ, & D.Anſelm. & D. Auguſtini, cuiuſmodi refutatio ex eodem autore petenda eſt.

IV. Tertius modus dicendi eſt, omnes effectus liberos ita eſſe efficaciter prædefinitos, vt niſi fuiſſent à Deo ante omnem determinationem voluntatis creati prædefiniti, non eſſent à Deo præcogniti, neque futuri: & nihilominus illos liberè euenire ex eo, quòd diuina voluntas liberè ſe ad illorum futuritionem determinauit. Hunc modum dicendi habet Scotus in 1. diſt.39. §. *Viſo de*
Scotus. *contingentia.* cuius verba capite præcedenti ſunt à nobis relata, & in 2. d.37. q. vnicæ lit. P. vbi ita ſcribit: *Contra iſtam opinionem arguitur dupliciter, primò quia ex ipſa ſequitur, quod Deus non ſit naturaliter præſcius futurorum, quia non habet ſcientiam de futuris contingentibus, niſi quia certitudinaliter nouit determinationem ſuæ voluntatis reſpectu eorum, ad quæ voluntas ſua eſt immutabilis, & impedibilis.*& in 1. d.41.§.*Sed contra*, ait: *Sed contra iſtud arguitur, quia Deus non præuidet iſtũ bene vſurum libero arbitrio, niſi quia vult, vel præordinat iſtum bene vſurum, eo quia ſicut dictum eſt d.39.certa præuiſio futurorum contingentium eſt ex determinatione voluntatis diuinæ.* quam ſententiam videtur ſecutus Ricardus in eodem Ricard.
1.d.38.q.3.

Hic modus dicendi in eo,quod ait, Deum nullo modo cognoſcere futura contingentia, niſi in decreto diuinæ voluntatis, ſi velit intelligi de ratione cognoſcendi proxima,& præciſa,nobis non probatur,éſtque refutatus lib.præcedente cap.18. 19.21.22.& 23.Rurſus in eo,quòd ſecundùm nonnullos vult Scotus futura contingentia, & actus liberos dici contingentia,& actus liberos reſpectu diuinæ voluntatis ſe ad illa contingenter,& liberè determinantis, non autem reſpectu ſecundarum cauſarum proximarum, reiecta eſt hæc ſententia lib. 1. cap. 12. ſi tamen ita Scotus ſentit, quod apud illum inuenire minimè potuimus.

Tandem in eo, quòd ponit iſtud decretum antecedens determinationem humanæ voluntatis,& ſic inferens neceſſitatem antecedentem eidem humanæ voluntati,illas habet difficultates, quæ eodem libro 1.cap.19.à nobis tactæ ſunt.

V. Quartus modus dicendi eſt aliorum,qui dicũt, omnes effectus liberos ita eſſe à Deo antecedenter ad omnem præſcientiam futuritionis illorum, & determinationis voluntatis creatæ ad illos efficaciter prædefinitos,vt talis prædefinitio inferat in tempore phyſicam quandam prædeterminationem humanæ voluntatis ad illos inhærentem ipſi voluntati.Differt tamen hic modus à præcedenti, primò quia iſti autores volunt actus liberos eſſe verè liberos non ſolùm comparatione primæ cauſæ liberæ ſe determinantis ad illos, ſed etiam comparatione ſecundarum cauſarum à quibus illi immediatè eliciuntur, quod Scotus ſecundùm nonnullos negat. Secundò in opinione Scoti di- Scoti.
uina prædefinitio non infert in tempore phyſicam prædeterminationem realiter inhærentem ſecundis cauſis, ſed ſolùm neceſſariam quandam ſubordinationem ſecundarum cauſarum in agendo ad ipſam primam cauſam, vt apparet ex dictis illius in 4.diſt.1. quæſt.1. ad vltimum. Hunc modum dicendi habent Bañes 1.part.quæſt.14.art.13. Bañes.
prope finem,& quæſt.19.art.8. & 10. Ripa eadem Ripa.
quæſt.19.art.8.dub.1.cap.3.& alij recentiores non mediocris eruditionis, qui contendunt,illam eſſe ipſiſſimam mentem D.Thomæ, immò & D.Auguſtini,contendunt etiam, per hoc decretum nullo modo lædi,aut impediri humanam libertatem, quam cum eodem decreto multipliciter nituntur conciliare.

Hic modus dicendi eam ſolam habet difficultatem,quòd ex iſto decreto,& ex phyſica illa prædeterminatione,quæ ad ipſum decretum ſequitur, videtur inferri neceſſitas antecedens humanæ voluntati, quæ quomodo cum libertate eiuſdem voluntatis poſſit cohærere,difficile admodum eſt declarare,propter ea quæ dicto lib.1.cap.19.à nobis deducta ſunt. & ſi ipſi declararent aliqua ratione quietatiua,quomodo cum eadem neceſſitate antecedente conſiſtere poſſit humani arbitrij libertas,

libertas, videretur mihi hic modus ſuſcipiendus. Addo etiamſi talis ratio non redderetur, dummodò conſtaret hanc eſſe mentem D. Thomæ, & D. Auguſtini.

Dicetur, quòd non oportet in iſtis rebus quærere rationem quietatiuam, ſed eſſe captiuandum intellectum in obſequium fidei.

Reſpondeo, id verum eſſe, quando nulla alia ſuppetit ratio, vel quando non adſunt rationes, quæ non ſint euidenter ſolubiles, non enim debet Theologus paradoxa inextricabilia docere, & cùm vrgetur difficultatibus, prouocare ad captiuandum intellectum in obſequium fidei.

Quintus modus dicendi eſt, omnes actus liberòs fuiſſe à Deo prædefinitos in communi tantùm, non autem in particulari. Huius modi dicendi meminit Suarez lib. 1. de Auxiliis cap. 16. dicitque illum minimè diſplicuiſſe D. Thom. de veritate quæſt. 6. art. 3. ſed hic modus neque eſt ad mentem D. Thom. neque videtur probabilis, quia videtur, Deum facere confuſo quodam modo agentem, & decernentem res humanas. Suarez.

VI. Secunda opinio è regione oppoſita primæ docet, nullum effectum liberum humanæ voluntatis fuiſſe à Deo efficaciter prædefinitum ante inſpectam liberam determinationem eiuſdem voluntatis ad actus liberos futuram abſolutè, & non ſolùm ex hypotheſi. Verùm hæc etiam opinio à diuerſis diuerſimodè explicatur. Primus modus dicendi ſequentibus propoſitionibus declaratur. Prima. Nullus actus liber ſiue bonus, ſiue malus, etiam quoad illius ſubſtantiam, eſt à Deo prædefinitus, ante inſpectam liberam determinationem noſtræ voluntatis. Secunda determinatio noſtri arbitrij eſt quidem à Deo, & à noſtra voluntate, ſed prima radix eiuſdem determinationis eſt ipſum liberum arbitrium humanum. Tertia prior eſt ordine determinatio noſtri liberi arbitrij, quàm Dei prædefinitio, quia eundem ordinem res habent in æternitate, quem habent in tempore. Vaſquez. Hunc modum dicendi ſic explicatum Vaſquez 1. part. diſp. 99. cap. 5. tribuit Ambroſio Catharino, Antonio Cordubæ, Iulio Sirenio, Hieronymo Oſorio, Marſilio, & Ruardo Tapero in locis ab eo ibid. allegatis, quem quia nonnulli autores notabant erroris Pelagiani, conatur ab illo errore purgare. Etſi enim iſti autores concedant determinationem noſtræ voluntatis eſſe priorem natura, quàm cooperationem diuinæ gratiæ, non tamen dicunt eſſe priorem tempore, nec dicunt initium noſtræ ſalutis eſſe ex nobis, neque negant, voluntatem humanam debere præueniri per Dei gratiam, quod Pelagiani dicebant, & negabant. De iſta verò naturæ prioritate, an prior ſit determinatio noſtræ voluntatis, an cooperatio diuinæ gratiæ, nunquam fuit diſputatio inter Auguſtinum & Pelagianos.

Sed neſcio, vbi Vaſquez legerit in iſtis autoribus, determinationem noſtræ voluntatis eſſe natura priorem ipſo diuino decreto, aut etiam ipſa diuina cooperatione. Aliud enim eſt diuinum decretum non eſſe prius, aliud eſt eſſe poſterius: & vtrumque falſum eſſe poteſt, poteſt enim eſſe non prius, nec poſterius, ſed ſimultaneum. iſti autores primùm dicunt, quòd diuinum decretum non eſt prius, immo neque diuina cooperatio eſt prior determinatione, & cooperatione noſtræ voluntatis. At quòd ſit poſterius vel tempore, vel etiam natura, hoc manifeſtiſſimè negant, volunt enim, diuinam cooperationem, & humani arbitrij operationem eſſe ſimul natura, quæ eſt ipſiſſima ſententia eiuſdem Vaſquez, in quam ille quatuor pedibus currit ibid. cap. 6. & 7. Atque ita illos ſentire, conuincitur ex verbis Ruardi Taperi tit. 7. pagina mihi 225. dicit enim: *In omni enim materia ita pietatis, & gratiarum ſicut morali, & ciuili ad voluntatem pertinet ſe determinare ad vnam vel alteram partem, & quamuis ſub Dei determinatione, non tamen propterea minus liberè ſe determinat, quàm ſi non concurreret, nec determineret Deus. quare hic nihil diſputare oportet, quis prior ſit in determinando voluntatem, an ipſa, an Deus, & an voluntas priùs aliquid velit, quàm Deus eam vult velle, an contra, nec magis hæ quæſtiones locum habent in operibus gratiæ, quam meram vel naturæ, & quia voluntas ſecundùm D. Hieronymi, Origenis, & aliorum Patrum ſententiam vis media eſt inter carnem & ſpiritum, & ad vtrumlibet ſe flectere poteſt, ideo in opere bono quamuis ipſum totum ſit à gratia, & libero arbitrio, quòd tamen opus pietatis eſt, à ſola gratia habet, quòd autem opus ſit, & eius fiat determinatio, à ſolo eſt libero arbitrio.* & pagina 228. in fine decimæ propoſitionis probat vulgatam illam reſponſionem Caietani ad argumentum Scoti, quæ talis eſt: *Ad ſecundum autem argumentum reſpondet, quòd illa prioritas non eſt vniuerſaliter ſecundum aliquam quaſi durationem naturæ, vt in vno inſtanti naturæ effectus attingatur à cauſa prima, & in alio à ſecunda: ſed eſt ſecundum independentiam, & immediationem virtutis, quia prior independentiùs, & immediatiùs immediatione virtutis, non ſuppoſiti attingit effectum, quàm ſecunda, in eodem tamen inſtanti naturæ effectus ab vtraque attingitur.* Ruard.

Id etiam conſtat ex his, quæ ſcribit Iulius Sirenius lib. 8. de fato cap. 12. lit. N. vbi dicit, primam cauſam, licèt non ſit totalis cauſa effectus, eſſe tamen cauſam quæ aliis cauſis auxiliatur, & eis, vt cauſæ ſint, & operentur, eſt cauſa. Et toto illo cap. & ſequente docet, ea, quæ fiunt, à Deo, non à ſe ſolo, ſed concurrente cum libera hominis voluntate, non prædefiniri à ſe ſolo, ſed ſimul præuidendo conſenſum eiuſdem voluntatis, quod repetit cap. 14. & 21. cap. ex profeſſo quærit, an ſit prior determinatio cauſæ primæ, an ſecundæ, an vna ex altera pendeat. *Si quæras*, inquit, *an vtraque cauſa determinationis ipſius voluntatis ſit ex æquo cauſa, an vna potius ex altera dependeat, dicimus, quòd vna ex altera dependet. Si rurſus quæras, quæ eſt illa, quæ ab altera dependere dicitur, voluntáſne diuina ab humana, an contrà voluntas humana à diuina. Reſpondebimus ſemper meliori iudicio ſine contentione ceſſuri, quòd iſta dependentia vnius ab altera eſt cum aliqua, vt ita dicam, ſubdependentia, vel contradependentia (libentiſſimè melioribus & accommodatioribus nominibus vterer ſi haberem.) qua & diuina ab humana, & humana à diuina voluntate ſicut in iſta determinatione, ita in reliquis humanis operationibus dependeat, humana quippe à diuina abſolutè dependet, quòd ab ipſa habeat, quod ſit, & quòd voluntas ſit, & quòd ſui actus determinationis cauſa ſit, & quòd ſit ſui compos, & operari, vel non operari queat. Diuina autem ab humana pendet ſecundum quid, quatenus in hanc, vt ad exemplum deſcendam, meæ voluntatis determinationem, quæ de diuina præſcientia ſcribere decreui ſine aliqua meæ voluntatis operatione, & aliqua eiuſdem pro ratione, & naturæ ſuæ determinatione, ipſa de lege communi diuina voluntas non poteſt.* Hæc volui adnotare, vt videas, iſtos autores neque cum Pelagianis vllo modo ſentire, neque etiam id dicere, quod nonnulli minus patientes in libris Doctorum integrè, & attentè legendis, illis imponunt. Iuſſus Sirenius.

Secundus modus dicendi eſt, quem tradit Vaſquez dicta diſp. 99. cap. 60. & duobus ſequentibus VII. Vaſquez.

hic

hic autor ſupponit primò quòd qualis eſt ordo in rebus ipſis extra Deum, talis fuerit in diuina prædefinitione. Secundò ſupponit, eſſe quaſdam operationes, quæ fiunt à Deo in nobis ſine nobis, & ad illas non expectari noſtrum conſenſum, quaſdam verò, quæ non fiunt in nobis ſine nobis, & ad illas requiri, & expectari conſenſum, & determinationem noſtræ volũtatis. Tertiò ſupponit, eſſe in Deo illam ſcientiam mediam, de qua lib. præcedenti ad finem dictum eſt, quas ſuppoſitiones ad longũ ibi probat. His ſuppoſitis dicit, quòd Deus in primo ſigno cognoſcit, quid faciet liberum arbitrium, ſi collocetur in tali, vel tali ordine, ſi præueniatur tali illuſtratione ex parte intellectus, & ſi offeratur illi tale auxilium, & talis concurſus. In ſecũdo ſigno determinat Deus conſtituere liberum arbitrium in tali ordine, & præuenire illud tali vocatione, cui ſub conditione cognouit fore illũ præbiturum ſuum conſenſum. Et in 3. determinat cooperari cum voluntate, quam ſub tali conditione nouerat abſolutè cooperaturam. Et hinc fit ſecundùm hunc autorem, quòd diuinum decretum non antecedit noſtram determinationẽ, ſed ſimul eſt cum decreto cooperandi cum nòſtro libero arbitrio ipſa cooperatio eiuſdem liberi arbitrij. Demum concedit c. 8. omnes actus liberos eſſe prædefinitos à Deo ſine nobis, non quidem explicitè, & in ſeipſis, ſed implicitè, & in vocatione cõgrua, vel in qualibet alia coordinatione, & periſtali, in qua decreuit hominem conſtituere. qui modus dicendi, eo excepto, quod ait de ſcientia media, recurrit in primum modum. Autores enim illius nihil de ea dicere videntur, non illam affirmant, ſed neque illam negant, immò tacitè ſupponere videntur.

Hic tamen modus dicendi, quantum poſſum intelligere, non aſſequitur, quod intendit. nam intendit docere, quòd decretum abſolutum non antecedit præſcientiam liberæ determinationis noſtræ voluntatis præuiſam, vt abſolutè futuram: & tamen non docet, quòd eadem determinatio in eo inſtanti, in quo eſt diuinum decretum, fuerit præuiſa per ſcientiam liberam, ſed ſolùm per ſciẽtiam mediam, immò non obſcurè indicat, prius eſſe decretum liberum abſolutum, quàm ſcientiam liberam, cùm dicat, quòd actus liberi noſtræ voluntatis ſunt prædefiniti ſine nobis in ipſo decreto, quo decreuit nos conſtituere in tali ordine.

VIII. Tertius modus explicandi eandem ſententiam ſequentibus dictis declaratur. Primum, eundem ordinem habet diuinum decretum in Deo, quem habet actualis Dei concurſus, & libera determinatio voluntatis creatæ ad extra. Secundum, Deus cognouit omnes ordines rerum poſſibiles, & omnes, & ſingulas operationes, quas creata cauſa facere poteſt quouis momento, ſi ad illas habeat diuinum concurſum ſibi præparatum, & cognoſcit quenuis concurſum cuilibet actioni accommodatum, ita vt ad hanc actionem neceſſarius ſit talis concurſus, & ad illam talis, &c. Tertium, Deus ex ſe decreuit creare liberum arbitrium, & conſtituere in tali ordine, & tribuere vires ad agendum, & exhibere illi ſuum concurſum ſemper paratum ad operandum quidquid voluerit, & applicare illi ſuam omnipotentiam executiuam ſub tali conditione, vt quotieſcunque voluntas creata voluerit operari, aut ſit in tali ordine, vt ſecundùm ſuã naturam operari ſit neceſſe, etiam Deus cooperetur, & adiuuet. Quartum, ex tali applicatione diuinam potentiam manere taliter coniunctam humanæ voluntati, vt humana operante voluntate etiã diuina potentia neceſſariò operetur, neceſſitate tamen proueniente nõ ex imbecillitate diuinæ omnipotentiæ, ſed ex ipſo diuino decreto. Cogitandũ enim eſt, ipſam diuinam omnipotẽtiam ſe habere tanquam habitum quendam omnibus rebus intimè inſidentem, & connexum ſimul cooperantem in omni operatione volũtatis creatæ, vel potiùs ſe habentem ad omnem operationem cauſæ creatæ, ſicut eſſentia animæ ſe habet ad ſuas potẽtias remotis imperfectionibus, & demum ex vi decreti diuini ipſam diuinam potẽtiam manere quaſi naturaliter determinatam ad causãdum quemcũque concurſum requiret voluntas creata, ſicut habitus ſunt naturaliter determinati ad præbendum illũ concurſum, quem requirit operatio, ad quam volũtas determinatur, ita vt quemadmodum volũtas habet in poteſtate quamlibet liberam operationẽ, ſic habeat in ſua poteſtate quemlibet concurſum diuinum, qui ad illam neceſſariò exigitur. Quintũ dictum, omnes concurſus, quos Deus dat in tẽpore, ſunt ab æterno prædefiniti nõ abſolutè, ſed ſub conditione, ſi voluntas ſe ad hanc vel illã actionẽ determinauerit. Sic enim exigit ratio diuinæ cooperationis, vt nõ prædefiniãtur abſolutè, ſed ſolùm ſub conditione, ſi ſecunda cauſa ponat ſuam operationem circa hoc vel illud obiectum. Sextum, ad hoc vt talis prædefinitio ſub conditione fiat efficax, & abſoluta, non eſt neceſſe ponere nouum decretum abſolutum in Deo diſtinctum ab illo decreto conditionato, ſed poſita cõditione, decretum conditionatum tranſit in abſolutum. Hinc infert, quòd nulla ratio cogit nos dicere, omnes diuinos cõcurſus ad particulares actiones liberas, & omnes actus liberos eſſe abſolutè, & efficaciter prædefinitos ante præuiſam liberam determinationẽ volũtatis creatæ ad ipſos actus. Infert etiã, quòd concurſus Dei ad ſingulos actus liberos nõ ſupponit neceſſariò in Deo abſolutam prædefinitionem eiuſdem concurſus, aut liberorum actuum voluntatis creatæ. immò nec etiam præſupponit ſcientiam mediam ſeu conditionatam, quia etiãſi illa nõ eſſet in Deo, poſſet nihilominus Deus præbere ſuum concurſum illis tẽporibus, quibus modò illum præbet, & ad eaſdem actiones, quanuis neceſſaria ſit huiuſmodi præſcientia ad perfectionem diuinæ prouidentiæ. Et hunc modum dicendi excogitauit Leſſius in ſua diſp. apologetica c. 4. qui quoad rem recurrit in primum, & eſt illius declaratio. Leſſius.

IX. Quartus modus dicendi eſt Cardinal. Bellarm. lib. 4. de gratia, & libero arbitrio c. 15. & 16. qui in his dictis conſiſtit. Primum, Deus ab æterno determinauit omnes effectus ſecundarũ cauſarum. Secũdum, iidem effectus non ſunt omnes prædeterminati ante præuiſam determinationem ſecũdarum cauſarum. Tertium, iidem effectus nõ ſunt omnes eodẽ modo determinati. Quartũ, alij effectus sũt determinati futuri Deo operãte, alij Deo cooperante, alij Deo permittente. Quintum, ratio perfectæ prouidentiæ non requirit neceſſariò, vt Deus ante omnem præſcientiã omnia prædeterminauerit, ſed ſolũ requirit, vt nihil fiat ſine eius præuiſione, & cooperatione, & permiſſione. Sextũ, determinationem voluntatis creatæ, ſine cuius præſcientia Deus non prædefiniuit actus liberos eiuſdem voluntatis, conſiſtere in quadam negatione, quam ſic explicat. Ante diuinũ influxum, liberum eſt voluntati, ſinere ſe moueri ab obiecto, quod illi proponitur, vel non ſinere ſe moueri; & quidẽ ſi ſinat ſe moueri, intellectus cõcludit vltimũ iudiciũ practicũ, quo iudicat hoc obiectũ hìc, Bellarm.

& nunc omnibus inſpectis eſſe eligendum, & ſtatim Deus influit applicando,& mouendo volũtatem ad actum eliciendum:& ſic determinatio voluntatis eſt ab intellectu,vt proponente obiectũ à voluntate,vt non reſiſtente negatiuè, & à Deo vt influente poſitiuè,Et ſic etiam ab æterno Deus nõ prædefiniuit liberum actum voluntatis ante præuiſam illius determinationem.Hanc doctrinam de negatiua determinatione voluntatis noſtræ ad actus liberos docet Aluarez diſp.18.n.20.vbi diſſolueus quoddam dubium ſic ait: *Reſpondetur quod licèt illa motio prævia non ſit in poteſtate voluntatis tanquam in cauſa efficiente,cùm talis motio prævia ſit effectiuè à ſolo Deo,tamen ſuppoſita illa motione terminus illius motionis eſt in noſtra facultate, videlicet operatio libera,ad quam datur talis motio. Item etiam eſt in facultate noſtræ voluntatis,ſeipſam impedire,ne habeat illam motionem:vnde ſi nõ operetur actum,qui eſt in præcepto, imputabitur illi ad culpam, eo quòd ſua culpa ſe impediuit,ne daretur illi auxilium efficax, quod neceſſarium erat,vt operaretur actum virtutis.* Aluarez.

Ex hoc autore duo habes maximè notanda ad conciliandas controuerſias de diuinis auxiliis.Primum eſt,licèt non ſit in poteſtate voluntatis habere præuiã motionem ſiue naturalem, ſiue ſupernaturalem per modum cauſæ efficientis,habere tamen in ſua poteſtate terminum eiuſdem motionis,qui eſt libera determinatio,aut libera operatio voluntatis.quod ſub eiſdem verbis repetit hic autor infrà diſp. 21. n.11.dicens:*Nec ad libertatem requiritur, quòd homo habeat in manu ſua prævium Dei concurſum:ſed ſufficit, quòd habeat in ſua poteſtate actũ liberum, ad quẽ Deus mouet hominem ſuo generali concurſu, vel ſpeciali.* qui modus dicẽdi niſi in verbis lateat deceptio,& per hoc,quod eſt, voluntatem habere in ſua poteſtate actum liberum,illud intelligat,quod communiter à Doctoribus intelligitur,ſcilicet voluntatẽ habere in ſua poteſtate,vt poſſit apponere, vel nõ apponere conſenſum,& liberam operationem,videtur mihi doctrina veriſſima conformis iis, quæ à nobis tradita ſunt ſuprà hoc libro c.2.ad ſecũdum argumentum,& lib.3.c.30.ad 11.argumentũ. quæ doctrina à negantibus phyſicas prædeterminationes admitti poteſt, & debet ſaltem quoad actus ſupernaturales,& ab illis admittitur,& nullã omnino infert vim humanæ libertati.Secũdum dictũ eſt quòd ſit in facultate volũtatis,ſeipſam impedire,ne habeat illã motionem, quod dictũ ſi verum eſt,videntur mihi ſalua omnium reuerentia multi trepidare timore,vbi non eſt timor:nam eſto phyſica prædeterminatio ita voluntatem meã afficeret,vt non relinqueret in mea poteſtate meam liberam operationem,quòd tamen hic autor negat, vt vides,nihilominus ex alio capite illęſa ſeruatur libertas,quia in mea poteſtate eſt, ipſam motionẽ phyſicam impedire. quare aut Doctores aliud dicunt, aliud ſentiunt: aut fruſtrà altercantur pro tuenda arbitrij libertate,cui nullus vim affert.

X. Tertia opinio media inter duas præcedẽtes, eſt quam docuit Suarez, quæ ſequentibus dictis declaratur. Primum,actus liberi volũtatis humanæ non ſunt efficaciter, & abſolutè prædefiniti ante omnem præſcientiã futuræ determinationis ipſius voluntatis humanę,ita idem autor lib.1. de Auxiliis c.12.& 16.& lib.2.c.7.& lib.3. pluribus in locis,& eſt fundamẽtum præcipuũ totius doctrinæ, quam habet in illis libris. Secundum dictum:non repugnat libertati arbitrij creati,quòd actus liberi ſint efficaciter prædefiniti ante præſcientiã liberæ determinationis voluntatis creatæ ad eoſdẽ actus præuiſam,vt abſolutè futuram, prædefinitione tamen interna, non externa. immò veriſimillimum eſt, multos tales actus fuiſſe à Deo prædefinitos. ita eodem lib.1.c.16.& lib.2.c.7.Tertium dictum: non eſt de ratione diuinæ prouidentiæ, vt omnes actus liberi ſint abſolutè prædefiniti ante præſciẽtiam abſolutæ illorum futuritionis. Quartum:nõ poteſt certò determinari, vtrũ omnes actus liberi ſint à Deo prædefiniti ante ſcientiam abſolutę illorum futuritionis: quia hoc pendet ex ſola Dei voluntate,de qua nobis non conſtat.ita lib.2.eod. c.7.n.3.vſque ad 10.Quintum:probabilius eſt,non omnes actus liberos eſſe ſic prædefinitos, ſed aliquos tantùm.qui verò illi ſint,declarat ibid. n.11. & tamen in 3.part.tom.1.diſp.37.ſectio.4. vniuerſaliter docet omnes actus liberos fuiſſe à Deo abſolutè prædefinitos. & hanc opinionem exiſtimat eſſe probabiliorem. Suarez.

Hæc autem varietas opinionum ſola ſufficere poteſt ad huiuſce controuerſiæ ſolutionis difficultatem monſtrandam.

CAPVT X.

Fundamenta nonnulla ad propoſitam controuerſiam dirimendam conſtituuntur.

ETſi in tanta opinionum multitudine,& varietate difficile admodum ſit veritatem attingere, maximè vbi de arcanis diuinæ voluntatis agitur.*quis enim cognouit ſenſum Domini,*ait Apoſtolus, *aut quis conſiliarius eius fuit.* neque debeat aliquis de opinionibus Doctorum, quas Eccleſia Catholica non reprobat,temerè pro ſuo libito cenſere. Conabimur tamen cum diuino auxilio aliquam ex ſupradictis vti ab inconuenientibus magis expeditam nobis deligere,& hoc ſolùm ne videãtur in hac grauiſſima controuerſia partes noſtræ,qualeſcunque illæ ſint,deſiderari. parati ſemper aliorum adhærere opinioni,meliotibus, & euidentioribus rationibus ſuadentium. Id autem vt efficiamus, in hoc capite nonnulla fundamenta dicendorum priùs conſtituenda nobis ſunt, & I.

Primò ſupponendum nobis eſt, quòd prædefinitio,de qua modò loquimur, ſit aliud nihil, niſi efficax alicuius finis intentio:vnde differt prædefinitio ab intentione,quia prædefinitio eſt intẽtio, non qualiſcunque, ſed intentio efficax:intẽtio verò non omnis efficax eſt.Dixi autẽ notanter,quòd eſt intentio finis,quia etſi poſſit eſſe prædefinitio alicuius obiecti,quod erit medium ad finem,tamẽ non eſt prædefinitio illius ſub ea ratione, qua eſt medium, ſed ſolùm ſub ea ratione,qua habet rationem finis:non enim inconuenit aliquid ſub diuerſis rationibus eſſe finem,& eſſe medium.

Secundò ſupponendum eſt, quòd non omnis finis eſt efficaciter à Deo intentus,ſunt enim multi fines particulares non intenti efficaciter,ſed ſola intentione quadam ſimplicis complacentiæ,ſicut dicetur lib.ſequenti, agendo de diuina prouidentia. II.

Tertiò ſupponendum eſt,eundem ordinem habere adinuicem diuinum influxum, & concurſum cum ſecundis cauſis liberis, & determinationem earundem cauſarũ ad ſuos actus liberos in diuina præordinatione,& prædefinitione,quẽ ordinẽ hęc omnia habẽt adinuicem extra Deũ, & in rerũ natura.Hæc ſuppoſitio debet à quocũque Theologo recipi tãquam veriſſima,cùm in actib.diuinæ volũtatis(addo etiã diuini intellectus)nullus alius ordo poſſit conſtitui,niſi ille quẽ habent obiecta ipſorum actuum in ſeipſis in rerum natura:& iſta eſt

ſuppoſitio

Auguſt. ſuppoſitio cui potiſſimum innititur D. Auguſtinus in lib. de prædeſtinatione ſanctorum c.10. ad probandum,quòd prædeſtinatio non ſit ex præuiſione meritorum, quia prædeſtinatio nihil aliud eſt niſi gratiæ præparatio, per quam prædeſtinati ſaluantur:at gratia in tempore non datur ex meritis,alioqui non eſſet gratia.Ergo neque ab æterno eſt præparata ex meritis. Eidem ſuppoſitioni nititur D.Thom. de veritate q.12.art.10.ex qua deducit,Deum illa ſolùm prædeſtinare,proprie, & ſtrictè loquendo,quæ ipſe ſolus in nobis facit,nó quę nos facimus cum illo. adeò quòd ſi concurſus diuinus cum noſtra voluntate ad actum liberum antecedit determinationem noſtræ voluntatis ad eundem actum, etiam ab æterno ille eſt prædefinitus ante præuiſam determinationem noſtræ voluntatis ad eundem actum:& ſi non nó. & reuera videtur contradictionem implicare dicere, quòd Deus in tempore non velit ſe ſolo efficere actum liberum,ſed concurrendo cum ſecũda cauſa, quæ eſt voluntas creata,& velit actum liberum ita dependere ab ipſa voluntate creata,vt ſit poſitum in illius poteſtate illum actum producere, vel non producere, & ſi voluntas creata non operetur ad illius productionem,neque Deus ipſe operetur,& nihilominus ab æterno prædefinierit abſolutè, & efficaciter,vt eſſent omnes actus liberi, qui fiunt ab eadem voluntate,& hoc ſe ſolo ante inſpectam aliquo modo determinationem eiuſdem voluntatis creatæ ad tales actus. Si enim ſe ſolo vult aliquid efficaciter, non vult illud dependenter à libera voluntate alterius, vt libera eſt,potens velle illud, & non velle : & ſi vult illud dependenter à libera voluntate alterius,non vult illud efficaciter à ſe ſolo.

III. Quartò ſupponendum eſt, omnes, & ſingulos effectus liberos eſſe ſimul à Deo, & à voluntate creata,tanquam à duabus cauſis,totalibus quidem in ſuo ordine,& ſubordinatis adinuicem, non autem totalibus ſimpliciter, & totalitate cauſalitatis,in hoc ſenſu,quòd tota cauſalitas effectus non eſt ab vna cauſa ſolùm,ſed à duabus ſimul tempore,& natura,ita vt non ſit aliquod inſtans naturę, in quo effectus productio priùs attingatur ab vna cauſa, quàm ab alia, ſed in eodem inſtanti attingatur ab vtraque, licèt cum aliquo ordine dependentiæ, & immediationis virtutis,vt dicit Scotus in 4.d.1.q.1.ad vltimum, & Caietan.1.part.q.14. art.13.§.*nec ſuſtinendus. verſic.ad ſecundam verò obiectionem.* Ruardus Taper art.7. propoſitione 10. in fine,Iulius Sirenius lib.8.de fato cap.12.13. & 21. Aluarez diſp.18.n.11. & omnes recentiores communiter. Et hinc ſequitur, licèt prima cauſa plus influat in quamlibet operationem liberi arbitrij creati,quàm ipſum liberum arbitrium creatum,nó tamen eſſe totalem & integram cauſam ſimpliciter & abſolutè ipſius volitionis liberi arbitrij creati,ſed voluntatem creatam habere ſuã diſtinctam cauſalitatem in ordine ad ſuam volitionem, diſtinctam, inquam,à cauſalitate primæ cauſæ, vt lib.3.c.14.in explicando quarto modo dictum eſt. Et licèt omnes ſapiẽtes dicant, ſecũdas cauſas eſſe inſtrumẽta primæ cauſæ,non tamen ſic ſunt intelligendi,quòd negent ineſſe ſecundis cauſis vim agẽdi etiam per modum permanẽtis,& velint affirmare, quòd virtus agendi inſit cauſis ſecũdis ſolùm per modum motionis tranſeũtis,aut per modum intentionis,ſicut ineſt inſtrumentis artificialibus:hoc enim eſſet naturam ſecundarũ cauſarum euertere,& in opinionem illam fatuam quorundã antiquorũ recurrere,qui dicebant,ſecundas cauſas nihil reuera operari,ſed ſolum Deum omnia agere ad illarum præſentiam: ſed ideo vocant ſecundas cauſas inſtrumenta comparatas ad primam, quia dependent à prima quoad eſſe, & conſeruari, & quoad vim agendi. Adde etiam ſecundùm D.Th. quoad applicationem ad agendum,& nouũ influxũ,& concurſum cum ipſis ſecundis cauſis ad quãlibet operationem.Et idcirco acutè Caietanus dicta q.14.a.13.§.*nec ſuſtinendus eſt Scotus.* reſpondẽs primæ obiectioni Scoti ait,quòd cùm dicitur, ſecundas cauſas non mouere niſi, vt motas à prima cauſa,ſi particula,*quatenus*,denotat cauſam præciſam, ita vt motio primæ cauſæ ſit ſecundis cauſis præciſa ratio agendi,implicat contradictionẽ, ſecundas cauſas nõ mouere,niſi vt ſunt motæ, quia ſi ſecunda cauſa eſt cauſa,non præcisè mouet, vt mota à prima cauſa,ſed ex ſe aliquid confert:& ſi ſolùm mouet,quia mota,nihil ex ſe confert, & ſic non eſt cauſa. Quæ doctrina cùm ſit vera in omnibus aliis ſecũdis cauſis, maximè vera eſſe debet in voluntate creata,quæ nõ ſolùm habet vim aliquid conferendi ad producendum ſuum effectum, ſed habet in ſua poteſtate ſuam vim conferre, vel non conferre, pro ſuo arbitrio,ita vt dę lege Dei ordinaria non poſſit cogi ad conferendum, ſi illa noluerit,& niſi ipſa liberè velit ſuam vim cõferre, neque etiam ipſa prima cauſa ſuam vim conferat. Quæ doctrina eſt præ oculis tenenda propter nõnullos nimis ſcrupuloſos,qui concedere verentur ſecundas cauſas,maximè liberas,ex ſeipſis aliquid conferre ad producendos ſuos effectus liberos,vt ſunt ſecundæ cauſæ, habentes ſuum proprių modum cauſandi diſtinctum à modo cauſandi primæ cauſæ.quia dicũt iſtud,quod ſecunda cauſa cõfert, vt diſtincta à prima,vel eſt aliquid,vel nihil:ſi aliquid,ergo erit aliqua entitas à ſecunda cauſa,quæ nõ erit à prima,& ſic dabuntur plura prima principia.quorum conſequentia eſt negãda, quia licèt cauſalitas ſecundæ cauſæ ſub ea præciſa ratione, qua eſt à ſecunda cauſa, non ſit à prima,tamẽ abſolutè eſt à prima cauſa, quia ſecunda cauſa accipit à prima eſſe, & operari, & in ipſa operatione habet neceſſariam ſubordinationem ad primam cauſam,& idem numero influxus,qui eſt à ſecunda cauſa,eſt etiam à prima, atque ita à duabus ſimul,quod à neutra ſigillatim.

IV. Quintò ſupponẽdũ eſt ipſam determinationem voluntatis creatæ ad ſuum actum liberum nõ eſſe præcisè à prima cauſa, neque præcisè à voluntate creata,ſed ab vtraque ſimul.quòd non ſit præcisè à Deo,præter quod expreſsè id docet D.Th.1.2.q. 8.a.1.ad 3.& q.9.a.6.& de potentia q.3.a.7. ad 13. & de malo q.3.a.2.& de veritate q.5.a.9.ad 10.& 1. cõtra Gentes c.68. & D.Bonau. Alex. Alenſ. Gabriel,Greg.Arim.& alij omnes conſentiũt. Ratio etiam demonſtratiua id apertè conuincit. nam ſi determinationis humanæ volũtatis ad ſuum actũ totalis,& præciſa cauſa eſt diuina voluntas. Ergo volũtas humana in ſuis operationibus ſe habebit merè paſſiuè,quod eſſet in errorẽ Lutheri à Conc. Trid.ſeſſ.6.can.4.dãnatum incidere. Quòd etiam eadẽ determinatio nõ ſit præcisè ab ipſa volũtate creata,præter quod & D.Th.& alij omnes cõmuniter affirmant contra Petrum Pomponatiũ.Ratio euidentiſſima ſimiliter demonſtrat, primò quia talis determinatio omnino fieri nequit ſine diuino concurſu. Secundò, quia talis determinatio realiter non eſt diſtincta ab influxu eiuſdẽ volũtatis in effectũ,qui ſimiliter eſt etiam à prima cauſa. Tertiò, quia niſi talis determinatio eſſet etiam à Deo,voluntas creata penderet à Deo ſolùm quoad

Caietan.

Scotus. Caietanus. Ruard. Sirenius. Aluarez. D.Thom. Bonau.

esse, & posse, non autem quòd operari, contra expressam autoritatem D.Pauli, dicentis, *Deus est, qui operatur in nobis velle, & perficere.* Hinc deducitur, quòd quemadmodum prima causa non attingit effectum secundæ causæ in aliquo instanti naturæ, priusquam ille attingatur ab eadem secunda causa: ita prima causa non determinat voluntatem creatam in aliquo instanti naturæ, priusquam ipsa voluntas creata seipsam determinet ad suum actum, saltem loquendo de priori naturæ, in quo. Si quis autem contendat, humanam voluntatem determinari priùs natura à Deo, quàm à seipsa prioritate, à quo, in hoc sensu, quia voluntas humana accipit à diuina vim se determinandi ad suum actum, & in actuali determinatione à diuina dependet, non est cum illo contendendum: & concedenda sunt nomina, cùm de re constat, iuxta regulam sæpius traditam ab Augustino, & eo maximè, quia hoc modo dicendi vsus est sæpe idem D.Augustinus dicens, Deum facere, vt faciamus, quod quomodo intelligi vellet, declarauit in lib. de prædest. & gratia cap. 9. & de gratia, & libero arbitrio cap. 16. & de corrept. & gratia cap. 2. dicens, Deum facere, vt faciamus, præbendo vires efficacissimas ipsi voluntati. Hæ suppositiones, quæ verissimæ sunt, viam facilem videntur nobis aperire, ad veritatem inueniendam in hac graui controuersia, quæ sequentibus conclusionibus videtur nobis sic dirimenda.

August.

CAPVT XI.

Proposita controuersia per conclusiones determinatur.

I. PRima propositio: Nullus actus liber voluntatis creatæ est à Deo ante aliquam præscientiam futuræ determinationis eiusdem voluntatis creatæ ad illum efficaciter & absolutè prædefinitus. Dixi autem notanter, ante aliquam præscientiam, quia hîc non decernitur, vtrùm ante præscientiam absolutam, an ante præscientiam conditionatam, sed ad veritatem conclusionis sufficit nobis, quòd actus liberi non sunt prædefiniti, vel ante præscientiam absolutam, vel saltem ante præscientiam conditionatam.

Damascen.

Probatur hæc propositio autoritate Patrum. & in primis autoritate D. Damasceni lib. 2. de fide cap. 30. dicentis, *Illud scire interest, Deum omnia quidem præscire, sed non omnia prædefinire: præscit enim ea omnia etiam, quæ in nostra potestate, & arbitrio sita sunt: at non ea item prædefinit, neque enim vitium admitti vult, neque voluntati vim affert.* & in Dialogo contra Manichæos prope finem: *Præuidens Deus ea, quæ à nobis sponte futura sunt, videlicet quæ in nostra sunt potestate, virtutem dico, & vitium, prædestinat ea, quæ non sunt in nostra potestate.*

D. Gregorius Nyssenus lib. 8. Philosophiæ cap. 4. dicit, ea, quæ pendent ex nostra libera voluntate, non esse subiecta diuinæ prouidentiæ. quod dixit etiam Damascenus dicto lib. 2. cap. 29. quod saltem intelligendum est in hoc sensu, quòd ea, quæ sunt in nobis, non sunt ante præuisam nostram liberam determinationem efficaciter, & absolutè per diuinam prouidentiam prædefinita.

D. Anselmus lib. concordiæ cap. 2. *Pariter igitur quamuis necesse sit fieri, quæ præsciuntur, & quæ prædestinantur, quædam tamen præscita, & prædestinata non eueniunt ea necessitate, qua precedit rem, & facit, sed ea qua rem sequitur.* & paulo antè dixerat: *Dubitari non debet, quia eius prædestinatio, & scientia non discordant: sed sicut præscit, ita quoque prædestinat*, cui consonat dictum Augustini lib. 6. Hypognosticon paulo post initium dicentis: *Deus, cuius præscientia non accidens est, sed essentia sunt semper, & est, quidquid antequam fiat sicut præscit, prædestinat, propterea prædestinat, quia quale futurum sit, præscit.* Ex his dictis quinque habentur. Primum, quòd ea, quæ pendent ex nostro libero arbitrio, non sunt à Deo prædefinita. Secundum, quòd si illa sunt prædefinita, talis prædefinitio non est absque præscientia futuritionis illorum. Tertium, quòd ideirco Deus non prædefinit res siue actus nostros liberos ante præscientiam, ne lædat nostram libertatem. Quartum, quòd Deus ideirco res prædestinat, quia quales futuræ illæ sunt, præscit, hic enim est formalis modus loquendi D. Augustini. Quintum, quòd diuina prædefinitio non infert rebus necessitatem antecedentem, quæ rem facit, sed solùm consequentem, quam ipsa res facit.

Augustinus.

His autoritatibus responderi posse videtur cum D.Thom. 1.part.q.23.art.1.ad 1.vbi ait, quòd Damascenus per prædeterminationem intelligit impositionem necessitatis, sicut est in rebus naturalibus, quæ sunt ad vnum naturaliter determinatæ, sed non negat omnem prædefinitionem, siue prædestinationem. quod dixit etiam in 3. contra Gentes cap. 9. verùm licèt ista doctrina verissima sit, non tamen potest nostro argumento accommodari, vt quidam arbitrantur. nam ex sententia Damasceni, & aliorum Patrum illa est prædefinitio, ad vnum ex necessitate determinans, quæ antecedit omnem præscientiam, & prædefinitio, quę stat cum libertate arbitrij, non est sine præsciẽtia, vt idem Damascenus expressè testatur dicto lib. 2. cap. 30. dicens, *diuina iussio cum præscientia definitionem efficit.* Vnde etiam doctrina D. Thomæ est contra respondentes, cùm ipse dicat, Damascenum negare prædeterminationem ad vnum ex necessitate, & omnis prædeterminatio, seu prædefinitio antecedens sit ad vnum ex necessitate. Quod confirmatur ex ratione allùmpta à supracitatis Patribus, illa autem est. Actus humani non sunt antè præscientiam prædefiniti, ne lædatur humani arbitrij libertas. ergo à contrario vbi illi sint ante præscientiam prædefiniti, lædetur humani arbitrij libertas.

II. D.Thom.

Confirmatur secundò, quia D. Anselmus expressè ait, quòd ista prædefinitio infert rebus prædefinitis non eam necessitatem, quæ rem præcedit, sed illam solùm, quæ rem sequitur: necessitas enim quæ rem præcedit, libertatem aufert, vt ille docet loco cit. lib. 1. cap. 19. vnde & concludit, necessitatem, qua secundùm Scripturas Christus dicitur mortuus, fuisse sequentem, & nihil efficientem. Videantur, quæ ibi de hac re diximus.

Anselmus.

Confirmatur tertiò, quia Patres respondentes cauillo Paganorum dicentium: Si Deus certò præscit futuros actus nostros liberos: ergo destruitur arbitrij nostri libertas, & diuina præscientia imponit huiusmodi actibus absolutam necessitatem. dicunt, quòd diuina præscientia non imponit rebus præscitis necessitatem: quia diuina præsciẽtia non præcedit res scitas, neque est illarũ causa, sed comitatur illas. ita docent Patres citati lib. 3. c. 14. Ergo si per hoc certitudo præscientiæ diuinæ non tollit humanam libertatem, quia illa non est causa antecedens rerum scitarum, ab oppositio decretum efficax antecedens ipsos actus liberos tanquã illorum causa euertit, & tollit eorum libertatem.

Confirmatur quartò, quia D. Aug. cùm vrgeretur à Semipelagianis, quòd in asserenda prædestinatione tolleret libertatem humanorum actuum, tandem

Augustinus.

tandem in lib. de bono perſeuerantiæ cap. 15. fatetur, prædeſtinationem non maiorem inferre humanis actibus neceſſitatem, quàm inferat certitudo diuinæ præſcientiæ. Quam doctrinam ſuſcepit D.Thomas de veritate quæſt.6.art.3. ad 6. D.Thom.

III. Secundò principaliter probatur eadem propoſitio autoritatibus D. Thomæ & aliorum Scholaſticorum. D.Th.1.p.q.23.art.7. expreſsè dicit, numerum reproborum, & boum, & aliorum animalium minutorum non eſſe Deo certum, ex aliqua principali præordinatione, & prædefinitione; ſed hoc modo eſſe certum ſolum numerum prædeſtinatorum, aliorum verò numerum eſſe certum certitudine ſolùm præſcientiæ, & non prædefinitionis. qui modus dicendi omnem reſponſionem ex adhibitis à recentioribus videtur excludere. Eandem ſententiam & doctrinam habet de veritate q.6.art.3. vbi docet, ſolum numerum prædeſtinatorum eſſe certum certitudine ordinis, & cauſalitatis, ſiue, quod idem eſt, certitudine prædefinitionis, alia verò, quæ ſubiacent communi prouidentiæ, certa eſſe certitudine præſcientiæ tantùm: & in hoc diſtingui communem prouidentiam à prædeſtinatione. Eandem doctrinâ adhuc magis apertè tradit q.12.art.10. vbi docet, prædeſtinationem propriè acceptam non eſſe niſi eorum, quæ Deus ſe ſolo facit ſine nobis, quod confirmat teſtimonio D.Ioannis Damaſceni. poterat etiam adhibere Auguſtinum infrà citandum, & ad tertium argumentum, vbi ait: *Ad tertium dicendum, quòd præſcientia hîc accipitur contra prædeſtinationem diſtincta, quantum ad ea, in quibus præſcientia prædeſtinationem excedit: non autem excedit præſcientia prædeſtinationem in malis ſolum, ſi prædeſtinatio ſtrictè accipiatur, ſed etiam in omnibus bonis, quæ non fiunt ſola virtute diuina.* & ad quartum ait, quòd *meritum noſtrum & eſt ex gratia, & ex libero arbitrio: non autem ſubiacet prædeſtinationi, niſi ſecundum quòd eſt ex gratia, quæ à ſolo Deo eſt: vnde quod ex noſtro arbitrio eſt, prædeſtinationi ſubeſſe dicitur per accidens.* hîc expreſsè negat, actus noſtros, qui non proficiſcuntur ex gratia, quales ſunt illi, de quibus modò loquimur, non eſſe prædeſtinatos, & illos etiam, qui ex gratia proficiſcuntur, eſſe prædeſtinatos ſolùm per accidens, neque loquitur de prædeſtinatione, quæ infert neceſſitatem, & tollit libertatem, quaſi ſit alia prædeſtinatio manens cum libertate, quia ſequeretur, prædeſtinationem gratiæ, de qua hîc loquitur, tollere humanam libertatem. Neque iſtam doctrinam D. Thom. retractauit in ſumma, cùm eandem habeat 1. 2. q. 174. art. 1. in corpore ferè ſub formalibus verbis.

IV. Eandem propoſitionem probat D.Bonau. in 1. diſt.38. q.1. art.2. & clariùs d.40. art.2. quæſt. 1. vbi reducit totam certitudinem prædeſtinationis ad diuinam præſcientiam, dicens: *Ad intelligentiam autem obiectorum notandum eſt, quòd prædeſtinatio diuina duo importat, & rationem præſcientiæ, & rationem cauſæ in quantum dicit rationem cauſæ, non neceſſariò ponit effectum, quia non eſt cauſa per neceſſitatem, ſed per voluntatem, & quia non eſt tota cauſa, ſed cum alia cauſa contingente, ſcilicet cum libero arbitrio.* & d.47.art.1.q.1. in corpore & ad ſecundum eandem prorſus habet doctrinam, dum loquitur de voluntate beneplaciti.

Idem ſentit Alex.Alenſ.1.p.q.24. membro 5.& q.26.membro 4.art.3. & membro 7.art.2.& q.40. membro 4. ad tertium, quibus in locis citat autoritates Damaſceni & Anſelmi ſuperiùs allegatas.

Immò Scotus ipſe in 2. diſt. 37. §. *ad ſolutionem iſtorum, verſic. Reſpondeo.* Dico quòd prioritas non obſcurè fauet huic ſententiæ, dum ait, quòd *cauſa ſecunda habet in ſua poteſtate concauſare cauſæ primæ, vel non concauſare: & ſi non concauſat illi, vt tenetur, non eſt rectitudo in effectu communis amborum.* Ex quo loco habetur etiam, quòd actus humanæ voluntatis ſunt liberi de mente Scoti non ſolùm comparatione voluntatis diuinæ, liberè ſe ad illos determinantis, ſed etiam comparatione voluntatis creatæ, quæ habet in ſua poteſtate illos elicere, & non elicere.

Eandem ſententiâ cogitur tenere Greg. Arim. in 1.d.38.q.2.art.2. eandem ſequuntur Marſilius in 1.q.40.art.2.1.p.concluſ.4. in fine, & in 3.part.art. ſuppoſitione 4. adducens ſimiliter ſententiam Anſelmi dicentis, ſuppoſitionem antecedentem tollere libertatem, & Adamus in 3.d.14.q.2.dub.1.& q.3.dub.1.& 2.& 3. vbi refert articulum Pariſienſem dicentem: *Falſum eſt, omnia eſſe præordinata à cauſa prima: quia ſic euenirent omnia de neceſſitate, quod eſt error.* citantur in eandem ſententiam Andreas de Caſtro nouo in 1.diſt.22.q.2.ad 2.& Almainus tract.1.morali cap.1. & Dominicus Soto lib.1. de natura, & gratia c.16. vbi dicit quòd *quidquid Deus vult voluntate abſoluta, & quæ dicitur beneplaciti, fit, iuxta illud, voluntati eius quis reſiſtit? quando autem cum libero hominis arbitrio concurrit, non vult illud fieri niſi ſalua humana natura, & libera voluntate, quæ idcirco reſiſtere Deo poteſt.* Adamus. Andreas de Caſtro nouo. Almainus. Soto.

Tertiò principaliter probatur eadem propoſitio ratione ſumpta ex natura liberi arbitrij. Hæretici ferè omnes, qui liberum arbitrium negant, & etiam Philoſophi, ex eo ſolùm capite illud videntur negare, quòd omnes actus humani ſunt ab æterno prædefiniti efficaciter ante omnem præſcientiam operationis voluntatis humanæ, & tamen illi damnantur ab Eccleſia. V.

Neque videtur ſolida reſponſio eorum, qui dicunt, hæreticos non damnari in eo, quòd affirmant, omnes actus liberos fuiſſe efficaciter prædefinitos ante omnem præſcientiam determinationis humanæ voluntatis ad illos, ſed in hoc, quòd ex iſto antecedente per malam conſequentiam deducunt hoc conſequens erroneum. Ergo voluntas in ſuis operationibus libera non eſt. tum propter ea, quæ contra hanc reſponſionem dicta ſunt lib.1. cap.19. tum etiam, quia vel efficax decretum diuinum infert humanis actibus neceſſitatem euentus, vel non. Si non inferat: Ergo non eſt decretũ efficax. Si infert: Ergo nõ eſt libertas.

Dicetur, quòd infert neceſſitatem ſolùm ex ſuppoſitione, non autem neceſſitatem abſolutam: modò neceſſitas ex ſuppoſitione non tollit libertatem. Sed præterquam quòd iſta reſponſio ibi reiecta eſt, nunc etiam reiici poteſt, quia quæro, quid ſit, voluntarem non poſſe non operari ex ſuppoſitione diuini decreti. Dicent eſſe idem, quòd voluntatem non poſſe non operari in ſenſu compoſito. quid autem ſit non poſſe non operari in ſenſu compoſito, declarant, quod eſt idem, atque voluntatem, vt ſubſtat diuino decreto, non poſſe non operari, licèt in ſenſu diuiſo, id eſt, conſiderata, vt non ſubſtat ipſi diuino decreto, ſed ſecundùm ſeipſam, poſſet non operari. At hoc eſt ſolum quod docent hæretici recentiores, & docuerunt antiqui hæretici, & Philoſophi, voluntatem non poſſe non operari, quatenus ſubſtat diuino decreto, & diuinæ motioni, & quatenus cum illis componit.

Quòd etiam aiunt nonnulli, non omnem ſuppoſitionem antecedentem impedire vſum libertatis, maximè illam, quæ prouenit ex prima cauſa, aut illam non eſſe neceſſitatem antecedentem, ſed conſequentem, ibidem reiectum eſt, tum quia, vt dictum eſt, hæretici nullam aliam neceſſitatem

imponunt humanæ voluntati, nisi illam, quæ oritur ex suppositione antecedenti primæ causæ; tum secundò, quia impossibile est, effectum prouenire à prima causa necessariò, & à secunda contingenter, si prima causa sit necessaria in actu secundo, & in exercitio, vt ostensum est hoc libro cap. 6. Tertiò, quia si sufficit ad hoc, vt suppositio sit consequens, illam consequi primam causam, nempe decretum diuinæ voluntatis, licèt antecedat determinationem humanæ voluntatis, & ex tali suppositione non infertur necessitas, quia est suppositio consequens respectu primæ causæ, quæ est diuina voluntas, omnia liberè eueniunt in mundo, quia omnis necessitas existens in rebus respectu diuinæ voluntatis est necessitas consequens, quantacunque illa sit. Quartò, quia videtur sequi, omnes actus humanos dicendos esse liberos solùm comparatione primæ causæ, non autem secundæ. Demum, quia si Deus consultò vellet actus humanos supponere fatali, & ineuitabili necessitati, non videretur id melius efficere potuisse, quàm omnes hominum operationes ab æterno ante omnem præuisionem determinationis illarum efficaciter prædefiniendo, & in tempore physicè easdem voluntates ad omnes, & singulas operationes prædeterminando: & nihilominus voluntas humana in tali casu non ageret necessariò nisi ex suppositione.

VI. Et quanuis prima causa ex mente D. Thom. 1. part. quæst. 106. art. 2. & q. 111. art. 2. possit immutare humanam voluntatem, conformiter ad suam naturam illam mouendo efficaciter, etiam salua manente eius libertate, quod non potest facere alia quæuis causa creata, non tamen dicit D. Thom. quòd Deus hoc possit facere prædefiniendo efficaciter omnes illius actus antecedenter ad omnem præscientiam determinationis liberæ ipsius humanæ voluntatis, immo oppositum in locis citatis manifestè docet.

Et tandem quod nonnulli dicunt, ex efficacia diuinæ voluntatis oriri, vt efficax prædefinitio diuina etiam antecedens omnem præscientiam nostræ liberæ determinationis non impediat nostram libertatem, quia diuina voluntas ad suam efficaciam facit non solùm, vt sint, quæ Deus vult esse, sed etiam eo modo sint, quo modo Deus vult illa esse, Deus autem vult quædam euenire necessariò, quædam autem contingenter, vt docet D. Thom. 1. part. quæst. 19. art. 8. & hoc ad decorem, & perfectionem vniuersi, hoc nihil illos iuuare posse videtur, quia non intendit ibi loci D. Thom. docere, quòd Deus efficaciter prædefinierit omnes effectus non solùm necessarios, sed etiam liberos, & contingentes, non solùm in vniuersali, sed etiam in particulari, & ob id præparauerit illis causas non solùm necessarias, sed etiam liberas, & contingentes, vt nonnulli commentantur, quia siue hoc sit verum, siue falsum, nihil facit ad causam, quam ibi tractat, quærit enim ibi, an diuina voluntas rebus volitis necessitatem imponat, & respondet, quòd non, quia Deus non solùm vult, vt res eueniant, sed etiam, vt eueniant quædam necessariò, quædam contingenter: & ideo quibusdam rebus præparauit causas necessarias, quibusdam contingentes. vnde intendit D. Thom. ibi loci docere, effectus non solùm necessarios, sed etiam contingentes esse à Deo intentos ad perfectionem vniuersi, non quidem in particulari, sed in communi: & ideo voluisse, vt essent in mundo causæ non solùm necessariæ, sed etiam contingentes. Quòd autem non loquatur de effectuum prædefinitione in particulari, siue illi sint necessarij, siue etiam contingentes, probatur primò, quia effectus necessarij, aut contingentes in particulari non spectant ad vniuersi perfectionem, sed solùm in communi. Secundò, quia siue illi sint prædefiniti in particulari siue non, hoc non facit ad declarandum quomodo voluntas diuina non imponat rebus volitis necessitatem, imò si quis vellet reddere rationem quòd diuina voluntas non imponat rebus volitis necessitatem, ex eo, quia omnes effectus liberi & contingentes sunt in particulari & antecedenter à Deo prædefiniti efficaciter, & diuina voluntas ob suam efficaciam facit effectus prædefinitos infallibiliter euenire. Puto quòd hæc ratio potius difficultatem augeret, quàm solueret. Quare responsio sumpta ex illo loco D. Thomæ quantum video non soluit nostram rationem. nam dicere quòd idcirco efficacia diuinæ prædefinitionis antecedentis non lædit nostram libertatem, quia talis est efficacia diuinæ voluntatis, vt velit res infallibiliter euenire, & tamen velit liberè euenire, videtur nihil aliud esse, quàm petere principium, & dicere, hoc est hoc, quia est hoc; hoc euenit liberè, quia Deus vult quòd eueniat liberè, & non declarat quod erat declarandum, nempe quomodo possit Deus velle efficaciter esse aliquem effectum ante inspectam aliquo modo determinationem voluntatis creatæ ad illum, & tamen velle illum euenire liberè, ita vt possit non euenire. non enim potest efficacia diuinæ voluntatis facere impossibilia, quæ implicant contradictionem. Sed hæc duo videntur manifestam contradictionem implicare: quod probo, quia secundùm respondentem ista est vera, omnem effectum antecedenter & efficaciter à Deo prædefinitum euenire est necessarium. Ergo omnem effectum sic prædefinitum non euenire impossibile est. Ergo nullum effectum sic prædefinitum euenire est contingens, & si dicatur quòd omnem effectum sic prædefinitum euenire est necessarium, ex suppositione, & in sensu composito, non autem in sensu diuiso, aut respectu primæ causæ, non autem secundarum causarum. iam isti modi respondendi sunt superiùs refutati.

VII. Quartò principaliter probatur eadem propositio ratione sumpta ex diuina præscientia. Si enim omnes effectus contingenter, & liberè euenientes sunt sic prædefiniti ab æterno, potuit Deus in huiusmodi decreto futura contingentia certò, & infallibiliter nosse, absque eo, quòd eius intuitus ferretur super esse præsens actualis existentiæ illorum. At nunquã ex hoc capite D. Thom. aut alius quiuis Theologus probatæ autoritatis, excepto Scoto, assignat rationem certitudinis diuinæ præscientiæ de futuris contingentibus, sed omnes recurrunt ad actualem illorum præsentiam secundùm esse existentiæ, 3. lib. à nobis declaratam, vt satis constat ex dictis ibid. cap. 18. 21. 22. & 23. Immo ex dictis ibid. apparet, solum diuinum decretum non posse esse causam certitudinis notitiæ actuum liberorum humanæ voluntatis, & maximè eorum, qui sunt moraliter mali. Nullum ergo videtur esse tale decretum.

VIII. Quintò probatur ex ipsa quidditate, & essentia decreti efficacis. nam prædefinitio efficax, & voluntas efficax ex sententia omnium Theologorum est voluntas consequens, imò multi dicunt, solam voluntatem consequentem esse efficacem, vt patet ex Nazario 1. part. quæst. 22. artic. 1. contro. vnica. §. *sciendum est.* & artic. 4. contro. Nazarius.

Digitized by Google

Aluarez. contro. 2. §. *tertio loco*, & Aluarez disputat. 34. & alibi: sed voluntas efficax eorum, quæ ex libera hominis voluntate pendent, non est sine præscientia consensus, & determinationis eiusdem liberæ voluntatis, vt ex D. Chrysostomo, Damasceno, D. Thom. & aliis omnibus Theologis infrà hoc eodem libro monstrabimus. Ergo nullum est decretum efficax actuum liberorum humanæ voluntatis, quod non includat præscientiam futuræ determinationis humanæ voluntatis. Sed

Respondetur quòd prædefinitio efficax, & voluntas efficax includit præscientiam futuri consensus humanæ voluntatis, quia ipsa determinatio, & consensus voluntatis ortum habet ab eadem prædefinitione efficaci, non autem, quòd prædefinitio efficax ortum habeat ab ipsa determinatione voluntatis humanæ, eo tamen modo, quo diuina voluntas ab humana potest ortum habere.

Hanc responsionem inferiùs euidenter refutabimus ex eisdem autoribus. pro nunc sufficiat

D.Thomas. autoritas D.Thom. in 1. dist. 46. quæst. 1. art. 4. ad tertium vbi sic ait: *Ad tertium dicendum, quòd mala culpæ non fieri vult Deus voluntate antecedente, non autem voluntate consequente, nisi de illis quos scit mala non velle facere, quia voluntas consequens recipit conditionem creaturæ.*

IX. Sextò probatur ratione sumpta ex diuina prouidentia. Nam prouidentia efficax, quæ suum finem infallibiliter assequitur, voluntatis consequentis actus est, vel saltem actum includit: ille verò includit præscientiam consensus, & determinationis nostræ voluntatis. Ergo & diuina prouidentia huiusmodi præscientiam includit, & sic ratio sumpta ex diuina prouidentia, & illius perfectione, cui oppositum sentientes plurimum innituntur, potiùs oppositum eius, quod illi prætendunt, concludere videtur. Et reuera, vt quidam aiunt, nimis angusta, & nimis sollicita foret illa prouidentia, quæ omnes actiones in particulari cum omnibus circunstantiis absolutè prædefiniret, & cuilibet homini præscriberet.

Septimò probatur ratione sumpta ex ipsa diuina prædestinatione. ipsa certitudo diuinæ prædestinationis tandem vltimatè in certitudinem diuinæ præscientiæ resoluitur, qua Deus videt futurum, vt præsens, vt inferiùs ex Augustino lib.

Augustin. de bono perseuerantiæ cap. 15. & 6. Hypognosti-

D.Thom. con, & D. Thom. de veritate quæst. 6. art. 3. ad 6. & quæst. 12. art. 10. ad tertium & quartum, & 1. part. quæst. 23. art. 6. & aliis autoribus probabitur (quod tamen sano modo intelligas, vt ibid. declarabitur.) Ergo multo magis certitudo prædefinitionis aliorum effectuum ordinis naturalis in eandem præscientiam reducenda erit. Confirmari potest hæc ratio ex D. Thom. 3. part. quæst. 1. art. 3. ad quartum vbi dicit, quòd prædestinatio præsupponit præscientiam futurorum, & maximè lapsum Adæ. Si autem præscientiam peccati Adæ, cur non etiam aliorum futurorum?

Dicetur, prædestinationem non esse ex præscientia comparatione vnius, & eiusdem, bene tamen respectu diuersorum. v. g. prædestinatio alicuius electi ad gloriam præsupponit præscientiam peccati Adæ, non tamen præscientiam determinationis voluntatis eiusdem electi ad gloriam.

Sed ista responsio non videtur tollere difficultatem. Primò, quia ipse Adam est vnus de numero electorum. Si ergo eius prædestinatio potuit supponere determinationem liberam illius ad aliquos saltem actus, cur non etiam aliorum prædestinatio id potest? Deinde ex hac responsione saltem habetur, verum non esse, quod non nulli videntur affirmare, nempe Deum se solo ante inspectam determinationem voluntatis, & cuiuscunque causæ secundæ prædefiniisse absolutè omnes, & singulos effectus, qui sunt futuri in mundo. & ex eo, quia voluit esse in mundo hos effectus necessarios, illos autem liberos, præparasse his causas necessarias, illis verò causas liberas, & ex volitione efficaci effectuum fuisse præparationem causarum, quam volunt esse mentem D. Thom. dicta 1. part. quæst. 19. art. 8. si enim hoc verum esset; ergo oporteret omnes effectus liberos, imò & necessarios simul, & in eodem instanti esse efficaciter prædefinitos. quid enim opus esset expectare, vt videretur, quid ista causa foret effectura, ad illum effectum faciendum, cùm non ideo effectus fuerit prædefinitus, quia illius causa eum esset effectura. sed è contrario causa illum effecerit, quia ad illum efficiendum fuerat destinata?

Tertiò, quia vel Deus in effectibus prædefiniendis seruauit ordinem, quem habent res inter se, vel non. Si non. Ergo neque comparatione eiusdem, neque comparatione diuersorum prædefinitio præsupponit præscientiam. Si sic. Ergo cùm inter voluntatem creatam, & eius liberum effectum, sit ordo prioritatis, & posterioritatis naturalis, prior fuit in diuina præscientia prædeterminatio voluntatis creatæ ad actum liberum, quàm eiusdem actus efficax prædefinitio.

Quartò, quia, esto non detur ex parte nostra causa aliqua nostræ prædestinationis ad gratiam, datur tamé ex parte nostra aliqua causa, ob quam non est aliquis prædestinatus, idque docet euidentissimè D. Augustinus locis infrà lib. 6. allegandis, dicens, quòd reprobi fuissent prædestinati, nisi præuisi essent casuri, & in peccato permansuri. & pro nunc sufficere potest locus ex lib. ad artic. Augustino falsò impositos in responsione ad 12. id autem omnino intelligi nequit, nisi dicamus, Deum in prædestinationis negotio absoluendo præuidisse, quis foret suæ gratiæ consensum præbiturus, & quis non. Nec potest dici, quòd præuiderit quis foret consensum præbiturus, & quis non, quia præuiderat suum decretum, quo decreuerat hos ad consensum prædeterminare, non autem illos: quia Augustinus nō satisfeciſſet querelis Semipelagianorum quærentium, cur Deus hos non prædestinauerit, sicut illos, dicendo quòd etiam isti essent prædestinati, nisi præuisi fuissent casuri, & in peccato permansuri. Immo potiùs querelam aduersariorum auxisset, & roborasset. & dixissent eodem modo, cur illos prædeterminare decreuit ad consensum, & non istos? Et reuera, vt mentem Augustini, & aliorum Doctorum assequamur, opus est diligenter attendere, quo fine, quáve occasione illi scribant. X.

Quintò probatur ratione deprompta ex diuina reprobatione. si enim verum est, omnes, & singulos actus humanos absolutè fuisse à Deo prædefinitos, & efficaciter ante qualemcunque præscientiam futuræ determinationis humanæ voluntatis, sequitur primò, omnes reprobos fuisse ante inspecta illorum opera efficaciter exclusos à fine supernæ beatitudinis, quod licèt non solùm Caluinus, & Lutherus, sed etiam pauci ex Catholicis admittant, est tamen contra commu-

nem doctrinam omnium Catholicorum, vt ſuo loco videbimus. Sequitur ſecundò falſum eſſe, quod ait D. Auguſtinus loco proximè citato ad Articulos ſibi falsò impoſitos, quòd *reprobi non ſunt prædeſtinati, quia præſcits ſunt caſuri, & in peccato permanſuri, & quod fuiſſent prædeſtinati, ſi præuiſi eſſent reuerſuri, & in ſanctitate vitæ manſuri.* & quod ait D. Thom. de veritate quæſt. 23. art. 2. quòd *reprobi non ſunt efficaciter prædeſtinati ad beatitudinem, quia Deus præuidit illos aduerſaturos ſuæ ſaluti.* Tertiò falſum eſſe, quod ait Apoſtolus, Deum velle ex ſe omnes homines ſaluos fieri, quod de omnibus hominibus indiſtinctè debere intelligi lib. ſequenti probabitur. Quartò falſum eſſe quod D. Thom. ait de veritate quæſt. 23. artic. 2. reprobationem fuiſſe à Deo intentam ſola ſecundaria intentione. & probatur ſequela, quia ibi dicit D. Thom. quòd illud eſt volitum ſecundaria intentione, quod ſolum eſt volitum occaſione ſumpta ex malo ipſius creaturæ. Data verò veritate illius opinionis, quòd omnes effectus ſint prædefiniti ante omnem præſcientiam determinationis eiuſdem humanæ voluntatis, reprobatio non poteſt eſſe volita occaſione accepta ex malo creaturæ.

D. Thom.

Neque videtur vis huius rationis poſſe euitari per illam diſtinctionem de duplici reprobatione poſitiua, & negatiua, quarum prior non poteſt eſſe volita ante inſpecta opera creaturæ, poſterior verò ſic. nam inprimis reprobatio poſitiua non poteſt executioni mandari, niſi per aliquos actus liberos voluntatis creatæ. & ſic ſequitur ſaltem, non omnes actus liberos eſſe efficaciter prædeſtinatos ante præſcientiam determinationis voluntatis creatæ. Secundò, reprobatio ipſa negatiua nihil aliud eſt, niſi voluntas non dandi homini auxilium efficax, quo teneatur, ne cadat. At iſta voluntas ſupponit in Deo præſcientiam vſus voluntatis creatæ, ex Auguſtino lib. 2. de peccatorum meritis & remiſſione cap. 2. vbi ait, *vt homines non adiuuentur, Dei gratia, in ipſis cauſa eſt, non in Deo.* & Anſelmo in lib. de caſu Angeli cap. 3. dicente: *Iſta eſt cauſa, quòd Deus non conceſſit Diabolo gratiam, quia ipſe noluit eam accipere, nec paratus fuit.* & D. Thom. in 1. 2. quæſt. 112. art. 3. ad ſecundum dicente: *Defectus gratiæ prima cauſa eſt ex nobis, ſed collationis gratiæ prima cauſa eſt ex Deo, ſicut dicit Oſeas: Perditio tua ex te Iſrael.*

Auguſt. Anſelmus. D. Thom.

XI. Sextò actualis Dei influxus, & concurſus in tempore non determinat voluntatem priùs natura, quàm illa ſe ad actum determinet ex ſuppoſitis in cap. præcedenti. Ergo neque illius prædefinitio eſt prior ex dictis ibid.

CAPVT XII.

An actus liberi ſint efficaciter prædefiniti ante præuiſam determinationem voluntatis creatæ per ſcientiam liberam.

I. ETſi capite præcedenti ſatis probabiliter oſtenſum ſit, actus liberos voluntatis creatæ non fuiſſe efficaciter prædefinitos ante omnem præſcientiam determinationis voluntatis creatæ ad eoſdem actus, non tamen conſtat, per quam ſcientiam præuiſa ſit eiuſmodi determinatio, an per ſcientiam conditionatam, an per ſcientiam liberam, ſeu viſionis, & de hoc controuerſia eſt inter recentiores Theologos, quorum aliqui tenent, nullum actum liberum fuiſſe efficaciter prædefinitum ante abſolutam, & liberam præſcientiam eiuſdem determinationis voluntatis creatæ humanæ ad illos. Alij dicunt omnes actus liberos eſſe prædefinitos ante præſcientiam abſolutam eiuſdem determinationis, non autem ante præſcientiam conditionatam. Alij tandem diſtinguunt de duplici genere effectuum liberorum, quorum alij ſunt intenti à Deo in particulari ob aliquem finem particularem, & hos dicunt efficaciter prædefinitos ante abſolutam præſcientiam determinationis voluntatis creatæ, non tamen ante præſcientiam conditionatam. Alij verò non ſunt ſpecialiter intenti ob aliquem finem particularem, ſed ſolùm in communi, & in ordine ad finem vniuerſalem, qui eſt decor, & perfectio vniuerſi, & hos dicunt non eſſe prædefinitos ante præſcientiam abſolutam liberæ determinationis voluntatis creatæ.

II. In hoc dubio reſoluendo ſit propoſitio: Nullus effectus liber ſiue ſpecialiter intentus ob finem particularem, ſiue ſolùm in vniuerſali eſt à Deo efficaciter prædefinitus ante præuiſam determinationem voluntatis creatæ, vt abſolutè futuram; ſed in eodem inſtanti fuit tum præuiſio determinationis voluntatis creatæ, tum prædefinitio efficax voluntatis diuinæ. Hæc propoſitio probatur ex ſuppoſitionibus factis in c. 10. ſi nanque aliquid præuidetur futurum ſub conditione, ſicut poſita conditione præuidetur futurum abſolutè, ita in eodē inſtanti, in quo prædefinitur conditio, præuidetur etiam futurum abſolutè. Hæc videtur per ſe manifeſta. At omnes actus liberi, qui actu ſuccedunt in tempore, ſunt à Deo præuiſi futuri ſub conditione, ſi Deus vellet illorum cauſas conſtituere in tali ordine cum talibus circunſtantiis, præuidit enim Deus, quòd ſi vellet voluntatem meam conſtituere in iſtis circunſtantiis, in quibus modò ſum conſtitutus, voluntas mea liberè ſe determinaret, ad ſcribendam hanc diſputationem de diuinis prædefinitionibus. Ergo in eodē inſtanti, in quo decreuit voluntatem meam conſtituere in iſtis circūſtantiis, vidit abſolutè, & nō amplius ſub conditione voluntatem meam ſe determinantem ad hunc actū ſcribendi, neque enim opus fuit expectare aliud inſtās ad videndā huiuſmodi determinationē futurā abſolutè. adeò quòd ſicut actualis determinatio voluntatis ad actum liberum neque eſt prius à Deo, quàm à voluntate, neque poſterius, ſed in eodē inſtanti ſimul, ſaltem loquendo de priori, in quo, vt c. 10. dictum eſt: ita prædefinitio diuina, & præſcientia determinationis voluntatis creatæ ad eundē actum ſunt in eodem inſtanti. Quare poteſt eadem concluſio confirmari ratione ex eodem fundamento in hunc modum deducta, quem ordinem habent adinuicem diuinus concurſus, & influxus, & voluntatis determinatio ad actum liberum extra Deum in tempore, eundem habent in diuina prædefinitione: ſed in tempore prædeterminatio humanæ voluntatis eſt in eodem inſtanti à Deo, & à voluntate creata, influxus etiam in effectum eſt in eodem inſtanti à Deo, & à voluntate creata. Ergo in eodem inſtanti fuerūt ab æterno diuina prædefinitio, & liberæ determinationis voluntatis humanæ præſcientia.

III. Hæc doctrina confirmari poteſt omnibus teſtimoniis Patrum ſuprà citatis cap. præcedenti, iunctis his, quæ dicta ſunt c. 8. Nam c. 1. oſtendimus autoritate multorum Doctorum, omnes actus humanos eſſe prædefinitos cap. verò 11. autoritate aliorum Patrum oſtendimus, ea, quæ Deus non ſe

ſolo

ſolo facit in nobis, ſed concurrendo cum libera noſtra voluntate, eſſe quidem præſcita, non autem prædefinita, quæ autoritates benè conciliantur dicendo, actus liberos eſſe prædefinitos, ſed non ante præſcientiam conſenſus, & determinationis noſtræ liberæ voluntatis.

Sed contra hanc doctrinam eſt vnicum dubium. Videtur ex hoc modo dicendi ſequi, quòd omnes actus liberi eodem modo ſint à Deo prædefiniti. Conſequens autẽ videtur falſum, quia ſunt quidam actus liberi intenti, & voliti à Deo non ſolùm in vniuerſali, & in communi, ſed in particulari cum omnibus illorum circunſtantiis: alij autem ſunt voliti ſolùm in communi, quatenus pertinent ad perfectionem vniuerſi. & reuera videtur dictu incredibile, quòd eodem modo Deus prædefinierit matrimonium Adæ & Euæ, quod fuit ſacramentum vnionis Chriſti, & Eccleſiæ, & matrimonium Ioſephi, & Mariæ, ſicut matrimonium cuiuſuis etiam Pagani, & infidelis. Sunt etiam quidam actus ex inſtitutione diuina ordinati ad Chriſti miracula aliquo modo perficienda, quo pacto actus eundi ad abluendos oculos in natatoria Siloë fuit ex diuina inſtitutione ordinatus ad perficiendum miraculum illuminationis cæci nati, vt manifeſtaretur Dei gloria in illo opere: hunc autem actum credibile non eſt eodem modo prædefinitum, ſicut eſt prædefinitus actus ablutionis oculorum cuiuſlibet alterius hominis. Conſequẽtia verò probatur, quia eodem modo Deus præuidit, quid cuiuſque hominis voluntas eſſet facturа, ſi conſtitueretur in quolibet ex ordinibus, in quibus quilibet de facto eſt conſtitutus, & eodem modo decreuit quemlibet hominem in quolibet ordine cõſtituere. Ergo eodem modo omnes actus omnium hominum prædefiniuit.

Reſpondeo negando ſequelam. Ad probationem dico, non eodem modo decreuiſſe quemlibet hominem in quolibet ordine conſtituere. ſi tamen, eodem modo, ſe teneat ex parte creaturæ. nam ratio conſtituendi aliquos in hoc, vel illo rerum ordine, fuit intentio particularis, & voluntas huius, vel illius effectus in particulari cum talibus circunſtantiis particularibus. Ratio verò conſtituendi alios in tali, aut tali ordine, non fuit intentio, aut volitio alicuius finis particularis, ſed ſolùm finis vniuerſalis, qui eſt decor, & perfectio vniuerſi.

IV. Dicetur; ergo non omnes effectus liberi eſſent à Deo prædefiniti in particulari, ſed illi ſolùm, qui ſunt in particulari intenti, & voliti. nam efficax prædefinitio, vt dictum eſt, nihil aliud eſt, niſi efficax intentio, aut volitio alicuius rei in ratione finis, aut vt medij ad finem. Ergo ſi non eſt intentus effectus in particulari, non erit etiam prædefinitus in particulari.

Reſpondeo, etiamſi admitteremus conſequentiam, nullum ſequeretur inconueniens. & ſunt, qui admittant conſequens, quòd non omnes effectus liberi ſint prædefiniti in particulari, ſed ſolùm in communi, in quo ſenſu intelligi poteſt doctrina D. Thom. 1. part. quæſt. 19. art. 8. cùm ait quòd *Deus vult quædam fieri neceſſariò, & quædam contingenter, vt ſit ordo in rebus: & ideo quibuſdam adaptauit cauſas neceſſarias, & quibuſdam contingentes.* Sed tamen quia Deus eſt cauſa effectuum liberorum nõ ſolùm ſecundùm communes rationes, ſed etiam in particulari, & ſecundùm particulares illorum circunſtantias, vnde & videtur eoſdem effectus eodem modo definiuiſſe, quo modo eſt illorum cauſa, ideo admiſſo, quòd omnes effectus liberi ſint prædefiniti non ſolùm in communi, ſed etiam in particulari, reſpondetur, duobus modis contingere, aliquem effectum liberum fuiſſe à Deo prædefinitum in particulari, vno modo per ſe primò & immediatè, quia ille eſt per ſe primò & immediatè intẽtus, & volitus in particulari cũ circunſtãtiis particularibus, ita vt intentio illius effectus in particulari ſit diuinæ volũtati ratio præparãdi cauſas particulares, & conſtituendi hunc ordinem cauſarum, ex quo talis effectus ſequetur infallibiliter: alio modo ſecundariò, & mediatè, & quaſi per accidens, nimirum quia Deus non intendit quidem primò per ſe & immediatè hunc, aut illum effectum in particulari, ſed intendit ſolùm hunc, aut illum effectum in communi ad decorẽ, & perfectionem vniuerſi, & ob id decreuit præparare cauſas liberas, & conſtituere illas in tali ordine, vt poſſent huiuſmodi effectus pro ipſarum libertate producere, ſi vellent, & applicare illis ſuũ diuinum concurſum ad omnes, & ſingulos actus ſemper præparatum in actu primo, ad quos ſecundæ cauſæ liberæ ſe vellent determinare: quia verò videt, ſecundas cauſas liberas, ſi conſtituantur in tali, aut tali ordine, ſe determinantes ad hunc, vel illum effectum, potius quàm ad alios, etiam Deus decernit in actu ſecundo exhibere concurſum ſuum in particulari ad hos, & illos actus, non ad alios, ita vt ratio conſtituendi ſecundas cauſas liberas in hoc aut illo ordine, ex quo ſequitur hic, aut ille effectus particularis, non ſit intentio, & volitio huius, aut illius actus in particulari, ſed ſola intentio pulchritudinis, & perfectionis vniuerſi. & hoc modo differt prædefinitio quorundam actuum liberorum, qui dicuntur in particulari prædefiniti, vel quia ſunt effectus diuinæ prædeſtinationis, per quos prædeſtinatus aſſequitur finem gloriæ, vel quia ſunt effectus ordinati ad commune bonum totius Eccleſiæ, cuiuſmodi fuerunt Chriſti conceptio, natiuitas, vita, & mors, matrimonium Ioſephi & Mariæ, & ſimilia; vel quia ſunt ſpecialiter ordinati ad aliquod particulare opus, in quo Deus vult ſuam gloriam manifeſtare, cuiuſmodi fuit ablutio oculorum cæci nati in natatoria Siloë, & ſolutio Lazari reſuſcitati facta per Apoſtolos, & alij actus ſimiles. Differt, inquam, ab aliorum actuum liberorum prædefinitione, qui non ſunt in particulari intenti, & voliti primò, & per ſe immediatè, ſed ſecundariò ſolùm, & mediatè, quatenus immediatè intendit Deus concurrere in actu ſecundo cum voluntate creata, ad quemcunque actum illa ſe pro ſua libertate determinauerit, & videt illam potiùs determinantem ſe ad hunc actum, quàm ad illum.

Sed contra hanc reſponſionem inſurgit dubiũ. V.
Si effectus intenti, & voliti, & prædefiniti in particulari ſunt diuinæ voluntati ratio, & quodammodo cauſa conſtituendi humanam voluntatem in tali ordine, & circunſtantiis, ex quibus illi infallibiliter ſequantur. ergo impoſſibile eſt illos non eſſe efficaciter prædefinitos in aliquo inſtanti naturæ ante præuiſam determinationem voluntatis creatæ, vt abſolutè futuram. Conſequentia eſt neceſſaria, quia omnis cauſa ordine naturæ præcedit ſuum effectum: intentio efficax huius vel illius effectus eſt cauſa conſtituendi voluntatem in tali ordine. Ergo ordine naturæ antecedit hanc conſtitutionem. ſed voluntas creata ante hanc conſtitutionem non poteſt præuideri determinata abſolutè ad aliquem actum. Ergo intentio efficax huius, & illius effectus in particulari antecedit ordine

naturæ

naturæ præſcientiã determinationis volũtatis humanæ ſaltẽ vt abſolutè futuræ. Atque iſtud videtur eſſe præcipuum fundamentum opinionis illorum, qui tenent, omnem actum liberum eſſe prædefinitum ante præſcientiam determinationis voluntatis humanæ, vt abſolutè futuræ.

Reſpondetur nihilominus, negandam omnino eſſe conſequentiam. & ad probationem negandum adhuc eſt, quòd intentio efficax huius effectus in particulari ſit cauſa conſtitutionis huius ordinis cauſarum, ex quo ille effectus ſequi debet. in hoc enim decipiuntur arguentes, quia intentio iſta efficax non eſt ante conſtitutionem talis ordinis, ſed ipſa intentio efficax eſt ordinis conſtitutio. neque poteſt talis intentio ſine tali conſtitutione efficax eſſe. Ratio eſt, quia differentia eſt inter eum, qui vult aliquem effectum dependenter à libera voluntate alterius, quatenus libera eſt, & eum, qui vult aliquem effectum ſine dependentia à libera voluntate alterius. quòd ſecundus poteſt velle effectum voluntate efficaci, antequam conſtituat cauſas in tali ordine, ex quo de facto videat ſequi effectum, dummodo ille habeat in ſua poteſtate tales cauſas, ex quibus ſciat, quòd certò eueniet effectus. At primus non poteſt velle effectum voluntate efficaci, antequam cauſa libera ſit conſtituta in tali ordine, in quo infallibiliter, & de facto videat ſequi effectum. Oppoſitum enim dicere, deſtruit rationem voluntatis liberæ, vt talis eſt: & ideo primus non poteſt in aliquo ſigno naturæ velle efficaciter effectum liberum, antequam velit conſtitutionem ordinis cauſarum, ex quo ſequatur idem effectus, quod bene poteſt ſecundus. vnde ad argumentum concedi poteſt, quòd intentio talis effectus ſit prior conſtitutione talis ordinis, non vt efficax eſt, ſed vt voluntas ſimplicis complacentiæ.

Et hæc doctrina eſt attendenda in ſequentibus propter eos, qui aſſueti iſtis rebus infernis, vbi intentio finis ſemper præcedit conſtitutionem ordinis cauſarum, ad ipſum finem eodem modo philoſophantes de Deo nonnunquam decipiuntur.

CAPVT XIII.

Argumenta contra doctrinam capite vndecimo traditam afferuntur, & ſoluuntur.

I. COntra doctrinam traditam duobus capitibus præcedentibus, & maximè cap. 11. magnam argumentorum congeriem ſtruunt Caluinus, & alij hæretici, quæ quoniam ditigunt ad probandum, vel quòd actiones humanæ ſint prædefinitæ prædefinitione repugnante arbitrij libertati, vel quòd etiam actus quicunque, moraliter mali, fuerint à Deo æquè prædefiniti, ſicut effectus moraliter boni, adducentur cùm diſputabitur, an effectus moraliter mali fuerint à Deo prædefiniti, & an diuina prædefinitio lædat humani arbitrij libertatem.

Contra eandem doctrinam arguunt quidam Catholici, contendentes omnes actus liberos eſſe prædefinitos ante qualemcunque ſcientiam liberæ determinationis humanæ voluntatis ad eoſdem actus. quæ licèt ex iam dictis ferè omnia ſoluta remaneant, non ſunt omnino ſilentio prætereunda.

Primò itaque argumentantur pluribus autoritatibus diuinæ Scripturæ, Sanctorum Patrum, & Scholaſticorum, ex quibus habetur, quidquid ſucceſſu temporum euenit in mundo, fuiſſe ab æterno à Deo volitum, & prædefinitum.

Reſpondetur, hanc quæſtionem non eſſe, an liberi effectus fuerint ab æterno prædefiniti: ſed an fuerint prædefiniti ante omnem præſcientiam determinationis liberæ humanæ voluntatis. Et eſto omnes ſint ab æterno prædefiniti, non ſequitur, eſſe prædefinitos ante huiuſmodi præſcientiam.

II. Secundò argumentantur aliis teſtimoniis, quibus probant, auxilia diuinæ gratiæ, & alia media, quibus homo perducitur ad ſalutem, fuiſſe ab æterno prædefinita, inter quæ ſunt bona opera procedentia ex libero arbitrio.

Sed de his agendum eſt dubio ſtatim ſequente, cùm diſputabitur de actuum ſupernaturalium prædefinitione.

Tertiò argumentantur ex aliis autoritatibus, ex quibus habetur, quoſdam actus, qui pendent ex libera hominis voluntate, fuiſſe ab æterno efficaciter prædefinitos. Eiuſmodi fuit deuaſtatio Iudæorum facta per Chaldæos, & Aſſyrios, de qua Iſaias cap. 14. ibi, *Iurauit Dominus exercituum, dicens, ſi non, vt putaui, ita erit*, &c. & cap. 45. *Ego Dominus, & non eſt alter, formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem, & creans bellum.* Eiuſmodi fuit venditio Ioſephi in Ægyptum, de qua Geneſis c. 50. *Nolite timere, num Dei poſſumus reſiſtere voluntati? vos cogitaſtis de me malum, ſed Deus vertit illud in bonum.* Eiuſmodi fuit ſacratiſſima Chriſti paſſio, quam fuiſſe ab æterno prædefinitam quoad omnes & ſingulas illius circunſtantias, conſtat ex diuina Scriptura, Danielis cap. 9. Lucæ 13. & 22. Actuum Apoſtolorum cap. 4. & 17. & aliis in locis. Eiuſmodi fuerunt martyria Sanctorum fuit. autem ipſa Chriſti paſſio executioni demandata per liberum arbitrium Iudæorum, quemadmodum martyria Sanctorum fuerunt adimpleta per liberam voluntatem Tyrannorum.

Reſpondeo primò, ex hoc argumento nihil plus poſſe concludi, quàm quòd iſti actus fuerunt ab æterno prædefiniti: non autem concludi intentum, quòd fuerint prædefiniti ante omnem præſcientiam determinationis voluntatis humanæ ad eoſdem actus: immo illam ad huiuſmodi prædefinitionem ordine quodam præſupponendam eſſe. Secundò reſpondetur iuxta ea, quæ ſuperiùs dicta ſunt, duplex eſſe decretum diuinum, alterum, quo vult, & decernit, vt aliquid fiat, quod ſuprà appellauimus decretum poſitiuum. hoc decreto Deus prædefinuit omnia, quæ de ſe bona ſunt, & benè fieri poſſunt, eſto etiam ab aliquo ob propriam malitiam malè fiant. Alterum permiſſiuum, & ordinatiuum, per quod Deus non decernit, nec ordinat vt aliquid fiat, ſed præuidens illud futurum eſſe ex hominis libero arbitrio, ſi relinquat illud liberum, & non deneget illi ſuum concurſum, decernit permittere, vt fiat, & ordinat illud in aliquod bonum, quod eſt vel ſalus communis totius Eccleſiæ, vel meritum iuſtorum, vel oſtenſio diuinæ iuſtitiæ, vel eruditio peccatorum. Per primum decretum prædefinita eſt Chriſti paſſio, prædefinita ſunt martyria Sanctorum, prædefinitum eſt regnũ Ioſephi in Ægypto. Per idem decretum prædefinita eſt etiam vindicta, quam per manus Aſſyriorum & Chaldæorum Dominus exercuit cõtra Iudæos, illa nanque non erat de ſe mala, immo de ſe erat bona, tum ad oſtenſionem diuinæ iuſtitiæ, tum etiam ad eruditionem aliorum, vt illi caucrent à peccatis nefandiſſimis, ob quæ Iudæi contriti ſunt ab

Aſſyriis,

Digitized by Google

Aſſyriis. Is nanque fuit vnus ex finibus præcipuis, propter quos adduxit Dominus ſuper populum illum Iudæorum omne malum illud, iuxta id quod in perſona populi Iudaici dicit Ieremias cap. 31. *Audiens audiui Ephraim tranſmigrantem. Caſtigaſti me, & eruditus ſum, quaſi iuuenculus indomitus. Conuerte me, & conuertar: quia tu Dominus Deus meus. Poſtquam enim conuertiſti me, egi pœnitentiam, & poſtquam oſtendiſti mihi, percuſſi femur meum.* & hic eſt ſenſus verborum Dauidis in Pſalm. 57. *Lætabitur iuſtus, cùm viderit vindictam: manus ſuas lauabit in ſanguine peccatoris.* quem locum D. Auguſtinus ibid. ſic exponit: *Sed quid eſt, in ſanguine peccatoris lauabit manus ſuas? Iuſtus quando videt pœnam peccatoris, proficit ipſe, & mors alterius proficit ad vitam alterius.* Secundo autem modo prædefiniuit flagitia, rapinas, cædes Aſſyriorum, quas contra populum Iudæorum exercuerunt, & Iudaicam impietatem, & horrendum ſacrilegium in Chriſtum admiſſum, & venditionem fratrum Ioſephi, & martyria, & crudelitatem Tyrannorum, quam in ſanctos exercuerunt, non enim dici poteſt, Deum voluiſſe, & intendiſſe ex ſe, vt illa mala fierent. abſit. num enim dicemus, Deum voluiſſe vt admitterentur ſtupra illa, ſacrilegia, inceſtus Virginum, rapinæ, pollutio Sanctuarij, abuſus Vaſorum ſacrorum, conculcatio Sanctorum, contemptus diuinæ legis, & alia ſimilia, quæ Aſſyrij in Iudæos admiſerunt? an dicemus etiam voluiſſe Deum, vt fieret peſſimum ſcelus læſæ maieſtatis diuinæ, & humanæ, & turpiſſima proditio a Iuda, & Iudæis contra perſonam Chriſti Dei & hominis admiſſa? non ſimus quæſo tam impij, vt tam malè de Deo ſentiamus. Eſto ita ſentiant Caluinus, Zuinglius, & Beza cum ſuis gregalibus. Audiamus D. Leonem primum ſerm. 16. de Paſſione de hac re dicentem. *Multum diuerſum, multúmque contrarium eſt id, quod in Iudæorum malignitate eſt præcognitum, & quod in Chriſti eſt paſſione diſpoſitum. non inde proceſſit voluntas interficiendi, vnde moriendi. nec de vno extitit ſpiritu atrocitas ſceleris, & tolerantia Redemptoris: non enim impias furentium manus in ſe immiſit Dominus, ſed admiſit, nec præſciendo, quod faciendum eſſet, coegit, vt fieret, cùm tamen ad hoc carnem ſuſcepiſſet, vt fieret.* Audiamus etiam Auguſtinum tract. 53. in Ioan. dicentem: *Fecerunt peccatum Iudæi, quod illos non compulit facere, cui peccatum non placet: ſed facturos eſſe præuidit, quem nihil latet.* & lib. de Prædeſtinatione Sanctorum cap. 16. Primò dicit, quòd eſt in malorum poteſtate peccare, vt autem peccando hoc vel hoc malitia illa faciant, non eſt in eorum poteſtate, ſed Dei diuidentis tenebras, & ordinantis eas, vt hinc etiam quod faciunt contra voluntatem Dei, non impleatur niſi voluntas Dei. Et ſtatim hoc probat exemplo impietatis, quam Iudæi exercuerunt in Chriſtum. Audiamus etiam D. Proſperum in lib. ad excepta Genuenſium cap. 7. dicentem. *Diuidit itaque Deus inter lucem & tenebras: nec ideo inculpabiles ſunt tenebræ, quia eis benè vtitur Deus, qui etiam de opere ipſorum, quod filiis lucis in bonum proderet, ordinauit, tantum progredi ſinens malitiam nocere cupientium, quantum eam ſanctis ſuis vel caſtigandis nouit vtilem, vel probandis: vt hinc etiam quod faciunt contra voluntatem Dei, non impleatur niſi voluntas Dei.* Ecce quomodo prædefiniuit Deus bella Aſſyriorum contra Iudæos, & impietatem ipſorum Iudæorum contra Chriſtum, non quidem volendo, & decernendo, vt illa mala fierent, ſed ex præſcientia, quòd illa eſſent facturi, ſi permitterentur, decernendo permittere, & malo eorum vtendo ad bonum, & ordinando illud in bonum ſalutis mundi, & eruditionis aliorum. Hoc eodem modo prædefiniuit immanitates Tyrannorum, & venditionem Ioſephi, non iubendo, & ordinando, vt talia fierent, ſed permittendo fieri, & facta ordinando in aliorum vtilitatem, & profectum. Quod manifeſtè indicant verba illa ex lib. Geneſ. cap. 50. *Vos cogitaſtis de me malum, ſed Deus vertit illud in bonum.* Ecce tibi, non ordinauit Deus venditionem Ioſephi, ſed præuidens illam futuram ex malitia fratrum illius, ordinauit in bonum ipſius Ioſephi. III.

Dicetur, quid ergo innuere volunt verba illa, quæ ſubdit textus, *Num Dei poſſumus reſiſtere voluntati?*

Reſpondeo ex eodem Auguſtino, & Proſpero in locis proximè citatis, homines non poſſe reſiſtere Dei voluntati, impediendo ordinem diuinæ prouidentiæ, quo Deus mala, quæ permittit fieri, ordinat in bonum, & profectum aliorum: nam etiam de illis, qui faciunt, quod Deus non vult, facit ipſe quod vult. non autem eſt ſenſus, quòd actus humani ſic à Deo prædefiniantur, vt humana voluntas non poſſit non facere, quod facit: oppoſitum enim docet diuina Scriptura manifeſtè, dicens, homines reſiſtentes ſæpe ſæpius diuinæ voluntati. Verùm de hac re inferiùs redibit ſermo contra hæreticos, dicentes, actus moraliter malos eſſe à Deo efficaciter prædefinitos.

Quartò arguunt multis autoritatibus Sanctorum Patrum, quarum plurimæ, quia non probant, niſi quòd actus liberi ſunt ab æterno prædefiniti, cuiuſmodi eſt autoritas, quæ ſumitur ex D. Irenæo lib. 2. cont. hæreſ. cap. 45. & aliæ, quæ ſumuntur ex D. Leone 1. ſerm. 7. 9. & 16. de Paſſione, iunctis aliis ſimilibus ex Athanaſio, Theodoreto, Fulgentio, & Herico. Item ex D. Thom. 1. part. q. 25. art. 5. ad primum, & quæſt. 116. art. 1. & quolib. 12. quæſt. 3. art. 4. & D. Dionyſ. de diuinis nominibus cap. 5. lectio. tertia, ideo illæ breuitatis gratia prætermittentur, & hìc ſolùm nonnullas earum adducemus, quibus illi contendunt, probari prædefinitionem actuum humanorum ante præſcientiam determinationis humanæ voluntatis. Prima eſt Dionyſij cap. 5. de diuinis nominibus, vbi ait: *Exemplaria autem eſſe dicimus in Deo exiſtentium rationes ſubſtantificas, & ſingulariter exiſtentes, quas Theologia prædefinitiones vocat, & diuinas, & bonas voluntates exiſtentium prædeterminatiuas, & factiuas, ſecundùm quas eſſentia ſuperſubſtantialis omnia prædeſtinauit, & produxit.* Eandem ſententiam probat Damaſcenus oratione prima de imaginibus. Secunda autoritas ſumitur ex Auguſtino tract. 104. in Ioan. quæ ſuprà cap. 8. eſt adducta, & ex lib. Soliloquiorum cap. 24. vbi ait, *Velle quod bonum eſt, non poſſum, niſi tu velis.* quæ verba nonnulli contendunt intelligi non poſſe de voluntate Dei præſupponente præſcientiam determinationis voluntatis humanæ: quia tunc non eſſet dicendum, velle non poſſum, quod bonum eſt, niſi tu velis, ſed dicendum eſſet, velle tu non potes bonum liberum, niſi ego velim. Tertia eſt D. Anſelmi in libro concordiæ cap. 1. vbi ait. *Quoniam enim quod Deus vult, non poteſt non eſſe, cùm vult hominis voluntatem nulla cogi, vel prohiberi neceſſitate ad volendum, vel ad non volendum, & vult effectum ſequi voluntatem, tunc neceſſe eſt voluntatem eſſe liberam, & eſſe quod vult.* IV.

Reſpondeo ad primam autoritatem, Dionyſium

Leo primus. Auguſtin. D. Proſper. Irenæus. Leo primus. Athan. D. Thom. Damaſcen. Auguſtinus. Anſelm.

ſium ibi loqui de ideis, non autem de diuinis prædefinitionibus, vt etiam cæcus videre poteſt, ſi librum D. Dionyſij legere poſſit. quare autem ideæ vocentur voluntates diuinæ rerum prædefinitiuæ, ratio reddita eſt lib. 3. cap. 10. Ad ſecundam acceptam ex D. Auguſtino reſpondetur, quidquid ſucceſſu temporum euenit in mundo, euenire Deo volente, & prædefiniente, vel quia vult, vt fiat, vel quia vult permittere fieri, & ordinat illud in bonum finem, quæ eſt declaratio eiuſdem Auguſtini in Enchiridio cap. 95. in fine. Ex hoc autem non ſequitur, actus humanos liberos eſſe prædefinitos ante omnem præſcientiam determinationis noſtræ voluntatis. Neque quod inferunt nonnulli ex Auguſtino in Soliloquiis, illa verba, *velle quod bonum eſt, non poſſum, niſi tu velis.* debere intelligi de voluntate Dei antecedente præſcientiam noſtræ voluntatis, quia aliàs dicendum potiùs eſſet, Deum non poſſe velle actus liberos, niſi homo priùs illos velit, habet aliquid virium: non enim ſequitur, quòd ſi Deus non decreuit efficaciter actum liberum abſque præſcientia determinationis liberæ noſtræ voluntatis, non poſſit velle actum liberum, niſi homo priùs illum velit. quia aliud eſt, non poſſe Deum velle actum meum liberum ſine determinatione meæ voluntatis ad illum. Aliud eſt, Deum non poſſe velle meum actum liberum, niſi ego priùs illum velim. & primum eſt verum, & ſecundum falſum. Ad autoritatem D. Anſelmi reſpondeo, ex dictis lib. 1. cap. 19. & hoc libro cap. 11. ſatis conſtare, ex illius ſententia nullum actum liberum fuiſſe efficaciter, & abſolutè prædefinitum ante præuiſam creatæ voluntatis determinationem. Autoritas quoque ab arguente allegata id manifeſtè ſupponit, & indicat, dum enim ait, Deum velle humanâ voluntatẽ nulla cogi neceſſitate ad volũdum, aut non volendum, & tamen effectum ſequi voluntatem, neceſſe eſſe voluntatem liberam eſſe, & eſſe quod vult. hoc dicendi modo innuit, voluntati Dei, qua vult eſſe liberum actum voluntatis creatæ, adiunctam eſſe præſcientiam determinationis voluntatis creatæ ad talem actum, ſuppoſito quòd Deus illum actum vellet. & in eo caſu effectus ſequitur liberè, & neceſſariò neceſſitate ſuppoſitionis conſequentis, non autem antecedentis, vt idem Anſelmus in locis ſuprà citatis docet.

V. Quintò argumentantur rationibus ſumptis ex diuina prouidentia. nam ad rationem perfectæ prouidentiæ requiritur, vt omnes effectus etiam liberi ſint ab æterno prædefiniti ante omnem præſcientiam, & hoc non ſolùm in vniuerſali, ſed etiam in particulari ſecundùm omnes & ſingulas illorum circunſtantias. Deus habet de omnibus actibus humanis perfectam prouidentiam. Ergo. Maior probatur, quia niſi effectus liberi eſſent ſic prædefiniti, daretur caſus, & fortuna reſpectu illorum in diuina prouidentia, non enim ſufficit, illos fuiſſe ab æterno præuiſos, niſi ſint à Deo intenti, & prædefiniti: quia illud dicitur fortuitum, & caſuale, quod euenit præter intentionem agentis.

Reſpondeo, ad perfectam rationem perfectæ prouidentiæ ſufficere, vt omnes effectus liberi ſint non ſolùm præſciti, ſed etiam prædefiniti prædefinitione vel poſitiua, qua Deus vult, vt illi ſint, vel ſaltem permiſſiua, & ordinatiua, qua præuidens, illos eſſe futuros ex libera hominis voluntate, ſi permittat illam liberè agere, & non deneget illi ſuum cõcurſum, & influxum, decernit huiuſmodi actus permittere, & in bonum finem ordinare, ſicut dicit Auguſtinus in Enchiridio loco ſæpe citato. neque amplius aliquid probat argumentum, maximè quòd effectus liberi ſint prædefiniti ante præſcientiam determinationis liberæ voluntatis creatæ, quod erat probandum.

VI. Sextò argumentantur. Ad illa omnia ſe extendit diuina prædefinitio, ad quæ ſe extendit diuina cauſalitas: ſed diuina cauſalitas ſe extendit ad omnes, & ſingulos actus liberos ſecundùm omnes, & ſingulas illorum circunſtantias poſitiuas. Maior præter quòd eſt generalis regula omnium Theologorum, probatur ex D. Auguſtino lib. 83. quæſtionum. q. 3. dicente, quòd *hoc eſt aliquid fieri Deo agente, quod Deo volente.* & in Pſalm. 144. vbi ait, quòd *apud Deum hoc eſt velle, quod facere.* cui conſimilia habet D. Proſper lib. 2. de vocatione gentium. Auguſt. Proſper.

Confirmatur ratio, quia vel homo vult aliquid, quia Deus illud vult, vel è contra. Secundum dici non poteſt, quia ipſum velle hominis eſſe non poteſt ſine velle diuino. Ergo primum.

Confirmatur ſecundò, quia vt voluntas diuina, & humana concurrant ad cauſandum vnum, & eundem actum, oportet illas coniungi adinuicem: ſed diuina voluntas non poteſt coniungi cum voluntate humana ad producendum eundem effectum, niſi vel diuina humanam prædeterminet, & hoc eſt quod dicitur, & intenditur ab arguente; vel diuina voluntas præuidens voluntatem humanam priùs ſe ad actum determinantem, poſtea ſe illi adiungit ſociam, & hoc etiam dici non poteſt, quia voluntas humana non poteſt ſe determinare ad aliquem actum ſine diuina cooperatione; vel tandem quia vtraque ſimul concurrit à caſu, & hoc etiam dici non poteſt.

Confirmatur tertiò, quia niſi omnes actus liberi ſint ab æterno prædefiniti, ſequitur, aliquid fieri in tempore, cuius Deus non ſit cauſa. Probatur ſequela, quia Deus non eſt cauſa alicuius effectus, niſi per ſuam voluntatem: at antequam Deus ſua voluntate prędefiniat cõcurrere ad hunc actum liberum, iam voluntas humana ſe determinat ad eundem actum: ſed talis determinatio eſt aliquid. Ergo de primo ad vltimum erit aliquid in rerum natura, cuius Deus non erit cauſa.

Huic argumento nonnulli reſpondent, negando maiorem, & dicunt, illam non eſſe regulam communem apud Theologos, licèt illam libenter recipiat Caluinus.

Secundò reſpondetur, ad illa omnia ſe extendere diuinam prædefinitionem, ad quæ ſe extendit diuina cauſalitas, vel loquendo de prædefinitione poſitiua, vel ſaltem loquendo de permiſſiua, & ordinatiua. Et adhuc ad illa omnia ſe extendere prædefinitionem diuinam, ad quæ ſe extendit cauſalitas, duobus modis poſſe intelligi, vno modo ante omnẽ præſcientiã determinationis ſecundarum cauſarum: & hoc modo non eſt verum vniuerſaliter, nam quando Deus eſt cauſa communis ad aliquem effectum cum cauſa ſecunda maximè libera, diuina prædefinitio non antecedit præſcientiam determinationis voluntatis creatæ, ſed ambæ ſunt in eodem inſtanti. Alio mod opoteſt intelligi, vel ante præſcientiam, vel ſaltem ſuppoſita præſcientia determinationis ſecundarum cauſarum. & hoc modo propoſitio eſt vniuerſaliter vera, ſed argumentum contra nos non concludit.

Ad

VIII. Ad primam confirmationem, ſunt, qui concedant vtramque iſtarum propoſitionum poſſe admitti: Homo vult quia Deus vult, & Deus vult quia homo vult. & ita ſenſerunt nonnulli relati à Suarez lib.1.de Auxiliis c.14.n.17.& Card.Bellarminus lib.4. de gratia & libero arbitrio c.15. ad ſecundum. Neque enim hoc eſt, diuinam voluntatem pendere à voluntate humana, ſed pendere à ſua æterna conſtitutione, qua decreuit ſic concurrere cum voluntate humana, vt cooperetur illi, quando illa liberè voluerit cooperari. Et ſi hæc reſponſio non placet. Dicendum ſecundò hominem velle quia Deus vult, non autem Deum velle, quia homo vult: ſed tamen nec Deum ipſum velle actus liberos, niſi etiam homo illos velit.

Suarez. Bellarminus.

Ad ſecundam confirmationem reſpondetur, præter tres illos modos enumeratos dari quartum modum, quo diuina & humana voluntas coniungi poſſunt ad eundem actum liberum producendum, quia Deus dat voluntati humanæ eſſe, & poſſe operari, & offert illi ſuum concurſum paratum ad exeundum in actum ſecundum, & mouet etiam illam ad agendum, & ſolùm expectat, vt cauſa inferior ſeſe ad actum ſecundũ determinet: tunc enim quando cauſa inferior ſe determinat, coniunguntur ſimul prima & ſecunda cauſa ad producendum effectum, & hoc neque fit à caſu, neque aliquo ex duobus aliis modis enumeratis.

Ad tertiam confirmationem negatur conſequẽtia. Ad probationem reſpondeo, nos non dicere, Deum prius videre determinationem ſecundæ cauſæ ad actum liberum, quàm prædefiniat eundem actum liberum: ſed dicimus, Deum non prædefinire actum liberum antequam præuideat determinationem voluntatis ad eundem actũ. Deus enim priùs vult voluntatem in tali, vel tali ordine conſtituere, & mouere ad actum, & offerre concurſum paratum in actu primo ad exeundum in actum ſecundum, ſi voluntas voluerit ſuum conſenſum apponere. In eodem igitur inſtanti, in quo voluntas ſuam determinationem apponit, eſt prædeterminatio, & prædefinitio diuina ad eundem actum. Immo idem influxus & eadem determinatio eſt tota à prima cauſa, & tota à ſecunda ſaltem totalitate effectus. & ſic nulla eſt entitas in mundo, quæ non ſit à Deo.

IX. Septimò argumentatur. Prædefinitio iſta efficax antecedens præſcientiam determinationis voluntatis creatæ non repugnat libertati eiuſdem voluntatis. Ergo illa omnino admitti debet. Antecedens probatur, tum quia multi actus liberi ſunt à Deo prædefiniti, vt dictum eſt. tum ſecundò, quia Deus prædefiniuit, quot animæ rationales ſunt futuræ in mundo, & tamen illæ non creantur niſi hominibus liberè congredientibus. Tertiò, quia Deus prædefiniuit electis nonnullis gloriam per martyria, quæ Tyranni liberè exercuerunt in illos. Quartò, quia Chriſti paſſio eſt ab æterno prædefinita, & tamen Chriſtus liberrimè illam obiuit, non minus ac ſi non eſſet prædefinita.

Reſpondeo niſi iſta prædefinitio repugnet humanæ libertati, me illi quàm libentiſſimè ſubſcribere. At cõcipere non poſſum, illã libertati non repugnare. nã quod primò dicitur, multos actus liberos fuiſſe prædefinitos, ſano modo intellectum admitto non ſolùm de aliquibus, ſed de omnibus: non tamen ante omnem præſcientiam determinationis humanæ voluntatis. Quod obiicitur ſecundò, eſſe à Deo prædefinitum numerum animarum rationaliũ. Dico verum eſſe præſuppoſita ſcientia, quòd tot eſſent futuri congreſſus marium, & fœminarum, & tot ſecuturæ eſſent corporum organizationes. alioqui peruerteretur ordo naturæ, ſi diceremus, Deum prædefiniuiſſe numerum animarum ante congreſſum marium, & fœminarum, & corporum organizationem. Ad id quod obiicitur tertiò de martyriis nonnullorum electorum, iam dictum eſt in reſponſione ad tertium. Ad id quod obiicitur quartò de prædefinitione paſſionis Chriſti, reſpondeo, non fuiſſe abſolutè prædefinitã ante præuiſam omnino liberam acceptationem voluntatis animæ Chriſti, quod ſatis apertè colligitur ex illis verbis apud Ioan.c.10. *Propterea me diligit Pater, quia ego pono animam meam. nemo tollit eam à me, ſed ego pono eam à meipſo. poteſtatem habeo ponendi eã, & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam. hoc mandatũ accepi à Patre.* & ex verbis D.Pauli ad Hebræos 10. *Ideo ingrediens mundum dicit: Hoſtiam, & oblationem noluiſti, corpus autem aptaſti mihi, holocauſtomata pro peccato tibi non placuerunt, tunc dixi: Ecce venio.* quòd autem anima Chriſti habuerit præceptum moriendi, & tamen manſerit libera ad illud præceptũ implendum, non arguit, actus liberos Chriſti fuiſſe efficaciter prædefinitos, & tamen manſiſſe liberos, vt nonnulli deducunt: aliud enim eſt præceptum, aliud prædefinitio illa præcedens omnem ſcientiam determinationis volũtatis creatæ ipſius Chriſti; & quòd anima Chriſti non potuerit trãſgredi præceptum diuinum de morte obeunda, hoc non habuit ex diuina prædefinitione, ſed ex vi vnionis hypoſtaticæ, & plenitudinis donorum in gradu heroico, per quæ illæſa manente libertate voluntatis Chriſti, illa tenebatur omnino ne cadere poſſet diuinum mandatum tranſgrediẽdo. quod proportione quadam videmus in confirmatis in gratia. de qua re ſatis doctè differit Molina 1. p.q. 14.a.13.diſp.vltima membro 4. ad duo poſteriora argumenta.

Molina.

CAPVT XIV.

Actus liberos ordinis ſupernaturalis non eſſe ante omnem præſcientiam determinationis voluntatis creatæ efficaciter prædefinitos.

OStendimus actus liberos, qui ſunt ordinis naturalis ſiue moraliter bonos, ſiue etiã indifferentes, non fuiſſe ante præuiſam liberã determinationem humanæ voluntatis ad illos efficaciter à Deo prædefinitos, nunc videndum eſt, an ſaltem actus ſupernaturales ante eandem præuiſam determinationem fuerint efficaciter prædefiniti. Sunt autem actus ſupernaturales in triplici differentia. nam aliqui illorum ſunt ordinati ad bonum commune totius Eccleſiæ, vt Chriſti merita, & ſatisfactio, & opus redemptionis, & traditio Euangelij, & alia ſimilia. quidam ſunt ordinati in bonum particulare alicuius perſonæ, per quos talis perſona de facto aſſequitur æternã ſalutem, quales ſunt illi, per quos prædeſtinatus peruenit ad gloriam. rãdem aliqui ſunt, per quos homo non aſſequitur de facto æternam ſalutem, licèt illi cedant in commodum alicuius perſonæ particularis, quales ſunt actus præſciti, dum eſt conſtitutus in gratia, & de his omnibus agemus hoc loco. I.

Circa præſens dubium eſt prima opinio, quòd actus liberi ſupernaturales nõ ſint prædefiniti efficaciter ante inſpectam liberã determinationẽ volũtatis creatæ, vt abſolutè futurã. Huius opinionis meminit Suarez locis citatis in c.9. ad finẽ, & dicit

esse opinionem aliquorum recentiorum, qui ponunt causam nostræ prædestinationis ex parte nostra. qui verò illi sint, ipse non dicit. Eam defendit Vasquez. Vasquez 1.part.disp.88.& 99.non tamen dicit, dari causam nostræ prædestinationis ex parte nostra.

II. Secunda opinio docet, actus liberos primi, & secundi generis fuisse efficaciter prædefinitos ante inspectam huiusmodi determinationem liberę voluntatis: sed tamen de actibus liberis secundi generis loquendo, illos non esse prædefinitos in particulari, sed solùm in vniuersali. quam opinionem nonnulli sic declarant, quòd Deus efficaciter prædefinuit salutem vniuscuiusque prædestinati etiam in particulari. Media verò, per quæ ille est salutem assecutus, non prædefiniuit in particulari: quia dicunt, talem prædefinitionem euertere humani arbitrij libertatem, sed solùm in communi hoc pacto, quia cuilibet prædestinauit tot media, vt licèt omnia ex se sint defectibilia, non tamen omnia de facto deficiant. quæ videtur aliquando D.Thom. fuisse mens D. Thom. de veritate quæst.6.a.3.

Tertia opinio est aliorum, qui dicunt, omnes actus liberos supernaturales, qualescúque illi sint, fuisse in particulari efficaciter prædefinitos ante omnem præscientiam determinationis humanæ voluntatis ad illos. & hanc opinionem esse doctrinam fidei. huius opinionis meminit etiam Suarez lib.3.de auxiliis c.7.n.6.

Quarta opinio est eiusdem Suarez eodem lib. 3. & alibi, vbicunque de hac re verba facit, quòd scilicet omnes effectus liberi, cuiuscunque sint generis (de supernaturalibus loquimur) sint efficaciter prædefiniti, etiam in particulari, & quoad omnes, & singulas illorum circunstantias, ante præscientiam determinationis humanæ voluntatis ad illos, vt absolutè futuræ, non tamen ante præscientiam eiusdem determinationis futuræ ex hypothesi, & sub conditione, quòd Deus vellet voluntatem ipsam constituere in tali ordine, cum talibus auxiliis.

Licèt autem difficillimum sit, & fortasse impossibile, vt diximus, arcanum diuinæ voluntatis penetrare, & discernere quænam ex prædictis opinionibus verior sit, duo tamen videntur dicenda pro resolutione huius difficultatis.

III. Primò itaque dicendum videtur, actus supernaturales liberos fuisse prædefinitos ante præscientiam determinationis humanæ voluntatis, vt futuræ absolutè, non quidem per se, & in seipsis, sed quasi per accidens, & virtualiter, & in alio, nempe in auxiliis gratiæ præuenientis. Hæc conclusio videtur D.Thom. doctrina D. Thom. de veritate q.12. a.10.ad quartum. Eam defendunt nonnulli, quos refert, & Vasquez. sequitur Vasquez dicta disp.99.c.8. Probatur verò conclusio, quia in gratia præueniente, & efficaci, & in vocatione congrua virtualiter continetur actus supernaturalis liber, ad quem datur talis vocatio: sed vocatio congrua videtur prædestinata ante præuisum consensum voluntatis, vt absolutè futurum. Ergo huiusmodi consensus in illa contentus fuit prædestinatus virtualiter antequam præuideretur absolutè futurus, & antequam prædeterminatio libera voluntatis ad illum videretur absolutè futura. Minor probatur, quia qualem ordinem habent adinuicem vocatio congrua, & determinatio voluntatis ad actum liberum consensus in rerum natura extra Deum, eundem habent in diuina præscientia, & prædefinitione: sed in tempore vocatio congrua saltem quatenus præcisè consistit in auxilio gratiæ præueniétis, ordine naturæ præcedit ipsam determinationem voluntatis ad consensum, sicut omnis causa, vt causa ordine naturæ præcedit effectum, cuius cõparatione illa est causa, est enim ipsa vocatio congrua causa determinationis voluntatis ad consensum. Ergo etiam in diuina præscientia & prædefinitione vocatio congrua præcedit ipsam determinatiõnem humanæ voluntatis ad actum.

Dicetur. Vocatio congrua ideo est efficax, & infallibilis, quia est vocatio eo modo, quo Deus scit, quòd si homo vocetur, præbebit infallibiliter suum consensum. At superiùs dictum est, quòd quando aliquid præuidetur futurum ex aliqua suppositione, in instanti, quo ponitur in esse conditio, & suppositio, in eodem illud videtur futurum absolutè. Ergo in eodem instanti, in quo Deus prædefinit absolutè vocationem congruam, præuidet consensum, ob quem datur talis vocatio absolutè futurum.

Respondeo in vocatione congrua duplex auxilium includi, auxilium gratiæ præuenientis, & auxilium gratiæ adiuuantis. Primum ordine naturæ præcedit determinationem voluntatis ad consensum. Secundum verò ordine naturæ est in eodem instanti, in quo est ipsa actualis determinatio. vocatio congrua non est omnino efficax, & infallibilis ea præcisa ratione, qua est positio auxilij præuenientis, sed ea ratione, qua est simul positio, vtriusque auxilij, ideo licèt sub ea ratione, qua est solùm positio auxilij præuenientis, in prædefinitione vocationis congruæ possit consensus liber dici aliquo modo prædefinitus virtualiter, & in alio, eo modo quo effectus dicitur prædefinitus, in causa tamen absolutè, & in seipso non est prædefinitus efficaciter, nisi in eo instanti, in quo est prædefinitio auxilij adiuuantis, & determinatio eiusdem voluntatis.

IV. Secundò principaliter dicendum videtur, nullum actum supernaturalem liberum cuiuscunque generis ex tribus numeratis fuisse efficaciter prædefinitum per se, & in seipso ante inspectam determinationem voluntatis humanæ, vt absolutè futuram: sed in eodem prorsus instanti esse prædefinitionem diuinæ voluntatis, & determinationem voluntatis humanæ, saltem loquendo de instanti, in quo, licèt loquendo de instãti, à quo, fortè possit admitti aliqua prioritas, & posterioritas inter actum diuinæ prædefinitionis, & actum determinationis voluntatis humanæ. Hæc autem assertio probari potest omnibus autoritatibus, & rationibus, quibus suprà c.11.est probatum, actus liberos ordinis naturalis non esse efficaciter prædefinitos ante præuisam liberam determinationem voluntatis humanæ futuram absolutè. nam Patres indistinctè loquuntur de actibus liberis, tam ordinis supernaturalis, quàm naturalis. Ratio etiam illa, cui innituntur, æquè procedit de actibus supernaturalibus, sicut de naturalibus, nimirum quia illa, quæ Deus non operatur in nobis sine nobis, & sine libero concursu nostræ voluntatis, non prædefinit ante liberam determinationem eiusdem voluntatis. & sanè ratio supra insinuata id videtur manifestè conuincere, ea autem est, quia quemadmodum actus liber supernaturalis non est reuera futurus per solum auxilium gratiæ præuenientis, & operantis, nisi adiungatur illi auxilium gratiæ adiuuantis, seu cooperantis, ita non potuit efficaciter prædefiniri in ipsa vocatione congrua nisi prædefinito illi auxilio gratiæ adiuuantis, & cooperantis, quo Deus se voluntati creatæ adiungit ad eliciendum ipsum

Digitized by Google

ipſum actum ſupernaturalem:modò auxilium gratiæ cooperantis, & adiuuantis non potuit prædefiniri ante inſpectam determinationem voluntatis creatæ, cùm ſint ambo in eodem inſtanti temporis, & naturæ, &, vt dictum eſt, talem habeant ordinem in diuina prædefinitione, qualem habent inter ſe in tempore.Ergo de primo ad vltimum nó potuit actus liber ſupernaturalis prædefiniri efficaciter in ſeipſo,& per ſe ante inſpectam determinationem voluntatis creatæ, vt abſolutè futuram.

V. Dicetur quòd prædefinitio efficax actus ſupernaturalis non eſt ſine præſcientia futuræ determinationis humanæ voluntatis, quia ex vi ipſius prædefinitionis Deus ſcit,quòd voluntas ſe determinabit ad talem actum. Hæc reſponſio reiecta eſt ſuprà ratione quinta allegata in cap.11. ex autoritate D.Thomæ,& nunc iterum refutari poteſt, quia ad hoc,vt Deus præſciat actũ liberũ ſupernaturalé eſſe futurũ,oportet,vt præſciat, illũ eſſe futurũ non ſolùm ex vi prædefinitionis,ſed ex vi libertatis,quatenus volũtas libera eſt:hoc autẽ modo nó ſufficit præſcire,quòd voluntas ſe determinabit ad actũ ex vi prædefinitionis,ſed oportet præſcire, quòd ſe ad actum determinabit ex vi propria.quæ ratio vt meliùs percipiatur, ſic argumentari poſſumus. cùm dicitur, quòd Deus ex vi ſuæ prædefinitionis nouit,quòd voluntas creata ſe determinabit ad actum liberum,vel eſt ſenſus, quòd Deus vult determinationem voluntatis ſequi ex vi talis prædefinitionis, non autem ex eo, quia voluntatem decernit præuenire vocatione congrua, qua ſcit voluntatem ſic præuentam liberè exituram in actum ſecundum liberum: vel eſt ſenſus, quòd præſcit, voluntatem ſe determinaturam liberè ex vi ſuæ prædefinitionis, quia prædefiniuit vocare hominem vocatione, qua ſcit, quòd ſic vocatus conſentiet. Si dicatur ſecundum, iam non poteſt prædefinire efficaciter vocare hominem tali vocatione,& adiungere illi ſuum concurſum, quin videat, in eodem inſtanti voluntatem humanam ſe determinantem ad conſenſum: quia videns aliquid futurum, ſi ponatur talis vocatio, in eodem inſtanti,in quo ponitur vocatio, videt illud futurum abſolutè. Si autem dicatur primum, tunc cõtra reſponſionem recurrunt omnes difficultates, quas habet ſententia illorum, qui ponunt neceſſitatem ex ſuppoſitione antecedente in actibus liberis,de qua re dictum eſt lib.1.c.19. & 29. & duobus ſequentibus.

VI. Sed reſpondet Suarez,ex huiuſmodi prædefinitione non ſequi neceſſitatem antecedentẽ in actibus ſupernaturalibus humanæ voluntatis:quia iſta prædefinitio ſupponit ſcientiam futuri conſenſus ex hypotheſi, quòd Deus vellet hominem vocare tali vocatione.

Hæc reſponſio non tollit difficultatem. Primò, quia ex illa manifeſtè ſequitur, in eodem inſtanti, quo Deus decreuit vocare hominem tali vocatione,præuidiſſe determinationẽ,& conſenſum ipſius voluntatis ad talem actum. Secundò,quia vel iſta ſuppoſitio diuinæ prædefinitionis eſt in poteſtate liberæ voluntatis, vel ſaltem habet neceſſariam connexionem, aut dependentiam cum aliquo, & ab aliquo,quod eſt in poteſtate eiuſdem liberę voluntatis,vel non. Si non, illa proculdubio videtur euertere humanam libertatem: quia poſita huiuſmodi ſuppoſitione non poteſt non poni determinatio voluntatis ad actum,& nullo modo eſt in poteſtate voluntatis illam non ponere. Si autem dicatur,quòd huiuſmodi ſuppoſitio ſit in poteſtate liberæ voluntatis, vel pendeat ex aliquo, quòd ſit in poteſtate voluntatis, vel ſaltem habeat cum illo neceſſariam connexionem, in eodem inſtanti oportet ponere talem ſuppoſitionem, & determinationem voluntatis. Quare ſententia illorum, qui volunt abſolutum decretum diuinum de actibus liberis ſupernaturalibus antecedere abſolutam præſcientiam determinationis voluntatis creatæ ad illos, idque per modum cauſæ, ita quòd Deus decreuerit, & velit vocare hominem tali vocatione, quia vult, vt conſentiat certò & infallibiliter, & quòd ex vi talis vocationis ſequatur conſenſus humanæ voluntatis, & tamen putant, ſe tutos eſſe, ne cogantur admittere phyſicas illas prædeterminationes,quas alij Theologi admittunt, ex eo, quòd ponunt in Deo illam ſcientiam futurorum conditionatorum, videntur velle ex duabus opinionibus è regione oppoſitis vnam opinionem conflare.

Et vt adhuc meliùs percipiatur vis iſtius rationis,ſic poſſumus argumentari.iſta abſoluta prædefinitio actuũ liberorum, & ſupernaturalium antecedit abſolutam determinationem voluntatis creatæ ad eoſdem actus. Ergo ex vi talis decreti illi actus ſunt abſolutè futuri. Ergo ſiue ponatur, ſiue non ponatur illa ſcientia futurorum conditionatorum,illi actus ſunt abſolutè futuri.

Confirmatur ratio. nam illi,qui ſic ſentiunt,dicũt, electos fuiſſe priùs prædeſtinatos ad gloriam, quàm ſint præuiſa, & præparata media ad illam, quia volunt,intentionem efficacem finis eſſe priorem in diuina voluntate,quàm ſit intentio efficax mediorum.Illi igitur conſequenter coguntur fateri, quòd fuerit prior in mente diuina intentio, & volitio efficax huius actus ſupernaturalis, qui eſt, v.g. pia meditatio, aut largitio eleemoſynæ,quàm præparatio vocationis congruæ, & mediorum ad eundem finem: modò prius non pendet à poſteriori.Ergo intentio efficax huius actus ſupernaturalis non pendet ex vocatione congrua, neque ex præſcientia conſenſus, & determinationis futuræ ex tali vocatione: & ſic nihil conferente illa præſcientia, media prædefinitio erit efficax tam ſine illa, quàm cum illa. vnde propter hoc, & propter alias rationes ſuperiùs factas, videtur abſolutè dicendum, nullum actum ſupernaturalem liberum fuiſſe in ſe prædefinitum efficaciter ante inſpectã determinationem humanæ voluntatis, vt abſolutè futuram, ſed in eodem inſtanti, in quo eſt ipſa prædefinitio, eſſe etiam præſcientiam eiuſdem determinationis.

CAPVT XV.

Argumenta contra doctrinam traditam cap. præcedenti afferuntur,& ſoluuntur.

COntra ſecundam aſſertionem capitis præcedentis argumentantur nónulli.Chriſti paſſio quoad omnes illius actus, & circũſtãtias fuit prædefinita efficaciter Lucæ 22.*Filius hominis ſicut definitũ eſt vadit.* In Actis Apoſtolorũ c.2.*Hũc definito conſilio,& præſcientia Dei traditum,*&c. & c.4.*Conuenerunt aduersùs ſanctum puerum tuum Ieſum Herodes,& Pontius Pilatus facere, quæ manus tua, & conſilium tuum decreuerunt fieri.* & vt ſemel dicamus nihil contigit in ipſa Chriſti paſſione, quod non longè antea fuerit à ſanctis Prophetis clarè, & diſtinctè prænuntiatum. I.

Ad hoc argumentum iam semel, & iterum reſponſum eſt, & nunc tertiò reſpondetur, quæ contigerunt in opere humanæ redemptionis perficiẽdo, fuerunt in triplici differentia. quædam enim concurrerunt, quorum ſolus Deus fuit cauſa, vt hypoſtatica vnio, & infuſio donorum, quæ ex vi ipſius vnionis debebantur animæ Chriſti. quædam, quorum non fuit cauſa, niſi quia præuidens futura eſſe, ſi illa permitteret, non denegando ſecundis cauſis ſuum concurſum naturalem, decreuit permittere, & in bonum redemptionis generis humani ordinauit, qualia fuerunt flagitia in perſonã Chriſti Domini noſtri à Iudæis admiſſa. quędã tandẽ, quorum Deus ipſe fuit cauſa, non tamen totalis, quia voluit illa fieri dependenter à libera voluntate aliorum, puta à volũtate humana ipſius Chriſti, & Mariæ Virginis. Primi generis fuerunt efficaciter prædefinita ante omnẽ præſcientiã determinationis humanæ voluntatis ſaltẽ abſolutè futuræ. Secundi generis, nec ante nec poſt præſcientiam fuerunt prædefinita, niſi prædefinitione permiſſiua, vt in ſequentibus dicemus. Tertij verò generis fuerunt quidem prædefinita, ſed non ante, nec poſt præuiſam liberam determinationem voluntatis Chriſti, & Mariæ Virginis, & aliorum omnium, cum quibus decreuit tales actus producere, vt ſuperiùs diximus.

II. Secundò argumentantur ex verbis D. Pauli ad Epheſios cap. 2. vbi de electis verba faciens ait, *Ipſius enim ſumus factura, creati in Chriſto Ieſu in operibus bonis, quæ Deus præparauit, vt in illis ambulemus.* Athan. Circa quæ verba dicit D. Athanaſ. quòd verbum, *præparauit*, idem ſignificat, quod prædefiniuit, & D. Fulgentius lib. 1. ad Monimum ait: *Bona opera noſtra Paulus à Domino aſſerit præparata, hoc eſt, in prædeſtinatione diſpoſita.* & infrà: *Sicut præparata eſt per prædeſtinationem voluntas à Domino, quæ bonum velimus: ſic etiam bona opera præparauit Deus, vt in illis ambulemus.* & Proſper lib. 2. de vocatione gentium cap. 35. *Deus, qui nos elegit, ſine meritis, dat vnde ornemur meritis.* D. Thom. in illum locum Apoſtoli ait: *Nihil aliud eſt prædeſtinatio quàm præparatio beneficiorum Dei, inter quæ beneficia computantur & ipſa bona opera noſtra. Dicitur autem Deus nobis aliqua præparare, in quantum diſponit ſe nobis daturum.* Auguſt. Reſpondeo ex ſententia Auguſtini in lib. de prædeſtinatione Sanctorum cap. 10. ibi Apoſtolum loqui non de operibus profectis à libero noſtro arbitrio, ſed de præparatione diuinorum auxiliorum. Sic enim exponit ibi Auguſtinus illa verba: *Quòd itaque ait Apoſtolus, creati in Chriſto Ieſu in operibus bonis, gratia eſt: quòd autem ſubdit, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus, prædeſtinatio eſt.* Prædeſtinatio verò propriè eſt eorum, quæ Deus operatur in nobis ſine nobis, ex eodem Auguſtino ibid. & D. Damaſceno quem citat, & ſequitur D. Thom. de veritate q. 12. a. 10. quanuis in præparatione auxiliorum dicantur etiam ipſa bona opera aliquo modo præparata, veluti in cauſa, & in radice, ſicut dictum eſt cap. præcedenti in prima aſſertione. & hoc modo exponendi ſunt D. Fulgentius & D. Proſper allegati in argumento. Secundò dico, Apoſtolum non loqui de prædeſtinatione actuum ſupernaturalium in particulari, ſed loqui de operibus præparatis toti Eccleſiæ, vti neceſſariis, & ſufficientibus ad ſalutem, quo pacto ſub nomine iſtorum operum comprehenduntur gratia, fides, dona, virtutes, Sacramenta, prædicatio Euangelij, Chriſti paſſio, & alia ſimilia. Auguſtinus. Primaſius. Tertiò dico cum gloſſa Auguſtini, & Primaſij in illum locum, ibi Apoſtolum loqui de prædeſtinatione, quæ non eſt ſine præſcientia.

III. Tertiò argumentantur ex autoritate D. Leonis Papæ IX. huius nominis in epiſtola ad Petrum Antiochenum dicentis: *Credo Deum prædeſtinaſſe ſolummodo bona: præſciuiſſe autem bona, & mala.* Multæ aliæ autoritates adduci poſſent ex Patribus, qui dicunt, bona opera, quibus electi ſalutem aſſequuntur, fuiſſe à Deo prædeſtinata.

Reſpondeo, bona opera, quibus electi ſalutem aſſequuntur, eſſe in duplici differentia, quædam, quæ Deus facit in nobis ſine nobis, & iſta etiam prædefinita ſunt ſine præſcientia determinationis noſtræ voluntatis ad illa: quædam, quæ Deus non operatur in nobis ſine nobis liberè cum illo operantibus, & iſta ſunt quidem prædeſtinata, ſed non ſine præſcientia noſtræ determinationis liberæ ad ipſa opera elicienda, vt expreſsè colligitur ex gloſſa Auguſtini, & Primaſij proximè citata, & ex Anſelmo in lib. Concordiæ Anſelm. cap. 2. dicente quòd *Deus ſicut præſcit, ſic prædeſtinat.* & poſt pauca. *quanuis neceſſe ſit fieri, quæ præſciuntur, & prædeſtinantur, quædam tamen præſcita, & prædeſtinata non eueniunt ea neceſſitate, quæ præcedit rem, & facit, ſed ea, quæ rem ſequitur.* Ecce quòd in ſententia Sanctorum Patrum eſt aliqua prædeſtinatio, quæ rem ſequitur, intellige in præſcientia.

IV. Quartò argumentantur. Salus prædeſtinatorum eſt à Deo volita per modum cuiuſdam principalis intentionis. Ergo & media oportet ſimiliter eſſe volita per modum principalis intentionis: ſed inter media ad ſalutem numerantur opera ſupernaturalia eorundem prædeſtinatorum. Ergo illa ſunt volita per modum principalis intentionis: idem autem eſt aliquid eſſe volitum per modum principalis intentionis, & eſſe prædefinitum.

Confirmatur ratio, quia niſi dicamus, actus ſupernaturales, quibus mediantibus prædeſtinatus conſequitur æternam ſalutem, eſſe in particulari prædefinitos, & hoc ante omnem præſcientiam, illi non magis erunt ex ſpeciali Dei prædefinitione, quàm ſint actus liberi naturales, qui ſunt ex communi prouidentia. Conſequens autem eſt falſum, vt optimè docet D. Thom. de veritate D. Thom. quæſt. 6. art. 3. & prima part. quæſt. 23. art. 6. & 7.

Confirmatur ſecundò, quia prædeſtinati ſunt electi ad gloriam ante præuiſa merita, & hoc libertati eorum minimè repugnat. Ergo neque repugnat illorum libertati, quòd ante præuiſam illorum determinationem ſint efficaciter prædefinita media, quibus perueniant ad gloriam, inter quæ ſunt ſine dubio illorum bona opera ſupernaturalia. Antecedens probatur, quia prima intentio efficax agentis eſt intentio finis, & ex intentione finis oritur electio mediorum.

Ad hoc argumentum cum omnibus ſuis confirmationibus reſpondetur: Ad hoc vt prædeſtinatorum ſalus ſit volita per modum principalis intentionis, non eſt neceſſe, vt illa cum omnibus mediis ad illam ſit efficaciter prædefinita ante præuiſa merita, ſaltem quod ſpectat ad electionem efficacem ad gloriam. neque enim electi ſunt prædeſtinati efficaciter ad gloriam ante præuiſa merita, neque illorũ merita ſunt prædefinita ante præuiſam illorum determinationem liberam ad ipſa merita, vt manifeſtè indicat D. Th. loco cit. ex q. 6. D. Tho. de veritate tum in corpore tertij articuli, tũ ad tertium & ſextum, & q. 12. a. 10. ad tertium & quartũ.

ſed

ſed ſufficit ; quòd Deus voluerit conſtituere prædeſtinatos in eo ordine , & cum illis auxiliis ſupernaturalibus , cum quibus præuidit illos certò, & infallibiliter conſecuturos gloriam ; & in hoc prædeſtinatio differt a communi prouidentia ; & in hoc etiam elucet magnum illud beneficium diuinæ prædeſtinationis,quia cùm ſimiliter potuiſſet omnes homines in tali ordine , & cum talibus auxiliis , cum quibus præſciebat, quòd ſi illa haberent,infallibiliter ſalutem conſequerentur,conſtituere , non tamen omnes , ſed paucos in tali ordine voluit conſtituere , qui ideirco vocantur prædeſtinati comparatione aliorum,qui non ſunt eodem modo ad gloriam deſtinati.Et per hoc patet reſponſio ad argumentum cum prima confirmatione.

Ad ſecundam verò confirmationem negandum eſt illud aſſumptum, quòd electi ſint prædeſtinati ad gloriam ante præuiſa merita , id enim manifeſtè repugnare diuinæ Scripturæ , & dictis ſanctorum , quæ magis attendenda ſunt , quàm Metaphyſicæ ſpeculationes,lib.6 abundanter demonſtrabitur. Ad illius probationem reſpondetur decipi arguentes in eo , quòd putant eodem modo philoſophandum eſſe de fine , quem vult aliquis ſibiipſi comparandum per media,quæ pendent ex ſua ſola voluntate , & de fine, quem quis vult alteri comparandum per media , quæ pendent ex libera voluntate illius quatenus libera eſt : cùm tamen longè diuerſa ſit ratio vtriuſque. nam qui vult finem ſibi comparandum per media, quæ dependent ex libera illius voluntate , poteſt efficaciter velle prius finem , quàm media : at qui vult finem alteri comparandum per media , quæ pendeant ex libera eius voluntate,non poteſt efficaciter velle ei talem finem, niſi videat illius liberam determinationem, ad aſſequendum talia media, vt lib. 6. fuſiùs dicetur.

V. Quinrò argumentantur.Si actus ſupernaturales non ſunt efficaciter prædefiniti ante præuiſam liberam determinationem voluntatis creatæ ad illos , ſequitur, illos non magis dicendos eſſe prædefinitos , quàm actus ordinis naturalis , aut moraliter malos , aut ſaltem bonos & indifferentes. Conſequens autem ab omnibus reputatur abſurdum.

Reſpondeo plurimũ adhuc diſcriminis eſſe inter hos actus , & illos. Primò, quia iſti ſunt prædefiniti virtualiter , & quaſi per accidens in vocatione congrua , non autem illi. Secundò , quia propter hos eſt prædeſtinata à Deo vocatio congrua , non autem propter illos. Tertiò , quia iſti ſunt voliti & intenti per ſe , & in ſeipſis in particulari , & abſolutè , non autem illi, vt ſuperiùs dictum eſt. Quartò , quia iſti ſunt ex diuina prouidentia particulari , non autem illi.

VI. Sextò argumentatur Suarez , probando , quòd actus ſupernaturales ſint prædefiniti ante præſcientiam abſolutam futuræ determinationis voluntatis creatæ. Deus poteſt inclinare corda hominum , & immutare humanas voluntates , & illas conuertere quocunque voluerit , & quomodocunque voluerit , vt diuina Scriptura , & Auguſtinus ſæpiſſimè teſtatur. Ergo non opus habet expectare præſcientiam determinationis humanæ voluntatis , vt prædefiniat efficaciter aliquem actum liberum,qui ab illa fieri debet.

Reſpondeo, duobus modis poteſt Deus humanas voluntates immutare,& conuertere. vno modo neceſſariò illas inclinando neceſſitate quadam antecedente per modũ cauſæ efficientis illas impellendo , & immutando. Alio modo mouendo ſuauiter , proponendo illis obiecta , quibus viſis ſcit,quòd illæ pro ſua libertate certò, & infallibiliter ſunt immutãdæ,ſuauiter etiã afficiendo ipſas voluntates per internas illuſtrationes, & pias affectiones.Vtroque autem modo credimus Deum, qui humanæ voluntatis eſt conditor,poſſe humanam voluntatem conuertere, & immutare , ſicut illam poteſt ad nihilum redigere:ſed non vtroque modo ſalua manebit eiuſdem voluntatis libertas, ſed ſolùm ſecundo modo. ideo vt moueat illam ſalua manente eius libertate , neceſſe eſt , illum præſcire futuram illius determinationem ad actum liberum , ad quem illam vult mouere.

Dicetur, quòd hoc præſcit per ſcientiam mediã. Contra ſuppoſita hac ſcientia media eo ipſo, quòd prædefinit voluntatem mouere ad talem actum, præuidet abſolutè futuram determinationem voluntatis, quia, vt dictum eſt, quod præuidetur futurum ſub conditione , in eo inſtanti , in quo ponitur conditio, præuidetur futurum abſolutè.Et certè non intelligo, quomodo Suarez hîc aſſumat, poſſe Deum voluntates humanas immutare , & conuertere , quomodo voluerit , illæſa manente illarum libertate , cùm tamen in hac re adeò ſit ſcrupuloſus , vt vocationem congruam cõſtituat in ſola motione morali,timens ne motio phyſica eiuſdẽ voluntatis illius libertatẽ euertat.

VII. Septimò arguit,quia videtur indignum Deo dicere , quòd non poſſit abſoluto decreto ſtatuere, aliquid eſſe faciendum per libertam voluntatem creatam, niſi priùs videat , illud futurum per ipſam voluntatem : nam hoc eſt poteſtatem diuinæ voluntatis nimis coarctare,& dicere actus humanos liberos eſſe quidem non præter Dei præſcientiam, ſed præter Dei intentionem efficacem.

Reſpondeo , qui dignè de Deo ſentire volunt, ſentiant,illum facere poſſe omne poſſibile,nõ autem ſentiant , Deum facere poſſe impoſſibilia , vt quòd aſinus ſit animal rationale.Eſt autẽ mea ſẽtentia impoſſibile, Deum relinquere humanã voluntatem liberam , & illius actus efficaciter prædefinire ante præuiſam illius determinationem, quia decretum efficax antecedens neceſſariò infert actũ prædefinitum.Neque ex hoc,quòd actus liberi non ſunt efficaciter prædefiniti ante præſcientiam,ſequitur illos eſſe præter Dei intentionem. Et mirum eſt,hunc autorem deducere hanc conſequentiam contra negantes efficacem prædefinitionem ante præſcientiam , quam ille cogitur negare, & de facto negat contra aſſertores phyſicarum prædefinitionum.Dicendum itaque intentionem efficacem reſpectu actuum liberorũ non conſiſtere in eo quòd actus liberi ſint prædefiniti ante præuiſam liberam determinationem humanæ voluntatis ad illos, ſed in eo, quòd Deus vult voluntatem humanã conſtituere in tali ordine,ex quo ſcit,illam ſe determinaturam ad actus liberos ex eo,quia efficaciter intendit eoſdẽ actus liberos: neque vllus rectè ſentiens dicit , Deum priùs videre humanam voluntatem ſe determinantem ad tales actus, quàm prædefiniat eoſdem actus.

VIII. Octauò arguit. Deus præcognouit, quòd actus ſupernaturales ſunt honeſti, & per ſe appetibiles, & media ſunt proportionata, vt per illa voluntas de facto inclinetur ad eliciendos actus ſupernaturales , & quòd poſitis talibus mediis voluntas de facto inclinabitur , & illos eliciet. Ergo potuit vnico actu ſimpliciſſimo velle,quòd voluntas eliciat talem actum , & dare illi tale medium , vt eundem actum eliciat.

Reſpondeo omnibus admiſſis eo ipſo, quòd Deus videns, ſi voluntas præueniretur tali medio, illam exituram in actum ſupernaturalem, ſtatuit eodem medio illam præuenire, videt abſolutè futuram determinationem eiuſdem voluntatis ad eundem actum ſupernaturalem, ob rationem ſæpiùs tactam in præcedentibus.

Nonò, decretum, quo Deus ſtatuit dare homini vocationem congruam, eſt prædefinitio antecedens præſcientiam reſpectu eiuſdem vocationis congruæ. Ergo & decretum, quo prædefiniuit actum ſupernaturalem liberum, erit prædefinitio antecedens præſcientiam illius. nam quòd prædefinierit talem actum per tale medium, quod eſt vocatio congrua, hoc non facit, quin ipſa prædefinitio actus antecedat præſcientiam eiuſdem actus.

Reſpondeo, negandam eſſe conſequentiam, quia vocatio congrua eſt actus, quem Deus ſe ſolo operatur in nobis ſine nobis. At actus liber ſiue ſupernaturalis, ſiue etiam naturalis, non ponitur in nobis ſine nobis, & ſine libero noſtro conſenſu: & ideo ex vno inferre ad aliud debilitas eſt ingenij, aut inaduertentia eorum, quæ aduerti debent. Aduertendum eſt tamen, nos nunquam dixiſſe prædefinitionem actus liberi non eſſe priorem præſcientia futuritionis eiuſdem actus liberi, ſed ſolùm non eſſe priorem præſcientia futuræ determinationis humanæ voluntatis ad eundem actum. nam ſi determinatio ipſa voluntatis ad actum eſt aliquo modo prior ipſo actu, etiam prædefinitio diuina erit aliquo modo prior præſcientia futuritionis eiuſdem actus: non autem erit prior præſcientia futuræ determinationis voluntatis creatæ, ſed erunt ambæ in eodem inſtanti.

IX. Decimò, actus diuinæ voluntatis comparatur ad noſtram voluntatem non ſolùm concomitanter, ſed antecedenter, & cauſaliter: quia per illum Deus non tantùm vult concurrere, ſi voluntas conſenſerit, ſed vult quòd voluntas de facto conſentiat, idque non per ſolam velleitatem, ſed per efficax, & abſolutum decretum, quale eſt illud, de quo Auguſtinus, *Deo volente ſaluum facere nullum humanum reſiſtit arbitrium.* hoc argumentum cum aliis prædictis affert Suarez lib. 3. de auxiliis cap. 17. num. 4. & ſequentibus, & ſuprà lib. 1. cap. 16. num. 8. & lib. 2. cap. 7. num. 3.

Reſpondeo. Si actus diuinæ voluntatis ſic comparatur ad noſtram voluntatem, cur quæſo iſte autor tantoperè laborat contra aſſertores phyſicarum prædeterminationum? illi enim parum, aut nihil plus difficultatis ingerunt humanæ libertati. cur etiam tantopere laborat, vt oſtendat, motionem gratiæ præuenientis non eſſe phyſicam, ſed moralem tantùm, ne lædatur humani arbitrij libertas? Dicet, differre ſe plurimum ab illis, quia illi ponunt quandam præmotionem phyſicam in humana voluntate, quam ipſe non admittit, ſolùm enim admittit prædefinitionem quandam internam, quæ non infert phyſicam prædeterminationem ad extra. Sed ſi diuina prædefinitio eſt ſolùm interna, & non infert prædeterminationem, aut præmotionem in ipſa voluntate creata, quid eſt, quod vult dicere, actum diuinæ voluntatis comparari ad humanam voluntatem antecedenter, vt cauſam, & facere, vt voluntas velit? aut enim cauſat, & facit aliquid operando in ipſa voluntate, aut nihil. Si nihil. Ergo facit nihil faciendo. Si aliquid. Ergo diuina prædefinitio aliquid realiter ponit in voluntate. Videtur itaque iſtud refugium inintelligibile. Præter quod ipſe lib. 1. de auxiliis cap. 12. impugnat ſententiam illorum, qui dicebant, actus liberos eſſe prædefinitos efficaciter, & in particulari abſque prædeterminatione phyſicè inhærente voluntati per ſolam efficaciam diuinæ voluntatis, & potentiæ, & ſubordinationem eſſentialem voluntatis creatæ, & obediendi neceſſitatem, quæ illi ineſt reſpectu diuinæ voluntatis efficacis, & docet, per illam euerti libertatem: & tamen hæc illius opinio nihil diſtat ab illa. nam quòd ille admittit ſcientiam mediam, quam ipſius opinionis aſſertores non agnoſcunt, hoc nihil iuuat eius cauſam: quia eſto iſta ſcientia conditionata præcedat abſolutum decretum diuinum, tamen abſolutum decretum præcedit abſoluram determinationem voluntatis, & hoc in ratione cauſæ: vnde nihil iuuante tali præſcientia infert neceſſitatem in voluntate ad ponendum ipſum actum. Si enim non inferret talem neceſſitatem, voluntas poſſet non ponere actum, & ſic decretum poſſet non eſſe efficax.

Dicendum igitur, quòd actus diuinæ voluntatis quoad aliqua comparatur ad noſtram voluntatem antecedenter, & in ratione cauſæ, nimirum faciendo, vt faciamus per auxilium gratiæ præuenientis, & quoad aliqua comparatur ad illam ſolùm concomitanter, nimirum concurrendo cum illa per auxilium gratiæ adiuuantis, & Deum velle, vt de facto voluntas conſentiat, quia vult illam vocare eo modo, quo ſcit, quòd voluntas ſic vocata conſentiet, vt millies dictum eſt. per hæc ſolui poſſunt alia argumenta.

CAPVT XVI.

Actus moraliter malos non eſſe efficaciter à Deo prædefinitos.

CVm neque actus liberi ſupernaturales, neque etiam naturales moraliter boni, neque indifferentes fuerint ante inſpectam liberam determinationem humanæ voluntatis efficaciter à Deo prædefiniti, multò magis id deberet certum eſſe de actibus, qui ſunt moraliter mali. Verùm quia Zuinglius, Caluinus, Beza, & ante illos hæretici Prædeſtinati ex hoc etiam capite impugnant humanam libertatem, duo hîc breuiter agenda eſſe duximus ad complementum huius tertiæ controuerſiæ de diuinis prædefinitionibus, ſcilicet probandum nobis eſt, actus moraliter malos non eſſe à Deo prædefinitos, & ſoluenda nobis ſunt argumenta hæreticorum, qui oppoſitum probare nituntur. I.

Loquimur autem de prædefinitione non permiſſiua, quia de hac non poteſt eſſe dubium apud Catholicos, qui recipiunt vt veram doctrinam illam Auguſtini in Enchiridio cap. 95. dicentis: *Non ergo fit aliquid, niſi Omnipotens velit, vel ſinendo, vt fiat, vel ipſe faciendo.* ſed de prædefinitione poſitiua, quæ eſt intentio, & voluntas efficax alicuius rei, vt fiat. Et loquimur de actibus moraliter malis, qui ſunt mali ab intrinſeco ex ipſo obiecto, à quo malitia eſt inſeparabilis, cuiuſmodi ſunt actus blaſphemiæ in Deum, aut odij in Deum, aut peccati contra naturam. non autem loquimur ſolùm de actibus, qui ſunt moraliter mali ob prauam intentionem agentis, qualis eſt actus eius, qui eleemoſynam largitur ob vanam laudam, vel ſunt moraliter mali, quia ſunt certis perſonis, aut certo tempore prohibiti, vt actus comedendi carnes die Auguſt.

Veneris,

Veneris, aut ſi Monachus vxorem duceret: iſti nanque actus ſunt de ſe indifferentes, & ſunt mali non ab intrinſeco, ſed ab extrinſeco, & per accidens.

Et tandem loquimur de actibus moraliter malis non ſolùm quoad formalem illorum malitiam, ſiue illa conſiſtat in ſola priuatione, vt nonnulli arbitrantur, ſiue illa ſit quid poſitiuum in genere moris oppoſitum bonitati morali contrariè, & poſitiuè, & non ſolùm priuatiuè, quod
D. Thom. videntur ſentire D. Thom. 1. part. quæſt. 48. art. 1. ad ſecundum, & 1. 2. q. 18. art. 5. ad 2. & de
Ariſtot. malo quæſt. 1. art. 4. ad octauum, & Ariſtoteles in prædicamentis cap. de Qualitate, & in poſtpræd. cap. de Oppoſitis, cùm docet, iuſtitiam, & iniuſtitiam opponi non ſolùm priuatiuè, ſed etiam contrariè, & poſitiuè. Sed loquimur de ipſis actibus moraliter malis quoad materiale, & ſubſtratum ipſius peccati, & malitiæ moralis, quod eſt entitas naturalis eiuſdem actus: de hac enim naturali entitate actus moraliter mali eſt tota controuerſia inter Catholicos, & hæreticos: neque enim hæretici, maximè recentiores adeò perfricatæ frontis ſunt, vt non erubeſcant palàm fateri, Deum eſſe autorem peccati quoad moralem eius malitiam, quanuis nonnulli viri docti ex illorum antecedentibus per conſequentias legitimas, & neceſſarias deducant, illos facere Deum autorem peccati etiam quoad moralem malitiam, & quoad formale ipſius peccati. Sed controuerſia eſt præcipuè de actu moraliter malo quoad illius naturalem entitatem, vtrùm illa entitas ſit à Deo prædefinita. & vt ſtatus præſentis difficultatis magis pateſiat,

II. Notandum eſt, vnum & eundem actum liberum poſſe in duplici genere, vel ſpecie conſtitui, nimirum in genere vel ſpecie moris, & in genere vel ſpecie naturæ. Genus autem vel ſpecies naturæ actus liberi ſumitur ex comparatione eiuſdem actus, vel potentiæ agentis ad ſuum obiectum abſolutè ſumptum, vt videre mulierem, comedere carnes, & piſces: nam videre mulierem, & comedere carnes, ſunt actus in diuerſo genere naturæ, & ſimiliter comedere carnes, vel piſces, ſunt duo actus in diuerſa ſpecie naturæ. Similiter genus, vel ſpecies moris ſumitur per comparationem actus, & potentiæ agentis ad ſuum obiectum non abſolutè ſumptum, ſed quatenus talis actus circa tale obiectum aptus natus eſt elici à potentia libera conformiter, vel difformiter ad regulam rectæ rationis, adeò quòd moralitas actus propriè eſt relatio conuenientiæ, vel diſconuenientiæ eiuſdem actus ad regulam rectæ rationis. & hinc fit, quòd duo actus, qui erunt eiuſdem ſpeciei in genere naturæ, erunt genere differentes in genere moris, aut ſaltem ſpecie, vt comedere carnes die Iouis, & die Veneris, & vſus maris cum fœmina quæ ſit propria coniux, & quæ ſit coniux alterius. Tota igitur controuerſia eſt de actibus moraliter malis non ſub ea præciſa ratione, qua ſunt in genere moris, ſed ſub ea ratione, qua ſunt in genere naturæ.

III. In hac controuerſia hæretici vocati Prædeſtinati, quorum meminimus lib. 2. cap. 3. dixerunt, mala opera æquè, vt bona fuiſſe à Deo efficaciter prædefinita. quæ hæreſis ex doctrina D. Auguſtini prauè ab illis intellecta conflata eſt: omnes enim abſurditates illas, quas Semipelagiani imponebant Auguſtino, à quibus tum ille in lib. ad articulos ſibi falsò impoſitos, tum D. Proſper illum purgat, iſti hæretici admittebant. Contra quos extat definitio Concilij ſecundi Arauſicani canone vltimo, & Concilij Valentini ſub Lothario Imperatore cap. 3.
Concilium Arauſicanū. Concilium Valent.

Eundem errorem complexi ſunt aliquando Lutherus, & Philippus. Sed re meliùs conſiderata ab errore receſſerunt. Vtinam à reliquis. Zuinglius, Caluinus, & Theodorus Beza ingenti animi feruore hunc eundem errorem exceperunt, docentes ſequentes propoſitiones, quarum Prima eſt: Omnia opera mala, quæ homines faciunt, fuerunt à Deo efficaciter prædefinita, vt fierent, antequam Deus præuideret homines per ipſorum liberum arbitrium illa perpetraturos. hanc docet Caluinus lib. 1. Inſtitutio. Caluinus.
cap. 18. §. 1. & lib. 3. cap. 23. §. 4. & 7. & in opuſculo de æterna Dei Prædeſtinatione pagina mihi 916. & Theodorus Beza in reſponſione ad Beza.
Sebaſtianum Caſtellionem in refutatione ſecundæ calumniæ, & in Aphoriſmo 18.

Secunda propoſitio: Deus in tempore mouet homines malos ad mala opera perpetranda, & vtitur illis vt gladiis, & ſertis, & eorum voluntatibus inſidens, eas mouet, vt ſeſſor equum per frænum, & poſitiuè, non autem ſolùm permiſſiuè homines in peccata compellit. Hanc ſimiliter docet Caluinus lib. 1. Inſtit. cap. 17. §. 11. & cap. 18. §. 1. 2. 3. & 4. & lib. 2. cap. 4. §. 2. 3. & 4. & lib. de æterna Dei prædeſtinatione, vbi reiiciens diſtinctionem illam de duplici decreto effectiuo, & permiſſiuo inter alia ſic ait: *Hinc certè iam colligere promptum eſt, quam inane, & fluxum ſit illud diuinæ iuſtitiæ patrocinium, quæ mala ſunt, non eius voluntate, ſed permiſſione duntaxat fieri. equidem quatenus mala ſunt, quæ malo animo perpetrant homines, vt ſtatim planiùs exponam, Deo minimè placere fateor: ſed quod otioſum ea permittere fingunt, quæ Scriptura non tantùm eo volente, ſed autore fieri pronuntiat, nimis friuolum eſt refugium.* Idem docet in antidoto ad 6. cap. ſeſſ. 6. Concilij Tridentini. Sequitur Beza in Aphoriſ. 19. 20. & 21.

Tertia propoſitio: Etſi Deus ab æterno prædefinierit omnia opera mala, & in tempore moueat impios ad ipſa opera mala perpetranda, ipſa tamen malitia, quæ peccato ineſt, non eſt à Deo volita: immo illi diſplicet, & illa in ſolam voluntatem creatam, vti propriam illius cauſam eſt referenda. Hanc docet Caluinus lib. 1. Inſtitutio. cap. 18. §. 2. 3. & 4. & in opuſc. de æterna prædeſtinatione pag. 944. & in inſtructione aduersùs Libertinos cap. 14. Beza Aphoriſ. 19. 20. 21. 22. & 31. Zuinglius in ſermo. de prouidentia cap. Zuinglius.
5. & 6.

Hoc autem declarant quadruplici ratione, quarum prima ſumitur ex differentia inter eum, qui in agendo eſt legi ſubiectus, & eum, qui non eſt legi ſubiectus, ob quam vnum & idem opus, vt eſt à Deo, non eſt peccatum, & vt eſt ab homine, eſt peccatum: quia Deus non eſt ſubiectus legi in agendo, ſicut homo. Hanc rationem reddit Zuinglius loco citato. Secunda ſumitur ex diuerſitate intentionis, & finis, quia quod homo facit praua intentione, & ob prauum finem, Deus facit recta intentione, & bono fine, qui eſt oſtenſio ſuæ iuſtitiæ per modum vindictæ. Hanc rationem aſſignat Caluinus lib. 1. Inſtitutio. cap. 17. §. 5. & cap. 18. §. 4. & in inſtructione contra Libertinos cap. 14. Tertia ratio ſumitur ex differentia inter cauſam primam vniuerſalem & remotam, & cauſam particularem IV.

& propinquam ipsius actus mali, siue sub aliis terminis, ex differentia inter causam primam vniuersalem & remotam, & causam instrumentalem: quia stat primam, & principalem causam agere sine defectu, & tamen causas secundarias, & instrumentales esse defectibiles. vnde potest idem effectus, vt proueniens à prima causa, bonus esse, & malus, quatenus prouenit à causa secunda, propter defectum, quem ponit in eo causa secunda instrumentalis. Hanc rationem affert Caluinus in lib. de prædestinatione æterna pag. 946. & Beza in Aphorismo 21. Quarta ratio sumitur ex vitio, quod humana natura contraxit ex peccato Adæ, quæ cùm sit viriata, & corrupta, quidquid agit, semper malè agit. ita Beza loco proximè citato. Ista tamen ratio non comprehendit primum peccatum Adæ, neque Angelorum.

Hinc apparet, quo fine secundùm hos hæreticos Deus prædefinierit peccata, nimirum ad ostensionem gloriæ suæ per modum iustitiæ vindicatiuæ, seu punitiuæ. Ita signanter dicunt Caluinus in Instructio. contra Libertinos cap. 14. & Beza in responsione ad Castellionem in refutatione secundæ calumniæ. Argumenta verò, quibus illi conantur has propositiones probare, inferiùs adducemus, & soluemus.

V. Ex Doctoribus Catholicis nonnulli recentiores docent, Deum ab æterno prædefiniuisse permittere omnia peccata, quæ actu fiunt, quoad moralem illorum malitiam, & etiam prædefiniuisse actus moraliter malos, quoad illorum entitatem naturalem, duntaxat excepta malitia, & in tempore voluntates humanas prædeterminare physicè ad eandem entitatem naturalem actus peccati, excepta malitia, & potissimum finem huius prædefinitionis tum permissiuæ, tum effectiuæ esse ostensionem diuinæ gloriæ per modum misericordiæ in electis, & per modum iustitiæ in reprobis. dicunt tamen, nullo modo concedendum esse, Deum ab æterno prædefiniuisse, vt fierent peccata, aut in tempore esse autorem peccatorum. Porrò cùm isti Doctores Catholici sint, & Catholicè sentiant, & fateantur se à sententia hæreticorum plurimum distare, cum illis agendum non est. Quomodo autem, & quantum illorum sententia ab errore Caluinitarum distet, relinquitur ipsis declarandum.

VI. Est secunda opinio quorundam Doctorum Catholicorum, quæ negat absolutè, vllum actum moraliter malum, etiam quoad naturalem eius entitatem, fuisse à Deo prædefinitum. Huius opinionis fundamentum est, quia actus moraliter mali Dous non est causa immediata, etiam quoad naturalem eius entitatem, sed solùm mediata. Huius opinionis meminit Magister in secundo sentent. d. 37. Eam verò defendunt ex antiquis Theologis Altisiodorensis in sua summa lib. secundo tractat. 27. capite tertio, Aureolus apud Gregorium Ariminensem eadem dist. 37. quæstione prima, & Durandus ibidem quæstione prima, & suprà dist. prima quæst. quinta, quanuis diuersimodè, nam Durandus vniuersaliter negat, Deum esse causam immediatam actuum secundarum causarum, & concedit, solùm esse causam mediatam, quatenus tribuit secundis causis esse, & vim operandi, & vtrunque conseruat in esse. Altisiodorensis autem, & Aureolus solùm negant, Deum esse causam immediatam actus peccati. Huius opinionis meminit Aluarez disputat. 24. quam tribuit cuidam recentiori tacito illius nomine, quam dicit esse reiiciendam primò, quia est contra doctrinam D. Augustini in lib. 2. de libero arbitrio cap. 2. & lib. 3. cap. primo & lib. 1. Retract. cap. 9. & lib. 5. de ciuitate cap. 8. quanuis ille autor citet ea loca ad probandam suam sententiam.

Aluarez. Augustin.

Hæc opinio quoad id, in quo fundatur, nimirum quòd Deus non sit causa immediata actus peccati, quoad naturalem illius entitatem, mihi etiam non placet, non quidem propter illa testimonia D. Augustini, quæ saltem in specie oppositum innuunt, sicut etiam alia, quæ desumi possunt ex lib. de perfectio. iustitiæ cap. 4. & lib. 12. Confess. cap. 11. neque quòd euidenter sequatur ex hac opinione, dari duo prima rerum principia. Multi enim Philosophi, de quorum numero sentio sine omni dubitatione fuisse Platonem, & Aristotelem, agnouerunt vnum primum principium omnium rerum, & tamen non agnouerunt istud primum principium esse causam immediatam omnium effectuum causarum secundarum, & Caietanus soluens quoddam argumentum Scoti dicit, quòd etiamsi Spiritus sanctus procederet à solo Filio, & non à Patre, adhuc distingueretur à Patre, quia in tali casu inter Patrem, & Spiritum sanctum esset oppositio mediata. sed non placet propter alias rationes infrà lib. octauo adducendas. Et quidem sententia Altisiodorensis, & Aureoli facillimè refutari potest hac vnica ratione: quia idem specie actus, qui in homine est peccatum, in bellua non est peccatum, & est peccatum in vno homine, & non in alio, & in eodem homine est peccatum, quando homo est mentis compos, & non est peccatum, quando non est rationis compos. Cùm ergo fateantur illi, Deum esse causam actus, qui non est peccatum, & eadem actio aliquando sit peccatum, aliquando verò non, videtur quòd negare non possint, Deum esse causam illius actus, qui est peccatum, si spectetur sola entitas naturalis eiusdem actus peccati.

In hac controuersia sit prima conclusio: Actus mali quoad malitiam moralem non sunt à Deo prædefiniti prædefinitione volitiua, vt fierent, sed tamen permissio moralis malitiæ illorum fuit à Deo volita, & prædefinita. Hæc conclusio quoad vtranque partem est doctrina fidei Catholicæ: & quoad primam partem definita est in Concilio Arausicano secundo capit. vltimo per hæc formalia verba: *Aliquos verò ad malum diuina potestate prædestinatos non solùm non credimus, sed etiam, si qui sunt, qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione illis anathema dicimus.* Eandem definitionem renouauit Concilium Valentinum sub Lothario Imperatore capite tertio dicens, Prædestinatione Deum ea tantùm statuisse, quæ ipse vel gratuita misericordia, vel iusto iudicio facturus erat, secundùm Scripturam dicentem, *qui fecit, quæ futura sunt.* In malis verò ipsorum malitiam præsciuisse, quia ex ipsis est, non prædestinasse, quia ex illo non est. Eandem renouauit Leo Papa IX. in epistola decretali ad Petrum Antiochenum, dicens:

VII.

Concilium Arausicanū.

Concilium Valent.

Leo IX.

Credo

Credo Deum prædeſtinaſſe ſolummodo bona, præſciuiſſe autem bona malique. & eſt doctrina expreſſa D. Auguſtini in libello ad Articulos ſibi falsò impoſitos, cuius verba ſunt inferiùs alleganda. Et in hac veritate ſaltem verbis conſentiunt non ſolùm Catholici, ſed etiam hæretici, maximè horum temporum. & reuera nullus intelligens, quid ſit peccatum, dicere poteſt, Deum eſſe autorem malitiæ illius, aut illam velle: nam peccatum eatenus eſt peccatum, quatenus eſt contra Dei voluntatem, & quod non ſit contra Dei voluntatem, peccatum non eſt: vnde implicat manifeſtam contradictionem, quòd aliquid ſit à Deo volitum, & quòd ſit peccatum. Secunda etiam pars huius aſſertionis eſt de fide: quia niſi dicamus, peccata euenire ex diuina permiſſione, vnum è duobus abſurdis neceſſariò ſequitur, aut peccata euenire Deo illorum euentum ignorante, quod eſt contra prædictas Conciliorum, & Patrum definitiones, & contra manifeſtam veritatem: aut euenire Deo volente illa impedire, & minimè potente, quod ſimiliter eſt contra fidem. Eandem aſſertionem quoad hanc poſteriorem partem probat Auguſtinus in Enchiridio cap. 27. 95. 96. 100. & aliis multis in locis. Auguſtinus.

VIII. Secunda propoſitio: Actus moraliter mali non ſunt ab æterno prædefiniti, vt fierent, quoad naturalem illorum entitatem, ſaltem ante omnem præſcientiam determinationis voluntatis creatæ ad eoſdem actus.

Probatur hæc propoſitio autoritate diuinæ Scripturæ, quæ expreſsè docet, Deum actus moraliter malos prohibere, odio habere, & punire. vnde nullo modo intelligi poteſt, Deum eoſdem actus prædefiniuiſſe, vt fierent.

Concilium Arauſicanũ. Secundò probatur autoritate Concilij Arauſicani ſecundi tum loco proximè citato ex cap. 25. tum ſuprà cap. 23. vbi ait, ſuam voluntatem homines facere non Dei, quando id agunt, quod Deo diſplicet. Illud verò Concilium etſi ſit Prouinciale, habet tamen autoritatem irrefragabilem, quia decreta illius fuerunt illi tranſmiſſa ab Apoſtolica ſede, vt notatur in Præfatione eiuſdem Concilij. vnde parum refert, an dictum Concilium fuerit celebratum ſub Leone primo, vt multi volunt, an ſub alio Pontifice, vt vult Baronius tom. 6. ſub anno 463. num. 4. & 5. refellens eos, qui ſub Leone Pontifice, eiúſque iuſſu dictam Synodum ferunt celebratam. Præter quod potuit contingere, illa decreta fuiſſe Patribus eiuſdem Concilij tranſmiſſa ab ipſo Leone primo, & indictum illis, vt Concilium celebrarent, & interim Leonem primum ex hac vita migraſſe, & id veritati maximè conſentaneum videtur. Neque refutatio Baronij contrarium probat. Videtur etiam definita eadem propoſitio tum in dicto Concilio Valentino ſub Lothario, tum maximè in Trident. ſeſſ. 6. can. 6. dum damnantur illi, qui dicunt, non eſſe in poteſtate hominis vias ſuas malas facere, ſed mala opera, ita vt bona, Deum operari, non permiſſiuè ſolùm, ſed etiam propriè, & per ſe. & clariùs canon. 17. dum ait: *Si quis ſuſtificationis gratiam non niſi prædeſtinatis ad vitam contingere dixerit, reliquos verò omnes, qui vocantur, vocari quidem, ſed gratiam non accipere, vtpote diuina poteſtate prædeſtinatos ad malum, anathema ſit.* Baronius. Conc. Trid.

IX. Tertiò probatur apertiſſimis teſtimoniis ſanctorum Patrum. D. Hieron. in cap. 1. ad Epheſios circa illa verba: *Qui operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ.* addit: *Non quòd omnia, quæ in mundo fiunt, Dei conſilio, & voluntate peraguntur: alioqui & mala poterunt Deo imputari, ſed quòd omnia quæ facit, conſilio facit, & voluntate.* Hieron.

D. Auguſtinus lib. de Prædeſt. Sanctorum cap. 10. *Prædeſtinatione quippe Deus ea præſciuit, quæ fuerat ipſe facturus: præſcire autem potens eſt etiam, quæ ipſe non facit, ſicut ſunt quælibet peccata.* & in lib. ad Articulos ſibi falsò impoſitos ad 10. *Non ergo caſus ruentium, nec malignitatem iniquorum, neque cupiditates peccantium prædeſtinatio Dei aut excitauit, aut ſuaſit, aut impulit.* & ad 11. *Si Diabolo obſiceretur, quòd talium facinorum ipſe autor, ipſe eſſet inceptor, puto quod aliqua ratione exonerare ſe hac poſſet inuidia, & talium ſcelerum patratorem de ipſorum voluntate vinceret: quia etſi delectatus eſt furore peccantium, probaret tamen ſe non intuliſſe vim criminum.* & infrà: *Nihil ergo talium Deus prædeſtinauit, vt fierent.* & plura alia ibi videnda. Auguſtinus.

D. Proſper ad Capitula Gallorum ad 1. ait: *Prædeſtinationis fides multa ſanctarum Scripturarum autoritate munita eſt, cui nullo modo fas eſt ea, quæ ab hominibus malè aguntur, adſcribi.* Proſper.

D. Fulgentius lib. 1. ad Monimum ferè per totum laborat in eadem aſſertione probanda, & inter alia multa ſic habet: *Hoc prædeſtinauit Deus, quod erat ipſe facturus, aut quod fuerat largiturus: illud verò nullatenus prædeſtinauit, quod ſine per gratiam, ſiue per iuſtitiam facturus ipſe non fuit. Item iniquos ad ſupplicium prædeſtinauit iuſtè, quia eorum mala opera licet futura præſciret, non tamen ipſe prædeſtinauit, vt futura eſſent: quia non ipſe fecit, vt facerent. Item ad voluntatem malam Deus hominem non prædeſtinauit, quia homini eam daturus ipſe non fuit. Et iterum ſi dicamus prædeſtinatum à Deo opus aliquod malum, nos miſericordi Deo, & iuſto tale opus adſcribimus (quod abſit) vbi nec miſericors poſſit inueniri, nec iuſtus.* Et rurſus: *Poſſet peccatum ex prædeſtinatione Dei eſſe, ſi poſſet aliquis hominum iuſtè peccare.* Et tandem: *Nunquam ad hoc potuit Deus prædeſtinare, quod ipſe diſpoſuerat præcepto prohibere.* Fulgentius.

D. Ioan. Damaſcenus lib. 2. de fide cap. 30. docet, Deum non omnia prædeſtinare, quia non prædeſtinat peccata. Idem habetur ex Beda lib. quæſtionum, qui continetur tomo 8. q. 13. Damaſcen.

Tertullianus in lib. exhortatorio ad caſtitatem cap. 2. ait, quòd excuſabitur omne delictum, ſi dixerimus nihil fieri à nobis, ſine Dei voluntate. Tertul.

CAPVT XVII.

Solutiones quædam ad argumenta allata pro ſecunda propoſitione in capite præcedenti conſtituta examinantur, & reiiciantur.

I. AD tria argumenta ſupradicta duobus modis pro hæreticis videtur reſponderi poſſe. primo modo dicendo, prædicta diuinarum Scripturarum, & Conciliorum, & Patrum teſtimonia exponenda eſſe de prædefinitione actus peccati, quoad formale ipſius, nimirum quoad ipſam moralem malitiam, non autem quoad materiale, & quoad entitatem naturalem eiuſdem actus peccati. quæ reſponſio in terminis haberi poteſt ex Caluino, & Beza locis proximè citatis.

Hæc tamen reſponſio non videtur à Doctoribus Catholicis admittenda, primò quia nullus Patrum hactenus auſus eſt admittere, quòd actus mali ſint à Deo prædeſtinati, ſed omnes abſolutè id negant abſque vlla prorſus diſtinctione inter materiale, & formale peccati, quam tamen certum

tum eſt, illos minimè ignoraſſe. Ergo non debemus recedere à modo loquendi antiquorum Patrum, maximè iſtis temporibus, quibus ab illo modo recedendo videbimur, ſi non re, ſaltem verbis cum hæreticis dicentibus, mala opera æquè, vt bona, eſſe à Deo prædeſtinata: id nanque manifeſtam ſcandali occaſionem præbere poterit indoctis, credent enim facilè, nos cum hæreticis in re conuenire, cum quibus concordamus in modo loquendi. Hæretici quoque in ſuis Synagogis facilè iactabunt, ſuos errores à nobis probari, ſi cum illis conſentiamus in modo loquendi. Quare cùm nulla ſolida ratio reddi poſſit (vt verbis D. Fulgentij vtar) qua homo prædeſtinatus ad actus malos credatur, etiamſi in aliquo ſenſu Catholico poſſet defendi, actus malos fuiſſe à Deo prædefinitos, rectiùs fecerimus ab huiuſmodi locutionibus cum priſcis Patribus abſtinere, ne videamur ſentire cum hæreticis, cum quibus ne nomina quidem debemus habere communia.

II. Secundò facit contra eandem reſponſionem, quòd Patres abſolutè negant, ipſa opera mala fuiſſe à Deo prædefinita, & non ſolùm negant, fuiſſe prædefinitam malitiam ipſorum operum. quæro enim, ſi illi voluiſſent dicere, quòd actus ipſi, & non ſola malitia illorum, non ſunt prædefiniti, quibus aliis verbis melius, clariùs, & ſignificantiùs id exprimere potuiſſent, quàm illis, quibus in locis ſuprà citatis vſi ſunt?

Tertiò, illi in dictis locis ſupponunt, fieri aliquid ab homine, quod non ſit à Deo prædefinitum, dum aiunt, excuſari omne delictum, ſi dixerimus, nihil fieri à nobis ſine Dei voluntate, & non omnia, quæ in mundo fiunt, Dei voluntate fieri, & fieri multa contra Dei voluntatem. At illud, quod verè, & propriè fit, eſt actus ipſe peccati, non autem malitia moralis, illa enim propriè non fit, cùm ſit vel priuatio rectitudinis debitæ ineſſe actui, vel relatio diſconuenientiæ eiuſdem actus ad rectam regulam rationis. Loquuntur ergo de ipſis actibus, ſecundùm eorum naturalem entitatem.

III. Quartò probatur adhuc clariùs, illos loqui de actibus malis ſecundùm illorum naturalem entitatem, & non ſolùm ſecundùm moralem malitiam. D. Auguſtinus lib. 5. de ciuit. cap. 8. inquit quòd *à Deo ſunt omnes poteſtates, quamuis ab illo non ſint omnium voluntates.* & cap. 9. inquit, *Sicut omnium naturarum creator eſt, ita omnium poteſtatum dator, non voluntatum.* & lib. de ſpiritu & litera cap. 31. *Nuſquam legimus in Scripturis ſanctis, non eſt voluntas, niſi à Domino. & rectè non ſcriptum eſt, quia verũ non eſt: alioquin etiam peccatorũ, quod abſit, autor eſt Deus, ſi non eſt voluntas, niſi ab illa, quoniam mala voluntas iam ſola peccatũ eſt, etiamſi deſit effectus.* & lib. 2. de peccatorum meritis, & remiſſione cap. 18. eandem habet ſententiam, & clariùs lib. 2. de libero arbitrio cap. 20. vbi quærit, vnde ſit motus auerſionis à Deo, & conuerſionis ad creaturam, in quo conſiſtit peccatum, & reſponder: *Motus ergo ille auerſionis, quod fatemur eſſe peccatum, quoniam defectiuus motus eſt, omnis autem defectus ex nihilo eſt, vide quò pertineat, & ad Deum non pertinere ne dubites.* (ſic enim legi debet ille locus cum duplici negatione, non autem vt aliqui corruptè legunt, & ad Deum pertinere ne dubites, vt quilibet ex ſerie verborum facilè poteſt intelligere. & lib. 3. cap. 1. propoſita eadem difficultate, poſt multa ſic tandé concludit: *Propterea quid opus eſt inquirere, vnde iſte motus exiſtat, quo voluntas auertitur ab incommutabili bono ad commutabile bonum, cùm eum non niſi animi & voluntarium, & ob hoc culpabilem eſſe fateamur: omniſque de hac re diſciplina vtilis ad id valeat, vt eo motu improbato, atque cohibito voluntatem noſtram ad fruẽdum ſempiterno bono a lapſu temporalium conuertamus.* quæ verba repetit lib. 1. Retractationum capite 9.

Auguſt.

Et quanuis in dictis locis dicat, omne bonum eſſe à Deo, & omnem naturam, quia bona eſt, eſſe à Deo, ipſe tamen ſeipſum declarat, quòd nomine boni, & naturæ non intelligit actus, & operationes, & motus, ſed naturam, ſiue ſubſtantiam, & potentias, à quibus ipſæ operationes proficiſcuntur, ſic enim ait lib. 1. Retract. cap. 9. *Diximus quippe in ſecundo libro non ſolum magna ſed etiam minima bona non eſſe poſſe, niſi ab illo, à quo ſunt omnia bona, hoc eſt, a Deo.* & paulo pòſt: *Virtutes, in quam, quibus rectè viuitur, magna bona ſunt, ſpecies autem quorumlibet corporum ſine quibus rectè viui poteſt, minima bona ſunt: potentia verò anima, ſine quibus rectè viui non poteſt, media bona ſunt.* & clariùs in lib. de perfect. iuſtit. ferè in principio proponit hanc quæſtionem, An peccatum ſit actus, an res. nam ſi eſt res, neceſſe eſt, vt autorem habeat: & ſi autorem habere dicitur, iam alter præter Deum rei alicuius autor induci videbitur. At ſi hoc dici impium eſt, & confiteri, neceſſe eſt, peccatum omne actum eſſe, & non rem. Si igitur actus eſt, immo quia actus eſt, vitari poteſt. cui quæſtioni reſpondens ait: *Reſpondemus, peccatum actum quidem dici, & eſſe, non rem: ſed etiam in corpore claudicatio eadem ratione actus eſt, non res, quoniam res pes ipſe, vel homo eſt,* &c. & lib. 12. Confeſſ. cap. 11. *Dixiſti mihi Domine voce forti in aurem interiorem, quod omnes naturas, & ſubſtantias, quæ non ſunt, quod tu es, & tamen ſunt, tu feciſti: & hoc ſolum à te non eſt, quod non eſt, motuſque voluntatis à te, qui es, ad id, quod minus eſt, quia talis motus delictum, atque peccatum eſt.* Docet igitur, motum voluntatis, qui eſt peccatum, non poſſe eſſe à Deo, quia non poteſt illam ſic mouere motu, quo voluntas recedens ab ipſo Deo tendat in creaturam.

IV. Quintò refutari poteſt eadem reſponſio argumento, quo vtitur D. Fulgentius loco ſuprà citato. nam omnis diuina prædeſtinatio vel eſt iuſtitiæ, vel miſericordiæ, iuxta doctrinam ſanctorum Patrum: ſed iſta prædeſtinatio neque eſt opus iuſtitiæ, neque miſericordiæ, vt ex ſe ſatis conſtat. Ergo talium actuum prædeſtinatio nulla eſt.

D. Thom. Et quanuis D. Thom. 1. part. quæſt. 22. art. 4. oſtendat, in omni opere diuino eſſe tum miſericordiam, tum iuſtitiam, accepto opere miſericordiæ, pro remotione cuiuſcunque defectus, & opere iuſtitiæ pro opere facto ſecundùm modum conuenientem diuinæ ſapientiæ, & modo agendi voluntatis creatæ: tamen illa doctrina non poteſt applicari huic argumento, vt nonnulli putant, quia aliud eſt, doctrinam D. Thom. deſeruire ad explicandas autoritates diuinæ Scripturæ, in quibus dicitur, vniuerſas vias Domini eſſe miſericordiam, & veritatem. Aliud eſt, eandem doctrinam poſſe deſeruire ad explicandam doctrinam illam D. Fulgentij, quæ eſt etiam doctrina Auguſtini, & aliorum Patrum. Nam ipſi per opus miſericordiæ non intelligunt quodcunque opus, per quod creatura liberatur à quocunque defectu, ſed à defectu peccati, & perditionis, & per opus iuſtitiæ intelligũt illud, quo vel peccata puniũtur, vel bona opera præmiantur: vnde illud gloſſema non poteſt illorum dictis adaptari. Eſt autem illa doctrina, vt dixi, non ſolùm Fulgentij, ſed etiam Auguſtini ad Articulos ſibi falsò impoſitos ad 4.

Sextò

Sextò contra eandem reſponſionem alij argumentantur, quoniam nullus ſanctorum Patrum adhuc excogitauit medium inter eſſe prædeſtinatum, & eſſe præſcitum, quod eſt eſſe reprobatum. Nullus etiam dixit, vnum, & idem opus eſſe ſimul prædeſtinatum, & reprobatum, quod tamen dicere debent illi, qui dicunt, actus malos fuiſſe à Deo prædeſtinatos: nam certum eſt, eos actus, quatenus mali ſunt, eſſe præſcitos, ſeu reprobatos, vt Patres ſæpiſſimè dicunt. Certum etiam eſt eoſdem actus ſecundùm ſic reſpondentes eſſe prædeſtinatos. Erunt igitur iidem actus prædeſtinati ſimul, & reprobati.

Septimò, præcipua ratio, ob quam Patres negant, actus malos fuiſſe prædeſtinatos eſt, quia tales actus iuſtè exerceri non poſſunt, vt planè indicant verba illa D. Fulgentij, *Poſſet peccatum ex prædeſtinatione Dei eſſe, ſi poſſet aliquis hominum iuſtè peccare*: at quidam ſunt actus mali, qui neque per diuinam potentiam poſſunt iuſtè exerceri ab homine, qui ſit rationis compos, vt actus blaſphemiæ, & peccati contra naturam. Ergo illi nullo modo potuerunt à Deo prædefiniri.

V. Conc. Trid. Octauò Concilium Tridentinum ſeſſ. 6. de iuſtificatione can. 6. damnat hæreticos, maximè recentiores, eo quòd dixerint, Deum mala opera, ita vt bona, operari. & infrà can. 17. illos damnat, quia dixerunt, aliquos diuina poteſtate eſſe ad malum prædeſtinatos: & tamen neque Caluinus, neque Zuinglius, neque fortaſſe aliquis alius ex recentioribus ſaltem hæreticis dicit, Deum prædefiniuiſſe, aut voluiſſe malitiam ipſam peccati, neque dixit, Deum in tempore operari malitiam peccati. Immò nonnulli eorum, vt Caluinus, & Beza, id apertiſſimè, & conſtantiſſimè negant in locis cap. præcedenti allegatis, illi enim dicunt, Deum nolle malitiam, quæ ineſt actui, ſed vellè duntaxat actum ipſum, quatenus bonus eſt, malitiam verò, & defectum contingere ipſi actui, ex cauſa ſecunda inſtrumentali. Videtur ergo S. Concilium apertè ſentire, quòd idem ſit prædefinire, & operari actus, quibus intrinſecè, & inſeparabiliter adiuncta eſt malitia, & prædefinire, & operari ipſos actus malos, vt mali ſunt, non permiſſiuè tantùm, ſed verè, & propriè.

Nonò diuina Scriptura non ſolùm prohibet malitiam peccati, ſed etiam, & multo magis actum ipſum, cui annexa eſt malitia. cùm enim dicit, non furtum facies, non mœchaberis, non periurabis, ſenſus non eſt, caue, ne in furando, adulterando, & periurando adiicias iſtis actibus malitiam, aut circunſtantiam malitiæ, quis leges diuinas, aut humanas ſic interpretaretur? Sed ſenſus planus, & peruius eſt, caue, ne hos actus, quibus non poteſt non adiungi circunſtantia malitiæ, omnino admittas.

Sed reſpondent Petrus Martyr in primum caput epiſtolæ ad Romanos, Caluinus in opuſc. de æterna Dei prædeſt. & Beza in reſponſione ad Caſtellionem de æterna Dei prædeſtinatione, actus malos prohiberi à Deo voluntate ſigni, quia diuina præcepta ad voluntatem ſigni ſpectant, & nihilominus eſſe volitos voluntate beneplaciti: neque eſſe inconueniens, vt id, quod non vult voluntate ſigni, Deus voluntate velit beneplaciti.

Hæc reſponſio facilè refutari poteſt ex eo, quoniam quòd prohiberur voluntate ſigni, nunquam poteſt eſſe volitum voluntate beneplaciti effectiua, & ante inſpectam determinationem voluntatis creaturæ. alioquin idem ſub ea ratione eſſet volitum, & nolitum à Deo, quod implicat. Declaratur hæc ratio, nam quando voluntas ſigni, & beneplaciti verſantur circa idem obiectum, ſemper voluntas beneplaciti recipit conditionem creaturæ, vt patet diſcurrenti per omnia ſigna diuinæ voluntatis. Declaratur & probatur hoc idem ratione demonſtratiua, ſi quod Deus prohibet voluntate ſigni, eſt volitum ab illo voluntate beneplaciti ante inſpectam determinationem liberam humanæ voluntatis ad illud, iam nulla relinquitur via ad oſtendendum, quòd adulterium, periurium, furtum, & ſimilia ſint peccata. Probo ſequelam. nam ille, qui facit, quod Deo beneplacitum eſt, non peccat, & qui oppoſitum dicit, neſcit quid dicat, neque de quibus loquatur: nam peccatum eo eſt peccatum, quia eſt contra Dei voluntatem.

Dicetur, quòd eſt contra voluntatem, quia prohibetur. Sed dico, iſta eſt voluntas ſigni, non autem beneplaciti quæ opponitur peccato.

Confirmatur ratio. Si voluntate beneplaciti actus mali ſunt poſitiuè à Deo voliti, etiam ante inſpectionem determinationis humanæ voluntatis ad illos, ſequitur vanas, illuſorias, & fictas eſſe omnes prohibitiones, comminationes, exaggerationes, quibus Deus in Scripturis prohibet peccata, & exaggerat, & peccatoribus comminatur. quid enim magis vanum, & fictum, quàm prohibere, quod vult fieri, & maximè appetit vt fiat, & facit efficaciter, vt fiat? quis credat Deo ſic prohibenti?

VI. Decimò ſunt quidam actus, à quibus per nullam potentiam eſt inſeparabilis ipſa malitia moralis. Ergo impoſſibile eſt, illos prædefiniri, niſi prædefiniendo eandem malitiam. Declaratur, & probatur ſequela. Si quæratur, quid ſit actus blaſphemiæ. reſpondendum erit, illum eſſe actum prolationis talium verborum, tali modo, ſub talibus circunſtantiis, ab eo, qui habet vſum rationis. Ergo impoſſibile eſt Deum prædefiniuiſſe iſtũ actum ſub talibus circunſtantiis, non prædefiniendo ſimul malitiam peccati.

Vndecimò, ad hoc, vt quis dicatur velle actum malum, neceſſe non eſt, vt velit malitiam ipſius actus, ſed ſufficit, vt velit actum ipſum cum talibus circunſtantiis, etiamſi malitiam nolit. Experimento ferè id conſtat in omnibus, pauciſſimi enim ſunt, qui in peccando malitiam peccati intendunt, & plures ſunt, qui nollent omnino ipſis actibus peccatorum adiunctam eſſe malitiam: & nihilominus quia volunt actus, quibus malitia eſt inſeparabiliter adiuncta, dicuntur verè, & propriè velle ipſam malitiam peccati.

Vndecimò, actus intrinſecè malus non poteſt eſſe volitus à Deo. Ergo neque prædefinitus. Probatur antecedens, quia Deus non poteſt velle, quod eſt contra gloriam ſuam, & contra rationem: ſed actus intrinſecè mali, vt actus blaſphemiæ, & odij Dei, ſunt contra gloriam Dei, & contra rationem.

Nec valet refugium de actibus malis, quoad formale peccati, non quoad materiale; quia quæro, quid ſit illud materiale, in hoc peccato. v.g. blaſphemiæ, quòd ſit aliquid bonum, & poſſit eſſe volitum à Deo. doceant, monſtrent illud. eſtne actus proferendi verbum iniurioſum contra Deũ, an non? Si non. Ego de hoc non diſputo. Si ſic. quomodo poteſt Deus diligere verbum iniurioſum contra ſe prolatum? Ego hoc nullo modo poſſum intelligere. Dicetur, iſte actus entitas quædam eſt, entitas autem bona eſt, quia ens & bonum

num conuertuntur. At hoc eſt, in quo nonnulli decipiuntur.nam bonum, quod eſt obiectum voluntatis,non eſt bonum tranſcendens, ſed bonum vel honeſtum,vel vtile,vel delectabile:nullum autem iſtorum bonorum poteſt eſſe in actu blaſphemiæ relato ad diuinam voluntatem,neque in aliis actibus intrinſecè malis. Ex his videtur ſufficienter reiecta prima reſponſio.

VII. Eſt ſecundus modus reſpondendi ad prædictas autoritates diuinæ Scripturæ,& Patrum cap.præcedenti allegatas, qui videtur colligi ex quibuſdam Doctoribus Catholicis, dicunt enim, diuinam Scripturam, & Patres, & Concilia allegata maximè Concilium Tridentinum non reiicere quamcunque prædefinitionem actuum malorum, ſed eam duntaxat, quæ voluntati infert neceſſitatem ad peccandum repugnantem libertati eiuſdem voluntatis.

Sed iſta reſponſio ſtatim conuincitur falſa eſſe ex eo, quoniam Patres expreſsè dicunt, Deum prædefiniuiſſe ſolùm bona opera, non autem mala.Ergo eadem eſt prædefinitio, quam admittunt in operibus bonis, & quam negant in operibus malis:ſed prædefinitio, quam admittunt in operibus bonis, non eſt prædefinitio inferens neceſſitatem, & tollens libertatem. Ergo cùm negant prædefinitionem operum malorum, non negant ſolam prædefinitionem inferentem neceſſitatem, & auferentem voluntatis libertatem, ſed omnem prædefinitionem.

Secundò contra eandem reſponſionem facit, quia Patres, & Concilia non ſolùm ex eo capite reiiciunt ſententiam eorum,qui dicunt,actus malos fuiſſe à Deo prædefinitos,quia illa inferat voluntati humanæ neceſſitatem in peccando, ſed ex alio etiam capite, quia ad illam ſequitur, Deum eſſe autorem ipſorum malorum operum, vt colligitur ex Concil.Trident.locis citatis.

Tertiò contra eandem reſpõſionem facit,quòd iſta prædefinitio,ſecundùm quod ab illis ponitur, nimirum antecedens, omnem præſcientiam determinationis voluntatis creatæ, videtur tollere omnem libertatem voluntatis in peccando, quia infert voluntati neceſſitatem antecedentem,quæ, vt dictum eſt lib. 1. cap. 19. cum arbitrij libertate ſatis cohærere non poteſt. Neque ſufficit dicere, quòd iſta prædefinitio non infert neceſſitatem ipſi voluntati,quia Deus prædefiniuit, vt volũtas faceret hos actus, ſed tamen liberè operaretur: nam hæc reſpõſio debebat declarare,quomodo id fieri poſſit, quòd prædefinitio ſit antecedens, & efficaciter faciens exire voluntatem in actum, & tamen voluntas liberè exeat in actum, quod minimè præſtat: dicere enim, quod liberè exit in actum,quia Deus efficaciter prædefiniuit,vt liberè exeat in actum,eſt dicere idem per idem,& verbis iocari,& tempus redimere. Quod magis declaratur ex eo, quoniam etiam Beza preſſus hac difficultate,ad idem refugium efficacitatis diuinæ voluntatis ſe recipit in reſponſione ad Caſtellionem in refutatione ſecundæ calumniæ, ſic enim ait: *Quærenda eſt vitij origo in inſtrumentorum ſpontaneo motu,quo fit,vt ille iuſtè decreuerit, quod illis iniuſtè fecerunt. At enim dices, non potuerunt reſiſtere Dei voluntati,id eſt,decreto.fateor ſed ſicut non potuerunt, ita etiam noluerunt. Verùm non poterant aliter velle.fateor quoad euentum, & energiam,id eſt,efficaciam: ſed voluntas tamen Adami coacta non fuit.* dicit itaque Beza,diuinam prædefinitionem ob ſuam efficaciam inferre infallibilem euentum, non tamen cogere voluntatem.Dicetur, Bezam affirmare voluntatẽ, vt ſubſtat diuinæ prædefinitioni, neceſſitari ad ponendum actum prædefinitum, & ideo libertatem adimere.At ego quæro,quoquo modo ponatur iſta prædefinitio,vel voluntas, vt actu illi ſubſtat, & cum illa componit, poteſt non ponere actum prædefinitum, vel non poteſt non ponere. Si dicatur primum, iam illa prædefinitio non eſt talis,& tam efficax, vt inferat infallibiliter actum prædefinitum.& loquor de voluntatè conſiderata non ſecundùm ſe,ſed prout ſubſtat ipſi prædefinitioni,& componit cum illa. Si autem dicatur ſecundum, quòd voluntas vt ſubſtans huiuſmodi prædefinitioni, non poteſt non exire in actum prædefinitum,neſcio quid plus dicat Beza, immo & Caluinus: neque enim fuit vnquam lis inter Catholicos,& hæreticos,an voluntas ſubſtans diuinæ prædefinitioni ſecundùm ſe conſiderata poſſit diſſentire, ſicut nunquam fuit quæſtio apud Philoſophos,& Logicos, an paries ſubſtãs albedini,ſecũdùm ſe conſideratus, poſſit eſſe niger:quia parieti ſecundùm ſe neque albedo,neque nigredo conuenit,ſicut etiam voluntati ſecundùm ſe conſideratæ neque conuenit conſentire, nec diſſentire. Sed tota lis, & controuerſia eſt de voluntate conſiderata,vt actu ſubſtante ipſi diuinæ prædefinitioni,& cum illa componente.

CAPVT XVIII.

Aliis rationibus probatur veritas eiuſdem ſecundæ propoſitionis.

PRæter allegata diuinæ Scripturæ, Conciliorum,& Patrum teſtimonia, quæ duobus capitibus præcedentibus expendimus, probari ſolet veritas eiuſdem ſecundæ propoſitionis rationibus Theologicis, quarum præcipua eſſe ſolet, quia Deus non prædefiniuit efficaciter illud,cuius ipſe in tempore autor non eſt: ſed Deus in tempore peccati autor non eſt. Ergo neque ab æternò actum peccati efficaciter prædefiniuit. Minor propoſitio probari poteſt teſtimoniis Patrum, quæ copioſiſſimè refert Cardinal. Bellarmin. lib. 2. de amiſſione gratiæ cap.9. ad quem remitto, cùm ſit res certa, & de fide, non egens apud Catholicos prolixiori comprobatione. I. Bellarmin.

Neque eſt ſufficiens reſponſio, quòd Deus non ſit autor peccati quoad malitiam moralem, ſed ſolùm quoad actum naturalem. nam qui cauſat eſſentiam,eſt cauſa naturalis proprietatis,quæ intrinſecè conſequitur ad ipſam eſſentiam, ſed ſunt quidam actus mali, ad quos moralis malitia conſequitur intrinſecè,& naturaliter,ſicut proprietas intrinſeca,& inſeparabilis, vt ſunt blaſphemia, & odium Dei. Deinde qui eſt autor rei eo modo, quo res cauſam habere poteſt, dicitur reuera illius autor, & cauſa: ſed priuationes,& relationes non alio modo cauſantur, niſi cauſando illud poſitiuum, ad quod illæ ſequuntur, & cui illæ innituntur. Ergo qui eſt cauſa illius entitatis poſitiuæ, eſt etiam illarum vera, & propria cauſa: ſed moralis malitia peccati aut eſt priuatio, aut relatio diſconuenientiæ talis actus ad rectam rationis regulam. Ergo qui eſt cauſa illius entitatis poſitiuæ, ad quam iſta priuatio, vel relatio conſequitur, eſt etiam cauſa eiuſdem priuationis, & relationis. & ſic de primo ad vltimum, ſi Deus eſt cauſa entitatis naturalis peccati, eſt etiam cauſa malitiæ, quæ ad illam conſequitur.

Sed

II. Sed dicitur huic argumento, illud esse idem
D. August. aut perſimile argumento, quod contra Auguſtinum obiiciebat Iulianus Pelagianus apud eundem Auguſtinum libro tertio contra Iulianum capite 9. Arguebat Iulianus in hunc modum. Deus eſt inſtitutor nuptiarum, & autor generationis humanæ, & creator animarum. Ergo per humanam generationem peccatum originale non contrahitur. Sequela probatur, quia ſi peccatum contraheretur, Deus eſſet illius cauſa.

Reſpondet Auguſtinus, & peccatum originale verè contrahi per generationem humanam, & tamen Deum non eſſe peccati autorem, quia peccatum non conſequitur ad humanam generationem ſecundùm ſuam naturam, & vt humana generatio eſt, quo ſolummodo Deus illius autor eſt, ſed vt dicit ordinem ad voluntatem creatam deficientem, & ad primum parentem: & ſic licèt Deus ſit autor generationis humanæ, non eſt tamen autor peccati originalis. Eodem igitur modo reſponderi poteſt ad dictum argumentum, quòd Deus eſt autor naturalis entitatis peccati, quæ bona eſt, non autem malitiæ moralis, quæ dicit ordinem ad ſolam voluntatem creatam & deficientem, quæ videtur eſſe doctrina non ſolùm Auguſtini, ſed etiam D.
D. Thom. Thom. in 2. diſ. 37. quæſtione 2. artic. 2. ad 2. & de malo quæſtione 2. art. 3. & quæſt. 3. art. 2. ad ſecundum.

Verùm hæc doctrina, & reſponſio Auguſtini dicto argumento minimè poteſt adaptari. primò, quia humana generatio non eſt actus de ſe intrinſecè malus, & ideo poteſt Deus illius eſſe autor, abſque eo quòd in illum refundatur malitia peccati: nos autem loquimur de actu intrinſecè malo, à quo etiam malitia per diuinam potentiam eſt inſeparabilis. vnde à diſparatis illatio fieri non poteſt, neque inferri, quòd Deus ſit autor talis actus quoad naturalem eius entitatem, & non quoad illius malitiam.

Deinde cùm Deus per ſic reſpondentes prædefinierit efficaciter humanam voluntatem ad naturalem entitatem actus peccati, quærendum eſt ab illis, an ſit in libera facultate voluntatis creatæ, quæ ad huiuſmodi actum ſic prædefinita eſt, apponere illi moralem malitiam, vel non apponere. Si enim poteſt non apponere huiuſmodi malitiam, ille non erit actus intrinſecè malus, de quo modò loquimur. Si autem non poteſt malitiam ipſi actui non apponere. Ergo inintelligibile videtur, quòd Deus prædefiniens voluntatem ad actum, cui ipſa voluntas non poteſt moralem malitiam non apponere, non ſimul prædefiniat voluntatem ad ipſam malitiam. quod ſi hoc poſſibile eſſet, deberent ſaltem huiuſcemodi poſſibilitatem nobis, qui ingenio tardiores ſumus, declarare.

Accedit quòd etiam Caluinus in opuſculo de æterna Dei prædeſtinatione pag. 946. & Beza Aphoriſ. 21. expreſsè dicunt, moralem peccati malitiam in ſolam creatam voluntatem, vti cauſam ſecundam inſtrumentalem, & deficientem referendam eſſe. & verba ipſius Bezæ ſunt: *„Mala autem inſtrumenta, mala, inquam, non ex creatione, ſed ex corruptione, quatenus quidem agunt, male ſemper agunt: ideoque iuſtè incurrunt in iram Dei. Quatenus autem Deus per illa agit, bono Dei operi vel inuita, vel per ignorantiam ſeruiunt: nam Deus per quacunque agat inſtrumenta, ſemper bene agit.* hæc ille. & tamen propter hunc modum dicendi non excuſantur, quin faciant Deum autorem peccati, quia dicunt, Deum prædefiniuiſſe ab æterno voluntatem ad actus malos quoad illorum naturalem entitatem.

Gabr. Pennot. de libert. hum.

III. Propter hæc fortaſſe aliter reſponderetur ad dictum argumentum, Deum dici non poſſe autorem peccati, quia non eſt cauſa actus peccati moralis, ſed cauſa naturalis tantùm. Verùm quærendum eſt, quid intelligatur nomine cauſæ moralis. nam duobus modis aliqua cauſa poteſt dici moralis, vno modo, quia licèt reuera producat actum, phyſicè in illum influendo, eſt tamen cauſa agens cum pleno iudicio, & deliberatione, & agens conformiter, vel difformiter ad regulam rectæ rationis. Alio modo, quia reuera ipſam productionem effectus talis cauſa phyſicè non attingit, ſed ſolùm ſuadendo, hortando, & conſulendo alium inducit ad aliquid faciendum. & licèt hoc ſecundo modo aliquis verè, & propriè dici poſſit cauſa moralis alicuius actionis, tamen multo magis dici poteſt ac debet cauſa moralis primo modo, maximè ſi efficienter præmoueat, & prædeterminet voluntatem alterius ad talem actum. Quare cùm Deus quidquid operatur, agat ex pleniſſimo & perfectiſſimo iudicio, & deliberatione, & electione, & prædefiniat voluntatem ad talem actum, & illam in tempore moueat ad eundem actum, & ſic moueat, vt infallibiliter illa in actum exeat, nullo modo videtur dici poſſe, eſſe cauſa talis actus naturalis tantùm, non autem moralis.

Deinde actus moraliter boni Deus dicitur cauſa non tantùm naturalis, ſed etiam moralis. cur ergo ſi eſt cauſa naturalis actus moraliter mali, non poteſt etiam dici cauſa illius moralis? Dicetur, quia ad bonum hortari poteſt, & ſuadere, non ad malum. At iſta reſponſio nulla eſt, quia eſt cauſa moralis non ſolùm illa, quæ altetam hortatur, & ſuadet, ſed etiam illa quæ phyſicè effectum operatur. Deinde, quia ad hoc, vt aliquis ſit cauſa moralis alicuius actus mali, neceſſe non eſt, vt ſuadeat ipſam malitiam actus, ſed ſufficit vt ſuadeat ipſum actum, ad quem ſequitur malitia. v.g. vt quis dicatur moralis cauſa homicidij, aut adulterij, neceſſe non eſt, vt ſuadeat ad volendam malitiam, quæ ineſt homicidio, & adulterio, ſed ſufficit, vt ſuadeat ad volendum actum homicidij, & adulterij, etiamſi de morali malitia nihil omnino cogitet. Cùm igitur Deus per reſpondentem voluntatem humanam ad actum ipſum peccati non ſolùm ſuadeat, ſed moueat, & ab æterno prædefinierit, nulla videtur eſſe ratio, ob quam ex illius ſententia non ſit cauſa eiuſdem actus etiam moralis. Deinde probatur veritas huius propoſitionis teſtimonio omnium ferè Scolaſticorum, qui, pauciſſimis exceptis, docent, actus liberos non eſſe prædefinitos ſaltem ante liberam determinationem voluntatis creatæ, vt ſuperiùs diximus, quæ doctrina ſi vera eſt de actibus moraliter bonis, & indifferentibus, multò magis vera eſſe debet de actibus moraliter malis ab intrinſeco. Teſtimonia verò Scholaſticorum non opus eſt hîc allegare, tum quòd hæretici illorum autoritatem non magnificiant: tum quòd Catholici ea videre poſſunt allegata à Franciſco Suarez libro ſecundo de Auxiliis ca- Suarez.

pite 3. §. *quid ſcholaſtici ſenſerint de concurſu Dei ad actum malum*, &c. quibus nouiſſimè addi poteſt
Nazarius. Nazarius Doctor ſincerus in prima part. quæſt. 22. art. 4. controuerſ. 3. §. *quinto explicandum*. concluſ. 6.

VI. Quibus omnibus adiicitur tertia & poſtrema propoſitio : Actus moraliter mali ab intrinſeco nullo modo neque ante, neque poſt præuiſam determinationem voluntatis fuerunt à Deo prædefiniti. Hæc propoſitio ponitur ad ea explicanda, quæ ſuprà capite 8. dicta ſunt. Duo enim ibi docuimus, primum actus ſaltem moraliter bonos, aut indifferentes, licèt non ſint prædefiniti ab æterno, vt particula, *præ*, dicit anteceſſionem ad ſcientiam futuræ determinationis voluntatis creatæ, fuiſſe tamen prædefinitos, vt eadem particula dicit anteceſſionem æternitatis ad tempus. Secundum, actus moraliter malos quoad moralem malitiam non fuiſſe prædefinitos decreto effectiuo, & poſitiuo, ſed permiſſiuo tantùm, & ordinatiuo. Dubium autem eſſe poterat de eiſdem actibus malis, an ſaltem quoad naturalem actus entitatem illi fuerint prædefiniti decreto aliquo poſitiuo, volitiuo, & effectiuo, & non ſolùm permiſſiuo. Et ratio dubitandi eſt euidens, quoniam ad illa omnia videtur extendi diuina prædefinitio, ad quæ ſe extendit diuina cauſalitas : diuina verò cauſalitas ſe extendit ad naturalem entitatem actuum malorum etiam ex noſtra ſententia, qui ſuprà capite 16. reiecimus ſecundam opinionem Durandi, Aureoli, & Altiſiodorenſis dicentium, Deum non eſſe cauſam immediatam actuum malorum, quatenus etiam actus naturales ſunt. Nihilominus hanc propoſitionem veriorem eſſe exiſtimo, quàm oppoſitam, quæ dicit, tales actus quoad naturalem entitatem fuiſſe prædefinitos, tum quia multæ ſunt Patrum autoritates ex ſuperiùs
Auguſt. allegatis, maximè ex Auguſtino libro ſecundo de libero arbitrio capite 20. & libro 3. capite primo, & libro primo Retractatio. capite 9. & lib. de perfectione iuſtitiæ, & libro 11. Confeſſ. capite 11. quæ autoritates expreſsè videntur docere, actus malos etiam quoad illorum naturalem entitatem à Deo volitos non eſſe : tum etiam quia ad hoc, vt aliquis actus ſit à Deo poſitiuè prædefinitus, oportet, quòd ſit ex intentione Dei, non quacunque, ſed efficaci : at non intelligo, quomodo actus intrinſecè malus poſſit eſſe à Deo efficaciter volitus, & intentus. Dicetur, poteſt eſſe volitus ſaltem eo modo, quo actus indifferentes ſunt voliti : quia Deus vult humanam voluntatem liberam eſſe, & habere in ſua poteſtate omnem concurſum ad quemcunque actum illa ſeſe voluerit determinare, & quia videt, quòd ſi conſtituatur in tali ordine, illa ſe determinabit ad actum malum, determinat illam in tali ordine conſtituere, & prædefinit illi concurſum ad actum malum. quæ nanque poteſt eſſe maior ratio, quòd concurſus ad actus indifferentes, & moraliter bonos ordinis naturalis ſit ex diuina prædefinitione, non autem concurſus ad actus malos ? cùm iſti concurſus non ſint prædefiniti per ſe, & in ſe immediatè, & in particulari, vt ſuprà dictum eſt, ſed ſecundariò, & mediatè.

Nihilominus dico, actus bonos, vel indifferentes poſſe dici prædefinitos, non autem malos. quia boni, & indifferentes aliquo modo poſſunt eſſe intenti à Deo : mali autem nullo modo. Secundò, quia propter bonos, aut ſaltem indifferentes Deus dedit voluntati vires agendi, & auxilia naturalia, multo magis ſupernaturalia, & propter illos Deus offert voluntati ſuum concurſum, non autem propter malos dedit Deus voluntati vires, & auxilia, neque etiam propter illos offert ſuum concurſum. abſit vt hoc dicamus. Dices, quare ergo de facto offert, & præbet concurſum ad actus malos? Reſpondeo, id efficere, quia ſic exigit libertas voluntatis, quam iure creationis tenetur illæſam ſeruare in eſſendo, & operando, quod efficere non poteſt denegando illi ſuum concurſum, etiamſi præuideat eam tali concurſu abuſuram, & quantum eſt ex ſe, nollet eam illo abuti.

Et per hoc patet ſolutio ad rationem dubitandi adductam. non enim verum eſt abſolutè, ad illa omnia ſe extendere diuinam prædefinitionem, ad quæ extenditur diuina cauſalitas : nam prædefinitio infert cauſalitatem, non quamcunque, ſed illam, quæ eſt cum intentione, & volitione efficaci effectus. Cauſalitas autem eſſe poteſt ſine tali intentione, & volitione, quando Deus offert ſuum concurſum voluntati creatæ, quo præuidet voluntatem velle abuti ad malum, & contra gloriam ſuam, ſed tamen iure creationis tenetur eundem concurſum illi præbere, neque poteſt denegare illæſa manente eiuſdem voluntatis libertate : in eo enim caſu voluntas diuina non intendit nec vult effectum, qui inde ſequitur ex tali concurſu, & tamen ad illum cauſandum concurrit. V.

Sed adhuc dicetur. Si illa loca ex Auguſtino citata aliquid faciunt ad hanc propoſitionem probandam, plus probant, quàm opus ſit : probari enim videtur ex illis, Deum nullo modo eſſe cauſam actus mali, etiam quoad naturalem eius entitatem, quod tamen nos fatemur. vnde nobis incumbit ad illa reſpondere.

Reſpondeo, quod ad præſens inſtitutum facit, ſatis eſſe, ex illis haberi, nullo modo actus malos poſſe eſſe à Deo prædefinitos : quomodo verò illa ſint exponenda, non attinet ad hunc locum, ſed ſpectat ad librum octauum.

CAPVT XIX.

Hæreticorum argumenta contra ſecundam propoſitionem afferuntur & ſoluuntur.

COntra ſecundam propoſitionem argumentantur Zuinglius ſermone de Prouidentia capite ſexto, & Caluinus in Antidoto ad ſextum cap. ſeſſionis ſextæ, & libro ſecundo contra Pighium pag. 241. Diuina Scriptura docet, impios eſſe gladios, & ſerras, & virgas in manu Dei, quibus ille vtitur ad ſua iuſtiſſima iudicia perficienda, non ſecus atque artifex, qui vtitur ſuis inſtrumentis ad opus perficiendum. Iſaias capite decimo inquit. *Aſſur virga furoris mei, & infrà : Nunquid gloriabitur ſecuris contra eum, qui ſecat in ea, aut exaltabitur ſerra contra eum à quo trahitur.* I. Zuinglius. Caluinus.

Pro ſolutione huius, & aliorum argumentorum, quæ ab hæreticis afferri ſolent, notandum eſt, duplex eſſe malum, aliud pœnæ, aliud culpæ.

Et

Et quidem mali pœnæ ſicut nihil vetat Deum ipſum eſſe autorem, ita nihil vetat ex hoc capite illud eſſe à Deo prædefinitum, ſi alias ex diuina prædefinitione minimè lædatur arbitrij noſtri libertas. Nihil etiam vetat homines mouere ad hoc malum aliis inferendum, ſalua tamen illorum libertate. De hoc malo pœnæ ſæpe loquitur diuina Scriptura libro primo Regum capite 10. libro tertio capite 9. 14. 21. & 22. Iſaiæ 45. *Ego Dominus faciens pacem, & creans malum.* Amos capite 3. *Si erit malum in ciuitate, quod non fecerit Dominus.* iuxta expoſitiones Auguſtini libro primo contra Admantum capite 27. Irenæi libro quarto contra hæreſes capite 77. Chryſoſtomi homil. 23. in Matth. Baſilij homil. quòd Deus non eſt autor malorum. Quemadmodum igitur non repugnat diuinæ bonitati peccata hominum caſtigare per ſeipſum: ita non repugnat ad diuinam exercendam iuſtitiam vti miniſterio hominum, & Angelorum, maximè qui nequam ſunt, illi enim potiſſimum vti carnifices Deo ſolent deſeruire ad iuſtitiam vindicatiuam exercendam, iuxta illud Pſalmi 77. *Deus miſit in eos iram indignationis ſuæ, & immiſſiones per Angelos malos.* Ob hanc rationem Deus vti dicitur nequam hominibus, vt virgis, ferris, gladiis, roſtris, trituris, & plauſtris: & hoc intelligo eſſe verum, etiamſi id quod Deus iuſtè præcipit, & licitè fieri poteſt, præuideat illos illicitè, & iniuſtè facturos, tunc enim quæ illicitè faciunt, non ſunt Deo imputanda, ſed propriæ illorum malitiæ. v.g. Deus præcepit Chaldæis aſcendere, & percutere terram Iuda. illi aſcendunt, & omnia libidinibus, & ſacrilegiis complent. libidines, & ſacrilegia non ſunt Deo imputanda. Per hæc patet ad argumentum hæreticorum. Sunt nequam homines velut inſtrumenta in manu artificis, non quòd illis Deus vtatur ad malum culpæ, ſed pœnæ ad ſuam iuſtitiam vindicatiuam exercendam: hac differentia intercedente, quòd homines non ſunt inſtrumenta ſolùm acta, ſed liberè etiam agentia.

Auguſtinus. Irenæus. Chryſoſt. Baſilius.

II. Secundò argumentatur Caluinus libro 1. inſtitut. capite 18. §. 2. & libro 2. capite 4. §. 2. 3. & ſequentibus. Deus immittit exercitus impiorum ad vindicandas iniquitates aliorum impiorum. Iſaiæ 13. 14. 45. Ieremiæ 47. & aliis plurib. in locis.

Reſpondetur eodem modo, Deum præcipere, quod nequam homines rectè facere poſſunt, & quod de ſe iuſtum, & licitum eſt, quanuis illi nequam homines, quod rectè fieri poteſt malè faciant.

Caluinus.

Tertiò arguit eodem lib. 1. inſtitut. capite 18. §. 1. & in Antidoto ad ſextum caput 6. ſeſſionis pluribus teſtimoniis diuinæ Scripturæ, quibus docemur, Deum corda hominum indurare, obcæcare, tradere in paſſiones ignominiæ, in reprobũ ſenſum, ſeducere, decipere, præcipere quibuſdã, vt faciant, quæ de ſe mala etiam moraliter ſunt, qualia ſunt, quæ habentur Exodi 8. lib. 2. Regum cap. 16. lib. 3. cap. 22. Iſaiæ 6. Ezechiel. 14. Lucæ 8. Ioan. 12. & ad Roman. 1.

Auguſt.

Reſpondeo peccata hominum aliquando ſolùm eſſe peccata, aliquando verò eſſe etiam pœnas aliorum præcedentium peccatorum: ſic enim ordinantur aliquando à Deo, vt ſint pœnæ aliorum peccatorum, vt non ſemel contra Iulianum probauit Auguſtinus, præcipuè lib. 5. contra eundem Iulianum cap. 3. & lib. de gratia, & libero arbitrio cap. 21. Et ob hanc cauſam dicitur Deus homines indurare, obcæcare, tradere in reprobum ſenſum, quando peccata ſequentia permittit in pœnam præcedentium, & in eundem finem ordinat. Eſt tamen latum diſcrimen inter pœnam, quæ ſimplex pœna eſt, non etiam peccatum, & pœnam, quæ eſt etiam peccatum, quoniam primam Deus cauſat, & operatur etiam per ſe verè, propriè, & poſitiuè: pœnam autem, quæ peccatum eſt, non operatur ipſe poſitiuè, ſed permiſſiuè tantùm, & ordinatiuè: quia cùm ex vna parte poſſet hominem adiuuare fortiſſimis diuinæ gratiæ præſidiis, ne à Dæmone vincatur, & ex altera parte poſſet Dæmonis vires cohibere, ne hominem ſeducat, & in errores, & peccata pertrahat, Dæmonem non cohibet, & homini auxilia non confert. Sícque Dæmon in hominem ſæuit, illum indurat, excæcat, & tradit in paſſiones ignominiæ, & in deſideria cordis, & hoc in pœnam præcedentium delictorum.

III. Scio, Caluinum hanc gloſſam ægrè ferre, ſed ſi promiſſis ſtare velit, vt non diſcedat à doctrina Auguſtini, illam omnino non admittere non poteſt. eſt enim verbalis, & proprialis ipſius Auguſtini doctrina in lib. 2. ad Simplician. quæſtione ſexta, & lib. 5. contra Iulianum cap. 3. & epiſtola 105. ad Sixtum. Nam dicto lib. 5. contra Iulianum declarat, quid ſit hominem tradi à Deo ſuis deſideriis, dicens: *Cùm ergo dicitur homo tradi deſideriis ſuis, inde fit reus, quia deſertus à Deo cedit eis, atque conſentit, vincitur, capitur, trahitur, poſſidetur.* & tract. 53. in Ioan. docens, quid ſit, hominem excæcari à Deo, inquit: *Sic excæcat Deus, ſic obdurat, deſerendo, non adiuuando, quod occulto iudicio facere poteſt, iniquo non poteſt.* & lib. de gratia, & libero arbitrio cap. 20. vbi expendens locum illum ex 2. Regum cap. 16. vbi legitur Dominus præcepiſſe Semei, maledicere Dauidi, ait: *Neque cauſa tacita eſt, cur præceperit Dominus maledicere Dauid, hoc eſt cor eius malum miſerit, vel dimiſerit.* & capite 22. vbi expendens illum locum ex Ezechielis capite 14. *Ego Dominus ſeduxi Prophetam illum*, ait, *quod ergo auditis dicentem Dominum: Ego Dominus ſeduxi Prophetam illum, & quod ait Apoſtolus, cuius vult miſeretur, & quem vult indurat, in eo, quem ſeduci permittit, & indurari, mala eius merita credite.* & dicto lib. 2. ad Simplician. quæſtione ſexta declarans, quomodo intelligendum ſit, quod ait Scriptura tertio Regum capite vltimo: *Egredere, decipies, & prænalebis.* ſic dicit, *De ſpiritu mendacij, per quem deceptus eſt Achab, hoc intelligamus, quod iam ſuperiùs tractatum arbitror, Deum ſcilicet omnipotentem, & iuſtum diſtributorem pœnarum, præmiorúmque pro meritis, non ſolùm bonis, & ſanctis miniſtris vti ad opera congrua, ſed etiam malis ad opera digna, cùm illi pro ſua peruerſitate nocere appetant, ſinantur autem tantùm, quantum ille iudicat, qui omnia in menſura, & pondere, & numero diſponit.*

Auguſtinus.

IV. Et quoniam graue fortaſſe videbitur Caluino, ſtare interpretationi Auguſtini, licèt vltroneus id ſponderit in libris contra Pighium pagina iuxta primam editionem 86. & 95. & non ipſe ſolus, ſed Petrus Martyr, Beza, & alij plures hanc gloſſam reiiciunt, probanda eſt illius veritas ex ipſamet diuina Scriptura. In primis igitur probatur, huiuſmodi Scripturæ locutiones eſſe intelligendas ſecundùm diuinam permiſſionem ex libro Exodi capite octauo, vbi Scriptura ait, Deum cor Pharaonis induraſſe,

vt non dimitteret populum ſuum: & nihilominus illa verba eſſe intelligenda ſecundùm permiſſionem, demonſtrat lectio Septuaginta interpretum, dicens, *& ingrauauit Pharao cor ſuum*, & in iſto tempore, *& noluit dimittere populum*. Et textus Hebraicus, qui ſic legit וַיְכַבֵּד פַּרְעֹה אֶת־לִבּוֹ *& indurauit Pharao cor ſuum*: nam verbum כָּבֵד actiuam, non paſſiuam habet ſignificationem, & ſic ipſe Pharao cor ſuum aggrauauit, non Deus, niſi permittendo. Quod non ſolus Auguſtinus obſeruauit lib. de gratia & libero arbitrio cap. 23. ſed etiam Philippus Melanchthon in locis communibus à ſe correctis, & editis anno 36. 38. & 46. dicens, hanc ſententiam, & alias ſimiles ſecundùm phraſim Hebraicam ſignificare permiſſionem. Secundò probatur ex lib. Iob capite primo, vbi dicitur Dominus bona Iob abſtuliſſe, & illum percuſſiſſe, & afflixiſſe: & nihilominus conſtat ex eodem textu, illa omnia non Deum in Iobum exercuiſſe, ſed Dæmonem Deo permittente, vt manifeſtè indicant illa verba, *Ecce in manu tua eſt.* & illa, *Egreſſus igitur Satan à facie Domini percuſſit Iob vlcere peſſimo à planta pedis vſque ad verticem capitis.* Tertius locus ad id probandum eſt in lib. 2. Regum cap. 24. vbi in initio ſic legitur, *Et addidit furor Domini iraſci contra Iſrael, commouitque Dauid in eis dicentem ad Ioab, Vade, numera Iſrael, & Iuda.* Id verò intelligi debere factum à Deo ſecundùm permiſſionem, habetur ex lib. 1. Paralipomenon cap. 21. vbi ſic dicitur, *Conſurrexit autem Satan contra Iſrael, & incitauit Dauid, vt numeraret Iſrael.* Quartus locus eſt in 3. lib. Regum cap. vltimo, vbi cùm dixiſſet Micheas, ſe audiuiſſe Dominum dicentem Satanæ, *Egredere, decipies, & prænalebis.* ſubiunxit Sedecias Pſeudopropheta, *Ménè ergo dimiſit Spiritus Domini, & locutus eſt tibi?* Ecce hic Pſeudopropheta hæreticorum impietatem redarguit, docens Deum decipere dimittendo, ſeu deſerendo, non errores immittendo. Quintus habetur Ezechielis 14. vbi legitur, *& Propheta ſi errauerit, & locutus fuerit, ego Dominus ſeduxi Prophetam illum*, quem conſtat non poſſe intelligi, niſi ſecundùm permiſſionem. alioqui Deus vere, & propriè ſeductor eſt: quod tamen non niſi cum dira blaſphemia de Deo dici poſſe oſtenditur ex eo, quòd Iudæi per ſummam contumeliam ſaluatorem noſtrum vocauerunt ſeductorem. Sextus locus eſt apud Matth. capite ſexto, vbi Saluator nos docet, Patrem orare, ne nos inducat in tentationem, quod non poſſe intelligi niſi ſecundùm permiſſionem, obſeruat Auguſtinus epiſtola 89. quæſtione ſecunda, vt colligitur ex D. Iacobo epiſtola canon. cap. 3. dicente, Deus autem intentator malorum eſt, ipſe autem neminem tentat. Si malorum tentator non eſt, multo minus in tentationem poteſt per ſeipſum inducere. Auguſtinus.

V. Dicetur. Si hæc omnia ſolùm permiſſiuè, non autem verè, & propriè Deus facit; cur dicit Scriptura, illum verè hæc facere?

Reſpondeo, huius rei duplicem eſſe rationem. altera ſumitur ex communi vſu loquendi apud homines, quo dicere ſolemus, eum, qui aliquod malum imminens futurum præuidet, ſi non impediat, cùm poſſit impedire, eſſe illius mali autorem, maximè ſi ſit princeps, cui incumbit mala imminentia ſubditis impedire, hoc vno excepto, quòd homo potens malum proximè imminens impedire, & non impediens peccat: Deus verò non peccat, quia nulla lege tenetur ad impediendum, & quia ipſe eſt potens, & ſciens ex malis, quæ permittit, maiora bona elicere. Secunda ratio ſumitur ex eis, qui ciuitatem, aut perſonam aliquam præſidiis, & armis expoliatam derelinquunt inimicis deprædandam, aut occidendam, quo pacto Dauid libro ſecundo Regum capite 12. dicitur Vriam occidiſſe gladio filiorum Ammon: ita Deus hominem deſtituens efficacibus auxiliis, & poteſtati Dæmonis, aut nequam hominis derelinquens, dicitur hominem indurare, obcæcare, ſeducere, & ſimilia facere, quæ non propriè, ſed ſolùm deſerendo, & permittendo facit. Hæc ratio aſſignatur ab Auguſtino libro quinto contra Iulianum capite 3. dicente: *Cùm ergo dicitur homo traditus deſideriis ſuis, inde ſit reus, quia deſertus à Deo cedit eis, atque conſentit, vincitur, capitur, trahitur, poſſidetur.* Conſentiunt Chryſoſtom. homil. 3. ad Romanos, Gregorius Romanus lib. 25. moralium capite 12. & 13. Iſidorus libro ſecundo de ſummo bono capite 9. Damaſcenus libro ſecundo de fide capite 20. Hæc autem omnia tam prolixè proſecuti ſumus, vt conuinceretur perfidia hæreticorum deridentium illam gloſſam, quæ à ſanctis Patribus adhibetur ad illa teſtimonia diuinæ Scripturæ. Auguſt. Chryſoſt. Gregorius Rom. Iſidorus. Damaſcen.

VI. Quarto loco pergunt hæretici in dictis locis argumentari ex teſtimoniis diuinæ Scripturæ, quæ expreſsè teſtantur, quoſdam actus intrinſecè malos fuiſſe à Deo prædeſtinatos ab æterno ſuo decreto efficaci, & immutabili, qualis fuit actus venditionis fratrum Ioſephi, quo illum Iſmaëlitis vendiderunt Geneſis capite 50. & actus proditionis Iudæ, & impij ſceleris Iudæorum in Chriſtum admiſſi, quem fuiſſe à Deo prædefinitum apertè teſtatur Scriptura Lucæ 22. in Actis Apoſtolorum capite ſecundo, quarto & 17.

Reſpondeo, nullibi in diuina Scriptura doceri, illos actus malos fuiſſe à Deo prædefinitos, vt fierent. Sed benè prædefinitum eſſe opus humanæ redemptionis, & alia bona opera, ad quæ illi actus, quos Deus præuidit futuros ex malitia hominum ſi permitterentur, fuerunt à Deo ordinati. Aliud autem eſt prædefinire, vt voluntas mala fiat, & illam malam facere: aliud eſt, voluntatem proprio vitio malam factam in bonum ordinare. Deus voluntates ad malum non prædefinit, neque malas facit, ſed ſeipſis malas factas ordinat in bonum, vt non ſemel Auguſtinus ait, præcipuè in illud Pſalm. 117. *Circundederunt me ſicut apes.* & Baſilius in homil. quòd Deus non ſit autor malorum. Signanter ad illum locum Geneſis 50. dictum eſt ſuprà, & nunc iterum dicitur, ex eo non haberi, voluntatem Dei fuiſſe, vt fratres venderent Ioſephum, ſed vt illum actum malum venditionis fratrum ordinaret ad extollendum illum ad proregnum Ægypti, vt verba textus ſatis demonſtrant. Præter quod ſi ſequamur lectionem Septuaginta, & Symmachi, & Aquilæ, & Samaritanam, verba illa, *Num Dei poſſumus reſiſtere voluntati*, aliter ſunt legenda, nimirum hoc pacto, *Num Deus ego. Num pro Deo ego.* quæ tamen verba eundem ſenſum reddunt, quem reddit noſtra vulgata editio, ſcilicet, *Nunquid Deus ego ſum, qui poſſim curſum eius, & ordinem inuertere. Vos cogitaſtis me perdere: ſed Deus aliud diſpoſuit. Non poſſumus ordinem* Auguſt. Baſilius.

dinem à Deo dispositum immutare. Sic enim explicant illa verba peritissimi Hebræorum Magistri, inter quos Rabbi Abraham Asphardi, Rabbi Abraham. quanuis sint, qui putent, illas lectiones alium sensum reddere, quod non credo. Arbitror enim, nostram editionem cum veritate textus Hebraici exactissimè in sensu conuenire. Idem dicendum est ad alia testimonia allegata ex Euangelio Lucæ, & Actis Apostolorum. non enim voluit Deus Iudæ proditionem, & malitiam Iudæorum, sed præuidens futuram, si admitteret, admisit, & in bonum redemptionis generis humani ordinauit, vt suprà dictum est ex D. Augustin. tract. 53. in Ioan. & Leone Primo in serm. 16. de Passione. D. Augustin.

VII. Quintum argumentum sumit Caluinus ex auctoritate D. Augustini, qui dicit, Deum operari intus in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates quocunque voluerit, siue ad bona pro sua misericordia, siue ad mala pro meritis eorum. quod ad longum prosequitur, & probat Augustinus testimoniis diuinæ Scripturæ in lib. de gratia & lib. arbitrio cap. 20. & 21. quòd si quis adhibeat glossam illam de duplici modo operandi in cordibus hominum permissiuè, & positiuè, illam glossam reiiciunt Caluinus, & quidam alij ex eodem Augustino lib. 5. contra Iulianum cap. 3. qui eandem glossam à Iuliano adhibitam quibusdam autoritatibus diuinæ Scripturæ contra ipsum allatis, reiicit, dicens: *Quid est, quod dicis, cùm desideriis suis traditi dicuntur, relicti per diuinam patientiam intelligendi sunt, non per potentiam in peccata compulsi, quasi non simul posuerit hac duo idem Apostolus, & patientiam, & potentiam, vbi ait, si autem Deus volens ostendere iram,* &c. Augustin.

Respondeo, duobus modis intelligi posse, Deum operari in cordibus hominum, ad eorum voluntates inclinandas, vno modo imprimendo voluntatibus pondus aliquod, per quod tendant, & ferantur in obiectum: alio modo aperiendo voluntatibus humanis viam, vt tendant in hoc obiectum, interim alias vias claudendo. Est huiusce rei exemplum appositissimum, quod etiam aduersariis displicere non debet, sumptum ex lib. Prouerbio. cap. 21. vbi ait Sapiens, *sicut diuisiones aquarum, ita cor Regis in manu Domini, quocunque voluerit inclinabit illud.* aqua enim duobus modis potest inclinari, vt fluat ad aliquem locum, vno modo imprimendo illi pondus, quod fit à generante, ob quam causam dixit Philosophus lib. 8. Physic. elementa moueri ad sua loca à generante. alio modo aperiendo illi viam, vt fluat ad certum locum, alias interim claudendo, quemadmodum viridarios facere videmus in hortorum areolis irrigandis. Vtroque istorum modorum Deus voluntatem humanam ad bonum potest inclinare, ad malum verò non nisi secundo modo inclinat, cùm in pœnam alicuius peccati præcedentis voluntati iam suo vitio depranatæ viam aperit, vt fluat ad hoc, vel illud peccatum, quod facillimè intelligemus, si supponamus tria, quæ verissima sunt. Aristot.

VIII. Primò voluntatem hominis ab Adæ peccato sauciatam ad vitium suapte natura inclinatam esse, & ferri, ad bonum verò non nisi cum labore, & ingenti difficultate inclinari; & non nisi cum speciali Dei adiutorio oblatam tentationem superare posse. quod elegantes adnotauit D. Basilius in illa verba Psal. 61. *Interficitis vniuersi vos, tanquam parieti inclinato, & maceriæ depulsæ.* Neque soli Doctores sacri, verùm etiam Ethnici hanc veritatem agnouerunt, id nanque indicare volebant pulcherrimæ illæ Dædali imagines, quibus virtutes denotabant, quæ nisi ligatæ apud homines detineri minimè poterant; sed ex illorum aspectu statim euolabant, vt Plato in Menone, & Hypia maiore autor est, & Arist. lib. 1. de Anima. Addamus voluntatem ipsa peccandi consuetudine semper ad malum magis, ac magis inclinari, & ex consuetudine peccandi fieri catenam, quæ hominem quasi per vim detineat in peccato, vt Augustinus ait Confess. lib. 8. cap. 5. *Velle*, inquit, *meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & constrinxerat me: quippe ex voluntate peruersa facta est libido, & dum seruitur libidini, facta est consuetudo, & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas; quibus quasi anulis quib sidam sibimet innexis, vnde catenam appellauit, tenebat me obstrictum dura seruitus.* Basilius. Plato. Aristot. Augustin.

Secundò supponamus, Dæmonem omnibus, quibus potest, modis, & viis hominum saluti insidiantem, alligatum tamen per diuinam potentiam, vt nemini valeat nocere, nisi quantum, & quando, & quomodo Deus iusto iudicio, licèt occulto, permittit. quod non solùm Augustinus ait serm. 197. de tempore, sed Apostolus Paulus in 1. ad Corinth. cap. 10. dicens, *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione prouentum, vt possitis sustinere.* Augustin.

Tertiò supponamus, Deum in pœnam alicuius peccati præcedentis, ex hac quidem parte priuare hominem efficacibus præsidiis, quibus à Dæmone protegebatur, ex altera verò Dæmonem soluere, & sinere pro libito hominem huius, aut illius peccati tentare. Hinc facillimè intelligemus, Deum in pœnam præcedentium delictorum homines ad malum inclinare, & in peccata compellere, nihil in eorum voluntatibus positiuè operando, sed solùm destituendo auxiliis, & permittendo Dæmonem in illos sæuire, & prævalere. Atque hoc modo intelligendum esse Augustinum, cùm ait, Deum voluntates hominum ad malum inclinare (de malo culpæ loquor) declarat idem Augustinus eodem lib. cap. 21. sic scribens: *Si autem potens est, siue per Angelos bonos, vel malos, siue quocunque alio modo operari etiam in cordibus malorum pro meritis eorum, quorum malitiam non ipse fecit, sed aut originaliter tracta est ab ipso Adam, aut creuit per propriam voluntatem, quid mirum est, si per Spiritum sanctum operatur in cordibus electorum suorum bona, qui operatus est, vt ipsa corda essent ex malis bona.* Quanuis possit & aliter dici cum Hugone nostro Victorino lib. 1. de sacramentis part. 5. cap. 29. Deum operari in cordibus malorum ad inclinandas eorum voluntates; non quidem dando malis voluntatibus malitiam, sed ordinem, vt cùm homines mali parati sint ad mala perpetranda, non tamen possint, quidquid voluerint efficere, sed quod Deus voluerit, & ob finem, ad quem illorum voluntates, & operationes dirigit, vt constat exemplo venditionis fratrum Iosephi, de quo diximus in responsione ad quartum argumentum. Augustin. Hugo Victor.

IX. Dices. Quid ergo innuunt verba illa Augustini lib. 5. contra Iulianum, *per potentiam in peccata compulsi.*

Respondeo, tunc homines per diuinam potentiam compelli in peccata, cùm permittit Dæmonem suæ illos subiicere potestati. Sicut enim opus est diuinæ omnipotentiæ Dæmonis potentiam cohibere: ita ad eandem omnipotentiam spectat, Dæmoni habenas laxare; & hoc est summum illud opus diuinæ omnipotentiæ, quod in cruce exercuit Christus, cùm Principem huius mundi principatu expoliauit, de quo apud Lucam cap. 11. ait Saluator: *Cùm fortis armatus custodit atrium suum in pace*, &c. etsi nanque etiam modò noceat, & aduersùs quamplures hominum prævaleat Dæmonum sæuitia, longè tamen, ac incomparabiliter maior erat ante Christi resurrectionem, quàm nunc sit. Primùm, quia maiores habebat vires ad homines decipiendos, & seducendos per falsa miracula, & per responsa, quæ dabat in idolis, quæ etsi non sufficerent ad hominem cogendum, vt illi crederet, erant tamen sufficientia ad eundé grauissimè tentandum. Secundò, quia maiores adhuc vires habebat ad hominum affectus concitandos ad peccata perpetranda, quos tanquam mancipia iure seruitutis, quod per idololatriam in illos habebat, prout volebat, quodammodo ducebat. At verò Christo à mortuis resurgente idola corruerunt, Dæmones obmutuerunt, iúsque illud seruitutis, quod per idololatriam in homines habebant, ab illis ablatum est. & vt semel dicam cum Augustino serm. 197. de tempore; *Alligatus est Dæmon post Christi resurrectionem, tanquam innexus canis catenæ, & neminem mordere potest, nisi eum, qui se illi mortifera securitate coniunxerit.* Quod vel ipse Porphyrius Christiani nominis acerrimus hostis ab ipsa veritate confiteri est coactus, cùm ait, *Postquam Iesum Mariæ filium colitur, nihil iam vtilitatis à Diis consequi possumus.* Hoc modo intelliges, quomodo Deus nihil ponit in hominum voluntates imprimendo, secundùm vocabulorum proprietatem illos in peccata per potentiam compellere dicatur.

August.

Porphyr.

Sed contra hanc doctrinam instatur adhuc ex verbis Augustini lib. 2 de libero arb. cap. 20. vbi dicit, motum voluntatis, quo illa conuertitur à Deo ad bonum commutabile, qui motus peccatum est, ab ipso Deo causari in hominis voluntate. verba illius sunt. *Omne bonum ex Deo. nulla ergo natura, quæ non sit ex Deo. Motus ergo ille auersionis, quem fatemur esse peccatum, quoniam defectiuus motus est, auersus autem defectus ex nihilo est, vide quo pertineat, & ad Deum pertinere non dubites, qui tamen defectiuus quoniam voluntarius est, in nostra positus est potestate.*

Respondeo, locum illum corruptum esse, & corruptè allegari, vt suprà admonuimus. Neque enim legendum est affirmatiuè, *& ad Deum pertinere non dubites*: sed negatiuè, hoc pacto, *& ad Deum non pertinere non dubites*, quod ex serie verborum quisque facillimè posset videre, nisi corruptionem textuum eos iuuarent, qui conantur malam causam tueri. Quomodo autem sit aliquis motus voluntatis, qui non sit à Deo, alia est quæstio, & alibi tractanda, pro nunc dici potest, duplicem esse motum voluntatis, alterum defectiuum ab eo quod est, ad id quod non est, & hunc Augustinus non habet, pro inconuenienti, non esse à Deo, est autem motus moralis eiusdem voluntatis. Alius est effectiuus ab eo quod est, ad id quod est, & hunc Augustinus non negat esse naturalem, etiam in actu peccati, sed non ob hoc sequitur, illum esse a Deo. prædefinitum propter rationes adductas ad finem capitis præcedentis.

X. Caluinus.

Sextum argumentum sumit Caluinus lib. 3. Instit. cap. 23. §. ad probandum, quòd peccatum Adæ fuerit ab æterno prædefinitum, & ex tali prædefinitione Adam habuerit necessitatem peccandi, ex Augustino lib. 6. de Genes. ad literam cap. 15. vbi dicit, quòd Dei voluntas est rerum necessitas.

August.

Respondeo, nimis frigidum esse argumentum. debebat enim priùs probare, voluntatem Dei fuisse, vt Adam, aut alius quiuis peccaret, quod nec probauit, nec probabitur vnquam. Illa etiam Augustini autoritas non passim de omni necessitate verificatur, vt Caluinus gratis sibi fingit, sed respectu aliquorum diuina voluntas infert necessitatem antecedentem, quæ pugnat cum libertate: respectu verò omnium, & singulorum actuum liberorum humanæ voluntatis infert solùm necessitatem consequentem, vel concomitantem, vt idemmet Augustinus docet lib. 5. de ciuit. cap. 10. & nos abundè ad eius mentem docuimus lib. 1. quæ nullo modo lædit arbitrij libertatem siue in benè, siue in malè agendo.

Septimum argumentum sumunt Caluinus, & Beza ex eodem Augustino in Enchirid. cap. 96. vbi ait, quòd bonum est, vt sint mala, omne autem quod bonum est, potuit velle Deus ab æterno.

Respondeo mirum esse cæcitatem, quæ nunquam in mentem venit Augustino, putare, quòd per malitiam peccati aliquid bonitatis accedat vniuerso, cùm potius per ipsam malitiam peccati corrumpatur bonitas vniuersi. Sensus igitur Augustini non est, quem arguentes fingunt, sed sensus est, bonum esse permittere vt sint mala in mundo, propter rationes lib. sequenti adducendas. & hoc bonum potuit Deus ab æterno velle, & de facto voluit, vt idem Augustinus ibi loci dicit in fine capitis antecedentis.

XI.

Octauum sumunt ex eodem Augustino in eodem lib. cap. 100. vbi ait: *Propterea nanque magna opera Domini exquisita in omnes voluntates eius, vt vtro, & ineffabili modo non fiat præter eius voluntatem, quod etiam contra eius fit voluntatem: quia non fieret, si non sineret, neque vtique nolens sinit, sed volens. Nec sineret bonus fieri male, nisi omnipotens etiam de malo posset facere bene.* Ex hoc loco Augustini inferunt. Si peccata non fiunt præter Dei voluntatem. Ergo Deus vult, vt fiant. Si dicatur, quòd non fiunt peccata contra Dei voluntatem permittentem. Contrà arguunt, vel Deus permittit peccata inuitus, vel otiosus, vel volens. Primum, & secundum dici non possunt. Ergo tertium.

Respondeo, peccata secundùm Augustinum fieri Deo volente, non quidem volente ipsa peccata, si enim vellet peccata, iam non essent peccata, quia non esset contra Dei voluntatem, in quo tota peccati essentia sita est. Et reuera magna est debilitas ingenij hæreticorum dicentium, peccata esse, quæ à Deo volita sunt. sed volente illorum permissionem. Cùm dicunt, vel permittit inuitus, vel otiosus, vel volens.

Respondetur eodem modo, quòd permittit volens, non quidem peccata, sed eorum permissionem. Quod vt faciliùs intelligatur, scire oportet, differentiam esse inter voluntatem Dei positiuam, seu effectiuam, & voluntatem permissiuam.

missiuam. nam prima voluntas habet pro obiecto non solùm potentiam, & virtutem causæ ad producendum, vel non producendum effectum, sed habet pro obiecto esse, vel non esse effectus, quia vult illum, aut esse, aut non esse. At voluntas permissiua non respicit effectum procedentem à causa, sed respicit solùm potentiam causæ, quam vult liberam esse ad producendum, vel non producendum effectum: non autem vult de facto illam talem effectum producere, aut non producere. Et hinc est, quòd Deum velle permittere peccata, non est, Deum velle esse peccata; quod hæretici propter crassitiem ingenij, vel malitiam, vel quia in doctrina sacra minùs sunt exercitati, distinguere non valent. quod euidenter demonstrari potest, quia velle permittere peccata, nihil est aliud, nisi velle voluntatem liberè operari cum solis auxiliis sufficientibus: hoc autem est quid de se bonum, quod potest esse obiectum diuinæ voluntatis: peccatum autem ipsum non potest esse de se bonum, & ideo non potest esse vllo modo obiectum volitum à Deo.

Sed instatur: Si Deus vult peccata permittere, quare prohibet?

Respondeo, instantiam fauere sententiæ Catholicorum, Deum nullo modo velle peccata, quæ absolutè prohibet. Deinde dico, peccata prohiberi voluntate antecedenti, quæ non respicit conditionem creaturæ, quæ tamen non semper efficax est, sed vel conditionalis, vel voluntas simplicis cuiusdam complacentiæ. Eadem verò peccata permitti voluntate consequente, quæ respicit, & recipit conditiones creaturæ, quarum vna est, vt sinat creaturam rationalem circa mandatorum diuinorum obseruantiam liberè operari, vt obseruantia illi cedat ad meritum, de qua re videri potest D. Thom. in primo sentent. dist. 46. quæstione prima art. 4. Ad idem argumentum multa etiam dicit Cardinal. Bellarmin. lib. 2. de Amissione gratiæ cap. 16. ad secundum.

D. Thom.

Bellarmin.

Nonum argumentum sumunt ex eodem Augustino in eod. lib. cap. 101. vbi ait: *Aliquando homo bona voluntate vult, quod Deus vult, & rursus fieri potest, vt hoc velit voluntate mala, quod Deus vult voluntate bona. tantum interest, quid velle homini, quid Deo congruat, & ad quem finem suam quisque referat voluntatem, vt approbetur, aut improbetur.* hîc, ait Caluinus, apertè Augustinus docet, vnum & eundem actum posse esse bonum, vt est à Deo, & malum, vt est ab homine.

Respondeo legenti verba textus Augustini nullum subesse posse vel leuissimum dubium. Docet Augustinus, circa vnum, & idem obiectum posse vnum hominem habere actum moraliter bonum, & alium hominem habere actum moraliter malum, & circa idem obiectum posse habere Deum actum moraliter bonum, & hominem habere actum moraliter malum, ratione diuersitatis finium, & intentionum, & circunstantiarum. At nunquam dixit Augustinus, vnum, & eundem numero actum esse à Deo, & ab homine, à Deo moraliter bonum, ab homine moraliter malum, vt Caluinus prætendit. Alia loca adducunt ex eodem Augustino tum lib. 5. contra Iulianum cap. 3. tum ex lib. de corrept. & gratia cap. 10. quæ partim sunt explicata, partim extra propositum adducta, sine sale, & sine sensu, quibus superfluum est responsionem adhibere.

Decimum argumentum sumunt ex fine prædestinationis, & reprobationis. Nam sicut Deus prædestinauit electos ad gloriam, vt ostenderet in eis gloriam suam per modum misericordiæ, ita prædestinauit reprobos ad pœnam, vt ostenderet in eis gloriam suam per modum iustitiæ vindicatiuæ. Ergo quemadmodum prædestinata sunt bona opera electorum, quæ sunt media necessaria ad gloriam, ita prædestinata sunt mala opera reproborum, quæ sunt media necessaria ad pœnam. Hanc verò argumentationem corroborant ex diuina Scriptura, quæ dicit: *Omnia propter semetipsum operatus est Dominus, impium quoque ad diem malum.* Prouerb. 16. & omnes homines esse in manu Dei, vt lutum in manu figuli, & Deum aliquos ad malum excitasse, vt ostenderet in eis virtutem suam, & alia quæ leguntur ad Roman. cap. 9. XII.

Respondeo turpiter nimis errare Caluinum, & Bezam, & si qui sunt alij, qui sentiant, Deum eadem primaria intentione voluisse ostendere gloriam suam in reprobis per modum iustitiæ, qua intentione voluit gloriam suam ostendere per modum misericordiæ in electis, & Deum hac ratione peccata permisisse, vt sic aperiret sibi viam ad suam iustitiam punitiuam exercendam. Non sic de Deo sentiendum est, qui nos iureiurando obtestatur, non esse suæ voluntatis alicuius mortem, aut ruinam, sed potiùs, vt omnes conuertantur, & viuant. Certè diuina Scriptura testatur, non esse Deo necessarios homines impios, Ecclesiastici cap. 15. quod falsum esset, admissa huius sententiæ absurditate, vt lib. 7. ostendemus.

Ad illud verò quod ex Prouerb. cap. 16. obiicitur, dicendum est, Deum etiam impium operatum esse, non quo impius est, neque vt malus esset, quo posset in die iudicij suam iustitiam in illum exercere, sed quia præuidens illum, si crearetur, propria voluntate futurum malum, voluit nihilominus creare, & permittere peccare, prima quidem intentione, vt liber esset, secundaria verò, vt in die iudicij ostenderet in eo gloriam suam per modum iustitiæ vindicatiuæ.

Ad illud etiam, quod obiiciunt, omnes homines esse velut lutum in manu Dei, ex quo facit vasa in honorem, & in contumeliam, prout vult. Respondeo, ex sententia Augustini illam similitudinem verificandam esse in natura non quidem integra, sed corrupta, ex qua Deus facit vasa gloriæ per misericordiam, & vasa contumeliæ per iustum iudicium. Præter quod illa similitudo aliis quoque modis non incongruè applicatur, de quibus lib. 6. & 7.

Scio, Theodorum Bezam in responsione ad acta colloquij Montis-Belgardensis hanc doctrinam, & applicationem Augustini non recipere. sed non probat, non esse legitimam, & ideo eius dictum magnificiendum non est. De aliis verò obiectionibus iam dictum est, & satisfactum. Beza.

Vndecimum argumentum Caluini tale est. Vel Deus condidit hominem præsciens finem, quem ille habiturus erat, vel ignarus talis exitus. Secundum dici non potest. Si dicatur primum, hoc alio modo esse non potuit, nisi quia suo decreto sic ordinauerat, vt ille labe- XIII.

Caluinus. retur. ita Caluinus lib. 3. Institutio. cap. 23. §. septimo.

Respondeo, Deus condidit hominem, præscius illius casus, & ruinæ: neque tamen id præsciuit, quod vt ita fieret, suo decreto ordinauerit, nisi loquendo de decreto, quo præuidens hominem propria voluntate casurum, si crearetur, & permitteretur, illum decreuit creare, & permittere labi, & eius lapsum in bonum finem ordinare. neque Caluinus oppositum probat.

Duodecimum ibidem. Ruina totius generis humani minimè potest adscribi culpæ vnius parentis, quia naturaliter fieri non poterat, vt culpa vnius parentis tota illius soboles excideret.

Respondetur, si naturaliter fieri non potuit, vt culpa vnius parentis tota eius soboles excideret, cur dixit Apostolus ad Ephes. 2. *Eramus natura filij iræ, sicut & cæteri.* Dicendum itaque, quòd quando voluntas parentis non est aliquo modo voluntas totius sobolis, culpa parentis non potest tota soboles excidere. Voluntas autem Adæ interpretatiuè fuit voluntas totius posteritatis, quia collata est iustitia originalis ea conditione, vt illam pro se, ac tota posteritate, vel seruaret, vel amitteret. Vnde & illius præuaricatio interpretatiuè fuit præuaricatio totius posteritatis.

Alia nonnulla argumenta afferri solent contra eandem propositionem, quæ desumuntur vel ex diuina causalitate, vel ex diuina prouidentia. Verùm illa ex dictis soluta manent. Legatur caput præcedens in fine.

CAPVT XX.

Quarta controuersia proponitur, An omnis Dei voluntas sit efficax.

I. HActenus visum est, quomodo Deus velit alia à se. Nunc videndum est, an omnis Dei voluntas, qua vult alia à se, sit efficax: id verò vt efficiamus, primò assignanda est varia, & multiplex acceptio diuinæ voluntatis. Deinde dicendum, quænam voluntas efficax est, & quæ inefficax.

Etsi autem vnica, eáque simplicissima sit in Deo voluntas, & vnicus, ac simplicissimus illius actus, nihilominus per comparationem ad varia obiecta, quæ illa respicit ad extra, solet etiam multis modis à Theologis distingui.

Prima distinctio diuinæ voluntatis est in voluntatem signi, & in voluntatem beneplaciti. Voluntas signi est illa, secundùm quam Deus denominatur volens, non secundùm rei veritatem, sed per quandam metaphoram, & similitudinem, quia causando aliquos effectus, se gerit per modum volentis, in quantum aliquid, vel
D. Thom. præcipit, vel consulit, vel facit, vt docet D. Thom. in primo dist. 45. quæst. 1. art. 4. & 1. part. quæst. 19. art. 11. & 12. Ob quam causam diuinum consilium, vel præceptum dicuntur etiam voluntas signi per Metonymiam, quia sunt effectus, & signa eiusdem diuinæ voluntatis ad eum modum, quo vltimum testamentum, quod quis moriens condit, appellare solemus vltimam illius voluntatem, quia signum est eiusdem voluntatis, & punitionem seu vindictam appellamus iram, quia est signum iræ. Quæ signa diuinæ voluntatis ad quinque solent à Theologis reduci, nempe ad præceptum, consilium, prohibitionem, permissionem, & operationem, de quibus D. Thom. & Theologi locis citatis. Voluntas beneplaciti est illa, secundùm quam Deus dicitur volens, quia verè, & propriè aliquid vult, ita quòd voluntas verè, & propriè est in Deo, & Deus verè, & propriè complacet sibi in obiecto volito, ob quam causam vocatur voluntas beneplaciti.

Secunda distinctio. Voluntas diuina alia est II.
conditionata, alia absoluta. Voluntas conditionata est illa, secundùm quam dicitur aliquid velle sub aliqua conditione tantùm, & non absolutè. Voluntas absoluta est illa, secundùm quam dicitur aliquid velle absolutè, & non solùm sub conditione. Quid verò sit voluntas conditionata, est sententia quorundam Doctorum, illam esse voluntatem signi, putant enim has voluntates voluntatem signi, antecedentem, conditionatam, & secundùm quid, esse vnam & eandem voluntatem; vnde secundùm istorum sententiam voluntas conditionata nullo modo potest esse voluntas beneplaciti, cùm voluntas signi opponatur voluntati beneplaciti. ita videntur sentire Alexand. Alens. 1. part. quæst. 36. m. 2. Bonauent. dist. 46. art. 1. quæst. 1. Scotus ibid. Marsil. quæst. 45. art. 1. Ex professo autem Aluarez disput. 33. & alibi. Et hinc est, quod Scotus dicit, voluntatem conditionatam appellandam esse velleitatem, quæ exprimitur per verbum modi Optatiui, *vellem*, sicut voluntatem absolutam volunt appellandam esse voluntatem per verbum præsentis temporis modi Indicatiui, quod dictum, nempe voluntatem conditionatam (vniuersaliter loquendo) esse voluntatem signi, & non beneplaciti, non puto verum propter ea, quæ in sequentibus dicam.

Alexander Alensis. Scotus. D. Bonauenturæ. Marsilius. Aluarez.

Circa hanc distinctionem, notandum est, duobus modis voluntatem dici posse conditionatam, vno modo, vt conditio se teneat ex parte actus ipsius voluntatis, suspendens ipsum actum voluntatis vsque ad euentum ipsius conditionis, vel ob impotentiam, & inefficaciam ipsius voluntatis, qualis est eius voluntas, qui existens in mari expositus euidenti periculo vel proiiciendi merces, vel submergendi nauem, vellet quidem merces seruare sub conditione, si eis saluis naufragium posset euadere; vel quia voluntas ipsa non vult obiectum, quod posset velle absolutè, nisi sub certa conditione, quo pacto puella dicitur contrahere matrimonium sub conditione, si pater consenserit, quæ conditio actum contractus suspendit in euentum conditionis, vt dicunt summi Pontifices Alexander III. & Vrbanus III. in cap. de illis, & cap. super eo. & notant Doctores ibidem de Conditionibus appositis, & Didacus Co- Couarr.
uarruuias in Epitome lib. 4. Decretal. part. 2. capite tertio. Alio modo potest voluntas conditionata appellari ob conditionem se tenentem non ex parte actus voluntatis, sed ex parte obiecti voliti, quod licèt sit de se bonum, & appetibile, & voluntas in illud propendeat, vult tamen illud quibusdam conditionibus adhibitis ex parte ipsius obiecti, ita vt si apponantur conditiones ex parte rei volitæ, ipsa voluntas sit efficax & absoluta: si autem illæ non ponantur, non sit voluntas efficax, sed sit solùm voluntas cuiusdam simplicis complacentiæ.

In

In Deo non eſt voluntas conditionata primo modo dicta, quanuis nonnulli tum ex antiquis, tum etiam ex recentioribus Doctoribus inter exponẽdum illum locum D. Pauli, *Deus vult omnes homines ſaluos fieri.* videantur huiuſmodi voluntatem ponere in Deo, dum aiunt, illa verba eſſe intelligenda, Deus vult omnes ſaluos fieri, ſi ipſi velint: quia vt optime argumentatur D. Bonauentura, hoc modo Deus non diceretur velle ſalutem paruulorum, qui damnantur, antequam perueniant ad vſum rationis, nam illi nullum actum propriæ voluntatis circa propriam ſalutem poſſunt habere. præter quòd illa voluntas, cuius actus manet ſuſpenſus vſque in euentum conditionis apponendæ ab alterius voluntate, eſt voluntas imperfecta, & potentialis, tranſiens de potentia ad actum, vt notat D. Bonauentura in 1. d. 46. a. 1. q. 1. & ibid. inſinuat D. Th. ad ſecundum argumentum. idque maximè veritatem habet, quando talis voluntas eſt conditionata ob ſuam impotentiam, talem nanque voluntatem conditionatam à Deo neceſſe omnino eſt amouere.

Bonauent. D. Thom.

Relinquitur ergo, vt voluntas conditionata, quæ ponitur in Deo, dicatur conditionata ob cõditionem ſe tenentem ex parte rei volitæ, & non ex parte actus ipſius voluntatis. vnde Deum velle aliquid ſub conditione, aliud nihil eſt, niſi Deum habere ex ſe actum ſimplicis complacentiæ circa aliquod obiectum, quod eſt de ſe bonum, & appetibile, & velle Deum tale obiectum, quibuſdam tamen adhibitis circunſtantiis ex parte obiecti voliti, quæ ſi adhibeantur, Dei voluntas erit de ſe efficax; ſi autem illæ non adiũgantur, diuina voluntas habebit ſolum effectum ſimplicis complacentiæ circa idem obiectum. Hoc pacto (vt rem exemplo illuſtremus) dicitur Deus velle omnes homines ſaluos fieri voluntate conditionata, non quòd diuinæ voluntatis actus maneat ſuſpenſus vſque in euentum conditionis, talis nanque ſuſpenſio eſſe non poteſt in actibus diuinis immanentibus: ſed quia licèt ex ſe velit, & appetat omnium hominum ſalutem affectu quodam ſimplicis complacentiæ, vult tamen illam cum quibuſdam conditionibus adiungendis ex parte noſtra, quæ ſi apponantur, erit voluntas efficax & abſoluta: ſin autem, illa remanebit voluntas conditionata, & ſimplicis complacentiæ.

III. Hinc rectè deducunt quidam recentiores, hanc voluntatem, etſi ab antiquis Doctoribus ſoleat explicari per nomen velleitatis, deductum à verbo optatiuo, *vellem*, poſſe nihilominus rectè, & propriè explicari per nomen voluntatis deductum à verbo indicatiuo, *volo*: nam actus voluntatis, qui in præſenti fertur in obiectum quod eſt de ſe bonum, præſens eſt, neque enim ſuſpenſus expectat euentum conditionis: modò actus diuinæ voluntatis, quo de ex ſe appetit omnium ſalutem, de ſe bonus eſt, & fertur in obiectum in præſenti, neque erit ſuſpenſus. Nihil ergo prohibet, illum per verbum præſens indicatiuum poſſe explicari. Et quanuis D. Thom. Bonauentura, Scotus, & alij hunc actum explicent nomine velleitatis, non intendunt hoc loquendi modo negare, illum actum præſentaneum eſſe, aut dicere, quòd ſit actus manens ſuſpenſus in euentum conditionis: ſed ſolùm intendunt ponere diſcrimen inter voluntatem beneplaciti antecedentem, & inefficacem, & conſequentem, quæ efficax ſemper eſt, & reddere rationem, cur illa ſit efficax, non verò iſta, quia iſta nimirum eſt aliquo modo conditionata, illa verò abſolutè abſoluta: quia Deus vult quidem ex ſe hominum ſalutem, adiuncta tamen conditione ex parte ſaluandorum, quòd illi quoque circa propriam ſalutem operentur. Et hæc doctrina poteſt colligi ex D. Bonauentura loco cit. §. *ſecundum hanc ergo reſpondendum.*

Deducitur etiam, verum eſſe, quod quidam aiunt, iſtam voluntatem conditionatam non ideo dici conditionatam, quòd nullo modo ſit abſoluta, nam voluntas conditionata eadem eſt cum voluntate antecedente, voluntas autem antecedens neque eſt omnino abſoluta, neque omnino conditionata, ſed quadam ratione vtrunque: nam quatenus fertur in obiectum, quod eſt de ſe bonum actu quodam ſimplicis complacentiæ, voluntas abſoluta eſt. quid enim prohibet, voluntatem abſolutè ferri in huiuſmodi obiectum, & vt ſic abſolutam poſſe appellari? quatenus verò idem obiectum mihi, aut illi non vult niſi adiunctis quibuſdam conditionibus ex parte creaturæ (de voluntate efficaci loquor) voluntas conditionata eſt, non abſoluta, ob quam cauſam nonnulli dicunt, voluntatem antecedentem vocari conditionalem, quia conditionaliter reſpicit actum efficacem voluntatis conſequentis reſpectu eiuſdem obiecti, & eum quaſi radicaliter claudit. Voluntas autem conſequens eſt omnino abſoluta, & nullo modo conditionalis: quia eſt illa, qua Deus omnibus inſpectis abſolutè aliquid vult, quia præuidet appoſitas eſſe, vel infallibiliter apponendas omnes conditiones requiſitas ex parte obiecti voliti. **IV.**

Tertia diſtinctio voluntatis diuinæ eſt in voluntatem ſimpliciter, & in voluntatem ſecundùm quid. Voluntas ſimpliciter eſt voluntas abſoluta, & conſequens. Voluntas ſecundùm quid eſt voluntas conditionata, & antecedens. ita D. Thom. 1. part. quæſt. 19. art. 6. ad primum. Notandum tamen circa iſtam diſtinctionem, iſta duo nomina ſimpliciter, & ſecundùm quid, duobus modis accipi conſueuiſſe in ſcholis Theologorum, & Philoſophorum, vno modo, vt dictio, *ſimpliciter*, ſignificet idem quod verè tale, & dictio *ſecundùm quid*, ſignificet idem, quod non verè tale, ſed ſolùm per ſimilitudinem, quo pacto dicimus, quòd homo eſt ingenioſus, & prudens ſimpliciter, apis verò, & formica eſt prudens, & ingenioſa ſecundùm quid. Alio modo, vt illud dicatur ſimpliciter tale, quod non ſolùm eſt verè tale, ſed eſt ſecundùm omnem rationem tale: illud verò dicatur tale ſecundùm quid, quod licèt ſit verè tale, non eſt tamen perfectè, & ſecundùm omnem rationem tale, quo pacto Deus dicitur ens ſimpliciter, & accidentia dicuntur entia ſecũdùm quid. Cùm D. Thomas vocat voluntatem antecedentem voluntatem ſecundùm quid, eſt intelligẽdus, vt accipiat illud ſecundùm quid ſecundo modo, non autem primo modo: voluntas enim antecedens eſt verè voluntas in Deo, & non ſolùm per ſimilitudinem. **V.** **D. Thom.**

Quarta diſtinctio eiuſdem voluntatis diuinæ eſt in voluntatem antecedentem, & voluntatem conſequentem. huius diuiſionis primi autores videntur fuiſſe D. Ioann. Chryſoſt. in homil. 1. ad Epheſios, & D. Ioan. Damaſc. lib. 2. de fide cap. 29. & lib. contra Manichæos ad finem, quæ poſtea ab omnibus Catholicis libentiſſimè ſuſcepta eſt, eáque omnes Theologi vtuntur ad explicandum illum textum D. Pauli ad Timotheum epiſtola 1. cap. 2. *qui omnes homines vult ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Etſi autem omnes illam excipiant, non tamen omnes eodem modo **VI.** **Chryſoſt. Damaſcen.**

expli

explicant,quid ſit voluntas antecedens,quid conſequens. Videtur autem mihi ad hoc declarandum optima illa regula,quam tradit D.Thom. de veritate q.23. art.2. dicens : *Cuius diſtinctionis intellectus ex verbis Damaſceni eſt aſſumendus,qui hanc diſtinctionem introduxit.* Cùm ergo primi huius diuiſionis autores, vt dixi, extiterint Chryſoſt. & Damaſcenus, illius germanus ſenſus ab illis petendus erit. D. Ioan. Chryſoſtomus homil.1. in epiſtolam ad Epheſios circa illa verba, *ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ*, inquit, *ſecundùm propoſitum voluntatis ſuæ perinde eſt, quia vehementer vellet fieri. hoc ipſius erat deſiderium,quaſi ſi quis dicat, hæc ipſa erat eius voluntas : Eudocia enim vbique eſt præcipua Dei voluntas. eſt enim & alia eius voluntas, vt eſt primaria illa : ſecundùm hanc non vult perire peccatores. eſt & ſecundaria,ſecundùm quam eos, qui in ſceleribus perſiſtunt contaminatos, vult perire : neque enim iſtos neceſſitas plectit ſupplicio, ſed voluntas. Tale aliquid videre liceat apud Paulum,videlicet vt cum dicit, volo omnes homines eſſe ſicut meipſum. rurſus, volo iuniores nubere, filios procreare. Eudocia itaque primariam illam voluntatem indicat,& ingentem ipſius, atque propenſam erga nos cum flagranti deſiderio coniunctam benignitatem.*

D.Thom.

Damaſcenus 2.de fide cap. 29. explicans locum citatum ex 1.ad Timoth. cap.2.ait, *Quin illud quoque nos ne fugiat,Deum vt bonitate præſtantem primariè quidem omnes homines ſaluari, ac regni ſui compotes eſſe velle. (neque enim ſupplicij, ac cruciatus cauſa, verum ad hoc, vt bonitatis ipſius participes ſimus nos effinxit)vt iuſtum autem sis quoque,qui peccant, pœnã inferre nihilominus velle. Ac primùm illud antecedens voluntas ſeu beneplacitum dicitur ex ipſo manans : ſecundum autem inſequens voluntas,ac permiſſio à noſtro vitio ortum ducens. Atque huius permiſſionis duplex eſt genus, alterum diſpenſatorium, & erudiendi vim habens,quod ad noſtram ſalutem ſpectat: alterum à deſperatione proficiſcens,quod ad extremam,certiſſimámque, vti iam diximus, pœnam tendit.* His adiungere poſſumus,quæ ſcribit D.Thom.de veritate quæſt.23. art.2. declarans hanc doctrinam Damaſceni,& 1. part. quæſt.19. art.6.ad primum,& in 1. diſt.46.a. 1. quibus in locis conſtanter, & concorditer docet, eam eſſe voluntatem Dei antecedentem, qua Deus aliquid vult inſpectum ſolum ſecundùm ſe, & non ſecundùm omnes circunſtantias, quas circa illud ponit creatura : eam autem eſſe voluntatem conſequentem,quæ recipit cõditionem creaturæ, qua vult aliquid omnibus circunſtantiis inſpectis,quæ circa illud poni debent,vt eſt aliquid particulare,& particulariter exiſtens in rerum natura.

D.Thom.

CAPVT XXI.

Quid ſit voluntas antecedens, & conſequens, declaratur.

I. IVxta doctrinam horum Patrum facilè declarari poteſt, quid ſit voluntas antecedens, & conſequens.ad cuius rei declarationem ſit

Prima propoſitio: Voluntas antecedens, & cõſequens non eſt in Deo reſpectu omnium volitorum,ſed ſolùm reſpectu eorum,quæ aliquo modo pendent ex libero arbitrio creaturæ.Hanc propoſitionem recipit Nazarius dicta quæſt.19. art.6. controuerſ.1.§. *conſiderandum eſt.* & eſt certiſſima doctrina Damaſceni, & eiuſdem D. Thomæ. dicunt enim,quòd voluntas conſequens eſt illa,qua Deus vult aliquid, vt conſideratum cum aliquo adiuncto: iſta verò adiuncta dicunt eſſe illa, quæ circa obiectum volitum ponuntur per liberum arbitrium creaturæ, quod patere poteſt legenti illorum verba,cùm ait Damaſcenus : *Voluntas antecedens eſt acceptio Dei in ipſo exiſtens: ſed voluntas conſequens eſt conceſſio ex noſtra cauſa.* quæ verba citat D.Thom.de veritate loco cit.& cùm ait D.Thom. quòd voluntas conſequens recipit conditionem creaturæ, quæ verba habet d.46. & cùm ait dicta quæſt.19. loco cit. *Sicut hominem viuere eſt bonum, & occidi eſt malum ſecundum abſolutam conſiderationem : ſed ſi addatur, circa aliquem hominem, quòd ſit homicida, vel viuens in periculum multitudinis, ſic bonum eſt eum occidi, & malum eſt eum viuere.*

Nazar.

Deinde voluntas antecedens ſecundùm omnes Doctores conditionalis eſt : ſed illa quæ nullo modo pendent ex libero arbitrio creaturæ, Deus non dicitur priùs velle actu aliquo voluntatis conditionalis,deinde omnibus inſpectis velle eadem actu voluntatis abſoluto, & efficaci, nullus enim Doctorum,quos hactenus legere potui, vnquam docuit, Deum priùs voluntate conditionali, & ſecundùm quid voluiſſe cœlum, & terram condere, poſtea verò actu voluntatis abſoluto, & efficaci iterum cœli, & terræ creationem decreuiſſe:ſed potiùs omnes fatentur, vnico, ac ſimpliciſſimo actu etiam ſecundùm conſiderationem, cóque efficaciſſimo ſemel decreuiſſe iſtorum omnium creationem.

Accedit,quòd ſi verba Chryſoſtomi,& Damaſceni attendamus, quod eſt voluntate antecedenti volitum, non eſt volitum voluntate conſequẽti. quod licèt non ſit vniuerſaliter verum, vt dicemus inferiùs, ſufficere tamen videtur ad oſtendendum, quòd reſpectu eorum, quæ ſe ſolo tantùm vult, & nullo modo pendent ex libero arbitrio creaturæ, non habet locum iſta diſtinctio voluntatis in antecedentem, & conſequentem.

II. Secunda propoſitio: Voluntas Dei antecedens eſt illa, qua Deus vult hominis ſalutem, quantum in ipſo eſt,& qua illum ad ſalutem ordinat,& media ad ſalutem neceſſaria præparat,quibus,niſi per ipſum hominem ſteterit, ſalutem aſſequatur. Voluntas conſequens eſt illa, qua Deus vult hominis ſalutem,aut damnationem, inſpectis omnibus circunſtantiis, & adiunctis, quæ circa propriam ſalutem quælibet rationalis creatura eſt de facto appoſitura. Hæc propoſitio habetur ex præfatis Doctoribus, vt patet legenti eorum verba.

Dicetur. Si voluntas antecedens eſt illa, qua Deus vult aliquid ſecundùm ſe inſpectum, & non ſecundùm conditiones,& circunſtantias, quæ illi adiunguntur à creatura, falſum eſt id, quod diximus ſuperiùs,voluntatem antecedentem eſſe voluntatem conditionatam, qua Deus vult aliquid cum conditione adiuncta ex parte creaturæ.

Reſpondeo, voluntatem antecedentem eſſe illam,qua aliquid eſt volitum conſideratum ſecundùm ſe,ſine conditionibus adiunctis, non tamen ſine conditionibus adiungendis.At voluntas conſequens eſt illa, qua aliquid eſt volitum conſideratis conditionibus adiungendis, vt iam de facto adiunctis:& ideo prima eſt voluntas conditionalis,ſecunda verò omnino abſoluta.

III. Tertia propoſitio: Non ſemper voluntas antecedens, & conſequens circa obiecta contraria verſantur, ſed poteſt idem obiectum eſſe volitum

à Deo

à Deo voluntate tum antecedenti, tum etiam conſequenti. Probatur, quia hominum ſalus eſt à Deo volita ſecundùm ſe ante inſpectam noſtram voluntatem affectu ſimplicis ſaltem complacentiæ, & eadem ſalus reſpectu prædeſtinatorum eſt à Deo volita inſpectis circunſtantiis omnibus adiungendis ex parte ipſorum prædeſtinatorum. Ergo eſt volita voluntate antecedenti, & conſequenti.

Confirmatur eadem propoſitio autoritate D. Damaſcen. Ioan. Damaſceni ſuprà citata, qui dicit quòd *voluntas antecedens eſt acceptio Dei ex ſeipſo exiſtens: ſed voluntas conſequens eſt conceſſio ex noſtra cauſa. & in lib. contra Manicheos ad finem, vbi dicit, quòd primaria voluntas eſt id, quod quiſpiam ex ſeipſo vult, ſecundaria autem eſt id, quod earum rerum, quæ contingunt, cauſa vult.* & autoritate D. Thom. dicta quæſt. 19. D. Thom. art. 6. ad primum, ait enim, illud eſſe volitum voluntate antecedenti, quod eſt volitum ſecundùm ſe abſolutè inſpectum: & illud eſt volitum voluntate conſequente, quod eſt volitum conſideratis omnibus circunſtantiis particularibus. quid autem prohibet, id, quod Deus vult ſecundùm ſe conſideratum, quia eſt de ſe bonum, & appetibile, velle etiam inſpectis omnibus circunſtantiis, & quod Deus vult ex ſeipſo, velle etiam earum rerum, quæ contingunt, cauſa: cùm voluntas humana circa obiectum volitum à Deo voluntate antecedenti ponit circunſtantias bonas, & honeſtas, quæ ipſi Deo placent, quemadmodum contingit, quando homo videns, Deum illius ſalutem deſiderare, apponit circa idem obiectũ ſuæ ſalutis debitas circunſtantias actuum virtutum, & bonorum operum: tunc enim fit, vt quod ſolum erat volitum antecedente voluntate ſimplicis cuiuſdam complacentiæ, ſit volitum voluntate conſequente, inſpectis circunſtantiis bonorum operum, quas apponit creatura.

Dicetur, quòd Chryſoſtomus, & Damaſcenus, & D. Thom. cùm loquuntur de voluntate conſequente, ponunt exempla ſolùm in iis, quæ mala ſunt, vel pœnæ, vel culpæ. Ergo ex illorum ſententia quod eſt volitum voluntate conſequente, opponitur ei, quod eſt volitum voluntate antecedente, ſecundùm quam nullum malum omnino velle poteſt.

Reſpondeo, licèt iſti Doctores ad explicandum, quid ſit voluntas conſequens, exemplificent de malo pœnæ, tamen loquuntur vniuerſaliter, & docent, illud omne, quod eſt volitum à Deo inſpectis circunſtantiis apponendis ex parte creaturæ, eſſe volitum voluntate conſequente, ſiue illud ſit malum pœnæ, ſiue etiam illud ſit bonum gloriæ. ſed exemplificarunt ſolùm de malo pœnæ, quia loquendo de huiuſmodi malo, euidenter conſtat, illud non poſſe eſſe volitum à Deo voluntate antecedente, ſed ſolùm voluntate conſequente: exempla nanque in ſcientiis debent eſſe notiſſima, quæ nulla poſſint tergiuerſatione negari. Hinc videri poteſt, quam veritatem contineat doctrina Molinæ dicta q. 19. a. 6. d. Molina. 1. § *ex his patet*, &c.

IV. Quarta propoſitio: Voluntas antecedens in Deo eſt voluntas beneplaciti, & non ſolùm voluntas ſigni. Hæc propoſitio eſt doctrina D. Tho. D. Thom. in 1. diſt. 47. art. 1. vbi diſtinguit diuinam voluntatem in voluntatem ſigni, & voluntatem beneplaciti, & voluntatem beneplaciti diuidit in voluntatem antecedentem, & voluntatem conſequentem. & de veritate quæſt. 23. art. 3. *Inuenitur enim*, inquit, *in Deo proprie ratio voluntatis, vt ſuprà dictum eſt, & ſic voluntas de Deo propriè dicitur, & hæc eſt voluntas beneplaciti, quæ per antecedentem, & conſequentem diſtinguitur, vt dictum eſt.* Eandem ſententiam tenuit expreſsè D. Bonauent. d. 46. art. D. Bonau. 1. quæſt. 1. dicens: *Reſpondeo dicendum: quòd cùm Apoſtolus dicat, quod Deus hoc vult, ſcilicet omnes homines ſaluos fieri, neceſſe habemus concedere, quod Deus velit. Et cùm non poſſit exponi de voluntate ſigni, neceſſe habemus exponere de voluntate beneplaciti.* & infrà: *Secundùm hanc ergo reſpondendum, quòd Deus vult omnes homines ſaluos fieri, quantum in ſe eſt, voluntate antecedente, non autem voluntate abſoluta, ſiue conſequente.* Eidem ſubſcribit Alex. Alenſ. 1. p. q. 36. Alex. Alenſ. m. 2.

Et probatur primò autoritate præcipua D. Chryſoſtomi homil. cit. 1. ad Epheſ. vbi voluntatem antecedentem vocat voluntatem Dei præcipuam, & primariam, & flagrans quoddam, & ardens Dei deſiderium. quibus verbis ſi non exprimitur voluntas beneplaciti, neſcio, quibus aliis id poſſit explicari. Idem apertè docet, & ſub terminis formalibus Damaſcenus in verbis ſuprà citatis, dicens: *Prius illud antecedens voluntas, ſeu beneplacitum dicitur ex ipſo manans: ſecundum verò conſequens voluntas.* Probatur quoque eadem veritas euidenti ratione. Nam voluntas, qua Deus ſecundùm ſe, & ex ſe vult hominis ſalutẽ, eſt volũtas antecedens: ſed illam eſſe voluntatem beneplaciti, inferiùs monſtrabimus.

Præterea quod eſt de ſe bonum, & appetibile, & nullo modo ſecundùm ſe poteſt Deo diſplicere, eſt volitum voluntate beneplaciti, nam quod non diſplicet, & eſt volitum, placet: ſed quod eſt volitum voluntate antecedente, eſt quid de ſe bonum, quod Deo diſplicere non poteſt. Ergo quod eſt volitum voluntate antecedente, eſt volitum voluntate beneplaciti. Hinc etiam intelliges, quam veritatem contineat doctrina illa, quam tradit Al- Aluarez. uarez diſp. 30. n. 6. & diſp. 31. n. 3. & diſp. 33. docens conſtanter, voluntatem antecedentem eam præcipuè, qua Deus vult omnes homines ſaluos fieri, eſſe voluntatem ſigni, & non beneplaciti: licèt d. 34. concluſione quarta dicat oppoſitam opinionem probabiliter defendi poſſe.

Quinta propoſitio: Voluntas antecedens eſt **V.** formaliter, & propriè exiſtens in Deo, & non ſolùm ſecundùm Metaphoram ad eum modum, quo exiſtit in Deo voluntas ſigni. Hæc propoſitio ſtatuitur contra eos, qui cùm velint, voluntatem antecedentem eſſe voluntatem ſigni, & non beneplaciti, vt conſequenter loquantur, fatentur, voluntatem antecedentem verè, & propriè non eſſe in Deo, ſed ſolùm per quandam Metaphoram, ſicut etiam voluntas ſigni non verè, & propriè, ſed Metaphoricè tantùm eſt in Deo: ob quam cauſam dictum illud Apoſtoli, *Deus vult omnes homines ſaluos fieri.* quod ab omnibus exponitur de voluntate antecedente, illi exponunt de voluntate Scotus. ſigni. & ita dicunt Scotus d. 46. ad primum argu- Oxam. mentum. Gulielm. Okam ibid. q. vnica. Marſilius Marſilius. in 1. q. 45. art. 1. ſequuntur Caiet. in illum locum Caietan. D. Pauli, Bañes 1. part. q. 19. art. 6. Aluarez locis Bañes. proximè cit. Trigoſius quæſt. 14. art. 1. dub. 2. No- Aluarez. ſtram autem ſententiam recipiunt Ludouicus Trigoſius. Molina, Gregor. Valentinus, & Vaſquez ad eun- Molina. dem a. 6. q. 19. & Suarez lib. 4. de Prædeſt. cap. 2. & Gregor. Nazarius eadem q. 19. a. 6. controu. 1. §. *quæro ob-* Valentin. *ſeruandum.* Suarez. Nazar.

Probatur primò autoritate D. Ambroſij, Chryſoſtomi, Hieronymi, OEcumenij, & Theophylacti in illa verba Pauli, *qui omnes homines vult*

ſaluos

ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. nam hi Patres verba Apoſtoli exponunt de voluntate, quæ reuera eſt in Deo.

Secundò probatur ſpecialiter ex D. Chryſoſt. & Damaſceno in locis cit. vbi vocant voluntatem antecedentem diuinum beneplacitum, & præcipuam voluntatem Dei, & vehemens, & flagrans Dei deſiderium.

Tertiò probatur expreſſa autoritate D. Thom. locis ſuprà cit. qui dicit, voluntatem beneplaciti eſſe verè, & propriè in Deo, & ſub voluntate beneplaciti ponit voluntatem antecedentem: vt mirum ſit, diſcipulos D. Thomæ contra Magiſtrum ſentire, vt aliis contradicant.

VI. Vnicum occurrit dubium. Nam D. Thom. exponens illum locum Apoſtoli in 1. ad Timoth. cap. 2. ſoluens quoddam dubium ait: *Reſpondeo, velle ponitur quandoque pro voluntate beneplaciti, quandoque pro voluntate ſigni. Pro voluntate ſigni vult ſaluare omnes, quia omnibus propoſuit ſalutis præcepta, conſilia, & remedia,* &c.

Reſpondeo D. Thom. ibi loci Commentatorem egiſſe, qui non ſolùm propriam, ſed alienam ſententiam debet in medium afferre, & hoc patet eſſe verum, quia ibi non ſolùm illam reſponſionem adhibet, ſed aliam exceptam ex Damaſc. per diſtinctionem de voluntate antecedente, & conſequente, in qua vbique videtur conquieſcere. Et mens D. Thomæ non ex eo loco ſolùm, ſed ex aliis petenda eſt, maximè ex ſumma, quam veluti vltimum ſuæ voluntatis teſtamentum nobis reliquit.

CAPVT XXII.

Quæ voluntas ſit efficax, vel inefficax in Deo declaratur.

I. FAcilè ex iam dictis ſciri poteſt quæ voluntas in Deo ſit efficax, & quæ non. Triplex nanque eſt Dei voluntas, nimirum voluntas ſigni, beneplaciti antecedens, & beneplaciti conſequens. Et quidem ſi de voluntate ſigni loquamur, ſicut illa formaliter non eſt in Deo, ſed ſolùm Metaphoricè: ita non eſt voluntas de ſe efficax, neque ſemper illa impletur, plura enim ſunt, quæ Deus præcipit, conſulit, hortatur, vt fiant, & comminatur, ſe facturum, quæ tamen non fiunt. Si autem loquamur de voluntate beneplaciti antecedente, certum etiam videtur, illam non ſemper impleri: nam hac voluntate ait Apoſtolus, Deum velle omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, & tamen non omnes ſaluantur, neque omnes veritatem agnoſcunt.

Magiſter. Sed contra hanc doctrinam eſt dubium. nam Magiſter in 1. d. 47. quem Theologi communiter ſequuntur, docet, omnem voluntatem beneplaciti ſemper impleri. Reſpondetur, omnem voluntatem beneplaciti, etiam antecedentem impleri quoad aliquem effectum, non quoad omnes effectus. Pro cuius reſponſionis intelligentia, notandum eſt, duplicem eſſe effectum diuinæ voluntatis antecedentis, alterum proprium, & intrinſecum, vt ſic dicam, & iſte effectus eſt ordo rationalis creaturæ in finem æternæ ſalutis, & præparatio, & exhibitio mediorum conuenientium ad perducendum ipſum hominem in eundem finem. Alterum minus proprium, & quaſi extraneum, qui eſt ipſa finis aſſecutio. reſpectu primi effectus voluntas Dei antecedens ſemper impletur, reſpectu verò ſecundi non ſemper adimpletur, aliquando tamen etiam reſpectu illius ſecundi effectus adimpletur, vt contingit in prædeſtinato. Doctrina eſt D. Bonau. in 1. d. 47. art. 1. quæſt. 1. & Alexand. Alenſ. 1. part. quæſt. 36. m. 2. quam explicat Trigoſius quæſt. 14. art. 1. notabili 2. & in declaranda ſolutione ad ſextum, & ex hoc apparet, omnem voluntatem beneplaciti adimpleri licèt non reſpectu omnis effectus. Bonauen. Alex. Trigoſ.

II. Demum ſi loquamur de voluntate beneplaciti conſequente, certiſſimum eſt dogma fidei Catholicæ, illam ſemper efficaciſſimam eſſe, & quidquid Deus vult voluntate conſequente, infallibiliter ſemper euenire, vt latè probant Theologi poſt Magiſtrum in 1. d. 47. & poſt D. Thom. 1. part. q. 19. art. 6. voluntas enim conſequens eſt illa, qua Deus vult aliquem finem inſpectis omnibus de facto adiungendis circa ipſum finem, & illius aſſecutionem. vnde quemadmodum per diuinam prouidentiam omnes res ſic ſunt in ſuos fines ordinatæ, vt ſi quidem ab vno fine defecerint, in alium recurrant, vt exempli gratia, in naturalibus ſi virtus generatiua defecerit in generando animal perfectum, qui eſt primarius illius finis, generet monſtrum, qui eſt ſecundarius finis, & in ſupernaturalibus, ſi homo defecerit ab aſſecutione gloriæ, qui eſt finis primarius, ad quem eſt per diuinam prouidentiam ordinatus, vt Chryſoſtomus, & Damaſcenus in præfatis locis dixerunt, recurrat in alium finem, qui eſt oſtenſio diuinæ iuſtitiæ in illo: ita diuina voluntas conſequens ita ſe habet circa omne volitum, vt ſi homo non faciat, quod Deus vult voluntate antecedente, Deus faciat in homine & de homine, quod vult voluntate conſequente: & ſic voluntas conſequens ſemper adimpletur. De hac voluntate dicit Auguſtinus in Enchirid. cap. 100. Auguſt.

Hæc ſunt magna opera Domini, exquiſita in omnes voluntates eius, & tam ſapienter exquiſita, vt cùm Angelica, & humana creatura peccaſſet, id eſt, non quod ille, ſed quod voluit ipſa, feciſſet, etiam per eandem creaturæ voluntatem, qua factum eſt, quod creator noluit, impleret ipſe, quod voluit, bene vtens, & malis, tanquam ſummè bonus, ad eorum damnationem, quos iuſtè prædeſtinauit ad pœnam, & ad eorum ſalutem, quos benignè prædeſtinauit ad gratiam. Quantum enim ad ipſos pertinet, quod Deus noluit fecerunt: quantum verò ad omnipotentiam Dei, nullo modo id efficere valuerunt. hoc quippe ipſo, quod contra voluntatem Dei fecerunt, de ipſis facta eſt voluntas eius. Propterea nanque magna opera Domini, exquiſita in omnes voluntates eius, vt miro, & ineffabili modo non fiat præter eius voluntatem, quod etiam contra eius fit voluntatem: quia non fieret, ſi non ſineret, nec vtique nolens ſinit, ſed volens: nec ſineret bonus fieri malè, niſi omnipotens etiam de malo facere poſſet bene. & in lib. de Corrept. & Gratia. cap. 14. *Non eſt itaque dubitandum, voluntati Dei, qui in cœlo, & terra omnia quæcunque voluit, fecit, & qui etiam illa, quæ futura ſunt, fecit, humanas voluntates non poſſe reſiſtere, quo minus faciat ipſe, quod vult: quandoquidem etiam de ipſis hominum voluntatibus, quod vult, cùm vult facit.* & in lib. de ſpiritu & litera cap. 33. exponens illa verba Apoſtoli, ait, *Vult autẽ Deus omnes homines ſaluos fieri, & in agnitionem veritatis venire; nõ ſic autem, vt eis adimat liberum arbitrium, quo vel benè, vel male vtentes iuſtiſſimè iudicentur. Quod cùm ſit, infideles quidem contra voluntatem Dei faciunt, cùm eius Euangelio non credunt; nec ideo tamen eam vincunt, verùm ſeipſos fraudant magno, & ſummo bono, maliſque pœnalibus implicant, experturi in ſuppliciis poteſtatem eius, cuius in donis miſericordiam contempſerunt. Ita voluntas Dei*

ſemper

ſemper inuicta eſt. Vinceretur autem, ſi non inueniret, quid de contemptoribus faceret, aut vllo modo poſſent euadere, quod de talibus ille conſtituit. De hac voluntate Dei loquitur diuina Scriptura, cùm ait, Deum omnia quæcunque vult, facere, & non eſſe, qui diuinæ voluntati poſſit reſiſtere.

III. Iuxta hanc doctrinam conciliari facilè poteſt apparens contradictio, quæ videtur eſſe non ſolùm in quibuſdam dictis ſanctorum Patrum, & Conciliorum, ſed etiam in ipſa diuina Scriptura, cùm ex vna parte dicunt, hominem diuinæ voluntati reſiſtere poſſe, & de facto aliquando reſtitiſſe, quo dicendi tropo vſus eſt Dauid Pſal. 16. dicens, *A reſiſtentibus dextera tua cuſtodi me, vt pupillã oculi.* & Saluator ipſe apud Mat. c. 22. *Quoties volui congregare filios tuos, ſicut gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti.* & Stephanus in Actis Apoſtolorum 7. *Dura ceruice, & incircumciſis cordibus, & auribus, vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis.* & Concil. Senonenſe contra Lutherum c. 15. *Nec tale eſt Dei trahentis auxilium, cui reſiſti non poſſit.* & Concil. Tridentinum ſeſſ. 6. de Iuſtificatione c. 5. *Neque homo ipſe nihilominus inſpirationem illam recipiens, nihil omnino agat, quippe qui illam & abiicere poteſt.* & can. 4. *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum, non poſſe diſſentire, ſi velit, anathema ſit.* Ex altera verò parte dicunt, nullum poſſe reſiſtere diuinæ voluntati, quod expreſsè teſtatur diuina Scriptura Gen. c. 50. *Num Dei poſſumus reſiſtere voluntati?* Iob c. 9. *Deus, cuius iræ nemo reſiſtere poteſt.* & c. 41. *Quis enim reſiſtere poteſt vultui meo.* Eſther c. 13. *Non eſt; qui poſſit tuæ reſiſtere voluntati.* & Sapient. 11. *Virtuti brachij tui quis reſiſtit.* Iſaiæ 47. *Non reſiſtet mihi homo.* Ad Roman. c. 9. *Voluntati eius quis reſiſtet.* & D. Hier. in primum cap. ad Epheſ. circa illa verba. Prædeſtinari ſecundùm propoſitum, &c. *illis autem, ſcilicet Deo, nullus reſiſtere poteſt, quin omnia, quæ voluerit, faciat.* & Auguſtin. de Corrept. & Gratia cap. 14. *Deus, cui volenti ſaluum facere nullum hominum reſiſtit arbitrium. Sic enim velle, & nolle in volentis, aut nolentis eſt poteſtate, vt diuinam voluntatem non impediat, nec ſuperet poteſtatem.*

Concil. Senonen. Con. Trid. Auguſt.

Hæc apparens contradictio tribus modis tolli poteſt. Primus modus eſt, vt dicamus, aliud eſſe liberum arbitrium poſſe reſiſtere diuinæ voluntati: aliud eſſe liberum arbitrium poſſe diſſentire diuinæ vocationi, & voluntati. Secundum admitti poteſt, non autem primum. Ratio eſt, quia reſiſtentia eſt motus contrarius motui violento, qui cauſatur ab agente extrinſeco contra naturam mobilis: voluntas verò licèt à Deo poſſit moueri neceſſariò in aliquod obiectum, non tamen poteſt moueri contra propriam naturam, & inclinationem, neque à ſecundis cauſis, neque à Deo, vt probat D. Thom. communiter receptus à Theologis in 1. 2. q. 6. Teſtimonia itaque negantia, voluntatem creatam poſſe reſiſtere diuinæ voluntati, debent intelligi de reſiſtentia propriè dicta. Alia verò teſtimonia, quæ docent, hominem reſiſtere poſſe diuinæ voluntati, accipiunt reſiſtere impropriè pro eo, quod eſt diſſentire. Iuxta hunc modum tota contradictio eſſet ſolùm de modo dicèdi proprio & improprio, & ſecundùm hunc modum conciliandi oporteret dicere, locutiones illas diuinæ Scripturæ, Conciliorum, & Patrũ, quibus dicitur, hominem poſſe reſiſtere diuinæ voluntati, eſſe improprias, & abuſiuas, & in rigore ſermonis, & proprietate locutionis eſſe falſas, quod non puto admittendum eſſe.

D. Thom.

Gabr. Pennot. de libert. hum.

Secundus igitur modus conciliandi huiuſmodi contradictionem eſt, vt autoritates Scripturæ quæ docent hominem poſſe reſiſtere voluntati Dei, intelligendæ ſint de voluntate antecedenti: illæ verò, quæ docent, hominem non poſſe reſiſtere voluntati Dei, intelligendæ ſint de voluntate conſequenti, per quam etiam de his, qui non faciunt, quod vult volũtate antecedenti, facit ipſe quod vult voluntate conſequenti, nõ quidẽ quòd per voluntatem conſequentem inferat aliquam vim humanæ voluntati, & cogat illam ad volendum, quod illa non vult, hoc enim neque per antecedentem, neque per conſequentem vllo modo facit, neque facere poteſt ſalua manente arbitrij libertate: ſed quia ipſam tranſgreſſionem volũtatis antecedentis ordinat per voluntatem conſequentem tali ordine, & ad talem finem, à quo ordine, & fine creatura nullo modo poteſt declinare. Et hoc eſt, quod ait Auguſtinus, quòd de his, qui faciunt, quod Deus non vult, facit ipſe, quod vult. IV.

Sed hîc opportunè aliquis dubitabit, vtrùm ſit in Deo aliqua voluntas antecedens ita efficax, cui voluntas humana reſiſtere non poſſit. hæc autem quæſtio eadem omnino eſt cũ illa, qua quæritur, vtrùm ſit aliqua gratia præueniens ita efficax, vt humana voluntas illi reſiſtere non poſſit, neque diſſentire, & eadem ſolutione eſt diſſoluenda. Sed hæc quæſtio non attinet ad hunc locum, ſed ad librum nonum. Videatur doctrina D. Thom. de veritate q. 6. art. 3. vbi declarat, quomodo Prædeſtinatio ſit certa. D. Thom.

Tertius modus eandem contradictionem conciliandi eſt talis, Deus duobus modis circa hominem operatur, vno modo agendo circa corpus, & ea, quæ accedunt corpori, vt ſunt vita, mors, diuitiæ, ſanitas, honores, calamitates, ægritudines, ſeruitutes: alio modo agendo circa liberum hominis arbitrium, vocando, illuminando, hortando, ſuadendo, terrendo. cùm Deus primo modo operatur circa hominem, nullum humanum ei reſiſtit arbitrium. adde etiam, cùm operatur eodem modo circa animam, deputando ad pœnam, aut alio modo circa illam agendo, præterquam circa liberum arbitrium. Sic ſunt intelligenda omnia loca diuinæ Scripturæ, & Patrum, cùm aiunt voluntati Dei nullum poſſe reſiſtere. atque ille eſt germanus ſenſus Metaphoræ luti, & figuli, qua D. Paulus vtitur ad Roman. c. 9. qua nonnulli mille modis abutuntur, ita de homine philoſophantes, tanquam ſi eſſet animal brutum, aut inanime quoddam, quod à Deo ita ageretur, vt nihil omnino ageret. Non ſic intelligenda eſt illa Metaphora, cuius legitimus intellectus haberi poteſt ex Ieremiæ c. 18. ex quo loco illa eſt accepta. Cùm autem Deus operatur circa liberum arbitrium, non ſic loquitur Scriptura, ſed ait, hominem poſſe reſiſtere diuinæ voluntati, & aliquando de facto reſiſtere. Et vtinam non ei reſiſteret, hinc nanque eſt omnis diuinus labor in homine iuſtificando, de quo Saluator per Iſaiam c. 43. *Seruire me feciſti in peccatis tuis, prabuiſti mihi laborem in operibus tuis.* & propter quem ait Auguſtinus tract. 72. in Ioan. quòd *eſt maius opus iuſtificatio impij, quam creatio totius mundi.* quippe quia in creatione nihil Deo reſiſtit: at in iuſtificatione maximam experitur reſiſtentiam. De hac reſiſtẽtia ait Apoſtolus ad Hebr. 12. *Videte, ne quis deſit gratia Dei, ne qua radix amaritudinis ſurſum germinans impediat, & per illam,* &c. Auguſt.

V Sed

Sed contra hunc modum dicendi facit manifestè autoritas D. Augustini dicentis, *Deo volenti saluum facere nullum humanum resistit arbitrium.*

Respondeo, respectu omnium auxiliorum præuenientium simul verum est, non autem respectu huius, aut illius particularis auxilij. quæ est doctrina D. Thom. dicta q. 6. de veritate a. 3. vbi dicit, quòd quodlibet medium ordinatum ad hominis salutem est quidem de se defectibile: sed tamen in eo, quem Deus vult saluari, tot adhibet media, quòd de facto non deficiet: videt enim, quòd si hoc deficit, illud non deficiet, & ei quem vult saluari, adhibet media, per quæ scit, quòd de facto minimè deficiet, licèt deficere posset.

Vtrùm autem possit aliquid in mundo præter Dei voluntatem euenire, iam dictum est, præter Dei voluntatem, aut effectiuam, aut saltem permissiuam, nihil omnino in mundo euenire, ex Augustino in Enchir. c. 95. & 100.

CAPVT XXIII.

Quinta controuersia proponitur, an efficacia diuini decreti tollat arbitrij nostri libertatem.

I. HAnc difficultatem, seu disputationem decreueram in finem libri sexti reiicere, vbi de certitudine diuinæ prædestinationis erit nobis sermo. At re diligentiùs inspecta satius futurum esse censeo, si eam hoc in loco, vbi de diuinis decretis agitur, pertractauero, tum quia omnino in hoc loco nequit dissimulari, propter molestias hæreticorum: tum quia diuina prouidentia, & diuina prædestinatio nullam aliam necessitatem possunt inferre humanæ voluntati, præter eam, quæ oritur ex diuina præscientia, & ex diuino decreto: vnde soluta quæstione, an efficacia diuini decreti ster cum arbitrij libertate, solutæ etiam manebunt duæ illæ quæstiones, an ordo infallibilis diuinæ prouidentiæ imponat rebus præuisis necessitatem, & an per diuinam prædestinationem lædatur arbitrij nostri libertas.

In hac controuersia fuit, & est multorum hæreticorum aperta sententia, quòd per efficaciam diuini decreti tollatur libertas humani arbitrij. Ita enim senserunt Philosophi, & hæretici antiqui memorati lib. 2. cap. 2. & 3. & hoc eodem lib. in principio. ita nunc constanter defendunt hæretici Caluinitæ, quorum motiua præcipua sunt, quæ recenset D. Tho. dicta q. 19. a. 8.

Primum, quia voluntas Dei est causa rerum efficacissima, & non impedibilis, vt diuina Scriptura vbique fatetur, & Augustinus pluribus in locis manifestè docet. loca sunt cap. præcedenti allegata.

Secundum, quia Dei voluntas est rerum necessitas, vt Augustinus ait lib. 6. de Genesi ad literam cap. 15. & 17. *hoc autem necessariò futurum est, quod Deus vult, & illa vere futura sunt, quæ ille præscinit.* & in Enchir. c. 103. *Nullus fit saluus, nisi quem Deus vult saluari: & ideo rogandus est, vt velit, quia necesse est fieri si voluerit.*

Tertium, quia quod est necessarium ex causa priori, est necessarium absolutè: sed necessitas prouenies ex diuina voluntate est ex causa priori.

Hæc tamen sententia est error manifestus contra fidem Catholicam, cuius falsitas quoniam toto libro secundo ex instituto fuit reprobata, nunc vnico tantùm argumento demonstrari potest, excepto ex Thoma VValdensi lib. 1. Doctrinal. fidei cap. 23. vbi sic ait: *Non est aliqua prouidentia, sine determinatio firmior diuino verbo: sed si Dominus prædixerit aliquid futurum, oppositum potest succedere in effectu. Ergo potest euenire oppositum diuinæ prædestinationis.* Minor probatur Ezechielis 33. *etiamsi dixero iusto, quòd vita viuat, & confisus in iustitia sua fecerit iniquitatem, omnes iustitiæ eius oblitioni tradentur, & in iniquitate sua, quam operatus est, in ipsa morietur. Si autem dixero impio,* &c. VValdens.

II. Ad argumenta hæreticorum D. Thom. loco cit. respondet diuinam voluntatem imponere rebus volitis necessitatem non absolutam, sed conditionalem, & à diuina voluntate res habere necessitatem, non quamcunque, sed illam, quã Deus vult res ipsas habere, vel absolutam, vel conditionalem, & res eo modo euenire, quomodo Deus vult illas euenire, vel necessariò, vel contingenter. Hæc doctrina verissima est, sed valdè obscura, remanet enim adhuc difficultas de ista necessitate conditionali, qualis sit, & quomodo non lædat arbitrij libertatem, & quomodo supposito, quòd Deus velit aliquid infallibiliter euenire, illud non possit non euenire, & tamen eueniat liberè, non necessariò. Nam neque Stoici, neque hæretici antiqui, & moderni aliam necessitatem imponunt humanæ libertati, præter illam, quæ oritur ex suppositione diuinæ voluntatis. Declarandum igitur est, quomodo ista necessitas euentus rei volitæ à Deo ster cum arbitrij nostri libertate: id verò variis modis à Doctoribus solet explicari.

Primus modus est, quòd sit in actibus diuini intellectus, & diuinæ voluntatis respectu contingentium, quæ nondum præterierunt, potentia ad præteritum. v. g. Deus ab æterno præscit, & decreuit, me scripturum esse hanc controuersiam, cùm me scribere hanc controuersiam sit quid contingens, & possit non esse, si modò de facto poneretur, quòd ego illam non scriberem, Deus efficeret, se ab æterno præscisse, & decreuisse, me non scribere hanc eandẽ controuersiã, idque omnino absque aliqua sui mutatione. Hunc modũ conciliationis tradiderunt Gulielm. Okam, & Gabriel in 1. d. 38. q. 1. quos secuti sunt Antonius Corduba lib. 1. quæstionum Theologicarum, q. 55. & Andreas Vega lib. 2. de Iustificatione cap. 17. ad finem, & lib. 12. cap. 22. prope initium. Hic tamen modus à Theologis communiter non probatur, vtpote qui vel impossibilis sit, vel inintelligibilis, quique ab illius autoribus non satis conuenienter explicetur. Okam. Gabriel. Corduba. Vega.

III. Secundus modus est eorum, qui efficaciam diuini decreti cum nostra libertate ita conciliant, vt dicant, eam esse efficacitatem diuinæ voluntatis, vt faciat non solùm certò, & infallibiliter euenire illud omne, quod Deus vult euenire, sed faciat etiam euenire eo modo, quo Deus vult illud idem euenire: Deus autem vult, quædam euenire liberè, & contingenter in mundo, ad decorem vniuersi, & quædam necessariò. Ergo ex efficacia diuinæ voluntatis oritur, vt actus liberi efficaciter ab æterno decreti, certò eueniant, & infallibiliter, & nihilominus eueniant liberè, & contingenter. Hic modus affignatur à quibusdam recentioribus, qui contendunt, illum esse germanam doctrinam D. Augustini in lib. de Gratia, & libero arbitrio cap. 20. vbi ait: *Scriptura diuina, si diligenter inspiciatur, ostendit, non solùm bonas hominum voluntates, quas ipse facit ex malis,* Augustin.

Digitized by Google

malis, ſed etiam illas, quæ conſeruant ſæculi creaturam, ita eſſe in Dei poteſtate, vt eas quo voluerit, quãdo voluerit, faciat inclinari & D.Th. in 1.d.23.q.1 a.2.ad primũ vbi ſic ait: *Deus operatur in voluntate, & in libero arbitrio ſecundum eius exigẽtiã: vnde etiamſi voluntatẽ hominis in aliud mutet, nihilominus hoc ſua omnipotẽtia facit, vt illud in quod mutatur, voluntariè velit, & ſua coactionis ratio tollatur.* Poteſt addi aliud teſtimonium D. Anſelmi in lib. concordiæ cap. 1. dicentis. *Quoniam enim quod Deus vult, non poteſt non eſſe, cùm vult, hominis voluntatem nulla cogi, vel prohiberi neceſſitate ad volendum, vel ad non volendum, & vult effectum ſequi voluntatem, tunc neceſſe eſt voluntatem eſſe liberam, & eſſe quod vult.*

D.Thom.

Anſelm.

Hæc doctrina habet ſenſum verum, legitimum, & Catholicum, qui à nullo poteſt negari. quis enim negabit, ex efficacitate diuinæ voluntatis euenire, quidquid euenit in mundo, & eo modo, quo euenit? Rurſus quis negabit, ſi Deus vult, aliquem effectum liberum infallibiliter euenire, illum & infallibiliter, & liberè euenire, & hoc ob efficaciam ipſius diuinæ voluntatis?

Verùm hic modus dicendi modum difficultatis non attingit. Difficultas enim huius negotij non eſt, an poſſit Deus efficaci decreto efficere, vt aliquis effectus infallibiliter eueniat, & tamen liberè eueniat, ob efficaciam ſuæ voluntatis. Sed tota difficultas verſatur circa modum: rem nanque vt Catholici tenemus, ſed modum inquirimus, & rationem aliquo modo quietatiuam humani intellectus, qua declaretur, non eſſe impoſſibile, Deum ab æterno decreuiſſe, aliquem actum liberum, & quòd ille certo tempore infallibiliter futurus ſit, & tamen illemet actus liberè fiat à voluntate creata, tanquam ſi nullum de eodem actu extaret diuinum decretum. Hic eſt nodus totius controuerſiæ, qui non videtur ſolui poſſe, recurrendo ad efficaciam diuinæ voluntatis, dicendo effectum decretum ſic liberè euenire, quia diuina voluntas ita efficax eſt, vt faciat effectus liberos certò euenire, & tamen faciat illos liberè euenire: hoc enim eſt declarare idem per idem.

Neque ſufficit dicere, non eſſe huiuſce rei quærendam rationem quietatiuam: quia modus conciliandi libertatem arbitrij cum diuinis decretis in hac vita intelligi nequeat, quia etſi multa ſint Catholicæ fidei dogmata, quæ in hac vita ratione omnino quietatiua perfectè intelligi non poſſunt, nihil tamen prohibet, Theologum etiam illorum rationes quietatiuas, quantum fieri poteſt inquirere, & inuentas aliis indicare: immo id iubet D. Petrus in epiſtola 1.cap.3. nos paratos ſemper ſtare, ad ſatisfaciendum omni poſcenti nos rationem de ea, quæ in nobis eſt, ſpe & fide. quod ſi circa alia dogmata fidei obſeruare debemus, tum maximè circa iſtud, quo nullum aliud frequentiùs controuertitur ab omnibus tum doctis, tum indoctis, tum infidelibus tum etiam fidelibus.

IV. Accedit etiam, quòd licèt hic modus dicendi habeat ſenſum verum, & legitimum, qui negari non poteſt, tamen ſic intellectus, ſicut illum nonnulli declarant, videtur difficultatem grauiſſimam, & penè inexplicabilem continere. dicunt enim decretum diuinum efficax antecedere omnem præſcientiam liberæ determinationis voluntatis creatæ ad actus liberos: ſed tamen ex efficacia diuinæ voluntatis prouenire, vt idem decretũ non lædat arbitrij noſtri libertatem. Nam contra hunc modum dicendi recurrere videntur omnes difficultates tactæ lib.1.cap.19.& hoc eodem lib. tota tertia controuerſia, & præcipuè contra illum facere videtur, quòd eius autores non ſatis declarant, quæ differentia ſit inter illos, & opinionem hæreticorum in modo conſtituendi iſta diuina decreta, ex quibus ſamen illi negant arbitrij libertatem. Nam vel ponunt idem decretum, & eodem modo ex parte Dei, quod, & quomodo illud ponunt hæretici, vel aliud, & alio modo. Si ponant aliud, & alio modo, deberent hoc declarare, quódnam, & quale illud ſit. Si autem ponunt idem decretum, illi videntur differre à Catholicis in conſtituendo illo decreto, nam Caluinus ipſe expreſsè fateţur ſuam ſententiam de diuinis decretis, & motionibus circa actus humanæ voluntatis differre à ſententia Catholicorum cùm ait: *Voluntatem mouet gratia, non qualiter multis ſæculis traditum eſt, & creditum, vt noſtra poſtea ſit electionis, motioni aut obtemperare, aut refragari.* & cùm ait, *In eo hallucinantur* (ſcilicet Patres Concilij Tridentini) *quòd motum nobis offerri ſomniant, qui mediam electionem nobis relinquat.* Videri poſſunt eius verba apud Ruardum Tap.art.7. pag.274. & 281. Cùm ergo intelligat Caluinus ſuam ſententiam differre à ſententia Catholicorum, & velit ipſe in ſua ſententia à Catholicis diſſentire, non debet Doctor Catholicus profiteri, ſe conſentire cum hæretico in eo, in quo hæreticus fatetur ſe velle diſſentire à Catholico. & vt res clarior fiat, formemus tale argumentum. Qui ponit diuinum decretum eo modo, quo Caluinus ponit, negat arbitrij libertatẽ: iſti ponunt diuinũ decretũ eo modo, quo Caluinus illud ponit. Ergo negánt arbitrij libertatem. Argumentum eſt in debita forma, & concluſio eſt falſa: debent ergo negare alteram præmiſſarum. Maior negari non poteſt, quia Caluinus ipſe fatetur, ſe ponere in Deo decretum auferens arbitrij libertatem, vt conſtat ex modò dictis, & ex locis allegatis in principio huius quarti libri. Catholici etiam omnes fatentur, Caluinum ponere in Deo decretum auferens arbitrij libertatem. Debent ergo iſti doctores, vt Catholici, negare minorem, nempe ſe ponere in Deo decretum illud, quod ponit Caluinus, & ſimul declarare, quódnam, & quale illud ſit, vt illorum conciliatio cum arbitrij libertate intelligatur eſſe aliqua ſaltem ratione poſſibilis.

Ruardus.

Tertius modus conciliandi eandem libertatem cum efficacia diuini decreti eſt, vt dicamus, Deum non decreuiſſe actus liberos in aliquo inſtanti naturæ ante præuiſam determinationem voluntatis creatæ ad eoſdem actus liberos, ſed in eodẽ prorſus inſtanti naturæ fuiſſe efficax decretum diuinæ voluntatis circa actus liberos, in quo fuit præſciẽtia determinationis liberæ eiuſdem humanæ voluntatis ad eoſdem actus. Iuxta hunc modum dicendi efficacia diuini decreti non lædit arbitrij libertatem: quia diuinum decretum non antecedit determinationem liberam voluntatis creatæ ad ſuos actus liberos, & non imponit illi neceſſitatẽ antecedentem, ſed comitatur ipſam liberã determinationem eiuſdem voluntatis, & imponit illi ſolam neceſſitatem concomitantẽ, vel conſequentem, quàlis eſt illa neceſſitas, qua, dum aliquid eſt, neceſſe eſt illud eſſe, quę omnino ſtat cum ipſa arbitrij libertate. Hunc modum conciliationis tradit Vaſquez 1.p.d.99.c.6.& ſequent. Et reuerą ille habet non leue fundamentum in doctrina D. Auguſtini, & D. Thom. quod ſic oſtendo, nam cùm D. Auguſtinus vrgeretur à Semipelagianis,

V.

Vaſquez.

quòd illius doctrina de prædestinatione tolleret arbitrij nostri libertatem, & neminem posse correptionis stimulis excitari, si dicatur in conuentu Ecclesiæ audientibus multis, ita se habet de prædestinatione definita sententia voluntatis Dei, vt alij ex vobis de infidelitate accepta obediendi voluntate veneritis ad fidem, vel accepta perseuerantia maneatis in fide: cæteri verò, qui in peccatorum delectatione remoramini, ideo nondum surrexistis, quia necdum vos adiutorium gratiæ miserantis erexit. Huic obiectioni respondens in lib. de bono perseuerantiæ cap. 15. ita subiungit: *Ista cùm dicunt, ita nos à confitenda Dei gratia, id est, quæ non secundùm merita nostra datur, & a confitendo secundùm eam prædestinationem sanctorum, deterrere non debent, sicut non deterremur a confitenda præscientia Dei, si quis de illa populo sic loquatur, vt dicat, siue nunc rectè viuatis siue non rectè, tales vos eritis postea, quales vos Deus futuros esse præscit, vel bonos, si bonos, vel malos, si malos.* Sentit ergo Augustinus, diuinum decretum non maiorem necessitatem inferre humanæ voluntati, quàm inferat certitudo diuinæ præscientiæ. aliàs neque solutio illius esset ad propositum, neque etiam exemplum, & ratio, quam reddit per comparationem ad diuinam præscientiam. Dixissent nanque statim Semipelagiani, aliam esse rationem de diuina præscientia, aliam de diuina prædestinatione, & à disparatis non posse fieri illationem: Modò necessitas quæ oritur ex diuina præscientia, solùm concomitans est, & consequens, nullo autem modo antecedens, vt lib. 3. monstratum est. Eandem doctrinam habet D. Augustinus eodem lib. cap. 17. & apud Gratianum in cap. vasis itæ in §. non ergo 23. q. 4. qui locus est videndus. & Concil. Valentinum sub Lothario cap. 3. dum ait quòd *apud Deum*, vt Augustinus inquit, *tam firma de omnibus, est sententia, quàm certa præscientia.* Eidem doctrinæ subscribit apertè D. Thom. dicta quæst. 19. art. 8. dum ait, necessitatem, quæ infertur humanis actibus ex efficacia diuini decreti, esse necessitatem conditionalem, quam esse necessitatem ex suppositione, & in sensu composito, & necessitatem consequentem siue concomitantem, nullo autem modo antecedentem ostendimus lib. 1. cap. 19. & 30. & sequentibus. Et ne sit ambigendi locus, idem D. Thom. de veritate quæst. 6. art 3. ad sextum docet, certitudinem diuinæ prædestinationis in hoc consistere, quia respicit futurum, vt præsens, sicut dictum est de diuina præscientia. & ne quis dicat, illum in Summa sententiam mutasse, videatur eadem doctrina in 1. p. q. 23. art. 6. quam doctrinam tradidit etiam D. Bonau. in 1. d. 38. q. 1. 2. art. & d. 40. art. 2. q. 1. & clarissimè d. 47. a. 1 quæst. 1. in corpore & ad 2. argumentum.

Concil. Valentin.

Bonauent.

VI. Neque contra hunc modum conciliationis obstat, quod à nonnullis obiicitur, quòd tota ratio concordiæ liberi arbitrij cum diuinis decretis iuxta hunc modum videtur inniti scientiæ illi futurorum conditionatorum, quam non dari in Deo illi multipliciter probare nituntur.

Nam primò dico, illam scientiam mediam maxima cum probabilitate defendi posse.

Secundò dico, hunc modū conciliationis principaliter & immediatè non inniti scientiæ mediæ, sed solùm remotè. quia illa principaliter non ponitur in Deo ad conciliandam arbitrij libertatem cum diuinis decretis, sed ad hoc, vt Deus prouidè, & sapientissimè omnes actus maximè liberos disponere possit, & dirigere ad optimos fines.

Nec obstat secundò quòd cùm sit de fide, diuinam præscientiam, prouidentiam, & prædestinationem, & diuina auxilia nullo modo lædere humanam libertatem, ratio concordiæ illorum cum libertate arbitrij non videtur posse reduci ad istam scientiam mediam, quia non est certum, quòd detur ista scientia, & res fidei non innitantur fundamento ambiguo, & incerto.

Nam, vt dixi, ista conciliatio non reducitur immediatè ad scientiam mediam, sed liberam, quam ostensum est esse in eodem instanti cum diuino decreto. Deinde respondetur, non satis aptè deduci, quòd iuxta hunc modum conciliationis dogmata fidei innitantur fundamento incerto, & ambiguo. Et ista consequentia omnino neganda est: non enim sequitur, quòd si hic modus conciliationis est legitimus, res fidei innitantur incerto fundamento, quod vt faciliùs intelligatur, distinguendum est, res fidei duobus modis dici initi alicui fundamento, vno modo quoad illarum certitudinem, & sic innituntur reuelarioni diuinæ: alio modo quoad illarum explicationem, & sic variis fundamentis innituntur, iuxta quod variis modis solent à Theologis explicari magis, vel minus aptè, & idoneè. Ita contingit in proposito, nam diuinam præscientiam, & diuinum decretum non lædere humani arbitrij libertatem est dogma fidei, quod quoad illius certitudinem soli diuinæ innititur reuelationi: cæterùm quoad illius explicationem, & declarationem modi, secundùm quem hæc adinuincem cohærent, non innititur fidei, sed variis rationibus à Theologis excogitatis. Neque qui rationes minus idoneas afferunt ad hoc declarandum, si illæ ex hoc capite non contineant errores, reducunt dogmata fidei ad incertitudinem. Et si hæc ratio militaret, iam plurima fidei nostræ dogmata à Theologis essent ad incertitudinem redacta, quale est dogma sanctissimæ Trinitatis, vnionis hypostaticæ, collationis gratiæ sacramentalis, traductionis peccati originalis, & similium, de quibus ex fide tenemus si est: modum autem variis rationibus à Theologis excogitatis declarare solemus, quæ non sunt de fide, & aliquæ etiam illarum minus sunt probabiles: neque tamen per hoc credimus, ipsa fidei dogmata ad incertitudinem reduci.

VII. Non obstat tertiò quòd cum Semipelagiani obiicerent Augustino, quòd ille induceret fatum, & euerteret arbitrij libertatem per suam illam doctrinam de prædestinatione diuina, si Augustinus putasset, concordiam prædestinationis cum libertate arbitrij posse ad hanc scientiam mediam reduci, potuisset respondere, quòd non induceret fatum, quia homines pro sua innata libertate benè vel malè vti possunt auxiliis diuinæ gratiæ: & sic pro sua libertate saluari, vel damnari. potuisset etiam Apostolus respondere quærentibus, quid adhuc queritur Deus. & tamen non ita respondent, sed aiunt: O homo tu quis es, vt respondeas Deo.

Quod ex eo potest confirmari, quia Augustinus ad soluendos hæreticorum cauillos nunquam recurrit ad hanc scientiam mediam, sed illam potiùs refutauit.

Nam hæc ratiocinatio multa inuoluit, quædam manifestè falsa, quædam verò dubia, & ambigua. Primò nanque falsum est, nec ferendum, hominem pro sua libertate non posse diuinis auxiliis benè, aut malè vti, & non vti eisdem auxilfis, quia non vult, & ob hoc non saluari. Nam quoad auxilia gratiæ præuenientis, licèt non sit in

potesta

poteſtate hominis, illum à Deo talibus auxiliis præueniri, aut non præueniri, eſt tamen in poteſtate hominis, quòd ponant, vel non ponant in homine ſuum effectum. ita Auguſtinus lib. de ſpiritu & litera cap. 34. dicens: *Profectò & ipſum velle, & credere Deus operatur in homine, & in omnibus miſericordia eius præuenit nos. conſentire autem vocationi Dei, vel ab ea diſſentire, ſicut dixi, propriæ voluntatis eſt.* & lib. 2. contra literas Petiliani cap. 84. *Si tibi proponam quæſtionem, quomodo Deus Pater attrahat ad filium homines, quos in libero dimiſit arbitrio, forſitan eam difficile ſoluturus es. quomodo enim attrahit, ſi dimittit, vt quis, quod voluerit, eligat? & tamen vtrunque verum eſt. ſed intellectu hoc penetrare pauci valent.* Et idem Auguſtinus expreſsè docet, hominem motum per gratiam efficacem, habere in ſua poteſtate diſſentire, ſi velit lib. de Prædeſt. & gratia cap. 9. ex quo ferè ad verbum accepit Concil. Tridentinum ſeſſ. 6. de Iuſtificatione cap. 5. & can. 4. quam doctrinam repetit in lib. de gratia & libero arbitrio cap. 15. ſi autem ſit ſermo de gratia adiuuante, expreſsè etiam docet, neminem tali gratia deſtitui, niſi priùs ille deſerat Deum, vt lib. præcedenti c. 22. ad longum oſtendimus. Et reuera quid aliud innuit nobis parabola illa hominis negotiatoris, qui dedit varia talenta ſeruis ſuis, vt negotiarentur, & ſuperlucrarentur apud Matthæum c. 25.

Secundò falſum eſt, quod arguens ait, non dixiſſe Auguſtinum, aliquos homines non benè vti diuinis auxiliis, & non ſaluari, quia nolunt. immo obiectionem iſtam tenciens ad articulos ſibi falsò impoſitos ad 12. ita ait: *Hi autem, de quibus dicitur, ex nobis exierunt, ſed non erant ex nobis, ſi enim fuiſſent ex nobis, manſiſſent vtique nobiſcum, voluntate exierunt. voluntate recederunt: & quia præſciti ſunt caſuri, non ſunt prædeſtinati. eſſent autem prædeſtinati, ſi eſſent reuerſuri, & in ſanctitate vitæ manſuri.*

Tertiò ambiguum eſt, in quo ſenſu dicat, fuiſſe controuerſiam inter Auguſtinum, & Semipelagianos, an ille inducat fatum, qui dicit homines pro ſua libertate vti, vel non vti diuinis auxiliis. poteſt enim hæc quæſtio duplicem habere ſenſum. Primus eſt, quòd pendeat ex libero hominis arbitrio habere, vel non habere iſta auxilia, eo quòd illa per vires liberi arbitrij promereatur. Secundus eſt, quòd homo præuentus diuina gratia poſſit illi conſentire, vel diſſentire pro ſua libertate. In primo ſenſu verum eſt, fuiſſe controuerſiam inter Auguſtinum, & Semipelagianos: non autem in ſecundo ſenſu, in quo nullus Catholicus negare poteſt, quin ſit in poteſtate liberi arbitrij, vti, vel non vti auxiliis diuinæ gratiæ.

Vnde ad obiectionem reſpondetur, etſi ſcientia illa media habeat euidens fundamentum in doctrina D. Auguſtini, non potuiſſe tamen Auguſtinum illa vti contra Semipelagianos, ne conſentiret illorum errori, qui dicebant homines fuiſſe prædeſtinatos, vel reprobatos ex his, quæ Deus præuidit illos facturos, ſi diutius viuerent. Duobus enim modis vti poſſumus iſta ſcientia, vel ad reddendam rationem, cur iſte ſit prædeſtinatus, ille reprobatus: & hoc modo iſta ſcientia vtebantur Semipelagiani. vel ad declarandum, quomodo cum diuina prædeſtinatione, & efficacia diuinæ gratiæ ſtet arbitrij noſtri libertas: & hoc modo vtuntur iſta ſcientia quidam Doctores Catholici.

VIII. Verùm etſi obiectiones iſtæ nullius ſint momenti contra prædictũ modum conciliandi efficaciam diuinorum decretorum cum arbitrij noſtri libertate, ex alio tamen capite iſte modus non omnino videtur ſatisfacere, quia etſi per hunc modum habeamus, Deum in decernendis actibus liberis nihil decernere voluiſſe, non habita ratione eius, quod per voluntatis humanæ libertatem futurum eſſet, & illud decreuiſſe, ad quod vidit humanam voluntatem liberè ſeipſam determinantem, & ſic in conſtituendo ab æterno in Deo iſto libero decreto, quo actus humanos liberos efficaciter decreuit, optimè ſeruetur humani arbitrij libertas: tamen ſemel conſtituto in Deo hoc eodem decreto efficaci, tam illud non poteſt amplius immutari, & cùm illud de facto antecedat determinationem noſtræ voluntatis, quæ fit in tempore, non eſt in poteſtate voluntatis, diuinum decretum immutare, & ſic non eſt in eius poteſtate, vt quod Deus decreuit, non ſit futurum. & ſic tandem in exercitio, & in facto nulla eſt hominis libertas: ruúntque omnes Theologorum labores in conciliandi arbitrij libertate cum diuinis decretis. Hoc eſt argumentum illud inſolubile apud Caiet. 1. p. q. 22. art. 4. quod non eſt nouum argumentum, ſed antiquiſſimum, & per omnium ora protritum, quod nullus quantumuis ignarus non obiicit, & nullus quantumcunque doctus, & eruditus non timet. Caiet.

CAPVT XXIV.

Quartus modus conciliandi efficaciam diuinorum decretorum cum humani arbitrij libertate declaratur.

I. PRopter difficultatem proximè tactam in calce capitis præcedentis, quæ reuera grauis eſt, & valde apparens, excogitatus eſt alius modus conciliandi efficaciam diuini decreti cum humani arbitrij libertate, qui ſi non ſufficiet ad omnem dubitationem excutiendam ex mentibus hominum, videtur tamen minorem continere difficultatem, quàm contineant alij à Theologis hactenus excogitati, pro cuiuſmodi declaratione eſt

Supponendum, omnes actus diuinos immanentes, ſiue intellectus, ſiue voluntatis, prout ſunt in Deo menſurari æternitate.

Supponendum ſecundò eſt in ipſa æternitate intrinſecè non eſſe neque præteritum, neque futurum, ſed vnicum tantùm inſtans ſemper manens, & ſemper præſens, vt docent Theologi poſt D. Thom. prima part. quæſt. 10. artic. primo & 2. Hinc ſequitur, diuinum decretum quatenus eſt verè & propriè in Deo, non tranſire in præteritum, ſicut tranſit decretum humanum, ſed eſſe ſemper manens in præſenti, & ſemper ex parte rei eſſe concipiendum, vt nunc egrediens à diuina voluntate; non autem concipiendum eſt tanquam ſententia quædã, quæ iam tranſierit in rem, vt aiunt, iudicatam. Et quanuis diuina Scriptura loquatur de diuinis decretis per verbum temporis præteriti dicens, *quos præſciuit, & prædeſtinauit; & elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem*, & alia ſimilia: tamen in rigore ſermonis aliter loquendum eſſet, niſi quòd diuina Scriptura vti voluit modo loquendi accommodato noſtro modo intelligendi. Doctrina eſt D. Auguſtini in Pſalm. ſecundum, circa illa verba, *Ego hodie genui te.* & clariùs in Pſalm. 101. circa illa verba, Auguſt.

In generatione, & generationem anni tui. vbi sic ait: *Anni Dei æternitas Dei est. æternitas ipsa Dei substantia est, quæ nihil habet mutabile. ibi nihil est præteritum, quasi iam non sit, nihil est futurum, quasi nondum sit, sed non est ibi nisi est. non est, vbi fuit, & erit, quia & quod fuit, iam non est, & quod erit, nondum est: sed quidquid ibi est, non nisi est.* Clarissime Beda in illud Ioan. 16. *Adhuc multa habeo de vobis loqui, & iudicare. quamuis natura illa immutabilis non recipiat fuit, & erit, sed tantùm est, tamen propter mutabilitatem temporum, in quibus versatur nostra mortalitas, & nostra mutabilitas, non mendaciter dicimus, fuit, & erit.* Eandem doctrinam tradit Plato in Timæo, dicens: *At qui erat, & erit, quæ nati temporis species sunt, non rectè æterna substantiæ assignamus: dicimus enim de illa, est, erat, & erit: sed reuera solum esse illi competit.* Idem Gregor. Nazianz. oratione secunda de Paschate, & Eusebius Cæsarienſ. lib. 11. præparationis Euangelicæ cap. 7.

Beda. Plato. Gregorius Nazianz. Eusebius Cæsarienſis.

II. Hinc verò sequitur, diuinum decretum de actibus humanis liberis secundùm rei veritatem non esse concipiendum ad modum sententiæ diffinitiuæ, quæ iam transierit in præteritum. nam si hoc modo illud concipiamus, vix animus noster quiescere potest, vt non credat, per illud imponi sibi necessitatem in suis actibus: sed concipiendum ad modum sententiæ adhuc pendentis quodammodo, neque absolutè determinatæ, antequam per liberum arbitrium sint posita in esse, & in actu omnia, quæ per illud poni debent. Id verò si concipiamus, facile erit intelligere, diuinum decretum quantumcunque efficax, nullam omnino imponere necessitatem nostræ voluntati etiam in vsu, & in exercitio. v. g. sit istud decretum diuina Prædestinatio, siquidem concipiamus diuinam Prædestinationem per modum sententiæ, quæ ab æterno transierit in præteritum, & in rem iudicatam, difficillimum est ostendere, per hoc decretum non impediri nostram libertatem in exercitio. At si illam concipiamus, vt nunc egredientem à diuina voluntate, & nunquam vltimatè completam vsque ad terminum humanæ vitæ, in quo solùm intelligimus omnes effectus, qui ponendi sunt per liberum arbitrium circa nostram salutem, positos fuisse in esse, & in facto, concipimus etiam, non obstante tali decreto, in nostri arbitrij potestate, & libertate positam esse nostram salutem, & nostram damnationem.

Atque hic est optimus modus conciliandi humanam libertatem cum diuinis decretis efficacibus, quem si intellectus noster illustratus supernò lumine capere potest, in eo quiescit plusquam in alio ex hactenus a Theologis excogitatis. Si autem capere non sufficit, duo debet apud se recogitare. Primum est altitudo diuini consilij, de qua Apostolus: *O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius. quis enim cognouit sensum domini?* Secundum est, omnes Doctores graues, cùm premuntur mole difficultatum, tandem ad hunc modum veluti ad sacram anchoram confugere, quod statim demonstratur.

III. Nam inprimis D. Augustinus, cùm ab aduersariis premeretur, obicientibus illi, quòd si salus cuiusque hominis est per diuinum decretum ab æterno prædefinita, homines nascuntur iam iudicati, non autem iudicandi, vnde & frustratoriæ erunt exhortationes ad bonum, & increpationes, & correptiones à vitiis, vt se ab hac difficultate extricaret, diu, ac multum laborauit in omnibus libris de Prædestinatione sanctorum, de bono Perseuerantiæ, de Gratia, & libero arbitrio, de Correptione & gratia, & in sex libris Hypognosticon. In omnibus autem illis locis vel redargutione vsus est, vel similitudinibus, vel deducendo aduersarios ad absurda: exactam autem dubij solutionem vbi attulerit, vix potest inueniri, quod non nos primi in Augustino obseruauimus, sed ante nos multi, & graues, ac cumprimis eruditi Theologi, ex quibus vnum referam venerabilem illum Andream Vegam lib. 12. in Concil. Trid. de iustificatione cap. 22. ita scribentem. *Et hæc sæpe optaui, vt Augustinus palàm, & aperte responderet obicientibus ipsi, quòd a prædicatione prædestinationis, & gratiæ cessandum esset coram populo, quòd ea officeret audientibus, & segniores eos, & tardiores redderet ad studia virtutum, magis quàm alacriores, & feruentiores.* Quid mirum quod hoc in Augustino ille desideranerit, cùm ob hanc causam siue Augustinus ipse, siue Prosper Reginus, vt querelis aduersariorum occurreret, coactus sit libellum illum scribere, cuius apud Augustinum titulus est, *Responsio ad articulos sibi falsò impositos.* & apud Prosperum, *Responsio ad obiectiones Vincentianas.* cuius libelli præcipuus finis est solùm obiectioni huic satisfacere, cui non videbatur satisfactum in aliis libris eiusdem Augustini? quid mirum, inquam? Augustinus ipse lib. 6. Hypognosticon cùm hanc eandem obiectionem ex nomine aduersariorum contra se mouisset, vt patet ex principio illius libri, post multa hinc inde allata, & illata, tandem fatetur, se euidentem huius difficultatis solutionem non habere: sed omnes quiescere debere in autoritate diuinæ Scripturæ. *Quoniam verò*, ait, *hinc vtraque pars dicere nihil valemus, credamus tantùm, reum mortis ex iudicis voluntate pendere. Ne quisquam autem putaret, Dei iudicio fieri, non omnes homines saluari, dixit Apostolus. Qui vult omnes homines saluos fieri.* Hîc Augustinus palàm fatetur, se non habere responsionem, quæ satisfaciat aduersario, sicut neque aduersarius habebat rationem, seu responsionem, quæ satisfaceret autoritatibus diuinæ Scripturæ ab Augustino allatis. At dices hoc esse aliud nihil, nisi hominibus desperandi occasionem manifestam præbere. Audi ipsum hanc occasionem submouentem. *Hic nemo glorietur, nemo desperet. Solus enim Deus scit, qui sunt eius. In quantum autem possumus, omnes homines ad bonum exhortemur, nulli desperationem demus, pro omnibus oremus, in conspectu Dei nos humiliemus, dicentes, fiat voluntas tua.* At replicabis, quid mihi hæc proderunt? iam enim per decretum inappellabile diuinæ prædestinationis stat de omnibus definita sententia, & qui sint saluandi, & qui damnandi. hæc illa est radix sursum semper germinans, & fructum boni operis impediens. Quam vt tandem recidat, in hanc quartam rationem conciliationis ore rotundo, & quatuor, vt aiunt, pedibus descendit, dicens. *Ipsius*, scilicet Dei, *erit potestatis, iudicium in nobis mutare damnationis, & gratiam prædestinationis indebitam prærogare.* Sentit igitur Augustinus, non sic concipiendum esse decretum diuinæ prædestinationis, vt iam transierit in rem iudicatam, id nanque si admittatur, iam videtur nostra salus, aut saltem nostra libertas circa propriam salutem deplorata: sed concipiendum esse, vt in præsenti à diuina voluntate egrediens, & ita egrediens, vt diuina voluntate firma, ac immobili manente, illud quatenus ad nos relatum mutari valeat, quemadmodum columna immobilis manens per solam mutationem

Vega.

hominis

hominis ſit illi dextra, & ſiniſtra. Neque admittenda eſt gloſſa Molinæ dicentis, Auguſtinum in illis verbis ſolùm voluiſſe docere, quod ad Deum ſpectat, gratiam prædeſtinationis, & effectum prædeſtinationis indebitum dare, vel cum incremento meritorum præſtare. quid enim ſignificant illa verba, *Ipſius erit poteſtatis iudicium in nobis debitum mutare damnationis.* Quid ſignificat iudicium mutare, niſi decretum mutare? & mea quidem Grammatica ita docet. puto autem, quod & aliorum. Hinc deducta eſt ſententia illa communiter ex Auguſtino allegata. Si non es prædeſtinatus, ora Deum, vt prædeſtineris.

IV. D. quoque Ambroſius lib. 2. in Lucam circa illa verba, *& Zacharias pater eius*, hunc modum dicendi à nobis traditum manifeſtè probat, dicens: *Nemo veterum conſcius delictorum præmia diuina deſperet. Nouit Dominus mutare ſententiam, ſitu noueris emendare delictum.* D. Thom. in 1. diſt. 39. art. 1. apertè hanc ſententiam profitetur, dicens: *Cùm igitur actus diuinæ voluntatis ſemper ſit in actu, & non pertranſiens in præteritum, ſemper eſt quaſi in egrediendo à voluntate; & ideo manet libertas diuinæ voluntatis reſpectu ipſius.* Et ad primum ait, quòd actus diuinæ ſcientiæ nunquam tranſit in præteritum, ſed ſemper eſt in actu: & ideo ſemper manet in libertate voluntatis. & de veritate quæſt. 6. art. 3. ad vltimum ait: *Ad decimum dicendum, quòd abſolutè loquendo Deus poteſt vnumquenque prædeſtinare, vel non prædeſtinare, aut prædeſtinaſſe, vel non prædeſtinaſſe: quia actus prædeſtinationis, cùm menſuretur æternitate, nunquam cedit in præteritum, ſicut nunquam eſt futurum. vnde ſemper conſideratur, vt egrediens à voluntate per modum libertatis.* Neque difficultatem facit, quod ſtatim ſubiungit: *tamen ex ſuppoſitione hoc efficitur impoſſibile, non enim poteſt non prædeſtinare, ſuppoſito quod prædeſtinauerit.* hoc enim aliud eſt nihil dicere, niſi quòd quatenus prædeſtinat, non poteſt non prædeſtinare, & è contra. quod nullus poteſt negare.

D. Bonauentura in 1. d. 40. art. 2. quæſt. 1. ante finem poſt multa ad hoc propoſitum deducta concludit: *His præſuppoſitis facile eſt intelligere, quòd prædeſtinatus poteſt eſſe præſcitus, & quòd Deus, quem præſcisit, potuit prædeſtinaſſe. conſtans enim eſt, quòd ſalus iſtius, qui præſcitus eſt, potuit ab æterno præuideri, & cùm poſſit eſſe ſiue fieri in tempore. & ſi potuit ab æterno ordinari ad diuinam cognitionem, & voluntatem, poteſt & nunc. Etenim quia præſens totum eſt, & nihil tranſiit in præteritum, & nihil factum eſt, quod ſit neceſſarium eſſe factum, hinc eſt, quòd ſicut poteſt cogitari, verè potuiſſe, & non prædeſtinaſſe ab æterno: ita quòd poſſit & nunc, in ſuo ſcilicet nunc æternitatis non prædeſtinaſſe. & hoc dicit Magiſter in litera.*

Scotus eadem diſt. 40. hanc doctrinam longo diſcurſu declarat, & probat ad primum argumentum, & Syluester 1. part. quæſt. 22. art. 4. & Suarez diſput. 30. Metaph. ſectio. 16. num. 33.

V. Præter autoritatem verò ſupradictorum Doctorum, quæ non leuis eſt, probatur etiam ratione, optimum eſſe hunc modum conciliandi diuinum decretum cum arbitrij noſtri libertate. Nam inprimis admiſſa hac doctrina facilè explicantur teſtimonia illa diuinæ Scripturæ 1. ad Corinth. 9. *Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo, ne cùm aliis prædicauerim, ipſe reprobus efficiar.* & in epiſt. 2. D. Petri cap. 1. *Quapropter fratres magis ſatagite, vt per bona opera certam vocationem veſtram, & electionem faciatis.* & Apoc. c. 3. *Tene, quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam.* quæ cum quanta difficultate exponantur de prædeſtinatione quoad præſentem iuſtitiam, nõ quoad futuram gloriam, aliorum ſit iudicium. Per hanc doctrinam facilè etiam intelligimus, homines naſci non iam iudicatos, ſed iudicandos, prout ſancta Euangelia, & D. Paulus, & alij Apoſtoli in ſuis Epiſtolis nos monent. quod cum quanta difficultate intelligi poſſit, admiſſo, quòd diuinum decretum ab æterno iam in rem iudicatam pertranſierit, nullus non intelligit.

Secundò probatur ex euerſione fundamenti oppoſitæ ſententiæ. totum nanque fundamentum oppoſitæ ſententiæ eſt, quia ſemel ſuppoſito, quòd Deus aliquid decreuerit, puta hominẽ prædeſtinauerit, aut reprobauerit, ob immutabilitatem diuinæ voluntatis non poteſt illum non reprobaſſe, aut prædeſtinaſſe. vt D. Thom. ait de veritate q. 6. art. 3. ad vltimum. verùm iſtud fundamentum tam leue eſt, vt nullus Theologus illud non ſoluere teneatur, quod euidentiſſimum fiet, ſi ſupponamus. Primò hominem verè conſtitutum in gratia verè eſſe obiectum diuinæ dilectionis. quod negari non poteſt, niſi negando Euangelium Chriſti, dicentis, *ſi quis diligit me, diligetur à Patre meo*, Ioan. c. 14. Secundò ſi ſupponamus hominem conſtitutum in ſtatu lethalis culpæ non eſſe obiectum diuinæ dilectionis, ſed odij, quod ſimiliter certum eſt ex diuina Scriptura. Tertiò hominem in gratia conſtitutum poſſe à gratia cadere, & de facto multos tales à gratia excidere, quod etiam eſt de fide. Quartò Deum diligere hominem conſtitutum in gratia, vt ſic nihil aliud eſſe, niſi Deum velle homini in gratia conſtituto bonum æternæ vitæ, & quidem verè, & ex corde, non autem fictè, neque per ſimulationem. Hæc ſi ſupponamus, quæ ex fide certiſſima ſunt, ſequitur in omni opinione, Deum de actu odij tranſire ad actum dilectionis, & è contra, & de volente homini bonum gloriæ fieri nolentem, & id fieri ſine vlla omnino mutatione contingente in diuina voluntate, ſed ſolùm contingente in rebus volitis, & id quidem quotidie accidere. Modò hîc te ſiſto, & quæro, vtrùm ſit maius inconueniens, Deum poſſe nũc nolle, quod heri volebat, quàm Deum poſſe nunc non prædeſtinare, quod ab æterno prædeſtinauit. Et quam mihi reſponſionem dederis, ego eadem obiectioni tuæ reſpondebo. Fateamur igitur omnes oportet, diuina decreta ſemper eſſe in egreſſu, poſſeque hominem ex obiecto odij fieri obiectum diuini amoris, nulla mutatione in Deo facta, ſed ſolùm in obiecto, quod declarat D. Anſelm. in lib. concordiæ exemplo gladij, & coronæ filo pendentium ex laqueari vnius aulæ, quibus immobilibus manentibus vnus & idem homo poteſt ſe conſtituere modò ſub gladio, modò ſub corona. *Si vis*, inquit, *fugere de ſub voluntate præmiantis, curris ſub voluntate punientis.* VI.

Tandem ex Diabolo ipſo ſumi poteſt comprobatio noſtræ ſententiæ. Scit quippe Dæmon, quàm ſit efficax, & immutabilis diuinæ prædeſtinationis decretum. hac autem non obſtante immutabilitate nullam omittit occaſionem, nullam artem hominis perdendi, ſine mora, ſine modo, ſine diſtinctione. Sanè ſi Diabolus crederet, omnes actus noſtros ita eſſe à Deo per decretum efficax, & immutabile prædefinitos, vt illud amplius mutari non poſſit, nónne intelligeret, vanos, & proiectos eſſe omnes conatus, aſtus, labores, inſidiaſque, quibus contra hominum ſalutem tantopere deſudat? ſciret enim, omnes, quos Deus ſaluare decreuit, tandem non obſtan- VII.

tibus huiuſmodi conatibus, ſalutem fore aſſecuturos, ne fruſtretur diuinum decretum: omnes etiam, qui reprobati ſunt, ex vi reprobationis tandem damnandos abſque aliquo eius labore, eóque nullam inferente illis moleſtiam, aut tentationem. Ipſe verò non obſtante diuini decreti immobilitate tanto labore omnium inhiat ruinæ. Sentit igitur, diuinum decretum iam non tranſiiſſe in rem iudicatam, ſed quandiu homo eſt in huius vitæ curriculo poſitus, poſſe illum vel ſalutem ex Dei gratia adipiſci, vel in interitum propria voluntate præcipitare. Et ſic contra quod ipſe credit, homini ſuadet, iam apud Deum eſſe de omnibus nobis definitam ſententiam irreuocabilem, vt hoc etiam modo ſibi viam aperiat, ad homines faciliùs perdendos.

VIII. Contra hanc viam conciliandi humanam libertatem cum efficacia diuini decreti videntur militare quædam argumenta Molinæ 1. p. q. 14. art. 13. diſp. 16. licèt illa præcipuè dirigantur contra eos, qui ponunt in Deo potentiam ad præteritum reſpectu actuum immanentium.

Molina.

Primum eſt. Si actus diuinæ ſcientiæ & diuinæ voluntatis ita ſunt in libero egreſſu, vt quẽ Deus ſcit ſaluandum, & quem Deus prædeſtinat ad ſalutem, poſſit non ſcire ſaluandum, & non prædeſtinare ad ſalutem, ſequitur, dari in Deo potentiam ad præteritum comparatione etiam illorum effectuum, qui iã ſunt extra ſuas cauſas. vt, v.g. quòd mundus nõ fuerit creatus, quod poteſt eſſe falſum. Si dicatur, diuinã voluntatem nõ manere ampliùs liberam ad ſe determinandam reſpectu talium effectuum, qui iã ſunt egreſſi extra ſuas cauſas. Contrà: prius nõ dependet à ſuo poſteriori: diuina voluntas ante egreſſum effectus à cauſa eſt libera. Ergo etiã pòſt. nam ille egreſſus eſt quid poſterius.

Secundò, voluntas poſt egreſſum effectus non eſt magis determinata, quàm prius, quia vt ſic mutabilis eſſet. Sequeretur adhuc, illam in nunc æternitatis non eſſe ſemper in libero egreſſu. contra quod nos ſupponimus.

Reſpondeo primò, confuſionem ineſſe argumento, dum eodem modo ratiocinatur de diuina ſcientia, & de diuina voluntate, quod fieri nõ debet: nam ſcientia reſpicit ſuum obiectum ſub ratione entis intelligibilis, quod ad hoc, vt ſit obiectum diuini intellectus, ſufficit, vt pro aliquo tempore contingat determinatam veritatem. quod enim ſemel eſt verum, ab æterno fuit verum. & licèt obiectum ſecundarium diuini intellectus varietur de eſſe in potentia ad eſſe in actu, & de eſſe futurum ad eſſe præſens, & præteritũ, hoc tamen non facit variationẽ in ſcientia diuina, ita vt Deus de non ſciente fiat ſciens, vel è contra, ſed facit ſolùm, vt quod ſcit eſſe præſens, ſciat eſſe præteritum. Sed voluntas diuina reſpicit obiectum ſecundarium ſub ratione boni, & mali moraliter, & ſub ratione agibilis, quæ ratio variari poteſt in ipſo obiecto, & ſic variata huiuſmodi ratione Deus etiam de volente fit nolens, & è contra, nulla tamen mutatione facta in diuina voluntate, ſed ſolùm in obiecto: nam Deum velle, aut nolle aliquod obiectum, nullam addit nouam entitatem ſupra nudam eſſentiam, niſi reſpectum rationis ad hoc, vel illud obiectum, quo poſito vel ablato, nulla fit variatio in reipſa. Quod verum eſt de ipſa voluntate, etiam quatenus induit rationem cauſæ ad extra: nulla enim mutatione facta in diuina voluntate, Deus factus eſt de volente creare mundum, non volens, ſcilicet poſt ipſam creationem, & de non creante creans: quia eſſe creatorem nullum reſpectum realem ponit in Deo ad creaturas, ſed tantùm rationis. vnde malè quoad hoc parificantur diuinus intellectus, & diuina voluntas, Deus enim non poteſt de intelligente fieri non intelligens, aut è contra, quia ratio intelligibilitatis, quæ eſt veritas, ſi ſemel ſupponatur ineſſe obiecto, ſemper illi ineſt: at Deus de volente poteſt fieri non volens, & è contra, quia ratio, ob quam obiectum eſt volibile, poteſt variari, neque ſi ſemel ineſt obiecto, neceſſe eſt, illam eidem obiecto ſemper ineſſe.

Ad argumentum itaque dicendum eſt, quòd diuina voluntas debet concipi, vt ſemper egrediens in actum determinationis, ita vt poſſit non egredi, niſi poſtquam ponimus in illa reſpectum actualem ad effectum, vt iam actu productum ad extra: tunc enim non poteſt ampliùs concipi, vt egrediens, ſed debet concipi vt iam egreſſa. eſt enim impoſſibile, illam ſimul concipere ſub ratione cauſæ actu relatæ ad effectum iam productum, & ſub ratione cauſæ ſolùm aptitudinalis relatæ ad effectum, vt producendum.

Et cùm dicitur, quòd prius non dependet à poſteriori. Reſpondetur, id eſſe verum quoad eſſe abſolutum, non autem quoad eſſe reſpectiuum: implicat enim, Deum referri ad creaturam reſpectu actuali ſub ratione creatoris, & non eſſe creaturam.

Cùm etiam dicitur, voluntatem diuinam poſt creationem non eſſe magis determinatam ad creandum. Dico hoc conſtare eſſe manifeſtè falſum. Ad probationes dico, quòd probant ſolùm, illam non eſſe magis determinatam per aliquid realiter illi adueniens, aut per nouam, & realem mutationem illius, cum quo ſtat eſſe magis determinatam per nouam entitatem productam in effectu, & per nouum reſpectum rationis aduenientem ipſi voluntati.

IX. Secundum argumentum. Sicut voluntas noſtra poſtquam eſt in vno inſtanti temporis determinata in vnam partem, non poteſt efficere etiam in eodem inſtanti, vt ſe in alteram partem determinauerit, quia poſtquam eſt in vnam partem determinata, non poteſt non eſſe determinata, ita poſtquam diuina voluntas in nunc æternitatis eſt determinata in vnam partem, non poteſt illius egreſſus non eſſe in illam partem determinatus. Quod melius intelligemus, ſi concipiamus determinationem diuinæ voluntatis eſſe vnum actum indiuiſibilem, & menſurari duratione indiuiſibili: nam quod menſuratur duratione indiuiſibili, ſimul egreditur, & egreſſum eſt.

Reſpondeo primò argumentum petere principium, arguendo ex paritate inter actus voluntatis noſtræ, & voluntatis diuinæ: nam noſtræ voluntatis operationes menſurantur tempore, cuius nullum eſt inſtans permanens, propterea voluntate noſtra ſemel in aliquo inſtanti ad vnam partem determinata, effici non poteſt etiam per diuinam potentiam, quin illa fuerit determinata: quia illud inſtans non fuit permanens, ſed tranſiuit ſtatim in præteritum, & idem fuerunt, illam determinationem egredi, & egreſſam fuiſſe. At diuinæ voluntatis operationes menſurantur inſtanti ſemper manente, & nunquam tranſeunte in præteritum. vnde quandiu non conſurgit inter ipſam voluntatem, & effectum ad extra actualis reſpectus creationis, & effectionis, ſemper determinatio diuinæ voluntatis eſt concipienda,

vt

vt in præsenti egrediens, tanquam si non esset egressa in præterito,& posset non egredi. Non itaque dicimus,Deum facere posse determinationem semel egressam non esse egressam:sed dicimus determinationem diuinæ voluntatis semper concipiendam esse,vt in præsenti egredientem, & nunquam in præterito egressam,nisi quando iam actu refertur ad creaturam,vt productam ad extra. sed falsa illa imaginatio decepit Molinam, qua,vt ait Scotus,in 1.d.40.ad 1. multi decipiuntur, imaginantes determinationẽ diuinæ voluntatis statim in præteritum transire, quemadmodum & nostrã.

Scotus. Molina.

Respondeo secundò. Aliud est dicere, Deum postquam semel voluit, posse non voluisse: aliud est dicere,id,quod Deus vult,illum sine sui mutatione posse non velle. Primum est impossibile. supposito enim, quòd voluerit, non potest non voluisse, vt notat D.Thom. de veritate q.6. art.3. ad vltimum. Secundum verò dicimus possibile esse,vt id,quod semel vult, ampliùs non velit, & hoc absque sui mutatione.immo id putamus certum ex fide, sicut certum est, homini in gratia constituto Deum velle æternam salutem, & eidem cadenti à gratia, non amplius velle æternam salutem.

D.Thom.

Dices.hoc est Dei secretum inexplicabile.

Respondeo.id tamen nos doceri ex diuina Scriptura. Exclamemus igitur omnes cum Apostolo, *O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei.*

X. Tertium argumentum. Voluntas diuina iam modò est determinata ad productionem mundi: sed illa non potuit determinari,quando mundum produxit, quia nihil Deus potest incipere velle in tempore. Ergo ab æterno fuit determinata: sed postquam Deus suam voluntatem in vnam partem determinauit,non potest facere,vt se non determinauerit. Ergo in nullo puncto temporis potuit ante creationem mundi efficere,vt se ad illius creationem non determinauerit.

Respondeo argumentum hærere in eadem falebra, & procedere ex eadem falsa imaginatione, quòd decretum de mundo creando ante actualem creationem transierit in præteritum,quam falsam esse iam dictum est. Deinde dico,supposito quòd decreuerit mundum creare, non potuisse id non esse decretum: sed adhuc quæstio restat, an quod decreuit facere, possit decernere non facere, sine omni sui mutatione.

Alia argumenta profert Molina ad probandum, quòd non detur potentia ad præteritum, quæ admitti possunt: quia non militant contra nos,qui nõ ponimus in actibus diuini intellectus, & diuinæ volũtatis potentiam ad præteritum,sed solùm dicimus,diuinum decretum de actibus humanis liberis, maximè necessariis ad æternam salutem assequendam, non ita transisse in præteritum, & in rem iudicatam, vt iam omni ex parte absolutum sit nostrum negotium: sed fatemur, Deum in præsenti homines ita prædestinare, vel reprobare, vt quandiu diuina prædestinatio, aut reprobatio non posuerit erga nos omnes suos effectus, in nostræ voluntatis arbitrio positum sit, vel supposita Dei gratia saluari,vel ex nobis damnari. Neque propter hoc ponimus in diuina præscientia incertitudinem,vt lib.6.monstrabitur:neque in diuina voluntate mutabilitatem, sed tantùm in nobis. Scio, videbitur ingeniis præclaris friuolum commẽtum, eo magis,quòd cùm Theologi nostrum hunc modum conciliationis videre potuerint apud D.Thom. Bonauenturam, & Scotum, illum tamen spernentes silentio præterierint.Sed patiantur quæso aliorum tarditatem, qui alto ingenio præuolant:& proferant illi aptiorem modum, quem & ardentissimo animi affectu ex illis percupio,& auidissimè complectar.sin autem, hunc nostrum admittant, aut saltem animum illum nostrum excipiant,quo hæc scripsimus,quem nouit Deus,qui corda hominum scrutatur.

PROPV

PROPVGNACVLI HVMANÆ LIBERTATIS

LIBER QVINTVS.

Non impediri humanam libertatem per ordinem immutabilem diuinæ Prouidentiæ.

APVD Strophadas Ionij maris insulas fama est, fuisse olim monstra turpissima, ab illorum rapacitate Harpyias (id est, rapaces Dæmones, vt Suidas exponit) appellata. Quorum ea erat improba natura, conuiuarum cœnas turbare, aut escas vnguibus detripiendo, aut si id minimè quiuissent, fœdissima ventris colluuione supereffusa turpiter mensas spurcitiis complendo. His Harpyis persimiles sunt hæretici omnes, maximè recentiores Nouatores. quod cùm in omnibus fidei Catholicæ dogmatibus, tum præcipuè in eo, quod circa diuinam prouidentiam versatur, Solis luce clariùs licet intueri. Nam cùm augustissimam illam mensam diuinæ prouidentiæ, qua pijssimus omnium Pater omnia non solùm animantia, sed, si sic loqui fas est, inanimata pascit, nutrit, ac fouet, euertere se posse omnino desperent, quippe quòd nemo sit tam rudis, & tam ferus moribus (vt Lactantius Firmianus ait Institutionum lib. primo cap. 2.) qui oculos in cœlum attollens, quauis nesciat, cuius numinis prouidentia vniuersum hoc regatur, aliquam tamen esse prouidentiam, qua mundus regatur, non facilè intelligat, omnibus quibus possunt, viis, ac modis fœdissima errorum colluuione illam nituntur conspurcare. Duo sunt errores inter alios præcipui, quos circa diuinam prouidentiam euomunt recentes Nouatores. Primus, Deum per suam prouidentiam non omnes homines saltem affectu simplicis complacentiæ ordinasse in finem supernaturalem æternæ salutis, sed maximam hominum partem ante præuisam illorum culpam efficaciter à cœlesti regno excluisse, vt in eis ostenderet gloriam suam per modum iustitiæ vindicatiuæ. *Decretum Dei* (inquit Bèza ad acta colloquij Montis-Belgardensis) *de faciendis ex eadem massa vasis aliis in honorem, aliis in contumeliam, antecedit omnem præuisionem culpæ, & omnem omnino causam. Sed quia non poterat Deus executioni huius decreti viam aperire, nisi homo peccaret, ideo ordinauit lapsum Adami, vt haberet, quorum misereretur, & quos iustè puniret.* Secundus error est, per ordinem immutabilem diuinæ prouidentiæ imponi humanis euentibus fatalem, ac durissimam necessitatem, quæ hominē sua expoliet libertate. *Quæ fortuita maximè videntur ea dicimus fieri necessariò, non suapte natura, sed quoniam æternum, ac stabile Dei consilium in illis gubernandis regnat*, inquit Caluinus lib. 2. contra Pighium. Vt igitur ex hoc etiam capite libertatem humanæ voluntatis illæsam tueamur, has harpyias à mensa præclarissima diuinæ prouidentiæ gladiis, & sagittis diuinarum Scripturarum, & solidæ rationis arcere oportebit. id vt efficiamus, in hoc quinto libro quatuor controuersiæ principales sunt nobis hoc ordine examinandæ, ac resoluendæ. Prima versabitur circa quidditatem ipsius diuinæ prouidentiæ. Secunda circa subiectum, vel obiectum eiusdem prouidentiæ. Tertia circa finem, in quem res à Deo præuisæ diriguntur. Quarta circa immutabilitatem ordinis per ipsam prouidentiam in rebus constituti.

Lactant. Firmian.

Beza.

Caluinus.

CAPVT I.

Quid, & quotuplex sit Prouidentia in Deo, explicatur.

PRouidentia, si nominis etymologiam attendamus, idem prorsus significat, quod actus, quo ea, quæ procul à nobis sunt posita, videmus. Dicitur nanque prouidentia à procul videndo, siue id quod videmus, sit procul à vidente secundùm distantiam loci, siue etiam secundùm distantiam temporis. Secundùm hanc grammaticalem acceptionem vtuntur nomine prouidentiæ Cicero lib. 2. de Diuinatione, cùm ait, Medicum morbum ingraueſcentem ratione prouidere, & gubernatorem nauis futuram tempestatem. & Boëtius lib. 5. de consolatione prosa vltima, dicens prouidentiam dici cognitionem, qua diuina mens quasi procul à rebus infimis constituta, quasi ab excelso cuncta prospicit. Porrò, quia quæ à longè videmus, si proficua iudicamus, prosequimur, si nociua, refugimus, & pro posse vitamus. Hinc secundò deductum est nomen prouidentiæ, ad significandum consilium de rebus futuris agendis: iuxta quam acceptionem dicuntur prouidi, qui de futuris agendis benè consulunt. Rursus quia, vt benè consulamus de futuris agendis, requiritur memoria præteritorum, & intelligentia præsentium, & hæc tria memoria præteritorum, intelligentia præsentium, & prouidentia seu consilium de futuris agendis, sunt tres partes integrales virtutis moralis, quæ dicitur Prudentia, illa nanque his tribus actibus completur, vt Philosophus testatur lib. 6. Ethic. cap. 5. Hinc tertiò deducitur nomen prouidentiæ ad significandam ipsam prudentiam, iuxta quam acceptionem homines, qui in rebus agendis prudenter se gerunt, prouidi solent appellari. Ob hanc rationem ait Tullius lib. 2. de natura Deorum, quòd mens mundi prudentia, seu prouidentia rectè nuncupari potest. I.

Cicero.

Boëtius.

Aristoteles.

Tullius.

Præter has acceptiones, iuxta quas passim nomine Prouidentiæ vtuntur non solùm Doctores Catholici, sed etiam hæretici, & infideles, est quarta acceptio peculiaris apud Doctores sacros, & etiam apud eruditos Philosophos, iuxta quam prouidentia significat rationem quandam apud Deum

Digitized by Google

Deum exiſtentem, ſecundùm quam res aut omnes, aut ſaltem aliquæ ſunt in ſuos fines conuenientes ab æterno ordinatæ, & ſucceſſu temporum in eoſdem fines conuenientem deductionem accipiunt. Dixi autem, *aut omnes, aut ſaltem aliquæ*, propter nonnullos Philoſophos, qui etſi admittant in Deo prouidentiam creaturarum, non tamè concedũt, omnia eſſe ſubiecta eidem prouidentiæ: quorum errorem controuerſia ſequenti refutabimus. Iuxta hanc poſtremam acceptionem vtemur nomine prouidentiæ in toto hoc libro, & in toto hoc opere, cùm verba fient de diuina prouidentia.

II. Hac nominis declaratione præmiſſa, vt rei exactam definitionem faciliùs aſſequamur, illud recolendum eſt, quod diximus lib. 3. cap. 13. & lib. 4. cap. 3. ex potentiis, quæ ſunt in natura intellectuali, non poſſe in Deo aliam potentiam conſtitui, præter intellectum, & voluntatem, & ad ſummum præter illas poſſe admitti potentiam executiuam, quæ tamen ſecundùm probabiliorem ſententiam non eſt alia ab ipſa diuina voluntate, niſi ſolùm ſecundùm rationem. vnde neceſſe eſt, prouidentiam aut ad diuinum intellectum, aut ad diuinam voluntatem, aut ad vtrunque attinere: nam ad potentiam executiuam attinere non poteſt, niſi quatenus in tempore executioni demandatur, non autem ab æterno. Eſt verò de hac re non parua inter Doctores controuerſia, aliis contendentibus, prouidentiam eſſe actum diuini intellectus, aliis reclamantibus, & dicentibus, eſſe actum diuinæ voluntatis. Et quidem ſententiam primam tueri videtur D. Thom. 1. part. quæſt. 22. art. 1. vbi Caiet. & cæteri D. Thomæ diſcipuli, Alexand. Alenſ. 1. part. quæſt. 26. memb. 2. & quæſt. 28. memb. 1. art. 2. ad 2. Durandus in 1. d. 41. quæſt. 1. num. 9. & Capreol. d. 40. quæſt. 1. art. 1. concluſione 1. & art. 2. concl. 2. Secundam verò defendunt D. Bonauent. eadem d. 40. art. 1. quæſt. 2. Gregor. Arimin. ibid. quæſt. 1. art. 1. & Vaſquez in 1. part. diſp. 87. cap. 3. licèt illi loquantur de prædeſtinatione. Sed eadem eſt ratio etiam de prouidentia. Omnes tamen in hoc conueniunt, aut prouidentiam ita eſſe actum intellectus, vt dicat etiam reſpectum ad actum voluntatis: aut è contra. vel ſub aliis terminis eſſe formaliter actum intellectus includentem virtualiter actum voluntatis, aut eſſe actum voluntatis virtualiter includentem actum intellectus.

D. Thom. Caietanus. Alexand. Alenſ. Durandus. Capreolus. Bonauen. Gregorius Arim. Vaſquez.

III. Videtur nihilominus hæc controuerſia facilè reſolui poſſe per ea, quæ tradit D. Thom. ead. d. 40. quæſt. 2. art. 1. ad 1. vbi ſic dicit. *Ad primum ergo dicendum, quòd prouidentia, & diſpoſitio diuerſimodè conſiderata pertinet ad ſcientiam, voluntatem, & potentiam, quod ſic patet ex ſimili inducto, poteſt enim aliquis artifex cognitionem habere de artificiatis ſpeculatiuè tantùm, ſine hoc, quòd operari intendat, & ſic prouidentia, & diſpoſitio eius pertinet tantùm ad ſcientiam. Secundùm autem quod vlteriùs ordinat in opus, cum propoſito exequendi, pertinet ad ſcientiam, & voluntatem. Secundùm autem quod exequitur in opere, ſic pertinet ad ſcientiam, voluntatem, & potentiam, per quam operatur. Ita etiam & in Deo eſt. Patet etiam quod primæ duobus modis accepta ſunt æterna, ſed tertio modo ſunt ex tempore, & ipſa executio prouidentiæ gubernatio dicitur.* Hæc ille. ex quibus habetur, prouidentiam eſſe actum intellectus practici, qui completur per actum voluntatis, qui actus voluntatis eſt propoſitum exequendi ordinem per intellectum præconceptum in rebus. Hoc prænotato facile erit definitiones à Philoſophis, & Theologis de diuina prouidentia traditas explicare.

D. Thom.

Prima igitur prouidentiæ definitio eſt, quam tradidit Apuleius in lib. de dogmate Platonis in hunc modum. *Prouidentia eſt diuina ſententia conſeruatrix proſperitatis eius, cuius cauſa tale ſuſcepit officium.* Primò dicitur, quòd eſt diuina ſententia, quia prouidentia eſt actus intellectus practici dictantis, aut decernentis aliquid eſſe futurum, aut faciendum: dictare autem aliquid eſſe faciendum, eſt actus intellectus practici: quatenus in eo manet virtualiter actus voluntatis, vt ait D. Thom. 1. 2. quæſt. 17. art. 1. Dicitur etiam ſententia, ad denotandum immobilitatem illius, eſt enim diuina ſententia, & lex immobilis manens, ob quam cauſam leges diuinæ à Platone fatales appellantur in Gorgia, & in Timæo, & à Plotino Enneade 4. lib. 4. cap. 38. Secundò dicitur conſeruatrix proſperitatis eius, cuius cauſa ſuſcipit tale officium, quia finis primò intentus per diuinam prouidentiam eſt rerum conſeruatio, tutela, & fomentum, non autem punitio, & pernicies, vt diuina Scriptura ſatis indicat, & D. Thom. animaduertit de veritate quæſt. 23. art. 1. vnde ſequitur, oſtenſionem diuinæ gloriæ per modum iuſtitiæ punitiuæ non eſſe à Deo volitam primaria intentione, & mala, & detrimenta, quæ nonnullis rebus in mundo accidunt, ea ſola ratione eſſe per diuinam prouidentiam ordinata, quia ad commodum, & vtilitatem aliarum rerum, & decorem vniuerſi aliquo modo conferre poſſunt.

I V. Apuleius. D. Thom. Plato. Plotinus. D. Thom.

V. Secunda definitio eſt, quam alij nonnulli tradunt ex mente eiuſdem Platonis in hunc modum: *Prouidentia eſt diuina bonitas, vnamquamque rem in ſuum finem ordinans, & per inſtitutum ordinem in eundem finem dirigens.* Dicitur primò quòd eſt diuina bonitas, vel quia arbitrabantur Platonici, ſpectare ad intrinſecam rationem diuinæ bonitatis, ſeipſam ad extra communicare, vel quia Deus non ex neceſſitate, ſed ex ſua bonitate rerum procurationem ſuſcepit, vel tandem, quia ſicut bonitas eſt Deo connaturalis, ita connaturale eſt Deo creaturis prouidere ad eum modum, quo eſt connaturale patri ac matri filiorum indigentiis prouidere, ob quam cauſam cùm de diuina agitur prouidentia, diuina Scriptura Deum Patri aſſimilat Sapient. 14. *Tu autem Pater prouidentia ab initio cuncta gubernas.* & obſtetrici Iob. cap. 26. *& obſtetricante manu eius eductus eſt coluber tortuoſus.* & nutrici Baruch cap. 4. *nutriui enim illos cum ſecunditate, & dimiſi illos cum fletu, & luctu.* & Prouerb. cap. 8. vbi vides æternam Dei ſapientiam in rebus creandis induere perſonam nutricis infantulo blandientis cùm ait, *& delectabar per ſingulos dies ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum: & deliciæ meæ eſſe cum filiis hominum.* quod clariùs expreſſit textus Hebraicus in illis verbis immediatè præcedentibus: *Cum eo eram cuncta componens.* nam pro participio *componens*, eſt dictio אמון quæ ſignificat idem, quod alumnus vel nutritius, vt Vatablus, & alij in eum locum animaduertunt. quod etiam non obſcurè indicare voluit Elias, cùm Prophetas Baal irridendo aiebat lib. 3. Regum cap. 18. *Clamate voce maiori, Deus enim eſt, & forſitan loquitur, aut in diuerſorio eſt.* quaſi diceret, qui verus Deus eſt, creaturarum obliuiſci non poteſt, & qui illarum obliuiſcitur, cùm illius auxilio opus habent, non verus Deus eſt, ſed fictitius. Atque hanc eſſe veram diuinitatis notam, qua verus Deus à falſis Diis poteſt diſcerni, apertiſſimè indicant illa Dauidis verba in Pſal. 39.

Pſal.39.*Ego autem mendicus ſum,& pauper,Dominus ſolicitus eſt mei.* Alia quoque addi poteſt ratio, ob quam diuina prouidentia à Platonicis definitur per bonitatem, quæ colligitur ex Plotino lib. 2. de Prouidentia. quia ſicut Deus nullo labore bonus eſt:ita abſque vllo labore omnibus rebus prouidet. Secundò dicitur in definitione,quòd eſt vnamquanque rem in ſuum finem ordinans : quia præcipua ratio prouidentiæ diuinæ eſt,vt ſit ordo, aut ratio ordinis rerum in ſuos fines, vt infrà dicemus.Tertiò dicitur,*per inſtitutum ordinem in eundem finem dirigens.*quibus verbis denotatur executio eiuſdem prouidentiæ, quæ eſt proprius illius effectus.

Plotinus.

VI. Tertia definitio traditur à Boëtio lib. 4. de Conſolatio.proſa ſexta in hunc modum.*Prouidentia eſt ratio in ſummo omnium principe conſtituta, qua cuncta in ſuos fines diſponit,* quam definitionem explicat,& defendit D.Thom.in 1.d.40.quæſt.2. art. 1.& 1.part.quæſt.22.art.1.Dicit primò quòd prouidentia eſt ratio, non quatenus ratio ſignificat diſcurſum, ſed quatenus ſignificat conuenientiam ,ſecundùm quod dicimus, aliquid fieri cum ratione,id eſt, conuenienter, & rationabiliter, & hoc ad denotandum eorum, quæ Deus facit ad extra, poſſe aſſignari legitimam rationem præter diuinam voluntatem, contra nonnullos, quorum meminit D.Thom. lib.3. contra Gent.cap 97. dicentes,omnium eorum, quæ fiunt in mundo, nullam aliam quærendam eſſe rationem, præter diuinam voluntatem, qui eſt error Sarracenorum, vt Rabbi Moyſes dicit, ſecundùm quos nulla eſt differentia, quòd ignis calefaciat, & aqua infrigidet,niſi quia Deus ita vult.Quem errorem ibi refutat D.Thom.quia licèt quidquid eſt in mundo, per Dei voluntatem ſit, & fiat, tamen eadem Dei voluntas irrationabilis eſſe non poteſt,ſed æquiſſima ratione perpendit, quid,& quomodo,& quãdo,& vbi ſit faciendum : hic nanque eſt ſenſus illorum verborum Pſal.103. *Omnia in ſapientia feciſti.* & Prouerb. cap.8. *Quando præparabat cœlos aderam,quando certa lege & gyro vallabat abyſſos,&c.cum eo eram cuncta componens.*& Sapient.cap.11.*Sed omnia in menſura,& numero,& pondere diſpoſuiſti.* & 1. ad Corinth.cap.2. *qui omnia operatur ſecundum conſilium voluntatis ſuæ.* Dicit ſecundò quòd hæc ratio eſt in ſummo omnium Principe conſtituta, vt diſtinguatur prouidentia à fato, ſano modo accepto fati nomine : quia vt D.Thom. adnotauit dicta d.40.q.1.art.1. ad 5.fatum eſt ordo exiſtens in rebus extra Deum,prouidentia verò eſt ratio conſtitutiua eiuſdem ordinis exiſtens non in rebus, ſed in Deo. Dicit tertiò *qua cuncta diſponit*, id eſt, ordinat:ordo,enim teſte Auguſt.lib.19. de ciuitate cap.13.eſt parium,diſpariumque rerũ ſua cuique loca tribuens diſpoſitio. diſpoſitio verò duplex eſt, altera æterna,& hæc eſt propriè prouidentia:altera temporalis,& hæc propriè dicitur prouidentiæ executio.Rurſus duplex eſt diſpoſitio,ſiue æterna, ſiue temporalis,altera per quam plures partes adinuicem ordinantur ad conſtituendum vnum totum:altera ſecundùm quam partes,& totum ordinantur in ſuos fines.Prouidentia eſt ratio diſpoſitionis, ſeu ordinis non partium ad ſe inuicem, & ad totum,ſed partium,& totius ad finem,vt idem D.Th.loco proximè cit.in fine adnotauit : & hoc innuit Boëtius in definitione, cùm ait, prouidentiam eſſe rationem, qua Deus cuncta in ſuos fines diſponit.Vtrùm autem de ratione prouidentiæ ſit ipſius finis aſſecutio,inferiùs dicetur.

Boëtius. D.Thom. Rabbi Moyſes. D.Thom. Auguſt.

Quarta definitio traditur à Damaſceno lib.2. de fide cap.29.*Prouidentia*,inquit, *eſt diuina voluntas, ſecundum quam omnia in ſuos fines conuenientem deductionem accipiunt.*Dicit primò quòd prouidentia eſt voluntas, aut virtualiter, quia prouidentia eſt ratio intellectus practici, in qua virtualiter eſt actus voluntatis,aut formaliter completiuè, quatenus ipſa diuina prouidentia completur per actũ voluntatis, qui eſt propoſitum demandandi executioni ipſum ordinem præconceptum. Dicit ſecundò,*per quem omnia in ſuos fines conuenientem deductionem accipiunt* : quia ad prouidentiam ſpectat non ſolùm res in finem ordinare, & media ad fines aſſequendos præparare, ſed etiam in eoſdem fines ipſas res deducere, modo tamen conuenienti naturæ vniuſcuiuſque rei,ſcilicet libera liberè, naturalia naturaliter, & contingentia contingenter: quod innuere voluit ipſe Damaſcenus, cùm ait,conuenientem deductionem accipiunt. VII. Damaſc.

Vltima eáque exactiſſima prouidentiæ definitio traditur à D.Thom.1.part. q.22.art.1. quæ talis eſt : *Prouidentia eſt ratio ordinandorum in finem:* hæc definitio breuis in verbis, & grauis in ſenſu, & ſucci plena omnes alias tribus dictionibus perſtringit. Prima dictio eſt, *ratio*, ſcilicet practica, virtualiter, & completiuè includens actum intellectum. & notandum, quòd prouidentia eſt ratio non communis,& vniuerſalis tantùm,qualem poſuerunt in Deo prouidentiam Platonici reſpectu rerum ſublunarium,huiuſmodi nanque prouidentia ſatis confuſa eſt, & imperfecta, ſed eſt ratio particularis,& diſtincta reſpectu eorum, quæ per ipſam diuinam prouidentiam diſponuntur, diſtincta, inquam, diſtinctione ſe tenente non ex parte Dei, ſed ex parte rerum præuiſarum, ad eum modum, quo diximus lib. 2. eſſe in Deo diſtinctam notitiam omnium creaturarum.Secunda particula definitionis eſt, *ordinandorum*,quæ ponitur pro differentia,quia prouidentia eſt ratio non quæcunque, ſed ratio ordinis. Dicitur autem in futuro ordinandorum, quia prouidentia eſt pars integralis prudentiæ, quæ verſatur non circa præterita,neque præſentia,ſed circa futura, quanuis & memoria præteritorum, & intelligentia præſentium conferant ad prouidentiam futurorum, & ad illam per prudentiam ſint ordinata. Tertia particula eſt, *in finem* ; quia, vt dictum eſt, non quæcunque ratio ordinis eſt prouidentia, ſed illa duntaxat, qua res in ſuum finem ordinantur.Et licèt eſſet etiam ratio ordinis partium inter ſe,& ad totum, vt contendit Nazarius contra Molinam dicta q.22. art.1. illa tamen non ſufficeret ad perfectam rationem prouidentiæ, niſi etiam eſſet ratio ordinis partium, & totius in ipſum finem,& hæc eſt expreſſa mens D.Thom.ibid. & in 1. d. 40.loco citato. VIII. D.Thom. Nazarius. D.Thom.

Ex definitionibus traditis ſequentia deducuntur corollaria, per quæ vera diuinæ prouidentiæ quidditas,& eſſentia declaratur. IX.

Primum corollarium. Prouidentia formaliter, & magis principaliter eſt actus intellectus : quia formaliter eſt ratio practica.

Secundum.Prouidentia eſt pars integralis prudentiæ Monarchicæ.

Tertium. Prouidentia non eſt præteritorum, neque præſentium, ſed futurorum: quia præteritorum eſt memoria, præſentium eſt intelligentia, futurorum verò eſt prouidentia.

Quartum.Prouidentia virtualiter,& completiuè eſt actus diuinæ voluntatis.

Quintum.

Quintum. Prouidentia non eſt finis, ſed mediorum, aut rerum ordinabilium ad ipſum finem: quia cùm prouidentia ſit ratio ordinis, neceſſariò ſupponit aliquo modo intentionem finis, alàs eſſet ordo ſine eo, ad quod res eſſet ordinata. quod eſt impoſſibile.

Sextum. Ordo per diuinam prouidentiam conſtitutus in rebus eſt immutabilis.

Septimum. Finis per diuinam prouidentiam primò, & principaliter intentus voluntate antecedenti eſt rerum proſperitas, & conſeruatio, & diuinæ bonitatis oſtenſio, & participatio.

Octauum. Omnia, quæ fiunt in mundo, certiſſimæ Dei prouidentiæ ſunt ſubiecta.

CAPVT II.

An ſit de ratione intrinſeca prouidentiæ finis aſſecutio.

I. COrollaria ex definitionibus prouidentiæ deducta nonnullas, eáſque non leues continent difficultates, in ſequentibus reſoluendas, quarum hæc præcipua cenſetur. An de ratione diuinæ prouidentiæ ſit ſolùm ratio ordinis rerum in finem, & præparatio mediorum ad ipſum finem aſſequendum, an ſit etiam de ratione prouidentiæ eiuſdem finis aſſecutio. Circa quam difficultatem eſt diſſidium inter Doctores. nam ex vna parte Caietan. prima part. quæſt. 22. art. primo, & quæſt. 23. art. 6. ſuſtinet, eſſe de ratione prouidentiæ non ſolùm ordinem rerum in finem, & præparationem mediorum ad finem aſſequendum, ſed etiam ipſius finis aſſecutionem. Cui ſententiæ non parum videtur ſuffragari definitio Damaſceni capite præcedenti relata, & declarata. Eidem ſententiæ ſubſcribunt Dominicus Bañes, Cumel, & Ripa dicta quæſt. 22. & Aluarez diſp. 30. de diuinis Auxiliis, vbi contendit, hanc eſſe mentem D. Thom. expreſſam. Ex altera verò parte Ferrar. lib. 3. contra Gentes cap. 94. contendit non eſſe de ratione prouidentiæ vniuerſaliter ſumptæ finis aſſecutionem, ſed hoc eſſe proprium ſolius prouidentiæ, quæ dicitur Prædeſtinatio. Hanc ſententiam ſequuntur Sylueſter, & Molina dicta quæſt. 22. articulo primo & ibidem Vaſquez dicens, ſententiam Caietani non ſolùm eſſe contra D. Thom. ſed nullo modo defendi poſſe. Eandem ſententiam docuerunt ex antiquioribus Scholaſticis Durandus in primo diſ. 39. quæſt. 3. & d. 40. quæſt. prima, & ibi Capreol. quæſt. prima art. primo concluſ. 2. Marſilius quæſt. 41. art. primo in principio. Contendunt autem vtriuſque partis autores ſententiam ſuam comprobare autoritate apertiſſima (vt putant) D. Thomæ, licèt quidam illorum fateantur, D. Thomam in Summa correxiſſe ſententiam, quam tenuerat in ſcriptis, & in quæſtionibus de veritate: alij verò dicant, ſemper in eadem ſententia permanſiſſe, nitantúrque dicta illius in ſpeciem pugnantia hoc modo conciliare, quòd ſicut in Deo diſtinguitur duplex voluntas, altera enim eſt voluntas ſigni, quæ eſt voluntas ſecundùm quid, & non ſemper impleturr altera eſt voluntas beneplaciti, quæ eſt volùtas ſimpliciter, & ſemper impletur: ita duplex prouidẽtia in Deo poteſt diſtingui, altera qua per voluntatem beneplaciti res ordinantur in finem principaliter intentum, & hæc ſemper aſſequitur talem finem; altera qua voluntate antecedente res ordinantur ad talem finem, non autem voluntate beneplaciti, ita videlicet, vt ille finis ſit principaliter, & per ſe intentus, & talis prouidentia non ſemper aſſequitur

Bañes. Cumel. Ripa. Aluarez. Ferrari.

Syluest. Molina. Vaſquez. Durand. Capreol. Marſilius.

Gabr. Pennot. de libert. hum.

finem illum, nihilominus aſſequitur aliũm finem, ad quem res principaliter ordinantur, vt apparet in prouidentia, quam Deus habet de reprobis. Dicunt igitur, D. Thom. in ſcriptis, & in q. de veritate loqui de prouidentia, per quam res ordinantur in finem per voluntatem antecedentem: in Summa verò loquitur, inquiunt, de prouidentia, qua res ordinantur in finem per voluntatem beneplaciti. Et quidem ad rationem prouidentiæ, qua res ordinantur in finem per voluntatem antecedentem, quæ eſt voluntas ſigni, non ſpectat aſſecutio finis. Cæterum ad rationem prouidentiæ, qua res ordinantur in finem per voluntatem beneplaciti, intrinſecè pertinet finis aſſecutio: & hoc modo conciliant dicta repugnantia D. Thomæ.

Circa hanc controuerſiam duo videntur dicẽda. Primò, iſtum modum conciliandi autoritates D. Thomæ neque eſſe ad mentem autoris, neque in ſe verum, nihil aliud intelligant, quam verba ſonent. Primò namque ſecundùm hunc modum dicendi, voluntas antecedens non eſt voluntas beneplaciti, ſed tantum ſigni, quod eſſe contra expreſſam ſententiam D. Thomæ, & contra veritatem, oſtenſum eſt lib. præcedente cap. 21. Secundò iuxta hunc modum dicendi, reprobi non ſunt ordinati ad finem ſupernaturalem æternæ beatitudinis aliqua voluntate beneplaciti, quæ ſit reuera in Deo, licet mefficax, & ſimplicis tantùm complacentiæ: quod etiam eſſe contra D. Thom. apertè conſtat ex q. 23. de veritate art. 2. & eſſe contra diuinã Scripturam manifeſtiſſimè oſtendemus infrà hoc eodem lib. in reſoluenda tertia controuerſia. II. D. Thom.

Tertiò iuxta hunc modum dicendi, finis intentus primaria intentione per prouidentiam ſupernaturalem, quam Deus habet de reprobis, non eſt illorum ſalus, & proſperitas, & vita, ſed pernicies, & damnatio, & interitus, quod eſt expreſsè contra doctrinam D. Thomæ dicta q. 23. de veritate art. 2. licet ſit iuxta doctrinam Theodori Bezæ in reſponſione ad acta colloquij Montisbelgard. cuius verba in initio huius libri retulimus. D. Thom. Beza.

Secundò videtur dicendum. Eandem controuerſiam dirimi poſſe per doctrinam D. Th. ex q. 6. de veritate art. 3. vbi ſic ait: *Ordo diuinæ prouidentiæ dupliciter certus inuenitur, vno modo in particulari, quando ſcilicet res, quæ a diuina prouidentia in aliquem finem ordinantur, abſque defectu in finem illum deueniunt, ſicut patet in motibus cæleſtibus, & in omnibus, quæ neceſſariò aguntur in natura: alio modo in vniuerſali, & nõ in particulari, ſicut videmus in generabilibus, & corruptibilibus, quorum virtutes quandoque deficiũt in propriis effectibus, ad quos ſum ordinata, ſicut ad proprios fines, ſicut virtus generatiua deficit quandoque à perfecta conſummatione membrorum ſed tamen ipſi defectus diuinitus ordinantur ad aliquem finem, vt patet ex dictis, dum de prouidentia ageretur. & ſic nihil poteſt deficere à generalitate prouidentiæ, quamuis quandoque defecerit à fine particulari. Sed ordo prædeſtinationis eſt certus non ſolum ratione vniuerſalis finis, ſed etiã reſpectu particularis finis.* Eſt ergo més D. Thomæ, creaturas poſſe deficere ab aliquo fine particulari, ad quem ſunt per ipſam prouidentiam ordinatæ, non tamen poſſe deficere à fine vniuerſali, quem finem diuina prouidentia ſemper conſequitur. & eſt doctrina D. Auguſtini in locis lib. præcedenti controuerſia quarta allegatis, maximè cap. 22. III. D. Thom. Auguſtin.

Quæ doctrina, vt meliùs percipiatur, declarandum eſt, quid ſit finis particularis, & quid ſit finis vniuerſalis. quod vt intelligatur, ſupponendum eſt primò finem cuiuſque agentis aliud nihil eſſe poſſe, niſi bonum, ad IV.

quod assequendum agens ordinatur vel à seipso, vel à causa superiori, vt per tale bonum ipsum agens aliquo modo perficiatur; finis enim optimi habet rationem, & nihil intendens ad malum operatur, teste Dionysio de diuinis nominibus c.4. Hac veritate suppositâ dicendum est finem particularem esse bonum illud particulare, ad quod tanquam ad vltimum complementum vltimatè perficiens quælibet res particularis est à Deo per suam prouidentiam ordinata, vt per illud res perficiatur, seruetur, & foueatur: finis verò vniuersalis est illud bonum, ad quod res ordinantur per diuinam prouidentiam, vt ad bonum commune, & vniuersale, totius vniuersi. quid autem sit iste finis vniuersalis, & istud bonum vniuersale, & commune, dicendum est, esse illum finem, & illud bonum, quod prima causa vniuersalis in omnibus rebus vniuersaliter intendit: istud autem bonum, & iste finis duplex est, alter proximus, & iste est decor, & perfectio, & ornatus vniuersi: alter vltimus, & iste est ostensio diuinæ gloriæ, hic enim est vltimus finis, ad quem diriguntur omnia opera Dei ad extra, vt Sapiens ait in Prouerb. cap. 16. dicens, *vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus, impium quoque ad diem malum.*

Dionysius.

V. Est autem inter hos duos fines diuinæ prouidentiæ discrimen multiplex. Primum ex parte ordinis, quia finis particularis habet ordinem ad finem vniuersalem, vt ad finem vlteriorem, & non è contra. Secundum ratione perfectionis, quia finis vniuersalis nobilior est, & perfectior fine particulari, & illi præponderat, sicut bonum totius Reipublicæ præponderat bono vnius ciuis particularis; quod diuina Scriptura non obscurè indicat Genes. 1. ibi enim de singulis operibus Dei dicit, *vidit Deus, quòd esset bonum.* At omnibus simul collatis dicit, *quòd erant valde bona*, non simpliciter bona, sed valde bona. Tertium discrimen sumitur ex ordine. nam ad finem particularem res sunt ordinatæ solùm primaria intentione: ad finem verò vniuersalem sunt ordinatæ, vel primaria, vel secundaria intentione. Quod discrimen vt intelligatur, notanda est doctrina D. Thom. dicta quæst. 23. de veritate art. 2. vbi ponit duos ordines, secundùm quos omnes res per diuinam prouidentiam sunt ordinatæ in finem vniuersalem, alterum primaria intentione ab ipso Deo volitum & intentum, qui est ipsarum rerum particularium prosperitas, & felicitas, & beatitudo: alterum sola secundaria intentione volitum, & intentum, qui est punitio, & damnatio ad pœnam: quos ordines ea lege, & conditione in mundo constituit, vt qui exit ab ordine intento primaria intentione, recurrat in alium ordinem intentum secundaria intentione, & sic vel per primum, vel per secundum ordinem diuina prouidentia semper assequitur finem vniuersalem.

D.Thom.

VI. Quod vt adhuc clariùs percipiatur, notandum est, in ipso fine vniuersali esse aliquid principaliter intentum, aliquid verò intentum secundaria intentione. illud quod est intentum principaliter, est decor vniuersi, & splendor diuinæ bonitatis, & illius participatio in electis, nam omnia siue bona, siue mala, quæ eueniunt in mundo, sunt principaliter ordinata in bonum, & commodum electorum, sicut dicit D. Thomas de veritate quæst. 5. artic. 7. & prima part. quæst. 22. artic. 2. ad secundum & quartum, & quæst. 23. art. 7. Illud verò quod est intentum sola secundaria intentione, est punitio reproborum, quæ etiam ordinatur in bonum electorum, sicut vasa ignobilia, & fictilia in domo sunt ordinata ad purganda vasa aurea, & argentea. Hoc enim modo exponunt sæpe Augustinus, & alij Doctores metaphoram illam vasorum in honorem, & in contumeliam, qua Apostolus vtitur ad Roman. 9. Quam doctrinam si attenderent nonnulli, non dicerent saltem ad mentem D. Thomæ, ostensionem diuinæ gloriæ per modum iustitiæ punitiuæ in reprobis æquè principaliter fuisse à Deo intentam, sicut ostensionem eiusdem gloriæ per modum misericordiæ in electis.

D.Thom.

VII. Quartum discrimen sumitur ex eo, quòd finis particularis semper est volitus voluntate antecedente, & aliquando est volitus sola voluntate antecedente: finis autem vniuersalis semper est volitus voluntate consequente, & efficaci, & respectu aliquorum est volitus solùm voluntate consequente: nam voluntate antecedente Deus vult salutem reprobi, vt finè illius particularem, non autem consequente: voluntate verò consequente vult ostentionem suæ gloriæ in reprobo per modum iustitiæ punitiuæ, quod tamen non vult voluntate antecedente.

VIII. Quintum sumitur ex comparatione ipsorum agentium. nam finis particularis perficit agens particulare; finis autem vniuersalis non perficit agens vniuersale, sed è contrario agens vniuersale per finem vniuersalem ab ipso intentum perficit vniuersum, & illi suam bonitatem, & gloriam communicat, vt docet D. Thom. in primo d. 39. quæst. 2. artic. 2. in corpore. Et hoc est, quod dixit Apuleius in definitione prouidentiæ superiùs tradita, prouidentiam esse diuinam sententiam conseruatricem prosperitatis rerum.

D.Thom. Apuleius.

IX. Sextum, & postremum discrimen est, quòd assecutio finis particularis non pertinet ad intrinsecam rationem prouidentiæ, saltem communiter sumptæ, vt dicit D.Thom. in 1 d. 4. quæst. 1. art. 2. in corpore, vbi inter alia discrimina, quæ ibi numerat inter prouidentiam communiter acceptam, & prædestinationem, sic ait. *Secundò addit (scilicet prædestinatio) præscientiam eorum ex parte eius, quod prouidetur. vnde potest aliquid ab ordine prouidentiæ quantum ad id, quod intentum est, exire, sicut Deus vult omnes homines saluos fieri, licet non omnes saluentur: non autem ab ordine prædestinationis. dicit enim prædestinatio intentionem diuinam de salute ipsius, cum præscientia eius, quod saluabitur: & ideo dicitur, quod est præscientia, & præparatio.* Et eandem doctrinam adhuc magis expressam habet in quæst. 6. de veritate art. 3. vbi per hoc similiter distinguit prædestinationem à prouidentia communiter dicta, & q. 23. art. 2. Neque hanc doctrinam vnquam retractauit in Summa, nullus enim locus adhuc ostendi potuit, in quo illam retractauerit. Assecutio verò finis vniuersalis intrinsecè spectat ad diuinam prouidentiam, neque ab illo res prouisæ vllo modo deficere possunt: quia si non tendant in ipsum finem per vnum ordinem, recurrunt in illum per alium ordinem, vt dicit D.Thom. 3. contra Gent. c. 94. & dicta q. 23. & de veritate art. 2. & 1. part. q. 19. art. 6. in corpo. & art. 8. & quæst. 22. art. 2. ad 1. & art. 4. ad 2. & 3. & aliis pluribus in locis, quæ, vt dixi, est doctrina D. Augustini frequentissima & receptissima. Videatur Nazarius dicta quæst. 22. art. 1. contro. vnica §. *secundum est.*

D.Thom. D.Thom. Nazarius.

CAPVT

CAPVT III.

Multiplex diuiſio diuinæ prouidentiæ numeratur, ac declaratur.

I. EST ſanè prouidentia, quemadmodum capite ſuperiori monſtratum eſt, aliud nihil nili ratio ordinis rerum in ſuos fines per media vnicuique rei cõuenientia, & proportionata. Porrò quemadmodum non vnicus, ſed duplex eſt finis, ad quem res ſaltem aliquæ ſunt per diuinam prouidentiam ordinatæ, non etiam vnicum, ſed multiplex eſt genus rerum ordinandarum, ac tandem multiplicia ſunt media, per quæ res ipſæ in ſuos fines ordinantur, & dirigũtur. ita diuina prouidentia, quæ quatenus eſt in Deo, vnica eſt ac ſimpliciſſima, quatenus tamen tranſit ſuper res varias, & per varia media in varios fines creaturas dirigit, varium, & multiplex nomen ſortitur.

Ad cuius rei euidentiam ſupponendum eſt nobis primò præter diſtinctionem illam capite præcedenti allatam, & explicatam de duplici fine vniuerſali, & particulari, duplicem eſſe finem particularem, ad quem rationalis creatura eſt per diuinam prouidentiam ordinata, alter eſt finis naturalis, ad quem aſſequendum nullo alio indiget medio præter ea, quæ ſunt ordinis naturalis, neque enim potentiæ rationalis creaturæ ad hoc, vt per ſuas operationes aſſequantur ſuos fines, indigent ab aliquo extrinſeco eleuari ſupra proprias vires, & ſupra ſuam naturam, ſed ſufficit illis, ſi præſtò habeant media, & auxilia, quæ ad actum eliciendum circa ipſum finem ſunt illis neceſſaria ſecundùm ordinem naturæ. Alter verò eſt ſupernaturalis finis, ad quem aſſequendum creatura rationalis indiget mediis eminentioris conditionis, ſupra ordinem ſuæ naturæ: neque enim potentiæ rationalis creaturæ circa talem finem poſſunt elicere actum, in quo ipſa aſſecutio finis conſiſtit, per ſola illa auxilia, quæ illi debẽntur ſecundùm præciſum ordinem naturæ, ſed egent ſupra naturam, & illius ordinem eleuari. hic autem duplex finis ex parte rei vnus, & idem eſt, nempe ipſemet Deus, quatenus autor eſt ordinis naturæ, & quatenus eſt etiam autor ordinis, qui eſt ſupra ipſam naturam.

II. Secundò ſupponendum eſt, media, per quæ rationalis creatura per diuinam prouidentiam dirigitur in finem, tum naturalem, tum ſupernaturalem, eſſe quædam communia omnibus creaturis, quædam ſpecialia, quædam particularia, quædam ſingularia. Id autem facilè videre licebit diſcurrendo per media ſupernaturalia, quibus homo dirigitur in finem ſupernaturalem: alia nanque ſunt omnibus hominibus, & Angelis viatoribus communia, & ſunt auxilia ſufficientia, ſine quibus neque homo, neque Angelus ſalutem, & beatitudinem aſſequi poteſt. mihi enim certiſſimum eſt, quod libro ſeptimo probabo, nullum hominem, vel Angelum viatorem à Deo fuiſſe vnquam deſtitutum auxiliis ſufficientibus ad beatitudinem ſupernaturalem aſſequendam, id nanque præ ſe ferunt verba Saluatoris apud Matth. 5. *Qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos, & pluit ſuper iuſtos, & iniuſtos.* & D. Ioannis capite primo. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* quod de Sole, & illuminatione non ſolùm corporali, & ſenſibili, ſed multo magis ſpirituali, quæ fit per Dei gratiam, intelligendum eſſe, docent Gloſſa Chryſoſtom. & Auguſtini, & interlinearis in illa loca. Alia rurſus ſunt auxilia ſpecialia collata certis nationibus, & populis, non autem communiter omnibus hominibus, qualia ſunt, quæ olim contulit Iudæorum Synagogæ, & nunc confert exiſtentibus intra gremium Eccleſiæ Catholicæ, de quibus Dauid in Pſalm. 147. *Non fecit taliter omni nationi, & iudicia ſua non manifeſtauit eis.* & Saluator apud Matth. capite 11. *Si in Tyro, & Sidone facta fuiſſent virtutes, quæ facta ſunt in vobis, olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egiſſent.* Alia ſunt auxilia particularia, quæ ſolis electis conferuntur, qualia ſunt auxilia efficacia cum perſeuerantia vſque in finem, de quibus Saluator apud Ioan. capite 6. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum.* & rurſus. *Omnis, qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me.* Alia tandem ſunt auxilia ſingulariter conceſſa certis perſonis, qualia fuerunt conceſſa Ioanni Baptiſtæ, Ieremiæ, & præ omnibus glorioſiſſimæ Virgini Dei genitrici, de qua Eccleſia canit, *Elegit eam Deus, & præelegit eam, in tabernaculo ſuo habitare facit eam.* Gloſſa.

III. Tertiò ſupponendum eſt ex doctrina D. Thomæ de veritate quæſt. 5. art. 4. res, quæ per diuinam prouidentiam ordinantur, eſſe in duplici differentia. quædam enim ſunt, quæ ita ordinantur in finem, vt tamen alia ordinentur ad ipſa, vt ad fines: quædam autem ſunt, quæ ſolùm ordinantur in finem, non autem alia ordinantur ad ipſa. Primi generis ſunt omnes actus virtutum moralium, & etiam actus virtutum naturalium, per quos natura producit effectus completos, & perfectos. v.g. actus virtutis generatiuæ, quo illa generat animal perfectum in natura: talis enim actus ita eſt ordinatus à Deo ad generandum animal perfectum, vt etiam potentia generatiua ſit ordinata ad talem actum, vt ad finem, & complementum eiuſdem virtutis, ſeu potentiæ. Secundi generis ſunt actus omnes deficientes ſiue in genere naturæ, ſiue etiam in genere moris, qui vocantur peccata naturæ, vel etiam peccata moris, qualis eſt v.g. actus potentiæ generatiuæ, quo illa generat monſtrum in natura: nam talis actus ordinatur quidem à Deo in aliquam vtilitatem, puta ad perfectionem, & decorem vniuerſi, ſed tamen virtus, ſeu potentia generatiua non eſt à Deo ordinata ad talem actum ſub ea ratione, qua deficiens eſt, quia talis defectus accidit ex cauſæ ſecundæ imperfectione. III. D. Thom.

IV. Iuxta prædicta apparet quotuplex ſit diuina prouidentia. Diuiditur nanque prouidentia prima ſui diuiſione in prouidentiam naturalem, & ſupernaturalem. Prouidentia naturalis eſt ratio ordinis rerum in finem naturalem per media, quæ ſunt ordinis naturalis. Prouidentia verò ſupernaturalis eſt ratio ordinis rerum in finem ſupernaturalem per media, quæ ſunt ſupra ordinem naturæ.

Secunda diuiſio. Prouidentia tam naturalis, quàm ſupernaturalis eſt alia communis, ſiue generalis, alia ſpecialis, alia ſpecialiſſima, alia ſingularis. Prouidentia communis ſeu generalis ordinis naturalis eſt illa, quam Deus habet de omnibus rebus. de qua Sapient. capite 14. *Tu autem Pater prouidentia ab initio cuncta gubernas.* Prouidentia ſpecialis eſt illa, quam ſpeciali modo habet de quibuſdam ſpeciebus,

vt de ſpecie humana.de hac prouidentia loquitur D. Paulus epiſtola 1.ad Corinth. cap. 9. cùm ait. Hieron. *Nunquid de bobus curæ eſt Deo.* & Hieronym. in 1. cap. Abacuc circa illa verba, *faciens homines ſicut piſces maris*,cùm inquit,eſſe indecens, ad hoc deducere diuinam maieſtatem, vt ſciat per ſingula temporum momenta, quot culices, quot muſcæ naſcantur,aut moriãtur. non enim negant, Deum horum etiam animalium habere curam, aut prouidentiam,ſed ſolùm negant,habere illorum eam curam, & prouidentiam ſpecialem, quam de rationabilibus creaturis habet. Prouidentia ſpecialiſſima eſt illa, quam modo quodam ſpecialiſſimo habuit de quibuſdam nationibus, aut ciuitatibus, qualis olim erat ea cura,quam gerebat Synagogæ Iudæorum,& vrbis ſanctæ Hieruſalem, quam cuſtodiebat,vt pupillam oculi,cui pro muro, & antemurali erat contra inimicos omnes, quam ſpecialiſſimam prouidentiam indicat diuina Scriptura Deuteronomij cap. 32. cùm ait, *Pars autem Domini populus eius, Iacob funiculus hæreditatis eius. inuenit eum in terra deſerta, in loco horroris, & vaſta ſolitudinis. circumduxit eum, & docuit, & cuſtodiuit eum,quaſi pupillam oculi ſui. ſicut aquila prouocans ad volandum pullos ſuos, & ſuper eos volitans, expandit alas,& aſſumpſit eum, atque portauit in humeris ſuis*, &c. Eiuſdem Dei ſpecialiſſimæ prouidentiæ eſt præclariſſimum elogium apud Ezechielem c. 16. & alia ſunt huiuſcemodi ſexcenta in diuina Scriptura. Prouidentia verò ſingularis ea eſt, quam Deus ſingulari quodam modo præter conſuetum ordinem exercet circa quaſdam perſonas ſingulares miraculo eas è periculis eripiendo, protegendo,& gubernando,qualis,v.g. prouidentia extitit, quam habuit circa ſanctiſſimum illum Patriarcham Iacobum,& circa adoleſcentem Tobiam,& alios quoſdam.

V. Eodem modo ratiocinando de prouidentia ordinis ſupernaturalis,Prouidentia generalis ea eſt, qua omnes homines, quantum eſt ex ſe,dirigit in finem ſupernaturalem per media vnicuique ad ſalutem ſufficientia. De hac prouidentia loquitur Sapiens Prouerb.cap.1.cùm reproborum obſtinationẽ exaggerat,dicens: *Quia vocaui,& renuiſtis extendi manus meas,& non fuit,qui aſpiceret,& deſpexiſtis omne conſilium meum,& increpationes meas neglexiſtis,ego quoque in interitu veſtro ridebo,& ſubſannabo,cùm id vobis,quod timebatis aduenerit*, &c.& Saluator apud Matth. 23. *Hieruſalem quæ occidis Prophetas,& lapidas eos qui ad te miſſi ſunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas,& noluiſti.* Specialis prouidentia ea eſt,quam ſpeciali modo Deus habet circa Eccleſiam Catholicam, & circa eos,qui degunt in ea, quibus verbum ſalutis, & ſacramenta in dies diſpenſat, & alia ſpecialis prouidentiæ munera circa illos exercet. Prouidentia verò ſpecialiſſima ea eſt, quam habet de prædeſtinatis ad gloriam electis. Huius autem triplicis prouidentiæ meminit Apoſtolus ad Epheſ.cap.2.cùm ait,*ergo iam non eſtis hoſpites,& aduenæ,ſed eſtis ciues ſanctorum & domeſtici Dei.* Prima nanque prouidentia perſimilis eſt ei,quam de hoſpitibus, & aduenis habet prudens ciuitatis gubernator. Secunda ſimilis eſt ei, quam ille habet de ſuis ciuibus. Tertia verò ſimilis eſt ei, quam idem gubernator gerit circa proprios domeſticos,filios,vxorem,famulos,& ancillas.Tandem prouidentia ſingularis ea fuit, quam habuit ſingulari modo circa quaſdam perſonas,vt circa Ioannem Baptiſtam, & B.Virginem Deiparam.

Tertia diuiſio Prouidentiæ eſt in Prouidẽtiam approbationis, & conceſſionis,ſiue permiſſionis. VI. D.Thom. Hanc diuiſionem aſſignat D.Thom.de veritate q. 5. art. 4. ita ſcribens: *Dupliciter enim aliquid ſubeſt prouidentiæ ordini, vno modo ſicut ad quod aliquid ordinatur:alio modo ſicut aliquid, quod ad aliud ordinatur.In ordine autem eorum, quæ ſunt ad finem, omnia intermedia ſunt finis, & ad finem, ſicut dicitur in 2. Metaph.& ideo quidquid eſt in recto ordine prouidentiæ,cadit ſub prouidentia non ſolùm ſicut ordinatum ad aliud, ſed ſicut ad quod aliud ordinatur.Sed illud quod exit à recto ordine, cadit ſub prouidentia ſolùm ſecundum quod ordinatur ad aliud, non ſecundum quod aliquid ordinatur ad ſpſũ, ſicut actus virtutis generatiuæ, qua homo generat hominẽ perfectum in natura eſt ordinatus à Deo ad aliquid aliud, ſcilicet ad formã humanam, & ad ipſum ordinatur aliquid, ſcilicet vis generantis:ſed actus deficiens, quo interdum monſtra generantur in natura, ordinatur quidem à Deo ad aliquam vtilitatem, ſed ad hunc nihil aliud ordinatur, incidit enim ex defectu alicuius cauſæ, & reſpectu primi eſt prouidentia approbationis, reſpectu ſecundi autem eſt prouidentia conceſſionis.* quos duos modos prouidentię Damaſcenus ponit in 2.lib.cap.29. Vtrùm autẽ iſta diuiſio ſit ſolùm prouidentiæ naturalis, an etiam ſupernaturalis, dici poteſt,quòd ſicut peccatum eſt actus deficiens non ſolùm oppoſitus actui perfecto,qui eſt ordinis naturalis, ſed etiam actui perfecto ordinis ſupernaturalis: ita poteſt eſſe prouidentia approbationis, & conceſſionis ordinis naturalis, & etiam ordinis ſupernaturalis. Damaſcen.

Non me latet, alias diuiſiones prouidentiæ ab Ethnicis Philoſophis aſſignari,nimirum in prouidentiam vniuerſalem,& particularem, mediatam & immediatam, & ex ſententia Platonis nonnullos diuinam prouidentiam in tres partes diuidere, alios quatuor illius partes numerare, alios quinque,alios tandem ſex eius partes facere,de quibus videri poterit Iulius Sirenius lib. 4. de fato c. 10. & ſequentibus. quæ tamen ſingulæ ſuos continent errores,vt cap.ſequenti ſtatim dicemus. Iulius Sire.

CAPVT IV.

Secunda principalis controuerſia proponitur, ac reſoluitur,de obiecto,circa quod verſatur diuina prouidentia.

ETſi nullus forſan mortalium extiterit,qui duo hæc non ſimul,aut conceſſerit, aut negauerit, nimirum Deum eſſe,& prouidentiam eſſe, quam ob cauſam Epicurus diuinæ prouidentiæ hoſtis primò quidem Deum negauit, ſed poſtea declinandæ inuidiæ cauſa Deos admiſit quidem, ſed illos monogamos,hoc eſt,otioſos,& nihil agentes ſibi fecit. vnde Ennius Poëta eiuſdem dogmatis ſectator ait: I. Epicurus. Ennius.

Ego Deum genus eſſe ſemper dixi,& dicã cœlitum:
Sed eos non curare opinor,quid agat humanũ genus.

Quemadmodum præter Ennium de Epicuro ſentiunt Tullius lib.1.de natura Deorum, Iamblicus lib. de myſteriis cap. 27. & ex Doctoribus ſacris Firmianus lib.de ira Dei cap. 9.& 10. & Gregor. Niſſenus lib. 8. Philoſophiæ cap. 3. illud tamen negari nequit,priſcos illos ſæculi Philoſophos in obiecto eiuſdem diuinæ prouidentiæ conſtituendo plurimum deceptos fuiſſe, & valde turpiter lapſos. Plures ſiquidem, iique grauiſſimi apud ſæculum Tullius. Iamblicus. Firmianus. Gregorius Niſſen.

ſæculum autores hæc ſublunaria, & præcipuè liberas operationes humanæ voluntatis aut penitus abipſa prouidentia ſubduxerunt, aut de huiuſcemodi rebus Deum non niſi vniuerſalem quandam, & mediatam, ac valde confuſam, & imperfectam, non autem particularem, diſtinctam, immediatam, & omnibus numeris abſolutam prouidentiam habere dixerunt. Inprimis nanque D. Plato, quidquid nonnulli in gratiam illius ſcribant, ſi vera ſunt, quæ de illo referunt Niſſenus lib. 8. Philoſophiæ cap. 3. & 4. Proclus lib.6. Theologiæ Platonis cap.6. Plutarch. in lib. de faro. Martilius Ficinus in Protagora, & in lib. de Theologia Platonis cap.5. & in lib. Plotini de pulchritudine c.7. & D.Thom. 1.part.q.22.art.3. diuinam prouidentiam in tres partes diuiſit, quarum prima eſt ſummi Dei, qui primò & principaliter prouidet rebus ſpiritualibus, & conſequenter toti mundo quantum ad genera, & ſpecies, & cauſas vniuerſales. Secunda verò prouidentia eſt, qua prouidetur ſingularibus generabilium,& corruptibilium, & hanc attribuit Diis, qui circumeunt cœlos, id eſt, ſubſtantiis ſeparatis, quæ mouent corpora cœleſtia circulariter. Tertia verò prouidentia eſt rerum humanarum, quam attribuebat Dæmonibus, quos Platonici ponebant medios inter nos, & Deos, vt narrat Auguſtinus lib.9. de Ciuitate Dei, in principio.

Plato. Gregor. Niſſen. Proclus. Plutarch. Ficinus. D.Thom. Auguſtinus.

II. Neque obſtant, quæ in contrarium obiiciuntur ex eodem Platone in lib. 10. de legibus, & aliis locis: quia in illis locis vel non loquitur de ſummo Deo, de quo modò loquimur, ſed de ſecundis Diis. vel etiam ſi demus,quòd de ſupremo ſit ſermo,non dicit,Deum hiſce rebus infernis per ſeipſum immediatè prouidere,quod modò inquirimus.

Plato.

Eundem errorem tribuunt Ariſtoteli plures grauiſſimi autores videlicet Epiphan.hæreſi vltima, Clemens Alexand. lib. 5. ſtromatum. Theodoretus lib. 6. de curandis affectionibus Græcorum, & in Epitome diuinorum decretorum cap. de Prouidentia. Nazianz. oratione 1. de Theologia, Ambroſ. lib. 1. officiorum cap. 3. Niſſenus lib.8. Philoſophiæ cap.3. & alij tum Scholaſtici, tum Philoſophi ſuprà lib.3. c.2. relati. Ille enim ex horum Doctorum ſententia putauit, Deum de rebus caſui,& contingentiæ ſubiectis,aut nullam, aut vniuerſalem tantùm, & confuſam, non autem particularem, diſtinctam, & immediatam per ſeipſum habere prouidentiam, vt lib.3. diximus, ex ſententia eiuſdem Philoſophi res generabiles, & corruptibiles non eſſe certæ, & diſtinctæ notitiæ Dei ſubiectas in particulari.

Ariſtot. Epiphan. Clemens Alexan. Theodoret. Nazianz. Ambroſius. Gregor. Niſſen.

In eodem plane errore fuit Cicero,cùm vt humanam voluntatem liberam tueretur,dixit,Deum humanas actiones ignorare,& vt faceret homines liberos,fecit Deum ignarum, cui perſimiles erant illi, de quibus ait Iob cap.22. in illorum perſona ita de Deo loquens. *Quid enim nouit Deus,& quaſi per caliginem iudicat, nubes latibulum eius, nec noſtra conſiderat,& circa cardines cæli ambulat.*

III. Aduersùs hos, & ſimiles errores nobis hoc loco probandum eſt, Deum omnium, & ſingularum rerum, etiam infimarum, generabilium, & corruptibilium, quæ caſui, & fortunæ, & contingentiæ ſunt obnoxiæ, & præcipuè humanarum actionum, quæ ex libera voluntate proficiſcuntur, certam, diſtinctam, immediatam, & exactiſſimam habere prouidentiam, & gerere procurationem. Hanc autem veritatem non opus erit argumentis ex diuinarum Scripturarum, aut Conciliorum,aut Patrum autoritate petitis comprobare,eſſet enim labor proiectus, quippe quòd qui huiuſmodi autoritates admittunt, illam non negent, & qui negant, eaſdem autoritates paruipendant,& ea reprehenſione digni videremur, in quam ex B.Hier. in epiſtola ad magnum Oratorem,D.Cyprianus viſus eſt incurriſſe,cùm Demetrianum quendam veritati oblatrantem non rationibus,& Gentilium teſtimoniis, quæ illo recipiebat,ſed ſacræ Scripturæ autoritate, quam ille commentitiam putabat,conatus eſt refutare.

Hieron.

Prima igitur demonſtratio huiuſce veritatis ab ipſo Dei nomine ſumenda nobis eſt. hoc nomen Deus,pro quo eſt apud Græcos nomen θεὸς,à verbo θεᾶσθαι,quod ſignificat proſpicere,eſt deductũ, vt bene Damaſcenus lib.1. de fide c.12. obſeruat, aut à verbo θέειν, quod ſignificat currere velociter,aut à verbo θάλπειν, quod eſt calefacere,vt notant Athanaſius in lib. de definitionibus,& Naz. oratione 16. quippe quòd Dei proprium munus ſit omnia clarè,diſtinctéque proſpicere,ad omnes, & ſingulas mundi partes immobiliter diſcurrendo,omnibus creaturis ſemper præſtò adeſſe,opem ferre, omnia fouere, ſeruare, omnia in ſuos fines dirigere.Sunt ergo nexu quodam inſolubili ita ad inuicem complicata, Deum eſſe,& Deum creaturarum procurationem gerere, vt vnum ſine altero conſiſtere non poſſit. éſtque argumentum inſolubile per locum, vt aiunt, intrinſecum, illud Damaſceni,cùm argumentatur,Deum non eſſe, ſi prouidentia non eſt. quam ob cauſam rectè quoque D.Thom.1.p.q.13.art.8. ad primum ait, omnia quæ Damaſcenus dicto loco primi libri de fide cap.12. tradit in explicanda huius nominis,*Deus*, etymologia,ad prouidentiam pertinere.Huius argumenti vim per ironiam exaggerabat ſanctiſſimus ille diuinæ gloriæ æmulator Elias, cùm aiebat Prophetis Baal lib.3.Regum c.18.*Clamate voce maiori,Deus enim eſt.*quaſi diceret,O mortalium cunctorum ſtupidiſſimi, Deum colitis, qui inuocatus obſurdeſcit, qui ſe quærentibus in opportunitate non adeſt, illorum curam gerere negligit,certè talis Deus verus non eſt.

Damaſc. Athanaſ. Nazianz. D.Thom.

Dicetur. Habet Deus prouidentiam, at non iſtarum rerum ſublunarium viliſſimarum, *magna enim Dij curant,parua negligunt*,vt Sapiens quidam Gentilium dicebat. Ego verò in eodem argumento perſiſtam. Deus à prouidendo dicitur Deus. Ergo earum creaturarum quibus non prouidet, Deus non eſt. Certè ſi mei, rerúmque mearum procurationem minimè gerit, mihi Deus non eſt. Sit Deus aliis, qùi eius prouidentia reguntur, ac fouentur: at non mihi. Deus verò omnium creaturarum tam infimarum, quàm excelſarum æquè Deus eſt. Ergo omnium creaturarum etiam ſublunarium, & viliſſimarum certiſſimam habet prouidentiam. Huius autem rationis efficaciam amplificauit Cicero lib. 1. de natura Deorum, cùm in hunc modum ſcripſit: *Sunt Philoſophi, & fuerunt, qui omnino nullam habere cenſerent humanarum rerum procurationem Deos. quorum ſi vera eſt ſententia, quæ poteſt eſſe pietas, quæ ſanctitas, qua religio? hæc enim omnia purè, ac caſtè tribuenda Deorum numini ita ſunt, ſi animaduertantur ab iis, & ſi eſt aliquid à Diis immortalibus hominum generi tributum. Sin autem Dij neque poſſunt nos iuuare, nec volunt, nec curant omnino, nec quid agamus animaduertunt, nec eſt,quod ab iis ad hominum vitam permanare poſſit, quid eſt, quod illos Diis immortalibus cultus, honores, preces adhibeamus? In ſpecie autem ficta ſimulationis ſicut reliqua virtutes, ita pietas*

IV. Cicero.

ineſſe non poteſt, cùm quæ ſimul & ſanctitatem, & religionem tollit neceſſe eſt: quibus ſublatis turbatio vitæ ſequitur, & magna confuſio. Atque haud ſcio, an pietate aduerſùs Deos ſublata fides etiam, & ſocietas humani generis, & una excellentiſſima virtus iuſtitia tollatur. Hæc ille, ex quibus videas, diuinam prouidentiam etiam ab homine alias in Deum impio, & ſacrilego, qui ne homines liberi non eſſent, fecit Deum rerum humanarum ignarum, ſuum teſtimonium per vim extorquere voluiſſe.

V. Secunda demonſtratio ex diuinis perfectionibus ſumenda eſt. Certè in Deo ſunt omnes perfectiones creaturarum modo excellentiſſimo, ac nobiliſſimo: at prouidentia excellentiſſima quædam perfectio eſt, cùm ſit prudentiæ præcipua pars, quam omnium virtutum nobiliſſimam eſſe omnes teſtantur. Non eſt igitur Deus hac excellentiſſima perfectione à nobis fraudandus. Nec firmum eſt refugium, quo vtitur Ariſtoteles in lib. de Mundo ad Alexandrum, cùm ait, repugnare ſummæ Dei maieſtati ad hæc infima, & viliſſima ſeipſam inclinare. Eſto nanque ad dignitatem principis ſpectet, miniſtros præſtò habere, per quos ſubiecta ſibi regna moderetur: at quis negabit, ignorantiæ, impotentiæ, maximæque imperfectionis eſſe argumentum, neſcire principes certò, & in particulari omnia, & ſingula, quæ in ſuis regnis, aut etiam extra illa à ſibi ſubiectis, aut etiam ab inimicis, hoc, aut illo loco, aut tempore, aut modo gerantur. quomodo ſe gerant milites, duces, magiſtratus, & alia id genus infinita, nec poſſe principes, cùm opus eſt, per ſeipſos imminentibus periculis occurrere, rebelles comprimere, in perduelles animaduertere, errores corrigere, poſcentibus iuſtitiam facere? Quis non ſummum ſapientiſſimum, ac potentiſſimum principem inter omnes mortales æſtimaret eum, qui poſſet per ſeipſum immediatè hæc omnia præſtare? Cur ergo metuimus dicere, Deum, qui omnium creaturarum perfectiones in infinitum excedit, omnium rerum etiam infimarum abſolutiſſimam, & perfectiſſimam gerere procurationem? cùm illa diuinæ maieſtatis dignitatem non minuat, ſed mirum in modum augeat, & commendet.

Ariſtot.

VI. Tertia demonſtratio eiuſdem veritatis colligitur ex Damaſceno lib. 2. de fide cap. 29. in hunc modum. Eiuſdem agentis eſt tribuere eſſe alicui, & illud conſeruare, id enim natura in omnibus ſuis operibus nos manifeſtiſſimè docet. Hinc videmus parentes naturali quodam inſtinctu filios nutrire, fouere, & illorum curam gerere. Sed Deus eſt, à quo omnia habent eſſe, vt Philoſophus teſtatur lib. 1. de cœlo & mundo text. 108. & lib. 12. Metaph. text. 38. ídque per ſummam ipſius Dei ſapientiam, vt Commentator dicto lib. 12. teſtatur. Omnia quoque à Deo pendere immediatè immediatione non ſolùm virtutis, ſed etiam ſuppoſiti, apertè probabimus lib. 8. Ergo negari non poteſt, Deum omnium, & ſingularum rerum etiam viliſſimarum exactam, & diſtinctam habere prouidentiam. Huius demonſtrationis vim ſubindicauit Sapiens tum in lib. Prouerbiorum cap. 8. cùm docuit, æternam ſapientiam Deo per omnia adſtitiſſe in ſingulis rebus creandis, diſponendis, & ordinandis, rebus autem omnibus creatis, & ſuis locis diſpoſitis, eiſdem rebus adſtare, veluti nutricem infantulo blandientem. hic nanque eſt ſenſus verborum illorum, *Cum eo eram cuncta componens, & delectabar per ſingulos dies ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum, & deliciæ meæ eſſe cum filiis hominum.* pro quo eſt in Hebræo, *Eram quaſi nutriens, & alumnus apud illum*, quod etiam Vatablus, & Pagninus, & Tigurina, & Regia adnotarunt. tum in lib. Sapient. cap. 14. vbi Deum rerum omnium curam gerentem comparat patrifamilias, dicens, *tu autem Pater prouidentia cuncta gubernas.* Hoc nanque inter patrem, & principem eſt diſcrimen, quòd licèt princeps per ſeipſum immediatè non omnibus ſubditis prouideat, at pater per ſeipſum immediatè omnium filiorum curam gerit, nec ſolùm illorum, qui ætate adulti ſunt, ſed multò magis paruulorum, & infantium: immo etiam ſi optimus ſit, & ſeruorum, & ancillarum. Deus ergo qui eſt in mundo non ſolùm vt Rex in regno, ſed vt paterfamilias in propria domo, à quo omnes creaturæ pendent in ſuo eſſe, vt Philoſophus ait, & clarius diuinus Plato in ſuo Timæo, & Commentator in 12. Metaph. com. 52. Eſto quatenus Rex non debeat per ſeipſum immediatè rebus infimis prouidere, tamen quatenus etiam infimarum, & viliſſimarum creaturarum eſt pater, iure paternitatis illarum etiam procuratio illi incumbit. hæc autem ratio non ex ſola diuina Scriptura, ſed etiam ex Ariſtotele & Auerroë paucis mutatis deducitur, vt apparebit legenti illos in 12. Metaph. text. & commento 52.

Damaſc.

Ariſtot.

Auerr.

Vatablus. Pagninus. Tigurina.

Ariſtot. Plato. Auerr.

VII. Quarta demonſtratio ſumi poteſt ex communi ſenſu omnium gentium. illud enim, in quo omnes mundi nationes ab exordio conuenerunt, quod pro re conſtanti verbis, factiſque defendunt, impoſſibile eſt eſſe falſum. vox enim omnium, vox naturæ eſt, & naturalis inclinatio, atque præſenſio falſa eſſe non poteſt: quia ineſt nobis ab autore naturæ, qui neque ad falſa, neque ad mala vllum poteſt inclinare, ob quam cauſam ait Philoſophus lib. 10. Ethicorum cap. 11. quòd ij, qui communi omnium aſſertioni contradicunt, nihil dicunt. Vt ſi quis dicat, bonum non eſſe illud, quod omnes appetunt. Sed omnes mundi nationes ab initio ſemper docuerunt, Deum res noſtras videre, procurare, & noſtri curam, ſolicitudinémque gerendo indigentiis noſtris ſubuenire. Eſto in aliqua mundi natione extiterit Diagoras aliquis, vel Protagoras, vel Atheos, illi nanque pauciſſimi fuerunt. Rem verò ita ſe habere manifeſtè indicant aræ, templa, quæ in honorem Deorum extruebantur, Dei honor, cultus, ſacrificia, libamina, oblationes, & preces, quibus omnes homines in aduerſis diuinum numen conciliare procurant, & diuinum auxilium implorant. Certè omnes mundi nationes ſuper negotiis agendis oracula diuina conſulere ſemper conſueuiſſe, res eſt tam manifeſta, vt indignum ſit, velle illam ex hiſtoriis Gentilium nunc comprobare. At ſi Deus ſuper cardines cœli ambulat, nec noſtra conſiderat, vt quid vanè, & inutiliter hæc omnia profundimus? nónne vanè, & ſine fructu opes, laboréſque noſtros proiicimus, & impendimus in ſumptus templorum, & ſacrificiorum, ſi Deo non eſt cura de nobis? Hoc argumento, aut ſaltem ſimili vſus eſt Tertullianus in Apologetico ad Gentes cap. 7. & Cyprianus in tract. ad Demetrianum, éſtque per ſe efficax, & inſolubile. quis enim eſt mortalium, qui natura ipſa docente, & inſtigante, periculo ſibi imminente non ſtatim oculos, manus, cor, & os ad cœlum conuertat, diuinum auxilium inuocando? At nónne eſt iſtud fateri nos, Deum de rebus humanis eſſe ſolicitum, iuxta illud Dauidis, *Inuoca me in die tribulationis,*

Ariſtot.

Ariſtot.

Tertull. Cyprian.

bulationis, eruam te, & honorificabis me, Pſal. 49.

VIII. Quinta demonſtratio ex mundi ordine impermutabili ſumenda eſt. cùm tam multiplex, & varia ſit huius magnificentiſſimæ Dei domus, familia, & ſupellex, tam multiplex rerum diſtinctio, tam varia operatio, omnes tamen res eundem ſitum, locum, ordinem, motum, eundem operandi modum, quem ſemel ſortitæ ſunt, inuariabiliter ſemper tenuerunt, & tenent. curſus cœlorum, aſpectus aſtrorum ſemper idem fuit, ſingulæ animantium ſpecies eodem modo procreatæ, natura ipſa in fœtibus formandis eiſdem modis ſemper incedit. aut ergo ipſa natura per prouidentiam exactiſsimam omnia gubernat, & hanc nos Deum appellabimus; aut certè Deus naturæ autor. Vt huius argumenti vim facilius percipiamus,

Supponamus nobis opus aliquod pulchrius, & præſtantius alio opere quantuncunque pulchro & affabrè formato, oportere ab artifice præſtantiori, ac ſapientiori eſſe formatum: modò nullus quantumuis peritus artifex ſua ſapientia id præſtitit, quod efficit natura in vnius humani corporis ſtructura, atque pictura, vt ex illius ſola in-

Galenus. ſpectione, Galeno teſte lib. 9. de vſu partium c. 5. ſumma Dei prouidentiæ ſolicitudo erga hominem valeat demonſtrari. *In omnibus*, inquit, *partibus ita ſunt propinquæ vena, & arteria, vt etiam ſe inuicem attingant. in cerebro autem quoniam melius erat ex diuerſis regionibus, aut potiùs omnino contrariis illas in ipſum cerebrum innaſci, & applicari, nonne mirabimur prouidentiam Creatoris, quippe qui à corde per thoracem, & totum collum venas cum arteriis vſque ad ipſum caput ſimul cùm adduxiſſet, inde arterias ad retiformem plexum, venas autem ad extremam capitis ſummitatem deduxit.* Et idem Galenus lib. 16. de vſu partium cap. 9. *Verbis quidem difficile eſt tantam artem interpretari*, (loquebatur autem de neruorum, qui reuerſiui appellantur, conſtructione) *incredibilis enim eſt naturæ ſolertia in huius flexionis inuentione, vt niſi quis eam viderit, fabulari potius, quam vera dicere eum putet, qui hæc exponere aggrediatur.* Hæc ille, quibus egregiè illa con-

Baſilius. cinnant, quæ ſcribit D. Baſilius hom. 11. in Exameron, dicens: *Quis tam pulchræ imaginis conditor? quis oculorum pictor, quis nares, auresque tornauit, quis labia diſtendit oris, quis neruos tetendit, atque ligauit, quis irrigauit venas, quis oſſa congeſſit ſolida, quis carnem pellicula tenui circumtexit, quis digitos, articulóſque diſcreuit, quis fundamenta pedum extendit, quis perforauit poros, atque meatus aperuit, quis ſplenem coegit, atque compreſſit, quis pyramidis impreſſit cordi figuram, quis iecoris texit fibras, quis pulmonum ſculpſit fiſtulas, quis aluo capacem amplitudinem tradidit, quis honoranda corporis membra in propatulo figuranit, quis obſcœna in obſcuro prorſus abdidit, eáque aſpectu cernentium voluit ſecreta iacere? Vide quot diuina artis opera in vna materia demonſtrantur, ſingulique pulchrè, ac rectè dimenſa, nec non propriis inuicem officiis differentia.* Si igitur imaginem, ſi ſtatuam ſine fabro, & pictore ſine arte, & ratione fieri nullus aſſerere audeat, humanæ huiuſmodi quàm decentiſſimæ conſtitutionis, & tanti ſingularum partium ordinis autorem Deum Opt. Max. autoriſque prouidentiam negabimus? Sed quid in contemplatione humani corporis immoramur? quis enim artifex quantacunque arte pollens eò peruenit, vt vnius non dicam hominis, aut elephantis, ſed apis, aut formicæ corpuſculum nouerit formare, diſtinguere, & organizare? Cùm igitur natura tot effectus, tam præclaros, tam admirabiles operetur, ex materia tam vili, tam exigua, qualis eſt vnius ſeminis corpuſculum, & tamẽ in ſuo opere à recta agendi ratione nunquam deficiat, aut dicendum eſt, naturam ipſam ſapientiſſimam iſtarum rerum exactiſſimam habere prouidentiam, aut certè Deum, qui eſt naturæ autor, iuxta vulgatum Stoicorum apophthegma dicentium, mundum ſine optima ratione fieri minimè potuiſſe, neque conſiſtere poſſe, niſi etiam optima ratione gubernetur.

CAPVT V.

Aliis nonnullis argumentis eadem veritas demonſtratur.

SExtum argumentum eiuſdem veritatis ex rerum conſeruatione colligere licebit. cùm ſit in mundo tam varia, & multiplex animalium diſtinctio (alia nanque ſunt volatilia, alia in terra, alia in aquis degunt) nihilominus tantæ multitudini paſcendæ ſemper adeſt cibus cuique proportionatus, & conueniens, idque abſque vllo eorum labore, aut ſtudio, vt vel in minutiſſimis cœli volatilibus intueri licet, quæ non laborant, non ſerunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & tamen paſcuntur abundantiſſime. neque dici poteſt caſu euenire, vt ſemper habeant paratum cibum, quæ enim caſu eueniunt, ea neque ſemper, neque vt in pluribus, neque etiam eodem modo ſolent euenire. At dices, natura eſt illa, quæ omnia hæc paſcit. Sed hîc ego te ſiſto. quænam hæc eſt natura? An ea quæ ſingularum rerum indigentias certò, & infallibiliter nouit, an potiùs cæca aliqua natura ſine ratione, & ſine cognitione rerum procurationem gerens? Si primum dicas, hanc naturam omnium rerum parentem, omnia probè cognoſcentem, omnibus prouidentem, ego Deum appello. Si autem ſecundum admittas, neceſſe erit, talem naturam ab aliqua cauſa ſuperiori, quæ ſingulas res nouerit, & quid vnicuique rei proficuũ, & neceſſarium quouis tempore, & loco ſit, dirigi, ac teneri, ne deficiat in procuranda ſingulis animalibus annona: hanc verò ſuperiorẽ cauſam cognoſcentem, & ipſam naturam dirigentem, & ne deficiat, manu valida tenentem, ego itidem Deum appello. Quare velis, nolis, diuinam prouidentiam certam, diſtinctam, & infallibilem circa hæc inferiora ex hoc etiam capite cogeris fateri. Deducitur hoc argumentũ ex doctrina Commentatoris Auerr. in 2. lib. Phyſic. com. 75. vbi ait: *Niſi Philoſophus diuinus conceſſerit, Deum habere ſolicitudinem eorum, quæ ſunt hic, non poteſt demonſtrare, quòd natura agat propter finem.* Quia ſi natura agit propter finem, neceſſe eſt, illam aut à cauſa ſuperiori gubernari, quæ ipſum finem cognoſcat, aut illã ſuum finem, propter quem operatur agnoſcere. Idem verò arg. amplificat Auguſt. ita ſcribens, *Maius enim miraculum eſt gubernatio totius mundi, quàm ſaturatio quinque millium hominum de quinque panibus: & tamẽ hoc nemo miratur, illud mirantur homines, non quia maius eſt, ſed quia rarũ eſt. quis enim & nunc paſcit vniuerſum mundum, niſi ille, qui de paucis granis ſegetes creat, &c.* Auguſt.

Septima ratio, eáque euidentiſſima ad eandem veritatem probandam, ſumi poteſt ex quibuſdam rebus mirabilibus, quæ præter conſuetum curſum & ordinem rerum eueniunt in mundo, quorum nulla alia ratio videtur reddi poſſe præter ipſam diuinam prouidentiam. Si enim prouidentia non eſt, quis æquoreum herinaceum exiguam, ac paruã pendendam beſtiolam futuram maris procellam docuit præſentire, ac priuſquã ventis exagitetur,

calculum ſubire, ibíque veluti ſub anchora detinere ſe, ne huc, illúcque à ventis circunferatur? vt
Baſilius. Baſilius teſtatur hom. 7. in Exaëmeron. Si prouidentia non eſt, quis maris fieri æſtũ cohibet, cùm prope illius littora media hyeme halcedones oua pariunt, cùm pullos excludunt? vnde ortum eſt adagium, Dies halcyoniæ. Si prouidentia non eſt, quis ſtruthionis ſtolidiſſimæ inter omnia animalia oua cuſtodit, cùm beſtia illa naturalis ſolicitudinis oblita, quã cæteta omnia animalia in ſuis fœtibus fouendis, atque educandis edocentur ab ipſa natura, in terram proiecta ea derelinquit, ignorans, quòd beſtia agri deuoret, aut pes conculcet illa? quis ea incaleſcere facit, ac fouet, quis pullos nutrit, ac plumeſcere facit? quemadmodum
Plinius. Ælian. Plinius, Ælianus, cæteríque naturalium rerum indagatores teſtantur. Si prouidentia non eſt, quis paſcit pullos coruorum, cùm illorũ parentes eos nido expellunt, ac derelinquunt, vt non modò
Ariſtot. Plinius. Ælian. ſacri Doctores, ſed Ariſtoteles lib. 6. naturalis hiſtoriæ c. 6. & lib. 9. c. 31. & Plinius lib. 10. c. 12. & Ælianus lib. 15. c. 39. teſtantur. Si prouidentia non eſt, quis terram ſuapte natura aquis grauiorem ſuper illas extollit, ac natare facit? quis aquas mole maiores ipſa terra continet, & ſiſtit, ne totam terram ambiendo omnia animantia, quæ in ipſa terra morantur, ſubmergat? vt doctè
Firmian. Firmianus argumentatur lib. 1. ſuarum diuinarum inſtitutionum cap. 2.

III. Accedat octauum argumentum ex partium mundi harmonia, & concordia deſumptum. Eſt profectò in mundo tam multiplex, & varia rerum, cauſarum, operationum, effectuúmque contrarietas, & repugnantia, nihilominus per ſummam Dei ſapientiã omnis hæc contrarietas inſolubili quodam nexu ad vniuerſi opificium ita eſt colligata, vt ex ea non ſolùm non deſtruatur, ſed maximè perficiatur vniuerſum. certè iſtius nexus indiſſolubilis, quo agentia inter ſeipſa pugnantia perpetuo quodam fœdere ſunt adinuicem ſociata, ſolam naturam auctricem facere non poſſumus, aut enim vnica, aut multiplex illa exiſtit. Si vnica, quomodo tam multiplicis contrarietatis cauſa exiſtit? ab vno enim, quatenus eſt vnum, non fit niſi vnum, vt Philoſophi aiunt. Si multiplex. Ergo ſingulæ naturæ ſingulas ſibi contrarias, ac repugnantes experiuntur. quis enim neget ignis naturam aquæ contrariam eſſe ac inimicam? quis igitur naturas rerum inter ſe contrarias cohibet, conciliat, & ligat, ne vniuerſum euertant? niſi ſumma Dei prouidentia, per quam ille ſapientiſſimè cuncta diſpoſuit, & attingens à fine vſque ad finem fortiter, ſuauiſſimè moderatur. Sanè
Boëtius. mundus iſte (aiebat Seuerinus Boëtius lib. 3. de conſolatione proſa 12.) ex tam diuerſis, contrariiſque partibus in vnam formam minimè conueniſſet, niſi vnus eſſet, qui tam diuerſa coniungeret, coniuncta verò naturarum ipſa diuerſitas inuicem diſcors diſſociaret, atque diuelleret, niſi eſſet vnus, qui quod nexuit, contineret. Et ſi humana Reſpublica ſine principe, qui autoritate, ac prouidentia illam moderetur, diſſoluitur, diſcinduntúrque ciues in contraria ſtudia, séque adinuicem confodiunt, & interimunt, quanto magis mundi Reſpublica, ſi per ſummam Dei prouidentiam minimè contineretur? *Supernaca-*
Seneca. *neum eſt* (aicbat Seneca in initio libri de Prouidentia) *oſtendere, non ſine aliquo cuſtode tantum opus ſtare poſſe, nec hunc ſiderum certum curſum, & diſcurſum fortuiti impetus eſſe, & qua caſus incitat ſæpe turbari, & arietare.* & Philo in lib. de opificio mun-
Philo. di. *Abſurda* (inquit (*opinio eſt, atque inutilis, mundum tanquam Rempublicam ſine magiſtratu inducere, cui non præfectus, non præſes, non iudex præſit, quem omnia diſpenſare, gubernaréque deceat.*

Addamus, nihil ad Rempublicam humanam IV. rectè moderandam, & ſeruandam magis eſſe neceſſarium ſtudio virtutis moralis, quo ablegato neceſſe eſt omnem Rempublicam euerti, funditúſque interire: at quódnam virtutis ſtudium perſequitur, qui prouidentiam negat? in quæ vitia non defluit, quæ ſcelera non admittit? Certè qui prouidentiam negat, religionem euertit: qui verò cultum ſacræ religionis deſtruit, is pietatem, fidem, & iuſtitiam depellit. his profligatis diſſoluitur humana ſocietas, abundant rapinæ, cædes, ſacrilegia, inceſtus, parricidia, omnia vitiis complentur: quare ſi nulla alia ratio ſuppeteret ad diuinam prouidentiam comprobandam, hæc ſola ſufficere deberet, quòd illa de mundo ablata omnium virtutum radices, & fundamenta neceſſarium ſit ſubuerti, & ad omnia ſcelera patentem ianuam aperiri.

Atque vt tandem vltimam rationem adhibeamus, quæ ex diuino Platone lib. 10. de Republica V. Plato. elicitur, quis neget, ſapientis medici munus eſſe, non ſolùm graues morbos depellere, ſed etiam leues ægritudines curare? Sapientis etiam architecti partes eſſe, non ſolùm lapides prægrandes, ſed etiam minutas lapidum fracturas in ædificij vſum præparare, & accommodare, ac ſapientis politici intereſſe, non ſolùm de primatibus, optimatibúſque, ſed de infima etiam plebe cogitare? cùm igitur Deus ſapientiſſimus ſit tum medicus, tum artifex, tum politicus, magnáne gubernabit ſolùm, parua autem prætermittet, ac negliget? abſit, abſit. indigna nanque nimium eſt (vt verbis eiuſdem Platonis vtar) iſta de Deo cogitatio.

CAPVT VI.

Argumenta Philoſophorum contra diuinam Prouidentiam afferuntur ac ſoluuntur.

COntra doctrinam duobus præcedentibus I. capitibus traditam, & probatam argumentantur multipliciter Philoſophi. Primò Ariſtoteles lib. 12. Metaph. text. 51. & in lib. de mundo ad Alexandrum ad finem, quia indecorum eſt ſummæ Dei maieſtati, ſuam curam vſque ad infima hæc, & viliſſima extendere, melius enim eſt, Deum hæc non videre, nec procurare, quàm vídere, & illorum curam gerere, ſicut magis ſpectat ad dignitatem Principis, ſupremos regni proceres, & optimates per ſeipſum regere, infimos verò, qui ſunt de plebe, miniſterio optimatum, non autem per ſe immediatè regere, ac gubernare, ſicut etiam videtur dicere D. Hieronymus in primum caput Abacuc, quòd Hieron. indecens eſt ad hoc deducere diuinam maieſtatem, vt ſciat per ſingula temporum momenta, quot naſcantur muſcæ, & culices, quótve moriantur. Reſpondetur, etſi quatenus Deus eſt magnus Dominus, & Rex magnus ſuper omnes Deos, deceat illum miniſtros habere, qui faciant verbum illius: nihilominus quatenus eſt ſapientiſſimus, & omnipotens, ac omnium creaturarum pater clementiſſimus, decet illum maximè omnia ſcire, & omnia etiam infima, & viliſſima per ſe immediatè procurare.

Neque

Neque vilescit vllo modo eius maiestas, aut dignitas, sese ad hæc inferiora demittendo, sicut non vilescit solis radius seipsum cœno, & luto immittendo, quippe qui ab istis rebus non afficiatur, sed è contrario illas afficiat. Nec laborat nec fatigatur Deus in procuranda hac rerum multitudine tam grandi, & tam varia, quia infinitæ virtutis, & infatigabilis est, iuxta vaticinium Isaiæ cap. 40. *Nunquid nescis, aut non audisti, Deus sempiternus Dominus, qui creauit terminos terræ, non deficiet, neque laborabit, neque est inuestigatio sapientiæ eius.*

II. Et profectò si ea est ingenij humani vis, vt nouerit cœlestium corporum simulachra quædam ænea fabricare, quæ ponderibus quibusdam immissis non solùm singulas sphæras, sed etiam illarum motus, & conuersiones, & syderum coniúctiones, & aspectus sine aliquo labore perfectissimè repræsentant, & æmulantur, qualem fuisse crediderim æneam sphæram illam, quam Ioui refe- P. Iouius. rente lib. 40. Ferdinandus Vngariæ Rex Solimano Turcarum Imperatori Budam dono transmisit, & vidimus nostris diebus, vidique ego ipse machinam ad castri cuiusdam obsidione vallati æmulationem extructam ea arte, vt ad vnius chordæ motum, & ductum videre liceat milites, pedites, equites congredientes, retrocedentes, se in ordinem redigentes, ac diffundentes, alios stationes tenentes, alios vigilias custodientes, alios tormenta bellica exonerantes, alios varias artes intus, & extra ipsum castrum exercentes, cauponariam, sepiatariam, sutoriam, lignariam, ferrariam, & alias sexcentas, audire insuper tubarum sonitus, tympanorum, scloporum, & bombardarum strepitus, canum latratus, & auium cantus (sanè admirabile artis, & ingenij humani artificium, in quo nihil non videas, quod ad arcis alicuius, vel obsidionem, vel defensionem valeat desiderari.) quanto magis poterit Deus mundanam hanc sphæram, ad nutum, & sine labore, pro libito regere, & mouere? Illud enim diuinitati maximè consentaneum Aristot. esse dicebat Aristoteles, aut quicunque sit autor illius lib. qui inscribitur de Mundo ad Alexandrum, post medium, *vt formas rerum omnium citra difficultatem, simplicique motu absoluat non secus, atque illi machinatores solent, qui instrumento vno multos & varios effectus edunt, aut vt illi præstigiatores faciunt, quos Necrosphaltas ob id vocant, quod imagunculas animatas esse fidiculis ductitandis mentiuntur, qui cùm funiculum ipsi, aut neruum obduxerunt, cieri cernicem, aut manum quasi animantis simulachri, humerúmque itidem, & oculum faciunt. interdum etiam omnia membra, idque cum quadam venustate, atque aquabilitate motus. Hoc igitur modo natura diuina ab vno, eodémque simplici motu primo vim suam immittit in ea, quæ sunt primò continentia, ab illisque subinde in ea, quæ longius, atque longius sunt, quoad permeauerit per vniuersa.*

III. Secundò argumentatur Commentator lib. 12. Auerr. Metaph. com. 37. & 52. & in sua Paraphrasi Metaphysica in fine, vbi sic ait. *Qui dicit ita (scilicet quòd Deus solicitudinem habeat de omnibus singularibus, sicut dicebat Alexander) necessariò attribuit impietatem Deo: nam si ipse procedit via regitiua vniuscuiusque individui, qualiter ergo patitur individuum* Aristo. *mala, dum Deus regit ipsum?* & Aristoteles lib. 2. Magnorum Moralium cap. 9. vbi ait: *At nunquid secunda fortuna est, vt Deorum quadam cura, an id minimè videri debet, talem siquidem dominum præficimus Deum, vt bona, & mala meritis distribuat? At fortuna, & quæ à fortuna tam verè, quam vt sors tulerit, fiunt. quòd si huiusmodi distributori Deo adscripserimus, malum ipsum iudicem faciemus, neque iustum.*

Hoc idem argumentum refert D. Augustinus lib. Augustin. de Genesi ad literam 5. cap. 22. videturque illius vim sensisse Regius vates, cum ait in Psalm. 72. *Mei autem pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei, quia zelaui super iniquos, pacem peccatorum videns: quia non est respectus mortis eorum, & firmamentum in plaga eorum*, &c. *& dixi: Ergo sine causa iustificaui cor meum, & laui inter innocentes manus meas, & fui flagellatus tota die*, &c.

Respondeo, quòd Deus permittat in hoc mundo iustos, & pios ab improbis vexari, impios verò felices viuere, & prosperè agere, in hoc maximè Dei sapientiam, & prouidentiam elucere. quòd enim permittat impiis prospera euenire, iustis autem aduersa, plurimæ illæque euidentissimæ sunt rationes. Prima quam D. Augustinus lib. 7. de Augustin. Ciuit. cap. 30. adfert, quia oportet Deum per suam prouidentiam cuncta gubernare, ita vt ipsas creaturas suos etiam motus agere sinat. quam ob causam causas secundas liberas permittere debet liberè operari.

Secunda ratio, quia prosperitas malorum tan- IV. dem cedit in commodum iustorum, vel quia mali iustos in actibus virtutum exercent, vt colligitur ex historia Sancti Iobi præcipuè cap. 27. vel quia tandem iusti accipiunt spolia impiorum, & bona ab impiis congregata transeunt ad domus iustorum, vt dicitur Sapient. 10.

Tertia ratio, quia impij accipiunt in hac vita partem felicitatis, quæ illos contingit. quam rationem insinuat non solùm diuina Scriptura in Psalm. 72. in illis verbis, *quia non est respectus morti eorum, & firmamentum in plaga eorum.* pro quo D. Hieronymus ex Hebræo, *quia non est declinatio mortis eorum.* Sed etiam Plato in Phœdone, cùm Plato. ait, Deos bona, & mala adinuicem commiscere voluisse: sed cùm viderent, illa minimè posse simul misceri, eadem inter se circulo quodam iunxisse ita, vt initium bonorum finis esset malorum, & finis bonorum initium esset malorum.

Quarta ratio est decor, & pulchritudo vniuersi, vt sint in mundo diuites, & pauperes, principes & subiecti, iusti nanque diuitias contemnunt, tyrannides, & sensus voluptates respuunt. quare si non permitteret Deus hæc ab impiis vsurpari, hæc non essent in mundo. & sicut si non esset occisio ouis, non esset vita lupi, & leonis: ita nisi iusti rapinas bonorum, & tyrannides sustinerent, non essent potentes, prædiuites, & tyranni in mundo.

Quinta, quia nisi essent tyranni, & impij iustorum oppressores in mundo, non essent satellites, & carnifices, qui diuinam iustitiam punitiuam in hac vita in iustos ad eorum correctionem, & emendationem exercerent. quemadmodum enim experimento didicimus, carnifices, & satellites, quorum ministerio mundi principes iustitiam punitiuam exercent in legum humanarum transgressores, esse eos solos, qui propriæ æstimationis, & famæ omnimodam iacturam fecerunt: ita nullus iustus, ac Deum timens vellet sponte sua diuinæ iustitiæ carnifex esse ad alios torquendos & excruciandos.

Quare vanæ sunt illorum querelæ, qui queruntur, se ab impiis Deo ita ordinante vexari, sicut vanæ sunt querelæ eius, qui iustè ad supplicium à principe, aut iudice damnatus, quereretur, se à carnifice infami verberari; & vellet id fieri per hominem bonæ, ac honestæ famæ, & æstima

ſtimationis. Hanc rationem eleganter inſinuat Metaphora illa vaſorum, qua D.Paulus vtitur ad Roman. cap.9. & 2. ad Timoth. cap.2. quam non ſemel huic inſtituto accommodauit D. Auguſtinus. Sicut enim in magna domo ſunt non ſolùm vaſa aurea,& argentea, ſed etiam lignea, & fictilia,& iſta in honorem, illa verò in contumeliã, ſed tamen ea,quæ ſunt in contumeliã, ordinantur in cõmodũ eorum,quæ ſunt in honorem, quippe quòd per illa à ſordibus purgantur, & emundantur: ita oportet in hac magna domo Dei eſſe non ſolùm iuſtos, & probos, ſed etiam impios, & ſceleſtos,vt per eorum preſſuras iuſti à ſordibus peccatorum purgentur, & eorum virtutis ſplendor magis,ac magis eluceat.

Sexta ratio. Permittit Deus iuſtos ab impiis premi,ac vexari, quia hoc pacto coguntur iuſti mundo poſt terga relicto velociùs ad Deum properare,quemadmodũ qui hoſtem perſequitur,illũ cogit velociter à ſe recedere. Atque in hunc modũ expendit D.Greg.Naz. verba illa apud Matth. c.5. *Beati,qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiã.* Differentia enim eſt inter inimicum perſequi, & inimicum aſſequi: nam qui perſequitur, non aſſequitur,ſed eum,quem perſequitur, compellit à ſe recedere.Ita dum mundus iuſtos perſequitur,illos à ſe recedere compellit. Rurſus benefacit Deus impiis, vt beneficiis deuincti à peccatis reſipiſcẽtes ad illum conuertantur, eſt enim proprius modus,quo vt plurimum homines allici ſolent, cùm beneficiis,& fauoribus cũmulantur, iuxta ſententiam illam Oſeæ cap.11. *In funiculis Adam traham eos,in vinculis charitatis.*

VI. Præter has rationes ſumptas ex iis,quæ in præſenti vita contingunt, poteſt adhiberi ſeptima ratio,quam innuit diuinus Plato in Phœdone, cùm hoc dubium mouiſſet,nimirum Deum permittere iuſtos in præſenti vita miſeros,è contrario impios felices eſſe, ad animæ immortalitatem comprobandam. Cùm enim certiſſimum ſit, mundum ſumma prouidentia regi, neque conſiſtere omnino poſſe,niſi ſumma prouidentia regeretur,è contrario autem videamus, probos, & virtute præditos ſine præmio,& ſæpe cum dedecore ex præſenti vita migrare,& improbos glorioſos,& trophæis cumulatos ad ſepulchrum portari, ne dicamus, Deum iniuſtum eſſe, neceſſariò concludere nos oportet, eſſe poſt hanc vitam alterum animarum ſtatum,in quo pro bene,vel malè actis, illi præmia recipiant,vel ſupplicia. Atque ita concludit idem Plato loco cit. vbi poſt longam de animæ natura, & immortalitate diſputationem, ſic tandem ait: *Si enim mors totius diſſolutio eſſet,nimirum improbi liberarentur, cùm & à corpore, & ab eorum improbitate cum anima liberarentur. Nunc autem cùm anima immortalis appareat, nulla ſupereſt malorum declinatio, nulla ſalus, niſi vt optima, & prudentiſſima fiat. Nihil enim aliud,cùm migrat ad manes anima,ſecum transfert præter eruditionem, atque educationem, ferunt enim quemlibet hinc illuc migrantem, ab eo Dæmone, quem viuens ſortitus fuerat, in locum quendam duci, vbi oporteat omnes vnà collectos iudicari,&c.* Plato.

VII. Tertiò argumentari poſſumus ex principiis Philoſophiæ Peripateticæ, maximè ex his, quæ ſcribit Ariſtoteles in 8.Phyſic. in 12. Metaph. & & in lib.de Mundo ad Alexandrum. Non maioris ambitus eſt diuina prouidentia,quàm diuina cauſalitas:at diuina cauſalitas non ſe extendit immediatè ad hæc inferiora ſaltem ad corpora, ſed tantùm mediante motu & lumine corporis cœleſtis. Ergo & diuina prouidentia non ſe extendit immediatè ad hæc inferiora, ſed mediatè tantùm.

Reſpondeo primò, negandam eſſe maiorem,licèt enim nonnulli Theologi illam abſolutè concedant, & dicant eſſe regulam theologicam, tamen conſtat,illam abſolutè, & indiſtinctè prolatam non eſſe admittendam:quia prouidentia conceſſionis, ſeu permiſſionis maioris eſt ambitus, quàm diuina cauſalitas.vt bene aduertit Nazarius 1.p.q.22.a.2.dub.2.§. *ſecundò notandum*.illa nanque ſe extendit ad peccata, ad quæ non ſe extendit diuina cauſalitas. Nazarius.

Secundò reſpondetur negando minorem, Ariſtoteles nanque cum ſuis Peripateticis eſt manifeſtè deceptus,putans,Deũ nullo alio modo agere in hæc inferiora,niſi mediante motu & lumine. agit enim Deus cum omni agente immediatè ad producendum quemlibet effectum immediatione virtutis, & etiam ſuppoſiti, vt lib.8. ex inſtituto probabitur.

CAPVT VII.

An effectus contingentes comparatione diuinæ Prouidentiæ poſſint contingentes vocari.

QVartum argumentum contra eandem veritatem afferri poteſt ex Auerroë, Themiſtio, & Petro Pomponatio, quibus illud eſt familiare. Si prouidentia iſtarum ſublunarium rerum eſt.Ergo caſus,& fortuna,& contingentia in rebus non eſt: ſed caſus, & fortuna, & contingentia ſunt in rebus. Ergo illarum prouidentia ſaltem diſtincta,& immediata, qualem nos ponimus, non eſt. Maiorem probant,quia prouidentia eſt cauſa certa,& infallibilis,& ſuperior, quam nulla vis rumpit.Hoc argumentum tetigit D.Aug.lib.3.de libero arbitrio c.2. I. Auguſt.

Hoc argumentum vt ſoluant nonnulli recentiores Doctores,aiunt,effectus cõtingentes, & caſuales, atque fortuitos ad duo genera cauſarum poſſe comparari,vel ad ſecundas cauſas. & ſic vocantur effectus fortuiti,caſuales,& contingentes: vel ad prouidentiam diuinam, & hoc modo nullus effectus poteſt dici fortuitus, aut caſualis, aut contingens,ſed omnes ſunt neceſſarij, & ineuitabiles. ita docuerunt Dominicus Bañes 1.p.q 14.a. 13.dub.vltimo,circa finem vertic. *ad hoc reſpondetur ex D.Thoma.*& q.19.a.8. concl.2. quæ talis eſt. *Secunda concluſio. Effectus contingentes, aut liberi, ſi comparentur ad ſcientiam,vel prouidentiam,vel voluntatem Dei,ſunt neceſſarij ſecundum quid,ſcilicet ex ſuppoſitione,quæ neceſſitas eſt conditionalis, ſeu potiùs conſequentia,non conſequentis.* & concluſione tertia vbi ait: *Tertia concluſio. Nullus effectus eſt, aut dicitur formaliter contingens per reſpectum ad voluntatem,aut prouidentiam Dei: ſed per reſpectum formalem ad cauſas proximas, ſeu particulares defectiuas.* Aluarez d. 31. vbi in eandem ſententiam videtur inclinare, licèt in terminis illam non doceat, & ex Philoſophis Simplicius lib.2 de cœlo text.52.& in 2. lib. Phyſic.vbi etiam Ioan.Grammaticus,& ante illos Ammonius in Porphyrium, quam ob cauſam docent iſti Philoſophi,quòd monſtra,& res fortuitæ, & caſuales non dicuntur tales, niſi comparatione ſecundarum cauſarum, non autem comparatione primæ cauſæ. Domin. Bañes. Aluarez. Simplicius. Ioan.Grãm. Ammonius.

Hæc tamen doctrina licèt habere poſſit ſenſum verum, & legitimum, nihilominus ſic nudè, & II.

& absolutè prolata mihi non probatur: quia si nullus effectus comparatione diuinæ prouidentiæ est formaliter contingens, saltem ex hoc capite euertitur rerum contingentia, & hominis libertas, vt multi Philosophi, & cum illis hæretici contendunt, immo cùm ipsa prima causa plus influat in effectum, quàm secunda, & ipsa secunda causa pendeat necessariò à prima quoad esse, & operari, & etiam quoad modum operandi, quid iuuat hominem liberum esse in suis operationibus comparatione secundarum causarum, cùm eadem libertas illi auferatur per primam causam? nam vndecunque imponatur voluntati necessitas, illa libera non erit. & vndecunque auferatur ab ea sua libertas, illa necessariò aget. quare dicere, effectus humanæ voluntatis esse quidē liberos comparatione secundæ causæ, quæ est ipsa voluntas humana, non esse verò liberos, aut contingentes respectu diuinæ prouidentiæ, videtur nihil esse dicere, & verbis ludere, & aduersariis fidei ansam præbere.

Accedit, quòd libertas, & contingentia sunt modi entis intrinseci. Ergo actio, quæ de se libera est, aut contingens, cuicunque causæ comparata libera erit, atque contingens, quemadmodum homo quia intrinsecè est rationalis, cuicunque comparetur, etiam primæ causæ, erit rationalis. aut igitur non erit in rebus actio libera, & contingens: aut cuicunque comparata illa erit actio libera, & contingens.

III. Tetigimus suprà hoc dubium, cùm de radice contingentiæ disputa remus lib. 4. cap. 7. nunc pro abundantiori illius solutione aduertimus aliud esse loqui de effectibus liberis, aut contingentibus, aliud loqui de casualibus, & fortuitis: nam potest quidem illud, quod contingenter euenit, non casu, & fortuitò euenire, nam qui exercitu comparato nititur regnum adipisci, contingenter illud adipiscitur, non tamen à casu neque fortuitò, quia adeptio regni non euenit illi præter eius intentionem. quare omnis effectus casualis, & fortuitus est quidem contingens, sed non omnis effectus contingens est casualis, & fortuitus: quia ad hoc, vt dicatur effectus casualis, & fortuitus, non sufficit, vt eueniat contingenter, sed necesse est, vt eueniat præter intentionem naturæ, vel agentis cum cognitione.

Itaque si loquamur de contingentibus, vt sunt contingentia solùm, non autem vt quædam illorum casu, & fortuitò eueniunt, dico, non solùm comparatione secundarum causarum, sed etiam comparatione diuinæ voluntatis, & diuinæ prouidentiæ esse, & dici debere contingentia, & contingenter euenire, non quidem quòd prima causa comparatione illorum sit verè contingens, esto hoc admittat Scotus, sed quia rerum contingentia est à Deo volita, & intenta, & per diuinā prouidētiam ordinata, Deus enim consultò instituit causas contingentes in rebus, vt essent effectus contingentes, & esset in rebus distinctio, & varietas. quod vt ampliùs declaretur,

Notandum, duobus modis aliquem effectum posse dici contingentem comparatione primæ causæ, vno modo quia illius contingentia est à prima causa volita, & intenta, & in hoc sensu verissimum est, effectus esse contingentes etiam cōparatione voluntatis diuinæ, & diuinæ prouidentiæ. Alio modo, quòd prima causa respectu talium effectuum sit causa verè contingens, accepta causa contingenti pro causa, quæ in suis operationibus deficere potest, & impediri ob defectum propriæ virtutis, & hoc modo falsum est aliquem effectum esse contingentem comparatione primæ causæ, aut diuinæ prouidentiæ. De effectibus autem liberis absolutè dicendum est, illos cuicunque causæ comparatos liberos esse, quia libertas, & agere liberè, nullam dicunt imperfectionem.

Si verò de effectibus fortuitis, aut casualibus sit sermo, cùm sit de illorum intrinseca ratione, vt eueniant præter intentionem agentis, videndum est, an aliquid in mūdo possit euenire præter intentionem Dei. Si nanque potest aliquid præter intentionem illius euenire, non est inconueniens, illud etiam comparatione primæ causæ fortuitò euenire, eo modo, quo euenit præter illius intentionem. Si autem nullo modo potest aliquid præter Dei intentionem euenire, absolutè dicendum erit, nihil comparatione primæ causæ, casu, & fortuitò euenire. Ad hoc autem dubium soluendum ea recolenda sunt, quæ suprà diximus de duplici intentione Dei, primaria, & secundaria, & de duplici voluntate, antecedente, & consequente. Intentio enim primaria est illa, qua Deus aliquid intendit secundùm se, & omne tale est bonum, & perfectum in suo genere. Intentio verò secundaria est illa, qua aliquid intendit inspectis omnibus, quæ sunt adiungenda ex parte creaturæ, quæ est doctrina D. Thom. de veritate q. 23. a. 2. vt dictum est suprà. Sic enim ait: *Ad cuius euidentiam sciendum est, quòd in qualibet actione est aliquid considerandum ex parte agentis, & aliquid ex parte recipientis. & sicut agens est prius facto, & principalius: ita id, quod est ex parte facientis, est prius naturaliter eo, quod est ex parte facti: sicut patet in operatione naturæ, quod ex parte virtutis formatiuæ, quæ est in semine, est, quòd animal perfectum producatur: sed ex parte materiæ recipientis, quæ quandoque est indisposita, contingit quandoque, quòd non producitur perfectum animal, sicut contingit in partibus monstruosis. Et sic dicimus, de prima intentione naturæ esse, quòd animal perfectum producatur: sed quòd producatur animal imperfectum est ex secunda intentione naturæ, quæ ex quo non potest propter suam indispositionem tradere formam perfectiorem, tradit ei id, cuius est capax.* Ex qua doctrina soluitur in terminis præsens difficultas, nam si loquamur de primaria Dei intentione, sicut non est dubium multa in mundo contingere præter illam primariam intentionem, ita nullum est absurdum, si concedamus, aliquos effectus esse fortuitos, & casuales comparatione diuinæ voluntatis, & prouidentiæ iuxta hanc primam Dei intentionem. In hoc sensu concedunt quidam Philosophi monstra, quæ aliquando eueniunt in natura, etiam relata ad primam causam, monstra appellari posse, ex quibus est Iulius Sirenius lib. 4. de fato cap. 25. Cæterùm si loquamur de eisdem effectibus comparatis ad primam causam, secundùm primariam aut saltem secundariam illius intentionem, sicut nihil hoc modo potest præter Dei intentionem in mundo euenire: ita nullus effectus comparatione diuinæ voluntatis, aut prouidentiæ potest fortuitò, aut à casu in mundo euenire. Et quoniam diuina prouidentia semper efficax est, aut secundùm primam, aut saltem iuxta secundam Dei intentionem, & nihil in mundo euenire potest præter omnem Dei intentionem, ideo absolutè puto dicendum, nullum effectum esse fortuitum, aut casualem comparatione diuinæ prouidentiæ, quamuis possit, & debeat admitti, multos effectus esse liberos, & contingētes comparatione eiusdem diuinæ prouidentiæ.

IV. D. Thom.

Iulius Sire.

Ad

V. Ad quartum itaque argumentum neganda eſt maior propoſitio, quoad illationem illam, Si prouidentia eſt. Ergo contingentia, & libertas in rebus non eſt. Ad illius probationem reſpondeo, diuinam prouidentiam eſſe actum diuinæ præſcientiæ, & diuinæ voluntatis, neque poſſe maiorem neceſſitatem rebus inferre, quàm inferant præſcientia, & voluntas: at præſcientia, & voluntas reſpectu effectuum liberorum, & contingentium non inferunt neceſſitatem antecedentem, ſed ſolùm conſequentem, aut concomitantem, quæ eſt neceſſitas ex ſuppoſitione. vnde cùm dicitur, quòd prouidentia eſt cauſa ſuperior, & infallibilis, quã nulla vis lædere, aut rũpere poteſt, iſta propoſitio duobus modis poteſt intelligi, vel præſuppoſita ſcientia futuræ determinationis cauſarum liberarũ ad ſuos effectus. & in hoc ſenſu eſt vera propoſitio, ſed, vt dixi, iſta infallibilitas non ponit in effectibus liberis, & contingentibus vllam neceſſitatẽ, niſi neceſſitatẽ ex ſuppoſitione cõſequente, vel concomitãte. vel quòd ante præſciẽtiã futuræ determinationis ſecundarũ cauſarum liberarũ, & contingentium prædefinierit omnes effectus liberos, & contingentes prædefinitione, quã nulla vis ſecundæ cauſæ impedire poſſit in executione, quemadmodum Caluinus, & Beza in initio huius quinti libri cit. arbitrantur. & hoc pacto non dicimus, diuinam prouidentiam eſſe cauſam ſuperiorem, ita infallibilem, quòd eam nulla ſecunda cauſa poſſit in exercitio impedire. non tamen abſolutè concedendum eſt, diuinam prouidentiam fallibilem, & ſuperabilem, aut defectibilem eſſe, quia ſapientiſſimè res diſpoſuit iis modis, quibus ſcit ſe falli, aut ſuperari minimè poſſe, eſto res omnes ita moueat, vt tamen illas ſuos motus agere permittat.

CAPVT VIII.

Non ſolùm bona, ſed etiam mala certiſſimæ Dei prouidentiæ ſubiecta eſſe.

I. QVintum argumentum Philoſophorum, quo illi nituntur probare, quòd hæc inferiora diſtinctæ Dei prouidentiæ ſubiecta non ſint, ſumitur ex malis, quæ contingunt in his rebus. Nam ſapientis prouiſoris eſt omnia mala arcere, & prohibere à rebus prouiſis: at humanæ vitæ præſertim multa mala in dies contingunt. Ergo actiones humanæ vitæ certæ, ac diſtinctæ Dei prouidentiæ non ſunt ſubiectæ. hoc argumento vtitur Auerroës lib. 12. Metaph. text. 37. & in Paraphraſi Metaph. in fine. ob hanc rationem putat Auerroës mala, quæ in hoc mundo eueniunt, præter Dei prouidentiam euenire ex neceſſitate materiæ, vt ille dicit lib. 12. com. 52. Auerroës.

Nihilominus certiſſimè tenendum eſt, omnia mala, quæ in mundo eueniunt, prouidentiæ Dei ſubiecta eſſe. quomodo verò illi ſubiiciantur, nunc reſtat nobis ad complementum huius ſecundæ controuerſiæ breuiter declarandum. Et quoniam malum duplex eſt, aliud pœnæ, aliud culpæ, priùs de malo pœnæ, mox de malo culpæ erit ſermo. Et quidem omnia mala pœnæ, quæ nobis in hac vita eueniunt, Dei prouidentiæ ita eſſe ſubiecta, vt nihil mali nobis contingat, quod ab æterno per illius prouidentiam non ſit præordinatum, eo modo euenire, quo modo de facto in tempore illud ſuccedit, res eſt adeò certa, vt eam negare Auguſt. in Pſal. 148. circa illa verba, *ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum.* dicat eſſe manifeſtam ſtultitiam, & illam negare eſt dicere manifeſtè cõtra diuinam Scripturam, quemadmodum colligitur euidenter ex lib. Eccleſ. c. 11. vbi dicitur quòd *bona, & mala, vita & mors, paupertas & egeſtas, a Deo ſunt.* & Iſaiæ 45. & Ieremiæ 32. Amos c. 3. & aliis innumeris in locis. Quare ſi qui ſunt, qui negent, II. omnia mala, quæ in mundo fiunt, fuiſſe à Deo prouiſa, & interfectiones, quibus nonnulli quandoque præter ſpem, & opinionem à graſſatoribus interimuntur, & inopinatas aliquorum ſuffocationes in flumine, vel in mari, & alios ſimiles euẽtus non fuiſſe intentos à diuina prouidentia, vt euenirent, quod nonnullos Theologos affirmare teſtantur Nazar. 1. p. q. 22. a. 4. & Aluarez diſp. 29. in principio, videre non poſſum, quomodo illorum ſententia ſic nudè intellecta non ſit contra diuinam Scripturam. neque enim gloſſari poſſunt teſtimonia diuinæ Scripturæ, vt loquantur ſolùm de malo culpæ, non pœnæ, tum quia multo maior eſt difficultas de malo culpæ, quàm de malo pœnæ, immo malum culpæ nullo modo dicitur Deus operari, & dicitur operari malum pœnæ Amos c. 3. tum quia plurima ſunt teſtimonia, quæ de malo pœnæ expreſsè loquuntur, ſicut patet Iſaiæ 10. 14. 45. Ieremiæ 25. & 32. Ezech. 7. 8. & 29. Neque etiam gloſſari poſſunt dicta teſtimonia de præordinatione permiſſiua tantùm, non etiam prædefinitiua, id eſt, quòd Deus præordinauit illa permittere, non autem præordinauit, vt fierent, nam eodem modo poſſemus dicere, Deum præordinauiſſe, vt fierent peccata, quia certum eſt, quòd præordinauit illa permittere, quod tamen diuina Scriptura, & Catholica fides non admittit. quare cùm diuina Scriptura dicat, Deum facere, creare, decernere, & ordinare malum pœnæ, aliquid plus innuere nobis vult, quàm Deum idem malum pœnæ permittere decreuiſſe. Nazarius. Aluarez.

Accedit, quòd Patres interpretantur loca allegata ex diuina Scriptura, non de permiſſione ſola, aut voluntate permittendi mala pœnæ, ſed de volitione, & ordinatione poſitiua. Ab hoc autem modo interpretandi ſacram Scripturam conformiter ad antiquam, & communem ſanctorum Patrum interpretationem recedere nobis non licet, ex decreto S. Concilij Tridentini ſeſſ. 4. III. Conc. Trid.

Tertiò, malum pœnæ de ſe malum non eſt, ſed bonum, & volibile, & per ſe ordinabile per diuinam prouidentiam, eſt enim ordinabile per diuinam iuſtitiam punitiuam, & pertinet ad eandem iuſtitiam punitiuam, quæ de ſe bona eſt, vt docet D. Thom. 1. p. q. 19. a. 9. & q. 49. a. 2. Nihil ergo repugnat, illud ſubiici diuinæ prouidentiæ, & per illam eſſe præordinatum, & prædefinitum, vt eueniret. D. Thom.

Quartò, omne, cuius Deus eſt per ſe cauſa, & ad quod operandum tribuit vires cauſis ſecundis, & eas mouet ad illud efficiendum, eſt per Dei prouidentiam certò, & infallibiliter præordinatũ: at Deus eſt cauſa mali pœnæ, immo ad illud cauſandum tribuit vires ſecundis cauſis, & illas mouet, dicuntur enim homines nequam, quorum miniſterio alios punit, eſſe gladij, & virgæ, & ferræ in manu Dei. Ergo malum pœnæ eſt per diuinam prouidentiam certò, & infallibiliter præordinatum.

Crediderim tamen Theologos, qui negant, mala pœnæ eſſe per diuinam prouidentiam poſitiuè præordinata, ſi qui ſunt, qui id negent, non hoc negare, quoad rem, ſed quoad modum, ſecundùm quem alij nonnulli Theologi contendunt, eadem IV.

mala

mala fuiſſe per diuinam prouidentiam præordinata. putant enim, pertinere ad intrinſecam rationem perfectæ Dei prouidentiæ, quòd omnes effectus, qui ſucceſſu temporis euenium, ſint per Dei prouidentiam efficaciter prædefiniti ante omnem præſcientiam determinationis ſecundarum cauſarum, quæ ſententia aliis non probatur.

Ad argumentum igitur commentatoris dicendum eſt, quòd ſapientis prouiſoris eſt omnia mala à rebus prouiſis prohibere, niſi illa ſint mala alicui ſolùm particulari, quæ tamen ſint ordinata in bonum commune, quod præponderet illi bono particulari: nam in tali caſu ſapientis prouiſoris eſt, malum particularium permittere ob maius bonum, quod eſt bonum commune. Et hoc probatur verum eſſe tum in Politicis, tum in naturalibus. nam ſapiens Reipublicæ gubernator rem priuatam, immo & vitam huius, & illius ciuis exponit, ob maius bonum, quod eſt conſeruatio boni communis eiuſdem Reipublicæ. In naturalibus verò videmus, Deum ita ſpecies rerum inſtituiſſe, vt occiſio individuorum vnius ſpeciei, ſit conſeruatio individuorum alterius ſpeciei, ſic enim inſtituta eſt animalium varietas, & conſeruatio, vt occiſio ouis ſit vita leonis, & ſic de aliis, quare aut negare debet Auerroës, naturam ouis, leonis, & lupi tales eſſe ex inſtitutione diuina, aut admittere debet, ſapientis prouiſoris munus eſſe, malum alicuius particularis in bonum commune permittere, & ordinare.

V. Verùm contra hæc dubium occurrit ex eo, quia quædam ſunt mala pœnæ, quæ ſine malo culpæ exerceri non poſſunt, ſicut tyrannides, rapinæ bonorum, occiſiones, graſſationes, conſtuprationes, & alia ſimilia, quæ nonnulli in pœnam ſuorum ſcelerum ab aliis perditis, & ſceleratis hominibus nonnunquam ſuſtinent, hæc non potuerunt eſſe à Deo volita, & intenta, neque per diuinam prouidentiam ordinata, vt fierent. Probatur ſequela, quia aliàs ſequeretur, Deum præordinauiſſe, vt fierent peccata, ſine quibus talia mala exerceri non poſſunt.

D. Bonau. Ad hoc dubium dici poteſt, cum D. Bonauentura in 1. d. 46. a. 1. q. 2. ad quartum, quòd qui vult aliquid voluntate antecedente, neceſſariò vult illud, ſine quo id eſſe non poteſt. qui autem vult aliquid ſolùm voluntate conſequente, non eſt neceſſe, vt velit illud omne ſine quo id eſſe non poteſt. Malum pœnæ eſt volitum à Deo voluntate non antecedente, ſed conſequente tantùm: ideo non eſt neceſſe, quòd ſi vult pœnam, velit etiam culpam, ſine qua pœna eſſe non poteſt. Iudex enim videns reum delinquentem, vult illi pœnam, & tamen non vult illi culpam: immo in odium culpæ infligit ipſam pœnam. Si autem quæratur, cur volens aliquid voluntate antecedenti, velit illud omne, ſine quo id eſſe non poteſt, non autem qui vult aliquid ſolùm voluntate conſequenti. Reſpondeo, id euenire ex eo, quoniam volens aliquid voluntate antecedente, vult illud ex ſe ſolùm ſecundùm ſe inſpectum, non autem inſpectum ſecundùm circunſtantias, quas alij ponunt circa illud: qui verò vult aliquid ſolùm voluntate conſequenti, vult illud inſpectum ſecundùm circunſtãtias, quas alij ponunt circa illud. Poteſt autem contingere quòd homo ponat circunſtantiam circa aliquod obiectum, quam Deus non vult, & tamen velit tale obiectum poſita illa circunſtantia, quam ſi homo nõ poneret, Deus obiectum ipſum non vellet. quod declarari poteſt exemplo iudicis, qui poſita culpa in reo vult, illius pœnam, & non vult pœnam niſi poſita culpa, & tamen non vult ipſam culpam, vt optimè ibid. declarat idem D. Bonauentura.

Quod poteſt adhuc magis declarari, ſi ſupponamus in Deo duplicem notitiam, alteram, qua nouerit illa mala pœnæ, quibus per impios nonnunquam punit aliorum peccata, futura eſſe ex eorum libertate, ſi illa decreuiſſet permittere, vt, v. g. quòd nouerit, Chaldæos, ſi permitterentur, ſæuiſſimum bellum Iudæis illaturos, & illos vſque ad ruinam vaſtaturos, tum pro eorum inſatiabili alienæ rei cupiditate, tũ pro odio diro, quod gerebant contra ipſos Iudæos. Alteram verò qua nouerit, in quem bonum finem poſſet ordinare illa mala, ſi ea decerneret permittere, nimirum ad erudiendos ipſos Iudæos, & alios, vt diſcerent in poſterum Deum timere, & à peccatis abſtinere, & ad oſtendendam gloriam ſuam per modum iuſtitiæ vindicatiuæ in eorum punitione. Hac nanque duplici notitia ſuppoſita, apparet, potuiſſe Deum malum illud pœnæ, quod per Chaldæos intulit Iudæis, voluiſſe, & poſtriuè ordinaſſe in bonum finem, & tamen culpam, & moralem malitiam illorum minimè volitam fuiſſe à Deo, ſed ſolùm permiſſam. Videantur quæ diximus l. præcedẽti c. 16.

Aliud dubium eſt cùm certum ſit, malum pœnæ per diuinam prouidentiam eſſe in aliquem bonum finem ordinatum, quiſnam ſit huiuſmodi finis. Ad hoc dubium multi multa reſpondent. Beda in ſecundum cap. D. Lucæ ait, quinque ex cauſis homines à Deo in hac vita tribulationibus vexari. Primò ad merita augenda. Secundò ad humilitatem ſeruandam. Tertiò ad peccata intelligenda. Quartò ad Dei gloriam manifeſtandam. Quintò ad initium æternæ illorum damnationis. VI. Beda.

D. Gregorius Romanus, *Omnis* (inquit) *diuina percuſſio aut eſt correctio vitæ præſentis, aut eſt initium damnationis ſequentis.* Breuiter dici poteſt, omnia Dei flagella, quibus homines punit vel in præſenti, vel in altera vita, ordinari à Deo ad duplicem finem, alter eſt eruditio, & emendatio, & profectus electorum, quibus omnia cooperantur in bonum, & in quem finem principaliter ordinãtur omnia mala, quæ Deus ordinat per ſuam prouidentiam, quemadmodum vaſa contumeliæ in domo ordinantur ad purganda vaſa honoris, & illa decoranda, vt non ſemel ex ſententia Apoſtoli, & D. Auguſtini dictum eſt, & expreſsè tradit D. Thom. 1. p. quæſt. 23. art. 7. Alter eſt manifeſtatio diuinæ gloriæ per modum iuſtitiæ vindicatiuæ, in reprobis, qui tamen non eſt finis à Deo intentus primaria, ſed ſecundaria tantùm intentione, vt docet D. Thom. ibid. & clariùs de veritate quæſt. 23. art. 2. & D. Bonauent. in 1. d. 46. art. 1. quæſt. 2. ad quartum. Nazarius 1. part. quæſt. 19. art. 6. controu. 1. §. *Quintò conſiderandum, verſic. eſt tamen*, & nos ſuprà cap. 1. & ſecundò notauimus. Greg. Papa. D. Thom. Bonauent. Nazarius.

CAPVT IX.

An & quomodo malum culpæ cadat ſub Dei prouidentia.

MAior difficultas nobis remanet de malo culpæ, an illud ſit à Deo prouiſum, & quomodo, & loquimur de malo culpæ, quoad illius formalem malitiam, non autem ſolùm quoad illius eſſe materiale, quod eſt entitas naturalis actus ipſius peccati. Neque enim arbitramur verum eſſe, quod ait Trigoſius q. 14. a. 6. dub. 1. con- I. Trigoſius.

ſicut diſpoſitiuum, tertio modo ſicut oſtenſiuum eiuſdem ordinis. Sicut ſuſceptiuum non eſt aliquid, ordinabile, niſi quod eſt ens, & natura aliqua & ita malum non eſt ordinabile, niſi per accidens, ſcilicet per bonum ſubſtratum. ſicut diſpoſitiuum malum eſt ordinabile, ſed non ſicut diſponés, ſed ſicut priuans. ſic ut oſtenſiuum malum eſt ordinabile, & ordinatum, quia manifeſtat ordiné bonorum per oppoſitum, oppoſita autem iuxta ſe poſita magis eluceſcunt. & concordat doctrina D. Th. in 1. p. q. 14. art. 16. vbi dicit, quòd peccata cadunt ſub ſcientia Dei practica: quia per ſuam ſcientiam practicam vel impedit, ne fiant, vel permittit fieri, vel facta ordinat in bonum finem. Ex quibus videas, quid veritatis contineat doctrina illa Trigoſij, aſſerentis eſſe ſententiam omnium Theologorum, peccata quoad illorum moralem malitiam nullo modo cadere ſub diuina prouidentia.

V. Non eſt igitur dubium apud peritos Theologos, peccata aliquo modo cadere ſub diuina prouidentia, ſed tota difficultas eſt de modo, ſcilicet quomodo illa ſint per prouidentiam Dei ordinabilia, cùm nullo modo ad illa extendatur diuina cauſalitas, & cùm nullo modo illa videantur poſſe in aliquem finé ordinari. Ad huius igitur rei euidentiam notandum eſt, quòd quatuor modis aliquid dicitur ordinabile per diuinam prouidentiã. Primò, quia eſt ſuſceptiuum ipſius ordinis, & iſtud eſt res in finem ordinata. Secundò, quia eſt diſpoſitiuum ordinis, & iſtud eſt mediũ, per quod ipſa res ordinatur, & deducitur in finem. Tertiò, vt oſtenſiuum ordinis. Quartò, vt occaſionem præbens ipſi ordini. tres priores modi ſunt enumerati ex D. Bonauentura. Peccatum per diuinam prouidẽtiam primo modo nulla ratione eſt ordinabile. Secundo modo eſt ordinabile non ſicut diſpoſitio poſitiua, ſed ſicut diſpoſitio priuatiua: quia priuãdo creaturam rectitudine ordinis naturæ, & gratiæ, facit illam incurrere in ordinem iuſtitiæ: diſpoſitio enim ad ordinem iuſtitiæ eſt demeritum, ſicut diſpoſitio ad ordinem miſericordiæ eſt gratia & meritum. Tertio modo peccatum eſt ordinabile in bonum, quia per illud magis ſplendeſcit bonum. Quarto etiam modo eſt adhuc ordinabile in bonum, quia ex peccato ſumpſit Deus occaſionem conferendi naturæ humanæ maxima bona, qualia fuerunt bonum vnionis hypoſtaticæ, & bonum humanæ redemptionis, ſicut dicunt communiter Doctores cum D. Thoma tertia part. quæ. 1, D. Thom. art. 3. quam ob cauſam vocatur felix culpa Adami, quæ talem, ac tantum habere meruit redemptorem.

VI. Ad argumenta in contrarium. Ad primum reſpondet Nazarius in cõmentario illius a. D. Thomæ, illam propoſitionem: *Ad illa omnia ſe extendit diuina cauſalitas, ad quæ ſe extendit diuina prouidẽtia*, veram eſſe de prouidentia approbationis, non de prouidentia conceſſionis: modò peccatum non continetur ſub prouidentia approbationis, ſed ſolùm ſub prouidentia conceſſionis. Nazarius.

Hæc reſponſio videtur inſufficiens, quia D. Th. aſſumit hanc propoſitionem tanquam principium ad probandum, quòd omnia cadunt ſub Dei prouidentia. quare aut per illud concludendum eſt, quòd mala, ad quæ non extenditur diuina cauſalitas, non ſint ſubiecta diuinæ prouidentiæ, aut ad ipſa quoque mala extendi diuinam cauſalitatem. Propterea videtur dicendum, ipſam diuinam cauſalitatem aliquo modo extendi ad ipſa mala, quod etiam concedit D. Th. dicta q. 14. art. 16. ſed dico, duobus modis cauſalitatem diuinam extendi ad aliquid, vno modo ſicut ad effectum, qui per ipſã cauſalitatem conſtituitur in eſſe, & aliquo modo per illam ordinatur: alio modo non ſicut ad effectum conſtitutum in eſſe per ipſam diuinam cauſalitatem, ſed ſicut obiectum, circa quod verſatur diuina cauſalitas, vel illud impediendo, ne fiat, vel illud permittendo fieri, vel illud factum expellendo, & deſtruendo, vel illud factum ordinando. Diuina igitur cauſalitas non ſe extendit ad peccatũ primo modo, ſecundùm quem eſt prouidentia approbationis, ſed ſecundo modo tantùm, iuxta quem eſt prouidentia conceſſionis; & ſic vera eſt reſponſio Nazarij.

Gabr. Pennot. de libert. hum.

VII. Ad ſecundum argumentum reſpondetur, peccatum non eſſe per diuinam prouidentiã ordinabile in aliquem finem ſiue vniuerſalem, ſiue particularem tanquam ſuſceptiuum ordinis, quia omne quod taliter eſt ad finem ordinatum, debet eſſe res aliqua, & natura realis poſitiua, peccatum verò ſecundùm quod eſt peccatum, non eſt aliqua natura poſitiua ordinabilis ad finem, cùm ſit potiùs priuatio, & deordinatio ab ipſo fine. benè poteſt ordinari in finem, vt diſpoſitio priuatiua, vel vt oſtenſiuum, vel vt id, ex quo ſumitur occaſio maioris boni.

Ad tertium reſpondetur, permiſſionem peccati ordinatam eſſe à Deo ad maiorem vniuerſi perfectionem, non quidem ſubſtantialem, ſed accidentalẽ. Nã licèt abſque peccato quoad perfectionẽ eſſentialẽ mundus eſſet æquè perfectus, tamẽ quoad perfectionẽ accidentalem eſt longè perfectior poſt peccatũ, quàm ante peccatũ, quemadmodum multis rationibus deducunt Theologi in 1. d. 46. ex quibus nonnullas hîc breuiter ponam. Prima ratio eſt, quia malum bono iuxtapoſitum facit illud magis eluceſcere. *malum nanque benè ordinatum, & ſuo loco poſitum*, ait Aug. in Enchiridio c. 10. *eminentiùs commendat bona, vt magis placeant, & laudabiliora ſint, dum comparantur malis.* & in lib. 11. de ciuit. c. 23. ait quòd *ſicut pictura cum colore nigro loco ſuo poſito, ita vniuerſitas rerum, ſi quis poſſit intueri, etiam cum peccatoribus pulchra eſt. quamuis per ſeipſos conſideratos ſua deformitas turpet.* Secunda ratio eſt, quia per malum probatur bonum Iob c. 23. *Probauit me Dominus quaſi aurum, quod per ignem tranſit.* & Aug. in Pſ. 44. *O bono ſi nunquam tentareris, nunquam probareris.* Tertia ratio eſt, quia malum præbet iuſtis occaſionem ſe exercendi in bono, ſicut ait idem Aug. lib. 7. Confeſſio. c. 9. & de vera religione c. 8. quòd *hæreticis cùm foris ſint, plurimum proſunt, non verum docendo, quod neſciunt, ſed ad verum quærendum carnales, & ad verum aperiendum ſpirituales Catholicos excitando.* Quarta ratio, quia ex peccato natura humana conſecuta eſt ſummum illud bonum vnionis hypoſtaticæ, & ex perſecutionibus tyrannorum ditata eſt Eccleſia meritis, & coronis martyrum. Quinta, quia ex abundantia delicti accepit Deus occaſionem abundandi in donis gratiæ, & miſericordiæ in aliquibus, & in aliis oſtendendi ſuam iuſtitiam punitiuam, vt dicit Apoſtolus ad Roman. 5. & 9. Sexta ratio, vt electi cadentes cautiores reſurgant, & feruentiùs ſe in operibus iuſtitiæ exerceant, ſicut dicit Auguſtinus, quòd diligentibus Deum vſque adeò omnia cooperantur in bonum, vt etiam ſi aliquando deuient, & exorbitent, hoc ipſum eos faciat reſurgere cautiores. Septima ratio, permittit Deus aliquando hominem incidere in leuem culpam, ad vitandam grauiorem, Auguſtin. Auguſt.

ſicut dicit Auguſtinus in Enchiridio, quòd *vtile eſt ſuperbo in culpam manifeſtam incidere.* Octaua, vt homo ex proprio caſu diſcat aliorum miſereri, vt accidit D.Petro. Nona ratio, vt homo circa aſſecutionem propriæ ſalutis liberè operetur, ex Auguſtino de vera religione cap.14. De iis videri poſſunt Damaſc. 2. de fide cap.19. 26. & 29. & alij relati à Trigoſio q.14.art.6.dub.4.not.4.

CAPVT X.

Controuerſia tertia proponitur, an omnes homines per Dei prouidentiam ſint ordinati in finem ſupernaturalem æternæ beatitudinis.

I. OStendimus præcedenti controuerſia, omnes homines, & omnes illorum actiones certiſſimæ, ac diſtinctiſſimæ Dei prouidentiæ ſubiectos eſſe, & fuiſſe ab æterno in aliquem finem efficaciter præordinatos. Verùm cùm duplex ſit finis, naturalis, & ſupernaturalis, & proportione vtriuſque duplex ſit Dei circa hominem prouidentia, altera naturalis, qua hominem dirigit in finem naturalem per media naturalia, altera ſupernaturalis, qua eundem hominem ordinat in finem æternæ beatitudinis per media ſupernaturalia. Circa hunc duplicem finem dubium oritur, & illud grauiſſimum, an omnes homines per Dei prouidentiam ſint non ſolùm ordinati in finem naturalem per media naturalia, ſed etiam in finem ſupernaturalem æternæ beatitudinis per media ſupernaturalia. Et iſta quæſtio eſt prorſus eadem cum illa, quam diſputant Theologi circa 2. caput prioris epiſtolæ ad Timoth. poſt D. Thom. 1.p.q. 19.a.6. An Deus voluntate ſaltem antecedenti, & inefficaci ex ſe velit, & exoptet cunctorum hominum ſalutem, & præparauerit omnibus, & ſingulis hominibus media ſufficientia ad æternam ſalutem aſſequendam. Et loquimur hîc de voluntate, quæ verè & propriè ſit in Deo, & ſit voluntas beneplaciti, quanuis non ſit efficax reſpectu ſalutis omnium hominum, ſed comparatione aliquorum ſolùm ſit voluntas ſimplicis, & inefficacis complacentiæ, qua Deus ipſe tanquam optimus ex ſe omnium hominum æternam ſalutem exoptet.

Hæc quæſtio, quæ maximi eſt ponderis, in hoc loco eſt à nobis diligenter quantum fieri poterit diſcutienda, & reſoluenda, tum quia illius exacta reſolutio tanquam potiſſima pars tractationis de diuina prouidentia hîc deſideretur: tum quòd neceſſaria ſit ad ſternendam viam ad ea, quæ ſequẽtibus libris dicenda ſunt de diuina prædeſtinatione, & reprobatione: hîc nanque Caluinus, & Beza, & cæteri eorum gregales primum iaciunt lapidem fundamentalem totius ſtructuræ de Prædeſtinatione, & Reprobatione. In hac igitur controuerſia reſoluenda tria de more faciemus. Referemus opiniones, conſtituemus aſſertionem Catholicam, & illam firmiſſimis diuinæ Scripturæ, Patrum, & rationum Theologicarum præſidiis muniemus. Et tandem argumenta aduerſariorum adducemus, ac reſoluemus.

II. Quod ſpectat ad opiniones, Calu. referente Card. Bellarm. lib.2. de amiſſione gratiæ c.12. & Thoma Stapletonio in c.9. epiſtolæ ad Rom. verſ. 20. Horantio lib.3. locorum Catholicorum c.8. & Flaminio de Nobilibus lib. de præd. c.7. ſentit apertè, nullum illorum, qui de facto damnantur, fuiſſe à Deo per illius prouidentiam ordinatum in finem ſupernaturalem eiuſdem beatitudinis æternæ, & Deum nulli eorum etiam affectu ſimplicis complacentiæ inefficaci voluiſſe æternam ſalutem: ſed illos omnino etiam ante præuiſa illorum mala opera efficaciter excluſiſſe à fine ſupernaturali, & ad pœnas inferni deſtinaſſe: & ob hãc cauſam Adami lapſum non ſolùm permiſiſſe, ſed etiam ordinaſſe, vt hac ratione aperiret ſibi viam ad ſuam iuſtitiam vindicatiuam in illis exercendam. Ob hanc cauſam dixit Caluinus, omnia opera impiorum etiam peccata fuiſſe à Deo ab æterno efficaciter prædefinita ante præſcientiam cuiuſcunque liberæ determinationis volũtatis creatæ, vt ex eius libris oſtendimus ſuprà lib. 4. c. 16. præcipue ex lib. 3. Inſtitut. Caluini cap.23. §.4.7. 8.9. & in Opuſc. de Æterna prædeſt. pag. 905. 906. & 916. Doctrinam Caluini ſequitur Beza in reſponſione ad Acta colloquij Montis-Belgardenſis, cuius verba retulimus in initio huius quinti libri, & in reſponſione ad Sebaſtianum Caſtellionem de æterna Dei prædeſt. in refutatione ſecundæ calumniæ, vbi ſic ait: *Deus hominem conditurus ad gloriam, tum miſericordiæ, tum ſeueritatis ſuæ declarandam, Adamum condidit ad imaginem ſuam, id eſt, ſanctum & innocentem. cur nam id verò? Nempe quia bonus cùm ſit, non poteſt ab eo vitioſum quidquam creari, vitioſi autem ſint, oportet, tum quorum conſtituit miſereri, tum etiam quos iuſtè decreuit gloriæ ſuæ cauſa condemnare. Ideo oportuit Adamum condi ſanctum, & innocentem, ſed qui ſua ſponte, & ſine vlla Dei culpa vitioſus factus viam pateſaceret æternis Dei conſiliis, id eſt, tum miſericordiæ, tum ſeueritatis ipſius declarandæ. Oportuit ergo Deum quoque hanc vnicam viam ſibi aperire, id eſt, Adami lapſum ordinare: ſed ad eum, quem dixi finem, qui cùm ſit iuſtiſſimus, & ſanctiſſimus, iuſtam quoque ipſius ordinationem eſſe conſequitur.*

Caluinus. Beza.

III. Ex Catholicis etſi nonnullus ſit, qui ſaltem verbis non fateatur, omnes homines per Dei prouidentiam fuiſſe aliquo modo in finem æternæ ſalutis ordinatos, nonnulli tamen ſunt, qui hanc rem ita declarant, vt videantur ſentire, nunquam reuera extitiſſe in Deo aliquam voluntatem, qua exoptauerit etiam affectu ſimplicis complacentiæ & inefficaci eorum ſalutem. Dicunt enim, Deum in ſigno primo rationis ante præuiſa cuiuſque opera, efficaciter elegiſſe omnes prædeſtinatos ad gloriam, & ex huiuſmodi electione proceſſiſſe præparationem gratiæ, & mediorum ad illos ad gloriam perducendos. Dicunt etiam, in eodem inſtanti omnes reprobos fuiſſe excluſos ab eodem fine eiuſdem æternæ gloriæ, & ex huiuſmodi decreto proceſſiſſe voluntatem permittendi lapſum eorum in culpam, ad oſtendendum in eis ſuam iuſtitiam punitiuam, quam volunt æquè primaria intentione fuiſſe ab eo intentam, ſicut eſt intenta oſtenſio diuinæ gloriæ per modum miſericordiæ in electis. Quibus cùm obiicitur autoritas Apoſtoli dicentis, Deum velle omnes homines ſaluos fieri, & communis Doctorum conſenſus, dicentium, omnes homines per Dei prouidentiam eſſe ad æternam ſalutem ordinatos; illi hoc exponũt de voluntate antecedenti, ſed dicunt, huiuſmodi voluntatem non eſſe beneplaciti, quæ ſit formaliter in Deo, ſed eſſe volũtatẽ ſigni, quæ eſt in Deo ſolùm per quandam metaphorã, vt lib. præced. c. 20. oſtẽdimus. Hęc opinio tribui ſolet Greg. Arim. in 1.d.41.q.1.a.2. concl.4. & 5. & Marſilio in 1.q. 41.a.2.concl.4. Driedoni in lib. de Cõcordia liberi arbitrij p.1.c.3.cõcl.1. & 3. & Ant. Cordubæ lib.1. q.56.

Caluin. Bellarmin. Tho.Staple. Horantius. Flami.Nob.

Greg.Arim. Marſilius. Driedo. Aluarez.

Digitized by Google

q.56.notab.2.cp.5.Eandem opinionem nouissimè docuit quidam autor non obscuri nominis, contendens illam esse expressam doctrinam D. Thomæ,& omnium Theologorum,& etiam D.Augustini. Alij verò seueritatẽ eiusdem sententiæ temperantes dicunt,ante peccatum originale fuisse in Deo voluntatem omnes homines saluandi, non autem post præuisum peccatum originale,& hanc similiter contendunt esse mentem D.Augustini.

IV. Hanc opinionem in eo sensu intellectã,in quo est intenta à Caluino,& Beza, non dubito esse erroneam in fide,& contra sacram Scripturam,qua semel admissa necesse sit maximã partem diuinæ Scripturæ esse artificium ad homines illudendos excogitatum. In eo autem sensu,in quo illam defendunt quidam Doctores Catholici,etsi non dubitem illos tanquam Catholicos à sententia hæreticorum plurimum distare voluisse, nullatenus tamen probare possum,vt omittã censuras,quibus multi graues Doctores illã dignã esse arbitrantur.

Catholica positio est in hac controuersia, omnes,& singulos homines etiã post præuisum Adæ peccatum per supernaturalem Dei prouidentiam esse ordinatos in finem supernaturalẽ æternæ salutis.Itaque voluntate antecedenti,quę est voluntas beneplaciti formaliter in Deo existens,& non sola voluntas signi, etiã præsuppositа præscientia originalis peccati Deus,quantũ ex ipso est,vult,& exoptat æternam hominum omniũ,& singulorum salutem:& ob id præparauit omnibus media sufficientia, & proportionata ad eandem salutem consequendam, vt falsum sit, & omnino improbabile (ne aliquid plus dicam) affirmare, Deum in primo signo rationis ante præuisa cuiusque hominis mala opera aliquem efficaciter excludere voluisse à fine supernaturali æternæ salutis.

Hanc propositionem arbitror ex diuina Scriptura,& sanctis Patribus, & rationibus ex principiis veræ Theologiæ deductis ita euidenter posse probari,vt nisi quis ex industria obstinatus esse velit,in posterum nullus circa eam dubitandi relinquatur locus.Probatur primò ex communiter allegato testimonio D.Pauli in epist.1. ad Tim. c.2. vbi expressè testatur,Deum velle omnes homines saluos fieri. quod testimonium quia nonnulli ad sensus non legitimos,neque ab Apostolo intentos nituntur detorquere, subiicienda est hîc tota periodus verborum. Verba sunt ista. *Obsecro igitur primùm omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus, qui in sublimitate sunt, vt quietam, & tranquillam vitam agamus, in omni pietate, & castitate. hoc enim bonum, & acceptum est coram Saluatore nostro Deo,qui omnes homines vult saluos fieri,& ad agnitionem veritatis venire.*

1.ad Timoth.2.

V. Huic testimonio tribus modis nituntur aduersarij respondere. Prima responsio est, Apostolum loqui non de voluntate beneplaciti, quæ sit formaliter in Deo, sed de voluntate signi, quæ non est propriè in Deo,sed solùm per quandam metaphoram,quatenus promulgatio legis, & Euangelij, præcepta, & consilia, & Redemptio facta per Christum,& alia id genus,quæ sunt effectus diuinæ voluntatis,& illius signa, per quandam metaphoram dicuntur esse voluntas Dei, quia sunt signa quædam,& indicia,quòd Deo foret gratum, si omnes homines salui fierent, ad eum modum, quo Iurisconsulti per metaphoram solent appellare testamentum vltimam voluntatem testatoris. quam responsionem confirmant autoritate D.Thomæ in locum illum Apostoli.

D.Thom.

Hæc responsio neque est in se vera, neque ad mentem D.Thomæ. quòd non sit vera in se facilè probatur, quia Apostolus loquitur hic de voluntate Dei,qua ille vult omnes homines caste,& piè viuere,& illã coniungit cum voluntate, qua vult, omnes homines saluos fieri.prima est volũtas beneplaciti.Ergo & secunda.Secundò voluntas,qua dicimus,esse aliquid Deo gratũ,& acceptũ,& bonũ,est voluntas beneplaciti,vt vel ipsa grammaticalis nominum significatio demonstrat:Apostolus verò loquitur de voluntate,secundùm quã est aliquid Deo gratũ,& acceptũ.Ergo loquitur de voluntate beneplaciti. Tertiò voluntas beneplaciti est illa,qua Deus vult id quod est de se bonum, & quod secundùm se cõsideratum illi displicere non potest.Ergo Deus voluntate beneplaciti vult omnes homines saluos fieri.Quartò cõtra hãc responsionem facit cõmunis expositio Doctorũ, qui illa verba Apostoli exponunt de voluntate, qua Deus verè,& propriè vult, omnes homines saluos fieri, dummodo etiã ipsi velint. ita exponunt D.Ambr. Auguſt.Hier.& OEcumenius ibid. Chryſ.hom.1. in epist.ad Ephes.circa illa verba, *secundùm propositum voluntatis suæ*, & Damasc.lib.1.de fide cap.29. Demum D.Thom.in 1.p.q.19 art.6.ad 1.exponens illa verba Apostoli, contendit esse intelligenda de voluntate antecedenti, quæ est verè voluntas beneplaciti,vt li.4.c.11.ostendimus.Vnde signum est, illum ibi retractasse expositionem traditam in commentario illius loci D. Pauli : aut ibi non fuisse locutum ad mentem propriam, sed more Commentatorum aliorum sententias retulisse.

Chryſoſt. Damasc. D.Thom.

VI. Secunda responsio est,illa verba, *qui vult omnes homines saluos fieri*, non esse referenda ad Deum, sed ad Christum,quatenus est homo,vt sit sensus, Christum,quatenus est homo, prò ingenti charitate,qua omnes diligit, velle, vt omnes homines salui fiant. Hæc tamen expositio est aperta textus deprauatio, & corruptio, cùm textus dicat, *Hoc enim bonum, & acceptum est coram Saluatore nostro Deo, qui vult omnes homines saluos fieri.* vbi constat pronomen relatiuum, *qui*, referre Deum Saluatorem. Et si liceret hoc modo exponere diuinas Scripturas,sequerentur in illis magna corruptio,& peruersio. Videatur hæc responsio apud Trigosium quæst.14. art.1. dub.1. in fine.

Trigoſius.

VII. Tertia responsio est,verba Apostoli esse intelligenda de voluntate beneplaciti,sed glossanda esse aliquo ex sequẽtibus modis.Primus modus est,vt illa verba intelligantur per accommodatã distributionẽ eo modo, quo dicere solemus,ille magister docet omnes pueros ciuitatis,non quòd absolutè omnes pueros doceat,quia nõ omnes vadunt ad scholã,sed quia docet omnes,qui docentur,& nemo docet præter ipsum. Ita dicitur Deus velle omnes homines saluos fieri,nõ quòd absolutè velit omnes homines saluos fieri,sed quia nullus saluus fit,nisi quẽ Deus vult saluum fieri.Hunc modum exponendi illum locum tradit Augustinus in Enchirid.cap.103.& in epist.107.& lib.4. contra Iulianum cap. 8. & lib. de prædestin. sanctorum cap.8. & lib.6. Hypognosticon prope finem. Secundus modus est,vt illa verba Apostoli intelligantur non de singulis omnium generum,sed de generibus singulorũ,id est,non velle Deum singulos homines ex Iudæis, Græcis,Italis, Germanis, saluos fieri : sed velle, aliquos saluos fieri ex singulis generibus,& nationibus Iudæorum,Græcorum, Italorum, Germanorum, &c. Hic modus exponendi traditur ab eodem Augustino in Enchirid. loco cit. & in lib. de Bono perseuer. c.14.

Auguſtin. Auguſt.

Tertius modus eſt, vt verba illa exponantur per figuram Synecdochen, ita vt per omnes intelligamus aliquos, qui modus non eſt omnino extraneus à diuina Scriptura. Hunc tradit idem Auguſtinus epiſt. 59. Quartus modus eſt, vt illa verba intelligantur per figuram Metonymiam, & ſit ſenſus, Deus vult omnes homines ſaluos fieri, id eſt, Deus facit, vt iuſti vellent, omnes homines ſaluos fieri. Hunc modum tradit idem Auguſtinus lib. 4. de Geneſi ad literam cap. 9. & lib. 22. de Ciuit. cap. 2. & lib. de Correptione, & gratia cap. 15.

VIII. Iſti omnes modi exponendi ſi procedant de voluntate beneplaciti conſequente, veri ſunt, & vt tales admittendi. Si autem procedant de voluntate beneplaciti antecedente, neque ſunt veri, neque ad mentẽ D. Auguſtini. Quod probatur, quia quod eſt de ſe bonum, & honeſtum, Deus ſecundùm ſe non poteſt non velle, ſaltem quoad ſpecificationem actus; ſed omnes homines ſaluos fieri, ſecundùm ſe eſt aliquid bonum, & honeſtum. Ergo ſi conſideretur voluntas Dei ſecundùm ſe, non poteſt non velle omnes homines ſaluos fieri abſque vlla diſtinctione. Quòd autem ſit contra mentem D. Auguſtini, oſtenditur apertiſſimo teſtimonio illius in lib. de ſpiritu, & litera cap. 33. vbi eundem locum Apoſtoli ſine vlla exceptione vult eſſe intelligendum vniuerſaliter de omnibus, & ſingulis hominibus, & inter alia ſic ſcribit, *Si credimus, vt impetremus hanc gratiam, & vtique voluntate credimus, de hac quæritur, vnde ſit nobis. Si natura, quare non omnibus, cum ſit idem Deus omnium creator: Si dono Dei, etiam hoc. quare non omnibus, cùm omnes homines velit ſaluos fieri, & in agnitionem veritatis venire? prius igitur illud dicamus, & videamus, vtrùm huic ſatisfaciat quæſtioni, quòd liberum arbitrium naturaliter attributum à creatore animæ rationali illa media vis eſt, qua vel intendi ad fidem, vel inclinari ad infidelitatem poteſt.* & infrà: *Vult autem Deus omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire: non ſic tamen, vt eis adimat liberum arbitrium, quo vel benè, vel malè vtentes iuſtiſſimè iudicentur.* & in lib. ad Articulos ſibi falsò impoſitos ad ſecundum ſic ait; *Remota ergo hac diſcretione, quam diuina ſcientia inter ſecretum iuſtitiæ ſuæ continet, ſinceriſſimè credendum, atque profitendum eſt, Deum velle, vt omnes homines ſalui fiant: ſiquidem Apoſtolus, cuius iſta eſt ſententia, ſolicitè præcipit, quod in omnibus Eccleſiis piiſſimè cuſtodiatur, vt Deo pro omnibus hominibus ſupplicetur. ex quibus quòd multis pereunt, pereuntium eſt meritum, quòd multis ſaluantur, ſaluantis eſt donum. vt enim reus damnetur, inculpabilis eſt Dei iuſtitia, vt autem reus iuſtificetur, ineffabilis Dei gratia eſt.* & lib. 6. Hypognoſt. prope finem ait, quòd ne quis putaret diuino iudicio fieri, non omnes homines ſaluari, dixit Apoſtolus, quòd Deus vult, omnes homines ſaluos fieri. vnde & iubet, & omnes ad bonum hortemur, oremus Deum pro omnibus. ipſius enim erit poteſtatis, iudicium in nobis debitum mutare damnationis, & gratiam prædeſtinationis indebitam prorogare. Eodem modo exponit eundem locum Apoſtoli D. Thom. lib. 3. contra Gent. cap. 159. vt alios autores omittamus.

Auguſt.

D. Thom.

IX. Quæ res vt adhuc clarior fiat, & magis conſtet legitimus ſenſus verborum D. Pauli, ſubiicio ſecundam demonſtrationem in hunc modum. Actus diuini intellectus, & diuinæ voluntatis cùm ſint immanentes, non poſſunt à nobis cognoſci, niſi per effectus, quos extra Deum cauſant in nobis, & vanum eſt, velle de huiuſmodi actibus alio modo per regulas humanæ Philoſophiæ ratiocinari: modò effectus, per quos diuina voluntas circa hominum ſalutẽ nobis innoteſcit, euidentiſſimè oſtendunt, Deum, quantum eſt ex ſe, nullo excluſo omnium, & ſingulorum hominum ſalutem velle, & exoptare. Quod probatur, nam effectus ipſius voluntatis ſunt diuina vocatio, præparatio gratiæ, prædicatio Euangelij, exhibitio ſacramentorum, & Redemptio facta per Ieſum Chriſtum. Quoad vocationem indiſtinctè Deus omnes vocat Prouerb. c. 8. *Nunquid non ſapientia clamitat, & prudentia dat vocem ſuam, in ſummis, excelſiſque verticibus, ſuper viam, in mediis ſemitis ſtans, iuxta portam ciuitatis, in ipſis foribus loquitur, dicens: O viri ad vos clamito,* &c. & Marci cap. vltimo ait Saluator Apoſtolis, *Euntes prædicate Euangelium omni creaturæ.* & Lucæ c. 14. *Exi citò per vicos, & plateas, & compelle intrare.* Quoad præparationem gratiæ, & ſacramentorum, illa indiſtinctè pro omnibus facta eſt Matth. cap. vltimo, *Euntes docete omnes gentes, baptiſantes eos.* Ioan. cap. 1. *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Apoc. cap. 3. *Ego ſto ad oſtium, & pulſo, ſi quis audierit vocem meam, & aperuerit ianuam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ille mecum.* tandem Redemptio propter omnes homines facta eſt Ioan. epiſt. 1. c. 2. *Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantùm, ſed etiam pro totius mundi.* & epiſt. 1. ad Tim. cap. 4. *Qui eſt Saluator omnium, maximè fidelium.* & ſuprà cap. 2. *Qui dedit ſemetipſum redemptionem pro omnibus.* & 1. ad Cor. 15. *pro omnibus mortuus eſt Chriſtus.*

Qui vim iſtius argumenti in ſuperficie perpenderit, arbitrabitur, facilè illud poſſe diſſolui dicendo, illud ſolùm probare, quòd Deus voluntate ſigni velit omnes ſaluos fieri, non autem voluntate beneplaciti; quia vocatio, præparatio gratiæ, & ſacramentorum, & prædicatio Euangelij, & alia ſimilia ſunt ſigna quædam, quòd Deo eſſet gratum, ſi omnes ſaluarentur.

Hæc tamen reſponſio nullius eſt momenti, quia voluntas ſigni, & beneplaciti non in eo diſtinguũtur, quòd primæ voluntatis ſint aliqua ſigna, ſecundæ verò nulla ſint ſigna. Eſt enim vana hæc imaginatio, quia ſi voluntatis beneplaciti nulla eſſent ſigna extra Deum, nullo modo ſcire poſſemus, eſſe in Deo iſtam voluntatem. Sed diſcrimen ſtat in hoc, quòd ſigna voluntatis ſigni ſignificant aliquid, quod non eſt in Deo verè, & propriè, ſed ſolùm ſecundùm metaphoram: ſicut punitio dicitur ſignum iræ Dei, quia ira non eſt in Deo verè, & propriè, ſed ſolùm metaphoricè. Signa verò voluntatis beneplaciti ſignificant aliquid, quod eſt reuera in Deo. vnde ex hoc reuera concluditur, eſſe in Deo iſtam voluntatem ſaluandi omnes homines, quia præcepta, & conſilia, & alia media, quæ nobis exhibet ad ſalutem aſſequendam, omnibus indiſtinctè offeruntur, & ipſa voluntas ſaluandi omnes eſt quid ex ſe bonum, quod non repugnat eſſe formaliter in Deo. Et reuera ſi illa voluntas, cuius ſunt ſigna extra Deum, non eſſet formaliter in Deo, nulla ratio ſufficere poſſet, ad demonſtrandum, quòd ſit in Deo aliqua voluntas formaliter, & non ſolùm metaphoricè: ſemper enim poſſet dici ab aduerſario, quacunque voluntate demonſtrata, illam eſſe voluntatem ſigni, & non beneplaciti.

CAPVT XI.

Aliis argumentis veritas aſſertionis ſuperiùs poſitæ adhuc magis comprobatur.

Tertium

I. TErtium argumentum ad eandem veritatem demonſtrandã ſit iſtud. Deus pro ſua ingenti bonitate præparauit omnibus media ſufficientia, & neceſſaria ad ſalutem. Ergo quod ex ſe eſt, Deus vult omnium ſalutem, & abſque diſtinctione omnes homines ordinauit in finem ſupernaturalem æternæ ſalutis. Antecedens inferiùs ſuo loco demonſtrabitur lib. 7. oſtendemus enim ex diuina Scriptura, nullũ hominem quantumuis peſſimum vſque ad finem præſentis vitæ deſtitui à Deo auxiliis ad ſaluté neceſſariis. Conſequentia verò adeò eſt euidens, vt non poſſit ab aliquo niſi in hac parte ignorante negari, quia media ad finem nõ dantur, niſi ex intentione finis, immo agens qui parat media ad finem, priùs intendit ipſum finem, quàm media: immo ex ſententia aduerſariorum prius eſt concipienda in Deo voluntas finis, quàm mediorum, nam ex intentione finis oritur voluntas ipſorum mediorũ, & reuera ſi non eſſet intentio finis, vt quid præpararentur media? Certè Ariſt. ſtatim in ianuis Logicæ dixit, quòd fruſtrà eſt calceus vbi non eſt calceans. quæ res vt adhuc clarior fiat,

Ariſtot.

II. Subiicio quartum argumentum deſumptum ex ipſa hominis creatione. Deus creauit primos parentes cum gratia, & iuſtitia originali, & contulit eis illam non ſolùm pro ſe, ſed etiam pro tota illorum poſteritate, quam ſi parentes ſeruaſſent, illorum omnes filij nati eſſent cum dono gratiæ, & iuſtitiæ originalis, ſicut probat D. Th. 1. p. q. 95. & 100. Et licèt non omnes Theologi conueniant in hoc, quòd primi parentes fuerint creati in gratia gratum faciente, & quòd illorum filij in ſtatu innocentiæ nati fuiſſent cum eodem dono gratiæ gratum facientis, conueniunt tamen, quòd Adam illam habuerit, quòd eius filij illam eſſent habituri vel à natiuitate, vel poſt natiuitatẽ, cùm ſit doctrina fidei definita in Concil. Trid. ſeſſ. 5. can. 1. & 2. & ſeſſ. 6. de Iuſtificatione c. 7. ad quæ loca remitto, & colligi poteſt ex lib. Geneſis c. 1. in illis verbis, *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram.* Illa enim verba intelligenda ſunt maximè de ſimilitudine, quæ lucet in anima per dona ſupernaturalia diuinæ gratiæ, & virtutum, vt omnes Patres ibidem commentantur.

D. Thom.

Concil. Trident.

II. Vult ergo Deus ex ſe voluntate antecedenti omnium hominum ſalutem, ordinauitque omnes, nullo excepto, in eundem finem æternę beatitudinis. Huic argumento vix poteſt aliquid reſponderi, nam aut dicendum eſt, Deum, cùm pepigit pactum cum Adamo nomine ſuo, & totius poſteritatis, vt ſi ſeruaret diuina mandata, habiturus eſſet cum illis æternam felicitatem, non fideliter, ſed fictè cum illo egiſſe, quod dicere nefas eſt: aut Deum non dediſſe, neque daturum fuiſſe Adamo, & illius poſteritati ea media, & auxilia, de quibus Scriptura, & ſacrum Concilium loquuntur, quod eſſet ipſam Scripturam, & Concilium mendacij arguere: aut dicendum, Deum non eo fine dediſſe, aut daturum fuiſſe eis illa media, & auxilia, vt aſſequerentur gloriã. quod ſimiliter eſt abſurdum, quia non ſcimus ex diuina Scriptura dari gratiam, niſi propter gloriam, iuxta illud Pſ. 83. *Gratiam & gloriã dabit Dominus*; aut tandẽ dicendum eſt id, quod contendimus, Deum à prima humani generis inſtitutione voluntatẽ habuiſſe, vt Adã, & tota eius ſoboles æternã ſalutẽ conſequerentur.

III. Sed dicitur à nonnullis, hoc argumentum procedere nondum præſuppoſita notitia peccati originalis, non autem ſuppoſita huiuſmodi notitia. quam reſponſionem putant eſſe ad mentẽ D. Auguſtini. Hæc tamen reſponſio eſt contra D. Aug. & contra diuinam Scripturam. quòd ſit contra D. Auguſtinum, oſtenſum eſt cap. præcedenti. Quòd autem ſit contra diuinam Scripturam, probatur hoc argumento, quod ſit in ordine quintum. Diuina Scriptura ſuppoſito peccato Adæ teſtatur, Deum nolle mortem cuiuſcunque etiam grauiſſimi peccatoris, ſed velle eius pœnitentiam, & vitam, & paratum eſſe, illum in ſuam amicitiam recipere, quotieſcunque pœnituerit. Gen. c. 4. cùm dixiſſet Cain Deo, *Ecce eiecis me hodie a facie terræ, & a facie tua abſcondar, & ero vagus, & profugus in terra. omnis igitur, qui inuenerit me, occidet me.* Statim Deus illum increpauit, & poſuit ſignum in Cain, vt non interficeret eum omnis, qui inueniſſet eum. Et priùs dixerat illi, *Si bene egeris, recipies: ſin autem male, ſtatim in foribus peccatum tuum aderit.* & Sapientiæ c. 10. *Deus* (inquit) *mortem non fecit, neque delectatur in perditione hominum; creauit enim, vt eſſent omnia, & ſanabiles fecit nationes orbis terrarum. Iuſtitia mortis eſt acquiſitio, impij autem manibus, & verbis accerſierunt illam.* & c. 11. *Diligis omnia, quæ ſunt, & nihil odiſti eorum, quæ feciſti, diſſimulans peccata hominum propter pœnitentiam.* & in Pſal. 29. *Quoniam ira in indignatione eius, & vita in voluntate eius.* & Pſal. 67. *Deus noſter Deus ſaluos faciendi.* & Ezech. 18. *Si impius auerterit ſe ab impietate ſua, & fecerit iudicium, & iuſtitiam, omnium iniquitatum eius non recordabor: vita viuet, & non morietur.* & Matth. 23. *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti.* & 1. Petri c. 2. *Deus neminem vult perire, ſed omnes ad agnitionem veritatis venire.* Deinde prædicatio Euangelij, & alia id genus nónne ſupponunt peccatum Adæ? & tamen Euangelium toti mundo prædicatum eſt, & omnes homines ad pœnitentiam, & vitam ſunt inuitati.

IV. Sextò oſtenditur eadem veritas aliis diuinæ Scripturæ teſtimonijs, quibus Deus ſeipſum vindicat ab hac impoſtura, qua nonnulli homines illum calumniantur, dicentes, ſe ſaluari non poſſe, ſed neceſſariò damnari, eo quòd Deus ab æterno illos excluſerit à fine ſupernaturali, & ad ſupplicia deputauerit. Primus eorum, qui Deum ſic calumniati ſunt, fuit Cain, quem Deus non ſolùm corripuit, ſed, vt Scriptura teſtatur, poſuit ſignum in faciem eius, & antiqui Patres, & Rabbini Hebræorum dicunt, illud ſignum fuiſſe tremorem quendam, & vertiginẽ, qua videbantur illi omnia ſubuerti, vt hoc pacto illum hortaretur ad pœnitentiam. quod ſignificat Scriptura in illis verbis, Geneſ. 4. *Egreſſuſque Cain à facie Domini habitauit profugus in terra ad Orientalem plagam Edem.* Pro quo in Hebræo habemus, *habitauit in Nod*, id eſt, in tremore. Alius locus in quo eandem impoſturam reiicit, eſt in Iſaia c. 1. vbi cùm Iudæi contra Deum obmurmurarent, quòd illorum ſabbata, & Neomenias, & ſacrificia odio haberet, hanc illorum querelam reiiciens, ait, *Lauamini, mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarũ ab oculis meis, quieſcite agere peruerſè, diſcite benefacere, quærite iudicium, ſubuenite oppreſſo, iudicate pupillo, defendite viduam, & venite, & arguite me.* aut vt alij legũt, cum Cypriano, *Venite, diſputemus ſimul.* Hic Deus ſe tanquam Cathedraticum exhibet ad reſpondendum argumentum hominis. Si autem Deus etiam ſuppoſito peccato Adæ non haberet verè, & propriè, quantũ in ipſo eſt, voluntatẽ omnes ſaluandi, potuiſſent Iudæi cõtra ipſum arguere, nos etiamſi benè egerimus, ſaluati non poterimus: quia tu decreuiſti nos in maſſa perditionis peccati originalis derelinquere, cui argumento nó potuiſſet Deus

reſpondere. Alius locus adhuc clarior eſt apud Ezech.c.18. vbi cùm Iudæi aduersùs Deum ſimilem querelam porrexiſſent, dicentes, *Non eſt æqua via Domini: quia Patres comederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obſtupeſcunt.* eandem querelam reiiciens, ait, *Nunquid voluntatis meæ eſt mors impij dicit Dominus, an non magis, vt conuertatur à viis ſuis, & viuat?* Et infrà *Nunquid via mea non eſt æqua, an non magis viæ veſtræ prauæ ſunt? Cùm enim auerterit ſe impius ab impietate ſua, quam operatus eſt, & fecerit iudicium, & iuſtitiam, ipſe animam ſuam viuificabit.* & totum illud caput plenum eſt huiuſmodi increpationibus, quibus Deus illos arguit, qui faciunt illum autorem ſuæ illorum perditionis.

V. Septima demonſtratio eiuſdem veritatis ſumitur ex aliis diuinæ Scripturæ teſtimonijs, quibus probatur, Deum patientiſſimè ferre hominũ peccata, illos expectando, vt conuertantur, & pœnitentiam agentes viuant, & cùm illos extremo afficit ſupplicio, ingenti quodam animi dolore excruciari. Primum teſtimonium colligitur ex lib. Geneſ. cap.6. vbi cùm oporteret, illum mundum delere aquis diluuij, propter illius grauiſſima peccata, dedit nihilominus peccatoribus ſpatiũ pœnitentiæ centum viginti annorum. Et cùm ob illorum impœnitentiam eos perdere deberet, maximo animi dolore tactus eſt, quod indicant verba illa, *Et tactus dolore cordis intrinſecus delebo* (inquit) *hominem, quem creaui à facie terræ.* & illa, *Non permanebit ſpiritus meus in homine in æternum.* pro quo in Hebræo לְעֹלָם בָּאָדָם רוּחִי בְּשָׁגַם id eſt, *non rixabitur ſpiritus meus propter hominem in æternum, num illum perdam, aut illius miſereor*, vt Rabbi Salomon in illum locum adnotauit. Secundũ teſtimonium colligitur ex Iſaiæ cap.1. vbi cùm populo Iudæorum extremam ruinam comminatus fuiſſet, illam quaſi plangens dicebat, *Heu conſolabor ſuper hoſtibus meis, & vindicabor de inimicis meis.* Tertium eſt apud Ieremiam cap.8. vbi ait, *Quia ecce ego mittam vobis ſerpentes regulos, & mordebunt vos, ait Dominus, dolor meus ſuper dolorem, in me cor meum mœrens.* Aliud ſimile teſtimonium habetur Baruch cap. 4. Ex his autoritatibus ſic argumentor. Si Deus pro ſua ſola voluntate voluit aliquos excludere à regno gloriæ, & permittere labi in peccata, vt ſic poſſet ſuam iuſtitiam punitiuam in eis oſtendere, & exercere, etſi non fuiſſet Deo animus, omnes homines etiam poſt lapſum Adæ ſaluos facere, ad quid tanta peccatorum tolerantia, ad quid tanto dolore affici, lacrymas emittere, & cruciari in peccatoribus puniendis? an putandus eſt Deus ad inſtar Crocodilli, aut ſimilium beſtiarum velle hominem interimere, interemptum verò deplorare? An de Deo cogitandum eſt id, quod neque de tyranno quantumuis peſſimo licet cogitare?

VI. Octaua demonſtratio ſumitur ex variis exaggerationibus, quibus Deus duritiem impiorum increpat, & exaggerat. Prou. c.1. *Quia vocaui, & renuiſtis, extendi manum meam, & non fuit, qui aſpiceret, & deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis, ego quoque in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo, cùm vobis id, quod timebatis aduenerit.* & apud Matth.c.11. *Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethſaida, quia ſi in Tyro & Sidone factæ eſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egiſſent. verumtamen dico vobis, Tyro, & Sidoni remiſſius erit in die iudicij, quam vobis.* c.23. *Hieruſalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te miſſi ſunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti? Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta.* & ad Rom.c.2. *An ignoras, quod benignitas Dei te ad pœnitentiam adducit. tu autem ſecundum duritiam tuam, & impœnitens cor tuũ theſaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iuſti iudicij Dei.* Profectò iſtæ omnes exaggerationes vanæ eſſent, & gratis cõfictæ ad homines illudẽdos, ſi ſupponeremus, Deum vel ante præuiſum peccatum originale, vel etiam ſuppoſito ipſo peccato originali pro ſola ſua voluntate, quantum ex ſe eſt, non velle omnium hominũ ſalutem. dicerent enim reprobi: Quid mirum, quòd vocati renuimus, & nó aſpeximus, & deſpeximus conſilia, & non pœnituimus, & noluimus ſub tuis alis cõgregaritu enim Deus prior nos deſpexiſti, tu nos à regno gloriæ excluſiſti, tu decreuiſti non dare nobis auxilia, quibus à maſſa perditionis liberaremur, tu decreuiſti nos non liberare. & nos ſine te ad te non poſſumus venire.

VII. Nona demonſtratio ſumitur ex diuina vocatione. Deus ſine exceptione omnes homines etiã poſt Adæ peccatũ vocat ad pœnitentiam, promittens omnibus vitã, & ſalutem, & gloriã. Huius veritatis velle teſtimonia tranſcribere, idẽ eſſet, atque velle hic totam Scripturã tranſcribere. Vel igitur Deus omnes vocat ex intentione dandi omnibus vitam, & gloriã, vel fictè, & per illuſionẽ, ac deriſionem. Secundum dici non poteſt, hoc enim admiſſo ſequeretur, bonã partẽ diuinæ Scripturæ eſſe commentum gratis confictũ ad homines decipiendos, & illudẽdos, & omnes diuinæ vocationes, & promiſſiones reſpectu eorũ, qui de facto non ſaluantur, eſſent illuſiones: ſicut ſi quis vocaret canẽ poſitũ in catena, porrigendo illi panem, quẽ ligatus accipere nó poſſet. Confirmatur ratio. ſi Deus etiã ſuppoſito peccato Adæ verè non vult omniũ hominum ſalutẽ, ſequitur falſum eſſe, Deũ in manu hominis poſuiſſe illius ſalutẽ, & damnationẽ, ſaltem reſpectu illorum, qui de facto non ſaluantur. Cõſequẽtia probatur, quia vane diceretur poſuiſſe hominis ſalutẽ in manu illius, niſi etiam poſuiſſet in manu eius media, quibus ſalutem aſſequeretur. Falſitas verò cõſequentis euidẽter probatur ex diuina Scriptura Gen.4. Deut.30. Eccleſ.15. Iſaiæ 5. Ezech. 18. Apocal.3. & aliis locis lib.2. adductis ad humani arbitrij libertatem probandam.

VIII. Decima demonſtratio ſumitur ex diuina prouidentia. vel Deus per ſuam prouidentiam ſupernaturalem omnes homines ordinauit in finem æternæ ſalutis, vel non. Si ſic, hoc eſt ſolum, quod nos affirmamus in noſtra concluſione. Si non. Ergo ſequitur, ei, qui de facto non conſequitur æternam gloriam, non eſſe imputandum, quod non conſequatur. Probatur ſequela, nam ille nunquam fuit poſitus à Deo in eo ordine, in quo æternam ſalutem conſequi poſſet, neque data eſt illi poteſtas, vt ſeipſum in tali ordine conſtitueret. Secundò ſequitur, Deum illis, qui de facto non ſaluantur, nunquam dare media ſufficientia ad ipſam ſalutem. Probatur conſequentia, nam media ad finem qualiacunque illa ſint, nunquam ſunt ſufficientia ad finem reſpectu illius, qui non eſt ordinatus ad ipſum finem. Sicut ſi diceremus, quòd quantæcunque alæ apponantur aſino, nunquam erunt ſufficientes illi ad volandum, quia aſinus non eſt ordinatus ad volandum. Præter quod media dicuntur reſpectu finis. vnde illi, qui non eſt ad finem ordinatus, nullum reuera confertur medium ad finem. Tertiò ſequitur eis, qui verè non ſaluantur, vanè conferri gratiam, & auxilia ad finem gloriæ; quia conferuntur eis ex intentione, vt non aſſequantur talem finem. Immo ſequitur, illos abutendo talibus auxiliis non malè facere, quia benè vti non poſſunt: nam nullus benè vtitur mediis niſi in ordine ad finem,

illi

illi autem non possunt mediis taliter vti. Tandem sequitur priuationem diuinæ visionis non esse primam, & maximam pœnam peccati, vt omnes Theologi fatentur. Probatur sequela, quia Deus ante præuisum peccatum secundùm aduersarios, iam statuerat, illos excludere ab ipso fine gloriæ, quos de facto exclusit.

CAPVT XII.

Probatur eadem veritas ex euersione præcipui fundamenti aduersariorum.

I. VNdecima demonstratio sumi potest ex destructione præcipui fundamenti, cui aduersarij nituntur. Nam si Deus ante præuisa cuiusque opera aliquos efficaciter voluit à fine supernaturalis beatitudinis excludere, vel hoc voluit ob aliquem finem, vel non. Si ob nullum finem, irrationabilis omnino est ista positio, nec admittenda. Si ob aliquem finem, assignent illum. Dicent, huiusmodi finem fuisse ostensionem diuinæ iustitiæ punitiuæ in reprobis. Contra hanc responsionem sic arguo. Ostensio diuinæ iustitiæ punitiuæ non potuit esse intenta à Deo intentione primaria, & voluntate antecedenti, sed solùm intentione secundaria, & voluntate consequenti. Ergo non potuit esse volita à Deo ante inspecta opera nostra. Consequentia relinquitur manifesta ex his, quæ lib.4.cap.21. dicta sunt de voluntate antecedenti, & consequenti, & hoc lib.cap.2. de duplici fine diuinæ prouidentiæ particulari, & vniuersali. Antecedens verò probatur euidenti autoritate diuinæ Scripturæ. nam illud, quod Deus non facit, nisi inuitus, & coactus, & cum maximo animi cruciatu, & dolore, non potest esse ab illo volitum, & intentum voluntate antecedenti, & intentione primaria: at Deus homines punit inuitus, & coactus, & cum maximo animi dolore, Genes. cap. 6. Isaiæ 1. & Ierem. cap. 8. quæ loca in argumentis præcedentibus sunt adducta.

II. Secundò probatur idem antecedens. Opus, quod est extraneum, & alienum à Deo, non est intentum ab illo primaria intentione: sed punire est opus extraneum, & alienum à Deo, Isaiæ c.28. *Sicut enim in valle, quæ est in Gabaon, irascitur, vt faciat opus suum, alienum opus eius, vt operetur opus suum, peregrinum est opus eius ab eo.* & Ecclesia docet, opus Dei proprium non esse opus iustitiæ punitiuæ, sed opus misericordiæ. Et certè nullus Pater nisi impiissimus, nullus Princeps nisi perditissimus tyrannus, vellet habere filium, aut subditum malum, quem posset iustè punire.

Tertiò probatur idem antecedens. Illud quod est à Deo principaliter volitum, & intentum circa creaturam rationalem, non est illius mors, sed vita, prosperitas, & conseruatio. Psal.29. *Quoniam ira in indignatione eius, & vita in voluntate eius.* Sapient.1. *Deus mortem non fecit, nec delectatur in perditione hominum: creauit enim vt essent omnia.* Ezech. cap.18. *Nunquid voluntatis meæ est mors impij, & non vt conuertatur à viis suis & viuat.* Confirmatur ratio autoritate sanctorum Patrum, D. Chrysost. homil.1. ad Ephes. circa illa verba, *secundùm propositum voluntatis suæ.* inquit, *perinde est, quia vehementer vellet fieri, hoc ipsius erat desiderium, quasi si quis dicat, hæc ipsa erat eius voluntas. Eudocia enim vtique est præcipua Dei voluntas. est enim & alia eius voluntas, vt est primaria illa. secundùm hanc non vult punire peccatores: & est secundaria, secundùm quam eos, qui in sceleribus perstiterunt contaminati, vult punire.* D. Ioannes Damasc. lib.2. de fide cap.29. eidem sententiæ Chrysostomi aperte subscribit. D. Cyrillus Alexandrin. lib.2. ad Reginas ait, *Conducit omnia Deus, vt essent, & vt salutaria forent, quæ producit mundus, & non esset in eis pharmacum mortis, nec inferni regnum super terram.* posset adduci autoritas D. Thomæ, & Scholasticorum, sed hæretici illam non magnifaciunt.

Chrysost. Damasc. Cyril. Alex.

III. Quartò probatur idem antecedens. Si iustitia punitiua esset primò intenta à Deo ad perfectionem vniuersi, quemadmodum est intenta ostensio diuinæ gloriæ per modum misericordiæ in electis, sequeretur esse Deo necessarios homines impios, in quibus posset huiusmodi iustitiam exercere, contra autoritatem Scripturæ Ecclesiast. cap.15. *Nec dicas, ille, (scilicet Deus) me implanauit, non enim necessarij sunt ei homines impij.* & infrà, *Nemini mandauit impiè agere, & nemini dedit spatium peccandi: non enim concupiscit multitudinem filiorum infidelium.* Consequentia ita euidens est, vt non possit etiam ab obstinato negari. illud enim est Deo necessarium, sine quo finem intentum omnino consequi ille non potest.

III.

Quintò, si iustitia punitiua voluntate antecedenti, & primaria intentione est efficaciter à Deo intenta, sequitur, peccatum esse Deo efficaciter volitum, & intentum. Sequela euidens est, quia eadem est intentio finis, & mediorum, quæ sunt necessaria ad finem: iustitia verò punitiua sine peccato esse non potest, quia non esset iustitia, sed iniustitia, punire hominem sine culpa. falsitas verò consequentis probatione non indiget. Si enim peccatum esset à Deo volitum, & intentum, iam peccatum non esset, vt lib. præced. cap.16. & sequenti ostendimus. Nec sufficit, si dicatur, Deum posse intendere aliquod particulare malum, quod cedat in bonum commune totius vniuersi. nam esto hoc sit verum de malo pœnæ, non tamen potest verum esse de malo culpæ. Dicetur, Deum non intendere malum culpæ, sed tantùm intendere pœnam, quæ consequitur ad ipsam culpam. Et hoc modo videntur respondere nonnulli Doctores alioquin Catholici, qui sic respondentes Catholicè se loqui arbitrantur. Sed ista responsio difficultatem non tollit, qui enim intendit aliquid, ad quod aliud necessariò sequitur, intendit etiam illud, quod necessariò sequitur ad intentum: vnde adulter licèt formaliter non intendat Dei offensam, quæ consequitur necessariò ad ipsum adulterium, tamen quia intendit actum adulterij, qui necessariò habet annexam Dei offensam, interpretatiuè reputatur intendere ipsam Dei offensam. Sic in proposito, si Deus intenderet actum peccati, & pœnam ad quam necessariò præsupponitur culpa, consequenter etiam diceretur intendere ipsam culpam, nec posset hominem peccantem licitè reprehendere, quòd peccaret: immo deberet illi gratias agere pro peccato, quia faceret id, sine quo Deus non posset in eo suam iustitiam punitiuam exercere. Confirmatur ratio, nam Ecclesia Catholica damnat Caluinum, & recentiores hæreticos, quòd faciant Deum autorem peccati, vt patet ex Concil. Trid. sess.6. de Iustificatione can.6. & tamen Caluinus, & recentiores hæretici non dicunt, Deum intendere formalem malitiam peccati, sed solùm intendere actum, cui ipsa formalis malitia peccati est necessariò annexa, & ad illum necessariò consequitur, vt patet ex verbis Caluini libro primo Institut. cap.18.

Conc. Trid. Caluin.

§.2.

§.2.3.4. & aliis locis citatis lib.4.cap.16.& ſequentibus.

IV. Sextò probatur idem antecedens,quia ſi iuſtitia punitiua fuiſſet à Deo principaliter intenta, facilè potuiſſent Patres ex hoc capite ſatisfacere argumento Paganorum , cùm arguebant , Deum non debuiſſe creare homines , & Angelos , quos præſciebat malos futuros eſſe ; & tamen cùm variis modis huic argumento reſpondeant , non videntur ex hoc capite ſolutionem adhibere. Dicetur , illos etiam ex hoc capite ſolutionem adhibuiſſe, illámque comprobari poſſe teſtimonio Sapientis in lib. Prouerb. cap. 16. dicentis , *vniuerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus , impium quoque ad diem malum.* Verùm iſta reſponſio vim argumenti non tollit.nam licèt ſecundaria intentione hoc etiam fine Deus impios creet, tamen primaria eius intentio eſt , vt illi viuant , & ſaluentur.& hoc ſentiunt ſancti Patres,vt conſtat ex teſtimoniis proximè allatis Chryſoſtomi , Damaſceni , & Cyrilli. Senſus quoque illorum verborum Sapientis non eſt quòd Deus eo fine præcipuo impios creet, vt habeat, quòs punire poſſit in die malo ; ſed ſenſus eſt , quòd illos,quos præuidet propria voluntate malos futuros , ſi illos creet , nihilominus creat , & propria voluntate improbos factos , ordinat ad diem malum , quem ſenſum indicant Gloſſa Ordinaria in illum locum , & lectio Septuaginta interpretum & Scholium Vatabli.

Gloſſa. Septuaginta. Vatablus.

V. Septimò probatur idem antecedens teſtimonio D. Auguſtini lib. 3. de libero arbitrio cap. 9. vbi diſputans hanc quæſtionem , an Deus debuerit peccata in mundo permittere. Reſpondet affirmatiuè , rationem aſſignans , quia ex malis elicit bona , quæ faciunt ad decorem vniuerſi. Sed contra hanc reſponſionem inſtabat quidam. Si peccata faciunt ſaltem hoc pacto ad decorem vniuerſi. Ergo Deus non deberet ipſa peccata punire, quæ ſi defuiſſent , vniuerſum perfectum minimè fuiſſet. Reſpondet Auguſtinus, quòd miſeria peccati non facit ad perfectionem vniuerſi, quod perfectum fuiſſet etiam ſine peccato, immo per peccatum potiùs deturpatum eſt, & ita deturpatum , quòd potuiſſet deſtruere perfectionem vniuerſi , niſi quòd Deus rependit damnum peccati , & illius turpitudinem per decorem iuſtitiæ vindicatiuæ. Ex hac doctrina elicitur tale argumentum. Illud quod intenditur ſolùm ad compenſandum damnum , quod vniuerſum patitur per peccatum , non poteſt eſſe à Deo principaliter intentum : iuſtitia punitiua eſt intenta à Deo ad compenſandum damnum peccati. Ergo , &c. Confirmatur ratio. Sine peccato mundus fuiſſet æquè perfectus quoad perfectionem ſubſtantialem , ſicut poſt peccatum , immo per peccatum quodammodo diminuta eſt illius perfectio eſſentialis. Ergo bonum iuſtitiæ vindicatiuæ non fuit à Deo intentum principali , ſed ſolùm ſecundaria intentione. Conſequentia probatur , quia ſicut perfectio eſſentialis eſt prior perfectione accidentali : ita agens prius intendit perfectionem eſſentialem , quàm accidentalem , maximè quando perfectio accidentalis intenditur ad compenſandum damnum , quod res patitur quoad perfectionem eſſentialem : modò bonum iuſtitiæ punitiuæ non pertinet ad perfectionem ſubſtantialem vniuerſi, ſed accidentalem tantùm , quia non potuit eſſe intentum niſi ſuppoſito peccato , & vniuerſum perfectum fuiſſet ſine peccato quoad ſuam perfectionem eſſentialem. Ergo bonum iuſtitiæ vindicatiuæ non potuit eſſe intentum à Deo primaria intentione, ſed ſolùm ſecundaria.

Auguſt.

Octauò probatur idem antecedens.in Deo non fuit iſta voluntas eligendi aliquos Angelos efficaciter ad gloriam , & alios excludendi efficaciter à gloria ante præuiſa illorum opera , vt oſtenderet in iſtis gloriam ſuam per modum miſericordiæ,in illis verò per modum iuſtitiæ. Ergo neque circa homines habuit huiuſmodi voluntatem. Antecedens colligitur euidenter ex D. Auguſtino lib. de corrept.& gratia,præcipuè in cap.10.Et ratio illud euidenter probat , quia omnes Angeli ſunt creati in gratia , immo, vt Auguſtinus ibi loci ait, creati in beatitudine. Ergo non ſunt creati principaliter eo fine , vt oſtenderet in eis ſuam iuſtitiam punitiuam, vt quid enim crearet Angelum in gratia, & beatitudine ad exercendum in eo iuſtitiam vindicatiuam?

VI.

D.Thom.

Tandem,quia nonnulli Theologi conſentiunt, reprobos fuiſſe efficaciter excluſos à fine æternæ gloriæ ante illorum præuiſa mala opera,& oſtenſionem diuinæ gloriæ per modum iuſtitiæ punitiuæ in reprobis fuiſſe æquè principaliter intentam à Deo , ſicut fuit intentum bonum diuinæ gloriæ per modum miſericordiæ in electis. Contra illos obiicitur autoritas D.Thom.de veritate quæſt.23. art.2. & in 1.d.47. quæſt. 1. art. 2. ad 4. & 1. part. quæſt.22.art.2.ad 2.& 4.& quæſt.23. art.7. quibus in locis apertè oſtendit , iuſtitiam punitiuam non fuiſſe à Deo intentam primaria , ſed ſolùm ſecundaria intentione. Caietan. etiam 1.part. quæſt.23. art. 5. quærens , vtrùm iuſtitia punitiua ſit finalis cauſa totius reprobationis , inter alia dicit , *Quod ſuauis diſpoſitio creaturarum rationabilium , & hominum,manifeſtè eſt cauſa permiſſionis peccatorum , dum homines quidam relinquuntur in manu proprij conſilij.* & quæſt.22.art.2.ait,*Subeſt etiam naturalis ratio,cur malum culpæ permiſſum fuerit, ſcilicet ſuauis rerum diſpoſitio,potentia namque peccandi ab vniuerſo ſubtrahi non potuit , ſine illius maxima iactura in amiſſione omnium creaturarum intellectualium , vt alibi patet. actus autem peccati ab huiuſmodi potentia progrediens quamuis prohiberi , id eſt , non permitti,potuiſſet.ſuauis tamen diſpoſitio liberi arbitrij creati hoc non exigit, ſed magis,vt ſua vi ſeipſum agat.& quoniam ad prouidentiam diuinam ſpectat diſponere omnia ſuauiter,eligit ſapientiſſimè Deus permiſſionem malorum culpæ.* Ex hac doctrina Caietani liquidò conſtat, permiſſionem peccati non fuiſſe principaliter intentam ad oſtenſionem iuſtitiæ punitiuæ in reprobis , vt nonnulli doctrinæ eiuſdem Caietani plurimum addicti fatentur , & ex conſequenti neque ipſam iuſtitiam punitiuam fuiſſe à Deo principaliter intentam , quod lib. 7. ex inſtituto declarandum eſt.

Caietan.

CAPVT XIII.

Nonnulla argumenta ex diuina Scriptura deprompta contra veritatem ſuperius comprobatam afferuntur,ac ſoluuntur.

I. COntra veritatem aſſertionis præcedentibus argumentis à nobis efficaciter , & demonſtratiuè(ni fallor) comprobatæ , obiiciunt aduerſarij plurima argumenta , quæ vt ordinatè afferamus in medium , & ſoluamus , ad quaſdam claſſes reducemus. In prima claſſe referemus argumenta deprompta ex diuina Scriptura , quibus nituntur illi oſtendere,Deum pro ſolo beneplacito ſuæ voluntatis nullis inſpectis operibus hominum

minum bonis, aut malis aliquos elegiſſe ad gloriam, vt oſtenderet in eis ſuam miſericordiam, alios dereliquiſſe puniendos, vt oſtenderet in eis ſuam iuſtitiam punitiuam.

Primum teſtimonium colligitur ex epiſtola ad Roman. cap. 9. vbi Apoſtolus dicit, *Cùm enim nondum nati eſſent, aut aliquid boni egiſſent, aut mali* (loquebatur Apoſtolus de Eſaũ, & Iacob) *non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt eis, quia maior ſeruiet minori, ſicut ſcriptum eſt. Iacob dilexi, Eſau autem odio habui.* fuit igitur Eſau odio habitus a Deo ante præuiſa illius mala opera.

Secundum teſtimonium ſumitur ex eodem loco in verbis ſequentibus, vbi Apoſtolus occurrens cuidam obiectioni, ſic ait: *Quid ergo dicemus, nunquid iniquitas apud Deum? abſit. Moyſi enim dicit, miſerebor, cuius miſerebor, & miſericordiam præſtabo, cui miſerebor. Igitur non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei. Dicit enim Scriptura Pharaoni, quia in hoc ipſum excitaui te, vt oſtendam in te virtutem meam, vt annuntietur nomen meum in vniuerſa terra. Ergo cuius vult miſeretur, & quem vult indurat.* Hic modus loquendi indicat, Deum conſultò aliquos elegiſſe, vt oſtenderet in eis ſuam gloriam per modum miſericordiæ, alios dereliquiſſe & permiſiſſe obdurari, vt exerceret in eis ſuam iuſtitiam punitiuam.

Tertium teſtimonium ſumitur ex eodem loco in verbis ſequentibus, in quibus remouens aliam obiectionem, ait: *Dices itaque mihi, quid adhuc queritur? voluntati enim eius quis reſiſtit? O homo tu quis es, qui reſpondeas Deo? nunquid dicit figmentum ei, qui ſe finxit, quare me feciſti ſic? an non habet poteſtatem figulus luti ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam? Quod ſi Deus volens oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam, ſuſtinuit in multa patientia vaſa iræ aptata in interitum, vt oſtenderet diuitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, quæ præparauit in gloriam*, &c. Ex his habemus, Deum pro beneplacito ſuæ voluntatis alios prædeſtinare, alios reprobare, alios facere vaſa honoris, alios vaſa contumeliæ, vt in his oſtendat gloriam ſuam per modum miſericordiæ, & in illis potentiam, & iram ſuam, eos pœnis afficiendo.

II. Quartum teſtimonium ſumitur ex eadem epiſtola cap. 11. vbi Apoſtolus ait, quòd ſine pœnitentia ſunt dona, & vocatio Dei. Si ſiue pœnitentia. ergo omnes vocati à Deo ſaluantur: ſed non omnes ſaluantur. Ergo non omnes vocantur. Ergo non omnibus vult ſalutem.

Quintum teſtimonium ſumitur ex actis Apoſtolorum cap. 13. vbi dicitur, quòd crediderunt, quotquot præordinati erant in vitam æternam: ſed non omnes credunt: ergo non omnes ſunt ad vitam æternam præordinati.

Sextum teſtimonium ſumitur ex Euangelio Lucæ cap. 12. vbi Saluator ait, *Nolite timere puſillus grex, quia complacuit Patri veſtro dare vobis regnum.* Si illi, quibus complacuit Patri dare regnum, ſunt grex puſillus. Ergo non eſt in Deo voluntas beneplaciti dandi omnibus gloriam.

Septimum teſtimonium ſumitur ex lib. Eccleſiaſtici cap. 33. quod ad hoc propoſitum adducit Auguſtinus lib. 1. ad Simplician. quæſt. 2. vbi ſic habetur: *Ex ipſis exaltauit, & magnificauit Deus: & ex ipſis poſuit in numerum dierum, & omnes homines de ſolo, & ex terra, vnde creatus eſt Adam. In multitudine diſciplinæ Domini ſeparauit eos, & immutauit vias eorum. ex ipſis benedixit, & exaltauit: & ex ipſis ſanctificauit, & ad ſe applicauit: & ex ipſis maledixit, & humiliauit, & conuertit illos à ſeparatione ipſorum. quaſi lutum figuli in manu ipſius, plaſmare illud, & diſponere omnes vias eius ſecundum diſpoſitionem eius. Sic homo in manu illius, qui ſe fecit, & reddit illi ſecundum iudicium ſuum.*

Circa primum teſtimonium multi multa di- III.
cunt, quæ fortaſſe, nec ſunt vera in ſe, nec ad mentem Apoſtoli. Mihi ſalua, quæ debetur omnibus Catholicis expoſitoribus reuerentia, duo certiſſima videntur. Primum eſt, illud teſtimonium, & exemplum Iacob, & Eſaũ, quod ſumptum eſt ab Apoſtolo ex lib. Geneſ. cap. 25. & Malach. cap. 1. iuxta ſenſum literalem non eſſe intelligendum de electione ad Regnum gloriæ, ſed de electione Iacob ad regnum, & primogenituram, & ad bona temporalia, poſtpoſito Eſaũ, qui tamen erat frater Iacob, & natu maior, cui iure primogenituræ regnum debebatur: & mentem Apoſtoli in ſenſu hiſtorico, & literali fuiſſe, oſtendere, talem electionem factam fuiſſe ex ſolo beneplacito diuinæ voluntatis, nullis præcedentibus meritis bonis, aut malis, ob quæ Iacob foret ad regnum aſſumendus, & computandus inter hæredes Abrahæ, quibus facta eſt à Deo promiſſio, & Eſaũ ab eodem regno excludendus. Secundò certum eſſe arbitror præter hunc ſenſum literalem, & hiſtoricum, quem verba præ ſe ferunt, intendiſſe Apoſtolum alium ſenſum myſticum, & allegoricum: neque enim inconueniens eſt præter ſenſum hiſtoricum, & literalem, quem habet aliquis locus veteris Teſtamenti, eundem locum in nouo Teſtamento allegari in alio ſenſu myſtico, & allegorico, immo hoc frequentiſſimum eſt ferè in omnibus epiſtolis D. Pauli, & etiam in ipſo Euangelio, quia omnes hiſtoriæ veteris Teſtamenti erant figuræ, & allegoriæ eorum, quæ geſta ſunt in nouo Teſtamento, vt Apoſtolus obſeruat in epiſtola 1. ad Corinth. cap. 10. & quod ſpectat ad hoc teſtimonium, ita obſeruat D. Hieronymus in Malachiam cap. 1. circa illa verba, *Dilexi vos, dicit Dominus.* vbi ſic ſcribit: *Antequam naſciremini, immò priuſquam Rebecca, Eſaũ, & Iacob vtero ſuo funderet, in Iacob vos dilexi, in Eſaũ Idumæos odio habui: quem locum Apoſtolus Paulus myſtica diſputatione euentilans, ſcribit ad Romanos, duo pariter teſtimonia de Geneſi, Malachiáque commungens*, &c. Hieronym.

Verùm cùm hoc certum ſit, quis tamen fuerit IV.
ſenſus myſticus ab Apoſtolo intentus, explicare, hoc opus, hic labor. Nonnulli dixerunt, Apoſtolum intendiſſe, oſtendere electionem aliquorum ad gloriam, & reprobationem nonnullorum à gloria factam fuiſſe à Deo ex ſolo beneplacito ſuæ voluntatis ante vlla merita præuiſa, ſiue bona, ſiue mala, & hoc eſſe diligere Iacob, & odio habere Eſaũ. Hæc ſententia mihi omnino non probatur. primò, quia Deus non elegit efficaciter aliquem ad gloriam ante præuiſa merita bona, vt lib. ſequenti ex diuina Scriptura, & ſanctis Patribus præcipuè Auguſtino euidenter probabo. Secundò, quia hæc ſententia eſt apertè contra D. Auguſtinum libro primo ad Simplician. q. 2. vbi expendens hunc locum Apoſtoli, docet, iſta verba eſſe intelligenda per figuram, quam vocant ſcliron, vt ſit ſenſus, quòd cùm Eſaũ, & Iacob nullum opus vel bonum, vel malum egiſſent, vt ſecundùm illud maneret propoſitum diuinæ electionis, quæ electio non eſt niſi ex meritis præuiſis, ideo non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt eis, *quia maior ſeruiet minori.* verba Auguſtini ſunt iſta. *Sed dictum eſt, vt ſecundum electionem propoſitum Dei maneret, & ideo quærimus quia dictum eſt, niſi forte ſic aſt* Auguſtin.

diſtu-

distinguenda sententia, non vt intelligamus, tanquam ideo non ex operibus, sed ex vocante dictum est: quia maior seruiet minori, vt secundum electionem propositum Dei maneret: sed ita potius, vt hoc de nondum natis, & nondum aliquid operatis exemplum datum accipiatur, ne aliqua electio hic possit intelligi. Neque hanc
Augustin. sententiam Augustinus vnquam retractauit, vt nonnulli sine solido fundamento affirmant: quia licèt aliis in locis eundem locum Apostoli exposuerit de electione ad gratiam, quæ fit sine vllis præcedentibus meritis, tamen loquendo de electione ad gloriam, constantissimè semper docuit, illam fieri ex præuisis meritis, vt suo loco ostendemus. Deinde esto hoc testimonium possit exponi de electione ad gloriam, nullus tamen dicere posset, aliquos fuisse reprobatos, & odio habitos à Deo ante præuisa illorum mala opera, quod tamen dicere debent illi, qui hunc locum Apostoli exponunt de electione ad gloriam. quia Apostolus dicit, quod antequam Esaü, & Iacob aliquid boni egissent, aut mali, iste fuit à Deo electus, & dilectus, ille verò reprobatus, & odio habitus. Si autem Esaü non potuit esse odio habitus à Deo ante præuisa eius mala opera, neque Iacob potuit esse electus ante præuisa bona opera: nam velle vnum fuisse electum ante præuisa opera bona, alium verò non fuisse reprobatum ante præuisa opera mala, est manifestè loqui contra textum Apostoli, qui eodem modo loquitur de vtrisque. Quòd autem Esaü non fuerit reprobatus à Deo, neque odio habitus ante præuisa illius mala opera, probat euidenter Augustinus dicto lib. 1. ad Simplician. quæst. 2. testimonio diuinæ Scripturæ in lib. Sapient. cap. 11. dicentis: *Nihil odisti eorum, quæ fecisti.* ex quibus post multa sic concludit: *Non igitur odit Deus Esaü hominem, sed Esaü peccatorem.* quam doctrinam habet etiam in epistola Iob ad Bonifacium paulo post medium, ex qua apparet,
Aluarez. quid veritatis contineat doctrina Aluarez disp. 110. num. 12. asserentis illa verba, *Iacob dilexi, Esaü autem odio habui*, esse intelligenda de dilectione, & odio ante præuisum peccatum, & istam expositionem esse ad mentem Augustini, præcipuè in dicta epistola 106.

V. Alij igitur dicunt, Apostolum ibi loqui de electione ad gratiam, & velle docere electionem ad gratiam factam fuisse à Deo ante præuisa nostra merita. Hæc doctrina in eo, quod ait, electionem ad gratiam fieri ante merita præuisa, est vera, & Catholica: sed in eo, quod ait, Apostolum ibi loci hoc dicere voluisse, suam habet difficultatem, quia eodem modo oporteret dicere, Deum ante præuisa peccata aliquos à gratia reprobasse, & odio habuisse, quod tamen dici non potest, cùm Deus ex se paratus sit dare omnibus gratiam, saltem sufficientem, & illuminet omnem hominem venientem in hunc mundum, & nullum deserat, nisi prius ab homine deseratur, vt lib. 1. cap. 22. ex diuina Scriptura, Augustino, & Concil. Tridentino ostendimus. & idem Augustinus dicto lib. 1. ad Simplicia. q. 2. docet, odium Dei supponere saltem peccatum originale in obiecto.

Alij verò putant, Apostolum non loqui de electione, & prædestinatione, aut de reprobatione alicuius personæ particularis, sed de electione populi Gentilis ad gratiam Euangelij, & reprobatione populi Iudaici, donec intret plenitudo gentium. nituntúrque huic expositioni accommodare verba Apostoli. Hanc sententiam reiicit Cardinal.
Bellarm. Bellarmin. lib. 2. de gratia & libero arbitrio c. 10. quia Apostolus infrà vtitur exemplo vasorum gloriæ, & contumeliæ, quod non potest applicari omnibus Gentilibus, & omnibus Iudæis. Secundò, quia in particulari nominat Pharaonem, quem constat fuisse reprobatum. Tertiò, quia omnes electi saluantur, & tamen non omnes vocati ad Ecclesiam, & baptizati, saluantur.

In hac re grauissima ob varias Doctorum sen- VI.
tentias, videntur mihi tria dicenda. Primò, hunc locum Apostoli per sensum accommodatum posse legitimè exponi de prædestinatione, & reprobatione. Sic namque ipsum exponunt Augustinus Hieron. & alij graues Doctores tum antiqui, tum recentiores. Secundò dico, videri mihi salua semper censura sanctæ Romanæ Ecclesiæ, præcipuum scopum Apostoli tum in eo cap. tum in tota epistola ad Romanos, non esse disputare de Reprobatione, aut Prædestinatione. Dixi notanter scopum principalem, quia non nego absolutè, illum loqui de prædestinatione, aut de reprobatione, sed dico, hunc non esse principalem eius finem, & scopum. ratio est, quia in dicto cap. 9. sub nomine electorum, & vocatorum Apostolus comprehendit omnes Christianos, sicut patet ex serie verborum, præcipuè ex illis verbis, sic continuatis, *vt ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam, quos & vocauit, non solùm ex Iudæis, sed etiam ex gentibus, sicut in Osea dicit: Vocabo non plebem meam plebem meam*, &c. & in epistola ad Ephes. cap. 1. vbi ait. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus sancti, & immaculati coram illo.* ex quibus verbis constat, non omnes, quos Apostolus vocat electos, esse prædestinatos, sicut non omnes, qui ingrediuntur in Ecclesiam per Baptismum, & fidem, saluantur. Nec satisfacit responsio eorum, qui dicunt, Apostolum vocare omnes Christianos electos, eo quòd benè speraret de omnibus ad fidem vocatis, non quòd affirmaret, hos omnes verè, & propriè fuisse electos. quia si hoc modo liceret nobis verba sacræ Scripturæ impropriare, & eos, quos Scriptura dicit, & vocat electos, liceret dicere non esse verè, & propriè electos, totum negotium diuinæ prædestinationis reduceretur ad manifestam incertitudinem. Immo ad eandem incertitudinem reduceretur ipsa diuina Scriptura.

Tertiò videtur mihi dicendum cum D. Augu- VII.
stino in cit. expositione epistolæ ad Romanos, Augustin.
scopum principalem Apostoli fuisse, dissoluere quæstionem quandam ortam inter Iudæos, & Gentiles, qui venerant ad fidem Euangelij, scilicet vtrùm solis Iudæis venerit Euangelium, propter illorum merita, an verò nullis præcedentibus meritis omnibus Gentibus venerit iustificatio fidei, quæ est in Christo Iesu. quam quæstionem Apostolus dissoluens, docet, omnibus venisse gratiam Domini nostri Iesu Christi nullis præcedentibus eorum meritis bonorum operum. quæ doctrina, vt intelligatur, aduertendum est, temporibus Apostolorum tres præcipuos errores inter fideles fuisse à Pseudo-Apostolis disseminatos. Primus fuit, Christum datum fuisse Iudæis ob illorum merita, & illos per legis obseruantiam tale, ac tantum bonum sibi promeruisse. Secundus error fuit, posteritatem Abrahæ, cui facta est de Christo repromissio, computandam, & accipiendam esse secundùm propagationem, & filiationem carnis, non autem secundùm filiationem, & adoptionem spiritualem, per gratiam, & fidem. Tertius error, quem ex præcedentibus deducebant, erat, solos Iudæos ad fidem, & gratiam Euangelij admittendos esse. Hos tres errores principaliter

intendit

intendit Apoſtolus euertere in dicta epiſtola ad Romanos, contra quos tres propoſitiones conſtituit,& probat.Prima eſt,Chriſtum non eſſe datum Abrahæ,& ſemini eius ob illorum merita, ſed tãtùm ex gratuita Dei miſericordia,& bonitate. Secunda propoſitio eſt,ſemẽ, & poſteritatem Abrahæ, cui facta eſt de Chriſto repromiſſio , computandum eſſe, non ſecundùm propagationem carnis,ſed ſpiritus,id eſt,non omnes, qui deſcendunt ex Abraham ſecundùm propagationem carnalem, computandos eſſe inter filios Abrahæ, quibus facta eſt de Chriſto repromiſſio,ſed illos ſolùm,qui ſunt filij Abrahæ , ſecundùm ſpiritum , & fidem, qui fidem Abrahæ imitantur , qui fidem Chriſti ſuſcipiunt,& veniunt ad veritatem Euangelij,ſiue illi ſecundùm carnem ſint filij Abrahæ , ſiue non. Tertia propoſitio eſt , Euangelium prædicandum eſſe non ſolùm Iudæis,ſed etiam Gentilibus , & à gratia Euangelij nullos eſſe excludendos.

VIII. Primam propoſitionem probat Apoſtolus primò ex eo, quia tam Iudæi , qui legem habebant, quàm Gentiles,qui ſine lege viuebant,ante Chriſti aduentum,omnes erant pleni peccatis, & nulla erant eorum merita bonorum operum. Hoc argumentum proſequitur cap.1.2.3. Secundò idẽ probat ex eo,quoniam ipſemet Abraham,cui facta eſt de Chriſto repromiſſio,non per merita ſuorũ bonorum operum,ſed per ſolam fidem,& gratuitam Dei miſericordiam iuſtificatus eſt. hoc in cap. 4. Tertiò idem probat,quia omnes homines ſiue Iudæi, ſiue Gentiles in Adam mortui ſunt , & ſolus Chriſtus eſt cunctorum hominum viuificator , & Redemptor, ſiue Iudæorum , ſiue Gentilium. hoc in cap.5.& 6. Quartò idem probat , quia lex data genti Iudæorum non fuit ſpiritualis , habens vim purgandi homines à peccatis,aut viuificandi , ſed fuit lex carnalis , habens ſolùm vim oſtendendi peccata,à quibus homines per ſolam gratiã Chriſti emundantur,qua gratia adueniente lex eſt exinanita.hoc in cap.7. & 8. Quintò idem probat ex eo,quoniam cùm multi eſſent poſteri Abrahæ ſecundùm carnem , Deus nullis eorum bonis , vel malis operibus inſpectis,nonnullos ex filiis Abrahæ ſecundùm carnem voluit computari in ſemine Abrahæ,cui facta eſt de Chriſto repromiſſio,aliis, qui ſimiliter erãt filij Abrahæ ſecundùm carnem, poſtpoſitis,& excluſis.Hoc probat Apoſtolus c.9. duobus exemplis, ſcilicet Iſaac, & Iacob , qui ſoli cum illorum poſteritate electi ſunt à Deo,& computati in ſemine Abrahæ , cùm tamen Abraham alios filios haberet ſecundùm carnem,& Iſaac haberet fratrem Iſmaëlem,& Iacob fratrem Eſaü.

IX. Secundam propoſitionem probat Apoſtolus implicitè eiſdem ferè argumentis.Sed præcipuè,& ex inſtituto eam incipit probare in dicto c.9.eiſdẽ exẽplis Iſaac, & Iacob. nam ſi Eſaü & Iſmaël fuerunt filij Abrahæ ſecundùm carnem,ſicut Iſaac,& Iacob,& tamen non computãtur in ſemine Abrahæ,ſicut Iſaac,& Iacob.Ergo ſignũ eſt, cõputationem ſeminis Abrahæ, cui facta eſt de Chriſto repromiſſio,accipiendam eſſe non ſecundùm propagationem carnis,ſed ſpiritus. Secundò illã probat teſtimonio Oſeæ c.2.ſic dicens,*Quos vocauit nos,nõ ſolùm ex Iudæis,ſed etiam ex Gentibus,ſicut in Oſea dicit:Vocabo non plebem meam,plebem meam,& nõ dilectam dilectam , & non miſericordiam conſecutam miſericordiam conſecutam.*& alia multa adducit ex eodem Oſea, & Iſaia ad eandem veritatem probandam.Tertiò probat eandem veritatẽ, quia iuſtitia Chriſti non eſt ex lege , ſed ex fide,quæ omnibus indiſtinctè proponitur,ſiue Iudæis,ſiue Gẽtilib. & ſic filiatio Abrahæ,cui facta eſt de Chriſto repromiſſio,non ſolùm ex Iudæis,ſed etiã ex Gẽtilibus accipienda eſt hoc in c.10. Quartò eandẽ veritatẽ probat , quia ſalus obuenit mundo ex Dei gratia, non ex noſtris operibus , alioqui gratia non eſſet gratia:ſed Deus ſuam gratiã dat non ſolùm Iudęis, ſed etiam Gentilibus,quod probat etiam teſtimoniis diuinarũ Scripturarum. Ex his deducitur euidenter Tertia propoſitio, quòd Euangeliũ omnibus indiſtincte tam Gentilibus , quàm Iudæis ſit prædicandũ, & ad gratiam Euangelij omnes indiſtinctè ſint recipiendi , & admittendi. Hanc eſſe mentẽ Apoſtoli,& ſeries verborũ eiuſdẽ epiſtolæ oſtendit,& Auguſtinus loco cit.non obſcurè animaduertit,quam ſi expoſitores aduerterent, à pleriſque difficultatibus ſe expedirent, nõ ſolùm circa epiſtolam ad Romanos,ſed etiã circa alias omnes epiſtolas D.Pauli.non enim illi errores fuerũt à falſis Apoſtolis apud ſolos Romanos diſſeminati,ſed etiam apud Græcos, Galatas , & Aſiaticos, propter quã cauſam coactus eſt etiam Timotheũ circuncidere. Quare omnia perſtringendo mihi certiſſimũ eſt , præcipuum ſcopum Apoſtoli in ea epiſtola , & præcipuè in eo c.9. eſſe loqui non de reprobatione Iudæorũ,& electione Gentiliũ , niſi fortè fiat denominatio totius à maiori parte , ſed de electione, & adoptione ad hæreditatem , & filiationem Abrahæ ſecundùm ſpiritũ, per fidẽ,Baptiſmum , & gratiam Euangelij , & reprobatione Iudæorũ ſecũdùm carnem ab eadem filiatione, vt ſit ſenſus,veros filios Abrahæ , quibus facta eſt de Chriſto repromiſſio, accipiendos eſſe,non ſecundùm propagationem carnis, ſed ſpiritus , per gratiam, & fidẽ, & ad huiuſmodi filiationẽ homines non fuiſſe à Deo electos ob illorũ bona opera prę-uiſa,ſed gratuita Dei bonitate,& miſericordia.

CAPVT XIV.

Teſtimoniis diuinæ Scripturæ capite præcedenti allatis contra veritatem reſpondetur.

EX dictis in cap. præcedenti facilè reſponderi I. poteſt ad teſtimonia ibi allegata ab aduerſariis ex diuina Scriptura.Nã ad primũ reſpõdetur, illud teſtimonium in ſenſu literali non eſſe intelligendum de electione ad bona ſpiritualia,ſed tẽporalia. quod non obſcurè inſinuat D. Hieronymus in loco cit. commentariorum in Malachiam c.1.& notant Vaſquez 1.part.diſp.95.c.8. Bartholomęus Cameratius,& Ioannes à Bononia ibid.ab eo relati,& nouiſſimè Cardinalis Toletus in 9. c. epiſtolæ ad Roman.annot.11.In ſenſu autem allegorico dicendum primò Apoſtolum non loqui de electione ad gloriam ante præuiſa merita , ſed de electione , & adoptione in filios Abrahæ ſpirituales per fidem,& gratiam Euangelij,& reprobatione filiorum Abrahæ ſecundùm carnem, vt ſit ſenſus,huiuſmodi electionem,aut reprobationẽ factã eſſe ex ſolo Dei beneplacito,nõ autẽ ex bonis,vel malis meritis noſtris præuiſis. Et hoc eſt , Iacob fuiſſe dilectum,& Eſaü odio habitũ, ſcilicet filios Abrahæ ſecundùm carnem , & Iudæos , qui erant natu maiores,quibus darum erat regnũ , & ſacerdotium,& lex, vt dicit Apoſtolus in principio illius capitis, fuiſſe à Deo poſthabitos: filios verò Abrahæ ſecundùm ſpiritum , ex quibus plurimi erant Gentiles , & natu minores,filiis primogenitis ſecundùm carnem fuiſſe prælatos ; & iuxta hanc expoſitionem ceſſant omnes difficultates. D. Hieron. Vaſquez.

II. Secundò ob reuerentiam Doctorum, qui hunc locum interpretantur de prædestinatis, & reprobis, respondeo, hoc testimonium non posse intelligi de electione ad gloriam, quæ secundùm Augustinum non est nisi ex meritis præuisis, sed esse intelligendum de electione ad gratiam, quæ est sine meritis præuisis, non quidem in eo sensu, quòd Deus velit quibusdam gratiam dare, & quibusdã non: sed quia aliquibus vult dare maiora, & potiora dona gratiæ, quàm aliis, nulli tamen negando sufficiens auxilium ad salutem: & hoc est vnũ diligere, & alterum odio habere, id est, minus diligere, sicut dicitur Lucæ 14. *Qui non odit patrem suum, & matrem suam, non est me dignus.* id est, qui non minus diligit patrem, & matrem, quàm me, non est me dignus. Ita respondet Vasquez dicta disp. 95. cap. 8. post Ioannem à Bononia in Opusc. de Prædestinatione part. 1. §. *verùm eò reuertamur.* Præterea verba illa, *Iacob dilexi, Esaü autem odio habui*, non sunt construenda cum illis verbis, *antequam quidquam boni egissent, aut mali.* vt sit sensus, vnum dilectum, alterum odio habitum, antequam quidquam boni, aut mali egissent, esset enim sensus falsus, & erroneus, vt August. dicta q. 2. ad Simplicianum adnotauit: sed debent construi cum illis verbis, quia maior seruiet minori, vt sit sensus, quòd maior fuit odio habitus, & minor fuit dilectus, quia maior factus est seruus minoris, quod iuxta historiam ad bona temporalia est referendum.

Vasquez. Ioannes à Bononia. Augustin.

III. Ad cuius rei euidentiorem intelligentiam notandum est, quando in nouo Testaméto allegatur aliquod testimonium veteris Testamenti in sensu mystico, & allegorico, non esse necessariũ seruari omnimodam patitatem inter sensum historicũ, & allegoricum, alioqui absurditates multæ sequentur: sed sufficere, si seruetur vniformitas respectu finis, qui est attendendus in omnibus allegoriis, & parabolis, & locutionibus metaphoricis, id est, sufficere, si attendamus, quid ex sensu historico Spiritus sanctus velit inferre iuxta sensum mysticũ, & allegoriam. exempli gratia, in Euangelio Lucæ c. 16. proponitur parabola villici, qui cùm timeret, quòd dominus illius vellet auferre à se villicationem, conuocatis singulis debitoribus domini sui dicebat primo, quantũ debes domino meo? at ille dixit, centum cados olei. dixítque ille, accipe cautionem tuam, & sede citò, scribe quinquaginta, &c. & subiungit Saluator, quòd laudauit dominus villicum iniquitatis, quia prudenter fecisset: quia filij huius sæculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt. quod dictum non ita est accipiendum, vt qui dominum suum fraudauerit, laudem mereatur, certum enim est, illum sic agendo peccare, & reprehensione dignum esse, sed attendendus est finis parabolæ, qui est, homines hortari, vt de diuitiis huius sæculi per eleemosynas faciant sibi amicos, vt cùm defecerint ex hac vita, recipiant illos in æterna tabernacula. Ita in proposito nostro ex duabus illis allegoriis Isaac, & Iacob inductis ab Apostolo solùm attendendus est finis illarum, qui est docere, quòd homines ad gratiam Euangelij eliguntur non ex meritis præcedentibus, neque iure carnis, aut sanguinis, sed ex sola & gratuita Dei voluntate.

IV. Ad secundum testimonium possumus eodem modo respondere, verba illa, *miserebor cuius misereber*, &c. intelligenda esse de beneficiis temporalibus, vt sit sensus, Deum facere hunc dominum, illum seruum, hũc diuitem, illum pauperem, & hoc in solam Dei voluntatem esse referendum, nec tamen posse Deum argui iniustitiæ. ita exponunt Chrysost. & Theodoretus in illum locum, quibus consentit Cardinal. Toletus annotatione 22. Secundò admisso, quòd loquatur de bonis spiritualibus, dico sensum esse, quòd Deus repulerit filios Abrahæ secundùm carnem ab hæreditate Abrahę promissa, quæ est Christus, & admiserit filios Abrahæ secundùm spiritum, hoc in solam Dei voluntatem esse referendũ, neque propter hoc posse Deum aut iniquitatis, aut iniustitiæ notari; quia hæc est gratia, & misericordia Dei, quæ nulli est debita. Tertiò admisso, quòd specialiter loquatur de gratia prædestinationis, dico sensum esse, Deũ dona supernaturalia concedere quibus vult, & quantum vult, nulli tamen denegando auxilia ad salutem necessaria. Illud quod de Pharaone subiicitur, *quia in hoc ipsum excitaui te, vt ostenderem in te virtutem meam*, non facit sensum, quòd Deus Pharaonem creauerit ob hunc principaliter finem, vt illum puniret, esset enim sensus erroneus, quia creauit Deus, vt essent omnia, vt dicitur Sapient. 1. sed sensus legitimus est, quòd cùm Pharao esset improbus, & morte dignus, Deus nihilominus illum patienter sustinuit, immo beneficiis cumulauit, & ad regnum extulit, & permisit in suum populum desæuire, vt esset illi occasio gloriam suam manifestandi, vt sic laudaretur nomen Dei in omnibus gentibus, sicut de cæco nato dicitur Ioan. c. 9. *Neque hic peccauit, neque parentes eius, sed vt manifestentur opera Dei in illo.* Ita exponunt hunc locũ OEcumenius, Chrysost. & D. Ambros. & dato, quòd eo etiam fine Deus Pharaonem creauerit, vt ostenderet in eo suam potentiam, & virtutem, & ob hanc causam illum patienter sustinuerit, & permiserit in propria malitia obdurari, hæc tamen non fuit præcipua illius intentio, sed secundaria, præcipuus autem finis, propter quem tum ipsum Pharaonem, tum etiam omnes alios, quos malos futuros esse prænoscit, creauit, & creat, & sustinet illorum peccata, est ille, quem nobis indicat Sapiens in lib. Sapientiæ c. 12. dicens: *Illos enim antiquos inhabitatores terræ sanctæ tuæ, quos exhorruisti, quoniã odibilia opera tibi faciebãt*, &c. & paulo infrà: *Sed & iis tanquam hominibus pepercisti, & misisti antecessores exercitus tui vespas, vt illos paulatim exterminarent. Non quia impotens eras, in bello subiicere impios iustis, aut bestiis sæuis, aut verbo duro simul exterminare, sed partibus iudicans dabas locum pœnitentiæ*, &c. & infrà: *Si enim inimicos seruorum tuorum, & debitos mortis cum tanta cruciasti attentione, & liberasti, dans tempus, & locum, per quæ possent mutari à malitia, cum quanta diligentia iudicasti filios tuos, quorum parentibus iuramenta, & conuentiones dedisti bonarum promissionum?* Hic fuit finis, propter quem Pharaonem, & Ægyptios, & omnes improbos patienter sustinuit, & sustinet, vt tandem aliquando diuinis beneficiis deuincti resipiscant, & pœnitentiam agentes ad Deum conuertantur. quem finem magis expressit Apostolus ad Roman. 2. cùm ait: *An ignoras, quòd benignitas Dei te ad pœnitentiam adducit.* est etiam alius finis, propter quem eos, quos præscit futuros malos, creat, vt scilicet per illos boni à peccatis mundentur, sicut mundantur vasa aurea per vasa fictilia, & in bonis operibus per malos exerceantur, sicut dicit Augustinus dicta q. 2. ad Simplician. & in Psal. 45. circa 1. versiculum.

Chrysost. Theodoret. Toletus. Oecumen. Chrysost. Ambros. August.

V. Ad tertium testimonium, quia non solùm hæretici, sed etiam nonnulli Catholici metaphora illa

illa figuli,& vaſorum in honorem, & contumeliã multis modis abutuntur, & ita de hominibus ratiocinantur,tanquam ſi illi eſſent lebetes, aut matulæ ſine voluntate,& ſine ſpiritu,& nihil diuinæ gratiæ cooperarentur circa propriam ſalutem,ſed totum negotium ſalutis noſtræ ſoli diuinæ voluntati eſſet committendum,loquuntúrque confidenter, dicentes, hanc eſſe mentem Apoſtoli , quibus cùm aliquid reſpondetur, ſtatim vrgent,dicentes: Tu quis es, qui reſpondeas Deo,nunquid dicit figmentum ei,qui ſe finxit, quare me feciſti ſic ? Operæ pretium eſt, vtſtud Apoſtoli teſtimonium , & hanc metaphoram , qua ille vtitur , diligenter explicare.Et mihi quidem iuxta ea,quæ lib.4.c.10.& cap.22.dicta ſunt,iterum videtur dicendum,Apoſtolum non comparare Deum figulo, dũ operatur circa hominis voluntatem ſaltem reſpectu illorũ actuum,quos humana voluntas liberè elicit,ita vt poſſit non elicere:ſed comparari figulo, dum operatur circa hominem conferendo , vel auferendo bona temporalia,vt ſunt vita,ſanitas, diuitiæ,honores, & ſimilia , vel ad ſummum operando circa animam,conferendo,vel auferendo ea ſolùm,quæ Deus ponit in nobis ſine nobis,id eſt , ſine noſtro conſenſu.Hanc autem eſſe mentem Apoſtoli probatur primò ex aliis locis diuinæ Scripturæ , ex quibus ille hanc metaphoram figuli , ac luti deſumpſit,nimirum ex Pſal.2.ex lib. Sapient.cap.15. Eccleſiaſtici 33.Iſaiæ 45. & Ieremiæ 18.quibus in locis Scriptura non loquitur de collatione bonorum ſpiritualium,ſed temporalium.

VI. Secundò probatur , hanc fuiſſe mentem Apoſtoli teſtimonio D.Chryſoſtomi, qui hunc locum ſic exponit. *Caue*(inquit) *ne ad opificij rationem exiſtimes hæc à Paulo dicta fuiſſe, aut ſententiæ neceſſitatẽ, ſed ad œconomicam poteſtatem , ac differentiam. nam ſi ita acceperimus,multa abſurda ſequentur ; etenim ſi de animi ſententia hoc loco ſermo habetur,& bonorum , & non bonorum erit ille Opifex:videbitúrque tũ homo extra omnem culpam eſſe, tum Paulus ipſe,qui vbique ipſam voluntatem coronat,hac ratione ſecum ipſe pugnare.*D.etiam Hieronymus noſtram ſententiã apertè confirmat in epiſtola ad Hedibiam q. 10. vbi in ſenſum contrarium exponens hunc locum Apoſtoli inquit:*Si enim in ſimilitudinem vaſis fictilis te à Deo creatum putas, & illius non poſſe reſiſtere voluntati,hoc conſidera , quia vas fictile non dicit figulo , quare me feciſti ſic : figulus enim habet poteſtatem de eodem luto , aut de eadem maſſa aliud vas in honorem facere, aliud in contumeliam. Deus autem æquali cunctos ſorte generauit , & dedit arbitrij libertatem , vt faciat vnuſquiſque , quod vult , ſiue malum ,ſiue bonum.* Ex hac Hieronymi ſententia in tantum abeſt, vt hæc metaphora vaſorum locum habeat , cùm agitur de voluntate humana,vt putet D.Hieronymus,quòd ſi Deus erga hominem operaretur more figuli circa lutum,homo non eſſet liberæ voluntatis: & ex hoc,quòd homo liberè operatur,Deum non operari circa illius voluntatem , ſicut figulus circa lutum.

Chryſoſt.

Hieronym.

VII. Tertiò probatur , hanc eſſe germanam intelligentiam D. Pauli. nam cùm ille metaphoram vaſorum honoris , & contumeliæ prædeſtinatis , & reprobis applicat,modo planè contrario illam applicat,docens,Deũ pro ſola ſua voluntate non facere homines vaſa honoris , aut contumeliæ , ſed homines Deo vel adiuuante , vel permittente per ſuam ipſorum libertatem facere ſeipſos vaſa honoris , & vaſa contumeliæ. Locus eſt apertus in epiſtola 2.ad Timoth.c.2.vbi ſic ait:*Sed firmũ fundamentũ Dei ſtat,habens ſignaculum hoc, cognouit Dominus,qui ſunt eius,& diſcedat ab iniquitate omnis,qui nominat nõmen Domini.in magna autem domo non ſolùm ſunt vaſa aurea,& argentea,ſed & lignea, & fictilia, & quædam quidem in honorem , quædam autem in contumeliam.ſi quis ergo emundauerit ſe ab iſtis,erit vas in honorem ſanctificatum,& vtile Domino ad omne opus bonum paratum.* Hæc ratio confirmari poteſt ex D. Auguſt.in lib.de ſalutaribus documentis c.36. vbi hortatur hominem , qui videt ſe vas confractum, recurrere ad Deum,qui eſt figulus,vt reparetur,& verba Auguſtini referuntur à Gloſſa in lib.Eccleſiaſtici c.33.circa illa verba,*quaſi lutum figuli in manu ipſius.* ex quo loco deſumpſit Apoſtolus illam metaphoram.

Auguſt.

Gloſſa.

Quartò licèt Deus pro ſola ſua voluntate poſſet facere hominem vas honoris , conferendo illi gratiam,& gloriam:non tamen pro ſola ſua volũtate poſſet facere hominem vas contumeliæ. quia vaſa contumeliæ ſunt homines impij , Deus verò hominem malum, & improbum facere nõ poteſt, qui ſummè bonus eſt.vnde ſaltem reſpectu impiorum non currit hæc Apoſtoli metaphora.

Quintò ex ipſo verborum contextu colligitur, Deum homines impios non facere vaſa iræ,& cõtumeliæ. quia illud, quod Deus vix ſuffert cũ magna patientia , non facit pro beneplacito ſuæ voluntatis:ſed Apoſtolus ait,Deum in multa patientia ſuſtinuiſſe vaſa iræ aptata in interitum.non ergo Deus pro ſola ſua voluntate facit hæc vaſa iræ,& contumeliæ.

Sextò ſi Deus eodem modo pro ſola ſua volũtate faceret reprobos vaſa iræ,& contumeliæ,ſicut facit electos vaſa honoris,& gloriæ , quemadmodum figulus ex eodem luto pro ſua voluntate facit vaſa honoris,& contumeliæ , vt dicunt recentiores hæretici , irrationabiliter quereretur Deus de impiis,& illis ſuccenſeret,quòd eſſent impij,& rebelles:vnde reſponſio Apoſtoli magis augeret,& roboraret,quàm reiiceret querelam contra Deum inductam.

Tandem certũ eſt,Deũ vaſa honoris, & gloriæ facere, quia dat hominibus gratiam , & mediante gratia gloriam , vaſa autem contumeliæ non alia ratione facit,niſi quia homines per propriã ipſorũ malitiam improbos factos ordinat in cõmodũ electorum,vt ſeruiãt illis ad eos purgandos à ſordibus peccatorum. Sic dicit Auguſtinus in dicta q.2. ad Simplicianum , quòd *ex numero impiorum, quos non iuſtificat, facit vaſa in contumeliam , non hoc in eis odit quod facit , quippe in quantum impy ſunt, execrabiles ſunt, in quantum autem vaſa ſunt , ad aliquem vſum ſunt , vt per eorum ordinatas pœnas vaſa, quæ ſunt in honorem proficiant.*

VIII. Ex his omnibus apparet quàm ineptè iſta metaphora figuli & luti à modernis hæreticis applicetur negotio diuinæ prædeſtinationis , & reprobationis.Licèt nanque Auguſtinus eandẽ metaphoram vaſorũ honoris , & contumeliæ applicauerit prædeſtinatis,& reprobis,longè tamen diuerſa ratione illam applicauit, quàm hæretici faciant : & nunquam docuit , Deum pro ſola ſua voluntate facere reprobos vaſa contumeliæ,ſicut figulus ex luto facit vaſa contumeliæ , quemadmodum hæretici contendunt.

Sed dicetur , redarguere non eſt ſoluere. quis igitur eſt ſenſus verborum Apoſtoli ? Reſpondeo , illius mentem eſſe , occurrere cuidam obiectioni , quæ fieri poterat ab aduerſario. dixerat enim Paulus , poſſe Deum honore afficere , quos vult,& ſuam vindictam exercere in quos vult,ſine eo,quòd inferat alicui iniuriam, & potuiſſe præ-

Gabr.Penot.de libert. hum.

Digitized by Google

ferre Iacob natu minorem Esau natu maiori, & potuisse præferre filios Abrahæ secundùm spiritum filiis Abrahæ secundùm carnem, & potuisse Pharaonem excitare, & sustinere, vt per signa, & portenta ostenderet in eo suã potentiã, & virtutem, nulli iniuriã irrogando, quia omnium Dominus est. Contrà poterat aduersarius obicere. Si Deus in hoc ipsum excitauit Pharaonem, & excitat alios impios, & sustinet illos, vt ostendat in illis suam virtutem, vt quid postea de illis quæritur, quòd sint rebelles, & impij? Huic obiectioni occurrens Apostolus ait: Etiamsi Deus more figuli operaretur circa hominem, faciens alios vasa honoris, alios vasa contumeliæ, cùm sit omnium Dominus, non haberent homines, quid iustè contra Deum opponerent: & hoc sufficere ad obstruendum os loquentium iniqua contra Deum. Nunc autem multo minus habere possunt impij, quod contra Deum obiiciant ad suas iniquitates excusandas, quia licèt Deus secundaria intentione sustineat vasa iræ, & contumeliæ, vt ostendat in eis iram suam, & notam faciat potentiam iræ suæ: tamen ipse impios non facit, sed suffert in multa patientia, & finis præcipuus, ob quem illos sustinet, est, vt ostendat diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam. Hic enim est finis præcipuus, propter quem Deus illos, quos præuidet impios futuros, nihilominus creat, & sustinet in multa patientia, & expectat ad pœnitentiam, vt illi deseruiant in commodum, & vtilitatem electorum, in quorum vtilitatem omnia cedunt, & à Deo ordinantur, vt inquit idem Apostolus sup. cap. 8. & Augustinus confirmat dicta q. 2. ad Simplician. & D. Thom. 1. part. q. 22. art. 2. ad 2. & 4. & q. 23. art. 7.

Ad quartum testimonium sumptum ex cap. 11. eiusdem epistolæ respondetur, Apostolum loqui de vocatione congrua, & efficaci, de qua verum est, omnes vocatos saluari: sed non omnes homines sic sunt vocati. vel si admittamus, Apostolum loqui de vocatione etiam non efficaci qua omnes homines vocantur, dicendum est, quòd sine pœnitentia sunt dona, & vocatio Dei, quantum est ex parte ipsius Dei, quoad præparationem donorum, & exhibitionem ipsius vocationis.

Ad quintum respondetur, illum textum loqui de diuina præordinatione per voluntatem Dei consequentem, & efficacem, quæ alio nomine vocatur prædestinatio, non autem de præordinatione per voluntatem antecedentem, & inefficacem, per quam etiam illi, qui non credunt, sunt ad vitam æternam præordinati, quantum est ex parte ipsius Dei.

Ad sextum respondetur eodem modo, illum textum esse expoendum de voluntate complacentiæ consequenti, & efficaci, secundùm quam illi, quibus complacuit dare regnum gloriæ, sunt pusillus grex comparatione aliorum, non quòd etiam aliis non velit ex se dare regnum gloriæ, sed quia illi vocati à Deo nolunt ad illum venire.

X. Ad vltimum respondetur, si verba textus exponantur de discretione, & separatione, & benedictione & maledictione spirituali, textum esse exponendum, vt huiusmodi separatio, & discretio facta non fuerit, nisi suppositio peccato, quod manifestè indicant verba illa textus, *& reddet illi secũdum iudicium suum.* nam Deus non potest reddere homini secundùm iudicium ante causæ cognitionem, neque potest hominem damnare, nisi supposito delicto. Sic dicitur Sapient. 12. *Ipsum quoque qui non debet puniri, condemnare extremum existimas à tua virtute.*

Secundò respondetur, illum textum non loqui de discretione prædestinatorum, & reproborum, sed de separatione diuersarum nationum, & gentium facta post electionem Adæ à Paradiso, & specialiter post diluuium. nam cùm omnes homines ex eadem terra orti essent, Deus tamen in multitudine disciplinæ suæ separauit eos, & ex eis benedixit, exaltauit, & sanctificauit, scilicet Abrahamum, Isaac, & Iacob, & populum Hebræorũ: sanctificauit enim Aaron & filios Leui, quos ad se applicauit, & fecit ex eis sacerdotes, & Leuitas: alios verò separauit, & maledixit, scilicet Ægyptios, Chananæos, Chore, Datan, & Abiron, quos subuertit. Et sic illa omnia iuxta sensum literalem & historicum diuinæ Scripturæ sunt intelligenda & exponenda.

CAPVT XV.

Alia argumenta aduersariorum ex diuina Scriptura excerpta afferuntur, & soluuntur.

IN secunda classe recenseri possunt autoritates diuinæ Scripturæ, quibus recentiores hæretici nituntur probare, Deum eo fine nonnullos homines creare, vt ostendat & exerceat in eis suam iustitiam punitiuam. Primum testimonium sumunt ex lib. Exodi cap. 9. vbi dixit Deus Pharaoni, *Idcirco posui te, vt ostendam in te fortitudinem meam, & vt narretur nomen meum in omni terra.* vel vt Apostolus legit ad Roman. 9. *In hoc ipsum excitaui te, vt ostendam in te virtutem meam.* Secundum testimonium sumitur ex lib. Prouerb. cap. 16. vbi dicitur, *Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus, impium quoque ad diem malum.* Tertium sumunt ex eadem epistola ad Roman. cap. 9. vbi ait, *quod si Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ aptata in interitum.* His testimoniis vtebantur Caluinus, & Beza referente Bellarmino lib. 2. de Amissione gratiæ cap. 12. I.

Verùm hæc motiua nullius sunt momenti. nam ad primum testimonium iam dictum est, quòd illa verba, *Posui te*, vel *excitaui te*, non significant, creaui te, sed significant, patienter sustinui te, cùm deberem statim perdere, aut etiam extuli te ad regnum, & locupletaui, & animi tui duritiem sustinui, vt si nolueris beneficiis meis ad me conuerti, ego te malo vtar in bonũ, & ostendam in te gloriam meam, & faciam prædicari in gentibus nomen meum. Præter quod illa verba debent intelligi secundùm permissionem iuxta phrasim Hebraicam: & ita exponunt Augustinus q. 22. in Exod. Rupertus Abb. Chrysost. & alij expositores. Immo ex hæreticis Philippus Melancton in locis communibus editis anno 46. in loco de viribus liberi arbitrij. II. August. Rupert. Chrysost.

Secundò admisso, quòd illa verba significẽt idẽ, quod creaui te, respondetur, sensum non esse. Deũ hoc fine homines principaliter creare, vt habeat, quos possit punire: sed sensus est, eos, quos malos futuros esse præuidet, nihilominus creare, ob aliquod bonum, quod est profectus, & gloria electorum, quæ est bonũ principaliter intentum, ostensio diuinæ gloriæ per modum potentiæ, & iustitiæ punitiuæ, quæ est secundariò à Deo intenta. ita dicit Aug. lib. 11. de Genesi ad literam c. 22. & in lib. Enchirid. multis in locis, & in epistola 106. Augustin.

Ad secundum respõdetur, eodem modo, Deum non

non creare impium ad diem malum, ſed eum, quem propria voluntate præuidet malum futurum, ordinare ad diem malum. Vnde in illa clauſula, *impium ad diem malum*, ſupplendum eſt verbum, *ordinauit*, vt colligitur ex lectione ſeptuaginta interpretum, & ex ſcholio Vatabli.

III. Ad tertium dico, erroneam eſſe interpretationem, quòd Deus ob hanc cauſam præciſam, aut etiam præcipuam ſuſtineat patienter peccatores, vt poſſit habere, vnde oſtendat in eis iram ſuam, & potentiam ſuam pœnis illos afficiendo, ſicut Beza imaginatur: ſed præcipuus finis, ob quem Deus tanta patientia impios ſuſtinet, eſt, vt oſtendat diuitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, quæ præparauit in gloriam, & conuerſio eorundem impiorum ad pœnitentiam, & hunc eſſe finem præcipuum diuinæ tolerantiæ, & patientiæ, indicat Apoſtolus in eadem epiſt. c. 2. cùm ait, *An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? ignorans, quòd benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit, ſecundùm autem duritiam tuam, & impœnitens cor theſaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iuſti iudicij Dei.* Ex quibus verbis manifeſtè colligitur, duplicem eſſe finem diuinæ tolerantiæ, qua impios ſuſtinet, alterum principaliter intentum, qui eſt peccatorum conuerſio, & pœnitentia: alterum ſecundariò intentum, qui eſt oſtenſio diuinæ iuſtitiæ in impœnitentibus, & obſtinatis.

IV. In tertia claſſe referuntur teſtimonia, quibus hæretici niruntur oſtendere, Deum ita nolle aliquorum ſalutem, vt potiùs illos excæcet, & obduret in malo, ne videant, & audiant, & conuertantur, & ſaluentur. Primum teſtimonium ſumitur ex lib. Exodi cap. 9. & ad Rom. cap. 9. vbi dicitur, quòd *Deus induraui cor Pharaonis*, & quòd, *quem vult indurat.*

Secundum ex Iſaiæ c. 6. vbi dicitur: *Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude, ne fortè videat oculis ſuis, & auribus ſuis audiat, & corde ſuo intelligat, & conuertatur, & ſanem eum.* Similis ſententia habetur apud Matth. c. 13. Marc. cap. 4. Lucam c. 8. & apud Ioan. c. 12. vbi dicitur, quòd Iudæi non poterant credere, quia excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum, ſicut dicit Iſaias.

Tertium teſtimonium ex epiſt. 2. ad Cor. cap. 4. vbi ait Apoſtolus, Euangelium Chriſti eſſe opertum iis, qui pereunt, in quibus Deus huius ſæculi excæcauit mentes infidelium, vt non fulgeat eis illumina[illegible] Euangelij Chriſti gloriæ.

V. Ad hæc omnia teſtimonia illud ſufficere poſſet, quod ait Auguſtinus lib. 1. Retract. cap. 15. Si aliqui à Deo obdurantur, & excæcantur, iam hoc non eſſe ſine illorum malis meritis, & hoc illis euenire in pœnam præcedentium peccatorum, quod ſatis eſt ad oſtendendum, Deum ex ſe non velle alicuius ruinam, ſed omnium ſalutem. & quod ait idem Auguſtinus lib. de perfecta iuſtitia reſponſ. 15. Quòd *qui cogenti cupiditatis bona voluntate reſiſtere non poteſt, iam hoc ita peccatum eſt, vt ſit etiam pœna peccati.* Quod replicat lib. 5. contra Iulianum cap. 3. Verùm quia teſtimonia allegata omnia habent ſuas legitimas interpretationes, nec concludunt, quod aduerſarij intendunt: Ad primum teſtimonium reſpondetur primò ex doctrina D. Hieronymi q. 10. ad Hedibiam, Deum nonnullos peccatores obdurare, & excæcare per accidens, ſcilicet eiſdem beneficiis, & eodem lumine, quibus alios illuminat, emollit, & ad ſe conuertit. Hæc autem effectuum contrarietas non ex eo oritur, quòd Deus intendat per ſe aliquos obdurare, & obcæcare: ſed oritur ex malitia, & praua diſpoſitione animi eorum, qui Dei beneficia recipientes illis abutuntur, & in malum conuertunt: ſicut idem Solis radius liquefacit glaciem, & indurat lutum, & ex eodem flore apes delibant mella, & ſerpentes venenum, &c. vt Auguſtinus ait, oculis ægris odioſa eſt lux, quæ puris eſt amabilis.

Auguſt.

Secundò reſpondetur ex Origene lib. 3. Periarchon cap. 1. Deum indurare peccatores, & illos excæcare tolerando patienter illorum peccata, nec ſtatim puniendo. Hæc eſt enim peccatorum peſſima conditio, qui cùm à Deo non ſtatim corripiuntur, abutentes diuina patientia, ſemper in maiora peccata labuntur, & tandem ad eam peccatorum meram deueniunt, vt Deum contemnãt, & radios diuinarum illuminationum ſub pedibus conculcent, ſicut dicitur in lib. Iob c. 21. ad longum, & in lib. Eccleſ. c. 8. quòd *Quia non profertur citò contra malos ſententia, abſque timore vllo filij hominum perpetrant mala.* quod clarioribus verbis proſecutus eſt Dauid in Pſal. 72. dicens, *Quia non eſt reſpectus mortis eorum, & firmamentum in plaga eorum, in labore hominum non ſunt, & cum hominibus non flagellabuntur: ideo tenuit eos ſuperbia, operti ſunt iniquitate, & impietate ſua, prodiit quaſi ex adipe iniquitas eorũ, tranſierunt in affectũ cordis.* & hic eſt modus quidam occultiſſimus diuinæ animaduerſionis in quoſdam peccatores, cùm illos non ſtatim pro peccatis corripit, ſed diſſimulat, & patienter ſuſtinet, iuxta illud Ezech. c. 16. *Auferetur zelus & indignatio mea à te, & quieſcam, neque iraſcar amplius.* ex hoc enim ſequitur, peccatores adeò in malis obdurari, vt vix ſine miraculo conuerti poſſint.

Origenes.

VI. Tertiò reſpondetur ex Auguſtino in lib. de Corrept. & gratia cap. 4. & epiſt. 105. & lib. 5. contra Iulianum cap. 3. & lib. de Gratia, & libero arbitrio cap. 21. & ſequentibus, & ex D. Greg. lib. 15. Moral. cap. 15. Ambroſ. & aliis Doctoribus communiter, Deum non obdurare, aut obcæcare peccatores poſitiuè, immittendo cordibus, & mentibus eorum duritiem, aut errores, hoc enim indignum eſſet diuinæ bonitati, quæ aduerſùs hominum duritiem conqueritur, dicente D. Stephano in Actib. Apoſtolorum cap. 7. *Dura ceruice, & incircumciſis cordibus, & auribus, vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis.* ſed dicitur Deus quoſdam peccatores obdurare, & obcæcare priuatiue, illis ſubtrahendo in pœnam præcedentium peccatorum auxilia efficacia, ſine quibus non illuminantur, nec emolliuntur: & hoc eſt Deum indurare, quem vult, quod ſemper in homine ſupponit demeritum, & peccatum.

Auguſtinus. Gregorius Papa. Ambroſius.

VII. Ad ſecundum teſtimonium eodem modo reſpondendum eſt. ſed tamen vt intelligatur modus loquendi propheticus, quem videtur ſecutus D. Ioannes loco allegato in argumento, & D. Paulus ad Roman. cap. 11. vbi citans idem teſtimonium Iſaiæ inquit, *Dedit illis Deus Spiritum compunctionis, oculos, vt non videant, & aures, vt non audiant vſque in hodiernum diem.* qui modus loquendi videtur facere Deum autorem noſtræ obdurationis, & cæcitatis. Ideo duo ſunt notanda. Primum eſt, licèt verba Iſaiæ dicta ſint per imperatiuum verbum, non tamen eſſe intelligenda per modum imperantis, ſed ſolùm per modum propheticæ prædictionis, vt accipiatur verbum imperatiuum pro præterito indicatiui. Et ſic legit illum locum D. Matth. dicens, cap. 13. *Incraſſatum eſt cor populi huius, & auribus ſuis graniter audierunt, & oculos ſuos clauſerunt, nequando videant oculis,*

&c. qui modus loquendi declarat, non Deum homines excæcare, aut obdurare, sed ipsos sese contra Deum obduraſſe, & proprios oculos clauſiſſe, & fuiſſe rebelles diuino lumini.

Secundò notandum eſt, tribus modis poſſe intelligi Deum homines obdurare, & obcæcare. Primo modo immittendo illis errores, & duritiem, ſicut dicunt recentiores hæretici, peruersè exponentes hæc, & ſimilia teſtimonia ſacræ Scripturæ. Secundo modo, quia cùm poſſit impedire hominis cæcitatem, & duritiem, non impedit. & hoc modo inquit Auguſtinus tract. 53. in Ioannem circa teſtimonium allegatum, Deum excæcauiſſe Iudæos, negando eis auxilia, quibus illuminarentur, & etiam nunc peccatores obdurare, quia cùm poſſit prohibere, ne incidant in errores, & in duritiam, non prohibet. quod intelligendum eſt, vt licèt abſolutè hoc non prohibeat, non tamen abſolutè neget peccatoribus omnia auxilia ſufficientia, quibus poſſint peccata vitare, ſi velint. Tertio modo poſſumus intelligere, Deum peccatores obdurare, & excæcare, quaſi per accidens, ad eum modum, quo dicit Philoſophus lib. 8. Phyſic. quòd frigus per accidens comburit, ſcilicet quòd Deus faciat aliquid, vnde homo occaſionem accipiat ſeipſum obcæcandi, & magis obdurandi in peccato, licèt Deus non ea intentione id faciat, neque illud ſuapte natura ſit tale, vt per illud homo obduretur, & obcæcetur. Et hoc tertio modo dicitur peccatores obcæcare, & hoc pacto Chriſtus Iudæos miraculis, & ſua doctrina obcæcauit, quippe qui per ſuam ipſorum malitiam ex Chriſti doctrina, & miraculis occaſionem ſumpſerunt maioris cæcitatis, & obſtinationis.

Auguſtin. Ariſtot.

VIII. Ad tertium reſponderi poteſt eodem modo. aut dicendum eſt cum D. Auguſt. lib. 21. contra Fauſtum cap. 19. & Irenæo lib. 3. contra gentes c. 7. & Tertulliano lib. 5. contra Marcionem, quòd Apoſtolus per Deum huius ſæculi intelligit Diabolum, vel ſuperbiam, vel ingluuiem ventris, nam Diabolus vult à ſuis ſequacibus pro Deo coli, & Apoſtolus de quibuſdam ait, *quorum Deus venter eſt*: & ideo non dixit ſimpliciter Deus, ſed dixit, *Deus huius ſæculi*.

Auguſt. Irenæus. Tertull.

IX. In quarta ſerie referri poſſunt argumenta, quibus aduerſarij niruntur probare Deum non dare omnibus hominibus media ad ſalutem neceſſaria, ex quo antecedenti deducunt, non eſſe voluntatem Dei, vt omnes homines ſalui fiant. & conſequentia de ſe nota eſt, quia eadem eſt intentio finis, & mediorum, & qui vult finem, vult etiam media ad ipſum finem, & ſi non vult media, ſignum eſt, quòd non vult finem. Antecedens verò probatur, nam ſunt multi infantes, qui ſine propria culpa, & etiam ſuorum parentum decedunt ex hac vita ſine Baptiſmo, quibus per humanam diligentiam non potuit ſubueniri. Sunt etiam multi infideles in remotiſſimis orbis terræ partibus, ad quos nunquam peruenit prædicatio Euangelij, & conſequenter non poſſunt habere fidem, & Baptiſmum: & tamen fides & Baptiſmus ſunt homini ad ſalutem neceſſaria, apud Marcum cap. vltimo. Hoc argumentum lib. 7. eſt repetendum, nam in fine illius libri ex inſtituto monſtrandum eſt, nullum in hac vita deſtitui à Deo mediis ad ſalutem neceſſariis: ideo illius ſolutio vſque in illum locum differenda eſt, ne quæſtiones importunè præueniamus. Pro nunc verò dicendum eſt, neque infantes, neque vllum hominem, in quacunque orbis terræ parte ille exiſtat, deſtitui à Deo omnibus mediis ad ſalutem neceſſariis.

Quinto loco principaliter arguunt. Inter alia media ad ſalutem neceſſarium eſt donum perſeuerantiæ iuxta illud Euangelicum Matth. 24. *qui autem perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit.* ſed non omnibus tribuitur donum perſeuerantiæ vſque in finem, quia ſi ſic eſſet, omnes ſaluarentur. Ergo non omnibus tribuuntur auxilia ad ſalutem neceſſaria. X.

Reſpondetur, quòd nomine perſeuerantiæ duo poſſunt intelligi, vel auxilium ſupernaturale, quod Deus tribuit homini per modum actus primi ad vitanda peccata, vel ipſa actualis perſeuerantia in bono, quæ eſt actus ſecundus prouenies ab auxilio Dei ſupernaturali, & ſimul à libero arbitrio creato. Argumentum concludit, quòd non tribuitur omnibus donũ perſeuerantiæ ſecundo modo acceptum, & cum hoc ſtat, Deum tribuere omnibus hominibus donum perſeuerantiæ primo modo acceptum, ſaltem quatenus tribuere ſignificat idem quod offerre, vt dicit Auguſtinus in lib. de Natura & gratia, & colligitur ex Pſal. 36. vbi dicitur quòd *Dominus amat iudicium, & non derelinquet ſanctos ſuos.* & ex Concil. Tridentino ſeſſ. 6. de Iuſtificatione cap. 13. vbi dicitur, Deum nullum deſerere, niſi priùs ipſe deſeratur.

Auguſt. Concil. Trident.

Sed contra hanc reſponſionem eſt inſtantia. Si Deus ſemper eſt paratus tribuere homini iuſtificato auxilium ad perſeuerandum, ſequitur, homines ſemel iuſtificatos non amplius peccare, ſed perſeuerare vſque in finem. quod patet eſſe falſum. Probatur conſequentia, quia perſeuerare in Dei gratia idem eſt, quod omnia peccata vitare, qui autem habet auxilium ſpeciale perſeuerantiæ, habet auxilium ad vitanda omnia peccata. Ergo non amplius peccat. Declaratur vis argumenti. quòd homo peccet, poſtquam eſt conſtitutus in gratia, neceſſariò ſupponit, illum eſſe deſtitutum illo auxilio ſpeciali, quod Deus confert ad vitanda peccata, alioqui habens tale auxilium euitabit peccata. Ergo non homo prior deſerit Deum, ſed Deus prior deſerit hominem tali auxilio.

Reſpondetur negando ſequelam huius argumenti, qui enim habet auxilium ſpeciale ad vitanda peccata ſolùm in actu primo, non eſt neceſſe, vt vitet ipſa peccata in actu ſecundo, prius igitur eſt hominem peccare in actu ſecundo, quàm priuari auxilio ſpeciali ad perſeuerandum in actu primo. Ad cuius rei euidentiam, notandum eſt primum auxilium, quod Deus dat homini ad vitanda peccata, ea lege, & conditione illi offerri, vt ipſo diuino auxilio benè vtendo maius auxilium recipiat, & eodem benè vtendo adhuc maius accipiat, & tandem finalem accipiat perſeuerantiam: & è contrario ſi prioribus auxiliis malè vtatur, Deus non tribuat auxilia maiora, & homo labatur in peccatum, amittátque priora auxilia, nec obtineat donum perſeuerantiæ finalis. Et iſte eſt ſenſus illius parabolæ Euangelicæ hominis negotiatoris, qui vocatis ſeruis ſuis tradidit illis bona ſua, & vni dedit quinque talenta, alij duo, alij vnum, ex quibus qui talentis ſibi traditis benè vſi ſunt, maiora acceperunt, & tandem ingreſſi ſunt in gaudium Domini ſui: qui verò talento ſibi tradito abuſus eſt, priuatus eſt ipſo talento priùs accepto, & à gloria Domini ſui excluſus, vt eſt apud Matth. cap. 25. Ex qua Saluator concludit,

dit, *omni enim habenti dabitur, ei autem, qui non habet, & quod videtur habere, auferetur ab eo.* vbi quidquid intelligat per ista talenta, conueniunt omnes expositores, per talenta intelligi dona Dei, & sensum parabolæ esse, eum, qui donis diuinis bene vtitur, maiora dona accipere, & tandem finalem perseuerantiam, & ingressum in æternam Dei gloriam: illum autem, qui donis diuinis abutitur, nec cum illis proficit, deficere, & eisdem donis priuari, & ab æterna gloria excludi.

CAPVT XVI.

Alia argumenta ex autoritate D. Augustini desumpta afferuntur, & quantum valere debeat eiusdem Augustini autoritas declaratur.

1. VLtimo tandem loco argumentantur aduersarij ex autoritate D. Augustini, quæ in hac materia irrefragabilis esse debet. Ipse Augustinus vbique locorum constanter docet, Deum ex sola sua voluntate decreuisse, aliquos saluare, vt ostenderet in eis gloriam suam per modum misericordiæ, alios verò decreuisse in massa perditionis relinquere, vt exerceret in eis suum iustum iudicium, & quibusdam hominibus conferre auxilia opportuna, vt saluentur, aliis verò non conferre eadem auxilia, quibus si vellent, possent ad Deum conuerti, alios sinere mori, antequam recipiant Baptismum, vel dum sunt in peccato mortali, antequam pœnitentiam agant, & quando sunt in gratia, non illos tunc eripere ex hac vita, sed expectare, vt labantur in peccata, & tunc sinere illos mori. Immo verò aliquos facere nasci surdos, aut mutos, aut inter infideles, vbi doceri non possint, & ad fidem, & agnitionem veritatis venire. Quæ omnia efficit Deus ex ea intentione, quia ab æterno decreuit, illos non saluare. Et ne quis dicat, hanc non esse mentem Augustini, subiicienda sunt eiusdem Augustini testimonia ex variis illius libris excerpta. In lib. de Natura, & gratia cap. 8. ipse Augustinus sic ait: *Ego autem dico, paruulum natum in eo loco, vbi ei non potuit per Baptismum Christi subueniri, morte præuentum, idcirco talem fuisse, id est, sine lauacro regenerationis exisse, quia esse aliud non potuit.* in lib. 1. de peccatorum meritis, & remissione cap. 21. sic ait. *Si enim mouet, cur ex duobus paruulis, cùm ex æquo ambo sint originaliter peccatores, alius ab hoc vinculo soluitur, cui conceditur Baptismus, alius non soluitur, cui talis gratia non conceditur, cur non pariter mouet, quòd ex duobus originaliter innocentibus (ad hominem argumentatur ex concessis ab aduersario) alius accipit Baptismum quo in regnum Dei possit intrare, alius non accipit, ne ad regnum Dei possit accedere? nempe in vtraque causa ad illam exclamationem redit ur, O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei.* in lib. de Bono perseuerantiæ cap. 8. post multa eundem sensum redolentia, tandem sic concludit, *Ex duobus itaque paruulis originali peccato pariter obstrictis, cur iste assumatur, ille relinquatur, & ex duobus ætate iam grandibus impiis, cur iste vocetur, vt vocantem sequatur, ille autem aut non vocetur, aut non ita vocetur, vt vocantem sequatur, inscrutabilia sunt iudicia Dei.* & cap. 9. *Certè poterat Deus, illos præsciens esse Lapsuros, antequam id fieret, auferre de hac vita.* & cap. 10. cùm adduxisset exemplum Tyriorum & Sidoniorum, quos Saluator dixit acturos fuisse pœnitentiam, si fecisset coram eis illa signa, quæ fecit coram Iudæis, tandem in principio cap. 11. ex illo exemplo, & aliis superiùs adductis sic concludit. *Proinde sicut Apostolus ait, non volentis, neque currentis, sed miserentis est Deus, qui & paruulis, quibus vult, etiam non volentibus, neque currentibus subuenit, & quos ante constitutionem mundi elegit in Christo, daturus etiam eis gratiam gratis, hoc est, nullis eorum vel fidei, vel operum meritis præcedentibus, & maioribus etiam his, quos præuidit, si apud eos facta essent, suis miraculis credituros, quibus non vult subuenire, nõ subuenit, de quibus in sua prædestinatione occultè quidem, sed iustè aliud iudicauit.* & c. 12. *Quid dicam, quòd paruulus aliquando, antequam illi per ministerium baptizantis succurri possit, expirat, quandoque enim festinantibus parentibus, & paratis ministris, vt Baptismus paruulo detur, Deo tamen nolente non datur, qui eum paruulum in hac vita non tenuit, vt daretur. quid etiam, quòd aliquando paruulis infidelium filiis potuit, ne irent in perditionem, & filiis fidelium non potuit baptismate subueniri? vbi certè ostenditur, quòd personarum apud Deum non sit acceptio. alioqui cultorum suorum, potius quàm inimicorum filios liberaret.* Idem prosequitur Augustinus toto cap. 13. eiusdem libri, & 14. vbi inter alia sic ait de Tyriis & Sidoniis: *Vbi Tyrij relicti sunt, & Sidonij, qui etiam credere potuerunt, si mira illa Christi signa vidissent, sed quoniam vt crederent, non erat eis datum, etiam vnde crederent est negatum. Ex quo apparet, habere quosdam in ipso ingenio diuinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moueantur ad fidem, si congrua suis mentibus vel audiant verba, vel signa conspiciant; & tamen si Dei altiore iudicio a perditionis massa non sunt gratia prædestinationis discreti, nec ipsa eis adhibentur, vel dicta diuina, vel facta, per quæ possent credere, si audirẽt, vtique talia, vel viderent.* Eandem sententiã mordicus tenere videtur in lib. de Correp. & gratia, præcipuè c. 6. & 7. & 8. vbi inter alia sic scribit: *Sed etiam illud non minus mirum est, & tamen verum, atque ita manifestum, vt nec ipsi inimici gratiæ Dei, quomodo id negent, valeant inuenire, quòd filios quosdam amicorum suorum, hoc est, regeneratorum, bonorúmque fidelium, sine Baptismo hinc paruulos exeuntes, quibus vtique si vellet, huius lauacri gratiam procuraret, in cuius potestate sunt omnia, alienat à regno suo, quò parentes mittit illorum, & quosdam filios inimicorum suorum facit in manus Christianorum venire, & per hoc lauacrum introduci in regnum, à quo eorum parentes alieni sunt, cùm & illis malum, & istis bonum meritum nullum sit paruulis ex eorum propria voluntate.* & infrà: *De iis enim differimus, qui perseuerantiam bonitatis non habent, sed ex bono in malum deficiente bona voluntate moriuntur. Respondeant, si possunt, cur illos Deus, cùm fideliter & pie viuerent, non tunc de vita huius perculis rapuit, ne malitia mutaret intellectum eorum, & ne fictio deciperet animas eorum. Vtrùm hoc in potestate non habuit, an eorum mala futura nescuit. nempe nihil horum nisi peruersissimè, atque insanissimè dicitur. Cur ergo non fecit, respondeant, qui nos irrident, quando in talibus rebus exclamamus, quàm inscrutabilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius. Neque enim hoc non donat Deus, quibus voluerit, aut verò Scriptura illa mentitur, qua de morte velut immatura hominis iusti ait, raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animã illius. Cur igitur hoc tã magnum beneficiũ aliis dat, aliis non dat Deus, apud quem non est iniquitas, nec acceptio personarum, & in cuius potestate est, quandiu quisque in hac vita maneat, qua tentatio dicta est super terrã, &c.*

Augustin.

& cap. 9. dicere videtur Auguſtinus, eos, qui ab æterno fuerunt prædeſtinati, quæcunque faciant mala, tandem ad Deum reuerti, quia Deus vult illos reuerti, & ſaluari: illos verò, qui non ſunt prædeſtinati, quanuis aliquando à nobis recenſeantur inter filios Dei, nunquam tamen fuiſſe à Deo inter eius filios reputatos, & quæcunque faciant, tandem à Deo receſſuros, & in damnationem ituros. & inter alia ſic ſcribit: *Talibus Deus diligentibus eum omnia cooperatur in bonum, vſque adeo prorſus omnia, vt etiam ſi qui eorum deuiant, & exorbitant, etiam hoc ipſum eis faciat proficere in bonum, quia humiliores redeunt, atque doctiores. diſcunt enim in ipſa iſta vita cum tremore ſe exultare debere*, &c. Eadem ferè verba habet in epiſt. 105. & in lib. de Prædeſtin. & gratia cap. 3. 4. 5. 6. & in lib. de Prædeſtinat. Sanctorum cap. 8. & in lib. 4. contra Iulianum c. 8. reprobat expoſitionem illorum, qui exponunt verba Apoſtoli, *Deus vult omnes homines ſaluos fieri*, ſub hac conditione, ſi ipſi homines velint, & tum ibi, tum in aliis locis hoc eodem lib. cap. 10. allegatis ad varios ſenſus, & expoſitiones recurrit, vt non cogatur admittere, Deum vniuerſaliter velle omnes homines ſaluos fieri. & lib. 5. contra Iulianum cap. 3. docet, eum, quem Deus non prædeſtinauit, derelinquere, neque dare illi ſpiritum pœnitentiæ, ſicut dicit Apoſtolus in epiſtola 2. ad Timoth. cap. 2. *Nequando det illis Deus pœnitentiam, ad cognoſcendum veritatem, vt reſipiſcant à Diaboli laqueis.* & in epiſt. 107. dicit, *Scimus gratiam Dei non omnibus dari.* & in lib. de Corrept. & gratia cap. 11. docet, adiutorium Dei ad vitanda peccata in ſtatu naturæ lapſæ non omnibus dari. Ex quibus & aliis multis autoritatibus Auguſtini, quæ tam claræ & apertæ ſunt, vt videantur non poſſe vlla tergiuerſatione negari, euidenter colligitur, ex ſententia Auguſtini non omnes homines ſaltem ſuppoſito peccato Adæ fuiſſe ad finem æternæ gloriæ à Deo ordinatos, neque Deum ex ſe velle omnium hominum ſalutem.

II. Quoniam nonnulli Doctores etiam Catholici, licèt fateantur, ſe doctrinam Auguſtini in aliis plurimum admirari, & libenter ſuſcipere, eam tamen quam tradidit contra Pelagianos, & Semipelagianos, maximè in lib. de Prædeſtinat. non admittunt: alij verò è contrario eidem doctrinæ Auguſtini nimiùm addicti, contendunt doctrinam Auguſtini contra eoſdem Pelagianos, & Semipelagianos de gratuita Dei prædeſtinatione ita eſſe doctrinam fidei, vt quælibet ſententia ex illis libris Auguſtini excepta faciat argumentum demonſtratiuum, & irrefragabile, & quoniam ferè omnes autoritates in argumento allegatæ ſumptæ ſunt ex libris, quos Auguſtinus ſcripſit contra Pelagianos, & Semipelagianos de gratuita Dei prædeſtinatione, idcirco pro ſolutione iſtius argumenti, quod ab ipſa Auguſtini autoritate ſumitur, videntur mihi duo hîc eſſe neceſſariò declaranda. Primum eſt, quantam vim habere debeat argumentum ſumptum ex autoritate Auguſtini in libris de gratuita Dei prædeſtinatione contra Pelagianos, & Semipelagianos conſcriptis. Secundum eſt, quis fuerit ſenſus germanus, & legitimus verborum Auguſtini ab illo intentus in autoritatibus, & locis in argumento allegatis.

Circa primum tria videntur dicenda. Primum, doctrinam D. Auguſtini contra Pelagianos, & Semipelagianos de gratuita Dei prædeſtinatione traditam eſſe doctrinam fidei, contra quam nullus poſſit, niſi errando, diſputare. Probatur hæc aſſertio, quia Auguſtinus in lib. de Bono perſeuerantiæ cap. 18. inquit. *Hoc ſcio, neminem contra iſtam prædeſtinationem, quam ſecundum Scripturam ſanctam defendimus, niſi errando diſputare potuiſſe.* & cap. 23. ait, *Prædeſtinationis huius fidem, qua contra nouos hæreticos nouæ ſolicitudine nunc defenditur, nunquam Eccleſia Chriſti non habuit.* modò præterquam quod improbabile omnino eſt, Auguſtinum ſenio iam confectum nondum ſciuiſſe diſcernere inter propoſitiones de fide, & propoſitiones erroneas, & contra fidem, & aſſeruiſſe, quòd ſit propoſitio de fide, contra quam nullus niſi errando poſſit diſputare, quæ tamen non ſit aſſertio fidei, immo periculoſa in fide, & contra fidem Catholicam, ipſa doctrina Auguſtini conceptis verbis definita eſt à Cœleſtino primo in epiſtola ad Epiſcopos Galliarum cap. 2. vbi nonnullis Maſſilienſibus contra Auguſtinum, & hanc eius doctrinam de prædeſtinatione publicè obmurmurantibus iubet, vt per ipſos Epiſcopos perpetuum imponatur ſilentium. Eius verba ſunt inter alia: *Auguſtinum ſanctæ recordationis virum pro vita ſua, atque meritis in noſtra Communione ſemper habuimus: nec vnquam hunc ſiniſtræ ſuſpicionis ſaltem rumor aſperſit, quem tanta ſcientia olim fuiſſe meminimus, vt inter magiſtros optimos etiam à meis prædeceſſoribus haberetur. Benè ergo de eo omnes in communi ſenſerunt, vt pote qui vbique cunctis, & amori fuerit, & bonori.* & de aduerſariis eiuſdem Auguſtini, & peruerſo illorum dogmate ſtatim ſubiungit: *vnde & reſiſtendum eſt talibus, quos malè creſcere videmus.* & infrà, *quod ita demum probare poterimus, ſi impoſito improbis ſilentio, de tali re impoſterum querela ceſſauerit.* & cap. 3. *quia* (inquit) *nonnulli, qui Catholico nomine gloriantur, in damnatis autem hæreticorum ſenſibus ſeu prauitate, ſeu imperitia demorantes piiſſimis diſputatoribus obuiare præſumunt*, &c. Itaque ſi Cœleſtinus Romanæ Eccleſiæ Pontifex calumniatores doctrinæ D. Auguſtini de prædeſtinatione vocat plantas malè creſcentes, & improbos, quibus perpetuum ſilentium imponendum ſit, & ſectatores dogmatum peruerſorum, & damnatorum, à contrario doctrinam Auguſtini de prædeſtinatione probat, vt doctrinam ſanam, piam, & Catholicam, & de fide, cui à Catholicis non poſſit contradici. Præterea Leo primus in epiſtola ad Nicetam, Gelaſius primus in epiſtola 3. ad Honorium, & in epiſtola 5. ad Epiſcopos per Picenum, Innocentius primus, & Zoſimus primus, & Sixtus Romani Pontifices eandem Auguſtini doctrinam contra Pelagianos, & Semipelagianos tanquam Catholicam probauerunt, & ſua autoritate toti Eccleſiæ ſuſcipiendam propoſuerunt, & è contrario doctrinam Pelagianorum, & Semipelagianorum, ex quibus portio præcipua erant Maſſilienſes, & Monachi quidam de monaſterio Lirinenſi, tanquam falſam, & hæreticam dānauerunt, & illius ſtudium omnibus Catholicis interdixerunt. Præterea idem Gelaſius primus in cap. ſancta Romana 15. diſtinct. omnia opera Diui Auguſtini vt Catholica probauit, & è contrario Opuſcula Caſſiani, quæ non eſt dubium contra eandem doctrinam Auguſtini fuiſſe ab illo conſcripta, tanquam apocrypha, & falſa reiicit.

Cœleſt. I. Leo I. Gelaſius I. Innoc. I. Zoſimus I. Sixtus III.

Sunt etiam, qui dicant, & conſtanter affirmēt, Canones ſecundi Concilij Arauſicani fuiſſe per Leonem primum ex libris eiuſdem Auguſtini cōtra Pelagianos, & Semipelagianos conſcriptis exceptos, integris ſententiis, & eiſdem planè Auguſtini verbis, & ab eodem Leone primo ad ipſum

Conci

Concilium transmissos, vt nomine sedis Apostolicæ in dicto Concilio promulgarentur. quod licèt non placeat Cardinali Baronio tom.6.suorum annalium sub anno Domini 463. num.5. vbi contendit, Leonem primum biennio ante dictũ Concilium Arausicanum congregatum ex hac vita decessisse, scilicet anno 461.cùm dictum Concilium fuerit celebratum anno 463. illud tamen apud omnes certum, & constans esse debet, canones illius Concilij fuisse à sede Apostolica ad illud transmissos, vt nomine & autoritate eiusdem sedis Apostolicæ in eo promulgarentur, id enim constat ex præfatione Hilarij ad idem Concilium. Et potuit contingere, Leonem primum canones illos Archiepiscopo Arelatensi transmisisse, & iussisse, vt Synodum congregaret, & interim antequam esset congregata, ipsum Leonem ex hac vita migrasse.

Baron.

Accedit etiam ad veritatem eiusdem doctrinæ Augustini comprobandam testimonium grauissimorum Patrum, qui non solùm eam probauerunt, sed contra Semipelagianos defendendam suscepegunt, ex his fuerunt Prosper Episcopus Rhegiensis, Hilarius Episcopus Arelatensis, Fulgentius Episcopus Ruspensis in lib.1.ad Monimũ ad finem, & Petrus Diac.in lib.de Incarnatione, & gratia Christi, qui vnanimi consensu doctrinã Fausti, & Cassiani de prædestinatione contrariam doctrinæ eiusdem Augustini anathematizant, & doctrinam Augustini suscipiunt, & commendant. quid autem in commendationem eiusdem doctrinæ Augustini scripserit D. Prosper, videri potest apud illum in epistola scripta ipsi Augustino, & in alia epistola ad Ruffinum, & in præfatione libri ad capitula Gallorum, & in lib.de Gratia Christi contra Collatorem in principio, & in duplici illo epigrammate, quod habet statim post opusculum de Prouidentia.

IV. Secundò principaliter dicendum videtur, non omnia, quæ scripsit Augustinus contra Pelagianos, & Semipelagianos, aut in eorum erroribus redarguendis, aut in assertionibus Catholicis probandis, aut in locis diuinæ Scripturæ exponendis, ad fidem Catholicam ita pertinere, vt credendum sit, omnem Augustini rationem esse exactam demonstrationem, omnem responsionem esse dogma fidei, omnem expositionem locorum sacræ Scripturæ esse certam regulam, & infallibilem ipsas diuinas Scripturas interpretandi: sed illud solum esse dogma fidei, quod ipse Augustinus tanquam dogma fidei ab omnibus tenendum, & credendum pronuntiat. Probatur hæc assertio, quia multa sunt in eisdem libris Augustini contra Pelagianos, & Semipelagianos, quæ tamen salua reuerentia, quæ ipsi Augustino debetur maxima, communiter non tenẽtur. eiusmodi est illud, quod ait in lib.2.de Origine animæ cap.3.& lib.5. contra Iulianum cap.3. quæstionem de Origine animæ, & an illa sit corporea, non spectare ad rem fidei, & illud quod habet in lib.1. de Nuptiis, & concupiscentia cap.3.& 4. & lib.2.cap.3. & lib.3.contra duas epistolas Pelagianorum cap.5. & lib.4. contra Iulianum cap.3. omne opus infidelis, etiamsi sit actus virtutis, esse peccatum. & illud, quod habet in lib. de Nuptiis, & concupiscentia cap. 11. & multis aliis in locis, esse de fide, quòd circumcisio in veteri lege tolleret peccatum originale ex opere operato, quod non esse de fide, & contra communem sententiam omnium sanctorum Patrum latè probat Cardinal. Bellarminus lib. 2. de Sacramentis in genere cap. 15. & duobus sequentibus. Fatetur etiam D. Thom. de veritate q.6. art. 2. ad 9. peccatum originale ex sententia D.Augustini esse causam reprobationis: & tamen in puncto grauissimo Theologi doctrinæ Augustini sic addicti ipsum Augustinum deserunt, vt videri potest apud Caietan. 1. part. q.23. art.5. & Dominicum Bannes ibid. dub. vltimo circa secundam & tertiam conclusionem. Cumel ibid. disp.4. & Aluarez disp.109. fatetur etiam Augustinus lib.de Corrept.& gratia cap.10. Deum ante præuisum peccatum originale omnium hominum salutem exoptasse, & prædestinationem, ac reprobationem supponere præscientiam peccati originalis, quæ doctrina est frequentissima in omnibus Augustini libris, & eam ex professo defendit etiam D.Thom. 3.part. q.1. art.3. ad quartum argumentum. Et tamen non solùm hæretici, sed etiam quidam Catholici, qui profitentur se doctrinæ Augustini præcipuos defensores, cõtra tam apertam Augustini sententiam contendunt, Deum ante omnem præscientiam nostrorum operum siue bonorum, siue malorum, alios efficaciter ad gloriam elegisse, alios efficaciter à gloria excluisse, & ostensionem diuinæ iustitiæ vindicatiuæ in reprobis æquè principaliter fuisse à Deo intentam, sicut est intenta ostensio diuinæ misericordiæ in electis. Ex quibus videas, eos, qui contendunt, doctrinam Augustini de Prædestinatione, & reprobatione esse doctrinam fidei, in pũcto principali, in quo de summa rei agitur, ab ipso Augustino dissentire: videatur Aluarez disp.109. & quatuor sequentibus. Præterea certum est, in eadem doctrina August. esse nonnulla intellectu maximè difficilia, ex quibus malè intellectis hæreticos prædestinatos, quorum legitima soboles nunc sunt Caluinitæ, suum errorem hausisse, ostendimus suprà lib.2. c.3. Ad hæc sunt in eisdem libris Augustini nonnullæ quæstiones, quas ille fatetur se nescire dissoluere, & prouocat nos ad altitudinem, & incomprehensibilitatem iudiciorum diuinorum, qualis est quæstio illa de causa prædestinationis, & reprobationis comparatiuæ, quam omnino occultam esse, & se prorsus ignorare fatetur lib. 4. contra duas epistolas Pelagianorum cap.6. & in omnibus aliis libris, & præcipuè lib.6. Hypognosticon prope finem, vbi post multa ex vtraque parte allegata sic tandem concludit: *Quoniam verò hinc liquidò vtraque pars dicere nihil valemus, credamus tantùm, reum mortis ex iudicio voluntate pendere; ne quisquam autem diuino iudicio putaret fieri, non omnes homines saluari, dixit Apostolus: qui vult omnes homines saluos fieri.* Aliæ similes sunt quæstiones, quarum solutionem Augustinus fassus est, se ignorare, vt apparet in lib. de bono perseuerant. cap.15. & sequentibus. Ad hæc Dominicus Bañes loco proximè citat. fatetur rationem Augustini sumptam ex illis verbis, *Iacob dilexi, Esaü autem odio habui*: contra Pelagium solubilem esse, & Augustinum in eo modo arguendi deceptum, & hallucinatum fuisse.

Caietan. Bañes. Cumel. Aluarez. Aluarez. Augustin. Bañes.

V. Hæc autem omnia ideo adnotaui, non vt doctrinæ sanctissimi Patris Augustini detraham vllo modo, sed propter nonnullos, qui cùm se doctrinæ Augustini plurimum addictos profiteantur, in puncto principali ab illo recedunt. Et ne quis doctrinæ Augustini adeò studiosus esse velit, vt arbitretur, omnem sententiam ex libris Augustini excerptam facere autoritatem insolubilem, tãquam si esset excerpta ex libris sacræ Scripturæ, quæ nimia est religiositas contra diuinam Scripturam, cuius solius est facere autoritatem irrefragabilem,

Bellarmin.

Digitized by Google

lem, iuxta illud D. Pauli ad Roman. c. 3. dicentis, *Est autem Deus verax, omnis autem homo mendax sicut scriptum est, vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cùm iudicaris.* & certè si veræ essent istæ locutiones, & propositiones, quæ nonnunquam à sciolis in publicis cathedris & congressibus iactitantur, & venditantur. *Quidquid dixit Augustinus, quidquid dixit D. Thomas, quidquid dixit Scotus, bene dixit.* intelligere non valeo, quæ esset doctrinæ sacræ Scripturæ præ doctrinis hominum eminentia, & qua ratione Deus in sermonibus suis homini comparatus iustificaretur, & vinceret. Est etiam contra ipsum Augustinum ista nimia religiositas, qui quantam autoritatem adhiberi velit
Augus. suis scriptis, satis apertè indicat in lib. de bono perseuerantiæ c. 22. & 23. & in lib. de Natura & gratia, vbi dicit, se velle solis diuinis Scripturis canonicis autoritatem irrefragabilem adhibere, & in reliquis velle liberum esse. Puto igitur Augustinum, & alios Diuos non ficta, sed vera, & solida laude esse colendos, & laudandos: non autem nostris mendaciis, & adulationibus egere, aut delectari.

V I. Tertiò principaliter dicendum videtur, summam totius doctrinæ D. Augustini contra Pelagianos, & Semipelagianos in his dictis contineri. Primum dictum. Prædestinationem diuinæ gratiæ ex sola gratuita Dei voluntate nullis nostris meritis præcedentibus factam esse. Secundum dictum, hominem indigere supernaturali Dei auxilio non solùm, vt benè possit operari, sed etiam ad hoc, vt velit benè operari, scilicet ad hoc, vt velit benè operari, necessariò præparandam esse hominis voluntatem per supernaturale auxilium diuinæ gratiæ. Tertium dictum, ad hoc vt homo operetur, necessariò indigere supernaturali auxilio gratiæ adiuuantis. Quartum dictum, ad hoc, vt homo perseueret in bono vsque in finem, egere supernaturali dono perseuerantiæ. In his quatuor dictis comprehendi totam summam doctrinæ D. Augustini, quam ille dicit esse de fide, euidentissimè colligitur ex lib. de Natura & gratia in procœmio, vbi dicit, mẽtem suam esse in eo libro ostendere necessitatem diuinæ gratiæ aduersùs eos, qui dicunt, naturam humanam sibi soli sufficere. & in eod. lib. cap. 58. vbi dicit, inter se, & Pelagianos discrimen esse, quòd ad vincendas tentationes illi negabant, esse necessarium diuinum auxilium, quod ipse Augustinus confitebatur. Similiter illi dicebant, naturam humanam sanari posse, sine gratia Dei, non quidem qua remittuntur peccata, sed qua voluntas præparatur: Augustinus verò dicebat, etiam gratiam, qua voluntas præparatur, esse necessariam. Et in lib. de Præd. Sanctorum c. 12. vbi dicit præcipuam eius intentionem in eo libro esse docere, gratiam Dei non dari ex meritis, & in lib. de bono perseuerantiæ dicit, totum scopum totius doctrinæ de prædestinatione esse, subuertere illũ perniciosissimum errorem, quòd gratia Dei detur secundùm merita, & hortari homines, vt spem salutis ponant in Deo, non in seipsis, & initium nostræ salutis, & perseuerantiã in bono esse ex Deo. c. 21. & 23. & in lib. 1. de Gratia Christi c. 47. fatetur, quòd si Pelagiani concedant, non solùm posse bene operari, inesse homini à Deo, sed etiam ad hoc, vt velit benè operari, necessariò debere voluntatem hominis per diuinam gratiam præparari, cùm homo actu benè operatur, indigere gratia Dei adiuuante, ita ut ad benè volendum præparetur voluntas per Dei gratiam, & eadem per Dei gratiam adiuuetur, nulla ampliùs sibi relinquitur cum Pelagianis controuersia de adiutorio diuinæ gratiæ. ex his facilè colligi potest, quid in doctrina Augustini de prædestinatione sit de fide, & quid non.

CAPVT XVII.

Quis sit sensus verus ab Augustino in locis allegatis intentus, explicatur.

VT verum, ac legitimum sensum ab Augusti- I.
no in locis citatis intentum percipiamus, quædam notanda sunt. Et primò obseruandum est, quod cap. præcedenti admonuimus, non omnes sententias Augustini ex libris contra Pelagianos, & Semipelagianos depromptas, facere argumentum firmum, & irrefragabile ad aliquam veritatem Catholicam comprobandam. nam Augustinus multa scripsit, aduersariorum sententias referendo, vel ex concessis ab aduersariis contra illos arguendo, aut argumenta illorum retorquendo, aut deducendo ad inconueniens, quæ siue essent vera, siue non, ibi loci opus non erat diligentiùs examinare, sufficiebat enim, vt ex illis ab aduersario concessis, tanquam veris, ipsum aduersarium redargueret, & conuinceret per necessariam argumentationem, & consequentiam. Eiusmodi sunt multa, quæ scribit contra Origenistas lib. 1. de peccatorum meritis, & remissione cap. 20. & 21. Eiusmodi est illud, quod scribit in libro de sex quæstionibus Paganorum q. 2. dicens contra Porphyrium, Christum tunc, & illuc in mundum venisse, vbi, & quando sciebat futuros esse, qui in illum essent credituri, quod in lib. de prædest. Sanctorum c. 9. & in lib. de bono perseuerantiæ cap. 9. fatetur se dixisse sine præiudicio latentis consilij diuini, & aliarum causarum, & solùm attendisse in ea q. 2. illud, quod conuincendæ Paganorum perfidiæ sufficere videbatur. Idem obseruandum est apud August. in allegandis autoritatibus diuinarum Scripturarum. Solet enim vnum, & eundem locum secundùm varios sensus iuxta varias occasiones allegare, ex qua allegatione colligi non potest, Augustinum potius iuxta hunc sensum, quàm illum voluisse autoritates diuinæ Scripturæ esse intelligendas.

Secundò notandum est, testimonia illa Augu- II.
stini perperam, & sine fructu ab aduersariis allegari. Neque enim ex illis probare possunt, quod intendunt. quia illi intendunt probare, Deum ante præuisa bona, vel mala nostra opera aliquos efficaciter elegisse ad gloriam, alios efficaciter à gloria exclusisse, & æquè principaliter intendisse ostendere suam vindicatiuam iustitiam in reprobis, sicut intendit ostendere suam gloriam in electis, sicut patet ex locis Caluini, & Bezæ superiùs allegatis, & videri potest ex his, quæ scribit Aluarez disp. 109. & quatuor sequentibus. Sed Augustinus non solùm id non docuit, sed nec somniauit quidem. nam constantissimum est in doctrina Augustini, prædestinationem, & reprobationem supponere peccatum originale, quia prædestinare secundùm illum nihil aliud est, nisi hominem de massa perditionis misericorditer liberare. vnde prædestinationem semper vocat aut propositum miserendi, aut præparationem beneficiorum Dei, quibus homines liberantur de massa perditionis, vt lib. sequenti copiosiùs ostendemus. Et dato, & non concesso, quòd in sententia Augustini Deus
Aluarez.

aliquos

aliquos elegerit ad gloriam ante præuiſa illorum merita, illud tamen certum eſt in eadem Auguſtini opinione, nullum fuiſſe à Deo reprobatum ante præuiſa demerita, ſaltem, ante præuiſum peccatum originale. Ita Auguſtinum intellexerunt omnes Theologi, maximè D. Thomas de veritate q. 6. a. 2. ad 9. Scot. Caietan. Dominicus Soto, Bañes & alij. quare inutilis eſt labor, quem aſſumpſit Aluarez diſp. 110. contendens, ex ſententia D. Thomæ nullâ dari cauſam reprobationis ex parte reprobi, & ſimul contendens idem ſenſiſſe D. Auguſtinum: hoc enim nihil aliud eſt, niſi vellè conciliare eos, qui ex propria ſententia fatentur ſe velle eſſe diſcordes, ſi D. Thom. ita ſenſit.

D. Thom. Bañes. Aluarez.

III. Tertiò obſeruandum eſt, ſenſum, quem ex verbis Auguſtini accipiunt aduerſarij, accepiſſe olim Maſſilienſes, & alios Semipelagianos, ſicut facilè colligitur ex epiſtolis Proſperi, & Hilarij ad Auguſtinum, & ex lib. Auguſtini ad articulos ſibi falsò impoſitos, & ex lib. Proſperi ad Capitula Gallorum. dicebant enim Maſſilienſes, ſenſiſſe Auguſtinum, quod illi, qui non ſunt à Deo ad vitam prædeſtinati, etiamſi ſuſcipiant Baptiſmum, & aliquando iuſtè viuant, nihilominus tandiu reſeruãtur in hac vita, donec ruant in peccatum, & tunc auferuntur ex hac vita, & pereunt. Itẽ quòd Deus non vult omnes homines ſaluos fieri, ſed ſolùm certum quendam numerum, & quòd non omnes vocat ad gratiam, & quòd non prædeſtinatis, etiamſi det gratiam, non vult dare perſeuerantiam, quia non ſunt ex maſſa perditionis per diuinam prædeſtinationem diſcreti. Item quòd Chriſtus non ſit pro ſalute totius mundi crucifixus, quòd non omnes homines ſunt à Deo creati, vt vitam æternam conſequantur, quòd qui Euangelicæ prædicationi non credunt, ex Dei prædeſtinatione non credunt. Cùm autem has aſſertiones ipſe Auguſtinus, & Proſper doctrinæ Auguſtini diligentiſſimus inueſtigator, & acerrimus propugnator in dictis libris tanquam falſas, erroneas & à diuina pietate prorſus alienas reiiciant, euidens eſt, hunc ſenſum, quem aduerſarij in eorum argumẽto ex verbis Auguſtini accipiunt, ab ipſo Auguſtino nunquam fuiſſe meditatum. Quòd autem Auguſtinus & Proſper hunc ſenſum ab aduerſariis acceptum, vt falſum, & erroneum reiiciant, probatur primò ex verbis Auguſtini in dicto lib. ad Articulos ſibi falsò impoſitos ad ſecundum vbi ſic ait: *Remota ergo hac diſcretione, quam diuina ſcientia intra ſecretum iuſtitiæ ſuæ continet, ſinceriſſimè credendum eſt, atque profitendum, Deum velle, vt omnes homines ſaluifiant. Si quidem Apoſtolus, cuius iſta eſt ſententia, ſolicitè præcipit, quòd in omnibus Eccleſiis piiſſimè cuſtodiatur, vt Deo pro omnibus hominibus ſupplicetur: ex quibus quòd multi pereunt, pereuntium eſt meritum, quòd multi ſaluantur, ſaluantis eſt donum. vt enim reus damnetur, inculpabilis eſt Dei iuſtitia; vt autem reus iuſtificetur, ineffabilis Dei gratia eſt.* & in reſponſione ad 2. 12. vbi ait: *illi autem, de quibus dicitur, ex nobis exierunt, ſed non fuerunt ex nobis, ſi enim fuiſſent ex nobis, manſiſſent vtique nobiſcum, voluntate exierunt, voluntate ceciderunt: & quia præſciti ſunt caſuri, non ſunt prædeſtinati. eſſent autem prædeſtinati, ſi eſſent reuerſuri, & in ſanctitate, & veritate vita manſuri. Ac per hoc prædeſtinatio Dei multis eſt cauſa ſtandi, nullis autem labendi.*

Auguſtin.

IV. Probatur etiam ex verbis D. Proſperi ad Capitula Gallorum. nam ad ſecundum ſic dicit: *Qui ab originali per Baptiſmum eſt ablutus, & recidit, & damnatur, non damnatur propter originale, ſed propter peccata actualia, in quibus decidit, quod quia Deus præſcientiam nec tenuit, nec fefellit, ſine dubio talem nunquam elegit, nunquam prædeſtinauit, & perituram nõ-quam ab æterna damnatione diſcreuit.* & in reſponſione ad tertium dicit, *quod qui prolapſi in mala ſine correptione pœnitentiæ defecerunt, non ex eo neceſſitatem pereundi habuerunt, quia prædeſtinati non ſunt; ſed ideo prædeſtinati non ſunt, quia tales futuri ex voluntaria prauaricatione præſciti ſunt.* & infrà, *non enim relicti ſunt, vt relinquerent Deum: ſed reliquerunt, & relicti ſunt, & ex bono in malum propria voluntate mutati ſunt.* & ad ſeptimum. *Quia illos ruituros propria ipſorum voluntate præſcuit, & ob hoc à filiis perditionis nulla prædeſtinatione diſcreuit.* & ad octauum, *Omnium hominum cura eſt Deo, & nemo eſt, quem non aut Euangelica prædicatio, aut legis teſtificatio, aut ipſa etiam natura conueniat.* & ad nonum exponens, quomodo Saluator pro redemptione totius mundi ſit crucifixus, adducit illud Euangelij, *In propria venit, & ſui eum non receperunt, quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri,* &c. cui teſtimonio ſubiunxit, *Diuerſa ergo ab iſtis ſors eorum eſt, qui inter illos cenſentur, de quibus dicitur, Mundus eũ nõ cognouit, vt poſſit ſecundum hoc dici, Redemptor mundi dedit pro mundo ſanguinem ſuum, & mundus redimi noluit, quia lucem tenebræ non receperunt, quibus dicit Apoſtolus: Fuiſtis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* & ad 12. *Vires ergo obedientiæ non ideo cuiquam ſubtraxit, quia eum non prædeſtinauit: ſed quia receſſurum eſſe ab ipſa obedientia præuidit, ideo eum non prædeſtinauit.* Legantur verba eiuſdem Proſperi in eodem libro ſententia 2. 3. 5. 7. 8. 9. 11. & 13.

Præter hæc videri poteſt idem Auguſtinus in epiſtola 105. vbi dicit: *Quærimus cauſam prædeſtinationis, nec inuenimus. quærimus cauſam reprobationis, & inuenimus.* & infra in eadem epiſtola, *Cur autem illum potius, quam illum liberet, aut non liberet, ſcrutetur qui poteſt iudiciorum eius tam magnum profundum, verumtamen caueat præcipitium, nũquid enim eſt iniquitas apud eum? abſit. Sed inſcrutabilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius, & in maioribus duntaxat ætatibus diu poteſt, hi noluerunt intelligere, vt bene agerent, hi quod grauius eſt, intellexerunt, & non obedierunt.* & lib. 1. ad Simplician. q. 2. circa medium, vbi ait, *Multi ſunt vocati, pauci verò electi, vtique hi, qui vocantem non contempſerunt, ſed credendo ſecuti ſunt.* Eandem doctrinam habet de prædeſtin. & gratia cap. 15. cuius verba referuntur à Gratiano in capitulo Nabuchodon. 23. q. 4. ex quibus omnibus Solis luce clariùs apparet, teſtimonia illa ab aduerſariis in argumento allegata, etſi in ſuperficie aliquid rigoroſitatis præ ſe ferãt, alium tamen ſenſum continere ab illo, quem arguentes intendunt, neque fuiſſe vnquam mentem Auguſtini, Deum pro ſolo beneplacito ſuæ volũtatis ante præuiſa hominum bona, vel mala merita aliquos efficaciter ad gloriam elegiſſe, & ob id eis præparaſſe gratiam, & perſeuerantiam vſque in finem, alios verò efficaciter excludere voluiſſe à beatitudine, & propter hoc voluiſſe permittere eos labi in peccata, & negauiſſe illis vocationem congruam, & donum perſeuerantiæ, vt poſſet in eis ſuam iuſtitiam vindicatiuam iuſtè exercere. Alioqui ad ſententiam Auguſtini ſequerentur neceſſariò obiectiones, & abſurditates illæ, ad quas illum deducebant Maſſilienſes: quia quamuis dicere potuiſſet Auguſtinus, Deum non priùs punire hominem, quàm ipſe homo ſit peccator, negare tamen

V. Auguſtin.

VI.

tamen non posset, Deum permittere peccata ex intentione, vt haberet eos, in quibus suam iustitiam vindicatiuam exerceret, & eadem intentione negare illis congruam vocationem, neque auferre illos ex hac vita, cùm sunt in gratia constituti, vt haberet, quos posset punire.

Dicetur, sicut nonnulli dicunt, Deum ante præuisa peccata non intendisse suam iustitiam punitiuam in reprobis ostendere, & exercere, sed solùm voluisse illos excludere à gloria, & permittere labi in culpá. Sed isti sic respondendo suá ipsorum sententiam destruunt, nam secundùm hanc responsionem sequitur, bonum iustitiæ vindicatiuæ, & ostensionem diuinæ gloriæ per modum iustitiæ punitiuæ non fuisse intentam à Deo principali intentione ante præuisa illorum mala opera, sicut illi dicunt. Deinde vel Deus ob aliquem finem voluit reprobos excludere efficaciter à gloria, & permittere labi in peccata ante præuisa illorum merita, vel non. Si ob nullum finem, certè illorum positio omnino irrationabilis est. Si ob aliquem finem, ostendant illum. certè nullum alium ostendent, nisi finem ostensionis diuinæ iustitiæ punitiuæ. Ergo velint, nolint, in eadem absurda recurrunt, & illorum responsio aliud nihil esse videtur nisi propriæ sententiæ occultatio ad inuidiam declinandam.

VI. Quartò obseruandum est, testimonia Augustini in argumento allegata, etiam prout iacent, sensum verum, & legitimum habere. Quis autem sit huiusmodi sensus, sequentibus dictis facilè declaratur. Primò nanque supponit Augustinus, Deum voluntate efficaci nullum prædestinasse, aut reprobasse ante præuisum peccatum originale. Secundò docet, per prædestinationem homines liberari de massa perditionis, in quam totum genus humanum confluxit per peccatum Adæ, & è contrario reprobari nihil aliud esse, nisi hominem relinqui à Deo in massa perditionis; & per massam perditionis non intelligit peccatum originale, sicut credebant Massilienses, sed intelligit totam massam damnationis, sicut exponit D. Prosper ad Capitula Gallorum ad tertium. Et ideo siue reprobi mundentur à peccato originali, siue non, finaliter non liberantur de massa perditionis. Tertiò dicit, eos, qui liberantur, sola misericordia Dei liberari, non autem propter sua merita. Quartò inquit, eis, qui liberantur, dari vocationem congruam, & donum perseuerantiæ, vsque in finem, & illos expectari, & patienter tolerari, quando peccant, vt resipiscát à peccatis, & è contrario eis, qui non liberantur de massa perditionis, non conferri vocationem congruam, & non dari donum perseuerantiæ, & quando sunt in gratia, morte non præueniri, antequam relabantur in peccata, & non impediri secundas causas, vt illos non eripiant ex hac vita, quando nondum sunt baptizati, vel quando sunt in peccato mortali. Hæc omnia verissima sunt, nec possunt nisi ab homine in hac parte ignorante negari: sed hæc dicere nihil aliud est dicere, nisi Deum non velle voluntate efficaci omnes homines saluari, quoquo modo illi viuant, & cuicunque secundarum causarum dispositioni illi substent. cum quo non repugnat, Deum voluntate antecedenti, quátum est ex se saltem affectu simplicis complacentiæ inefficaci velle omnes homines saluos fieri.

VII. Vnde vt singula perstringendo formalem solutionem adhibeamus, argumento aduersariorum respondetur, autoritates D. Augustini in argumento allegatas duobus modis exponi posse respectu eorum, qui non saluantur, vno modo de actu voluntatis diuinæ antecedenti, & inefficaci: alio modo de actu voluntatis diuinæ consequenti, & efficaci. Aut sub aliis verbis duobus modis eadé autoritates intelligi posse, vno modo in sensu affirmatiuo, & tunc erit sensus, quòd quia Deus aliquos decreuit efficaciter excludere ab æterna gloria, ideo non vult, vt in tempore accipiant Baptismum, & prædicetur eis Euangelium, & veniant ad fidem, & si aliquando sunt in gratia, consultò illos seruat in hac vita, donec labantur in peccata, & tunc illos eripit, quia ad pœnam prædestinauit. Alio modo possunt intelligi in sensu negatiuo, & tunc erit sensus, quòd quia Deus non omnes efficaciter ad gloriam prædestinauit, ideo illos, qui non sunt prædestinati, aut non seruat in vita, donec accipiant Baptismum, aut cùm sunt in gratia, non tenet eos, neque eripit, antequam in peccata labantur, nec tribuit eis donum efficax perseuerá-tiæ, non tamen denegando illis auxilia sufficientia ad salutem. Primum sensum ex verbis Augustini exceperunt arguentes, quem sensum acceperunt etiam Massilienses, immo & hæretici Prædestinati, qui ex doctrina Augustini iuxta hunc sensum accepta suam hæresim extruxerunt, vt dictum est lib. 2. cap. 3. & colligitur ex Concilio Valentino sub Lothario Imperatore, & iis quæ scribit Sigibertus in Chronica sub anno 415. & Baronius tom. 6. sub anno 490. num. 17. & Nicolaus Sanderus lib. 7. visibilis Monarchiæ hæresi 101. Hunc autem sensum nec Augustinus intendit, neque vllus Catholicus videtur posse legitimè cum Augustino intendere, nisi qui aut cum Massilienses voluerit doctrinam Augustini calumniari, aut cum hæreticis Prædestinatis ex eadem Augustini doctrina ad prauos sensus distorta errores sibi fabricare. Sunt igitur autoritates Augustini intelligé-dæ iuxta secundum sensum negatiuum, quem Augustinum intendisse, satis constat ex locis proximè allegatis. & licèt illius verba aliquam duritiem nonnunquam præ se ferre videantur, cùm constet de vero, ac legitimo illorum sensu, non est in superficie verborum vis facienda, nisi quis sub prætextu commendandi doctrinam Augustini rem suam agere velit, quod eo maximè fieri debet, cùm constet Augustinum sæpe in refutandis Pelagianorum erroribus totum fuisse, ita vt aduersarij putauerint, illum in arguendo modum excessisse, & prætextu diuinam gratiam commendandi liberum hominis arbitrium nimis extenuasse, vt constat ex his, quæ ille scribit in initio libri de Gratia, & libero arbitrio, & lib. 4. contra Iulianum c. 8. & lib. 5. c. 9. & lib. 1. de Origine animæ c. 15.

Conc. Val. Sigibertus. Baronius. Sanderus. Auguſt.

VIII. Cùm autem hæc certissima sint in doctrina Augustini, dubium tamen adhuc remanet insolutum, quod illius animum semper malè torsit, cuiúsque solutionem semper confessus est se ignorasse. Dubium est, cur cùm sit eadem sors omnium hominum, & cùm omnes homines in Adam confluxerint in vnam massam perditionis, Deus ex illa massa potius liberet hunc, quàm illum, & istũ prædestinet ad gratiam, & gloriam, illum verò reprobet, & derelictum in massa perditionis destinet ad pœnam. Ad hoc dubium visus est aliquando respondere, eos, qui non liberantur, præuisos fuisse impœnitentes, & rebelles Deo futuros esse, & hanc responsionem videtur attulisse in locis proximè citatis ex epistola 105. & q. 2. primi libri ad Simplicianum, & in lib. Responsionum ad articulos sibi falsò impositos ad secundum & 12. &

Prosper

Proſper in locis allegatis ex lib. Reſponſionum ad capitula Gallorum. Verùm etſi hæc reſponſio in adultis locum habere poſſit, non tamen habet locum in paruulis, qui decedunt ex hac vita antequam perueniant ad vſum rationis, niſi quis recurrat ad illam abſurditatem ab Auguſtino refutatam, illos paruulos, qui damnantur, reprobatos fuiſſe propter peccata, quæ Deus præuidit illos facturos fuiſſe, ſi diutius vixiſſent, & ad ætatem adultam peruenìſſent. Ad hoc igitur dubium reſpondendo Auguſtinus duo ſemper conſtanter docuit, ſcilicet eſſe quidem huius diſcretionis cauſam æquiſſimam in diuina præſcientia, illam tamen ab homine in hac vita conſtituto prorſus ignorari. ita habet in lib. 83. qq. q. 68. dum ait: *Sed iſta Dei voluntas iuſta eſſe non poteſt, venit enim de occultiſſimis meritis.* & in epiſtola 105. dum inquit, *cur ille credat, ille non credat, cùm ambo idem audiunt, etſi miraculũ in eorum cõſpectu fiat, ambo idem vident; Altitudo eſt diuitiarum ſapientiæ Dei, cuius inſcrutabilia ſunt iudicia, & apud quem non eſt iniquitas, dum cuius vult, miſeretur, & quem vult indurat. Neque enim propterea ſunt iſta iniuſta, quia occulta.* & de præd. Sanctorum cap. 9. vbi dicit: *Cur iſtum potiùs, quàm illum liberet, inſcrutabilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles vie eius. melius enim & hìc audimus, & dicimus, Tu quis es ô homo, qui reſpondeas Deo, quàm dicere audeamus, quaſi nouerimus, quod occultum eſſe voluit, qui tamen aliquid iniuſtum velle non potuit.* & cap. 14. vbi dicit: *Cur autem hic tenuerit eaſurum iuſtum, quem, priuſquam caderet, hinc poſſet auferre, iuſtiſſima omnino, ſed inſcrutabilia ſunt iudicia eius.* & de bono perſeuerantiæ cap. 8. vbi ait: *Cur in eadem cauſa me potius, quàm illum puniet, aut illum quàm me potius liberabit, non dico ſi quæris, quare, quia fateor me nõ inuenire, quod dicã. ſi & hoc quæris, quare quia in hac re ſicut iuſta eſt ira eius, ſic æterna eſt miſericordia eius, ita inſcrutabilia ſunt iudicia eius.* & c. 10. *Quibus*, inquit, *non vult ſubuenire non ſubuenit, de quibus in ſua prædeſtinatione occultè quidem, ſed iuſtè aliud iudicauit.* Videatur idem Auguſtinus de ſpiritu & litera cap. 33. & 34. & iſti quidem modi dicendi indicant, præter peccatum originale, & præter ſimplicem Dei voluntatem, ſubeſſe in diuina præſcientia aliquas cauſas occultas, ob quas hunc potiùs, quàm illum liberat de maſſa perditionis. Si enim hæc diſcretio in ſolam Dei voluntatem ex ſententia Auguſtini referenda eſſet, non diceret, huiuſmodi cauſam occultam eſſe, & inſcrutabilem, cùm ſit cauſa vnicuique peruia, & notiſſima: ſed hæc longiùs proſequi non eſt præſentis inſtituti, quæ enim hìc dicta ſunt, eo ſolùm tendunt, vt oſtendatur, ſecundùm Auguſtinum, & ſecundùm rei veritatem, Deum etiam ſuppoſito peccato Adæ velle omnium hominum ſalutem ſaltem voluntate antecedenti inefficaci, & omnes homines per Dei prouidentiam fuiſſe ordinatos in finem ſupernaturalem æternæ beatitudinis.

Auguſt.

CAPVT XVIII.

Controuerſia quarta proponitur, an ordo Prouidentiæ diuinæ ſit omnino immutabilis.

I. PRo complemento huius tractationis de diuina prouidentia videndum eſt, an ordo diuinæ prouidentiæ ſit omnino immutabilis. In qua controuerſia duo dubia ſunt examinanda, & ſoluẽda. Primum, an ipſe ordo per prouidentiam diuinam in rebus conſtitutus poſſit mutari. Secundum, vnde proueniat ipſa immutabilitas ordinis diuinæ prouidentiæ. Primum expendemus in hoc capite. Secundum in ſequentibus.

Circa primum dubium aduertendum eſt, illud à nonnullis Theologis ſub aliis verbis proponi, nimirum vtrùm aliquid poſſit exire ab ordine diuinæ prouidentiæ. Et quidem circa hoc dubium varietas opinionum eſt inter Doctores Catholicos potiùs de nomine, & modo loquendi, quàm de re, quæ nihilominus omittenda non eſt, quia in re grauiſſima etiam legitimus, & proprius dicendi modus eſt attendendus. Eſt verò ante omnia notandum, ordinem diuinæ prouidentiæ duobus modis accipi poſſe, vno modo, vt eſt in Deo ordinante, & hoc modo nulli dubium eſt, ordinem diuinæ prouidentiæ immutabilem eſſe, ſicut non eſt dubium, Deum mutari non poſſe, dicente Apoſtolo Iacobo, *apud quem non eſt tranſmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.* Alio modo, vt eſt in rebus ordinatis, & prouiſis, qui ordo ſub alio nomine à Philoſophis vocatur Fatum: vnde inquit Boëtius lib. 4. de Conſolatione, *Fatum eſt ab immobilibus prouidentiæ proficiſcens actus, futuráque hominum indiſſolubili neceſſitate obſtringens.* ex quo loco nonnulli talem fati definitionem eliciunt, *Fatum eſt inhærens rebus mobilibus immobilis diſpoſitio, per quam ſuis quæque prouidentia nectit ordinibus.* quæ eſt definitio Boëtij lib. 4. de Conſolat. proſa ſexta & de ordine diuinæ prouidentiæ hoc ſecundo modo accepto eſt dubium præſens.

Boëtius.

II. Et quidem antiqui Philoſophi, qui mundum fatali neceſſitati ſubdiderunt, abſolutè dixerunt, huiuſmodi ordinem ita immobiliter omnibus rebus inhærere, vt & contingentiam, & humanam libertatem penitus euertat, vt ſecundò lib. oſtendimus. quæ ſententia eſt falſa, & erronea, quemadmodum ex ibid. dictis apparet. Ex Catholicis Molina referente Nazario 1. part. q. 22. art. 1. controu. vnica §. 1. tribuit Boëtio, & D. Thom. illos erraſſe in fide, aſſerentes ordinem diuinæ prouidentiæ quoad aſſecutionem finis eſſe immobilem, & indiſſolubilem, & fatum eſſe infallibilem executionem talis ordinis, qui eſt per Dei voluntatem efficaciter prædefinitus. Quam ſententiam ille putat falſam, ſi ſecludamus diuinam præſcientiam, qua Deus præuidet, quid ex tali prædefinitione per liberum hominis arbitrium ſit euenturum, aut non euenturum, ſed Molina licèt dicat, quòd aſſerere, odinem diuinæ prouidentiæ eſſe certum, immutabilem, & indiſſolubilem quoad finis aſſecutionem ex ſolo diuino decreto ante omnem præſcientiam vſus liberi arbitrij, ſit ſententia falſa, & contra diuinam Scripturam, hanc tamen ſententiam non imponit D. Thomæ, neque arbitratur legitimè eam illi poſſe imponi, ſed ab ea illum vendicat, & affirmat, Catholicam ſentẽtiam tenuiſſe, vt infrà monſtrabitur. & licèt Molina hunc errorem Boetio impoſuiſſet, non ille primus hoc dixiſſet, nam Iulius Sirenius lib. 3. de Fato cap. 9. ex profeſſo contendit, Boëtium loco citato errorem antiquorum Philoſophorum ſecutum fuiſſe, quod probat tribus rationibus, quæ apud illum videri poſſunt. Et quanuis dicat, D. Thomam prima part. quæſtione 116. & lib. 3. contra Gentes, cap. 93. piè, & Catholicè conatum fuiſſe mentem Boëtij interpretari, negat

Molina. Nazarius. Iulius Sir.

gat tamen huiuſmodi interpretationem eſſe ad mentem eiuſdem Boetij, licèt fateatur eſſe doctã, & Catholicam, & piam.

Recentiores Theologi diſtinguunt hîc de duplici ordine prouidentiæ, altero particulari, altero verò vniuerſali, quorum primus procedit per cauſas particulares, ſecundus per cauſam vniuerſalem. primum dicunt eſſe mutabilem, ſecundum omnino immutabilem. & videtur fuiſſe mens D. Thomæ in 1. d. 40. q. 1. art. 2. vbi Capreol. q. 1. art. 1. concluſ. 2. & 1. part. quæſt. 103. art. 3. in corpore, & ad primum, & ſecundum, & art. 8. D. Thom.

III. Iuxta ea, quæ dicta ſunt circa primam controuerſiam huius quinti libri, videtur diſtinguendum de ipſo ordine diuinæ prouidentiæ, poteſt enim dupliciter concipi, vno modo quoad diſpoſitionem rerum, & præparationem mediorum ad aſſequendum finem, & hoc modo ordo diuinæ prouidentiæ ſemper eſt immobilis: alio modo poteſt conſiderari non ſolùm quoad diſpoſitionem rerum, & præparationem mediorum, ſed etiam quoad aſſecutionem finis, ad quem res ſunt per diuinam prouidentiam ordinatæ, & hoc ſecundo modo conſiderato ordine prouidentiæ adhuc diſtinguere oportet, nam poteſt ipſe ordo diuinæ prouidentiæ cõſiderari, vt reſpicit aſſecutionem huius, aut illius finis particularis; aut vt reſpicit aſſecutionem finis vniuerſalis. Primo modo non eſt dubium, ordinem diuinæ prouidentiæ ſaltem ſecundùm generalem prouidentiæ rationem non eſſe omnino immutabilem, & res poſſe hoc modo exire ab ordine, quem diuina prouidentia in rebus ipſis conſtituit, ſicut certum eſt, non pertinere ad generalem prouidentiæ rationem aſſecutionem huius, aut illius finis particularis, vt prima controuerſia dictum eſt. Dixi autem notanter, ſecundùm generalem rationem prouidentiæ, quia ſecundùm ſpecialem rationem talis prouidentiæ, qualis, v.g. prædeſtinatio eſt, aliter dicendum eſt. ſicut enim de ratione intrinſeca huius prouidentiæ ſpecialis, quæ eſt prædeſtinatio, eſt aſſecutio finis, ad quem res ſunt per talem prouidentiam ordinatæ, vt dicemus lib. ſequenti: ita ordo huius prouidentiæ ſpecialis, quæ dicitur prædeſtinatio, eſt omnino immutabilis, neque res poſſunt vllo pacto exire ab hoc ordine diuinæ prouidentiæ.

IV. Si autem loquamur de ordine prouidentiæ quoad aſſecutionẽ finis vniuerſalis, adhuc diſtinguere oportet, nam duobus modis res ſunt ordinatæ per diuinam prouidentiam ad aſſecutionem finis vniuerſalis, vno modo ſecundùm primariam Dei intentionem: alio modo iuxta ſecundariam intentionem. Siue ſub aliis terminis, ordo diuinæ prouidentiæ, per quem res ſunt ordinatæ in finem vniuerſalẽ duplex eſt, alter intentus à Deo primaria intentione, & volũtate antecedẽte: alter intentus à Deo ſola ſecũdaria intẽtione, & ſola volũtate cõſequẽte. Si loquamur de ordine intẽto ſecundùm primariã intentionẽ, ille non eſt omnino immutabilis, & res poſſunt ab hoc ordine exire etiam reſpectu finis vniuerſalis. ratio eſt, quia res hoc modo non ſunt ordinatæ ad aſſecutionem finis vniuerſalis, niſi mediãte aſſecutione finis particularis. Sicut ergo res poſſunt deficere ab aſſecutione finis particularis; ita poſſunt ſecundùm hunc ordinem deficere ab aſſecutione finis vniuerſalis. Si autem loquamur de ordine intento per diuinam prouidentiam, vel ſecundùm primariam intentionem, vel ſaltem iuxta ſecundariam intentionem, abſolutè dicendum eſt ordinem diuinæ prouidentiæ eſſe immutabilem quoad aſſecutionem finis vniuerſalis, & reſpectu eiuſdem finis res nullo modo poſſe exire ab ordine diuinæ prouidentiæ. In hoc ſenſu vera eſt, & Catholica doctrina Boetij de Fato, & legitima expoſitio, quam variis in locis eidem doctrinæ adhibuit D. Thom. eſt enim expreſſa doctrina eiuſdem D. Tho. de veritate q. 3. art. 2. communiter à Theologis recepta: omnes enim dicunt, quod res non poſſunt omino exire ab ordine diuinæ prouidentiæ, quia dum exeunt ab vno ordine, in alium recurrunt, & dum exeunt ab ordine intento ſecundùm primariam intentionem, recurrunt in ordinem intentum, iuxta ſecundariam intentionem. Iuxta ſenſum huius doctrinæ ait D. Thom. 1. part. quæſt. 103. art. 7. quòd licèt multa eueniant à caſu præter intentionem ſecundarum cauſarum, nihil tamen euenit à caſu, & præter intentionem reſpectu primæ cauſæ, adeò quòd omnia perſtringendo, Primò dicendum eſt, ordinem diuinæ prouidentiæ eſſe immutabilem quoad diſpoſitionem rerũ ordinabilium, & præparationem mediorum. Secundò eundem ordinem non eſſe immutabilem quoad aſſecutionem huius, aut illius finis particularis. Tertiò eundem ordinem non eſſe immutabilem quoad aſſecutionem finis vniuerſalis ſecundùm primariam Dei intentionem. Quartò eundem ordinem eſſe immutabilem quoad aſſecutionẽ finis vniuerſalis, vel ſecundum primariã, vel ſaltem iuxta ſecundariam intentionem à Deo intentum. D. Thom.

V. Iuxta hanc doctrinam ſolui poteſt illa quæſtio, quam Caiet. 1. part. quæſt. 22. art. 4. putat inſolubilem, & ab humano ingenio ſaltem pro hac vita incomprehenſibilem, quam ob cauſam hortatur omnes, captiuare intellectum ſuum in obſequium fidei, & conquieſcere in altitudine inacceſſibili veritatis occultæ, non in euidentia veritatis inſpectæ. Quæſtio eſt, vtrùm diuina prouidẽtia ſit euitabilis, aut ineuitabilis. Ad hanc quæſtionem multa dicit Caietanus, & multo plura recentiores, in eius ſententia aut impugnanda, aut explicanda, & defendenda, quæ eandem omnino habet ſolutionem. nam ſi loquamur de euitabilitate, aut ineuitabilitate, comparatione finis particularis, aut etiam finis vniuerſalis, ad quem res ſunt ordinatæ ſecundùm ordinem intentum à Deo primaria intentione, concedendum eſt, diuinam prouidentiam eſſe euitabilem. Si autem loquamur de ineuitabilitate comparatione finis vniuerſalis, ſecundùm quod res ſunt à Deo ordinatæ, vel ſecundùm ordinem primaria intentione volitum, & intentum, vel ſaltem ſecundùm ordinem intentum ſecundaria intentione, abſolutè dicendum eſt, diuinam prouidẽtiam eſſe omnino ineuitabilem: Deus enim per ſummam ſapientiam, & efficaciſſimam voluntatem ita res ordinauit in vltimum finem, quòd ſi non tendant in illum per vnum ordinem, recurrant in eundem per alium ordinem. Neque opus eſt fingere aliquid ſupra euitabile, & ineuitabile, ſicut dicimus eſſe aliquid ſupra neceſſarium, & contingens, quod vocamus liberum: quia inter euitabile, & ineuitabile non poteſt dari medium, cùm ſint contradictoria, inter neceſſarium autem, & contingens poteſt dari medium ſaltem per negationem, quia non opponuntur contradictoriè: vnde dicimus Deum non agere ad extra neceſſariò, neque contingenter, ſed liberè. Si autem Caietan.

autem inter neceſſarium & contingens eſſet oppoſitio contradictoria, vera eſſet opinio Scoti dicentis, neceſſarium, & contingens diuidere omne genus cauſæ, etiam comprehendēdo primam cauſam, & ipſam primam cauſam agere ad extra contingenter, cùm non agat neceſſariò. Quòd autem inter euitabile & ineuitabile ſit oppoſitio contradictoria, probatur, quia idem eſt eſſe ineuitabile, & eſſe non euitabile: modò euitabile, & nō ineuitabile opponuntur contradictoriè, quia à propoſitione affirmatiua de prædicato negato ad negatiuum cum conſtantia ſubiecti valet illatio, & econtra: vt ſi dicamus homo eſt non albus. Ergo non eſt albus. cùm igitur inter euitabile, & non euitabile ſit oppoſitio contradictoria, inter illa non poteſt dari medium etiam ſecundùm negationem, neque iſta ineuitabilitas tollit arbitrij noſtri libertatem, & rerum contingentiam, pro qua defendenda ibi tantopere laborauit Caietanus, vt viſum eſt lib. præcedenti in fine.

CAPVT XIX.

Quæ ſit radix immutabilitatis ordinis diuinæ Prouidentiæ.

I. CIrca ſecundum dubium non leuis eſt cōcertatio non ſolùm cum Philoſophis & hęreticis, ſed etiam inter ipſos Catholicos de radice immutabilitatis ordinis diuinæ prouidentiæ, ſiue, quod idem eſt, vndenam habeat ordo diuinæ prouidentiæ ſuam firmitatem, & immutabilitatem, an ex diuina præſcientia, an ex diuino decreto, an ex vtroque ſimul. Eſt autem quæſtio in ſenſu eadem prorſus cum illa, quam diſputant recentiores quidam, vtrùm ad perfectam rationem diuinæ prouidentiæ neceſſe ſit omnes effectus ſecundarum cauſarum etiam contingētium, & liberarum fuiſſe in particulari, & ſecundùm illorum omnes circunſtantias efficaciter à Deo ab æterno prædefinitos, an verò ſine tali decreto concipi poſſit in Deo perfecta prouidentia reſpectu effectuum, qui contingenter, & liberè eueniunt à ſecundis cauſis liberis, & contingentibus.

Non diſputamus hîc, an omnes effectus liberi, & contingentes ſint efficaciter ab æterno prædefiniti, nam de hac re diximus abundanter lib. præcedenti, ſed ſolùm eſt quæſtio, an huiuſmodi prædefinitio intrinſecè ſpectet ad perfectam rationem diuinæ prouidentiæ nécne. Non etiam quærimus de diuina prædefinitione, quatenus particula, *præ*, importat anteceſſionem æternitatis ad tempus, hoc enim pacto credimus, pertinere ad perfectionem diuinæ prouidentiæ, omnes effectus liberos contingentes fuiſſe ab æterno prædefinitos, Deus enim quidquid in tempore operatur, vel fieri permittit, ab æterno decreuit operari, vel permittere, neque diuina prouidentia ſuſpenſa manet, neque anceps expectat, quid decernere, quid facere, vel quid permittere debeat. Sed loquimur de prædefinitione, quatenus importat anteceſſionem diuini decreti ad præſcientiā futuritionis effectuū liberorū, & contingentiū, & liberæ determinationis voluntatis creatæ ad huiuſmodi effectus liberos, & eſt quæſtio, an ſpectet intrinſecè ad perfectā rationem diuinæ prouidentiæ, Deum ab æterno decreto efficaci, & abſoluto prædefiniuiſſe omnes, & ſingulos effectus ſecundarum cauſarum etiam liberos, & contingentes in particulari, & cum omnibus, & ſingulis corū circunſtantiis, ante præuiſam determinationem earundem ſecundarū cauſarum ad tales effectus.

II. In hac quæſtione, vt omittamus errores Philoſophorum, & hæreticorum, qui ex dictis in libris præcedentibus ſatis refutati ſunt, eſt prima opinio quorundam Theologorum, quòd ſpectet ad intrinſecam rationem diuinæ prouidentiæ, omnes & ſingulos effectus ſecundarum cauſarum etiam liberarum, & contingentium fuiſſe ab æterno decreto efficaci, & abſoluto à Deo prædefinitos, ita vt idem ſit negare huiuſmodi prædefinitionem, & negare diuinam prouidentiam comparatione effectuum, qui non ſunt ſic prædefiniti. Vnde docēt has propoſitiones tanquam certas, & veriſſimas. Prima propoſitio. Deus ſua prouidentia antecedenter ad præſcientiam cooperationis cuiuſlibet cauſæ ſecundæ, futuræ etiam ex hypotheſi, quòd in talibus circunſtantiis conſtituatur, prædefiniuit omnia ſingularia in particulari, ſecundùm omnes circunſtantias quantum ad omnem rationem entis, quam habent, ſiue talia procedant à cauſis proximis naturalibus, ſiue liberis, & contingentibus. Secunda propoſitio. In vniuerſum ordo diuinæ prouidentiæ eſt certus, immobilis, & indiſſolubilis quantum ad effectus allecutionem, ita videlicet, vt huiuſmodi certitudo, & indiſſolubilitas fundetur in ipſo ordine, & cauſalitate mediorum, atque in efficacia diuinæ voluntatis, & prouidentiæ independenter omnino à futuro conſenſu, vel vſu creatæ voluntatis præcognito per ſcientiam mediam. Tertia propoſitio. Vt certus & infallibilis ſit ordo diuinæ prouidentiæ, & prædeſtinationis, neceſſaria eſt phyſica prædeterminatio omnium actuum bonorum in particulari: idem autem eſt iudicium de æterna prædefinitione, cùm vna ex altera inferatur.

III. Secunda ſententia docet, non pertinere intrinſecè ad perfectam rationem prouidentiæ ſaltem generalis huiuſmodi prædefinitiones. quam ſententiam tenent omnes, qui negant, actus liberos fuiſſe ab æterno prædefinitos efficaciter, & abſolutè ante inſpectam liberam determinationem voluntatis creatæ ad huiuſmodi actus. Hæc ſecunda opinio videtur probabilior, & omnibus inſpectis veriſſima, quæ probatur primò autoritate priſcorum Patrum. Primò enim illam docuit Origenes hom. 3. in Gen. vbi docens, quomodo nihil fiat in mundo ſine diuina prouidentia ſic ait: *Memento, quia nihil ſine Dei prouidentia geri dicimus, non ſine voluntate: multa enim ſine voluntate eius geruntur, nihil ſine prouidentia: prouidentia enim eſt, qua procurat, diſpenſat, & prouidet, quæ geruntur. voluntas verò, qua vult aliquid, vel non vult.* & licèt ibi loquatur de peccato, quod ſit contra Dei voluntatem; ex hoc tamen colligitur, aliquid poſſe cadere ſub diuina prouidentia, quod non eſt à Deo prædefinitum, vt fiat. Neque verum eſt, Deum prædefiniuiſſe actum peccati, quoad omnem illius naturalem entitatem, & omnes illius circunſtantias loci, & temporis, &c. quia cùm ad illum actum cum illis omnibus circunſtantiis neceſſariò, & ineuitabiliter ſequatur malitia peccati, vanum eſt commentum, & inutilis cautela, quam nonnulli adhibent dicentes, Deum prædefiniuiſſe illum actum peccati, quoad naturalem actus entitatem, & omnes illius circunſtantias poſitiuas, non autem quoad malitiam ipſius peccati, & ſi in re ſeria fabulis vti liceret, valde perſimilis ei, Origenes.

qui cùm mulum clitellariũ mercibus onuſtum loro apprehenſo domum adduxiſſet,ad quæſtionem poſitus dixit, non ſe mulum mercibus onuſtum furatum fuiſſe,ſed loro,cui ille alligatus erat, apprehenſo illum ſua ſponte vſque ad eius domum inſecutum.

IV. Auguſtin. D. Auguſtinus eandem ſententiam probat lib. 7.de ciuitate cap.3.dum loquens de rerum gubernatione,& adminiſtratione,quæ eſt diuinæ prouidentiæ executio, ait quòd *Deus ſic res adminiſtrat, vt illas proprios exercere, & agere motus ſinat.* ſinere autem creaturam liberam ſuos motus exercere,& eandem prædefinire, & phyſicè ad tales motus prædeterminare, videntur mihi adinuicem repugnare,verbum enim, *ſinere*, niſi nouas vocabulorum ſignificationes excogitare velimus, idem ſignificat,quod permittere:illud verò impropriiſſimè aliquis dicitur ſinere,& permittere fieri,quod prædefiniuit,vt fieret. vnde aut Auguſtin. ineptè, & proiectè loquitur,aut ſentit, effectus ſecundarum cauſarum, quas ſuos motus agere ſinit, non eſſe per diuinam prouidentiam prędefinitos.Idem Aug.lib.5.de Ciu.c.9. redarguit Ciceronem, qui negabat, Deum habere prouidentiam humanorũ actuum, ne per ipſam prouidentiam læderetur humanæ voluntatis libertas, oſtendens,ordinem omnium cauſarum eſſe Deo certiſſimum, & tamen hominem habere libertatem arbitrij ex eo, quoniam in ordine omnium cauſarum connumerantur etiam humanæ voluntates,quæ ita ſubſunt voluntati diuinæ,& per illam moderantur, vt tamen liberè illas agere permittat. Et inter alia ſic dicit. *In eius voluntate ſumma poteſtas eſt, qui creatorum ſpirituum voluntates bonas adiuuat,malas iudicat, omnes ordinat,& quibuſdam tribuit poteſtatem, quibuſdam non tribuit, ſicut omnium creaturarum autor eſt, ita omnium poteſtatum dator, non voluntatum: malæ quippe voluntates ab illo non ſunt, quoniam contra naturam ſunt,quæ ab illo eſt.* Docet igitur, Deum voluntates humanas gubernare creando, conferendo poteſtatem,adiuuando, & ordinando, & iudicando,non autem prædefiniendo, & prædeterminando.Et certè ſi Auguſtinus illo diſcurſu ſupponeret,omnes actus liberos fuiſſe per diuinam prouidentiam efficaciter prædefinitos, non ſolùm nó potuiſſet ſententiam Ciceronis tam euidenter redarguere,qnemadmodum ille arbitratur,quin potiùs illam confirmaſſet,nam præcipua difficultas, in qua diſſoluenda deſudant Catholici Doctores, oritur ex huiuſmodi prædefinitionibus, neque ob aliam rationem negabat Tullius diuinam prouidentiam, niſi propter iſtas prædefinitiones actuum liberorum,quos putabat humanæ libertati repugnare.

Greg.Niſſ. Theodoret. Damaſcen. Cum Auguſtino conſentiunt Gregor.Niſſenus lib.7.Philoſophiæ cap.1.& lib.8. c. vltimo,Theodor.in epitome diuinorum decretorum c.de Prouidentia,Damaſc.lib.2. de Fide c.29. cùm docent, actus humanos liberos non eſſe ex diuina prouidentia, non enim potuerunt in aliquo Catholico ſenſu hoc affirmare, niſi quia actus humani liberi non ſunt per diuinam prouidentiam efficaciter prædefiniti,licèt per illam ſint præordinati. Quẽ ſenſum intendiſſe Damaſcenum, ipſa eius verba declarant,cùm ait,Deum omnia quidem præſcire, non tamen omnia prædeſtinare: præſciens enim ea,quæ ſunt in nobis,prędeſtinat ea,quę non ſunt in nobis. Et loquitur Dam. de omnibus actionibus humanis tàm malis, quàm bonis, & ob hanc rationem ſentit, actiones humanas liberas non eſſe ex diuina prouidentia.

Eandem ſententiam expreſsè docuit D. Thom. de veritate q.12 art.10. vbi dicit, Deum ea ſolùm prædefinire,quæ ipſe facit in nobis ſine nobis. Et hoc probat autoritate D. Damaſceni proximè allegata,& clariùs q.6.a.3.vbi dicit,diuinam prædeſtinationem per hoc diſtingui à communi, & generali prouidentia, quòd ordo diuinæ prouidentiæ quoad aſſecutionem huius, aut illius particularis finis non eſt certus, niſi certitudine diuinæ præſcientiæ:prædeſtinatio verò eſt certa,& infallibilis etiam quoad aſſecutionem huius, aut illius finis particularis, non ſolùm certitudine præſciẽtiæ,ſed etiam certitudine cauſalitatis, licèt huiuſmodi certitudo non lædat arbitrij noſtri libertatem. Hæc autẽ differentia inter prædeſtinationẽ, & communem prouidentiam nulla omnino eſſet, ſi de ratione communis prouidentiæ eſſet, vt omnes effectus liberi, & contingentes ſecundarum cauſarum ſint in particulari,& cum omnibus illorum circunſtantiis efficaciter prædefiniti. quia non minus eſſet de ratione communis prouidentiæ certa aſſecutio huius,aut illius finis particularis,quàm de ratione diuinæ prædeſtinationis, neque hanc doctrinam D. Tho. vllibi retractauit in ſua Summa. V. D.Thom.

Eandem ſententiam tenet Thomas VValdenſis lib.1. Doctrinalis fidei c. 28. vbi refert duas opiniones,alteram illorum,qui vt defenderent infallibilitatem diuinæ prouidentiæ, admiſerunt neceſſitatem in futuris euentibus contingentibus, non tamen abſolutam, ſed reſpectiuam tantùm, quam opinionem nitebantur prõbarẽ non tantùm autoritate Scripturæ, ſed etiam D. Auguſtini, D. Anſelmi, & D. Thom. quorum illam eſſe expreſſam ſententiam contendebant, quibus cùm obiiciebatur, iſtam neceſſitatem repugnare humanæ libertati,reſpondebant,quòd iſta eſt neceſſitas nõ reſpectu ſecundarum cauſarum, quarum comparatione effectus ſunt liberi, & contingentes, ſed ſolùm reſpectu primæ cauſæ: neceſſitas autem reſpectu ſolius primę cauſæ,non tollit libertatem,& contingentiam ab effectibus ſecundarum cauſarum.Quam opinionem cum ſua reſponſione reiicit,vt falſam, & contrariam veritati, & doctrinæ diuinæ Scripturæ,Auguſtini,& Anſelmi,& D.Th. quia cauſalitas ſecundæ cauſæ eſt euentus à prima cauſa prouiſus. Si ergo prouidentia eſt cauſa neceſſitatem inferens. Ergo effectus proueniens per efficientiam ſecundæ cauſæ reſpicit euentum ordine neceſſario, non autem libero. hæc autem opinio à VValdenſi ibi refutata eadem omnino eſt cum illa,quam recentiores iſti Theologi docent, dicentes, omnes effectus liberos eſſe per diuinam prouidentiam prædefinitos. Nam vtraque opinio eiſdem nititur fundamentis,& eodem modo reſpondet aduerſariis, nam autores vtriuſque opinionis per hoc putant ſe tutos eſſe ab errore, quia admittunt neceſſitatem in euentibus liberis reſpectu ſolius primæ cauſæ, non autem reſpectu ſecundarum cauſarum.Præter quod ipſe VValdẽſis eandem opinionem reprobat ex eo, quoniam omnis neceſſitas antecedens tollit arbitrij libertatem,ex quacũque cauſa illa proueniat: hæc autem neceſſitas, quam iſti per diuinas prædefinitiones,& diuinam prouidentiam ponunt in euentibus liberis,eſt neceſſitas antecedens. Th.VVald.

Poteſt etiam confirmari eadem ſententia autoritate recentiorum Theologorum, nam vt omittamus Catharinum,Cordubam,& quoſdam alios quorum autoritas fortaſſe apud aduerſarios malè audit,hanc ſententiam expreſsè ante quinquagin- VI.

ta

Iulius Sir. ta annos defendit Iulius Sirenius lib. 8. de Fato, ferè per totum, ſed præcipuè cap. 6. 12. 13. & 21. quibus in locis agens de diuina prouidentia, & de rerum gubernatione, & diuinis decretis, multas quæſtiones à Theologis diſputatas, ſcitè, & doctè ita reſoluit, vt videas, illas non eſſe nuper excitatas in ſcholis, ſed per annos quinquaginta ante nos fuiſſe examinatas, & reſolutas. In illis locis probat hic autor, diuinam prouidentiam, ſaltem quatenus verſatur circa actus humanos liberos; non ſolùm non requirere intrinſecè iſtas prædefinitiones, ſed potiùs illas excludere. Docet enim, Deum creaturas liberas ita gubernare, vt eas ſuos motus agere ſinat, & non determinare voluntates humanas ad conſenſum, niſi etiam illæ ſeipſas liberè determinent, & ipſas voluntates poſſe ſeipſas non determinare. Et licèt quoad rerum naturas, & ſubſtantias, & quoad illa, quæ Deus operatur in nobis ſine nobis, verum ſit dicere, hoc erit, quia Deus illud nouit, non tamen id dicendum eſt de actibus liberis, ſed è contrario potiùs dicendum, hoc nouit Deus, quia illud erit. Tandem eandem ſententiam docent Cardinalis Bellarm. lib. 4. de Gratia, & libero arbitrio c. 15. ad 5. vbi diſſoluit præcipuum argumentum opinionis contrariæ, & Suarez lib. 2. de Auxiliis c. 7. num. 4. & ſequentibus.

Bellarm.

Suarez.

VII. Probatur modò hæc ſententia euidenti ratione. Nam diuina prouidentia quatenus efficax eſt, & ordo illius certus, & immutabilis ſpectat ad voluntatem nõ antecedentem, ſed conſequentem, quod etiam ſectatores cõtrariæ opinionis ita conſtanter affirmãt, vt ſint, qui ob id negent, diuinam prouidentiam diſtingui in antecedentem, & conſequentem, quia arbitrantur, prouidentiam ſolùm ad conſequentem, non autem antecedentem voluntatem ſpectare, idque ex communi omniũ ſententia affirmant, vt videre eſt apud Ripam 1. p. q. 22. art. 1. circa finem, ſed voluntas conſequens vel ex noſtro vitio ortum habet, vt verbis Damaſceni vtamur, vel ſaltem recipit conditionem creaturæ, & ſupponit notitiam vſus liberi arbitrij creati circa proprij finis aſſecutionem, vt docet D. Th. 1. p. q. 19. art. 6. ad 1. & de Veritate q. 23. art. 2. in corpore, cuius verba adeò clara ſunt, vt non poſſint vlla tragiuerſatione in alium ſenſum detorqueri. Hinc ſequitur, ordinem diuinæ prouidentiæ non eſſe certum, & immutabilem comparatione actuum humanorum liberorum ex decreto, & prædefinitione efficaci antecedente notitiam determinationis liberæ voluntatis creatæ.

Ripa.

D. Thom.

VIII. Secundò. Si omnes actus liberi, qui cadunt ſub diuina prouidentia, eſſent efficaciter prædefiniti ante præuiſam determinationem voluntatis creatæ, etiam illi, quos homo ponit circa ſui finis aſſecutionẽ, eſſent prædefiniti, illi nanque maximè cadunt ſub diuina prouidentia. Conſequens verò falſum eſſe ita demõſtro, quia ex illo vnũ ex quatuor incõuenientibus neceſſariò ſequitur, aut primò non omnes homines per diuinã prouidentiam fuiſſe ordinatos in finem ſupernaturalem æternæ ſaluris, quod falſum eſſe præcedenti controuerſia copiosè oſtendimus: aut ſecundò omnes homines conſequi huiuſmodi finem, quod cõſtat eſſe contra fidem: aut tertiò prædefinitionem efficacẽ eſſe mutabilẽ, quod ſimiliter eſt erroneum: aut quartò quòd Deus ſimul, & ſemel omnes homines ordinauerit ad finem ſupernaturalem æternæ ſalutis, & nihilominus prædefinierit, quòd illi non ponerent actum neceſſarium ad huiuſmodi finem aſſequendum. & quòd talem finem nõ aſſequerentur, quod eſt repugnantia, & contradictoria affirmare.

Tertio probatur argumẽto, quo etiã vtitur Suarez paucis mutatis. Ad conſtituendã in Deo perfectam prouidentiam tria ſufficere videntur, ſcientia, voluntas, & potentia executiua; ſed neque ex parte diuinæ ſcientiæ, neque voluntatis, neque potentiæ executiuæ neceſſe eſt, Deũ omnes actus liberos efficaciter prædefiniuiſſe. Ergo ad perfectam rationẽ diuinæ prouidentiæ neceſſaria non eſt talis prædefinitio. Minor probatur quoad primam partẽ, quia præſcindendo ab iſtis prædefinitionibus adhuc concipitur in Deo perfecta notitia cõtingentium futurorũ, vt lib. 3. oſtendimus. Præterea in eodẽ libro oſtenſum eſt, ſcientiã futurorum conditionatorum ſine ſcrupulo erroris poſſe admitti, eámque ad conciliandas controuerſias, & explicandas difficultates circa diuinam prouidentiã optimè deſeruire, neque eſſe commentum nuper excogitatũ, ſed habere fundamentũ apud Doctores graues antiquos, & modernos, qui verbo, & ſcripto pro fide Catholica cõtra hæreticos ſtrenuè pugnauerũt: at ſemel poſita huiuſmodi ſciẽtia media tollitur neceſſitas iſtarũ prædefinitionũ antecedentiũ. Ergo ex 1. c. diuinæ præſcientiæ illæ non ſunt neceſſariæ ad perfectã rationẽ prouidentiæ. IX.

Secundò probatur, iſtas prædefinitiones nõ ſpectare ad perfectam prouidentiam ex parte voluntatis. vel enim actus liberi ſunt voliti à Deo, vt finis, vel vt media quædam ad finem. Primo modo non ſpectat ad diuinam prouidentiam illorũ prædefinitio, quia certum eſt, illos non eſſe volitos vt fines, ſed vt media in ordine ad finem. Secũdo autem modo non maiori efficacia illi, vt media ad finem poſſunt eſſe voliti à Deo, quàm ſit volitus finis, ad quem huiuſmodi actus ordinãtur: ſed non ſpectat ad diuinã prouidentiam, vt talis finis ſemper ſit efficaciter volitus, & prædefinitus. Ergo neque ad diuinam prouidentiã ſpectat efficax volitio, & prædefinitio actuum liberorum, quæ ſunt media ad talem finem. Probatur minor, quia certum eſt, per diuinam prouidentiam omnes homines ordinari in finem ſupernaturalem æternæ ſalutis, & Deum quantum eſt ex ſe, velle etiam omnes actus liberos, per quos homo peruenire poteſt ad talem finem, videlicet vt rectè viuat, & iuſtè, & honeſtè, & tamẽ hunc finem reſpectu omnium hominum non vult efficaciter, neque efficaciter prædefiniuit. Ergo nec actus liberos, quæ ſunt media ad talem finem efficaciter prædefiniuit.

Dicetur, quòd licèt non ſit neceſſe, huiuſmodi actus eſſe prædefinitos in ordine ad finẽ particularẽ, tamen neceſſe eſt eoſdem actus eſſe prædefinitos in ordine ad finem vniuerſalem, qui eſt diuinæ gloriæ oſtenſio, & manifeſtatio, in quam vt media tandẽ omnes humanæ ordinãtur actiones.

Contra hanc reſponſionẽ facit, quòd licèt omnes humanæ actiones ſint ordinatæ aliquo modo in finem vltimũ efficaciter à Deo volitũ, & intentum, non tamen eodẽ modo, & ordine in eundem finem omnes homines, & omnes illorũ actiones ſunt efficaciter ordinatæ. Diximus enim ſuperiùs, duplicem eſſe ordinem, ſecundùm quem res ſunt ordinatæ in finem vniuerſalem, alterum intentum primaria intentione, alterum ſecundaria, & hos ordines ita eſſe intentos, vt ſi homo per primum ordinem non tendit in finem, tendat in illum per ſecundum, & ſi per hanc actionem, quæ eſt piè, & honeſtè viuere, non aſſequitur talẽ finem, aſſequatur illum per hoc, quod eſt iuſtè puniti. & ſic pater, actiones, per quas homo aſſequitur efficaciter vltimum finem, non eſſe prædefinitas à Deo ante

præuisâ determinationẽ liberæ voluntatis creatæ.

Tertiò probatur non esse necessariam huiusmodi prædefinitionem ratione potentiæ executiuæ. nam diuina omnipotentia non potest producere effectum liberum secundæ causæ sine concursu, & influxu libero eiusdem causæ secundæ, & iste influxus liber, & concursus secundæ causæ ita debet esse in eius potestate, vt de lege ordinaria Deus non possit cogere voluntatẽ ad ponendum talem concursum, & semper sit in potestate secundæ causæ, illum ponere, vel non ponere. Ergo non solũ nó pertinet ad diuinam omnipotentiam ista prædefinitio humanorum actuum liberorum, sed maximè illi repugnat. vnde licèt effectus, qui per solam Dei omnipotentiam ponuntur in nobis sine nobis, sint antecedenter prædefiniti: tamen illi, qui fiunt dependenter à libera voluntate creata, quatenus talis est, possunt esse prouisi à Deo absque eo, quòd sint per Dei voluntatem prædefiniti antecedenter ad præscientiam determinationis voluntatis creatæ; & ista est mens D. Thomæ de veritate q. 12. art. 10. in corpore, & ad 3. argumentũ, & Damasc. ibid. citati, ad quem remitto.

D. Thom.

CAPVT XX.

Argumenta aduersariorum afferuntur, & soluuntur.

I. CONtra hanc doctrinam recentiores quidam multa conferunt argumenta, quæ lib. præcedenti ferè omnia soluta sunt. Sed ne videantur hîc ex industria dissimulata, opportunum erit aliqua illorum breuiter repetere, ac soluere.

Primum argumentum sumunt ex variis autoritatibus D. Thomæ, quarum præcipua est in lib. 3. contra Gentes c. 96. vbi hanc sententiam probat testimonio sumpto ex lib. Iudicum cap. 9. in illis verbis, *Tu fecisti priora, & illa post illa excogitasti: & hoc factum est, quod ipse voluisti.* Iunctis aliis testimoniis Doctorum, præcipuè D. Dionysij c. 5. de diuinis Nominibus, vbi dicit, esse in Deo ab æterno rationes, & prædefinitiones, secundùm quas Deus omnia prædefiniuit, & produxit. Ex his autoritatibus desumunt argumentum. Diuina prouidentia includit causalitatem voluntatis, & diuinæ omnipotentiæ: sed causalitas diuinæ voluntatis, & omnipotentiæ includit prædefinitionem omnium eorum, quæ à Deo fiunt in tempore, nam quidquid diuina voluntas in tempore operatur, ab æterno decreuit. Ergo diuina prouidentia includit prædefinitionem eorum omnium, quæ in tempore subduntur eidem prouidentiæ.

D. Thom. Dionys.

Respondetur, nullum esse locum in D. Thom. in quo id doceat, quod asseritur in argumento, & specialiter in illo cap. 96. 3. lib. contra Gentes, ne verbum quidem habet, nisi nostri codices toti sint deprauati, & corrupti, quod hanc sententiam redoleat. solùm docet D. Thom. Deum habere de omnibus rebus prouidentiam distinctam, etiam de minimis, quod libentissimè conceditur, neque Catholicè negari potest. Ad illud testimonium ex lib. Iudicum, dicimus, verissimum esse, id factum esse, quod Deus voluit, vel quia ipse fecit, vel quia permisit fieri, vt exponit Augustinus in Enchirid. cap. 95. Non tamen inde sequitur, omnes actus liberos antecedenter, & efficaciter fuisse prædefinitos. Præter quod illa autoritas est etiam glossanda, vt non sit vndequaque, & indistinctè verum, hoc solum fieri in mundo, quod Deus vult fieri, cùm certum sit, multa fieri contra Dei voluntatem: vnde Augustinus lib. 5. de Ciuitate cap. 9. dicit, quòd à Deo sunt quidem omnes potestates, sed à Deo non sunt omnes voluntates. sed de his alibi. Ad autoritatem D. Dionysij respondetur, illam perperam adduci ad hoc institutum, nam per bonas voluntates, & prædefinitiones ille intelligit rationes ideales, vt suprà lib. 3. & 4. est dictum. Ad argumentum, quod ex autoritatibus deducitur, respondetur, illud solùm concludere, quidquid Deus in tempore producit, ab æterno prædefinisse producere, non tamen antecedenter ad notitiam futuræ determinationis voluntatis creatæ.

Augustin.

II. Secundò argumentantur autoritate D. Irenæi lib. 2. contra hæreses cap. 45. vbi ait omnia quantuncunque minima secundùm numerum, & modum, & quantitatem fuisse per diuinam prouidentiam prædefinita, & disposita, & ordinata, & acriter reprehendit eos, qui circa prouidentiam nimis sunt curiosi, & illius verba retulimus lib. præcedenti, cùm ageremus de diuinis prædefinitionibus. Irenæus.

Respondeo, autoritatem Irenæi nihil ad hanc causam omnino conferre: solùm enim docet, diuinam prouidentiam omnia quantuncunque minima, & vilissima, certò, & infallibiliter disponere, & ordinare. Vtrùm autem ad diuinam prouidentiam spectent istæ prædefinitiones antecedentes, ne verbum quidem habet D. Irenæus.

III. Tertiò argumentantur, quia nisi dicamus omnes effectus quantuncunque liberos esse per diuinam prouidentiam prædefinitos, sequitur, illos effectus, qui prædefiniti non sunt, à casu euenire respectu eiusdem prouidentiæ, illud enim à casu dicitur euenire, quod euenit præter intentionem. Si ergo aliquis effectus prouenit à causis secundis non prædefinitus à prima causa, ille euenit præter intentionem ipsius primæ causæ. Ergo euenit à casu, illud enim dicitur euenire à casu, quod euenit præter intentionem agentis.

Respondetur negando consequentiam. Ad probationem, cùm dicitur, illud euenire à casu, quod euenit præter Dei intentionem, respondetur, hanc probationem in subiecta materia, de qua agitur, errorem continere, nam aut peccata sunt à Deo intenta, quod est impium affirmare, aut eueniunt à casu respectu diuinæ prouidentiæ, quod similiter affirmare est error, aut tandem error est dicere absolutè, omne, quod euenit in mundo præter Dei intentionem, euenire à casu respectu diuinæ prouidentiæ. Vnde ista propositio tanquam absolutè falsa neganda est, nam ad hoc, vt aliquid dicatur euenire à casu, non est necesse, vt eueniat præter intentionem, & è contrario ad hoc, vt non eueniat à casu, non est necesse, vt sit intentum: sed sufficit, vt illud præcognitum sit, esse futurum, si permittatur, cùm possit non permitti, & impediri, & quòd sciatur, ex tali causa illud esse euenturum, esto non sit neque prædefinitum, neque intentum. Quemadmodum à contrario illud dicitur à casu euenire, non quod euenit præter intentionem agentis, sed quod euenit ex causa occulta, & incognita, esto illud fuerit ab agente intẽtum. Sicut, exempli gratia, si quis fodiendo rumam muri intenderet thesauri inuentionem, nesciens tamen thesaurum ibi latere, sicut nonnunquam in eiusmodi ruinis effodiendis contingit, illum de facto inueniret, ille enim propter huiusmodi intentionem non minus à casu diceretur thesaurum inuenisse, quàm absque tali intentione, quia reuera nesciebat, thesaurum ibi latere, ita docent Augustinus lib. 5. de ciuitat. cap. 9. & Aristoteles lib. 4. Physic. cap. 4. Ad cuius rei declarationem

August. Aristot.

aduer

aduertendum eſt, quædam euenire, quæ ſunt à Deo intenta, & efficaciter prædefinita, qualia ſunt, quæ pendent ex ſola Dei voluntate, quædam ſunt, quæ ſunt à Deo intenta, non tamen prædefinita, vt ſunt omnes actus liberi moraliter boni: quædam verò, quæ nec ſunt prædefinita, nec intenta, vt ſunt actus moraliter mali: & nihilominus nihil à caſu euenit reſpectu diuinæ prouidentiæ, quia omnia iſta eueniunt aut Deo volente, & faciente, aut Deo permittente, & actum malum, & illius permiſſionem in aliquem honeſtum finem ordinante.

IV. Quartò arguunt, niſi omnes effectus liberi ſint efficaciter, & in particulari à Deo prædefiniti, Deus non habebit illorum perfectam, & exactam prouidentiam, quia ad perfectam rationem prouidentiæ ſpectat, non ſolùm præſcientia futurorum, ſed etiam ordo rerum prouiſarum in ſuos fines; immo prouidentia, quam Deus habet reſpectu omnium futurorum in particulari, ſupponit voluntatem efficacem producendi omnia futura, ſecundùm omnem illorum entitatem: hæc autem voluntas includit prædefinitionem eorundem actuum in particulari. Quòd ſi dicatur, ſufficere ad perfectam prouidentiam, quòd Deus prædefinierit producere mundum, & omnes cauſas præcedentes humanam voluntatem, v.g. quòd prædefinierit producere Petrum cum talibus potentiis, & virtutibus operatiuis, & conſtituere illum in tali ordine cum talibus circunſtantiis, cum quibus præſciebat, quòd pro ſua libertate eſſet conſenſurus in talem, vel talem actum, & prædefinierit offerre illi ſuum generalem concurſum ad eliciendum talem actum, ſi Petrus pro ſua libertate illum elicere vellet, & tandem ſi actus ſit ordinis ſupernaturalis, quòd prædefinierit Petrum ſupernaturaliter vocare, & excitare & concurrere cum illo ad actum ſupernaturalem, non autem requiri, quòd abſoluto decreto prædefinierit influxum voluntatis Petri in ipſum actum, & quòd Petrus de facto vellet, aut non vellet tale obiectum. Contra hanc reſponſionem arguunt primò, quia ex illa ſequeretur, ipſum influxum, & conſenſum voluntatis creatæ non eſſe ſubiectum diuinæ cauſalitati, & per conſequens neque diuinæ prouidentiæ. Secundò, quia Deus non ſolùm eſt omnipotens reſpectu eorum, quæ facit quoad ſubſtantiam, ſed etiam quoad modum producendi. Ergo poteſt mouere, & conuertere voluntatem efficaciter, & tamen mouere illam liberè.

Reſpondetur negando conſequentiam. Ad probationem reſpondetur, ſicut non eſt neceſſe omnia aſſequi finem, ad quem ſunt per diuinam prouidentiam ordinata; ita neceſſe non eſt, Deum prædefiniuiſſe tum ipſum finem, tum etiam actus liberos, per quos talis finis eſt aſſequendus. Admiſſo etiam, quòd Deus ab æterno decreuerit facere aliquid, quod in tempore producit, negatur tamen huiuſmodi decretum reſpectu actuum, qui liberè fiunt à voluntate creata, antecefiiſſe notitiam liberæ determinationis eiuſdem voluntatis creatæ, vnde & probatur reſponſio allata in eodem argumento. & ad primam inſtantiam negatur conſequentia, quam eſſe negandam, & iure negari, facilè quiſque intelliget, ſi concipiat. Primò Deum dare eſſe ipſi voluntati creatæ. Secundò conſeruare illam in eſſe. Tertiò tribuere illi vim influendi in proprium conſenſum. Quartò mouere voluntatem, & inclinare ſaltem ad bonum vniuerſale, ſicut vniuerſalem motorem, vt dicit D. Thom: prima ſecundæ quæſt. 9. art. 6. ad 3. immo aliquando mouere voluntatem ad bonum particulare, maximè ſi illud ſit ordinis ſupernaturalis. Quintò Deum offerre voluntati ſuum concurſum paratum, quotieſcunque voluntas pro ſua voluntate velit in actum ſecundum exire, & Deum præuenientem ipſam voluntatem ſolummodo illius conſenſum expectare. His enim admiſſis, quæ admittenda ſunt, nullus niſi ignoranter negabit, influxum voluntatis creatæ ſubiectum eſſe diuinæ cauſalitati, & diuinæ prouidentiæ, ſed procedit hæc inſtantia ex falſa imaginatione, quia arbitrantur illius autores, idem eſſe, negare, Deum eſſe cauſam totalem determinationis voluntatis creatæ, & negare abſolutè Deum eſſe cauſam eiuſdem determinationis, quod falſum eſt: eſt enim Deus cauſa determinationis voluntatis creatæ ad influendum in ſuum conſenſum, non eſt tamen cauſa totalis eiuſdem determinationis, ſed cauſa partialis tantùm concurrens cum ipſa humana voluntate, ſano modo accepto nomine cauſæ partialis, & totalis, vt aliàs dictum eſt. Ad ſecundam inſtantiam concedimus, Deum eſſe omnipotentem, non ſolùm quoad ea, quæ facit cum humana voluntate, ſed etiam quoad modum faciendi, ſi tamen modus ſit poſſibilis, nec implicet contradictionem: Verùm actus liberos eſſe liberos, & eſſe antecedenter prædefinitos, manifeſtam contradictionem videtur implicare. Poteſt igitur Deus voluntatem humanam efficaciter conuertere, & liberè conuertere, non quidem illius actus liberos antecedenter prædefiniendo, ſed aliis modis, de quibus lib. 4. dictum eſt, & inferiùs dicetur. D. Thom.

V. Quintò prudentiſſimus princeps, & paterfamilias ſi poſſet, præordinaret omnes, & ſingulas res, & omnia media particularia ad rectam gubernationem ſui principatus, & propriæ familiæ, prudentiſſimus etiam Dux ordinaret omnes milites ad aſſecutionem victoriæ: Deus eſt princeps, & paterfamilias, & Dux prudentiſſimus, & potentiſſimus, qui poteſt omnibus rebus in particulari prouidere, & omnes res in ſuum finem efficaciter ordinare. Ergo huiuſmodi prouidentia ipſi Deo denegari non debet.

Reſpondetur, ſi hæc ratio concluderet, probaret etiam diuinam prouidentiam non debere permittere vllum malum in mundo euenire, & mala, quæ euenium, eſſe præter intentionem diuinæ prouidentiæ, ſicut mala, quæ euenium in regimine principatus, familiæ, & exercitus, ſunt præter intentionem ſapientis principis, & patrisfamilias, & ducis. Verùm nimis anguſta eſt iſta prouidentia, quæ non permittit niſi optima in mundo euenire. Quare dicendum eſt, latum eſſe diſcrimen inter diuinam, & humanam prouidentiam. nam prouidentia diuina vniuerſalis eſt, humana eſt particularis; diuina reſpicit non ſolùm particulares fines huius, aut illius rei, ſed etiam finem vniuerſalem, humana reſpicit ſolummodo fines particulares: diuina non ſolùm bona, ſed etiam mala ſcit ordinare, & ex malis bona facere, humana verò non: diuina res ordinat in finem non vnico, ſed duplici ordine ea conditione, & lege, vt ſi res per vnum ordinem ipſum finem non aſſequuntur, in eundem recurrant per alium ordinem; hinc eſt, quòd

cùm princeps & paterfamilias, & Dux exercitus poſſunt aliquod malum vitare, illud vitare debent, nec permittere, & ſi poſſent etiam omnia, quæ ſubſunt illorum prouidentiæ, ad aſſecutionẽ proprij finis prædefinire, id facere deberent, quia finis intentus per humanam prouidentiam eſt finis particularis, ad quem res ordinantur vnico tantùm ordine. Cæterùm Deus abſque eo, quòd omnia in ſingulari prædefinierit, poteſt habere omnium rerum abſolutam prouidentiam, & perfectiſſimam, quia per ſuam prouidentiam non ſolùm ordinat res in finem particularem, ſed etiam in finem vniuerſalem, & ita res ordinat in huiuſmodi finem, vt ſi in illum non tendant per vnum ordinem, recurrant in eundem finem per alium ordinem. Et hæc eſt longè nobilior prouidentia, quàm ſit prouidentia humana.

VI. Sextò argumentantur. Deus de facto concurrit cum libera hominis voluntate ad omnes illius actus liberos: ſed non poteſt intelligi huiuſmodi concurſus abſque eo, quòd per diuinam prouidentiam ille ſit ab æterno prædefinitus. Quia ſi Dei voluntas concurrendi cum libera hominis voluntate poſterius natura ſe determinat ad talem concurſum, quàm voluntas humana, ſequitur, quòd cauſa prima non priùs influat in effectum, quàm ſecunda, immo quòd voluntas creata priùs efficiat effectum, quàm Deus velit eundem effectum, quod eſt impoſſibile.

Reſpondetur negando minorem propoſitionem, & ad probationem dicitur, poſſe argumentum in aduerſarium retorqueri; quia ſi cauſa prima priùs prædefinit, & prædeterminat ſuum concurſum, & influxum in effectum, quàm cauſa ſecunda, ſequitur, quòd effectus priùs natura producatur à cauſa prima, quã à cauſa ſecunda, quod ſimiliter eſt inconueniens. Quare dicendum eſt, neque cauſam primam, neque cauſam ſecundam priùs influere in effectum, neque priùs ſeipſam determinare ad influendum in eundem effectum: ſed hanc determinationem, & hunc influxũ ſimul tempore, & natura eſſe à Deo & à voluntate humana, & eundem influxum eſſe totũ à Deo, & totum a voluntate totalitate effectus, licèt non totalitate cauſæ. Memoriæ habendum eſt etiam id, quod ſuperiùs dictum eſt, reciprocam eſſe dependentiã aliquo modo inter voluntatem diuinam, & humanam, quoad determinationem. quia voluntas humana abſolutè pendet à diuina quoad eſſe, & quoad hoc, quòd ſit cauſa ſuæ determinationis, & ſit domina ſuorũ actuum, & poſſit operari, vel non operari, & etiam quoad hoc, quod ſeipſam ad opus determinet. E contrario verò diuina ſecundùm quid dicitur pendere ab humana, non in hoc ſenſu, quòd voluntas humana influat in diuinam, eſſet enim ſtultitia hoc cogitare; ſed in hoc ſenſu, quia de lege Dei ordinaria voluntas diuina non poteſt influere in liberũ effectum voluntatis humanæ abſque eo, quòd ipſa volũtas humana ſuum conſenſum apponat, quę ita illum apponit, vt poſſit non ponere: & ſi voluntas humana de facto ſuum concurſum non ponat, quod fieri poteſt, pro ſua libertate, neque ipſa voluntas diuina poteſt ſuum concurſum apponere. Et iſta eſt differentia inter concurſum, & influxum Dei cum ſecundis cauſis liberis, & influxum & concurſum cum ſecundis cauſis naturalibus. Neque ex hoc ſequitur, Deum à caſu ſuum concurſum adiungere voluntati humanæ, aut voluntatem diuinam trahi ad agendum à voluntate humana, aut ſubſequi ipſam voluntatem humanam.

VII. Quod duobus modis poteſt declarari, ſicut ſuprà indicauimus, & inferiùs lib. 8. & 9. fuſiùs explicabitur. Vno modo ponendo, quòd concurſus diuinus cum ſecundis cauſis ad agendum ſit influxus non in ipſas ſecundas cauſas, ſed in earum effectus tantùm. qui modus dicendi licèt non ſit admodum probabilis, nullum tamen continet errorem, & defendi poteſt, ſi dicamus, ex vi diuini decreti potentiam Dei executiuam quodammodo naturaliter manere applicatam voluntati creatæ, ad præbendum illi omnem concurſum, quem requirit quælibet operatio, ad quam voluntas creata ſe liberè determinat, & eundem concurſum diuinum ex vi diuini decreti poſitum eſſe, quoad vſum, in libera voluntatis facultate, vt habitus, qui ſunt in nobis, ſunt naturaliter determinati ad præbendum illi omnem concurſum, quem requirit operatio, ob quam voluntas ſe determinat; ex hoc enim ſequitur, quòd ſicut influxus habitus in operationem non eſt prior, neque poſterior influxu eiuſdem voluntatis, neque eſt à caſu, neque excitat voluntatem, neque excitatur ab illa; ita neque influxus diuinus eſt prior influxu voluntatis creatæ, neque poſterior, neque eſt à caſu, neque voluntas humana excitat diuinam ad influendum, ſed eſt ſimultaneus cum influxu voluntatis creatæ, & intentus à Deo, quotieſcunque voluntas pro ſua libertate voluerit in actum ſecundum liberum exire.

Secundus modus, quo poſſimus idem declarare, eſt, vt dicamus, concurſum cauſæ primæ cum ſecundis cauſis eſſe influxum non ſolùm in effectus ſecundarum cauſarum, ſed etiam in ipſas cauſas, prima enim cauſa mouet ſecundam, ſcilicet humanam voluntatem tanquam vniuerſalis motor ad vniuerſale bonum, expectans nihilominus conſenſum ipſius voluntatis, & liberam eius determinationem, & illam inclinans ad determinandum, & quidem ſi voluntas creata ſeipſam liberè determinauerit, etiam voluntas diuina in eodem inſtanti illam determinabit, & in eodem inſtanti vtraque influet in effectum. Si verò voluntas creata noluerit ſeipſam ad conſenſum determinare, neque voluntas diuina ſuum concurſum, & influxum exhibebit in effectum. & ſic non ſequitur, humanam voluntatem prius influere in effectum, quàm diuinam; cùm non influat niſi, vt mota, & inclinata à diuina voluntate; neque voluntatem diuinam ſubſequi voluntatem creatam, cùm illam præueniat, & habeat ſuum concurſum paratum, & illum exhibeat, niſi per humanam voluntatem ſteterit. Et tandem ſequitur, concurſum voluntatis diuinæ cum humana non eſſe à caſu, cùm voluntas humana excitetur à voluntate diuina ex intentione, & ex propoſito, vt ſi voluntas humana præbuerit ſuum influxum, etiam diuina illum præbeat. Hanc autem doctrinam ante annos ſexaginta paucis adiunctis, & mutatis tradiderat Iulius Sirenius lib. 8. de Fato cap. 21. quod adnotaui propter eos, qui arbitrantur hanc controuerſiam ante paucos annos fuiſſe in ſcholis Theologorum inauditam. De hac re videri poteſt Cardinalis Bellarmin. lib. 4. de gratia & libero arbitrio cap. 15. ad quintum argumentum, & toto cap. ſequenti, vbi probat, non ſpectare intrinſecè ad diuinam prouidentiam prædefinire, & prædeterminare omnes effectus liberos ante præuiſam liberam determinationem voluntatis creatæ. Ex his abſoluta ſit quarta controuerſia, & tractatio de diuina prouidentia.

Iulius Sir.

Bellarm.

PROPV

PROPVGNACVLI HVMANÆ LIBERTATIS

LIBER SEXTVS.

Non minui humanam libertatem per immobilitatem diuinæ Prædestinationis.

Augustin. SAlvtis noſtræ hoſtis immaniſſimus, autore D. Auguſtino in Pſal. 39. Leo eſt & Draco. Leo, quia apertè ſæuit; Draco, quia occultè inſidiatur. hic enim eſt Diaboli aſtus, ea verſutia in procuranda hominis æterna damnatione, vt quem apertis bellis tanquam Leo deiicere, & ſibi ſubiugare minimè poteſt, ſimulato pacis fœdere ſub mentita pietatis imagine in foueam perditionis trahere nitatur. Hanc Dæmonis calliditatem vel in ipſo naſcentis Eccleſiæ Euangelicæ exordio videre licuit: nam vix per lauacrum ſacræ regenerationis Chriſti genitam tanquam Leo immaniſſimus aggreſſus in multis Sanctorum Martyrum millibus per Tyrannos, qui huius feræ beſtiæ vngues, ac dentes erant, diriſſimis cruciatibus laniauit. Verùm cùm ad votum rem ſibi minimè ſuccedere intelligeret, quippe quòd eſſet ſanguis ille Martyrum aliud nihil niſi ſemen Chriſtianorum, & granum frumenti, quod (vt Tertullianus ait) cadens in terram multum fructum afferebat, ditaretúrque Eccleſia ipſa per Sanctorum martyria theſauro inæſtimabili, depoſita leonina feritate ſerpentinam calliditatem ſtatim cœpit exercere, & per otium, ſæculi diuitias, & carnis voluptates, ad vitia allicere. quibus technis quanta Chriſtianæ Reipublicæ intulerit damna, nullus mortalium valet æſtimare. Eodem modo incedens in concutiendis præcipuis fidei Catholicæ fundamentis, primò ſanctiſſimæ Trinitatis vnitati cum Arrio, Eunomio, Macedonio, ac cæteris ſuæ cohortis ſatellitibus apertum indixit bellum: mox omni creatura pro vnitate ſui creatoris contra illum pugnante, & vnum Deum vndique buccinante, in Angelum lucis (veriùs in ſerpentem) ſe transfigurans ſub ſpecie defendendæ Dei vnitatis, cum Sabellio Trinitatem, ac realem diuinarum perſonarum diſtinctionem oppugnauit. Eiſdem planè artibus vtens in negotio diuinæ Prædeſtinationis duos enormiſſimos, ſibíque inuicem omnino repugnantes errores euomuit. primò gratuitam Dei prædeſtinationem cum Pelagio, & illius reliquiis aperto marte cœpit oppugnare, qui ad tantam deuenit impudentiam, vt non ſolùm diuinæ gratiæ neceſſitatem ad æternam ſalutem aſſequendam apertè negaret, ſed iactaret, ſe non inuidere ipſi Chriſto facto Deo. Verùm perſentiens, totam diuinam Scripturam contra tam apertam blaſphemiam clamare, leoninam ferocitatem diſſimulans, & intra ſerpentinam verſutiam ſe recipiens, in errorem oppoſitum ſtatim conatus eſt hominem adducere, cùm docere cœpit, per gratuitam Dei prædeſtinationem ita ſubuerti humani arbitrij libertatem, vt non ſolùm ad bona, ſed etiam ad mala quæcunque perpetranda per diuinam prædeſtinationem fatali, ac inſuperabili neceſſitate homines cõmpellantur, & ruinam multorum hominum eſſe ex Dei prædeſtinatione ab æterno diſpoſitam, & adulteria, & corruptelas Virginum ſacrarum ideo contingere, quia illas Deus ad hoc prædeſtinauit, vt caderent, & quòd omnia tam bona, quàm mala in mundo eueniant ex diuina prædeſtinatione. Hos turpiſſimos errores quãtum cum diuino auxilio per virium noſtrarum tenuitatem licuerit, in hoc ſexto libro iuxta inſtituti noſtri ordinem pro gratuitæ prædeſtinationis diuinæ, & libertatis arbitrij humani defenſione ſuſcipimus refutandos. Intendimus enim in hoc libro oſtendere, diuinam prædeſtinationem nullo modo eſſe ex meritis noſtris præuiſis, & nihilominus per illius certitudinem, & immobilitatem nullo etiam modo minui arbitrij noſtri libertatem. quod vt efficiamus, quatuor controuerſias præcipuas circa diuinam prædeſtinationem proponimus examinandas. Prima verſabitur circa quidditatem prædeſtinationis. Secunda circa obiectum. Tertia circa cauſas. Quarta circa illius certitudinem, & immutabilitatem.

Tertul.

CAPVT I.

Prima controuerſia proponitur, & nomen Prædeſtinationis explicatur.

TRactatio de diuina Prædeſtinatione, quam contra hoſtes Catholicæ veritatis principaliter inſtituimus, ab ipſa declaratione nominis prædeſtinationis inchoanda eſt: habet enim hoc nomen variam, & multiplicem ſignificationem, tum apud prophanos, tum etiam apud ſacros autores. componitur nanque prædeſtinatio ex præpoſitione, *præ*, & nomine *deſtinatio*, deriuato à verbo deſtinare. Porrò deſtinare multiplicem habet ſignificationem. nam primò ſignificat idem, quod ſtatuere, ſiue decernere, ſiue ordinare. ita D. Paulus in epiſtola 2. ad Corinth. cap. 9. dum ait, *vnuſquiſque prout deſtinauit in corde ſuo, non ex triſtitia, aut ex neceſſitate.* in eadem acceptione dicitur in 2. lib. Machabæo. cap. 2. quòd Eleazarus deſtinauit non admittere illicita propter vitæ amorem, & Suetonius in vita Cæſaris inquit, *de ampliando imperio plura in dies deſtinabat.* Secundò ſignificat idem, quod mittere. vnde dicitur in lib. 1. Machabæ. cap. 1. *deſtinauerunt aliquos de populo, & abierunt ad Regem.* & Suetonius in vita Galbæ inquit, *prætorianos cum mandatis ad Imperatorem deſtinauit.* Tertiò ſignificat alligare, vt Apuleius lib. 4. de aſino aureo ait, *arreptum me loro quàm valido ad anſulam quandam deſtinatum.* Quartò ſignificat idem, quod emere. iuxta hanc acceptionem dixit Plautus in Rudẽte, *minis triginta ſibi puellam deſtinat.* Aliæ ſunt etiam

L.

Suetonius.

Suetonius.

Apuleius.

Plautus.

acceptio

acceptiones huius verbi *deſtinare*, ſed illæ, quæ noſtro inſtituto deſeruiunt, ſunt duæ priores tantùm, iuxta quas deſtinatio idem ſignificat, quod propoſitum, ſeu decretum, & ordinem diuinæ voluntatis, quo creaturam rationalem ab æterno ordinauit in finem ſupernaturalem æternæ ſalutis, & rationem tranſmiſſionis eiuſdem creaturæ rationalis in ipſum finem per media apta, & conuenientia ad eum modum, quo ſagitta dicitur tranſmitti à ſagittario in ſignum, ad quod ab ipſo ſagittario dirigitur.

II. Hinc eſt, quòd prædeſtinati in diuina Scriptura per metaphoram quandam dicuntur ſagittæ electæ. vnde dicitur apud Iſaiam cap. 49. *Dominus ab vtero vocauit me, & de ventre matris meæ recordatus eſt nominis mei, & poſuit me quaſi ſagittam electam.* multæ nanque ſunt rationes, propter quas prædeſtinati ſagittis electis comparantur, quarum nouem recenſet Hugo Cardenſis in Apoſtilla ad locum illum Iſaiæ, præter quas hæc non eſt forraſſe contemnenda, quòd quemadmodum illa dicitur ſagitta electa, quæ cùm à ſagittario dirigitur in ſignum, ita in illud tendit, vt neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram deflectat, & cùm ad ipſum ſignum peruenerit, firmiter illi inhæreat: ſic prædeſtinati à non prædeſtinatis ſecernuntur per hoc, quòd licèt omnes tam non prædeſtinati, quàm prædeſtinati ſint à Deo ſaltem voluntate antecedenti ordinati in finem ſupernaturalem æternæ beatitudinis, tamen prædeſtinati vſque in finem perſeuerant in dilectione Dei, non deflectentes à rectitudine iuſtitiæ, donec perueniant ad ipſum finem, illíque immobiliter adhæreant. Reprobi verò à rectitudine, in qua nonnunquam à Deo ponuntur, ſtatim deflectunt, & ob hanc cauſam dicuntur quidem deſtinati in finem gloriæ, non tamen prædeſtinati.

Hugo Card.

III. Vlteriùs circa illam præpoſitionem, *pro*, quæ iuxta grammaticalem ſignificationem nihil aliud ſignificat, niſi anterioritatem quandam in ordine, notandum eſt, triplicem anterioritatem nos poſſe concipere ſignificari per hanc præpoſitionem. Primò enim poſſumus imaginari, illam ſignificare anterioritatem diuini decreti ad præſcientiam vſus liberæ voluntatis humanæ. Secundò anterioritatem æternitatis ad tempus, aut ad ea, quæ fiunt in tempore. Tertiò anterioritatem vnius perſonæ ad alteram, in eo ſenſu, ſecundùm quem inquit Eccleſia, quòd B. Virgo fuit à Deo electa, & præelecta, quia præ aliis beatis fuit ſpeciali quodam modo, & priuilegio à Deo electa. Hinc duplex oritur controuerſia inter Doctores. Prima eſt, vtrùm prædeſtinatio ſignificet decretum diuinum efficax dandi gloriam creaturæ rationali, antecedens omnem præſcientiam boni vſus, & meritorum, liberæ voluntatis creatæ. & hæc quæſtio inferiùs ex inſtituto eſt diſputanda, & fusè tractanda. Secunda quæſtio eſt, vtrùm prædeſtinatio ſignificet anteceſſionem æternitatis ad tempus, an præeminentiam vnius perſonæ ad alteram, ita vt illi dicantur à Deo prædeſtinati, qui altiori, & eminentiori quodam modo ſunt præ aliis ad beatitudinem deſtinati. Et quidem Dominicus Soto in commentariis epiſtolæ ad Romanos cap. 8. circa illa verba, *quos præſciuit, & prædeſtinauit*, contendit, prædeſtinationem importare ſolùm anteceſſionem æternitatis ad tempus, inuehitúrque grauiter contra Ambroſium Catharinũ, illum temeritatis arguens, quòd dixerit, prædeſtinationem ſignificare anteceſſionem, & eminentiam quandam prædeſtinatorum in ordine ad alios, qui non ſunt prædeſtinati, quaſi illi dicantur prædeſtinati, qui excellentiori & peculiari aliquo modo ſunt præ aliis ad gloriam deſtinati. Sed poterat Sotus à conuitiis abſtinere, quoniam frequens eſt vſus iſtius præpoſitionis, *pro*, in ſacra Scriptura, quatenus ſignificat anteceſſionem, & eminentiam quandam alicuius perſonæ præ aliis. Præter quod etiam rationi conſentanea eſt interpretatio Catharini: nam Deus voluntate antecedenti omnes rationales creaturas deſtinauit in finem ſupernaturalem æternæ ſalutis. quare illi qui altiori quodam modo voluntate conſequenti ſunt præ aliis deſtinati, illi iure merito vocari poſſunt prædeſtinati.

Dominic. Soto.

IV. Sed ſiue prædeſtinatio importet ſolam anteceſſionem æternitatis ad tempus, ſiue etiam aliquam præeminentiam electorum ſupra non electos, pro nunc ſufficiat, ipſam prædeſtinationem ſecundùm accommodationem, & vſum, qui frequens eſt in ſcholis Theologorum, quique inſtituto noſtro deſeruit, ſignificare vel prædefinitionem, & præordinationem quandam, qua Deus aliquas creaturas rationales ad finem ſupernaturalem per media ſupernaturalia efficaciter ab æterno præordinauit, aut rationem tranſmiſſionis earundem creaturarum in ipſum finem ſupernaturalem per media ſupernaturalia in ipſo Deo ab æterno exiſtentem. Dixi autem notanter, *ſecundùm accommodationem, & vſum, qui frequens eſt in ſcholis Theologorum*, primò, quia non me latet, aliquando in Scripturis, & ſanctis Patribus permutari ad inuicem iſta nomina prædeſtinationis, & præſcientiæ, vnde & electi dicuntur præſciti ad Roman. cap. 8. & è contrario reprobi vocantur prædeſtinati à D. Auguſtino in Enchirid. cap. 100. dum ait, *Implet, quod vult Deus, de malis etiam eliciens bonum, cùm ſit ſummè bonus, & ad damnationem eorum, qui prædeſtinati ſunt ad pœnam, & ad ſalutem eorum, qui prædeſtinati ſunt ad gratiam.* quo modo loquendi vtitur etiam lib. 15. de ciuitate cap. 1. & lib. 21. cap. 24. & lib. 6. Hypognoſticon, & Iſidorus Hiſpalenſis lib. 2. de ſummo bono cap. 6. Secundò, quia nomen Prædeſtinationis de ſe eſt quid latiùs patens, quàm deſeruiat noſtro inſtituto. Primò nanque ſignificat quamcunque ordinationem, ſiue ad gloriam, ſiue ad pœnam, vt patet ex locis proximè allegatis. Secundò ſignificat præordinationem, & præparationem gratiæ apud Auguſtinum lib. de prædeſtinatione ſanctorum cap. 10. Tertiò ſignificat præordinationem conferendi quodcunque donum etiam ſpectans ad ordinem naturæ apud eundem Auguſtinum lib. 6. Hypognoſticon, & Damaſcenum lib. 2. de fide cap. 30. Cæterum ſecundùm accommodationem, & vſum receptum in ſcholis Theologorum ſignificat ſolùm præordinationem creaturæ rationalis ad gratiam, & gloriam: & accipitur ſolùm in bonam partem, ſicut è contrario nomine præſcientiæ intelligunt Scholaſtici præordinationem ad pœnam. vnde electi ad gloriam vocantur prædeſtinati, reprobi verò vocantur præſciti.

Auguſtin. Iſidor. Hiſpal. Auguſt. Damaſc.

V. Eſſe autem in Deo prædeſtinationem hoc modo acceptam, eſt doctrina fidei, quæ elicitur euidenter ex ſacra Scriptura, in qua electi ad gloriam vocantur prædeſtinati. nam D. Paulus ad Roman. cap. 1. de Chriſto inquit, *qui prædeſtinatus eſt filius Dei in virtute.* & cap. 8. *Quos præſciuit, & prædeſtinauit, quos prædeſtinauit, hos & vocauit*, &c. & in epiſtola 1. ad Corinth. cap. 2. *Quam prædeſtinauit Deus ante tempora ſæcularia.* & ad Epheſ. cap. 1. *Qui prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtum.*

D. Thom.

D.Thom. 1.part.q.23.art.1. probat eandem veritatem ratione deſumpta ex diuina prouidentia, cuius prædeſtinatio eſt ſpecies, vt dicemus cap. ſequenti. Nam ſpectat ad Deum, qui eſt autor omnium rerum, omnia dirigere, & ordinare in ſuos fines, & adhibere illis media opportuna ad eoſdem fines aſſequendos: ſed finis creaturæ rationalis eſt duplex, alter naturalis, alter ſupernaturalis. Ergo ad Deum ſpectat non ſolùm dirigere creaturam rationalem in finem naturalem per media naturalia, ſed etiam debet illam dirigere in finem ſupernaturalem per media ſupernaturalia: talis autem præparatio, & ordo creaturæ rationalis in finem ſupernaturalem per media ſupernaturalia vocatur Prædeſtinatio.

VI. Sed contra hanc veritatem eſt argumentum. nam per prouidentiam ſupernaturalem, de qua lib. præcedenti controuerſia tertia dictum eſt, omnes homines ſufficienter ordinantur in finem ſupernaturalem. Ergo ſuperflua eſt prædeſtinatio. Si dicatur, quòd prædeſtinatio ſpectat ad ipſam prouidentiam. Contrà aliæ creaturæ per hoc, quòd per diuinam prouidentiam ordinantur in ſuos fines, non dicuntur prædeſtinatæ. Ergo neque per hoc, quòd creatura rationalis per diuinam prouidentiam ordinatur in ſuum finem, debet dici prædeſtinata.

Reſpondetur, ipſam prædeſtinationem contineri ſub prouidentia ſupernaturali, ſicut ſpeciem ſub genere. Cùm dicitur, quòd aliæ creaturæ per hoc, quòd per diuinam prouidentiam ordinantur in ſuos fines, non dicuntur prædeſtinatæ. Reſpondetur, quòd aliæ creaturæ, præter rationales, non ordinantur in ſuos fines, niſi per generalem prouidentiam; creaturæ verò rationales omnes ordinantur in finem ſupernaturalem per prouidentiam ſpecialem, quæ eſt prouidentia ſupernaturalis. Verùm prædeſtinati inter omnes creaturas rationales ſpecialiſſimo quodam modo ordinantur in eundem finem ſupernaturalem per prouidentiam ſpecialiſſimam, quæ dicitur Prædeſtinatio, adeò quòd prædeſtinatio differt à prouidentia generali, & ſpeciali, ſicut ſpecies ſpecialiſſima differt à genere generaliſſimo, & à genere ſubalterno, non autem ſicut vna ſpecies ſpecialiſſima differt ab alia per differentias oppoſitas immediatas.

VII. Secundò contra eandem veritatem poteſt fieri argumentum ex autoritate D. Ioannis Damaſc. lib.2.de fide cap.30. vbi dicit, Deum omnia præſcire, ſed non omnes prædeſtinare, præſciens enim, quæ ſunt in noſtra poteſtate, ea demum prædeſtinat, quæ non ſunt in noſtra poteſtate. quam autoritatem iuxta hunc ſenſum citat D. Thom.de veritate q.12.art.10.

Damaſc.

D.Thom.

Reſpondetur, quòd Damaſcenus loquitur de prædeſtinatione, quæ imponit abſolutam neceſſitatem pugnantem cum humana libertate, vt ſit ſenſus, quòd actus, qui ſunt in noſtra poteſtate, non ſunt prædeſtinati, id eſt, non ſunt efficaciter prædefiniti, ante præſcientiam liberæ determinationis noſtræ voluntatis: non autem abſolutè negat prædeſtinationem, quæ ſtat cum arbitrij noſtri libertate.

CAPVT II.

Quid ſit Prædeſtinatio declaratur, & an ſit ſpecies Prouidentiæ.

I. PRæmiſſa nominis declaratione, vt veram, & exactam Prædeſtinationis definitionem aſſequi valeamus, duo dubia priùs reſoluere operæpretium eſt. Primum, an prædeſtinatio ſpectet ad diuinum intellectum, an potiùs ad diuinam voluntatem. Secundum, an prædeſtinatio ſit pars prouidentiæ ſubiectiua.

Prima ſententia circa primum dubium eſt, quam docuerunt Scotus, Bonauent. Gabriel, & illorum ſectatores in 1.ſentent. 40. diſt. Dicunt iſti Doctores prædeſtinationem formaliter eſſe actum diuinæ voluntatis, quamuis concomitanter, vel antecedenter dicant etiam actum diuini intellectus, inquit enim Scotus, quòd prædeſtinatio importat ordinem electionis creaturæ rationalis ad gratiam, & gloriam. & Bonauentura inquit, quòd licèt prædeſtinatio pertineat ad actum ſcientiæ, & voluntatis, & potentiæ, nempe ad actum ſcientiæ, vt diſponentis, & voluntatis vt efficientis, & potentiæ vt exequentis, tamen quia cauſalitas gratiæ, & gloriæ præcipuè ſpectat ad voluntatem; ideo prædeſtinatio præcipuè eſt actus voluntatis, Motiua huius opinionis ſunt, quia prædeſtinatio vocatur propoſitum, & electio, ad Roman. cap.8. & 9. & prædeſtinati vocantur electi, & dilecti, ad Epheſ.cap.1.Matth. cap.20.in Pſalm.64. propoſitum verò, electio, & dilectio actus ſunt diuinæ voluntatis. Ad hæc prædeſtinatio opponitur reprobationi, quam conſtat eſſe actum voluntatis. Rurſus prædeſtinatio importat cauſalitatem infallibilem, & efficaciam: hæc attribuitur voluntati. Tandem prædeſtinatio præſupponit præſcientiam futurorum, ex D.Thom.3.part.q.1.art.3.ad 4. Ergo non pertinet ad actum intellectus, alioqui ſeipſam præſupponere deberet.

Scotus. Bonauen. Gabriel.

D.Thom.

II. Secunda ſententia eſt D.Thom. dicentis, prædeſtinationē principaliter eſſe actum diuini intellectus. ait enim in 1.par.q.23.a.1. quòd prędeſtinatio eſt ratio tranſmiſſionis creaturæ rationalis in finem ſupernaturalem, & eſt pars diuinæ prouidentiæ; ratio verò, & prouidentia ad intellectum pertinēt. Animaduertendum eſt tamen, prædeſtinationem in via D.Thomæ innuere etiam, & includere actum voluntatis: quia cùm ſit pars prouidentiæ, & prouidentia ſit ratio practica, ratio autem practica neceſſariò includat ſaltem virtualiter actum voluntatis, ſequitur etiam, prædeſtinationem in via D. Thom. includere virtualiter ſaltem actum voluntatis circa finem, & circa media, per quæ rationalis creatura perducitur in ipſum finem.

II. D.Thom.

Tertia opinio eſt aliorum, qui dicunt, prædeſtinationem æqualiter ſpectare ad intellectum, & voluntatem. Cuius opinionis præcipuum fundamentum eſt definitio illa prædeſtinationis, quam ex Auguſtino in lib. de bono perſeuerantiæ refert Magiſter dicta diſtinct.40. videlicet prædeſtinatio eſt præſcientia, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſſimè liberantur, quicunque liberantur.

Magiſter.

III. Circa hoc dubium duo videntur dicenda. Primum, prædeſtinationem intrinſecè ſpectare ad intellectum, & etiam ad voluntatem: quia omnes ferè definitiones prædeſtinationis traditæ à Patribus, & Scholaſticis includunt actum intellectus, & voluntatis. Deinde prædeſtinatio eſt pars prouidentiæ, quæ neceſſariò includit actum intellectus, & voluntatis. Præterea prædeſtinatio non eſt ſola ratio ſpeculatiua tranſmiſſionis creaturæ rationalis in finem ſupernaturalem, ſed neceſſariò dicit decretum diuinæ voluntatis demandandi executioni eandem rationem tranſmiſſionis eiuſdem creaturæ rationalis in finem gloriæ.

III.

Secundò videtur dicendum, prædeſtinationem principa

principaliter dicere actum diuini intellectus, minus verò principaliter dicere actum voluntatis, vel antecedentem, & virtualiter inclusum in actu intellectus, vel sequentem, tanquam illum, per quem completur ipsa prædestinatio. Ratio huius dicti multiplex est. quia primò prædestinatio, vt dictum est, ad prouidentiam spectat, prouidentia verò magis principaliter spectat ad actum intellectus. Secundò, quia prædestinati in Scripturis vocantur præordinati, & prædestinatio vocatur præordinatio electorum in vitam æternam, in actis Apostolorum cap. 13. *Crediderunt, quotquot præordinati erant in vitam æternam.* vnde Augustinus in lib. de bono perseuer. cap. 16. inquit, quòd prædestinare est in præscientia, quæ futura sunt, disponere, & ordinare: ordinare autem ad intellectum, non ad voluntatem saltem principaliter spectat. August. Tertiò prædestinatio dicitur liber vitæ, vt notat Glossa in illa verba Psal. 68. *deleantur de libro viuentium.* liber autem vitæ est notitia, qua prædestinauit Deus electos, quos præsciuit, vt notat eadem Glossa ibid. Glossa. Dicitur autem prædestinatio liber vitæ, per quandam metaphoram, vt notat D. Thom. 1. part. q. 24. quia sicut, qui à Principe eliguntur ad aliquam dignitatem, scribuntur in libro, vnde & Senatores Romanæ Reipub. vocabantur Patres conscripti: sic per quandam metaphoram electi ad æternam gloriam dicuntur per diuinam prædestinationem in libro diuinæ mentis indelebiliter conscripti. D. Thom.

IV. Ad argumenta verò primæ opinionis. Ad primum, quod erat, Prædestinatio vocatur propositum diuinæ voluntatis, respondetur, prædestinationem vocari propositum, non quòd in proposito illo sita sit præcipua ratio prædestinationis, sed quia in ipsa prædestinatione includitur etiam propositum, quod complet rationem prædestinationis, & ob eandem rationem prædestinati dicuntur electi, & dilecti, non quòd electio, & dilectio formaliter sit prædestinatio, sed quia includitur in ipsa prædestinatione, vel antecedit illam, vel sequitur tanquam eius complementum. Præter quod quamuis prædestinati dicantur electi, & dilecti, non tamen sequitur, prædestinationem esse electionem, aut dilectionem: multa enim sunt, quæ de se inuicem prædicantur in concreto, quæ tamen non prædicantur de se inuicem in abstracto.

Ad secundum, quod erat, Prædestinatio opponitur reprobationi. Ergo sicut reprobatio spectat ad voluntatem, ita & prædestinatio. Respondetur negando, reprobationem opponi ipsi prædestinationi, de qua re inferiùs. & dato quòd aliquo modo opponatur ipsi reprobationi. Respondetur, quòd sicut prædestinatio includit actum voluntatis, ita etiam reprobatio: non tamen ex hoc sequitur, prædestinationem aut reprobationem principaliter esse actum voluntatis.

Ad tertium quod erat, Prædestinatio importat infallibilem causalitatem: hæc autem attribuitur voluntati; respondetur, hoc argumentum concludere, quòd prædestinatio includit etiam actum voluntatis: non quòd principaliter illum significet. Quomodo verò prædestinatio, & respectu quorum dicat infallibilem causalitatem, inferiùs declarandum est.

Ad quartum, quod erat, prædestinatio præsupponit præscientiam futurorum, omissis multis, quæ dicit Caietanus tertia part. quæstione prima art. 3. respondetur, prædestinationem supponere quidem præscientiam futurorum, non tamen illorum futurorum, quæ constituuntur per ipsam prædestinationem. & si supponit præscientiam eorum, quæ per ipsam prædestinationem constituuntur, non tamen præsupponit præscientiam illorum, quatenus absolutè futura sunt, sed solùm, quatenus sunt fieri possibilia. Caietanus.

V. Circa secundum dubium, an prædestinatio sit pars subiectiua diuinæ prouidentiæ, eadem fere occurrit dubitatio. Sunt enim nonnulli, qui contendunt, prædestinationem non esse partem prouidentiæ subiectiuam, sed obiectiuam tantùm, vel quasi integralem, id est, prædestinationem non esse speciem prouidentiæ, sub illa contentam, tanquam sub genere, sed solùm posse dici partem prouidentiæ obiectiuam, quatenus versatur circa idem obiectum, circa quod versatur diuina prouidentia, nimirum circa creaturam rationalem, circa finem eiusdem creaturæ supernaturalem, & circa media supernaturalia, per quæ ipsa rationalis creatura dirigitur in huiusmodi finem. dictum est enim in lib. 5. quòd creatura rationalis per prouidentiam supernaturalem dirigitur in finem supernaturalem per media supernaturalia: vnde cùm per diuinam prædestinationem creatura rationalis dirigatur etiam in finem supernaturalem æternæ beatitudinis, videtur prædestinatio ad prouidentiam supernaturalem spectare, quamuis revera non sit species ipsius prouidentiæ, quia alio, & alio modo creatura rationalis ordinatur in finem supernaturalem per prouidentiam, & per ipsam prædestinationem. ita sentiunt Caietanus prima part. quæstione 23. articulo primo, Vasquez ibid. disput. 87. capite vltimo, & alij, quos refert, & sequitur ex parte Trigosius quæstione 18. articulo secundo dubio primo, & vniuersaliter eandem sententiam tueri debent illi omnes, qui contendunt, prædestinationem formaliter esse actum voluntatis, non intellectus, inter quos sunt Scotus, & D. Bonauentura. Caiet. Vasquez. Trigosius.

Alij è contrario tenent, prædestinationem esse partem subiectiuam prouidentiæ, & illius speciem propriè dictam, eo modo saltem, quo in actibus diuinis immanentibus saluari potest vera ratio generis, & speciei. Hanc sententiam apertè docere videtur D. Thom. dicta quæstione 23. articulo primo, & hæc sententia videtur probabilior, maximè quia, vt dictum est, prædestinatio principaliter spectat ad intellectum, & est ratio transmissionis creaturæ rationalis in finem supernaturalem gloriæ. vnde non differt prædestinatio à prouidentia supernaturali, nisi sicut species à genere, quatenus per prouidentiam supernaturalem genericè conceptam creatura rationalis ordinatur in finem supernaturalem, & præparantur illi media supernaturalia ad talem finem assequendum, abstrahendo tamen ab hoc, quod est de facto assequi, vel non assequi ipsum finem; prædestinatio verò supra genericam rationem ipsius prouidentiæ supernaturalis addit infallibilem assecutionem ipsius finis. adeò quòd concipere possimus primò prouidentiam generalissimè sumptam diuidi in prouidentiam naturalem, & supernaturalem, per quarum primam res ordinantur in finem naturalem, per secundam ordinantur in finem supernaturalem. Secundò prouidentiam supernaturalem diuidi in prouidentiam, qua res ordinantur in finem supernaturalem voluntate antecedenti simplicis complacentiæ. D. Thom.

placentiæ, & inefficaci ſine affectione infallibili eiuſdem finis, & in prouidentiam ſupernaturalem, qua res ordinantur in finem ſupernaturalem voluntate conſequenti, & efficaci cum infallibili affectione finis. & iſta vltima prouidentia vocatur prædeſtinatio, & continetur ſub prouidentia ſupernaturali, ſicut ſpecies ſpecialiſſima ſub genere ſubalterno. Sed de hac controuerſia, quæ leuis eſt, nec opus eſt circa illam diutius immorari, videri poteſt Trigoſius abundè diſputans loco proximè allegato. Trigoſius.

VI. Ex præmiſſis facilè intelligi poſsũt definitiones prædeſtinationis allatæ ab Auguſtino, & Scholaſticis. nonnulli enim prædeſtinationem definiunt in ordine ad voluntatem; alij in ordine ad intellectum; alij in ordine ad vtrunque. In ordine ad voluntatem definitur Prædeſtinatio ab Auguſtino in Enchirid. cap. 94. 98. 99. & in lib. 6. Hypognoſticon tali pacto: *Prædeſtinatio eſt propoſitum miſerendi.* Ad intelligentiam huius definitionis, notandum eſt, ex ſententia Auguſtini Deum ex ſe primò omnes homines ordinaſſe in finem ſupernaturalem beatitudinis æternæ, niſi per illos ſtetiſſet. Secundò præuidiſſe totum genus humanum per peccatum Adæ infectum, & vitiatum fuiſſe, & confluxiſſe in vnam maſſam perditionis dignam damnationis, & mortis. Tertiò ex hac maſſa perditionis nonnullos efficaciter decreuiſſe miſericorditer liberare, aliis derelictis in eadem maſſa perditionis. Hanc voluntatem efficacem, & hoc decretum liberandi miſericorditer aliquos de maſſa perditionis, & conferendi illis media efficacia, quibus infallibiliter perueniant ad gloriam, Auguſtinus vocat Prædeſtinationem, quæ eſt propoſitum miſerendi. Auguſt.

VII. In ordine ad eandem voluntatem definitur prædeſtinatio à Scoto in primo diſt. 40. in hunc modum: *Prædeſtinatio eſt ordo electionis creaturæ intellectualis, ad gratiam, & gloriam.* Ad intelligentiam huius definitionis, notandum ex doctrina eiuſdem Scoti in eodem primo diſt. 41. & in tertio ſentent. diſt. 7. quæſt. 3. & diſt. 19. §. *In iſta quæſtione.* hunc ordinem progreſſionis fuiſſe in mente diuina in electis prædeſtinandis. nam in primo inſtanti Deus nouit ſeipſum, in ſecundo nouit omnes creaturas rationales, in tertio elegit quaſdam ex illis ad gratiam, & gloriam, & inter illas præcipuè elegit Chriſtum, in cuius honorem, & gloriam creaturas cæteras elegit. in quarto voluit creaturis electis gratiam efficacem, qua mediante illæ perueniunt ad gloriam, & his duobus vltimis inſtantibus ſecundùm Scotum completur ratio diuinæ prædeſtinationis: non enim ſufficit ad perfectam rationem prædeſtinationis voluntas conferendi gloriam, abſque voluntate conferendi media ad aſſequendum finem, ſi enim per ſolam electionem ad gloriam compleretur ratio prædeſtinationis, vel prædeſtinatus non aſſequereꝛur gloriam, vel caſu illam aſſequeretur, aut certè electio ad gloriam eſſet ſimilis, ſicut ſi quis ſaluàretur ſine meritis. Scotus.

VIII. Ad cuius rei pleniorem declarationem notandum eſt, eſſe tres actus in voluntate diuina circa prædeſtinatos. Primus dicitur dilectio. Secundus electio. Tertius prædeſtinatio. iſti tres actus quanuis nonnunquam confundantur, & accipiantur vnus pro alio, tamen propriè loquendo non ſunt vnus, & idem actus, ſed diſtincti, & ſeſe aliquo ordine inuicem ſupponentes ex D. Thom. prima parte quæſtione 23. art. 4. Inter hos actus talis eſt ordo, quòd dilectio reſpicit obiectum diligibile ſecundùm ſe, & abſolutè conſideratum, non autem vt comparatum cum alio. Electio vel ſupponit diſtantiam eius, qui eligitur ab illis, qui non eliguntur, vel illam facit. Tandem prædeſtinatio reſpicit non finem, ad quem res eligitur, ſed media, per quæ in finem dirigitur. Eſt igitur dilectio voluntas, ſiue actus diuinæ voluntatis, quo Deus vult creaturæ rationali finem æternæ gloriæ ſecundùm ſe, non comparando vnam creaturam cum alia: Electio verò eſt voluntas conferendi alicui creaturæ gratiam, aut gloriam non ſecundùm ſe, & abſolutè conſideratæ, ſed vt comparatæ ad alias creaturas, quibus non eodem modo Deus vult gratiam, aut gloriam. eſt enim duplex electio, altera quæ fit præuio examine, & ſupponit diſtantiam aliquam eius, qui eligitur ab alio, qui non eligitur, & iſta eſt electio ad gloriam, de qua loquitur D. Auguſtinus libro primo ad Simplician. quæſtione 2. vbi dicit, quòd qui eligitur, iam ſupponitur diſtans ab eo, qui non eligitur, & dicit etiam electionem ſequi ad iuſtificationem. Alia eſt electio, quæ non fit præuio examine, neque ſupponit diſtantiam in eo, qui eligitur, ab alio, qui non eligitur, ſed illam ſecum affert, & iſta eſt electio ad gratiam, de qua loquitur Auguſtinus in libro de Prædeſtinatione ſanctorum capite 19. De vtraque verò electione loquitur idem Auguſtinus ſermone 7. de verbis Domini. Tandem prædeſtinatio propriè loquendo verſatur non circa finem, ſed circa media ad finem, ſicut colligitur ex definitione prædeſtinationis, quam ex Auguſtino in libro de bono perſeuer. capite 14. ſtatim ſubiiciemus: quanuis reſpiciat media, quatenus habent infallibilem habitudinem ad ipſum finem. & eſt expreſſa doctrina D. Thom. dicta quæſtione 23. art. 4. Circa hos tres actus variæ occurrunt dubitationes non contemnendæ. nam circa actum dilectionis dubium occurrit, vtrùm omnes creaturæ rationales verè diligantur à Deo in finem ſupernaturalem æternæ beatitudinis. Sed hoc dubium eſt reſolutum lib. præcedenti controuerſia tertia. Similiter circa actum electionis dubium occurrit, vtrùm aliqua creatura rationalis fuerit efficaciter electa ad gloriam ante præuiſa eius merita. hoc dubium reſoluemus in hoc libro controuerſia tertia. Tandem circa actum prædeſtinationis dubium occurrit, an inter effectus prædeſtinationis numeranda ſit aſſecutio gloriæ, de quo dubio ſtatim dicemus. D. Thom.

IX. In ordine ad diuinum intellectũ definitur prædeſtinatio à D. Thom. dicta q. 23. art. 1. in hũc modum: *Prædeſtinatio eſt ratio tranſmiſſionis creaturæ rationalis in finem vitæ æternæ.* Ilta definitio conuenit omnibus contentis ſub definito, conuenit enim non ſolùm hominibus, ſed etiã Angelis, & animæ Chriſti. Dicitur, quòd eſt *ratio*, ad denotandum actum intellectus, in quo principaliter conſiſtit diuina prædeſtinatio. Dicitur *tranſmiſſionis*, &c. per quam particulam denotantur non ſolùm creatura prædeſtinata, ſed etiam media, per quæ ipſa creatura dirigitur in finem vitæ æternæ. Dicitur *vitæ æternæ*, ad denotandum finem ipſius prædeſtinationis, cuius finis aſſecutio eſt de ratione intrinſeca ipſius prædeſtinationis.

X. In ordine ad intellectum, & voluntarem definitur Prædeſtinatio à D. Auguſtino lib. de bono perſeuer. cap. 14. & à Magiſtro diſt. 40. in hunc modum: *Prædeſtinatio eſt præſcientia, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſſimè liberantur, quicunque liberantur.* Hæc definitio reſpicit actum intelle- Auguſt. Magiſter.

ctus,& voluntatis,& finem, & media,per quæ rationalis creatura prædeſtinatur, & dirigitur in ipſum finem. & primò dicitur in definitione, quòd *Prædeſtinatio eſt præſcientia*, quia prædeſtinatio neceſſariò ſupponit notitiam creaturæ prædeſtinabilis,& finis,ad quem prædeſtinatur, & mediorum, per quæ in ipſum finem prædeſtinatur.Hæc autem notitia non habet hæc omnia pro obiecto, vt futura abſolutè, ſed ſolùm, vt poſſibilia fieri, aut ad ſummum, vt futura ſub conditione, & ex hypotheſi, quòd ſi vellet creaturam rationalem condere, & ordinare ad talem finem, oporteret talia media illi præparare, tanquam conuenientia ad eiuſdem finis aſſecutionem. Non enim verum putamus, quod nonnulli dicunt, priùs Deum elegiſſe prædeſtinatos ad gloriam, deinde cogitaſſe de mediis, per quæ illos conuenienter perducere poſſet ad ipſum finem.nimis enim eſſet imperfecta huiuſmodi prouidentia, quæ poſt electionem finis indigeret conſulere circa media ad finem conuenientia, & non admodum diſſimilis à prouidentia humana. Secundò dicitur in definitione,quod eſt *præparatio*, & hoc propter tria.primò ad denotandum actum diuinæ voluntatis, qui neceſſariò requiritur ad complendam rationem prædeſtinationis, qui actus,vt dictum eſt,triplex eſt, ſcilicet dilectio rationalis creaturæ, & eiuſdem electio ad finem gloriæ, & voluntas conferendi eidem media, per quæ finem aſſequatur. Secundò dicitur præparatio propter actum practicum, qui ſequitur actum voluntatis, qui ſcilicet eſt ratio practicta ſupponens liberum actum voluntatis. Eſt autem iſta ratio practica actus quidam diuini intellectus,quo imperialiter ordinat creaturam rationalem in finem æternæ gloriæ, ſiue, quod idem eſt, per quem imperialiter præcipit ipſum ordinem præparationis mediorum. eſt enim in ipſo intellectu quoddam imperium per modum legiſ-
D.Thom. lationis, ſicut dicit D.Thom. in 1.2.q.17. articulo primo. Scio tamen diſſenſionem eſſe inter Doctores, vtrùm ad conſtituendam completam rationem prouidentiæ, & prædeſtinationis neceſſarius ſit iſte actus practicus per modum imperialis ordinationis, nonnullis contradicentibus, & dicentibus, compleri diuinam prædeſtinationem per ſolum intuitum diuini intellectus, quo intuetur omnes creaturas rationales, & illarum fines, & media, & quid per ipſa media vnaquæque creatura eſſet effectura circa aſſecutionem ſui finis, ſi collocaretur in tali ordine, & cum talibus mediis, & per actum diuinæ voluntatis, quo Deus nonnullis creaturis efficaciter exoptauit aſſecutionem talis finis per talia
Molina. media. hoc enim eſt, Deum diligere, & eligere, & prædeſtinare creaturas rationales in Chriſto, quia illis exoptauit efficaciter merita Chriſti,quibus mediantibus peruenirent ad gloriam, & ita dicit Molina dicta q. 23. articulo primo, & 2. diſput.ſecunda. Nihilominus ſuſtineri poteſt doctrina D. Thom. quia cùm prædeſtinatio ſit ratio intellectus practici, ille intuitus diuinus antecedens actum liberæ voluntatis non poteſt habere rationem actus verè practici, quia nihil dictat de opere faciendo, quod neceſſariò requiritur ad conſtituendam rationem notitiæ practicæ, ex tertio libro de Anima text. 49. vnde aut
Ariſtot. prædeſtinatio non eſt ratio practica, aut præter iſtam notitiam, quam ponit Molina, deſideratur adhuc alius actus practicus diuini intellectus ad complendam rationem prædeſtinationis diuinæ.

XI. Tertiò dicitur quòd prædeſtinatio eſt præparatio, quia prædeſtinatio vel eſt actio diuina, vel neceſſariò illam infert, ſicut dicit D. Gregorius D.Gregor. libro primo Regum,capite 14. quòd prædeſtinare eſt facere, & D.Auguſtinus lib. de Prædeſtinatione ſanctorum capite 10. cùm ait, quòd prædeſti- Auguſt. nare dicitur Deus,dum ſua dona diſponit.quanuis magis propriè loquendo iſta diſpoſitio, quam Auguſtinus vocat Prædeſtinationem, non ſit actio tranſiens, & temporalis, impropriè enim actio tranſiens dicitur prædeſtinatio, ſed actio immanens, & æterna, Prædeſtinatio enim æterna eſt.

Tertiò dicitur *beneficiorum Dei*, per quam particulam denotatur media, quæ Deus confert electis XII. ad ſalutem aſſequendam. & nomine beneficiorum intelliguntur effectus ipſius prædeſtinationis. Vt autem ſciatur, qui ſint effectus diuinæ prædeſtinationis, notandum eſt, ad hoc, vt aliquid poſſit dici effectus prædeſtinationis, tres conditiones requiri. prima eſt,vt talis effectus ſit à Deo: quia effectus, qui non poſſunt reduci niſi in creaturam, vt propriam illorum cauſam, non poſſunt numerari inter effectus prædeſtinationis, de quorum numero eſt peccatum. Iſta conditio colligitur ex D. Auguſtino in lib. de prædeſtin. Auguſt. ſanctorum capite 10. vbi ponit diſcrimen inter præſcientiam,& prædeſtinationem, quòd præſcit Deus etiam, quæ non facit, prædeſtinat verò ſolùm illa, quæ facit. Secunda conditio eſt, vt talis effectus ſit medium ordinatum à Deo ad aſſequendum finem gloriæ.Tertia conditio eſt, vt ſit medium ita ordinatum ad aſſecutionem talis finis, quòd per illud creatura infallibiliter aſſequatur talem finem.

Secundò notandum eſt, duobus modis nos loqui poſſe de effectibus diuinæ prædeſtinationis, vno modo comparatione prædeſtinationis totius corporis myſtici omniũ electorum, & hoc modo ſub nomine effectuum prædeſtinationis comprehenduntur omnia bona creata, quæ ſunt in vniuerſo,non ſolùm ordinis ſupernaturalis,ſed etiam ordinis naturalis,immo & permiſſio omnium peccatorum. hæc doctrina colligitur ex D.Paulo ad Roman.cap.8. vbi ait,quòd *diligentibus Deũ omnia cooperantur in bonum,his qui ſecundum propoſitum vocati ſunt ſancti.* quem locum exponens D.Auguſtinus Auguſt. lib.de Corrept.& Gratia cap.9.de ipſis prædeſtinatis ait, *Vſque adeò diligentibus Deũ omnia cooperantur in bonum,vt ſi quando deuient,& exorbitẽt,etiã hoc ipſum eos faciat proficere in bonum,quatenus humiliores per pœnitentiam redeunt.* & idem D.Paulus ad Rom.c.9.ait, quòd *Deus ſuſtinuit in multa patientia vaſa iræ aptata in interitum,vt oſtẽderet diuitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, quæ præparauit in gloriam.* & c.11.inquit, quòd *cæcitas ex parte contigit in Iſrael, donec plenitudo gentiũ intraret.*& hæc vna eſt ex præcipuis cauſis, ob quas permiſit Deus ruinam Angelorum,& peccatũ Adæ, & Eccleſiam à Tyrãnis vexari,cùm potuiſſet impedire:quia hæc omnia tãdem ceſſerũt in incremẽtum gloriæ cœleſtis Hieruſalem,ſicut dicit Auguſt.lib.11.de ciuitate c.18. Auguſt. *Neque enim Deus vllum non dico Angelorum, ſed vel hominum crearet,quem malũ eſſe præſciuiſſet,niſi pariter noſſet,quibus eos bonorum vſibus accommodaret: atque ita ordinem ſæculorum tanquam pulcherrimum carmen etiam ex quibuſdam quaſi antithetis honeſtaret.* & in Pſal. 118. inquit, quòd *purpurata eſt vniuerſa terra ſanguine Martyrũ,& floret cœlum coronis Martyrum, & ornatæ ſunt Eccleſiæ coronis Martyrum.*

Alio modo loqui poſſumus de effectib. prædeſtinationis comparatione prædeſtinationis huius, XIII.

aut

aut illius perſonæ particularis. & tunc dico, ſub nomine effectuum prædeſtinationis diuinæ, primò comprehendi omnia auxilia ſupernaturalia interna, & externa præuenientis gratiæ, & cooperantis, ſeu adiuuantis, & præcipuè præclariſſimum illud donum perſeuerantiæ vſque in finem, de quo ſa-
Conc. Trid. crum Concilium Tridentinum ſeſſ. 6. de iuſtificatione cap. 13. & can. 22. & Auguſtinus toto libro
Auguſt. de bono perſeuer. Secundò dico, ſub nomine effectuum prædeſtinationis comprehendi etiam merita noſtra, quia illa ſunt media, ſine quibus non peruenitur ad finem æternæ gloriæ. Et loquor de meritis prouenientibus ex diuina gratia, & in illa fundatis. Tertiò dico, ſub nomine effectuum diuinæ prædeſtinationis comprehendi etiam multa dona, & auxilia, quæ licet ſecundùm ſe ſumpta ſint ordinis naturalis, tamen quatenus per ſpecialiſſimam Dei prouidentiam ordinantur ad hominis ſalutem, ſunt numeranda inter effectus diuinæ prædeſtinationis. huiuſmodi ſunt bona temporalia, bona corporis, ac animi diſpoſitio, parentum exempla, optima educatio. Et quidem bona temporalia poſſe numerari inter effectus prædeſtinationis, probatur, quia iſta prædeſtinatis cooperantur in bonum, & Eccleſia in Litaniis illa po-
D. Thom. ſtulat à Deo, & D. Thom. in 1. 2. in fine docet, quòd illa poſſunt cadere ſub merito. Eiuſmodi ſunt etiam preſſuræ quædam, & repentina infortunia, paupertas, corporis infirmitas, & perſecutio, his enim mediis Deus ſæpiſſimè reuocat à peccato ad propriæ iniquitatis intelligentiam, & pœnitentiam.

Tandem ipſa peccati permiſſio nonnunquam eſt effectus diuinæ prædeſtinationis, permittit enim Deus electos cadere, vt illorum caſus illos faciat proficere, & cautiores reſurgere, ſicut dicit
Auguſt. Auguſtinus lib. 14. de ciuitate cap. 13. quòd *vtile eſt ſuperbis cadere in aliquod apertum, manifeſtúmque peccatum, vt ſibi diſpliceant, qui ſibi iam placendo ceciderunt.* & exemplum habemus in Petro Apoſtolo, quem permiſit Chriſtus cadere in peccatum abnegationis, ad reprimendam vanam confidentiam, qua iactabat, ſe velle pro Chriſto mori.

XIV. Vtrùm autem ipſa gloria numeranda ſit inter effectus diuinæ prædeſtinationis, ſunt qui partem affirmatiuam tueantur, contendántque eſſe ſen-
D. Thom. tentiam Magiſtri in 1. diſt. 40. & 41. & D. Thom. 1. part. q. 23. art. 2. & 4. Oppoſitum tamen dicendum eſt cum eodem D. Thom. ibid. art. 4. vbi diſtinguit actum electionis ab actu prædeſtinationis per hoc, quòd electio eſt finis, & prædeſtinatio eſt
Durand. medium ad finem. quam ſententiam ſequitur Durand. diſt. 41. q. 2. n. 10. Eſt igitur ipſa gloria non effectus prædeſtinationis, ſed finis, ad quem effectus diuinæ prædeſtinationis habent eſſentialem, & inſeparabilem habitudinem, ſiue, quod idem eſt, gloria non eſt effectus prædeſtinationis, ſed illius finis, per effectus prædeſtinationis aſſequendus. Et hoc eſt ſolum, quod voluerunt dicere Magiſter, & D. Thom. & hæc omnia comprehendit Auguſtinus ſub nomine beneficiorum Dei. Quibus omnibus illud adiiciendum eſt, quòd huiuſmodi effectus ita ſunt prædeſtinationis effectus, vt vnus effectus poſſit etiam eſſe cauſa alterius: nam & gratia præueniens eſt cauſa iuſtificationis, & meritorum, quę ſunt effectus ipſius prædeſtinationis. Iſti autem effectus non reperiuntur neceſſariò in quolibet prędeſtinato: nó enim reperiũtur omnes in paruulis, immo etiam in adultis nonnunquam deſiderantur nonnulli ex iſtis effectibus, ſed dicimus omnes effectus prædeſtinationis ad iſtos reduci, quia non dantur alij effectus, præter hactenus numeratos.

Tandem dicitur in definitione, *quibus certiſſimè* XV. *liberantur, quicunque liberantur.* per quam particulam differt prædeſtinatio à prouidentia ſupernaturali, qua non prædeſtinati ordinantur in finem ſupernaturalem æternæ ſalutis. nam de intrinſeca prædeſtinationis ratione eſt aſſecutio infallibilis ipſius finis æternæ gloriæ, quæ non eſt de ratione ſupernaturalis prouidentiæ generaliter ſumptæ. Dicitur autem, *quibus certiſſime liberantur, quicunque liberantur*: quia ſecundùm Auguſt. prædeſtinatio eſt liberatio de maſſa perditionis. vnde apparet iſtam Auguſtini definitionem non eſſe communem omnibus prædeſtinatis, ſed ſoli prædeſtinationi hominum conuenire. communis autem, eaque exactiſſima prædeſtinationis definitio eſt illa, quam ex D. Thoma tradidimus: Prædeſtinatio eſt ratio tranſmiſſionis rationalis creaturæ in finem æternæ gloriæ.

CAPVT III.

Controuerſia ſecunda de obiecto Prædeſtinationis proponitur.

OBiectum diuinæ prædeſtinationis aliud ni- I.
hil eſſe poteſt, niſi rationalis creatura, cùm prædeſtinatio, vt præcedenti controuerſia dictum eſt, ſit pars prouidentiæ ſubiectiua, cõtineatúrque ſub prouidentia ſupernaturali, ſicut ſpecies ſpecialiſſima, ſub genere ſubalterno, ob quam cauſam neceſſe eſt, prædeſtinationem verſari circa idem obiectum ſupernaturalis prouidentiæ, quod eſt rationalis creatura, contractum per aliquam differẽtiam ſpecialiſſimam, cùm autem ſub nomine rationalis creaturæ comprehendatur non ſolùm homo, ſed etiam Angelus, vt ea, quæ ſpectant ad hãc controuerſiam, quæque neceſſaria ad intelligentiam dicendorum in ſequentibus controuerſijs eſſe videntur, breuiter comprehẽdamus, ac perſtringamus, duo dubia breuiter à nobis ſunt reſoluenda. Primum, vtrùm non ſolùm homines, ſed etiam Angeli ſint prædeſtinati. Secundum, vtrùm Chriſtus, vt homo fuerit prædeſtinatus, & caput omnium prædeſtinatorum.

Quod ſpectat ad primum dubium, fuit prima opinio Ambroſij Catharini, referente Dominico Catharin. Soto in 9. cap. epiſtolæ ad Rom. fingentis duo genera prædeſtinatorum, alterum illorum, qui præ cæteris ſunt à Deo potioribus donis, & ſupernaturalibus auxiliis ita muniti, vt ab aſſecutione finis æternæ ſalutis omnino deficere non poſſint, neque ſit in eorum libertate cadere ab huiuſmodi fine. & hoc genus prædeſtinatorum non niſi valde paucos perſtringit, quos Deus præ cæteris dilexit, quales fuerunt B. Virgo, Ioannes Baptiſta, & ſancti Apoſtoli. Secundum genus complectitur omnes alios homines, quos Deus voluntate antecedenti ita ordinauit in finẽ ſupernaturalem æternæ gloriæ, vt tamẽ ab illius aſſecutione cadere poſſint, & de facto multi illorũ cadũt ab huiuſmodi fine, & ſalus illorum arbitraria eſt, itaut poſitum ſit in eorũ volũtate, & poteſtate ſaluari, aut nõ ſaluari. Quã opinionẽ ſic explicatã grauiter vrget ipſe Soto. Hanc tamẽ opinionem ſic declaratam Catharinus fortaſſe nec ſomniauit quidem. illius enim sẽtẽtia eſt, omnes homines in duos ordines diuidi, in quorum primo cõſtituit illos, quorum ſalus eſt ita certa, & infallibilis, vt ab illa omnino cadere non poſſint, qui ordo pauciſſimos cõprehẽdit. Illi qui ſub hoc ordine cõprehẽdũtur, ſoli à Catharino appellantur

Digitized by Google

Prædestinati, quasi eminentiùs, & præclariùs præ cæteris ad gloriam destinati. In secundo ordine collocantur a Catharino cæteri omnes mortales, quorum salus arbitraria est, possúntque pro suæ ipiorum voluntatis libertate saluari, aut non saluari. hos Catharinus non vocat Prædestinatos, neque saluandos, vt illi imponit Soto, si enim essent prædestinati, & saluandi, non possent non saluari de facto. Sed dicit solùm, eos qui sunt de hoc ordine, posse saluari, aut non saluari. Et hanc esse mentem Catharini, appareat ex eius libris de prædestinatione ad Concilium, & ex disceptatione de prædestinatione aduersùs Dominicum Soto, & in summa doctrinæ de prædestinatione. Verùm ex alio capite hæc sententia Catharini probari non potest primò nanque contendit Catharinus, salutem prædestinatorum arbitrariam non esse, adeò quòd prædestinati non liberè propriam salutem operentur, & liberè illam assequantur, quod verum non est, Apostolo reclamante, & dicente, *Cum metu, & tremore vestram salutem operamini.* & iterum, *qui stat, videat, ne cadat.* & rursus, *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne cùm aliis prædicauerim ipse reprobus efficiar.* & D.Ioan. in Apocal. *tene, quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam.* Secundò ait Catharinus, aliquos saluari, quorum salus non sit certa, quod falsum esse controuersia quarta ostendemus.

II. Tertiò docet, non omnes, qui saluantur, esse de numero prædestinatorum, quod etsi fortè videatur alicui posse cum extorsione violenta diuinarum Scripturarũ aliquo modo defendi, omnino probari non debet. certum enim est, omnium illorum, qui de facto saluantur, salutem fuisse ab æterno prædestinatam, neque aliquem præter prædestinatos de facto saluari: prædestinatio enim nihil aliud est, nisi ordo intellectualis creaturæ in finem æternæ gloriæ, per media supernaturalia, includens eiusdem finis assecutionem, & in hoc differt prædestinatio à prouidentia supernaturali, quæ communis est omnium creaturarum rationalium, vt sentit etiam ipse Catharinus in lib. 3. de Prædestinatione ad Patres Concilij. vbi definiens prædestinationem inquit, quòd est prouidentia Dei, qua creatura rationalis dirigitur in finem vitæ æternæ, nedum secundùm specialem rationem, sed etiam specialissimam. modò certissimum est omnes, qui saluantur, fuisse ab æterno ordinatos in finem supernaturalem per media supernaturalia, per quæ de facto ipsum finem assequerentur. Ergo necesse est, omnes, qui de facto saluantur, fuisse ab æterno prædestinatos. Catharin.

Præterea Apostolus ad Rom 8. loquens de prædestinatis ait, *Quos præscisti, & prædestinauit conformes fieri imaginis filij eius, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus.* In istis verbis Apostolus vocat prædestinatos omnes, qui præuisi sunt, & præordinati, vt essent conformes imagini Christi, & essent illius fratres: sed omnes, qui de facto saluantur, sunt conformes imagini vitæ Christi, scilicet in gratia, in laboribus, in cruce ferenda, & etiam in gloria, vt passim Scripturæ testantur, & sunt illius fratres, sicut Saluator ait: *Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis, & ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus Regnum, vt edatis, & bibatis super mensam meam.* & ita interpretantur Glossa interlinearis, & ipse Catharinus, quòd esse conformes imagini filij Dei, idem sit, quod Christi conuersationem imitari, tolerare persecutiones, labores, & cruces propter assecutionem æternæ vitæ. Sunt igitur omnes, qui de facto saluantur, ad vitam ab æterno prædestinati. Præterea D.Ioan. in Apocalyps. cap. 20. ait, omnes, qui non erant scripti in libro vitæ, missos fuisse in stagnum ignis. Ergo ab oppositio omnes, qui non mittuntur in stagnum ignis, sunt scripti in libro vitæ: liber autem vitæ est ipsa prædestinatio. omnes igitur, qui saluantur, sunt scripti in libro vitæ æternæ prædestinationis. Glossa interlin.

Secunda opinio videtur fuisse Magistri sententiarum in 1. dist. 40. ea autem est, solos homines fuisse à Deo prędestinatos. quam opinionem videtur excepisse ex D. Augustino in epistola ad Optatum, & infinitis aliis in locis, in quibus Augustinus semper docuit, prędestinationẽ esse liberationem à miseria, & à malà perditionis. vnde & definiuit ipsam prędestinationem, esse propositum miserendi, & præparationem beneficiorũ Dei, quibus certissimè liberantur, quicunque liberãtur. Ex hac opinione sequitur, Angelos beatos minimè fuisse à Deo prædestinatos. quæ sententia videtur posse suaderi ex hoc, quòd nullus prædestinatur ad rem, qua ille de facto potitur: sed Angeli sunt à Deo creati in beatitudine, vt Augustinus, & multi alij Theologi contendunt. non ergo fuerunt ad beatitudinem prædestinati. III. Magister. August.

Circa hoc dubium absolutè dicendum est, omnes, & solos homines, & Angelos, qui de facto salutem assequuntur, fuisse à Deo ab æterno prædestinatos. in hac conclusione conueniunt omnes Theologi post Magistrum dist. 40. & post D.Thom. 1. part. q. 23. art. 1. ad 3. vnde sententia Catharini non videtur posse absque temeritatis nota, & manifestissima diuinarum Scripturarum extorsione defendi. IV. Magister. D.Thom.

Et pro hac solutione difficultatum, notandum est prædestinationem duo dicere posse, primò gratiæ præparationem, & glorię, secũdò liberationem à miseria. Ratione primi omnes, non solùm homines, sed etiam Angeli possunt dici Prædestinati. ratione secundi soli homines, qui trahunt originem ab Adamo per viam ordinariam, possũt dici Prædestinati. Vel dicẽdum cum D.Thom. in 1. dist. 40. q. 1. quòd liberari à miseria duobus modis contingere potest, vno modo quando aliquis liberatur à miseria, in quam incurrit: alio modo, quando præseruatur à miseria, in quam incurreret, si sibi relinqueretur. Prædestinatio est liberatio à miseria respectu hominis primo modo, respectu autem Angelorum secundo modo. Vel tertiò dicendum, Angelos fuisse prædestinatos, licèt non sint liberati à miseria, quia motus sumit speciem à termino ad quem, qui in prædestinatione est gratia, & gloria, non à termino à quo, qui est miseria. D.Thom.

Ad rationem opinionis Magistri respondetur, Angelos non fuisse creatos in beatitudine supernaturali, immo secundùm aliquos, neque fuerunt creati in gratia, & dato quòd essent creati in gratia, & in beatitudine, quo pacto fuit creata anima Christi, nihil vetat, eandem gratiam, & beatitudinem fuisse ipsis Angelis per diuinam prædestinationem ab æterno præparatam.

CAPVT IV.

An Christus fuerit ab æterno prædestinatus.

I. Licèt solutio huius dubij alium locum sibi videatur vendicare, videtur enim spectare ad tractationẽ de mysterio dominicæ Incarnationis, ob quam causam Scholastici de prædestinatione Christi

Christi tractant cum Magistro in 3.sentent.dist.7. & dist.10.& cum D.Thom.in 3.p.q.24. Est tamen hoc in loco necessaria ad intelligentiam eorum, quæ sequenti controuersia de causis prædestinationis dicenda sunt. Circa hoc dubium non leuis oritur controuersia inter Scholasticos, quemadmodum videri potest apud Commentatores Magistri,& D.Thom.in locis proximè citatis. Ea verò tota versatur circa intelligentiam legitimam illorum verborũ D. Pauli ad Rom.1. *Qui prædestinatus est filius Dei in virtute, secundùm Spiritum sanctificationis,ex resurrectione mortuorum,Domini nostri Iesu Christi.* Si enim est aliqua ratio suadens,Christum fuisse prædestinatum, potissimùm hoc videtur suadere ista autoritas Apostoli: sed ex hac autoritate hoc concludi non potest, quia omnes ferè Græci Patres, & multi etiam ex Latinis aliter legunt hunc locum, quàm habeat nostra vulgata editio. Vbi enim nos legimus, qui prædestinatus est filius Dei, ipsi legunt, qui definitus, vel demonstratus, vel declaratus est filius Dei in virtute. ita legunt Chrysostomus,Cyrillus,Euthimius, Eusebius, Tertullianus, Caietanus, Pagninus, & Vatablus. Omitto censuram Caluini in Antidoto Concilij Trident. reprehendentis vulgatã editionẽ,eo quòd legat, *prædestinatus*, vox enim Græca non significat idem, quod prædestinatus, sed idem,quod declaratus,vel demonstratus. Accedit etiam, quòd omnes ferè Scholastici, excepto D. Thom. dicunt,hanc locutionem Apostoli esse impropriam, & conantur illam exponere. Præterea ratio videtur probare, Christum nullo modo dici propriè posse prædestinatum. vel enim dicitur prædestinatus ratione naturæ assumptæ,vel ratione personæ diuinæ. non ratione naturæ assumptæ,quia ista propositio est falsa,Natura humana est filius Dei. ergo etiam ista est falsa,Natura humana prædestinata est esse filius Dei. non ratione secundi, quia prædestinatio est eorũ,quæ sunt per gratiam: at quòd persona Christi sit filius Dei, hoc non habet ex gratia, sed ex propria natura.

Caluinus.

II. Ad istud dubium soluendum multa essent dicenda, quæ nostri instituti ratio hîc non patitur longiùs prosequi. pro nunc sit Prima assertio: Christus fuit ab æterno prædestinatus filius Dei. Hæc propositio est doctrina fidei,quæ sub his terminis expressè habetur in diuina Scriptura. illam enim habet Apostolus in loco proximè citato epistolæ ad Rom.dicens de Christo,*Qui prædestinatus est filius Dei in virtute.* qui locus est legendus, quemadmodum legit nostra vulgata editio,quam solam sacrum Concilium Tridentinum sess.4.nobis tanquam authenticam, & ab omnibus recipiendam proponit, & præscribit. Sic etiam legunt hunc locum grauissimi Patres, quorum autoritas pluris æstimanda est, quàm censura Caluini, scilicet Dionysius, qui fuit Pauli Apostoli discipulus in lib.de diuinis nominibus cap.5. Irenæus, qui ferè Apostolorum contemporaneus fuit in lib. 3. aduersùs hæreses cap. 18. D. Hilarius lib. 7. de Trinitate, Ambrosius in primum cap. ad Roman. Augustinus in lib. de Prædestin. sanctorum cap. 15. tract. 105. in Ioan. & aliis in locis, & Patres Concilij Toletani II. in tenore suæ fidei, qui omnes huic Apostoli autoritati innixi affirmant, Christum fuisse ab æterno prædestinatum filium Dei.

Concil. Trident.
Dionys.
Irenæus.
Hilarius.
Ambrosius.
August.
Concil. Tolet.

III. Ratio euidentissima suadet eandem veritatem; quia, vt Dionysius loco proximè citato affirmat, prædestinatio est nomen peculiare diuinæ Theologiæ, id est, sacræ Scripturæ. Ergo legitima significatio huius nominis *prædestinatio*, ex diuina Scriptura, & non aliunde accipienda est: modò *prædestino*, cuius loco in contextu Græco habetur vox ὁρίζω, in sacris Scripturis non significat declarare, seu demonstrare, sed definire, constituere, & ordinare, vt colligitur ex eadem epistola ad Roman. cap. 8. & ad Ephes. c. 1. & epistola 2. ad Corinth. cap.7. & passim aliis in locis, & ita etiam aduertunt Dionysius, Irenæus, & alij Doctores proximè citati. Immò in Actibus Apostolorum cap. 4. in illis verbis, *Quæ manus tua, & consilium tuum decreuerunt fieri.* pro verbo *decreuerunt*, in contextu Græco habetur verbum προώρισεν. ergo hoc verbum *prædestino*, in sacris Scripturis non significat declaro, vel demonstro, vt vult Caluin. sed definio,constituo,& præordino,vt legit nostra vulgata editio.

Accedit quòd prædestinatio nihil aliud importat,nisi æternam Dei præordinationem eorũ, quæ fiunt in tempore: modò nullus negare potest, ab æterno à Deo præordinatum,quòd Verbũ carnem assumeret,& Deus fieret homo,& Christus secundùm naturam humanam fieret filius Dei naturalis per gratiam vnionis hypostaticæ, hoc enim sub formalibus verbis dicit Apostolus in epist. 1. ad Cor.c.2.dicẽs, *Loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est,quam præordinauit Deus ante sæcula in gloriam nostram.* Et loquitur ibi de sapientia incarnata,vt notat Lyranus,& patet ex serie verborum sequentium. Et D.Petrus in epist.1.cap.1.vocans Christum agnum immaculatum, præcognitum ante mundi constitutionem, manifestatum autem nouissimis temporibus. Communis etiam omnium Theologorum consensus sufficere debet ad eandem veritatem probandam, nam inter Catholicos de prædestinatione Christi ad filiationem Dei per gratiam vnionis hypostaticæ nulla est controuersia, sed tota controuersia est solùm in exponenda illa autoritate D. Pauli: *Qui prædestinatus est filius Dei in virtute.*

Lyranus.

IV. Ad cuius autoritatis intelligentiam aduertendum est,illum locum Ð. Pauli varias recipere interpretationes Doctorum. Prima interpretatio est Origenis, qui referente D. Thoma hunc locum sic interpretatur, vt particula *prædestinatus* se teneat ex parte subiecti propositionis, non ex parte prædicati, & tunc erit sensus,quòd ille, qui est prædestinatus,est etiã filius Dei,& dictio *prædestinatus* idem sonat secundùm Origenem quod destinatus,nã destinantur ea,quæ sunt,prædestinantur verò ea, quæ non sunt, Christus verò semper fuit. Iuxta hanc interpretationem hic locus Apostoli nullam difficultatem habet in exponendo, quomodo Christus fuerit prædestinatus esse filius Dei, cùm ab æterno fuerit filius Dei naturalis. non enim est sensus verborum Apostoli, quòd Christus ab æterno fuerit prædestinatus esse filius Dei, sed sensus est, quòd ille, qui ab æterno fuit præordinatus, & prædestinatus ad redimendum genus humanum, est filius Dei.

Origenes.

V. Secunda interpretatio est Alex. Alensis, quam sequuntur Scotus, Durand.& alij multi in 3. d.7. dicunt enim, illam dictionem *prædestinatus* respicere totam propositionem Apostoli, vt sit sensus, qui prædestinatus est filius Dei, id est, prædestinatum est, vt natura humana vniretur filio Dei in persona diuina. Hanc interpretationem D.Thom. vocat extortam, & violentam.

Alexander Alensis. Scotus. Durand.

Tertia interpretatio est Augustini,Hieronymi, & Titelmani, sic exponentium, quòd filius Dei prædestinatus est, vt esset homo Christus. vnde secundùm hanc expositionem locutio Apostoli est præpostera.

Augustin. Hieron. Titelman.

Ambroſius. Theodoret. Quarta interpretatio eſt Ambroſij, & Theodoreti, quòd Chriſtus prædeſtinatus ſit filius Dei in virtute, id eſt, præordinatus, vt oſtenderetur eſſe filius Dei ex virtute miraculorum.

Caietan. Quinta interpretatio eſt Caietani, quòd Chriſtus fuit prædeſtinatus non ſimpliciter, & abſolutè, ſed cum hac determinatione, vt eſſet noſter mediator, & redemptor, & vt faceret nobis quamplurima miracula.

Sexta interpretatio eſt Græcorum Patrum, qui legunt, prædeſtinatus eſt, id eſt, declaratus eſt filius Dei.

Vltima interpretatio, eáque veriſſima, & propriiſſima eſt, quòd Chriſtus fuerit prædeſtinatus filius Dei non ſimpliciter, ſed quatenus ſubſiſtit in natura humana. Ad cuius expoſitionis intelligentiam obſeruandum eſt, quòd cùm Chriſtus dicat vnum ſuppoſitum ſubſiſtens in duabus naturis diuina, & humana, multæ ſunt propoſitiones, quæ verificantur de Chriſto quatenus eſt hic homo, & ſubſiſtens in natura humana, quæ non verificantur de Chriſto, quatenus eſt ſimplex perſona, ſimpliciter ſubſiſtens in natura diuina. Vlteriùs obſeruandum eſt, ex bona Dialectica terminum ſignificantem internum actum animæ ponere ſuum ſignificatum formale ſupra ſignificatum formale termini, cui adiungitur, etiamſi collocetur ex parte diuerſorum extremorum: modò hic terminus, prædeſtinatus, ſignificat actum internum diuini intellectus, & diuinæ voluntatis. Ergo ponit ſuum ſignificatũ formale ſupra ſignificatum formale huius termini, Chriſtus, cui adiungitur: ſignificatum verò formale huius termini, Chriſtus, eſt natura humana. vnde in hac propoſitione, Chriſtus eſt prædeſtinatus filius Dei, ſenſus eſt, quòd Chriſtus ratione naturæ humanæ aſſumptæ eſt prædeſtinatus eſſe filius Dei. & ideo iſta propoſitio, Chriſtus eſt prædeſtinatus filius Dei, ſecundùm locutionis proprietatem, & in rigore ſermonis abſque alio addito de ſe vera eſt.

VI. Hæc autem propoſitio, Chriſtus factus eſt filius Dei, ſecundùm proprietatem locutionis, & in rigore ſermonis non videtur vera, quia dictio, factus ex ſe, non ponit ſuum formale ſignificatum ſupra ſignificatum formale huius termini Chriſtus, ſed ſupra ſignificatum perſonale, & materiale, & facit ſenſum, quòd perſona Chriſti facta ſit filius Dei, qui ſenſus eſt falſus, & erroneus. vnde iſta propoſitio ſimpliciter prolata non eſt admittenda, quemadmodum obſeruat D. Thom. 3. part. q. 16. art. 8. poſt D. Ambroſ. lib. 2. de fide cap. 7. dicentem: *Nunquid dico, factus eſt Chriſtus.* quare quod ait Vaſquez 3. part. quæſt. 24. art. 2. diſput. 91. in principio, hanc propoſitionem ſine alio addito admitti poſſe, Chriſtus eſt prædeſtinatus, quia etiam iſta eſt vera, Chriſtus in tempore eſt factus à Deo, mihi omnino non probatur. non enim eſt admittenda iſta propoſitio, ſine addito, per quod detur intelligi, quòd iſte terminus, factus, ponat ſuum formale ſignificatũ circa ſignificatum formale huius termini Chriſtus. Neque autoritates, quas adducit ex diuina Scriptura, probant illius intentum. eſt enim prima autoritas ſumpta ex Actis Apoſtolorum cap. 2. *Certiſſimè ſciat ergo omnis domus Iſrael, quia & Dominum eum, & Chriſtum fecit Deus, hunc Ieſum, quem vos crucifixiſtis.* Secunda ſumpta eſt ex epiſtola ad Hebræos vbi dicit Paulus: *Conſiderate Apoſtolum, & Pontificem confeſſionis noſtræ Ieſum, qui fidelis eſt ei, qui fecit illum.* Quia primò dato, & non conceſſo, quòd ex eis haberetur abſolutè, & ſine aliquo addito, Chriſtus eſt factus, iſta propoſitio recipere deberet ſuam legitimam interpretationem ex aliis locis diuinæ Scripturæ, & additionem, per quam declararetur, particulam, *factus*, verificari de Chriſto ſolùm ratione naturæ aſſumptæ, quæ interpretatio, & additio accipienda eſt ex D. Paulo ad Rom. 1. cùm enim dixiſſet de Chriſto, *Qui factus eſt ei ex ſemine Dauid*, videns hanc locutionem nudè prolatam minus propriam eſſe, ſtatim neceſſariam declarationem ſubiunxit, *ſecundùm carnem.* Secundò, quia in illis autoritatibus non dicitur Chriſtus ſimpliciter, & abſolutè factus, ſed cum additione, factus Dominus, factus Chriſtus, factus Apoſtolus, factus Pontifex, quæ prædicata implicitè ſecum ferunt hanc declarationem, vt dicatur factus hæc omnia ſecundùm naturam aſſumptam.

Hinc deducitur, inutilem eſſe digladiationem illam Doctorum, contendentium, propoſitionem hanc, Homo prædeſtinatus eſt filius Dei; vel iſtam, Chriſtus vt homo prædeſtinatus eſt filius Dei, falſas eſſe, nec admitti debere, aliis contendentibus veras, & proprias eſſe, & vti tales eſſe à Theologis admittendas, quæ concertatio videri poteſt apud Vaſquez, qui vtriuſque partis defenſores refert loco cit. diſp. 90. ſunt enim veræ, & propriæ, quibus non ſolùm ſancti Patres vtuntur, verùm etiam diuina Scriptura. Nam hoc modo loquendi vtitur Apoſtolus, cùm inquit, *Qui factus eſt ei ex ſemine Dauid ſecundùm carnem, qui prædeſtinatus eſt filius Dei in virtute.* Quorum verborum ſenſus nullus magis planus, & peruius eſſe poteſt, quàm iſte, Chriſtus, ſecundùm quod factus eſt homo ex ſemine Dauid ſecundùm carnem, prædeſtinatus eſt filius Dei in virtute. Probari etiam poteſt veritas vtriuſque propoſitionis euidentiſſima ratione, quæ ſuprà eſt inſinuata. Nam hæc propoſitio in rigore ſermonis eſt vera, & propria, homo factus eſt Deus, vel hic homo factus eſt Deus, demonſtrato hoc concreto ſingulari naturæ humanæ ſubſiſtente in perſona diuina, concretum nanque ſubſtantiuum formaliter, & naturaliter, & in recto ſignificat naturam, & connotatiuè in obliquo ſignificat ſuppoſitum, in quo natura ſubſiſtit, non determinando tale ſuppoſitum vnum, vel plura, id eſt, non determinando, vtrùm ſubſiſtat in proprio ſuppoſito, an in alieno, an in vno, an in pluribus. Verum enim eſt dicere, Chriſtus eſt hic homo, quanuis natura humana non ſubſiſtat in proprio ſuppoſito: & ſi omnes diuinæ perſonæ aſſumerent eandem numero naturam humanam, vera eſſet hæc propoſitio, tres perſonæ diuinæ ſunt hic homo. Vnde quemadmodum propter vnionem hypoſtaticam vera eſt communicatio idiomatum, ita verum eſt dicere, homo factus eſt Deus, hic homo factus eſt Deus, hic homo factus eſt filius Dei: ſenſus enim eſt, quòd factum eſt, vt Deus vel Dei filius ſubſiſteret in hac natura humana, vel quòd hoc ſubſiſtens in natura humana eſſet Deus, aut filius Dei, quod in proprietate ſermonis verum eſt, neque poteſt Catholicè negari. Quòd nanque Deus ſubſiſteret in hac natura humana, non fuit quid æternum, non factum, ſed in tempore factum, & per Dei gratiam factum: quod autem ſit per Dei gratiam in tempore, fuit ab æterno prædeſtinatum. Ergo vt hic homo, id eſt, vt ſubſiſtens in hac natura humana eſſet Deus, vel filius Dei, fuit ab æterno prædeſtinatum, & cùm ſubſiſtens in hac natura humana ſit Chriſtus, ſequitur, verum eſſe, quòd Chriſtus, vt hic homo, id eſt, vt ſubſiſtens in hac

VII. Vaſquez.

natura

natura humana, prædeſtinatus ſit eſſe filius Dei. De qua re videndus eſt D. Thom. 3. part. quæſt. 24. art. 1. 2. & 3.

VIII. Verùm contra hanc doctrinam eſt argumentum. quia quod prædeſtinatur, ſecundùm eſſe præcedit id, ad quod prædeſtinatur, & id quod fit tale, præcedit formam, per quam fit tale; ſed eſſe hominis, aut huius hominis, demonſtrato homine Chriſto, non præcedit eſſe filium eſſe, cùm natura humana in Chriſto non exiſtat niſi per hoc, quòd ſubſiſtit in ſuppoſito Verbi, vnde non poteſt exiſtere niſi per exiſtentiam eiuſdem Verbi, & antequam habeat eſſe Verbi, quod eſt eſſe filij Dei, non habet eſſe neque in ſe, neque in alio. Ergo non poteſt in aliquo ſenſu legitimo verificari iſta propoſitio, hic homo prædeſtinatus eſt eſſe filius Dei.

Ad hoc dubium omiſſis multis, quæ circa illud dicuntur à ſcribentibus, quibus non ſolùm eius difficultas non videtur tolli, ſed potiùs augeri, reſpondeo, duobus modis poſſe aliquid prædeſtinari, vno modo ad eſſe accidentale gratiæ, & gloriæ, quo pacto nos puri homines ſumus prædeſtinati: alio modo ad eſſe ſubſtantiale, quo pacto ſolus Chriſtus fuit prædeſtinatus. Duobus etiã modis aliquid fieri dicitur, vno modo acquirendo formam accidentalem, & eſſe accidentale: alio modo acquirendo formam ſubſtantialem, & eſſe ſubſtantiale. quod prædeſtinatur, aut quod fit primo modo, præcedit aliquo pacto id, ad quod prædeſtinatur, & formam, quam acquirit per ſuum fieri: & ob hanc cauſam prædeſtinatio puræ creaturæ ad gratiam, & gloriam, ſupponit in diuina præſcientia eſſe ordinis naturalis eiuſdem creaturæ, quæ prædeſtinatur, vt docent multi Doctores
D. Thom. poſt D. Thom. 3. part. q. 1. art. 3. ad 4. Illud autem, quod prædeſtinatur ad eſſe ſubſtantiale, non præcedit id, ad quod prædeſtinatur, cùm non habeat eſſe niſi per id, ad quod prædeſtinatur, vt euidens eſt ex terminis. Sicut id, quod fit, acquirendo formam ſubſtantialem, non præcedit ipſam formam, non enim compoſitum ſubſtantiale, quod fit per generationem ſubſtantialem, præcedit tempore, vel natura ipſam formam ſubſtantialem.

Caiet. Poteſt etiam dici cum Caietano 1. p. q. 36. art. 2. poſt medium §. *ſicut dicimus, quod dupliciter contingit*, &c. falſum eſſe, omne illud, quod fit acquirendo formam accidentalem, præcedere ipſam formam accidentalem. dupliciter enim contingere poteſt, fieri domum albam, vno modo faciendo ſimul vtrunque: alio modo iungendo vnum alteri. ita ſi Deus in eodem ſigno rationis hæc duo facere decreuiſſet, creare Gabrielem, & conferre illi gloriam, quam de facto ei contulit, videre non poſſum, quid abſurdi ex hoc ſequi poſſet, & idem dicendum de anima Chriſti, & multo magis.

Præter hæc, licèt de facto ſecundùm eſſe ſubſiſtentiæ non fuerit prius eſſe hunc hominem, quàm hunc hominem eſſe filium Dei, quia de facto hæc natura humana, quæ modò ſubſiſtit in perſona Verbi, nunquam ſubſiſtit in alio ſuppoſito, antequam ſubſiſteret in ſuppoſito diuino, quis tamen neget, eandem naturam ſecundùm prioritatem, à qua non conuertitur ſubſiſtendi conſequentia, priorem eſſe ipſo diuino ſuppoſito, in hoc ſenſu, quia ſecundùm ſe conſiderata ipſa natura humana non requirit neceſſariò ſubſiſtere ſuppoſiti diuini, & poteſt eſſe ſine illo, cùm poſſit etiam eſſe ſine ſuppoſito proprio. Loquor de eſſe naturæ humanæ ſine ſuppoſito diuino, in ratione ſuppoſiti, & termini, non in ratione cauſæ primæ, ne quis nodum in ſcirpo quærens, vellet in verbo vim facere, de quo eſſe loquuntur Theologi, cùm dicunt, ipſam naturam humanam priorem eſſe ſuppoſito, & ob hoc per diuinam omnipotentiam à proprio ſuppoſito ſeparari, & ſuppoſitari in ſuppoſito alieno, ſicut prius per diuinam potentiam poteſt ſeparari à ſuo poſteriori. Et tandem eſto non ſit prius, eſſe hunc hominem, quàm eſſe filium Dei, quid impedit, obſecro, potuiſſe ab æterno prædeſtinari Chriſtum in tempore fieri hunc hominem, & hunc hominem fieri filium Dei, cùm hæc in tempore verè facta ſint?

Hæc autem fortaſſe longiùs, quàm par erat, ſumus proſecuti, propter nonnullos, qui ob argumentum leuiſſimum propoſitiones veriſſimas non ſolùm à D. Thoma, ſed communiter à Theologis receptas, vt falſas reiiciunt, de quorum numero eſt Durandus in 3. d. 7. quæſt. 3. & addi Durandus.
poteſt Paludanus ibid. quæſt. 3. art. 2. & 3. con- Paludan.
cluſ. 2. qui non ſolùm D. Thomæ, ſed etiam D. Auguſtino mihi videntur manifeſtè aduerſari. Ait enim Auguſtinus in Enchir. cap. 40. *Profectò* Auguſt.
modus iſte, quo natus eſt Chriſtus de Spiritu ſancto, inſinuat nobis gratiam, qua homo nullis præcedentibus meritis in ipſo exordio naturæ ſuæ, quo eſſe cœpit, verbo Dei copularetur in tantam perſonæ vnitatem, vt idem ipſe eſſet filius Dei. & in lib. de Prædeſtinatione ſanctorum cap. 15. ait: Quòd *illa gratia ſit homo quicunque ab initio fidei ſuæ Chriſtianus, qua gratia homo ille ab initio factus eſt Chriſtus.* Ex quibus apparet, has propoſitiones: Homo per Dei gratiam eſſe cœpit in tempore filius Dei: homo in tempore per Dei gratiam factus eſt filius Dei: homo per Dei gratiam in tempore factus eſt Chriſtus, ab Auguſtino probari tanquam veras. vnde negari non poteſt, etiam iſtas ab eodem Auguſtino probari tanquam veras: Ab æterno hic homo prædeſtinatus eſt vt fieret Chriſtus: hic homo ab æterno prædeſtinatus eſt, vt fieret filius Dei.

IX. Hinc apparet etiam ſolutio ad primam rationem dubitandi in principio deductam ex varia lectione & interpretatione illius loci D. Pauli, *Qui prædeſtinatus eſt filius Dei in virtute.* Nam verus & legitimus ſenſus verborum eſt, quem monſtrat noſtra editio vulgata, ſcilicet quòd Chriſtus, quatenus factus eſt ex ſemine Dauid ſecundùm carnem, & quatenus homo ab æterno fuit prædeſtinatus eſſe filius Dei. neque ab hac expoſitione recedunt Græci Patres, licèt fortaſſe aliud ſentire videantur, cùm dicunt, qui declaratus, vel demonſtratus eſt filius Dei: accipiunt enim declarationem, & demonſtrationem, pro manifeſtatione æterni decreti diuinæ prædeſtinationis, quo pacto definitio vocatur declaratio quædam, & manifeſtatio rei definitæ.

Ad ſecundam rationem dubitandi, quæ erat, aut Chriſtus eſt prædeſtinatus ratione naturæ aſſumptæ, aut ratione perſonæ diuinæ, reſpondetur prædeſtinatum fuiſſe ratione naturæ aſſumptæ. Ad improbationem dicitur, non fuiſſe prædeſtinatum ratione naturæ aſſumptæ in hoc ſenſu, quòd natura humana eſſet filius Dei, ſed in hoc ſenſu, vt ſubſiſtens in natura humana eſſet filius Dei. Et licèt hæc non ſit vera in abſtracto, natura humana eſt filius Dei, eſt tamen verum hoc concretum, hic homo eſt filius Dei, quod ſufficit.

CAPVT V.

Christum non solùm fuisse ab æterno prædestinatum, sed esse caput omnium Prædestinatorum.

I. NOn solùm certum est apud omnes Catholicos, Christum, quatenus est homo, fuisse ab æterno prædestinatum filium Dei, iuxta sententiam Apostoli ad Rom. cap. 1. sed illud etiam ex fide certissimum est, eundem Christum omnium prædestinatorum esse caput, in cuius honorem, & gloriam cedit omnis illorum prædestinatio. ita enim docet Augustinus lib. de Prædest. sanctorum cap. 15. dicens, *Est etiam præclarissimum lumen nostræ prædestinationis, & gratiæ ipse Saluator, ipse mediator Dei, & hominum homo Christus Iesus.* & infrà: *Ipsa est igitur prædestinatio sanctorum, quæ in Sancto Sanctorum maximè claruit.* & infrà: *Sicut ergo prædestinatus est ille vnus, vt caput nostrum esset, ita multi prædestinati sumus, vt membra eius essemus.* & infrà: *Quisquis in capite nostro præcedentia merita singularis illius generationis inuenerit, ipse in nobis membris eius præcedentia merita multiplicata regenerationis inquirat.* Quæ Augustini doctrina ex Scriptura diuina euidentissimè deducitur, ait nanque Apostolus ad Ephes. cap. 1. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem.* Quod saltem sic intelligendum est, vt Christus sit finis prædestinationis omnium electorum, in cuius gloriam, & honorem tandem cedat omnis illorum prædestinatio, vt omnes exponunt, & infrà subiungit, *Vt notum faceret sacramentum voluntatis suæ, secundum beneplacitum eius, quod proposuit in eo in dispensatione plenitudinis temporum, instaurare omnia in Christo, quæ in cœlis, & quæ in terra sunt in ipso.* Circa quæ verba Chrysostomus homil. 1. ad Ephes. ait: *Vnum nobis posuit caput nempe Christum secundum carnem, omnibus*, inquam, *& Angelis, & hominibus.* & infrà: *Suscitans illum à mortuis, & constituens ad dexteram suam in cœlestibus, supra omnem principatum, & potestatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen, quod nominatur non solùm in hoc sæculo, sed etiam in futuro: & omnia subiecit sub pedibus eius, & ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius.* & in epist. 1. ad Corinth. 3. ait: *Omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei.* & ad Coloss. 1 ait, *Quòd est imago Dei inuisibilis primogenitus omnis creaturæ, quoniam in ipso condita sunt vniuersa in cœlis, & in terra, visibilia & inuisibilia, siue throni, siue dominationes, siue principatus, siue potestates. omnia per ipsum, & in ipso creata sunt. & ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est principium, primogenitus ex mortuis, vt sit in omnibus ipse primatum tenens.* & cap. 2. ait, *In quo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter, & estis in illo repleti, qui est caput omnis principatus, & potestatis.* & ad Hebræos 1. exponens de Christo illud Psal. 8. *Omnia subiecisti sub pedibus eius*, inquit: *In eo enim, quòd omnia ei subiecit, nihil dimisit non subiectum ei.* Ex quibus, & aliis locis diuinæ Scripturæ Theologi cum D. Thoma 3. part. quæst. 8 colligunt, esse assertionem de fide, quòd Christus sit caput totius Ecclesiæ, tam Angelorum, quàm hominum. Idem autem est omnino, Christum esse caput Ecclesiæ electorum, & esse caput prædestinatorum, idque videtur dicere Conc. Tridentinum sess. 6. de Iustificat. cap. 7. cùm docet, causam finalem nostræ iustificationis esse gloriam Christi, & Dei. idem enim est esse causam finalem nostræ prædestinationis, & nostræ iustificationis, cùm prædestinatio, & iustificatio non differant, nisi sicut præparatio gratiæ, & illius actualis exhibitio, vt non semel monuimus ex Augustino lib. de Prædest. sanctorum cap. 10.

August. Chrysost. D. Thom. Concil. Trident.

II. Verùm cùm hoc certissimum sit apud omnes saltem Catholicos, graue tamen remanet dubium circa rationem, secundùm quam, & sub qua Christus dicitur caput Prædestinatorum. Oritur verò tota huius dubij difficultas ex prædestinatione Angelorum, quorũ quomodo Christus sit caput, difficile admodum videtur declarare. Neque enim sufficit, quod dixerunt Altisiodorensis in summa lib. 3. tract. 1. c. 4. Driedo de captiuitate & redemptione generis humani tract. 2. c. 2. p. 3. a. 5. post 4. propositionem. Bonau. in 3. d. 13. art. 2. q. 3. ad 3. Gabriel ibid. art. 3. dub. 2. & Dominicus Soto in 4. dist. 49. q. 4. art. 1. in fine, Christum non esse caput Angelorum secundùm naturam assumptam, sed solùm quatenus est Deus, quæ videtur etiam fuisse sententia Græcorum Patrum circa verba proximè allegata ex D. Paulo ad Ephes. 1. præcipuè Chrysost. hom. 1. in illam epist. & Theophylacti. nam hîc non est sermo de Christo, nisi sub ea ratione, qua dicitur prædestinatus, & caput prædestinatorum: sub ea autem ratione, qua Deus est, omnino prædestinatus dici non potest. Oportet igitur rationem reddere, quomodo secundùm naturam assumptam Christus verè, & propriè dicatur caput Angelorum prædestinatorum. In ea verò assignanda non parum laboris Theologos manet.

Altisiod. Driedo. Bonauent. Gabriel. Soto. Chrysost. Theoph.

III. Multis nanque modis concipere possumus, Christum esse caput Angelorũ prædestinatorum. primò, quòd in aliquo signo rationis prius fuerit prædestinatus, quàm ipsi Angeli, tanquam caput, in cuius honorem, & gloriam cederet ipsa Angelorum prædestinatio, & in illum esset à Deo ordinata. quod adhuc dupliciter concipi potest. vno modo, quòd non solùm Christi prædestinatio in aliquo signo rationis præcesserit prædestinationem Angelorum, sed etiã quòd prædestinatio ipsa Angelorum facta sit intuitu meritorum Christi, ita vt prædestinatio Christi fuerit causa meritoria prædestinationis Angelorum. Alio modo quòd præcesserit solùm ipsam prædestinationem Angelorum in ratione causæ finalis, non autẽ in ratione causæ meritoriæ. Secundò potest concipi, Christum esse caput Angelorum prædestinatorum, non quòd prædestinatio Christi præcesserit in aliquo signo rationis prædestinationem Angelorum, sed quia vel prædestinatus est ad eminentissimũ gradũ gloriæ super omnes Angelos, quemadmodum caput eminet super alia corporis membra, vel quia omnes Angelos Deus ipsi Christo subiecit, vt eius imperio obediant, & eius iudicium subeant: vel quia Angeli recipiunt à Christo illuminationes, & ab eo diriguntur, sicut alia membra à capite diriguntur, & ex consequenti aliquo modo illuminantur, iuxta illud apud Lucam c. 11. *Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit.* vel tandem propter conformitatem gratiæ, & gloriæ Christi, & Angelorum, ratione cuius conformitatis potest aliquo modo Christus dici caput prædestinatorum, sicut exemplar, ad cuius imitationem alij sunt prædestinati, vel saltem sicut exemplar, in quo maximè splendet omnium aliorum prædestinatio, vt dicit Augustinus de Prædestin. sanctorum c. 15. Augustin.

IV. Iuxta hos varios modos concipiendi Christum, vt caput Angelorum prædestinatorum, varij sunt modi dicendi apud Doctores. Primus esse potest eorum, qui dicunt, Christũ esse caput prædestinatorum

d by Google

torum ratione naturæ diuinæ, non humanæ, ſed hic modus tanquam impertinens reiiciendus eſt. non enim Chriſtus poteſt dici prædeſtinatus ratione naturæ diuinæ, neque Chryſoſtomus, neque illi Patres, qui videntur dicere, Chriſtum eſſe caput Angelorum ſolùm ratione diuinitatis, dicunt prædeſtinationem Chriſti eſſe cauſam prædeſtinationis Angelorum, neque Chriſtum fuiſſe prædeſtinatum, vt eſſet caput Angelorum, hoc enim conſequenter loquentes minimè dicere potuiſſent. Addo etiam, reiiciendam ſententiam illam, quæ docet, Chriſtum eſſe caput Angelorum, ſolùm quatenus eſt Deus, non autem quatenus eſt homo, ſi vera ſunt, quæ recenſet Suarez in tertia p. D. Thom. tom. 1. d. 23. ſect. 1. & Vaſquez in eandem tertiam part. d. 49. c. 3. ad quos nunc remitto, quia non eſt hic locus hanc rem fuſiùs diſputandi.

Suarez. Vaſquez.

Secundus modus dicendi eſt, quem meditatus eſt Scotus in 3. d. 7. q. 3. & d. 19. Ait Scotus, Chriſtum eſſe caput omnium prædeſtinatorum etiam Angelorum, quia prædeſtinatio Chriſti in ſigno rationis anteceſſit prædeſtinationem omniũ aliorum non ſolùm in genere cauſæ finalis, ſed etiam meritoriæ. ponit enim Scotus in diuina prædeſtinatione talẽ ordinẽ inſtãtiũ. in primo inſtãti Deus intuetur ſeipſum, vt ſummè bonũ in ſecũdo contemplatur omnes creaturas poſſibiles, & inter illas, creaturas rationales. in tertio vult manifeſtare ſuam ſapientiam, potentiam, & bonitatem ad extra per productionem creaturarum. in quarto eligit ad hoc medium quoddam præcipuum, quod eſt Verbum aſſumere naturam humanam, quia in huiuſmodi aſſumptione conſiſtit perfectiſſima communicatio poſſibilis etiam ſecundùm potentiam Dei abſolutam. in quinto in honorem Chriſti propter ſummam illius perfectionem, & eius merita ſtatuit eligere collegium quoddam creaturarum intellectualium ex hominibus, & Angelis, vt tanquam membra ſub capite per æterna ſæcula viuerent feliciſſimè. in ſexto præuidit lapſum generis humani, & eius ruinam, & permittere decreuit. in 7. præordinauit Chriſtum, qui aliàs venturus fuiſſet in carne impaſſibili, ſi homo non peccaſſet, venturum eſſe in carne paſſibili, ad redimẽdos electos de maſſa perditionis, & vt gratiam, & donum perſeuerantiæ vſque in finem illis promereretur. Licèt autem Scotus nõ omnia iſta inſtantia eodem ordine recenſeat dicta quæſt. 19. tamen hic ordo inſtantium ex doctrina Scoti neceſſariò conſtitui debet, ſecundùm ea, quæ ille ſcribit ſuprà d. 7. q. 3. & in 1. d. 41.

Scotus.

Hic modus dicendi probatur à Franciſco Suarez lib. 1. de eſſentia prædeſtinationis cap. 12. vbi tres propoſitiones ſibi conſtituit ſub iſtis formalibus terminis. Prima propoſitio: *Eſt nihilominus dicendum, electionem omnium prædeſtinatorum poſt Chriſtum, de quo nunc non diſputo, ſimul, & in eodem ſigno rationis fuiſſe.* Secunda propoſitio: *Secundò aſſero homines fuiſſe electos ad gloriam ante præuiſum peccatum Angelorum, atque adeò non fuiſſe electos occaſione ipſius peccati, ſed per ſe æquè, ac ipſos Angelos.* & in ea probanda ait, *& augetur amplius hac ratio ex parte Chriſti, quem ſuppono fuiſſe primum electum, & prædeſtinatum à Deo tanquam caput omnium, propter cuius gloriam omnes alij eliguntur.* Tertia propoſitio: *Omnes homines ſaluandi electi fuerunt ante præuiſum peccatum Adæ, vt abſolutè futurum, immo ante voluntatem permittendi illud.* quas propoſitiones contendit eſſe ad mentem D. Auguſtini, & D. Thom. & aliorum. & in 2. lib. cap. 21. & ſequentibus, & in comment. 3. part. D. Thomæ diſp. 5. vbi cum Scoto ſentit, prædeſtinationem Chriſti anteceſſiſſe præſcientiam peccati originalis, immo & voluntatem illud permittendi, & diſp. 41. & 42. vbi probat, Chriſtum meruiſſe omnibus electis tam Angelis, quàm hominibus gratiam, & gloriam.

Tertius dicendi modus videtur eſſe nonnullorum, qui ex vna parte contendunt, prædeſtinatos omnes fuiſſe efficaciter electos ante præuiſam liberam determinationem voluntatis creatæ ad aliquem actum bonum, vel malum: ex alia verò negant, Chriſtum meruiſſe Angelis, & etiam Adæ gratiam ſtatus innocentiæ. illi cùm concedant, Chriſtum eſſe caput omnium prædeſtinatorum, dicere non poſſunt, illum eſſe caput Angelorum prædeſtinatorum, niſi in ratione cauſæ finalis, non autem quòd influxus gratiæ Angelis prædeſtinatæ ſit ab ipſo Chriſto, velut à capite in membra. Hunc modum dicendi videntur amplecti nonnulli ex Doctoribus lib. 5. cap. 10. relatis, qui contẽdunt, Deum in primo ſigno rationis ante præuiſa cuiuſque opera ſiue bona, ſiue mala aliquos efficaciter elegiſſe ad gloriam, alios efficaciter ab illa excludere voluiſſe. V.

Quartus dicendi modus eſt aliorum, qui abſolutè negant; Chriſtum prædeſtinatum fuiſſe ante præuiſum peccatum Angelorum, & ex conſequenti ante præuiſum peccatum, cùm illud ex iſto ortum habuerit. Negant etiam, Chriſtum promeruiſſe Angelis gratiam, & gloriam eſſentialem. Iſti conſequenter loquentes dicunt, prædeſtinationem Angelorum ad gratiam, & gloriam in aliquo ſigno rationis anteceſſiſſe prædeſtinationem Chriſti, cùm prædeſtinatio ipſius Chriſti ſupponat notitiam peccati originalis, nulla verò ratio cogat oportuiſſe ipſam Angelorum prædeſtinationem differri vſque ad talem notitiam, & Chriſtus non fuerit prædeſtinatus, niſi vt Redemptor in remedium peccati, quo nihilominus non exiſtente fuiſſet prædeſtinatio Angelorum, immo & hominum. Fatentur tamen iſti autores, ob alias rationes Chriſtum eſſe caput omnium prædeſtinatorum, etiam Angelorum, nimirum quia prædeſtinatus eſt ad eminentiſſimum gradum gratiæ, & gloriæ ſuper omnes prædeſtinatos, etiam Angelos. Secundò, quia prædeſtinatio, & gloria omnium prædeſtinatorum cedit ad gloriam Chriſti. Tertiò, quia prædeſtinatio Chriſti eſt præclariſſimum exemplar gratuitæ prædeſtinationis, etiam Angelorum. Quartò, quia Angeli beati recipiunt ab ipſo Chriſto, etiam quatenus eſt homo, illuminationes de myſteriis ſupernaturalibus. Quintò, quia omnes Angeli ſubiiciuntur poteſtati Chriſti, & ſunt illius miniſtri, & adminiſtratorij ſpiritus in miniſterium miſſi, vt Apoſtolus ait. Sextò, quia iudicandi ſunt à Chriſto quoad illorum præmium, & meritum accidentale. Hunc modum dicendi colligunt ex D. Thom. 3. part. q. 1. art. 3. vbi contendit expreſsè, Chriſtum non fuiſſe venturum in carne paſſibili, niſi homo peccaſſet, & ad quartum vbi docet, prædeſtinationem ſupponere notitiam peccati, & prædeſtinationem Chriſti factam fuiſſe in remedium peccati, & q. 59. art. 6. vbi docet, Chriſtum habere in Angelos iudiciariam poteſtatem ſolùm quoad præmium accidentale, non autem quoad præmium eſſentiale, & de veritate quæſt. 29. art. 4. ad quintum, vbi ſic ait: *Chriſtus non ſolùm ſecundum naturam diuinam, ſed etiam ſecundum humanam eſt Angelorum caput, quia eos illuminat ſecundum humanam naturam,* vt Dion. 7. cap.

D. Thom.

cap. de diuinis nominibus. vnde & ad Coloſſ.1. dicitur,quòd *ipſe eſt caput omnis principatus, & poteſtatis*.& infrà dicit,quòd influxus in Angelos nõ eſt vt finis Incarnationis,ſed vt incarnationem cõſequens.& a.7.ad quintum ait, quòd ſicut mereri eſt viatoris,ita non niſi pro viatore aliquis mereri poteſt, quia oportet, vt ei, pro quo quis meretur,aliquid deſit eorum, quæ ſub merito cadunt: Angeli autem non ſunt viatores quantum ad præmium eſſentiale, & ideo quantum ad illud nihil eis meruit. Sunt autem aliquo modo viatores, quantum ad præmium accidentale, in quantum nobis miniſtrãt, ad quod valet eis meritum Chriſti.vnde dicitur Epheſ.1. quòd *per ipſum inſtaurantur quæ in cælis,& quæ in terra ſunt*.Idem modus dicendi colligitur ex Alex. Alenſi 3.p.q.12. memb. 2. a.3.§.5. Videtur etiam colligi ex Durando in 3. d.13.q.2.n.7.Paludano ibid.q.1.a 3.Almaino d.19. q.1. concl.1. & Maiori ibid. q.1. in argumentis poſt concl.Illi enim nullum alium influxũ Chriſti in Angelos agnoſcunt,niſi illuminationis.& gaudij accidentalis. apertiſſimè verò illum tradunt Doctores citati in principio huius capitis, qui docent, Chriſtum eſſe caput Angelorum ſolùm ratione naturæ diuinæ,non autem humanæ.

Alex. Alenſ. Durand. Paludan. Almain. Maior.

Quintus modus dicendi eſt, duplicem eſſe Angelorum prædeſtinationem, alteram ad gratiam, alteram ad gloriam.prædeſtinationem ad gratiam ſecundùm rationem præceſſiſſe prædeſtinationem Chriſti,neque fuiſſe ex illius meritis: prædeſtinationẽ verò totalem, & adæquatam eorundem Angelorum ſupponere ipſam Chriſti prædeſtinationem.Hic modus traditur à Vaſquez 1.p.d.49.præcipuè c.6.ad argumenta.

Vaſquez.

Sextus dicendi modus eſt illorum, qui dicunt, Deum per ſcientiam,quam vocant mediam,& naturalem in primo ſigno rationis priùs hæc omnia vidiſſe. Primò omnes ordines rerum poſſibiles,& omnes fines,& media. Secundò quid vnaquæque creatura factura eſſet circa ſui finis aſſecutionem, ſi à Deo conſtitueretur in tali, aut tali ordine, cũ his,aut illis mediis, & auxilijs ad ipſum finem cõſequendum. Tertiò quam habitudinem eſſet habiturus quilibet ordo rerum,ſi crearetur, ad oſtẽdendam diuinam ſapientiam,bonitatem, & potẽtiam. Quartò, quam habitudinem foret Chriſtus habiturus tanquam verus Deus, & verus homo, tum ad Angelos tanquam illorum caput, in cuius honorem,& gloriam cederet gloria eorum Angelorum, tum ad homines tanquam illorum etiam caput, immo & redemptor, ad reparandam ruinã ipſorum Angelorum, & hominum, futuram non quidẽ abſolutè,ſed ex hypotheſi, quòd vellet homines, & Angelos creare,& conſtituere in eo ordine,in quo illos de facto conſtituit.Et Chriſtum prædeſtinauiſſe vt eſſet caput omnium prædeſtinatorum tam Angelorum,quàm hominum,in cuius gloriam cederet omnium creaturarum prædeſtinatio, & vt ſimul eſſet hominum redemptor. Iuxta hunc modum dicendi facile intelligitur,potuiſſe Deum abſque multiplicatione inſtantium prædeſtinauiſſe Chriſtum tanquam caput omnium prædeſtinatorum, & nihilominus prædeſtinauiſſe illum tanquam humani generis redemptorem, & autorem omnis gratiæ, & gloriæ omnium prædeſtinatorum, & Deum noluiſſe Incarnationem Verbi, niſi ſuppoſita noritia peccati, & niſi vt coniunctam cum redemptione generis humani. Hic dicendi modus colligitur ex Molina 1.p.q.23.a.4.d.1. memb.7. & aliis locis eiuſdem autoris. quis autem ex iſtis modis ſit probabilior, ſequenti capite ſtatim aperiemus.

Molina.

CAPVT VI.

Quomodo Chriſtus dicatur caput Prædeſtinatorum, aperitur, & argumenta contra veritatem adducuntur, ac ſoluuntur.

HÆc tam multiplex varietas declarandi modum, quo Chriſtus eſt caput omnium prædeſtinatorum, ſola ſufficere poteſt, ad difficultatem ſolutionis huius dubitationis declarandam. quis verò ex modis dicendi proximè recitatis probabilior videatur, & à difficultatibus magis liber,nunc breuiter declarandum eſt. I.

Primus itaque modus dicendi omnino reiiciẽdus eſt, cùm certum ſit ſecundùm communem ſententiam Doctorum,Chriſtum,non ſolùm quatenus Deus eſt,ſed etiam quatenus homo, eſſe caput Angelorum,atque ita certum, vt dixerit Vaſquez 3.part. diſp. 48. cap.3. hoc eſſe dogma fidei.

Circa ſecundum modum non placet. Primò quod ait, Chriſtum prædeſtinatum fuiſſe ante præuiſum peccatum originale, ita quòd etiamſi homo non peccaſſet, Verbum foret carnem aſſumpturum. Contrariam nanque ſententiam vti longè probabiliorem teneo cum D. Thom.3.part. quæſt.1. art.3. de qua re non eſt modò diſputandum. Secundò non probo, quod ait Suarez, hanc fuiſſe mentem D. Thomæ, & D.Auguſtini. Nam ſaltem loquendo de prędeſtinatione hominum,& maximè de prædeſtinatione Chriſti, illam ſupponere præſcientiam peccati Adæ, in ſententia D. Auguſtini res eſt tam certa,vt indignum cenſeam velle illam autoritatibus eiuſdem Auguſtini probare, qui enim legerint omnes libros Auguſtini de prędeſtinatione,inuenient, nunquam prędeſtinationem aliud eſſe, quàm liberationem à peccato, & miſeria, & à maſſa perditionis, inuenient nunquam, Auguſtinum vllam cauſam aduentus Chriſti in carne aſſignaſſe, niſi redemptionem humani generis. Legatur ipſe Auguſtinus ſermo. 29. de verbis Domini, & ſerm.8. & 9. de verbis Apoſtoli, & in Pſalm.26. circa illa verba, *apud Dominum greſſus hominis dirigetur*. & in Pſalm.68. circa illa verba, *Infixus ſum in limo profundi*. & lib.1. de peccatorum meritis, & remiſſione cap. 26. & 27.& lib.10.de Trinitat. cap.10. & ſequentibus. Neque ſufficit reſpondere,quòd infirma ſit ratio ex autoritate negatiuè,quia Auguſtinus non ſolùm nullam aliam aſſignat rationem aduentus Chriſti in carne,ſed expreſsè dicit, nullam aliam extitiſſe cauſam talis aduentus. Legantur eius verba ſerm. 8. de verbis Apoſtoli, vbi ita ait: *Attende Euangelium, venit enim filius hominis quærere,& ſaluum facere, quod perierat. Si homo non periiſſet,filius hominis non veniſſet*. & infrà: *Filius hominis non venit,niſi quærere,& ſaluare, quod perierat*. & infrà:*quare venit in mundum? peccatores ſaluos facere. Alia cauſa non fuit, quare veniret in mundum*. & ſer. 9. in principio: *Nulla alia cauſa fuit veniendi Chriſto Domino, niſi peccatores ſaluos facere, tolle morbos, tolle vulnera, & nulla eſt medicinæ cauſa*. Neque valent gloſſæ illę de aduẽtu in carne paſſibili,& impaſſibili, quia cùm Auguſtinus dicat, nullam aliã cauſam extitiſſe huiuſmodi aduentus, & quòd ſi non

D.Thom.

Auguſt.

non fuiſſet peccatum, Verbum in carne nõ veniſſet, non debemus nos dicere, quòd veniſſet, ſed in carne impaſſibili. Si enim veniſſet in carne impaſſibili: ergo aliquo modo veniſſet. At Auguſtinus dicit, quòd non veniſſet. Immo ſi attendamus diuinam Scripturam, cui Auguſtinus nititur, illa nullam aliam rationem huius aduentus aſſignat. Neque ſufficit dicere, quòd eſt argumentum ab autoritate negatiuè, quia in his, quæ ad fidem ſpectant, argumentum ab autoritate negatiuè efficax eſt: alias poterit quis dicere, plures mũdos creatos fuiſſe, & plures perſonas eſſe in diuinis, quàm tres, & plura ſacramẽta fuiſſe à Chriſto inſtituta, quàm ſeptẽ. quia Scriptura nõ dicit, nõ fuiſſe creatos plures mundos, neque nõ eſſe in diuinis plures perſonas, quàm tres, neque Chriſtum non inſtituiſſe plura Sacramenta, quàm ſeptem. quemadmodum igitur ex eo, quòd Scriptura non dicit, fuiſſe creatos plures mundos, aut eſſe plures quàm tres perſonas in diuinis, aut Chriſtum inſtituiſſe plura ſacramenta, quàm ſeptem, colligunt Catholici vnitatem mundi, & Trinitatem diuinarum perſonarum, & ſeptenarium numerum Sacramentorum: ita ex eo, quòd Scriptura nullam aliam rationem aſſignat aduentus Chriſti in carne niſi Redemptionem generis humani, videtur abſolutè dicendum, nullo modo Verbum carnem fuiſſe aſſumpturum, ſi non fuiſſet peccatum. Et profectò velle aliter de hoc myſterio philoſophari, videtur res omnino voluntaria, & per ſolam licentioſitatem introducta in Scholas Theologiæ, hoc enim ratiocinandi modo admiſſo vix vllum erit dogma Catholicæ fidei, quod non poſſit ad manifeſtam incertitudinem reuocari. II.

De mente verò D. Thomæ nolo hîc diſputare, an in via illius ſuſtineri poſſit, Chriſtum fuiſſe in carne venturum non exiſtente peccato, aut prædeſtinationem Chriſti, & aliorum hominum non ſupponere notitiam peccati primorum noſtrorum parentum, ne videar exiſtimare opinionem id affirmantem alicuius eſſe momẽti, quam maluerim diſputatione cohibere, quàm ſilentio præterire. Legantur verba S. Doctoris 3. part. qu. 1. a. 3. per totum, & præcipuè ad quartum, & 1. part. q. 23. a. 1. ad tertium, & art. 4 quæ quantacunque attentione legãtur, & relegantur, vt monet Suarez, nunquam exprimere valebunt, quod prætendit, cùm dicta quæſt. 23. art. 1. ad tertium, per hoc diſtinguat hominis prædeſtinationem à prædeſtinatione Angeli, quòd prædeſtinatio hominis eſt liberatio à miſeria. & in tertia part. doceat poſt D. Auguſtinum, ob nullam aliam cauſam Chriſtum in carne veniſſe, niſi ad redimendum genus humanum, & referat opinionem contrariam, & illam reiiciat. & ad quartum doceat, prædeſtinationem Chriſti ſupponere notitiam peccati, idque tam clarè, vt mirum ſit, reperiri inter Theologos, qui credant, ſe poſſe meridianæ luci nebulas obducere. Dicit Suarez, D. Thomam loqui de prædeſtinatione quoad præparationem mediorum, cùm ait, illam eſſe liberationem à miſeria, non quoad principalem intentionem finis. Verùm quærendum eſt ab illo, an mediorum præparatio ſit ex principali intentione finis, an non. Secundum dici non poteſt. Si autem præparatio mediorum eſt ex primaria intentione finis, & præparantur per prædeſtinationem diuinam media, per quę homo prædeſtinatus liberetur à perditione, & miſeria, ego percipere non valeo, quomodo in ipſa primaria intentione finis ipſius prædeſtinationis non concludatur notitia miſeriæ, à qua homo per diuinam prædeſtinationem eſt liberandus, & voluntas liberandi hominem ab ipſa miſeria. Dicit ſecundò quod cum D. Thomas dicit, prædeſtinationem eſſe liberationem a miſeria, ſi hoc referatur ad electionem gloriæ, intelligendum eſt per anticipationem, vt ſit ſenſus; quòd illi ſunt prædeſtinati ad gloriam, qui futuri erant in maſſa perditionis, & ab illa per media efficacia diuinæ prædeſtinationis liberandi. & hoc modo poſſe etiam intelligi D. Auguſtinum. Verùm cùm Auguſtinus, & D. Thom. dicant, nullam aliam cauſam extitiſſe aduentus Chriſti in carne, niſi peccatores redimere, addat etiam D. Thom. prædeſtinationem Chriſti ſupponere notitiam peccati, apparet, hoc non dici ſolùm per anticipationem, ſed ſecundùm verum ordinem, rationis ſaltem, exiſtentem inter actum diuini intellectus, & diuinæ voluntatis in hominibus ad gloriam prædeſtinãdis. ordo enim anticipatus præpoſterus eſt, & inuerſus, in quo quod poſterius eſt, priori loco ponitur.

D. Thom.

Circa eundem ſecundum modum dicendi illud etiam minimè placet, quod ait, omnes homines, & Angelos in eodem inſtanti rationis ante præuiſa illorum merita prouenientia ex diuina gratia efficaciter electos fuiſſe ad gloriam. id enim falſum eſſe controuerſia ſequenti euidenter probabitur.

Circa tertium autem modum eædem prorſus occurrunt difficultates. ſolùm namque differt tertius modus à ſecundo, quòd iuxta tertium modum Chriſtus non ita eſt caput Angelorum prædeſtinatorum, vt ſit cauſa prædeſtinationis illorum meritoria, ſed eſt cauſa finalis tantùm. quod an verum ſit, examinabitur infrà, cùm ſermo erit de cauſis prædeſtinationis. III.

Circa quintum modum dubium occurrit. nam præparatio gratiæ non poteſt habere rationem prædeſtinationis niſi ex intentione finis, & cum certa notitia, quòd creatura, cui præparatur ipſa gratia, infallibiliter ſit ipſum finem aſſecutura, alioqui præparatio gratię quę nonnunquam confertur reprobis, poſſet vocari prædeſtinatio, quod patet eſſe falſum. Eſto igitur vera ſit illa diſtinctio de duplici prædeſtinatione ad gratiam, & ad gloriam, tamen rei, de qua modò agimus, ita applicata, quemadmodum à nonnullis applicatur, non videtur locum habere poſſe. nam aut gratia, quam Vaſquez dicit fuiſſe Angelis prædeſtinatam ante prædeſtinationem Chriſti, fuit illis prędeſtinata ex intentione, & cum infallibili notitia, quòd per illam eſſent peruenturi ad gloriam, etiamſi per impoſſibile non eſſet futura prædeſtinatio Chriſti, quod tamen erat poſſibile: aut non. Si ſic. ergo etiam ante prædeſtinationem Chriſti fuit completa prædeſtinatio Angelorum tum ad gratiam, tum ad gloriam. quid enim impedire potuit, quin eſſet completa. Si non. Ergo illa præparatio non habuit rationem veræ prædeſtinationis.

Confirmatur hæc ratio, nam in prædeſtinatione gratiæ Angelorum includitur neceſſariò donum fidei, tanquam primum donum, & medium omnino neceſſarium ad ſalutem, tam Angelo viatori, quàm homini. Verùm inter alios fidei actus, qui Angelo viatori fuerunt neceſſarij ad beatitudinem promerendam, præcipuus fuit actus circa myſterium Incarnationis Verbi, quod fuit omnibus Angelis reuelatum, & propoſitum tanquam credendum. Ergo prædeſtinatio gratiæ Angelorum ſupponit neceſſariò ipſam Chriſti prædeſtinatio

Digitized by Google

nationem. Maiorem ſuppono hîc tanquam manifeſtam ex iis, quæ tradunt Theologi poſt D.
D.Thom. Thomam 2.2.q.5. a.1. Minor probatur autoritate multorum Patrum, qui dicunt, Angelis viatoribus reuelatum fuiſſe myſterium incarnationis Verbi, immo multorum Doctorum eſt opinio, peccatum Luciferi fuiſſe inuidentiam dignitatis naturæ humanæ ad tantam excellentiam aſſumendæ, & nolle ſe ſubmittere Chriſto, & illum adorare. Ita colligitur ex Auguſtino lib.5. de Geneſi ad literam
Auguſt. Cyprian. Bernard. Rupert. cap.19. Cypriano homil. ſeu ſermone de zelo & liuore. D.Bernard. ſerm.27. in Cantica, Ruperto lib.8. in Ioan. circa illa verba, *Ille erat homicida ab initio.* Lyran. in ſextum cap. Iſaiæ circa illa verba,
Lyran. D. Thom. *Quis eſt iſte, qui venit de Edom?* D.Thom. in 2. ſentēt. d.11. q.1.art.4.& 1.part.q.57.art.5. ad primum, &
Iacob de Valentia. Viguerius. q.64. art.1. ad quartum. Iacobo de Valentia in Pſalm.81. circa illa verba, *Surge Deus, iudica terrā.* Viguerio lib. Inſtitutio. Theologicarum cap.3. §.
Ambr. Catharin. Ruard. 2.verſic.15. Ambroſ. Catharino in Opuſc. de eximia Chriſti prædeſtin. & in Opuſc. de gloria Angelorum, Ruardo Tapero art.2. §. *eſt tamen baptiſmus.* pag. mihi 53. & art.8. paulo poſt initium pag.5. & 6. vt recentiores Theologos omittamus poſt D. Thom. in locis citatis. ex quibus videri
Vaſquez. Suarez. poſſunt Vaſquez 1.p.q.57.a.5. diſp.215. & Suarez 3.p.diſp.42. ſect.1. Et probari etiam poteſt eadem minor ex eo, quoniam myſterium illud Incarnationis Verbi fuit homini in ſtatu iuſtitiæ originalis reuelatum, vt Theologi communiter docent
D.Thom. cum D.Thom.2.2.q.2.art.7.& tertia part. q.1.a.3. ad quintum.& videtur colligi ex illis verbis, quæ dixit Adam, *Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea*, &c. quæ verba D. Paulus ad Epheſ.5. interpretatur de myſterio vnionis Chriſti & Eccleſiæ. Si autem hoc ſacramentum fuit reuelatum homini in ſtatu Innocentiæ, multo rationabilius videtur dici poſſe, fuiſſe etiam iptis Angelis in ſtatu viæ reuelatum.

IV. Omnibus igitur inſpectis, & collatis in hoc grauiſſimo dubio, in quo potiùs coniectare, & diuinare, quàm aliquid certi valemus affirmare, vnum ex tribus videtur dicendum. aut enim dicendum eſt, nullum hominem, aut etiam Angelum fuiſſe efficaciter ad gloriam prædeſtinatum, niſi per Chriſtum, & in Chriſto, præceſſiſéque ipſam Chriſti prædeſtinationem, prædeſtinationem Angelorum in aliquo ſigno rationis, & nihilominus prædeſtinationem Chriſti ſuppoſuiſſe præſcientiam peccati Adæ, & Angelorum, ſed tunc gratiam, quæ præparata fuit Angelis in illo inſtanti, quod concipitur inter creationem Angelorum, & lapſum Adæ, poſt quem facta eſt Chriſti prædeſtinatio, & etiam ipſorum Angelorum, & hominum, non fuiſſe effectum prædeſtinationis, ſed ſolùm prouidentiæ ſupernaturalis, cuiuſmodi fuit gratia collata Adę in ſtatu iuſtitiæ originalis, cui ſententiæ aliqua ratione videbitur fortaſſis fauere do-
Auguſt. ctrina Auguſtini in lib. de Correptione & Gratia vbi comparat gratiam collatam Adæ in ſtatu innocentiæ cum gratia collata Angelis in illo ſtatu viæ, maximè Angelis malis. Quòd ſi hic dicendi modus minus probabilis eſſe videtur, habet enim difficultatem ſatis apparentem, quomodo actus diuinæ prædeſtinationis reſpectu Angelorum māſerit ſuſpenſus vſque dum præuideretur peccatum ipſorum Angelorum, & peccatum hominis, quod ex peccato Angelorum originem traxit: neque enim videtur fuiſſe vlla ratio iſtius ſuſpenſionis, cùm neque peccatum Angeli, neque hominis aliquid contulerit illorum prædeſtinationi.

Secundò dicendum videtur iuxta quartum mo- V.
dum relatum cap. præcedenti, prædeſtinationem Angelorum quoad gratiam, & gloriam eſſentialem non pendere ex prædeſtinatione Chriſti: adeò quòd etiamſi homo non peccaſſet, & ex conſequēti Verbum carnem non aſſumpſiſſet, nihilominus fuiſſent Angeli ipſi ad gloriam prædeſtinati. Chriſtúmque non eſſe caput Angelorum prædeſtinatorum, eo quòd illius prædeſtinatio in aliquo ſigno rationis præceſſerit prædeſtinationem Angelorum, tanquam illius cauſa finalis, aut meritoria, ſed ob alias rationes ibid. explicatas. quæ verò contra hunc modum dicendi obiici poſſunt, ſtatim adducemus ac ſoluemus.

Primò namque obiici poteſt, quia iuxta hunc modum dicendi falſum eſt id, quod proximè retulimus ex ſententia D. Auguſtini, & D.Thom. & aliorum Doctorum, fuiſſe Angelis viatoribus reuelatum myſterium Incarnationis, & præceptum, vt Chriſto ſubiicerentur, & per actum fidei circa myſterium Incarnationis, & actum illius ſubmiſſionis, & obedientiæ beatitudinem ſupernaturalem ſibi promererentur. Si enim actus fidei de illo myſterio, & actus ille ſubiectionis voluntariæ Angelorum ipſi Chriſto, fuiſſet medium neceſſarium ad gloriam, fuiſſet vtique à Deo prædeſtinatus, nam prædeſtinatio eſt omnium mediorum, quæ ſunt neceſſaria ad finem æternæ gloriæ aſſequendum. aut ergo prædeſtinatio Angelorum ſupponit prædeſtinationem Chriſti, aut myſterium Incarnationis non fuit Angelis viatoribus reuelatum, aut non ob illum finem, vt per actum fidei illius myſterij & voluntariæ ſubiectionis ipſi Chriſto ſupernaturalem beatitudinem promererentur, ſed ob alias cauſas.

Reſpondeo, ſecundùm hunc modum dicendi videri mihi ita neceſſariò eſſe dicendum. neque enim ſententia illa, quæ docet, fuiſſe Angelis viatoribus reuelatum myſterium Incarnationis, & peccatum primi Angeli fuiſſe, nolle ſubiici homini illi facto Deo per vnionem hypoſtaticam, inuidiſſéque tantæ hominis dignitati, & appetiuiſſe ſibi ipſi tantā excellentiam, & hoc modo voluiſſe fieri æqualē Deo, adeò firma eſt, neq; tot Patrū, aut Theologorum autoritate munita, vt abſque erroris, aut temeritatis nota ab illa recedere minimè poſſimus, cùm de facto multi graues Theologi illam non teneant. Et quanuis admittamus, fuiſſe myſterium Incarnationis ipſis Angelis viatoribus reuelatum, tamen dici poteſt, non fuiſſe reuelatū tanquam cauſam prædeſtinationis illorum, eo quòd actus aliquis fidei illorum circa tale myſteſterium eſſet effectus prædeſtinationis, & medium neceſſarium ad gloriam, ſed ob alias cauſas ipſi Deo notas, vel vt per actum fidei, & ſubiectionis promererentur gloriam accidentalem, vel ob gloriam Chriſti, cui illi erant ſubiiciendi, tanquam ſupremo capiti, vel certè, quod probabiliſſimum eſt, quia maximè dignificabatur illorum ſtatus per notitiam illius myſterij, videbatúrque ille ſtatus maximè Angelorum beatorum talem notitiam poſtulare. quæ doctrina videtur colligi ex ipſo D.Thom. de veritate q.29. art.7. ad quintum, vbi dicit, Chriſtum meruiſſe Angelis beatis non præmium eſſentiale, ſed gloriam accidentalem: quia quoad iſtam gloriam ſunt quodammodo viatores. & art.4. ad quintum, vbi dicit, quòd influxus illuminationis Chriſti in Angelos non eſt finis, vt finis Incarnationis, ſed vt Incarnationem conſequens.

Quod dictum vt intelligatur, & tollatur ſimul

omnis

omnis occasio dubitandi, quæ ex verbis D. Thomæ, immo & D. Augustini, cuius ore D. Thomas fere semper loquitur, oriri potest. Aduertendum est, decipi eos, qui putant, dixisse D. Thomam, mysterium Incarnationis fuisse Angelis viatoribus reuelatum. hoc enim non dixit, sed dixit, fuisse illis reuelatum ab initio suæ illorum beatitudinis. ita dicit prima p. q. 57. a. 5. ad primum. sic enim ait: *Ad primum ergo dicendum, quod de mysterio Incarnationis dupliciter contingit loqui, uno modo in generali, & sic omnibus reuelatum est à principio suæ beatitudinis, cuius ratio est, quia hoc est quoddam generale principium, ad quod omnia eorum officia ordinantur, omnes enim sunt administratorij spiritus, vt dicitur Hebræorum 1. in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis, quod quidem fit per Incarnationis mysterium. vnde oportuit de hoc mysterio omnes à principio communiter edoceri. Alio modo possumus loqui de mysterio Incarnationis quantum ad speciales conditiones, & sic non omnes Angeli à principio fuit de omnibus edocti.* Ecce quòd non loquitur de Angelis viatoribus, sed beatis, qui ab Apostolo vocantur administratorij spiritus. id quod clariùs indicat q. 64. a. 1. ad quartum vbi expressè docet, Dæmones à principio non cognouisse hoc mysterium, sed solos Angelos beatos, inquit enim: *Ad quartum dicendum, quod mysterium regni Dei, quod est impletum per Christum, omnes quidem Angeli à principio aliquo modo cognouerunt, maximè ex quo beatificati sunt visione Verbi quam Dæmones nunquam habuerunt: non tamen omnes Angeli cognouerunt perfectè, neque æqualiter. vnde Dæmones multo minus Christo existente in mundo perfectè mysterium Incarnationis cognouerunt, non enim innotuit eis, vt Augustinus dicit, sicut Angelis sanctis, qui Verbi participata æternitate perfruuntur: sed sicut eis terrendis innotescendum fuit per quædam temporalia effecta.* ex his duo habentur certissima. Primò ex sententia D. Thomæ mysterium Incarnationis non fuisse reuelatum indistinctè omnibus Angelis viatoribus, sed solis Angelis beatis à principio suæ beatitudinis. Secundò non fuisse illis reuelatum, vt per actum fidei, aut voluntariæ subiectionis mererentur sibi gloriam essentialem, sed quia talem notitiam expostulabat illorum status beatificus, & quia destinati erant, vt essent administratorij Spiritus eiusdem Christi. vnde perperam à nonnullis adducitur autoritas D. Thomæ ad probandum ex hoc capite prædestinationem Christi in aliquo signo præcessisse ipsam prædestinationem Angelorum. Et idem dicitur de autoritatibus D. Augustini, & aliorum Patrum. Concertatio enim quæ fuit inter D. Hieronymum & D. Aug. an Angeli ab initio cognouerint hoc mysterium, referente D. Thoma in 2. d. 11. q. 1. a. 4. non est nisi de Angelis beatis, non de omnibus indifferenter. D. Thom.

VII. Secundo obiici possunt argumenta, quibus Suarez lib. 1. de essentia prædestinationis cap. 12. probat prædestinationem omnium hominum, & Angelorum fuisse in eodem signo rationis post prædestinationem Christi. Si enim omnes Angeli, & homines in eodē signo, & instanti rationis fuerunt prædestinati, non fuit prior prædestinatio Angelorū ad gloriā, quàm prædestinatio Christi, cùm prædestinatio hominis supponat prædestinationem Christi in ratione causæ tum finalis, tum meritoriæ. Assumptum verò probat, quia in actibus diuinæ volūtatis nullus alius ordo potest assignari, nisi ille, qui sumitur ex ordine, quē habent inter se ipsa obiecta volita: sed inter prædestinationē Angeli, & hominis nullus ordo reperitur prioritatis, & posterioritatis, nam talis ordo non potest esse, nisi secundùm aliquam causalitatem, sed hoc esse non potest in proposito nostro, nam talis causalitas nulla alia esse potest, nisi causalitas finis, sed neque gloria hominis est finis prædestinationis Angeli, neque è contra.

Confirmatur ratio, nam Deus intendit gloriam & regnum omnium electorum per modum vnius corporis. Ergo simul intendit omnia illius membra quę sunt non solùm Angeli, sed etiā homines.

Respondeo, negando minorem. Ad probationem respōdetur, quanuis nō sit inter prædestinationē Angeli, & hominis ordo causalitatis propriè dictæ, esse tamē ordinē causalitatis, sine qua non, siue occasionalis, quia prædestinatio Christi occasionē accepit ex peccato hominis, quod supponit peccatū Angeli. Et notandū, quòd licèt ordo actuū diuinæ volūtatis sumatur ex ordine obiectorū, tamē ordo, qui est inter obiecta, nō est semper ordo à natura in ipsis obiectis cōstitutus, qualis est ordo inter subiectū, & proprias illius passiones: sed quandoque est ordo constitutus in obiectis per solam Dei voluntatem, cùm alioquin ipsa obiecta nullam habeant naturalem connexionem, qualis cernitur ordo inter multos effectus prædestinationis diuinæ, & finem, & qualis est ordo Sacramentorū ad gratiam causandā: & in hoc hallucinatur arguens. vnde dici potest, quòd licèt inter prædestinationē, & gloriā Angeli, & hominis nō sit ordo secundū naturalem habitudinē, est tamen ordo secundùm dispositionem diuinæ volūtatis.

Ad confirmationem respondetur, regnum electorum esse vnum corpus non naturale, sed mysticū, & politicum. vnde non est necesse, omnia illius membra esse volita in eodem signo rationis.

VIII. Tertiò obiici possunt argumenta, quibus idem autor ibid. probat, omnes prædestinatos fuisse electos ad gloriam ante præuisum peccatum Angelorum, quod probat primò ex D. August. lib. 12. de ciu. c. 9. quatenus docet necessitatem gratiæ æquè ad Angelos, & homines pertinere, & gratiā à Deo æquè gratis, & liberaliter his, & illis præstari, & lib. 11. c. 9. & lib. 12. c. 1. & lib. 15. c. 1. & lib. 22. c. 29. quatenus distinguit duas illas ciuitates, alteram bonorū, quā dicit coalescere ex omnibus Angelis, & hominibus, sine vllo ordine: alteram malorum, adiuncto testimonio D. Anselmi in Elucidario dicentis, tot homines esse saluandos, quot sunt Angeli boni, & Augustini in Enchiridio dicentis, plures homines esse saluandos, quàm sint Angeli beati. quod dictū demonstrat, homines non prædestinari solùm ad ruinas Angelorum reparādas. Augustin. Anselm. August.

Cōfirmatur primò, quia natura humana æquè capax est beatitudinis, & æquè habet Deum pro solo vltimo fine, sicut natura Angelica. Ergo æquè primò eligitur sicut natura Angelica.

Confirmatur secūdò, quia Deus elegit naturam humanā, vt in illa perficeret mysteriū vnionis hypostaticæ: non autem elegit naturam Angelicam. Ergo non videtur dubiū, quin homines tanquam Christi fratres per se primò indepēdenter à peccato Angelorum sint electi.

Respondetur, cùm ex innumeris penè Augustini testimoniis, quorum nullus eius liber nō est refertus, euidentissimè constet illius mentē esse, prędestinationem esse liberationem de massa perditionis, etiamsi in locis cit. Augustinus dicat, omnes tam Angelos, quàm homines æqualiter egere auxilio diuinæ gratiæ, & illam æquè gratis omnibus dari, & ciuitatem Dei constare tam ex hominibus, quàm ex Angelis, absque vllo ordine,

& tot homines fore ſaluandos, quot ſunt Angeli beati, nullo modo ex hoc deduci, prædeſtinationẽ hominum factam fuiſſe in eodem inſtanti, in quo facta eſt prædeſtinatio Angelorum. eſto enim Auguſtinus in locis allegatis non ponat ordinem inter prædeſtinationem Angeli, & hominis, ponit tamen alibi. neque opus eſt omnia in quolibet loco repetere.

Ad primam confirmationem reſpondetur, Deũ in prædeſtinandis creaturis rationalibus ad gloriam non attendiſſe naturalem illarum capacitatem, alioqui cùm omnes rationales creaturæ æquè eſſent capaces gratiæ, & gloriæ, illa nanque capacitas ſolùm proueniebat ex potentia obediẽtiali, omnes creaturæ rationales prædeſtinatę fuiſſent. quòd autem potius voluerit naturam humanam, quàm Angelicam aſſumere, hoc non prouenit ex maiori, vel minori capacitate eiuſdem naturæ humanæ, ſed ex aliis cauſis, quæ videri poſſunt apud Theologos in 3. ſentent.

IX. Quartò obiici poſſunt argumenta, quibus idem autor probat, prædeſtinationem hominum factã fuiſſe ante præuiſum peccatum Adæ. quod probat
D. Thom. autoritate D. Th. 1. p. q. 23. a. 1. ad tertium & a. 4. quem monet, vt attente legamus. Addit autoritatem Scoti, Ægidij, Marſilij, Heruæi, Capreoli,
Ioan. Ech. Gregor. Arimin. & Ioan. Echij, qui in lib. de Prædeſtinatione centuria 1. n. 36. pro regula ſtatuit, nullum prædeſtinatum electum fuiſſe occaſione peccati alterius. vnde rationem deducit. Electio hominum in nullo pendet à permiſſione, vel præuiſione peccati, quia nullo modo, vel ratione, vel occaſione illius intelligitur fieri. Ergo non eſt, cur illam ſupponat. Alia adducit, quę non concludunt, ideo omittuntur.

Reſpondetur, quod ſpectat ad D. Thom. quantacunque attentione legatur, nunquam ex eius verbis colligi poſſe, quod arguens prætendit: ſed totum oppoſitum. Scoti autem autoritas, & aliorum, quos citat, in hoc attendi non debet. Regula verò illa, nullus prædeſtinatus electus eſt ad gloriam occaſione peccati, prout iacet, non eſt cõmunis Theologorum regula, immo contra expreſſam ſententiam D. Thomæ, dicentis, prædeſtinationem Chriſti factam fuiſſe occaſione peccati Adæ. Eſt autem vera illa regula in hoc ſenſu, quòd nullus prædeſtinatus electus eſt ad gloriam occaſione peccati, tanquam cauſa electionis, & prædeſtinationis adæquata, aut etiam principalis: nam cauſa principalis, immo & adæquata prædeſtinationis ad gratiam eſt ſola Dei bonitas, & nihilominus ſi non fuiſſet occaſio peccati, non fuiſſet prædeſtinatio Chriſti.

Dicetur, ergo prædeſtinatio Chriſti fuit bonum occaſionatum.

Reſpondeo, eſſe bonum occaſionatum dupliciter intelligitur, vno modo, quòd ſit præter intẽtionem agentis: alio modo quòd licèt ſit ſecundũ intentionem agentis, tamen non eſſet intentum ab agente, niſi ſumpta occaſione ex aliquo alio, prædeſtinatio Chriſti poteſt dici occaſionata ſecundo modo, non primo modo.

X. Dicetur, eſto prædeſtinatio Chriſti fuerit occaſionata ex peccato Adæ, tamen etiamſi non fuiſſet prædeſtinatio Chriſti, fuiſſet prædeſtinatio hominum, & illa nõ fuiſſet occaſionata ex peccato. Ergo etiam modò non eſt occaſionata ex peccato.
Auguſt. Antecedẽs probatur primò ex Aug. lib. 13. de Trin. c. 10. vbi dicit, quòd etiamſi filius Dei non incarnaretur, erat alius modus poſſibilis noſtræ ſalutis. Secundò, quia ſi Adam permanſiſſet in gratia, fuiſſet prædeſtinatus.

Reſpondetur, aliud eſſe loqui de iis, quæ Deus potuiſſet facere, aut etiam feciſſet: aliud eſt loqui de iis, quæ fecit. nos dicimus, de facto prædeſtinationem Chriſti & omnium hominum ſupponere notitiam peccati Adæ. Si autem non fuiſſet peccatum Adæ, alio modo homines fuiſſent prædeſtinati, neque fuiſſet prædeſtinatio Chriſti, de qua modò tota eſt controuerſia. quibus autem aliis modis potuiſſet Deus hominum ſalutem procurare, ipſe nouit. XI.

Quintò poſſunt obiici argumenta, quibus idẽ autor lib. 2. de Prædeſtin. c. 22. & 3. part. tom. 1. diſp. 42. probat, Chriſtum meruiſſe omnibus electis, etiam Angelis omnia dona gratiæ & gloriæ.

Verùm de hoc tractabitur controuerſia tertia, cùm verba fient de cauſis prædeſtinatis.

Quibus omnibus adiicio, ſi hic quartus modus dicendi non placet, mihi maximè probari vltimũ modum; per illum nãque optimè declaratur, quomodo Chriſtus ſit caput omnium prædeſtinatorum, & nihilominus ſit prædeſtinatus in remedium peccati, & quomodo Deus noluerit prædeſtinationem ipſius Chriſti, niſi cum hac conditione, vt ſimul eſſet Redemptor generis humani, & qua ratione omnia per Chriſtum fuerunt inſtaurata. Neque hic dicendi modus alias videtur habere difficultates, præter eas, quas habet opinio illa de ſcientia futurorum conditionatorum, quas leues eſſe lib. 3. ad finem oſtendimus. Immo verò cùm ex admiſſione illius ſcientiæ facilè ſoluatur hic nodus, alioquin difficilis, & ſatis implicatus, omnéſque alij modi, quibus Theologi illum ſoluere nituntur, eas patiantur inſtantias, quæ illos in omne latus ſe vertere compellunt, vt eas diſſoluant, mihi videtur hæc vnica ratio ſufficere debere, ad ſuadendum, vt illa in ſcholas Theologorum benignè admittatur.

CAPVT VII.

Tertia controuerſia proponitur de cauſis prædeſtinationis, & nonnulla ad ſtatum controuerſiæ intelligendum neceſſaria notantur.

VT retegantur dubia latentia in hac controuerſia de cauſis prædeſtinationis diuinæ, quæ I. omnium aliarum ad rem Theologicam ſpectantium, me iudice, grauiſſima eſt, nonnulla prænotãda ſunt. & primo loco illud notare oportet, quod communiter aduertunt Theologi poſt D. Thom. & alios relatos à Franciſ. Suarez lib. 2. de Prædeſtin. ſtatim in initio, prædeſtinationem duobus modis poſſe conſiderari, vno modo quatenus eſt actus immanens diuini intellectus, & diuinæ voluntatis: alio modo prout refertur ad ſuum obiectum ad extra, & quoad effectus, quos ponit in prædeſtinato extra ipſum Deum. Suarez. Cùm quæritur de cauſis prædeſtinationis, quæſtio non poteſt eſſe de ipſa prædeſtinatione ſub ea ratione, qua eſt actus immanens in Deo, quia vt ſic eſt eadem met Dei eſſentia, cuius nullæ dantur cauſæ. Sed quæſtio eſt de prædeſtinatione ſub ea ratione, qua reſpicit obiectum ad extra, & ponit effectus in prædeſtinato, verùm ſit aliqua ratio, ob quam Deus decreuerit ponere in prædeſtinato illos effectus, quos in tempore ponit. vnde eadem eſt quæſtio, an prædeſtinationis dentur cauſæ ſecundùm hos

Digitized by Google

hos autores, & an effectuum prædeſtinationis dẽtur cauſæ, & quænam illæ ſint.

Mihi autem videtur vlteriùs procedendum, & dicendum, non ſolùm inquirendas eſſe cauſas prędeſtinationis, quoad illius effectus, ſed etiam quoad ipſum actum, ſaltem vt relatum ad obiectum ad extra, ſano modo accepto nomine cauſæ in diuinis. eſt namque duplex genus cauſæ, alterum phyſicum, & ſecundùm hoc genus illa dicitur cauſa, cui correſponder, tanquam proprius terminus ſuæ cauſalitatis, aliquis effectus ad extra diſtinctus ab ipſa cauſa. Alterum Metaphyſicum, & ſecundùm iſtud genus cauſæ, illa omnis poteſt dici cauſa alicuius, quæ eſt illi ratio eſſendi, ſiue ſit illi ratio eſſendi per veram, & realem efficientiam ſiue non, de quo genere cauſalitatis loquuntur Metaphyſici, & Theologi, cùm aiunt, vnum attributum diuinum eſſe cauſam alterius, vt immaterialitatem, ac ſimplicitatem cauſam eſſe impaſſibilitatis, & immutabilitatis. hoc autem ſecundo modo accepto nomine cauſæ poteſt quæri cauſa actus diuinæ prædeſtinationis. eſt enim ſenſus quæſtionis, an in diuino intellectu præceſſerit aliquid, quod prægnitum mouerit diuinam voluntatẽ ad volendum, & prædeſtinandum electos illos effectus, quibus mediantibus ipſi infalliбiliter gloriã aſſequuntur, & quidnã illud fuerit.

Secundò, notandum eſt, licèt ſtrictè loquendo ſub effectibus prædeſtinationis non comprehendatur ipſa gloria, tamen cùm Theologi diſputant de cauſis prædeſtinationis, perinde loqui de ipſa gloria, tanquam ſi eſſet effectus ipſius prædeſtinationis. quærunt enim, an detur cauſa prædeſtinationis non ſolùm quoad gratiam, ſed etiam quoad gloriam: immo nonnulli diſtinguunt duplicem prædeſtinationem, alteram ad gratiam, alteram ad gloriam, & de vtraque diſtinctè verba faciunt, quanuis prædeſtinatio ad gloriam ſecundùm D. Thomã proprie vocari debeat electio, non prædeſtinatio: nam de fine non eſt prędeſtinatio, ſed electio, prædeſtinatio verò eſt de mediis ad finem, vt ſuprà admonuimus ex eodem D. Thom. 1. p. q. 23. a. 4. Iuxta quam diſtinctionem in hac controuerſia facilioris doctrinæ gratia diſtinctè de vtraque prædeſtinatione verba fient. primò namque inquiremus de cauſis prædeſtinationis ad gratiam, poſtea de cauſis prædeſtinationis ad gloriam. Quia verò prædeſtinationis ad gratiam non vnus eſt effectus, ſed multiplex, nam inter ipſius prædeſtinationis effectus primò numeranda eſt prima vocatio congrua, quæ dicitur prima gratia. Secundò conſenſus liberi arbitrij. Tertiò donum præclariſſimum perſeuerantiæ vſque in finem, ideo non vnicum, ſed multiplex hæc quæſtio dubium continet, nimirum an prædeſtinationis ad primam gratiam detur cauſa, & quænam illa ſit. & an ipſius conſenſus diuinæ gratiæ, & tandem an detur cauſa, quòd Deus electis prædeſtinauerit donum perſeuerantiæ vſque in finem. & omnia iſta dubia diſtinctè & ſigillatim tractanda, & reſoluenda ſunt.

III. Tertiò præmittendum eſt, cùm multiplex ſit genus cauſæ, materialis, formalis, efficientis, & finalis, hîc non eſſe quæſtionem de cauſa finali, conſtat enim cauſam finalem prædeſtinationis omnium electorum tam ad gloriam, quàm ad gratiam eſſe gloriam Dei, & Chriſti. ita enim colligimus ex Apoſtolo dicente in prima ad Corinth. c. 3. *omnia veſtra ſunt, vos autem Chriſti, Chriſtus autem Dei.* & ad Epheſ. 1. *elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionẽ.* & infrà, *in quo nos etiam ſorte vocati ſumus, prædeſtinati ſecundùm propoſitum eius, qui operatur omnia ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ, vt ſimus in laudem gloriæ eius nos, qui ante ſperauimus in Chriſto.* iunctis aliis ſuperiùs c. 5. deductis & allegatis. Neque obſtat, quod ſuprà dixerimus, Chriſtum prædeſtinatum fuiſſe in remedium peccati, ad redimendum genus humanum, vnde potius videtur finis prædeſtinationis Chriſti, & Incarnationis fuiſſe ſalus, & prædeſtinatio generis humani, ad quã ipſa Chriſti Incarnatio, & prædeſtinatio fuit à Deo ordinata. nam, vt multa omittamus, quæ in hoc dubio (minus neceſſaria) ſoluendo dicũt ſcribentes, breuiter dici poteſt cum Capreolo in 3. d. 1. q. 1. a. 3. ad ſecundum contra primam concluſ. duplicem eſſe finem Incarnationis, & prædeſtinationis Chriſti, finem proximum, & finem vltimum. finis proximus fuit redemptio humani generis, ſed finis vltimus fuit gloria ipſius Chriſti, & Dei, in quem finem tandem fuit ordinata ipſa hominum prædeſtinatio, & redemptio. Capreol.

IV. Non eſt etiam hîc quæſtio de cauſa formali eiuſdem prædeſtinationis, illa enim nulla alia eſt niſi propria eius ratio, aut definitio, de qua dictũ eſt ſatis prima controuerſia, aut ſi poteſt alia cauſa formalis eiuſdem prædeſtinationis excogitari, illa nulla alia erit, niſi gratia, de qua tractare non ſpectat ad hunc locum. Eſt verò quæſtio tum de cauſa materiali, tum de cauſa efficienti. De cauſa materiali quæſtio eſt, quatenus ad illam reducuntur diſpoſitiones, quibus mediantibus agens introducit formam in ſubiectum, cùm enim ſubiectum prædeſtinationis ſit creatura rationalis, circa quam ſolùm verſatur ipſa prædeſtinatio, & forma quæ per prædeſtinationem introducitur in hoc ſubiectum, ſit gratia, & gloria, quæſtio eſt, vtrùm præuiderit Deus aliquam diſpoſitionem in hoc ſubiecto, ſiue illa fuerit bonus vſus liberi arbitrij ipſius creaturæ, ſiue aliquid aliud, ob quam diſpoſitionem voluerit introducere in hoc ſubiectũ gratiã, & gloriã, & potiùs prædeſtinauerit hãc creaturã ad ipſam gratiam, & gloriã, quàm aliam. Quæ res vt facilius intelligatur, recolenda nobis eſt controuerſia illa inter Platonem, & Ariſtotelem, an formæ dentur iuxta diſpoſitiones, & ſecundùm merita materiæ, an potiùs diſpoſitiones inſint materiæ ab agente ex eo, quoniam intendit introducere talem formam, quæ introduci non poteſt, ſine talibus diſpoſitionibus. contendebat enim Plato, formas dari ſecundùm merita materiæ, ita quòd ſi quæreretur ab illo, cur hæc portio materiæ ſit potius ſub forma ignis, illa ſub forma aquæ, &c. Reſpondebat, ex varia diſpoſitione partium ipſius materiæ id prouenire, ob quam cauſam ipſi debebatur illa formarum diuerſitas. E cõtrario Ariſtoteles dicebat, ideo diuerſas partes materiæ diuerſis diſpoſitionibus eſſe affectas, quia agens intendens varias formas introducere in ipſã materiam, diuerſas etiam diſpoſitiones illi tribuit. adeò quòd ex illius ſententia variæ diſpoſitiones dantur materiæ propter merita formæ. Ita in propoſito noſtro imaginemur cum D. Thom. 1. part. quæſt. 23. art. 5. ad tertium, totam naturam creatam intellectualem eſſe veluti vnam primam materiam, & ſingulos homines, aut Angelos eſſe particulas huius primæ materiæ, & gratiam, & gloriam eſſe formas introducendas in iſtas particulas materiæ à Deo, tanquam à cauſa prima efficiente. Eſt igitur quæſtio, an Deus decreuerit gratiam, & gloriam dare potius huic creaturæ, quàm alteri ob diſpoſitionem aliquam præuiſam potius in hac, quàm in alia. D. Thom.

An verò è contrario prohibito decreuerit conferre gratiam,& gloriam potius huic,quàm illi,& ob hoc etiam potius decreuerit ponere diſpoſitiones neceſſarias ad tales formas in hoc, quàm in illo.& in hoc puncto latet ſcopulus, & puteus iurgiorum inter hæreticos, & Catholicos, hæreticis affirmantibus,ideo Deum prædeſtinaſſe electis gratiam,& gloriam,quia præuidit illorum diſpoſitiones. Catholicis verò econtrario affirmãtibus ideo poſuiſſe Deum in electis tales diſpoſitiones, quia ex ſola ſua gratuita voluntate ipſis gratiam, & gloriam conferre decreuit.

V. Pari modo de cauſa efficienti quæſtio eſſe poteſt,quatenus ad illam cauſa meritoria reducitur, quã hic diſtinguimus à cauſa materiali, tum propter illos, qui cùm vereantur concedere, dari aliquã cauſam meritoriam prædeſtinationis ex parte prædeſtinati, admittunt nihilominus dari aliquã cauſam,ſiue diſpoſitionem materialem: tum quia diſpoſitio materialis ſolùm aſſignari poteſt ex parte eius, qui prædeſtinatur: at cauſa meritoria aſſignari etiã poteſt ex parte alterius. tribus enim modis poſſumus imaginari dari cauſam meritoriam prædeſtinationis, vno modo ex parte illius, qui prædeſtinatur. altero modo ex parte Chriſti, qui eſt caput omnium prædeſtinatorum. tertio modo ex parte alicuius tertiæ perſonæ, quæ meruerit alij perſonæ ſuam prædeſtinationem,ſicut à nonnullis dicitur, quòd oratio Stephani meruit conuerſionem Sauli, & lacrymæ B. Monicæ meruerunt conuerſionem filij Auguſtini. & omnibus hiſce modis præſens quæſtio eſt examinanda. Quare in hac controuerſia ſequentia dubia erunt hoc ordine reſoluenda. Primum, vtrùm ex parte illius, qui prædeſtinatur, aſſignari poſſit aliqua cauſa ſuæ prædeſtinationis,ſiue meritoria,ſiue ſaltem,vt diſpoſitio materialis in ordine ad primam gratiam. Secundum,vtrùm ex parte eiuſdem prædeſtinati ſit aſſignabilis aliqua cauſa,ſine qua præparatio gratiæ, quæ vocatur prædeſtinatio, non ſortiatur effectum prædeſtinationis. Tertium vtrùm ex parte eiuſdem prædeſtinati aſſignari poſſit cauſa prædeſtinationis, quoad effectum perſeuerantiæ vſque in finem.Quartum vtrùm ex parte prædeſtinati aſſignari poſſit cauſa prædeſtinationis ad gloriam. Quintum vtrùm Chriſtus ſit cauſa meritoria noſtræ prædeſtinationis. Sextum vtrùm homo aliquis potuerit mereri alteri ſuam iuſtificationem,& prædeſtinationem.

CAPVT VIII.

Dubium primum proponitur, & errores Origeniſtarum, Pelagianorum & Semipelagianorum circa illud referuntur.

I. Origenes. CIrca primum dubium,an detur ex parte prædeſtinati cauſa meritoria prædeſtinationis ad primam gratiam,fuit error Origenis lib.1. Periarchon c.8. & 9.& vltimo,& lib.2.c.1. & in cõment. epiſtolæ ad Epheſ. circa illa verba,*elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem*, omnes animas fuiſſe à Deo ſimul creatas non ſolùm antequam demittantur in corpora, ſed etiam ante huius mundi viſibilis creationem, & tunc pro ipſarum libertate quaſdam illarum meruiſſe,alias peccaſſe: & illas quæ benè egerunt, & meruerunt, ob illa merita fuiſſe à Deo ad gloriam prædeſtinatas.Hũc errorem Origeni tribuunt Epiphanius epiſtola ad Ioannem Epiſcopum Hieroſolymitanum. Leo primus in epiſtola ad Iulianum Coenſem n.11. & in epiſtola 91. ad Turibium.Eiuſdem erroris meminerunt Gregor. Nazianz. oratione 31. Theophilus Alexandrinus lib.1. Paſchal. Hieronymus in comment. ſuper Ieremiam cap.24. & 28. & in primum caput ad Epheſios, & in epiſtola 8. & 139. Immo Ruffinus Aquileienſis in eundem errorem nititur deducere eundem Hieronymum, occaſione quorundam verborum, quæ ille more Commentatoris, aliorum ſententias referendo, dixit in dicto commentario primi capitis ad Epheſios. Cæterum Hieronymus in Apologia prima contra Ruffinum dicit, ſe in illa epiſtola cõmentanda multa dixiſſe non ex propria ſententia, ſed aliorum opiniones referendo,& hunc errorem damnat. vnde immeritò hic error illi imponitur.

Epiphan. Leo prim. Greg.Naz. Theoph. Alex. Hieron. Ruffinus. Hieron.

Eundem errorem videtur ſecutus Eutiches Conſtantinopolitanus, vt colligitur ex dicta epiſtola Leonis primi Papæ 11. ad Iulianum, & Priſcillianus, aduersùs quem extat canon 6. Concilij primi Bracarenſis in hunc modum: *Si quis animas humanas dicit priùs in cœleſti habitatione peccaſſe, & pro hoc in corpora humana interiectas, ſicut Priſcillianus ait, anathema ſit.* quanuis iſte hæreticus non dicat eas animas, quæ in cœleſti habitatione bona egerunt, ſuam prædeſtinationem promeruiſſe.

Eutiches. Priſcillian. Conc. Brac.

Suadebat autem hunc errorem Origenes ex quibuſdam autoritatibus diuinæ Scripturæ, prauè ab illo ad ſuum ſenſum detortis, qualis erat illa, quam adducebat ex Pſalm.89. *Domine refugium factus es nobis à generatione in generationem, priuſquam montes fierent, aut formaretur terra & orbis, à ſæculo & vſque in ſæculum tu es Deus.* ex hac deducebat Origenes referente D. Hieronymo in epiſtola ad Cyprian. quæ eſt huius Pſalmi expoſitio.Si Deus factus eſt refugium hominum, priuſquam montes fierent,aut formaretur terra,& orbis. Ergo homines, aut ſaltem animæ illorum erant, antequam fieret mundus.Ad eundem ſenſum adducebat verba illa ex Pſalm.118. *priuſquam humiliarer,ego deliqui.* quæ exponebat de humiliatione animarum, quando in pœnam præcedentis delicti illę demittuntur in corpora. & illa ex epiſtola ad Epheſ.1. *elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem.*

Hieron.

II. Hęc Origenis ſententia non vnum tantùm cõtinet errorem contra fidem,ſed plures ſimul complicatos. Sed in eo,quod ait, animas fuiſſe prædeſtinatas, aut reprobatas propter bona, vel mala, quæ geſſerunt,antequam demitterentur in corpora,eſt commentum planè hæreticum, contra manifeſtam autoritatem diuinæ Scripturæ,Apoſtolo dicente in epiſtola ſecunda ad Corinth.c.5. *Omnes enim nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſque propria corporis, prout geſſit, ſiue bonum,ſiue malum.* & in epiſtola 2. ad Timoth. c.1. vbi ait, *vocauit nos Deus vocatione ſua ſancta, non ſecundùm opera noſtra, ſed ſecundùm propoſitum ſuum, & gratiam, quæ data eſt nobis in Chriſto Ieſu.*

II.

Neque autoritates ab eo allegatæ habent aliquid virium ad probandum, quod ille intendit. nam locus ille Pſalm.89. non eſt legendus, ſicut illum legit Origenes, vt continuentur illa verba, *Domine refugium factus es nobis à generatione in generationem, priuſquam montes fierent, aut formaretur terra & orbis.* Sed legi debent diſiuncta hoc pacto, *Domine refugium factus es nobis.* & deinde. *A generatio*

vatione in generationem, priuſquam montes fierent, &c. vt ſit ſenſus, non quidem Deum fuiſſe refugium hominum, antequam montes fierent, aut formaretur terra, & orbis: ſed Deum, qui in tempore factus eſt refugium hominum, fuiſſe à generatione, & vſque in ſæculum, antequam montes fierent, aut formaretur terra, & orbis. Ille etiam locus Pſal. 118. *Priuſquam humiliarer, ego deliqui,* non eſt intelligendus de humiliatione per demiſſionem animarú in corpora: ſed de humiliatione peccatoris per correptiones, & flagella. quis verò ſit legitimus ſenſus illorum verborum Pauli, *elegit nos in ipſo,* ſcilicet Chriſto, *ante mundi conſtitutionem,* dictum eſt c. 5. & 6. & dicetur infrà circa quintum dubium.

III. Poſt Origenitas ſurrexerunt Pelagiani, qui aut prædeſtinationem ad gratiam nullam omnino eſſe dixerunt, aut hominem propriis viribus illam ſibi promereri. Et quoniam error Pelagianorum non vnicus, ſed multiplex eſt, & Scholaſtici in recenſendis erroribus Pelagij, & eius ſequacium varij ſunt, adeò exſtimulat nonnullos affectus ſingularitatis, etiam in aliorum opinionibus referendis: ideo decreui hîc ſubiicere ea, quæ de Pelagio, Iuliano, & aliis eius ſectatoribus tradit Auguſtinus in libris, in quibus illorum confutat errores, licèt non omnia, ſaltem immediatè, ſpectent ad præſens dubium.

Primò itaque Pelagius ait, hominem non egere beneficio Redemptionis: quia natura humana in paruulis eſt munda, & in adultis ſibi ſoli ſufficit. ex Auguſtino lib. de Natura & gratia c. 1. & 6.

Secundò hominem, ſi non de facto vitat omnia peccata, poſſe tamen omnia vitare ex viribus naturæ. Auguſtinus de Natura, & gratia cap. 7. 18. 25. 34.

Tertiò hominem tunc ſolùm peccare peccatum ignorantiæ, quando neſcit, quod ſcire poſſet viribus naturæ. de Natura & gratia cap. 17.

Quartò per peccatum Adæ naturam humanam non fuiſſe læſam quoad ſuas vires, immo illius poſteros fortiores naſci, quàm fuerit Adam: quia ille ne vnum quidem peccatum vitare, & ne vnum quidem Dei mandatum potuit implere. de Natura, & gratia cap. 9. 20. & 21. & lib. de Gratia Chriſti cap. 2. 3. & 4.

Quintò Deum non permittere hominem labi in peccatum poſterius in pœnam peccati præcedentis. de Natura, & gratia cap. 22. lib. 5. contra Iulian. cap. 3.

Sextò Dei gratiam non eſſe neceſſariam, vt quis tranſeat de ſtatu peccati ad ſtatum gratiæ. de Natura, & gratia c. 23. de Gratia & libero arbit. c. 13.

Septimò Dei gratiam neceſſariam eſſe, vt homo mundetur à peccato, non vt perſeueret ſine peccato. de Natura & gratia cap. 25. de Gratia, & libero arbitrio c. 13. lib 6. Contra Iulian. cap. 11.

Octauò malum nullius boni cauſam eſſe poſſe. de Natura & graria cap. 24.

Nonò credendum non eſſe, niſi quod habetur in diuina Scriptura, ibid. cap. 39. 40.

Decimò Dei gratiam ad vitanda peccata neceſſariam eſſe, ſi nomine gratiæ intelligatur vel naturalis poſſibilitas indita humanæ voluntati, vel meditatio beneficij Chriſti, quod iugiter tenendum eſt ante oculos, ne homo labatur in peccata, vel auxilium legis & doctrinæ. de Natura & gratia c. 51. & lib. 1. de Gratia Chriſti c. 1. 3. 7. 33. 34. & ſequent. lib. de Gratia, & libero arbit. c. 13.

Vndecimò ſolùm poſſe benè operari ineſſe homini ex Deo, & in hoc conſiſtere neceſſitatem diuinæ gratiæ; ipſum autem velle operari, & actu operari eſſe nobis ex nobis, non autem ex Deo. lib. 1. de Gratia Chriſti cap. 3. 4.

Duodecimò gratiam neceſſariam eſſe non abſolutè, vt bene faciamus, ſed vt facilius faciamus, quod tamen abſque Dei gratia non ita facile facere valemus. ibid. cap. 7. 27. 28. 29.

Decimotertiò liberũ arbitrium æqualiter poſſe ad bonum, & malum. ibid. ſcilicet lib 1. de Gratia Chriſti cap. 31. & lib. 4. Contra duas epiſtolas Pelagianorum cap. 1. 2.

Decimoquartò gratiam Chriſti dari ſecundùm merita. lib. 1. de Gratia Chriſti cap. 31. 39. & ſeq. & lib. 1. Contra duas epiſtolas Pelagianorum c. 3. & 19. & lib. de Gratia & libero arbitrio cap 14.

Decimoquintò pueros non baptizari in remiſſionem peccatorum, cùm nullum habeant peccatum, ſed in verbis remiſſionis peccatorum. lib. 1. de Gratia Chriſti c. 32. & lib. 2. cap. 2. 3. & 4.

Decimoſextò Baptiſmum non eſſe neceſſarium ad delenda peccata. lib. 2. de Gratia Chriſti c. 2. 3. & 4. & lib. 4. Contra duas epiſtolas c. 12.

Decimoſeptimò peccatũ Adæ nó tranſire in poſteros reatu, ſed ſola imitatione. eod. lib. 2 de Gratia Chriſti c. 2. 3. & 4. & lib. 4. Contra duas ep. c. 2.

Decimooctauò pueros modò naſci, ſicut erat Adam in ſtatu innocentiæ. ibid.

Decimononò pueros baptizari, non vt habeant vitam, ſed vt intrent in Regnum cœlorum, vel ſi baptizantur, vt habeant vitam, non baptizari, vt habeant vitam abſolutè, ſed vt habeant certam. lib. 2. de Gratia Chriſti cap. 17. & ſequentibus quatuor, & lib. 7. Contra duas ep. ſt cap. 1. 2.

Vigeſimò quæſtionem de peccato Originali, vtrùm tranſeat in poſteros Adæ, non eſſe quæſtionem de fide. lib. 2. de Gratia Chriſti c. 22. 23. & 24.

Vigeſimoprimò Dei gratiam non eſſe neceſſariam ad excitandum hominem ad bonum, ſed ſolùm ad perficiendũ bonum inchoatum, quia homo viribus naturæ inchoat bonum, & per Dei gratiam illud perficit. lib 1. Contra duas epiſtolas Pelagianorum cap. 18. & lib. 4. cap. 2. & 6.

Vigeſimoſecundò qui ponit gratiam eſſe neceſſariam, inducit fatum. lib. 2. Contra duas epiſtolas cap. 5. quod etiam dicebant Maſſilienſes, ex Hilario in epiſtola ad Auguſtinum.

Vigeſimotertiò Chriſtum fuiſſe immunem à peccato, non propria excellentia, ſed conditione communi naturæ humanæ, & animas paruulorum ita eſſe mundas, ſicut animam Chriſti. lib. 4. Contra duas epiſtolas Pelagian. cap. 1. & 2.

Vigeſimoquartò ex Adamo nihil tranſire in poſteros, niſi mortem corporis, quæ non eſt quid de ſe malum. ibid.

Vigeſimoquintò legem veterem bonam eſſe, ac ſanctam, & illam ſeruantibus per ſe poſſe conferre iuſtitiam, & vitam æternam. ibid.

Vigeſimoſextò ſanctos per Baptiſmum ità mundari, vt nullum ampliùs peccatum in eis eſſe poſſit. ibid. cap. 2.

Vigeſimoſeptimò cùm dicit Deus, *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos*, vnum docet eſſe poſitum in noſtra voluntate: aliud in ipſius Dei gratia, & propter primum dari ſecundum. de Gratia, & libero arbitrio cap. 5.

Porrò omnes iſtos errores, quod attinet ad diuinam prædeſtinationem, Auguſtinus ad quatuor reducit. Primus eſt, prædeſtinationem diuinæ gratiæ ex noſtris meritis præcedentibus factam eſſe. Secundus, voluntatem non indigere ſupernaturali Dei auxilio ad hoc, vt poſſit benè operari.

Tertiò, non indigere ſupernaturali auxilio ad hoc, vt de facto bene operetur. Quartò, non indigere ſupernaturali auxilio ad hoc, vt perſeueret in bono vſque in finem. Ad hos quatuor errores reduci alios omnes Pelagianorum errores de diuina prædeſtinatione, colligitur ex eodemmet Auguſtino in locis allegatis ſuprà lib. 5. cap. 16. in quibus ille fatetur, totam ſummam doctrinæ à ſe traditæ in libris contra Pelagianos ſcriptis conſiſtere in his quatuor erroribus euertendis, quos ſi Pelagiani corrigerent, ac retractarent, nulla amplius relinqueretur ſibi cũ illis controuerſia de adiutorio diuinæ gratiæ, gratuitáque Dei prædeſtinatione.

IV. Hi errores Pelagianorum ſæpius damnati ſunt ab Eccleſia variis decretis Conciliorũ, & Summorũ Pontificum. primò nanque damnati fuerunt in Concilio Palæſtino in vrbe Dioſpoli celebrato, vt habetur ex Hieron. epiſt. 79. cui Concilio interfuit Oroſius Hiſpanus Auguſtini diſcipulus, vt ille teſtatur in Apologia pro libero arbitrio. Huius Concilij meminit ſæpius Auguſtinus pluribus in locis ſuorum librorum contra Pelagianos, maximè in initio libri primi de Gratia Chriſti contra Pelagium, & in epiſt. 106. & 107. In quibus omnes eiuſdem Concilij definitiones refert, & damnationem errorum ipſius Pelagij, immo & illiuſmet recantationem. fuit enim Pelagius præſens ipſi Concilio, & coactus eſt proprio ore ſuorum errorum palinodiam canere. Eiuſdem verò Concilij exemplar ex quoſdam vetuſto codice tranſcriptum prodit Vaſquez in Comment. ad 1. 2. D. Thomæ part. 2. ad finem. Secundò damnati fuerunt iidem errores in Concilio Milleuitano. Tertiò in Concilio Arauſicano II. & nouiſſimè in Tridentino ſeſſ. 6. de Iuſtificatione can. 1. 2. & 3.

Concil. Palæſt. Hieron. Oroſius. Auguſtin. Vaſquez. Concil. Milleuit. Concil. Arauſ. Concil. Trident.

Eoſdem damnauerunt Innocentius primus epiſtola 25. & 26. ad Concilium Milleuitanum, Cæleſtinus primus in epiſtola ad omnes Epiſcopos Galliæ, in qua meminit etiam, eoſdem errores Pelagianorum damnatos fuiſſe à Zoſimo Papa illius prædeceſſore in quadam epiſtola, cuius exemplar minimè habetur, quam damnationem renouauerunt Leo primus in epiſt. 84. ad Nicetam Aquileienſem Epiſcopum. & Gelaſius primus in epiſtola ad Honorium, in qua inter alia de damnatione hæreſis Pelagianorum verba faciens ita ait: *An forteſſe neſcitis, hanc hæreſim, de qua loquimur, & ab Apoſtolica dudum ſede per beatæ memoriæ Innocentium, ac deinde Zoſimum, Bonifacium, Cæleſtinum, Sixtum, Leonem continuis, & inceſſabilibus ſententiis fuiſſe proſtratam, nec tantùm Eccleſia Catholica legibus, ſed principum quoque Romanorum eo tempore damnatam.* Eandem damnationem firmauit Gelaſius in epiſt. 4. ad Honorium, & in epiſt. 5. ad vniuerſos Epiſcopos per Picenum, & in cap. ſancta Romana. 15. d. vbi probauit opera Auguſtini, Proſperi, & Hilarij de diuina prædeſtinatione, & reiecit tanquam Apocrypha opuſcula Caſſiani, qui ſententiam Pelagianorum contra Auguſtinum, & Proſperum, & Hilarium defendebat. Etſi nanque omnes Catholici, qui tunc extiterunt, pro gratuita Dei prædeſtinatione contra Pelagianos certauerint, præcipui tamen eiuſdem gratuitæ prædeſtinationis defenſores fuerunt Auguſtinus, & Proſper Rhegienſis, & Hilarius Arelatenſis Epiſcopi, in quo dogmate firmando Auguſtinus ipſe totum ferè ſeptimum tomum ſuorum operum impendit, præter tres epiſtolas, videlicet 105. 106. & 107.

Leo I. Gelaſi. I. Innoc. I. Cœleſt. I.

V. Et nihilominus poſt damnatum Pelagium non defuerunt, qui illius errores ſuſciperent defendendos. fuerunt enim ferè ſub finem vitæ D. Auguſtini nonnulli in partibus Galliæ Narbonenſis, maximè apud Maſſiliam, qui ſcripta D. Auguſtini contra Pelagianos ſtomachantes, illi grauiter ſuccenſerent, ob doctrinam ab ipſo traditam de gratuita Dei prædeſtinatione. Etſi enim ad inuidiam declinandam, aut potiùs ad ſententiam occultandam, admitterent neceſſitatem auxilij diuini ſupernaturalis ad iuſtificationem, & alia bona opera conſummanda, contendebant tamen, initiũ iuſtificationis, & bonorum operũ eſſe ex nobis, ob quam cauſam vocati ſunt reliquiæ Pelagianorum, & Semipelagiani. nam Pelagiani dicebant, tũ initium, tum conſummationem bonorum operum eſſe ex nobis, neque indigere hominem ad bonum, ſiue inchoandum, ſiue conſummandum aliquo auxilio ſupernaturali, niſi ad hoc, vt quod per liberum arbitrium facere poteſt, faciliùs faciat per diuinam gratiam. Iſti verò Galli dicebant, initium bonorum operum eſſe ex nobis, conſummationem verò ex Deo, & ad bonum opus conſummandum, vt ſit Deo gratum, & meritorium vitæ æternæ, eſſe neceſſarium auxilium ſupernaturale. cæterum Deum expectare, vt nos bonum incipiamus, & ita voluntatem noſtram Deum præuenire, & diuinam gratiam ſubiungi humanæ voluntati, tanquam pediſſequam: quanuis, ſi verum eſt, quod Proſper in epiſtola ad Auguſtinum ait, illos dixiſſe, Quidquid Auguſtinus in libris de Correptione, & gratia, & contra Iulianum ſibi opponit ex nomine aduerſarij, id totum ſanctiſſimè dictum eſſe. ego videre non poſſum, cur nõ integri, & veri Pelagiani ſint nuncupandi. Proſper.

Horum Semipelagianorum anteſignani fuerunt Ioannes Caſſianus Monachus, & Fauſtus Galliarum Epiſcopus, item Monachus ex monaſterio Lirinenſi, quanuis Ioan. Driedo tract. 2. de captiuitate & redemptio. generis humani cap. 2. part. 4. prope finem nitatur Fauſtum ab errore Pelagianorum, & Semipelagianorum vindicare. Verùm præter quod Petrus Diaconus, & Ioann. Maxentius, & communiter omnes Doctores Catholici ita de illis ſentiunt, extat decretum Gelaſij primi in cap. Sancta Rom. 15. d. in quo Opuſcula Ioann. Caſſiani inter apocrypha reiiciuntur. Decipitur tamen Aluarez diſp. 5. de Auxiliis n. 4. cùm ait, in eodem decreto Gelaſij de libris apocryphis reiici etiam Opuſcula Fauſti Rhegienſis Epiſcopi, quæ conſtat contra doctrinam D. Auguſtini fuiſſe conſcripta. Nam ille Fauſtus, cuius ibi fit mentio, non eſt Fauſtus Rhegienſis Epiſcopus, ſed Fauſtus Manichæus, aduersùs quem Auguſtinus ſcripſit libros illos triginta tres, qui continentur in 6. tomo Operum Auguſtini. Sed quanuis in dicto decreto non reiiciantur eius opuſcula, apparet tamen, reiicienda eſſe ex multis, quæ in eodem loco ipſe Aluarez adnotauit. Driedo. C. Sancta Rom. 15. d. Aluarez.

VI. De erroribus iſtorum Semipelagianorum multi multa ſcribunt, variántque in illis recenſendis. Nos verò hîc ſolùm ſubiiciemus, quæ de illis memoriæ tradiderunt Proſper. & Hilarius, qui illorum fuerunt contemporanei, quique pro gratuita Dei prædeſtinatione, & pro veritate doctrinæ D. Auguſtini acriter cum illis pugnauerunt, ex quorum epiſtolis ad ipſum Auguſtinum ſcriptis, quæ illius libris de prædeſtinatione ſanctorum ſolent præmitti, ſequentes propoſitiones colliguntur, in quibus tota illorum doctrina contineri videtur. Proſper. Hilarius.

Prima propoſitio. Omnes homines in Adam peccauerunt, & nemo per opera ſua, ſed per Dei gratiam

gratiam regeneratione ſaluatur. ita Proſper, & Hilarius.

Secunda, Vniuerſis gentibus propitiatio, quæ eſt in ſanguine Chriſti, ſine exceptione propoſita eſt. Proſper,& Hilarius.

Tertia, Quicunque ad fidem,& Baptiſmum accedere voluerint,ſalui eſſe poſſunt. Proſper.

Quarta,Deus ab æterno præſciuit eos,qui crediturí ſunt,&qui in ea fide,quæ deinceps per Dei gratiam ſit iuuanda,ſunt permanſuri. Proſper.

Quinta, Deus eos prædeſtinauit, quos gratis vocatos dignos futuros electione,& bono fine de hac vita deceſſuros præuidit. Proſper, Hilarius.

Sexta, Omnis homo ad credendum diuinis inſtitutionibus admonetur,vt de apprehendenda vita æterna nemo deſperet. Proſper.

Septima, Voluntariæ deuotioni eſt præparata remuneratio. Proſper, Hilarius.

Octaua,Quidquid Auguſtinus in libris de Correptione, & gratia, & in libris contra Iulian. ſibi opponit ex nomine aduerſarij, id totum ſanctiſſimè dictum eſt. Proſper.

Nona, Homo per vires naturæ, & per diſcretionem boni,& mali ad cognitionem,& obedientiam mandatorum Dei poteſt ſuam dirigere voluntatem, & ſic peruenire ad gratiam per naturalem facultatem. Proſper.

Decima, Dei gratia datur petentibus, quærentibus, & pulſantibus nobis, vt ideo accipiamus, ideo inueniamus,ideo introeamus,quia bono naturæ benè vſi ſumus, vt ad iſtam ſaluantem gratiam initialis gratiæ, id eſt, liberi arbitrij ope meruerimus peruenire. Proſper, Hilarius.

Vndecima, Propoſitum gratiæ vocantis, & excitantis conſiſtit in lege ſiue naturali,ſiue ſcripta, ſiue etiam euangelica. Proſper, Hilarius.

Duodecima, Omnes ita vocantur, vt qui volunt, fiant filij Dei,& qui nolunt, ſint inexcuſabiles. Proſper, Hilarius.

Decimatertia, Sicut præuaricator dicitur non obedire, quia non vult,ita fidelis, & deuotus eſt, quia vult,& quantum quiſque ad malum,tantum habet facultatis ad bonum,pariquemomento animus ſe mouet ad vitia, & virtutes. Proſper.

Decimaquarta,Gratia Dei fouet bona appetentes, damnatio ſuſcipit mala ſectantes. Proſper.

Decimaquinta, Paruuli, qui cum Baptiſmo rapiuntur ex hac vita,vel ſine illo,tales ſaluãtur,vel perduntur, quales Deus eos futuros præuidit, ſi vſque ad adultam ſeruarentur ætatem. Proſper.

Decimaſexta, Hi, qui priſcis temporibus non audierunt prædicationem Euangelij, ideo non audierunt,quia Deus præuidit, etiamſi eis prædicaretur,non fuiſſe illud recepturos.Proſper,Hilar.

Decimaſeptima, Pro vniuerſo humano genere mortuus eſt Dominus noſter Ieſus Chriſtus: & nemo prorſus à redemptione ſanguinis eius eſt exceptus, etiamſi omnem vitam cum impietate pertranſeat. Proſper, Hilarius.

Decimaoctaua,Licèt Redemptionis ſacramentum omnibus ſit paratum, tamen non omnes renouantur,quia non omnes velle renouari prænoſcuntur. omnibus enim eſt parata via ad ſalutem: ſed ab iis ſolis apprehenditur, qui per arbitrij libertatem ſponte credunt, & merito credulitatis auxilium gratiæ accipiunt. Proſper.

Decimanona, Bona opera non præueniuntur Dei gratia, neque ab illa accipiunt, vt ſint bona opera.Neque Deus ſecundùm propoſitum voluntatis ſuæ facit aliud vas in honorem, aliud verò in contumeliam. Proſper.

Vigeſima, Prædeſtinatorum numerus non eſt adeò certus,vt augeri, aut minui non poſſit. Proſper,Hilarius.

Vigeſimaprima, Dei gratia ſubſequitur hominis obedientiam, & initium noſtræ ſalutis eſt ex nobis. Proſper.

Vigeſimaſecunda, Voluntas hominis parit ſibi opem diuinæ gratiæ, non autem gratia ſubiicit ſibi hominis voluntatem. Proſper.

Vigeſimatertia,Electionem eſſe ſecundùm propoſitum Dei,eſt dogma nouum, & inutile prædicationi,& excluditur omnis prædicandi vigor, ſi dicamus, nihil manſiſſe in homine, per quod per prædicationis vigorem excitetur. Proſper.

Vigeſimaquarta,Cùm proſtratis, & nunquam ſua virtute ſurrecturis annuntiatur obtinẽdę ſalutis occaſio,eo merito,quo quiſque credit,& vult, à malo ſuo poſſe ſe liberari, & fidei augmentum, & totius ſanitatis conſequitur effectum.Hilarius.

Vigeſimaquinta,Ad nullum opus incipiendum, aut perficiendum homo ſibi ſoli ſufficere poteſt, quia ipſum velle ſaluari non eſt numerandum inter opera curationis. Hilarius.

Vigeſimaſexta, Quod dicitur,Crede, & ſaluus eris, vnum exigitur à nobis, alterum offertur, vt propter hoc,quod exigitur,tribuatur,quod offertur,nempe gratia,& ſalus propter fidem.Hilarius.

Vigeſimaſeptima,Ad hoc,vt ſanemur,præexigi à nobis,vt velimus ſanari, & nullam naturam eſſe tam infirmã,quæ non poſſit velle ſanari.Hilarius.

Vigeſimaoctaua,Propter velle aut non velle ſanari homines conſequuntur ſalutẽ:neque propter hoc negatur Dei gratia, quia illud debet præcedere iſta voluntas.Proſper,& Hilarius.

Vigeſimanona, Homo ſine ſpeciali auxilio diuinæ gratiæ poteſt vincere omnes Diaboli tentationes,ita illas vicit Iob.Proſper contra Collatorem cap.32.

Trigeſima, Propoſitio illa D.Pauli, ſicut Deus diuiſit vnicuique menſuram fidei, & aliæ ſimiles, intelligendæ ſunt non de gratia præueniente,qua donetur homini, vt velit, ſed de adiuuante, qua iuuatur, qui ex ſe accepit velle. Hilarius.

Trigeſimaprima, In merito, vel demerito propriæ voluntatis conſtituta eſt diſcretio electorum, & reproborum. Hilarius.

Trigeſimaſecunda,Deus elegit fidem hominum etiam ex ſententia Auguſtini. Hilarius.

Trigeſimatertia, Donum perſeuerantiæ tribuitur meritis liberi arbitrij,quatenus in eius eſt poteſtate,velle,aut nolle accipere medicinã.Hilarius.

Trigeſimaquarta, Liber ſapientiæ non reputatur inter libros Canonicos. Hilarius.

Trigeſimaquinta,Vt non ſit inutilis prædicatio, oportet manſiſſe aliquid in homine, quod per ipſam correctionem excitetur: hoc autem eſt ipſe terror,vel dolor peccati, qui viribus naturæ excitatur. Et in hoc aſſignatur differentia, quòd aliquis reiiciatur, alius verò aſſumatur. Hilarius.

Trigeſimaſexta, Beneficium gratiæ in hoc poſitum eſt, quòd ignorantibus veritas prædicetur. Proſper,& Hilarius.

Trigeſimaſeptima, Prædeſtinatio non eſt adeò certa ex vtraque parte electorum, & reproborum, vt de aliis ad alios nullus poſſit tranſire. alioqui fruſtratoriæ, & vanæ eſſent omnes correctiones, neque culpandus quis eſſet in eo, quòd ſic non vult bonum, ſed ſolùm ex eo, qui aliquando ſic noluit, vt eam damnationem cum ſuis poſteris incurreret,vt nunquam recta,ſemper autem praua vellet appetere. Hilarius.

Digitized by Google

Trigeſimaoctaua, Donum perſeuerantiæ contumaciter amitti poteſt,& non efficit, vt perſeuerantes ſimus, ſed vt tales eſſe poſſimus; neque differt à gratia collata Adæ in Innocentiæ ſtatu. Hilarius.

Trigeſimanona, Dicere, quòd ſancti ſic adiuuantur à Deo, non vt ſtare poſſint,& deficere,ſed vt declinare non poſſint, eſt deſperationem hominibus exhibere. Hilarius.

Quadrageſima, Hoc ſolùm natura poſt peccatum diſtat à natura integra, quòd illi ſola erat neceſſaria gratia adiuuans, nobis autem viribus fractis neceſſaria eſt gratia, quæ proſtratos credentes erigat, & ambulantes fulciat. Hilarius.

Quadrageſimaprima, Cauſa paruulorum non eſt in exemplum maiorum afferenda, in qua Auguſtinus ipſe dubitauit. Hilarius.

Quadrageſimaſecunda, Quæſtio ab Auguſtino excitata contra Pelagianos inutilis eſt, neque enim minus vtiliter ſine ea tot ſæculis fides Catholica prædicata, & defenſa eſt aduersùs Pelagianos.

Has autem propoſitiones D.Proſper ad quatuor principales reducit in fine eiuſdem epiſtolæ, quarum Prima eſt, principium noſtræ ſalutis in nobis collocari. Secunda, diuinæ voluntati voluntatem humanam præferri, vt ideo quis adiuuetur, quia voluit: non autem ideo quia adiuuatur, velit. Tertia, hominem originaliter malum inceptionem boni non à Deo,ſed à ſeipſo inchoare. Quarta, hominem aliunde poſſe Deo placere, quàm ex eo, quod Deus donauit. Ex quibus omnibus colligitur, iſtos Semipelagianos conſtituere in homine initium noſtræ ſalutis, & Dei gratiam humanæ voluntati ſubiicere, & cauſam gratuitæ Dei prædeſtinationis in homine conſtituere, ſiue, vt rectiùs loquamur, negare gratuitam Dei prædeſtinationem, & diuinæ prædeſtinationis ad gratiam cauſam in nobis, & ex nobis aſſignare. Alia plura circa hos errores Semipelagianorum referunt recentiores Doctores, quibus illorum mentem declarare nituntur, quæ videri poſſunt apud Sixtum Senenſem lib. 6. Bibliothecæ annota. 252. Vaſquez 1 p.diſp.91. c.8. & duobus ſequentibus. Aluarez diſp.2. de Auxiliis,Leſſium in diſp. Apologetica cap.10.maximè in Appendice, & alios, ſed ad rem noſtram non ſpectat ea longiùs hìc perſequi.

Sixtus Senenſ. Vaſquez. Aluarez. Leſſius.

VII. Hanc verò ſententiam, in eo, quòd conſtituit in homine cauſam meritoriam prædeſtinationis ad primam gratiam,non eſt dubitandum,eſſe ſententiam manifeſtè hæreticam, contra expreſſam autoritatem diuinæ Scripturæ dicentis, prædeſtinationem eſſe ſecundùm propoſitum Dei, & illius gratiam, & non ſecundùm opera noſtra, & gratiam non eſſe ex meritis:quia alioqui non eſſet gratia,& vt erroneam,& contra fidem damnatam fuiſſe à prædictis ſummis Pontificibus, & Conciliis, quibus damnati ſunt errores Pelagianorum. Eſt enim quoad hoc ipſiſſima ſententia eiuſdem Pelagij, & eam eadem ſententia Pelagij prorſus damnata: quanuis Caſſianus,& Fauſtus ſe in omne latus verterent,vt à ſententia Pelagij damnata viderentur diſtare. Id quod magis clarum fiet infrà cap.10.& 11.

In hoc autem errore Semipelagianorum refutando totus fuit Auguſtinus in lib. de Prædeſtin. ſanctorum,& de Bono perſeuerantiæ,contendens, doctrinam ſuam de gratuita prædeſtinatione traditam in illis libris eſſe doctrinam fidei, contra quam nullus,niſi errando poſſit diſputare. Quam Auguſtini doctrinam probauerunt Concilium ſecundum Arauſicanum, Leo primus, Cœleſtinus primus,& Gelaſius primus tum in locis hoc capite citatis, tũ l.b.præc.c.16.In eodem etiam errore confutando non parum laborauit D. Proſper in libris ad Obiectiones Vincentianas, ad Capitula Gallorũ,ad Excepta Genuenſium, & in lib.de Libero arbitrio aduerſus Collatorem,& alij illorum temporum Doctores Catholici, vt Petrus Diaconus,& Ioan. Maxentius.

Quare ſingula colligendo ſententia Semipelagianorum ab Eccleſia damnata fuit, dari cauſam prædeſtinationis ex parte prędeſtinati,nimirũ bonum motũ liberi arbitrij,quo primũ homo mouetur vel per fidẽ,vel per deſiderium propriæ ſalutis, vt pręuiſum à Deo ab æterno,vel futurũ abſolutè, vel futurum,ſi homo diutiùs viueret.Quod dicebant propter paruulos, qui auferũtur ex hac vita, antequam perueniant ad vſum rationis,& propter huiuſmodi bonum,aut malum vſum prævisum ab æterno alios fuiſſe prędeſtinatos,alios reprobatos.

CAPVT IX.

Sententia priſcorum Patrum in ſpecie minus probabilis refertur,& legitimè explicatur iuxta Catholicum ſenſum, quem illi intenderunt.

VNum ex præcipuis fundamẽtis,quibus Maſſilienſes nitebantur, erat autoritas Patrum priſcorum, maximè Græcorum. Contendebant enim, doctrinam de prædeſtinatione ab Auguſtino traditam fuiſſe nouum figmentum, nunquam antea auditum in Eccleſia Catholica. E contrario verò ſuam ipſorum ſententiam fuiſſe doctrinam omnium antiquorum Doctorum, ſicut conſtat ex dictis epiſtolis Proſperi,&Hilarij ad Auguſtinum, & libris Auguſtini de Prædeſt.ſanctorũ & de Bono perſeuer. Sunt autem plurima Patrũ teſtimonia, quæ qui minùs attentè legerit, ſuſpicari poterit, illos ſenſiſſe, prædeſtinationem ad primam gratiam factã fuiſſe à Deo ex bono vſu liberi arbitrij, vel ex fide, quæ ſit ex viribus liberi arbitrij antecedentibus primam gratiam ab æterno prævisis, aut ſaltem ex bonis operibus, quæ gratiam ſubſequuntur,& in illa fundantur,ab æterno ſimiliter prævisis,quorum Patrum teſtimonia hìc breuiter ſubiiciemus. I.

D.Ambroſius in epiſt. ad Rom.circa illa verba, *Quos præſciuit,& prædeſtinauit conformes fieri*,&c.inquit,*Quos præſciuit futuros ſibi deuotos, ipſos elegit ad promiſſa præmia capeſſenda.*

Origenes in principio epiſt.ad Roman. inquit, quòd tunc Paulus fuit vocatus Apoſtolus, & ſegregatus in Euangelium Dei,quando ipſum in laboribus, & ærumnis ſuum Euangelium prædicaturum agnouit,& c.8.& 9. reddit rationem, quare Iacob fuerit dilectus, & Eſaũ odio habitus: quia præuidit ſimplicitatem huius, & illius verſutiam, & obdurationem. Eandem ſententiam habet in lib.1. Periarchon cap. 8. & 9. & lib. 2. cap. 9.& 12. & lib.3. cap.1. ſed autoritas Origenis non eſt hìc attendenda.

D.Hier.in epiſt.ad Gal.c.1.circa illa verba, *Cùm autem placuit ei qui me ſegreganit.* expendens illud teſtimoniũ,& alia multa, ex quibus Manichæi nitebãtur duas naturas in homine adſtruere, ita ait, *Ad hoc poteſt ſimpliciter reſpõderi,hoc ex Dei præſcientia euenire, vt quem ſcit iuſtum futurum, priùs diligat, antequam oriatur ex vtero: & quem peccatorem, oderit, antequam peccet, non quòd & in amore, & odio Dei iniquitas ſit, ſed quo non aliter eos habere debeat, quos*

quos scit vel peccatores futuros esse, vel iustos. quam doctrinam habet etiam in Comment. super Malachiam cap. 1. & ad Roman. cap. 8. & 9. & in epistola ad Hedibiam. q. 10.

Anastasius Nicenus in quæstionibus sacræ Scripturæ q. 59. ait: *Præscivit Deus fore vt non pœniteret Pharaonem, & induravit cor eius: similiter præscivit Ieremiæ rectitudinem, & prædestinavit, eum existere vas electionis.* His addere possumus alia testimonia Theophylacti, Theodoreti, Sedulij, Œcumenij, Damasceni, & aliorum, quæ referuntur à Sixto Senensi lib. 6. Bibliothecæ annota. 251. à Cardinali Bellarmino lib. 2. de Gratia, & libero arbitrio cap. 14. & aliis, qui Patres exponentes verba illa, *Iacob dilexi, Esau autem odio habui*, & alia similia, quæ habentur in epistolis D. Pauli, dicunt, Deum illos elegisse, quos sibi futuros esse deuotos agnouit, & quos non de seipsis, sed de Deo præsumentes præuidit: Et è contrario illos habuisse odio, antequam nascerentur, quos malos futuros præuidit, & dilexisse illos, quos præscivit iustos futuros.

Sixt. Senen. Bellarmin.

II. Addere his possumus testimonia D. Augustini, & eius discipulorum, qui doctrinam eiusdem Augustini defendendam contra Massilienses data opera susceperunt. In primis namque ipse Augustinus videtur assignare causam gratuitæ Dei prædestinationis ex parte prædestinatorum, nam in lib. 83. quæst. q. 68. exponens verba sæpe allegata ex D. Paulo, *cuius vult miseretur, & quem vult indurat*, inquit: *Cui vult miseretur, & quem vult, indurat: sed hæc Dei voluntas iniusta esse non potest, venit enim de occultissimis meritis, quia & ipsi peccatores sunt, cùm propter generale peccatum vnam massam fecerint. tamen non ideo nulla inter eos diuersitas est, præcedit ergo aliquid in peccatoribus, quo, quamuis nondum iustificati sint, digni efficiantur iustificatione, & item præcedit in aliis peccatoribus, quo digni sint obtusione.* Præter hæc idem Augustinus in lib. expositionis quarundam propositionum excerptarum ex epistola ad Rom. in expositione propositionum 60. 61. 62. & 63. apertè docuit, hominem absque supernaturali auxilio posse elicere actum fidei, & Deum ex præscientia fidei, & infidelitatis hos prædestinasse, illos verò reprobasse. Rursus idem Augustinus in epistola 49. quæ est liber de sex quæstionibus Paganorum quæst. 2. docuit, Christum tunc, & illuc in mundum venisse, & illis Euangelium prædicasse, vbi, & quando sciuit futurum esse, vt homines in illum essent credituri, quem locum notauerunt Massilienses, & eidem Augustino obiecerunt contra doctrinam ab illo traditam de diuina prædestinatione, vt apparet ex epistola D. Prosperi ad Augustinum, & ex libro eiusdem Augustini de Prædest. sanctorum cap. 9. Rursus in lib. ad Articulos sibi falsò impositos, ad 12. videtur causam discretionis prædestinatorum à non prædestinatis reducere in præscientiam, inquit enim: *hi autem, de quibus dicitur, ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis, si enim fuissent ex nobis, mansissent vique nobiscum, voluntate exierunt, voluntate ceciderunt: & quia præscius sunt casuri, non sunt prædestinati. essent autem prædestinati, si essent reuersuri, & in sanctitate, ac veritate mansuri. ac perhoc prædestinatio Dei multis est causa standi, nemini causa labendi.*

August.

III. D. Prosper Rhegiensis Augustini discipulus, si non secundùm corporalem præsentiam, quod illemet admonuit in initio epistolæ ad ipsum Augustinum de reliquiis Pelagianæ hæreseos, saltem regularis instituti, & doctrinæ studio atque professione discipulus, quippe qui non solùm doctrinæ Augustinianæ acerrimus fuit contra illius aduersarios propugnator, & studiosissimus indagator, sed clericalis vitæ institutum ab Augustino in Africa reparatum, & a Genatio Valerij filio ex Africa Romam traductum æmulatus in lib. Responsionum ad Capitula Gallorum ad 2. & 3. apertè videtur dicere, prædestinationem factam fuisse ex præscientia meritorum in illis verbis, *Quod quia Dei præscientiam nec latuit, nec fefellit, sine dubio talem nunquam elegit, nunquam prædestinauit, & perituram nunquam ab æterna perditione diuerit.* & in illis, *Quod ergo huiusmodi in hac prolapsi mala sine correctione pœnitentiæ defecerunt, non ex eo necessitatem pereundi habuerunt, quia prædestinati non sunt: sed ideo prædestinati non sunt, quia tales futuri ex voluntaria prænaricatione præscisi sunt.* & in lib. 2. de Vocatione gentium post multa tandem concludit, quòd Deus, qui omnes vult ad agnitionem veritatis venire, non potest quenquam sine iustitia refutare.

D. Fulgentius in lib. 1. ad Monimum ait, Deum prædestinasse ad Regnum, quos ad se præscivit misericordiæ præuenientis auxilio redituros, & in misericordiæ Dei subsequentis auxilio mansuros, ac tandem

D. Anselmus in lib. Concordiæ. cap. 2. ait, *Quòd sicut præscientia, qua non fallitur, non præscit nisi verum, sed illud erit, aut necessarium, aut spontaneum: ita prædestinatio, quæ non mutatur, non prædestinat, nisi sicuti est in præscientia.*

IV. Verùm quanuis hæc Patrum testimonia prima fronte inspecta possent fortasse alicui occasionem præbere suspicandi, sanctos Patres in errorem illum Semipelagianorum saltem per incogitantiam lapsos fuisse, tamen diligentiùs, & ex fide perpensa nullam vel minimam suspicionis occasionem relinquere possunt, quin sinceram, & Catholicam fidem de gratuita Dei prædestinatione illi non semper tenuerint, atque docuerint. Et quidem vt ab Augustino incipiamus, negari non potest, illum, cùm adhuc iunior esset, & in diuinis Scripturis non ita versatus, sensisse aliquando initium fidei esse ex nobis. At quis nescit, illum seniorem, & doctiorem factum illam sententiam tanquam falsam, & diuinis Scripturis contrariam retractasse tum in lib. de Prædestina. sanctorum cap. 3. tum in lib. 1. Retracta. cap. 23. & pluribus aliis in locis. Illud verò, quod ex lib. de sex quæstionibus paganorum illi obiiciebant Semipelagiani, exponit idemmet Augustinus lib. 1. de Prædestinatione sanctorum cap. 9. & lib. 2. de Bono perseuerantiæ cap. 9. se dixisse sine præiudicio latentis consilij diuini, & aliarum causarum, id quod conuincendæ perfidiæ Paganorum sufficere videbatur. Illam etiam sententiam sumptam ex lib. 83. quæst. q. 68. Magister in 1. d. 41. ait Augustinum retractasse. præter quod etiam sine retractatione legitimam interpretationem recipere potest, & vt semel dicamus, cùm Augustinus totum ferè septimum volumen suorum operum consumpserit in confutando hoc errore, quòd Dei gratia sit homini ex illius meritis prædestinata, vanus nimis esset labor, velle eundem Augustinum in eundemmet errorem deducere.

August.

V. De Patribus verò, qui eundem Augustinum præcesserunt, idem omnino sentiendum esse probatur, primò ex ipsomet Augustino, qui suam doctrinam de gratuita prædestinatione contra Pelagianos, & Semipelagianos passim probat autoritate ipsorum Patrum, nempe Cypriani, Basilij, Gregorij Nazianz. Chrysost. Ambrosij, & aliorum, vt constare potest legenti illius libros contra Iulia-

num

num Pelagianum,& de Prædeſtin.ſanctorum,& de bono perſeuerantiæ,& in eodem lib. de bono perſeuerantiæ cap.23.in fine ait,doctrinam de prædeſtinatione à ſe ibi traditam nunquam Eccleſiam Chriſti non habuiſſe. & in epiſtola 106. in fine idem dicit, & illorum Patrum dicta, quæ contrarium ſonare videntur, in bonum ſenſum vbique interpretatur, vt patet ex ipſomet in lib.1. contra Iulianum cap.2.6.& 7.& lib.2.cap.6.& lib.de Prædeſtin. ſanctorum cap.14. Secundò, quia Eccleſia probauit doctrinam Auguſtini de prædeſtinatione tanquam ſanam, & Catholicam, & conſentaneam doctrinæ Patrum Orthodoxorum,ſicut euidentiſſimè habetur ex epiſtola 1. Cœleſtini Papæ ad Epiſcopos Galliæ, in qua ex inſtituto oſtendit contra Maſſilienſes,doctrinam Auguſtini de prædeſtinatione,cui tanquam nouo commento Maſſilienſes grauiter ſuccenſebant, non eſſe nuper excogitatam,ſed antiquiſſimam, & ſummorum Pontificum,Conciliorum,&Patrum autoritate firmatam. quod etiam habetur ex Concilio 2. Arauſicano, in quo Apoſtolica autoritate firmata eſt doctrina eiuſdem Auguſtini contra Pelagianos, & Semipelagianos, vt habetur ex ipſius Concilij præfatione: dicitur enim in ipſa præfatione, *Vnde & nobis ſecundum autoritatem,& admonitionem ſedis Apoſtolicæ iuſtum,& rationabile viſum eſt,vt pauca capitula ab Apoſtolica ſede nobis trãſmiſſa, quæ ab antiquis Patribus de certis Scripturarum voluminibus in hac præcipuè cauſa collata ſunt,ad docendos eos, qui aliter quam oportet,ſentiunt,ab omnibus obſeruanda proferre,& manibus noſtris ſubſcribere deberemus.*& in fine eiuſdem Concilij dicitur, *Et quia definitionem antiquorum Patrum,noſtrámque,quæ ſuprà ſcripta eſt,non ſolùm religioſis, ſed etiam Laicis medicamentum eſſe & deſideramus, & cupimus.* ac tandem Vincentius Lirinenſis, cuius putantur fuiſſe articuli illi Auguſtino falsò impoſiti,qui ſub nomine obiectionum Vincentianarum habentur apud D. Proſperum(ſicut enim doctrina Auguſtini de prædeſtinatione in Africa hábuit oppugnatores Monachos Adrumetinos,quorum cauſa ille ſcripſit librum de Gratia, & libero arbitrio,& lib. de correptione & gratia, ita in Europa aduerſarios habuit Monachos Lirini,ex quibus fuerunt Vincentius hic, de quo loquimur,& Fauſtus Galliarum Epiſcopus)in libello aduersùs prophanas vocum nouitates in fine ita ait:*Quod ſi neque Apoſtolica definita, neque Eccleſiaſtica decreta temeranda ſunt, quibus ſecundum ſacroſanctam vniuerſitatis, & antiquitatis conſenſionem cuncti ſemper hæretici,& ad extremum Pelagius, Cœleſtius,Neſtorius iure, meritóque damnati ſunt.* & paulo antè refert definitionem Cœleſtini primi in epiſtola proximè citata pro doctrina D. Auguſtini dicens,*Ergo hæc fuit B.Cœleſtini ſententia, non vt vetuſtas ceſſaret obtruere nouitatem,ſed potius nouitas deſineret inceſſere vetuſtatem.*

Cœleſt.I.

Vincent. Lirinenſ.

Tertiò oſtendi poteſt eadem veritas ex eo, quoniam doctrina Pelagij, & Cœleſtij,quam Auguſtinus confutat in libris à ſe editis de gratuita prædeſtinatione, ante ipſum Auguſtinum, fuerat damnata ab Eccleſia Græcana in Concilio Palæſtino Dioſpoli celebrato, necnon in Concil. Africano, vt meminit Cœleſtinus in dicta epiſtola, fuerat etiam præſente eodem Auguſtino damnata in Concilio Milleuitano, quam doctrinam non damnaſſent ita facilè,ſi haberet tam euidẽs fundamentum in doctrina Patrum.

Demum cùm articulus iſte,an prædeſtinatio ad gratiam ſit ex meritis præuiſis, manifeſtè ſpectet ad rem fidei,ſi Patres ante Auguſtinum ſenſiſſent, dari cauſam prædeſtinationis ad priuam gratiam ex parte prædeſtinati, ſequeretur, ipſos Patres erraſſe circa articulum manifeſtè attinentem ad rem fidei Catholicæ. & cùm Laici,& indocti illud credant,quod illis ab Epiſcopis, & Eccleſiæ Doctoribus proponitur credendum,ſequeretur, Eccleſiam per quadringentos annos ante tempora Auguſtini manifeſtè erraſſe circa dogma diuinæ prædeſtinationis,quod mihi nunquam ſuadere potero. Credendum igitur abſque vlla prorſus hæſitatione, Patres, qui Auguſtinum præceſſerunt, rectam fidem, & ſanam doctrinam de gratuita Dei prædeſtinatione ſemper tenuiſſe, ac docuiſſe.quod multo magis dicendum eſt de Proſpero,Fulgentio, & aliis,qui eundem Auguſtinum ſunt ſecuti, quique ex profeſſo pro illius doctrina defendenda laborauerunt. Quis verò fuerit ſenſus eorundem Patrum in autoritatibus ſuprà allegatis, inferiùs cómodiùs aperiemus in reſpondendo argumentis contra concluſiones, ne cogamur ſæpius eadem inutiliter repetere.

VI. Caſſianus.

Vnus nobis reſtat Chryſoſtomus,in cuius teſtimonio Maſſilienſes, & cum illis Ioannes Caſſianus ſui erroris præcipuum fundamentum conſtituebant. fuit enim Ioannes Caſſianus Chryſoſtomi diſcipulus, & doctrinæ illius plurimum addictus, vt conſtat ex iis, quæ ille ſcribit in libris de Incarnatione lib.7.ad finem.Videtur autem Chryſoſtomus errorem Semipelagianorum adeò apertè docuiſſe,vt non ſolùm Maſſilienſes illum fecerint ſui erroris patronum, & autorem, ſed alij nedum hæretici,ſed etiam Catholici illum eundem errorem docuiſſe firmiter crediderint. Plurima ſunt loca in libris Chryſoſtomi,quæ huic errori videntur fauere, ſed quoniam non eodem modo vbique loquitur,ſubiiciam breuiter illius teſtimonia, certis quibuſdam capitibus perſtricta. Primò itaque inquit Chryſoſtomus, diuinam gratiam non præuenire, ſed expectare noſtram voluntatem, ne teneat, & lædat noſtram libertatem.Citari ſolet ita ſcribens in homil.17.in Geneſim,ſed ibi id reperire minimè potui. dicit verò hoc expreſsè homil. 42.vbi de Abrahamo verba faciens, ait, *verùm niſi primum & ipſe, quod ſuum erat,feciſſet, non tanta à Domino obtinuiſſet,ea propter non hoc ſolum vide, ſed in vnoquoque diligenter attende, quomodo primum in omnibus virtutis ſuæ indicium exhibuerit, atque ſic diuinum meruerit præſidium.* & infrà: *Etenim qui ſcit arcana mentis noſtræ,cùm viderit ſanam mentem noſtram, & nos conari & eniti ad virtutis agones,ſtatim & nutu ſuo nos adiuuat.* & clariùs homil. 17. in Ioan. circa illa verba,*Conuerſus Ieſus,& videns eos ſequentes*,vbi ait:*Hinc admoneri poſſumus, Deum ſuis in nos beneficiis noſtras non præuenire voluntates, ſed à nobis incipiendum eſſe:ſed cùm nos prompto, paratóque animo ad ſuſcipiendam gratiam exhibemus, tunc multas nobis offert ſalutis occaſiones, & confert.* quem locum licèt nonnulli nimis ſtudioſi in operibus Chryſoſtomi Venetiis apud Vincentium Valgriſium,& Franciſcum Zilettum editis anno Domini 1583. ſic correxerint: *Hinc admoneri poſſumus Deum ſuis in nos beneficiis noſtras præuenire voluntates,neque à nobis incipiendum eſſe.ſed cùm nos prompto,paratóque per illum animo ad ſuſcipiendam gratiam exhibemus,tunc multas nobis offert ſalutis occaſiones & confert.* huiuſmodi tamen correctionem non eſſe ad mentem autoris, tum omnia exemplaria antiquiora,tum Græca ipſa lectio manifeſtiſſimè declarat, quæ videantur. adhuc clariùs in homil. 12. ad Hebræos. *Oportet* (inquit)*nos quippe eligere primùm, quæ bona ſunt, & tunc ipſe,quæ ſua ſunt,introducit.nõ antecedit noſtras voluntates,*

Chryſoſt.

lumtates, ne ladatur liberum arbitrium. cùm autem nos elegerimus, multam tunc nobis affert auxiliationem. Secundò ait Deum eligere, quos meliores videt, & quando videt sibi non reluctaturos. & Iacob fuisse dilectum, quia bonus erat, & Esaü odio habitum, quia malus. In epistolam ad Roman. homil. 16. ita ait, *Quod multi Matthæo meliores esse videbantur ab apparenti operum argumento. verùm qui arcana nouit, quique cogitationis aptitudinem probare potest, is & in cœno margaritam iacentem nouit, omissisque aliis admiratus huius pulchritudinem, illum elegit, voluntatisque nobilitati suam cùm adiunxisset gratiam, probatum illum esse pronuntiauit.* id quod ibi illustrat exemplo sumpto ab artifice, & equorum domitore. illi enim semper meliora deligunt. quod repetit homil. 1. & 2. ad Ephes. & homil. 31. in Matthæum dicit *quòd tunc Christus Matthæum vocauit, quando obtemperaturum sciebat suæ vocationi.* & homil. 66. reddens rationem, cur Paterfamilias alios vocauerit ad laborandum in vinea hora 3. alios hora 6. alios 9. alios 11. inquit, quòd tunc eos vocauit, quando erant obtemperaturi. Tertiò quod grauius est, & fortè quod videre potuerim ab aliis minimè in hoc autore obseruatum, edocet initium fidei ex nobis esse, & nos primos nostram fidem offerre, mox Deum nobis suam gratiam præbere. homil. 14. in epistolam ad Roman. circa illa verba, *Spe salui facti sumus*, sic enim ait: *Hoc autem solum donum Deo contulimus, nempe datam illis futura promittenti fidem, hâcque una seruati sumus via.* & infrà: *Vnum à te postulat solùm, fidem, vt habeas & tu aliquid, quod ad tuam conferas salutem.* & hoc erat vnum ex assertis Pelagianorum. Quartò docet, Dei gratiam dari quærentibus, & volentibus nobis, quod erat alterum assertum eorundem Semipelagianorum. ita enim scribit homil. 31. in Matthæum, circa illa verba, *Non omnes capiunt verbum istud. Quoniam autem volentibus gratia non denegatur, in Euangelio Dominus dicit: Petite, & accipietis, quærite, & inuenietis, pulsate, & aperietur vobis: Omnis enim qui petit, accipit, qui quærit, inuenit, & pulsanti aperietur. Debet autem voluntas præcedere, & sic sequitur gratia, nec gratia sine voluntate aliquid operatur, neque voluntas sine gratia potest.* Eadem verba ad idem propositum repetit homil. 21. ex aliis 54. homiliis in Matth. & homil. 3. in epistolam ad Corinth. circa illa verba, *Obsecro vos per nomen Domini nostri Iesu Christi*, vbi docet, multos Gentilium Philosophorum sola naturali ratione adiutos non solùm præcepta legis impleuisse, sed in iis multos Christianos supergressos fuisse.

Propter hæc, & alia similia, quæ passim in libris Chrysostomi reperiuntur, non solùm Massilienses illum assumebant tanquam præcipuum sui erroris patronum, verùm etiam ex recentioribus hæreticis Ioan. Occolampadius, referente Sixto Senensi lib. 5. Bibliothecæ annota. 101. & Caluinus apud Taperum art. 7. notant erroris in extollendis viribus liberi arbitrij contra diuinam gratiã, sed, quod grauius est, nonnulli Doctores Catholici, inter quos Ludouicus Molina in lib. Concordiæ disp. 41. & Vasquez 1. part. disp. 91. cap. 8. & 9. apertè contendunt, Chrysostomum per inaduertentiam manifestè lapsum fuisse in errorem, quem postea amplificauerunt, & defendendum susceperunt Cassianus, & Massilienses. Conatúrque ipse Vasquez, nescio qua pietate, omnes interpretationes, quibus Theologi nituntur dicta ipsius Chrysostomi, & aliorum Græcorum Patrum modestè, & Catholicè interpretari, pro viribus oppugnare, vt probet tum ipsum Chrysostomum, tum alios Græcos Patres verè docuisse errorem illum Semipelagianorum, vt videri potest ex his, quæ ille prolixè nimis scribit dicta disp. 91. cap. 8. & 9.

Occolamp. Caluinus. Molina. Vasquez.

VII. Mihi verò, vt libere fatear, hæc illius sententia nunquam facilè poterit suaderi, vt existimem, virum talem, ac doctorem tam præclarum, qualis fuit Chrysostomus, in præcipuo, & euidenti Catholicæ fidei dogmate tam turpiter fuisse lapsum. quod sequentes rationes mihi quidem euidentissimè persuadent, in primis enim Ecclesia Romana præclarum hoc elogium canit ipsius Ioannis Chrysostomi, *Multitudinem, pietatem, ac splendorem concionum, cæterorúmque eius scriptorum, interpretandi etiam rationem, ac inhærentem sententiæ sacrorum librorum explanationem omnes admirantur, digníque existimant, cui Paulus Apostolus, quem ille mirificè coluit, scribenti, & prædicanti multa dictasse videatur.* At si Chrysostomus tantam laudem meruit, quòd inhærentem sententiæ sacrorum librorum interpretationem, & explanationem illius omnes admirantur, si D. Pauli doctrinæ adeò studiosus fuit, vt dignus existimetur, cui Paulus ipse scribenti, & prædicanti multa dictauerit, quis quæso facilè credat, illum in re, qua nihil magis est frequens, nihil magis clarum, & constans apud ipsum D. Paulum, tam apertè fuisse hallucinatum? quid enim magis frequens, quid magis certum, & constans in epistolis D. Pauli, quàm gratiam non dari ex meritis, & diuinam prædestinationem non esse secundùm opera nostra, sed secundùm propositum diuinum, & gratiam?

Secundò ob hoc potissimum mihi suadeo, Chrysostomum de gratuita Dei prædestinatione semper rectam, & sanam doctrinam tenuisse, quia certum est, doctrinam Augustini de eadem gratuita prædestinatione fuisse antiquam, & communi consensu à Patribus receptam: & nihilominus omnes illi modi loquendi de diuina gratia, & humana voluntate, & reciproca illarum dependentia, & concursu, qui reperiuntur in D. Chrysostomo, reperiuntur etiam apud alios Patres, vt latè deducit Suarez lib. 2. de Prædestin. cap. 8. Quare vt non dicamus, illos etiam lapsos fuisse contra manifestam autoritatem Cœlestini Papæ in dicta epistola 1. & Concilij II. Arausicani, cogimur illos Patres Catholicè interpretari. Si autem illi Catholicè possunt interpretari, immo illos, & Catholicè interpretari debemus, cur non etiam ipsum Chrysostomum? quod enim ait Vasquez, etiam alios Græcos Patres in eundem errorem esse lapsos, nescio quomodo constare possit cum prædictis definitionibus Cœlestini, & Concilij Arausicani. Suarez.

VIII. Tertiò mouet me autoritas Augustini, cui cùm obiecissent ipsi Massilienses ipsius Chrysostomi testimonium, piè & Catholicè illud interpretatur dicens, illum, & alios Græcos Patres, nondum exorto errore Pelagianorum, suos libros scripsisse: & ideo non opus habuisse versari in hac difficillima quæstione, quod proculdubio fecissent, si respondere talibus cogerentur. Ita enim habet in lib. de prædestinat. sanctorum cap. 14. Neque est alicuius omnino momenti responsio Vasquez loco cit. n. 58. dicentis, non credidisse Augustinum, neque dicere voluisse, Chrysostomum, & Græcos Patres in eo errore minimè fuisse, quia si hoc credidisset, facillimo negotio Massilienses obiicientibus sibi testimonia ipsorum Patrum respondere potuisset, illos in ea sententia minimè fuisse. Verùm cùm non ita respondeat, planè concedit, illos in ea sententia fuisse. fallitur enim manifestè, cùm

cùm in 2. libro, qui eſt de bono perſeuerant. cap. 23. ille dicat, ſuam doctrinam de gratuita prædeſtinatione Eccleſiam Catholicam nunquam non habuiſſe, & Cœleſtinus, & alij Pontifices probauerint doctrinam Auguſtini, tanquam communi totius antiquitatis conſenſu firmatam, & doctrinam Maſſilienſium tanquam nouam reiecerint. Ad hæc ipſe Auguſtinus lib. 1. contra Iulianum cap. 2. ipſum Chryſoſtomum pie, & Catholicè interpretatur, quem Iulianus in patrocinium ſui erroris aſſumebat, dicens, illū in his, quæ ad integritatem fidei ſpectant, nunquam ab aliis Patribus Catholicis deſciuiſſe. Reſpondebitur, ibi non diſputari quæſtionem de gratuita prædeſtinatione, ſed an paruuli contrahant peccatum originale. Sed hæc cauilio nihil reſpondentem iuuat: ſatis enim eſt, Auguſtinum dicere, Chryſoſtomum in his, quæ ad fidem ſpectant, nunquam à recto tramite veritatis deuiaſſe, quod ibi manifeſtè dicit in illis verbis, *Alia ſunt, in quibus aliquando inter ſe etiam doctiſſimi, atque optimi regulæ Catholicæ defenſores ſaluæ fidei compage non conſonant, & aliter aliter de vna re melius aliquid ſentit, & verius. Hoc autem, vnde nunc agimus, ad ipſa fidei pertinet fundamenta, quiſquis in Chriſtiana fide vult labefactare, quod ſcriptum eſt per hominem*, &c. Legantur verba antecedentia, & ſequentia: dogma verò de gratuita Dei prædeſtinatione, quod Auguſtinus contra Maſſilienſes defendit, ad ipſa fidei Catholicæ fundamenta pertinere. Non ergo credidit Auguſtinus, Chryſoſtomum in hoc dogmate errāſſe contra fidem. & infrà reddens rationem, cur Chryſoſtomus nonnunquam in ſuis ſcriptis declarationem, quæ neceſſaria omnino videbatur, omiſerit, ait: *At inquies, cur non ipſe addidit propria, ſcilicet peccata, cur putamus niſi quia diſputans in Eccleſia Catholica non ſe aliter intelligi arbitrabatur. tali quæſtione nullus pulſabatur, vobis ſcilicet Pelagianis nondum litigantibus ſecuritis loquebatur.* quæ verba ſunt valde notanda ad intelligentiam multorum dictorum eiuſdem Chryſoſtomi.

IX. Tandem mouet me eiuſdem Chryſoſtomi autoritas, & teſtimonium manifeſtè indicans, illum de gratuita prædeſtinatione, ac de ipſa Dei gratia rectam, & ſinceram fidem habuiſſe, & docuiſſe. in primis namque in homil. 4. in epiſtolam ad Epheſ. exponens illa verba, *Gratia ſalnati eſtis per fidem*, ait: *Vt enim faſtu non eleuere magnitudine beneficiorum tumidus, vide vt iſtum animi tumorem premat, Gratia* (inquit) *ſeruati eſtis per fidem. Deinde vt ne rurſus libertas vitiaretur arbitrij, quæ in noſtra poteſtate ſita ſunt, poſuit, vtémque ipſum ſuſtulit, ducens, & hoc non ex vobis, ac ſi diceret, quinam in ipſum potuiſſemus credere? quomodo* (inquit) *credent, niſi audierint? itaque quod fidei eſt meritum, nequidem nobis adſcribendum eſt. Dei enim donum eſt auditus: neque enim vniuſquiſque ſufficiebat fides, vt fieres ſaluus.* ex quibus verbis habemus fidem & eſſe donum Dei, & nihilominus eſſe etiam ex nobis, quatenus cùm vocamur, & præuenimur per Dei gratiam, in noſtra eſt poteſtate, aſſenſum præbere. ne quis putaret, per Dei gratiam tolli ipſam arbitrij libertatem, ſicut dicebat Manichæus. & in homil. 1. in eandem epiſtolam ad Epheſ. paulo poſt initium. *At verò* (inquit) *neminem ſeruauerit virtus, niſi adſit charitas. dictu mihi, quid Paulo profuiſſet, aut quod ſuæ ſapientiæ dediſſet ſpecimen, ſi non cœlitus ipſum accuriſſet ad fidem, & quem priùs dilexerat, ad ſe attraxiſſet. quod denique nos ſit tot bonis dignatus, ſuæ fuit erga nos charitatis, non autem noſtræ virtutis. enim ſi nobis infuerit virtus, ſi Chriſti fidem amplectamur. ſi ad Deum acceſſerimus, hoc & eius munus eſt, qui nos vocauit: ſed tamen & noſtrum. illud verò, quod nos, qui ipſi propinquauerimus, tot honoribus cumulauerit, ita vt mox nos ab odio in locum filiorum proueheret adoptione, omnino ſupereminentis eſt ipſius erga nos dilectionis.* Hic apertiſſimè habemus, non ſolùm Chryſoſtomum ſanam doctrinam tenuiſſe de diuina gratia, ſed quónam ordine ipſa Dei gratia, & creata voluntas ſeſe præcedant, ac ſequantur, in opere noſtræ iuſtificationis. videlicet primò præueniri hominis voluntatem per diuinam gratiam vocantem, & excitantem. deinde ipſam voluntatem per ſuum concurſum præuenire iuſtificantem gratiam. quæ doctrina non ſolùm eſt veriſſima, & ab omnibus Catholicis recepta, ſed ſufficiens ad omnia loca ex Chryſoſtomo in contrarium allegata legitimè, & catholicè exponenda. Omitto hîc alia loca, quæ à recentioribus afferuntur ex eodem Chryſoſtomo pro illius defenſione, maximè à Suarez lib. 2. de cauſis prædeſtin. cap. 8. & Aluarez diſp. 22. de Auxiliis n. 22. & 23. quæ apud illos videri poſſunt. Quomodo verò teſtimonia ex illo adducta ſint exponenda, dicemus inferiùs reſpondendo ad argumenta, vbi aliorum Patrum dicta interpretabimur. Suarez. Aluarez.

Ex his omnibus ſatis, ni fallor, apparet, nullum ex Patribus Orthodoxis, qui D. Auguſtini tempora præceſſerunt, ſenſiſſe, dari cauſam meritoriam prædeſtinationis ad primam gratiam ex parte prædeſtinati. vnde non opus eſt in eorum opinionibus refutandis hîc morari.

CAPVT X.

Aliæ opiniones Scholaſticorum de Prædeſtinatione ad primam gratiam minus probabiles reſeruntur & reiiciuntur.

I. APud antiquiores Theologos Scholaſticos famoſa, & ferè communis videtur fuiſſe opinio, dari cauſam prædeſtinationis ex parte prædeſtinati, etiam reſpectu primæ gratiæ, & primi effectus eiuſdem prædeſtinationis. Hanc autem cauſam conſtituebant in bono vſu liberi arbitrij. qua verò ratione ipſe bonus vſus liberi arbitrij ſit cauſa prædeſtinationis, tot & tam variis modis à diuerſis explicatur, vt difficilius ſit ſingulas opiniones recenſere, quàm refutare.

Licèt autem multiplex ſit de hac re opinionum varietas, videntur tamen omnes ad tres præcipuas poſſe reduci. Alij nāque conſtituunt cauſam ipſius prædeſtinationis in bono vſu liberi arbitrij præcedente diuinam gratiam: alij in eodem bono vſu comitante ipſam gratiam: alij tandem illam conſtituunt in bono vſu liberi arbitrij ſubſequente ipſam gratiam. Quanuis iſtum bonum vſum alij concedant eſſe cauſam meritoriam, alij dicant, eſſe cauſam diſpoſitiuam, non autem meritoriam, & rurſus alij vocent cauſam diſpoſitiuam poſitiuam, alij verò cauſam diſpoſitiuam negatiuè tantùm, & tandem alij admittant, illum eſſe cauſam prædeſtinationis, alij autem concedant ſolùm eſſe conditionem ſine qua non.

II. Inter illos, qui conſtituunt cauſam prædeſtinationis in bono vſu liberi arbitrij antecedente diuinum auxilium ſupernaturale, Gabriel in 1. d. 41. q. vnica art. 3. ad 1. quanuis putet, prædeſtinationem, ſi propriè loquendum ſit, non eſſe ad gratiam, ſed ad gloriam, & ob hanc cauſam concedat, dari cauſam prædeſtinationis ex parte prædeſtinati. quam ſententiam in eodem ſenſu ſequitur Gulielmus Okam ibid. dicit tamen, quòd etiamſi prædeſtinatio verſetur circa media, poteſt aſſignari cauſa diſpoſitiua Gabriel. Okam.

Digitized by Google

diſpoſitiua ipſius prædeſtinationis ex parte prædeſtinati, videlicet bonus vſus liberi arbitrij, quo homo ſtudet ſe conformare rectæ rationi, & toto corde petit à Deo illuminari. dicit tamẽ, quòd iſte bonus vſus liberi arbitrij, non tollit rationem gratiæ, quia non eſt meritum de condigno, ſed de cõgruo tantùm. Idem ſentit in 2. d. 27. q. 1. art. 2. & 3. vbi tenet, hoc verum eſſe loquendo etiam de infidelibus, exceptis tamen paruulis, & in 4. d. 14. q. 1. art. 2. dicit, quòd poteſt homo ſufficienter ſe diſponere ad deteſtationem peccati per communẽ Dei influentiam naturaliter cõceptam, & hoc ad iuſtificationem, & remiſſionem peccatorum obtinendam. quam ſententiam proſequens in 3. d. 17. art. 3. dub. 2. citat pro illa Scotum, Gulielm. Okam, Aliacenſem, & alios. Animaduertendum eſt pro intelligentia huius opinionis, & aliarum, quas ſtatim referemus, eſſe eandem quæſtionem, an ex parte boni vſus liberi arbitrij noſtri poſſit aſſignari aliqua cauſa meritoria, vel diſpoſitiua diuinæ prædeſtinationis quoad primum illius effectum, & an diuinæ gratiæ, quæ primò cõfertur prædeſtinato, poſſit aſſignari aliquod meritum, vel diſpoſitio ex parte noſtra, ob quam ipſa prima gratia nobis conferatur, & potiùs conferatur iſti, quàm illi; nam inter prædeſtinationem, & ipſam gratiam nulla alia eſt differentia, niſi ea, quæ eſt inter rei præparationem, & rei exhibitionem, vt alias monuimus ex D. Aug. lib. de Prædeſtinatione ſanctorum cap. 10.

Scotus. Eandem ſententiam videtur ſequi Scotus in 4. d. 14. q. 1. §. *de ſecũdo principali.* verſicul. *de tertio dico.* Quanuis alibi dicat, omnes prædeſtinatos ante præuiſa illorum merita fuiſſe ad gloriam electos, quæ non videntur inuicem concordare.

Durand. Durandus in 2. diſt. 28. q. 5. etiã ipſe docet, quòd poteſt homo per vires liberi arbitrij ſine ſpeciali motione interna ſufficiẽter ſe præparare ad diuinã gratiam, ex hoc tamen negat poſſe hominẽ habere in ſe cauſã ſuæ prædeſtinationis, quia, inquit, iſta præparatio per vires liberi arbit. eſt effectus prædeſtinationis à Deo per ſpecialẽ prouidentiã ordinatus.

Bonauen. D. Bonauentura in 1. d. 41. q. 1. quærit, an detur cauſa noſtræ prædeſtinationis ex parte noſtra. & reſoluens quæſtionem, ait, dari triplex meritum, congrui, digni, & condigni. De cõdigno nullus poteſt mereri nec ſuam, nec alterius prædeſtinationẽ. Merito digni poteſt mereri vnus alteri ſuam prædeſtinationem, ſed non ſibi. At merito congrui homo poteſt mereri ſibi prædeſtinationem. Quæſtione verò ſecunda quærit, vtrùm prædeſtinatio habeat rationem motiuam in Deo, & reſpõdet, quòd ſunt quædam opera, quæ ſunt à voluntate diuina cum alio ad hoc ordinato, ſcilicet libero arbitrio, ſecundùm ordinem congruentiæ, vt eſt noſtra iuſtificatio. Si autem quæratur, quare Deus potiùs velit iuſtificare hunc, quàm illum, duobus æqualibus demonſtratis, ait, quòd nõ eſt certitudo aliqua ex parte rei, & ſic apparet, ex eius verbis nihil certi colligi poſſe. Immo in 4. d. 15. q. 5. dicit, quòd etiam iſtud meritum de congruo procedere debet ex auxilio diuinæ gratiæ. vnde neceſſarium videtur aut illum loqui de merito de congruo, quod antecedit non omnem gratiam, ſed ſolùm iuſtificantem gratiam, aut non ponere iſtud meritum inter cauſas prædeſtinationis.

III. **D. Thom.** D. Thomas in 2. d. 28. q. vnica a. 4. videtur dixiſſe, poſſe hominem per actus liberi arbitrij ordinis naturalis ſe ad fidem, & ad gratiã præparare abſque eo, quòd præueniatur aliquo auxilio gratiæ, niſi nomine gratiæ intelligamus quodcũque excitans noſtram voluntatem, cuiuſcũque ordinis illud ſit, cuiuſmodi ſunt admonitio hominis, ægritudo corporis, repẽtina calamitas, & ſimilia, hæc enim omnia poſſunt vocari auxilia gratiæ, quatenus ſubsũt diuinæ prouidentiæ, & ordinantur in bonum electorum. & ſuprà d. 5. q. 2. art. 1. quærens, vtrùm Angeli indiguerint gratia, ad hoc, vt conuerterentur ad Deum, inquit.

Reſpondeo dicendum, quòd circa hoc eſt duplex opinio, quidam enim dicunt, quòd ad converſionem meritoriam exigitur duplex gratia, vna gratũ faciens, quæ informat converſionis actum, & meritorium reddit: alia gratis data, à qua elicitur ſubſtantia actus, & quæ liberum arbitrium inclinat ad volendum. Sed iſtam gratiam ponere non videtur neceſſarium, niſi ipſa libertas arbitrij gratia dicatur, quæ procul dubio nobis à Deo eſt, vel aliqua occaſiones, quæ quandoque dantur hominibus à Deo ad cõuerſionem, vt inſtructio legis, & caſtigatio ad humilitatem, & alia huiuſmodi, ſine quibus tamẽ poſſibile eſt gratiam conſequi, quia ſi homo facit, quod in ſe eſt, Deus dat ei gratiam. Ad hoc autem faciendũ non exigitur aliquid aliud, illud enim ad quod non poteſt per ſe liberum arbitrium, non eſt in homine, vt faciat illud, illud enim in nobis eſſe dicitur, cuius domini ſumus. vnde poſitio illa implicat contradictionem, dum poſuit, quòd ad faciendum illud, quod in nobis eſt, liberum arbitrium non ſufficit.

Caietanus tom. 1. ſuorum Opuſculorũ tract. 4. q. 1. etiam ipſe docet, poſſe hominem per vires liberi arbitrij habere contritionẽ, quæ ſit diſpoſitio ad gratiam iuſtificantem, addit tamen, quòd illa de ſe non eſt vltima diſpoſitio, ſed fit vltima ex quadam gratuita Dei motione: quia Deus vtitur illa contritione ad perficiendum opus ſuum, quod eſt infuſio gratiæ, & iuſtificatio. **Caietan.**

Chryſoſt. Iauellus. Chryſoſt. Iauellus in q. de Prædeſt. quæ poſt illius obitum eſt inuulgata, & addita 1. parti D. Th. ponit triplex Dei auxiliũ. Primũ generale ordinis naturalis, quod Deus cõfert omnibus creaturis ad eliciẽdos actus ordinis naturalis. Secũdum ſpeciale ordinis naturalis, quod Deus cõfert creaturę rationali ad faciendum quodcũque opus morale ordinis naturalis. Tertium ſpeciale ordinis ſupernaturalis, quod Deus confert creaturæ rationali ad perficiendũ opus ſupernaturale. Ait ergo, quòd bonus vſus liberi arbitrij prouenies ex auxilio Dei ordinis naturalis ſpeciali tamẽ, & antecedẽs primã gratiam, eſt diſpoſitio ad ipſam primã gratiam, nõ quidem de condigno, ſed ſolùm de congruo: & iſte bonus vſus liberi arbitrij, vt præuiſus à Deo, fuit cauſa noſtræ prædeſtinationis meritoria, nõ quidẽ de cõdigno, ſed ſolùm de cõgruo, & ex præſcientia boni, vel mali vſus liberi arbitrij ſumitur ratio, cur Iacob ſit dilectus, Eſaũ autem odio habitus.

Alex. Alenſ. Albert. Pighius. Barthol. Camerarius Argentinẽſ. In eandẽ ſententiam currere videntur Alex. Alenſ. 1. part. q. 28. memb. 3. a. 3, Albertus Pighius l. 8. de libero arbitr. c. 2. Barthol. Camerarius in dialogo Catholico de prædeſt. & Argẽtinẽſis in 1. d. 41. a. 2. vbi tamẽ addit non quemcunque vſum liberi arbitrij fuiſſe cauſam prædeſtinationis, ſed illũ ſolum qui præuiſus eſt duraturus in bono vſque in finẽ.

IV. Iſtæ omnes opiniones quãuis aliquo modo abinuicẽ diſcordare videãtur, conueniunt tamen in hoc, quòd ex parte prædeſtinati aſſignetur cauſa prædeſtinationis ad primã gratiam, vel meritoria de cõgruo, vel diſpoſitiua. quarum opinionũ licèt nõnullæ poſſint ad bonũ, & Catholicũ ſenſum trahi, vt inferiùs dicemus, tamẽ ſi intendãt hunc ſenſũ, quòd Deus in prædeſtinãdo, vel reprobãdo homines elegerit vſũ liberi noſtri arbitrij tanquã regulã, & mẽſurã, & rationẽ diſcernendi hos ab illis, & prædeſtinãdi hos, & nõ illos, & cõferendi media, & auxilia ſupernaturalia ad ſalutẽ cõſequẽdã iſtis,

& non illis, adeò quòd tota inæqualitas prædestinatorum, & non prædestinatorum procellerit ex inæqualitate vsus liberi arbitrij, mea sententia est commentum falsum, & erroneum, ne latum vnguem distans ab errore Semipelagianorum.

Neque sufficit, si quis dicat, hos Scholasticos plurimum distare à Semipelagianis, quoniam illi dicebant, bonum vsum liberi nostri arbitrij esse causam meritoriam prædestinationis nostræ de condigno, isti verò solùm dicunt, esse causam meritoriam de congruo. quoniam neque Semipelagiani dicebant, bonum vsum liberi arbitrij antecedentem primam gratiam esse meritorium ipsius gratiæ de condigno, sed solùm ex Dei misericordia, & ex quadam conuenientia, seu congruentia, ne viderentur incidere in errorem Pelagij ab Ecclesia damnatum, sicut colligi potest ex illis verbis, quibus Faustus Rhegiensis Episcopus lib. 1. de libero arbitrio cap. 17. suam sententiam conatur moderari, seu potiùs palliare, ita dicens, *Sed ante omnia arrogantiam laboris refugiamus, nec nobis quidquam de eius meritis vindicemus, ne Pharisæum imitari mortifera instantia præsumptione videamur.* & ex his quæ scribit Cassianus Massilienſium anteſignanus in lib. collationum collat. 13. cap. 13. dum ait, *Et nihilominus gratia Dei semper gratuita perseuerat, dum exiguis quibusdam, parisque conatibus tantam immortalitatis gloriam, tanta perennis beatitudinis dona inæstimabili tribuit largitate.* & infrà: *Quantumlibet ergo exigua fuerit humana fragilitas, futuræ retributioni par esse non poterit, nec ita laboribus suis diuinam imminuit gratiam, vt non semper gratuita perseueret.* & cap. 16. *Nemo autem existimet hæc à nobis ob hoc fuisse prolata, vt nitamur adstruere, summam salutis in nostra fidei ditione consistere secundum quorundam prophanam opinionem, qui totum libero arbitrio deputantes, gratiam Dei dispensari secundum meritum vnuscuiusque definiunt.* quam doctrinam habet etiam lib. 12. de Institut. cœnobitica cap. 14. & nihilominus per Cœlestinum Primum, & Concil. Arausicanum, & alia Pontificum decreta illa sententia Massilienſium repudiata est, & opuscula Cassiani inter apocrypha reiecta.

Faustus Rhegiens.

Cassianus.

V. Adest autem nobis latissimus campus ad hanc sententiam sic intellectam refutandam ex diuina Scriptura, & doctrina D. Augustini. Primò namque contra autores huius opinionis obiici possunt autoritates diuinæ Scripturæ, quas Augustinus obiiciebat Pelagianis, & Semipelagianis. Prima autoritas est apud Matthæum cap. 11. vbi Saluator dixit, quòd si in Tyro, & Sidone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt apud Iudæos, illi pœnitentiam egissent: & tamen Christus illa signa apud Iudæos non fecit. Ergo signum est, Deum in suis donis supernaturalibus conferendis minimè respicere bonum vsum liberi arbitrij, tanquam regulam distribuendi sua dona.

Secundò idem probari potest autoritatibus, quibus docemur, Deum in suis donis conferendis non expectare bonum vsum liberi arbitrij, sed illum multoties præuenire. Eiusmodi est illa apud Isaiã c. 65. *Inuentus sum à non quærentibus me, palam apparui iis, qui me nõ interrogabant.* & illa apud Matth. 13. *Ideo in parabolis loquor eis, vt adimpleatur, quod dicit Isaias: Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua.*

Tertiò probari potest ex autoritatibus, quibus ostenditur, electionem esse nõ ex operibus nostris, sed ex mera Dei gratia, qualis est illa apud Ioan. 15. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* & ad Titum cap. 3. *Non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundùm misericordiam suam saluos nos fecit.* & aliæ, quæ inferiùs adducentur.

Quartò obiici potest autoritas Pauli dicentis 1. ad Corinth. 4. *Quis enim te discernit? quid autem habes quod non accepisti?*

Quintò obiici possunt testimonia, ex quibus probatur, Deum nõnullis peccatoribus grauissimis nullum bonum vsum liberi arbitrij habentibus, immo malum vsum habentibus, sua dona cõferre. Eiusmodi exemplum habetur in Actis Apostolorũ in Paulo Apostolo, quem Christus tunc ad se conuertit, cùm maximè ipsum Christi nomẽ odio haberet, & persequeretur. Alia exempla habemus ex Euangelio in Matthæo, quem ad se vocauit cùm ad telonium sederet, & in Magdalena, quam ex peccatrice publica conuertit.

VI. Verùm his omnibus testimoniis occurrunt Argentinenſis, & Iauellus, dicentes, quòd nõ quicunque vsus bonus liberi arbitrij potest constitui pro causa prædestinationis, sed ille solus, qui præuisus est finaliter duraturus.

Hæc responsio nõ soluit dubium, & multa etiã continet absurda. Primò non euacuat dubiũ: quoniam ex autoritatibus allegatis ostenditur, Deum sua dona cõferre quibusdam, nullum omnino bonum vsum liberi arbitrij habentibus. Secundò, quia vel isti sic respõdentes loquũtur de bono vsu præcedente ipsam primam gratiã, vel de bono vsu qui procedit ex ipsa gratia. Si de secundo loquũtur, nõ ad proposita respondent. Si de primo, falsum assumunt, cùm cõstet, multos ad primam gratiam prædestinatos nullo bono vsu præcedente, immo præcedẽte malo vsu liberi arbitrij. Tertiò, quia secundùm sic respondentes homo ex solis viribus naturæ, sine supernaturali auxilio posset perseuerare in bono vsu liberi arbitrij, quod apertè falsum esse cõuincitur ex diuina Scriptura, quæ perseuerãtiam in bono numerat inter dona Dei supernaturalia, vt latè deducit August. toto lib. de bono perseuerãtię, & D. Th. 1. 2. q. 109. Quartò reuincitur eadem responsio ex diuina Scriptura, quæ non solùm nõ docet homines fuisse prædestinatos ex præscientia boni vsus liberi arbitrij perseuerante, sed potiùs docet perseuerantiam in bono vsu eiusdem liberi arbitrij vsque in finem esse effectum ipsius prædestinationis. Ita nãque colligimus ex lib. Sapientiæ c. 4. vbi de quodam iusto dicitur, illum raptum, & præuentum fuisse morte immatura, ne malitia immutaret intellectum eius, &c. vbi apparet, illum nõ ideo prędestinatũ, quia prœuisus est perseueraturus, sed ideo perseuerasse, quia erat prædestinatus.

August. D. Thom.

VII. Secundò principaliter refutari potest hæc illorũ sententia validissimo illo argumẽto, quo Augustinus vigebat Pelagianos, & Semipelagianos, sumpto ab infantibus ex hac vita decedentibus cum Baptismo, quos certum est prædestinatos fuisse ad vitam, & tamen illi non sunt prædestinati ad primam gratiam, immo neque ad gloriam ex præscientia alicuius boni operis, vel boni vsus liberi arbitrij, cùm nullum talem vsum vnquam habuerint in hac vita.

Huic argumento respondebant Pelagiani, & Semipelagiani, infantes, qui sine vsu liberi arbitrij decedunt ex hac vita, fuisse prædestinatos, aut reprobatos propter bona, vel mala, quæ Deus præuidit illos facturos fuisse, si diutius viuerent.

Huius responsionis absurditatem multis modis conuincit Augustinus. Primò, quia Deus nullum præmio afficit, aut damnat pro iis, quæ facturus esset, si diutius viueret, sed solùm pro iis, quæ actu & de facto gessit, iuxta sententiam Apo-

stoli

ſtoli dicentis in poſteriori ad Corinth.cap.5. *Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſque propria corporis prout geſſit, ſiue bonum ſiue malum.* non dicit Apoſtolus, prout geſſiſſet, ſed prout de facto geſſit. Secundò, quia ſi propter peccata, quæ quis geſturus eſſet, ſi diutius viueret, foret reprobandus, fruſtrà abbreuiandi eſſent dies illi, de quibus dicitur apud Matth.24. *Quòd niſi breuiati fuiſſent dies illi, non fieret ſalua omnis caro: ſed propter electos breuiabuntur dies illi.* Probatur ſequela. Nam ſi quis prædeſtinatur, aut reprobatur propter ea, quæ faceret, ſi diutius viueret, illi quos ibi vocat electos, quóſque Scriptura dicit, non fore ſaluandos, niſi breuiarentur dies illi, quippe qui propter immanitatem, & acerbitatem perſecutionum præuiſi ſunt à fide ipſa defecturi, ſi tempus illarum perſecutionum longiùs protraheretur, deberent nihilominus propter peccata, quæ admitterent, niſi dies illi breuiarentur, puniri, atque damnari.

Tertiò, quia ſi homines prædeſtinarentur, aut reprobarentur, propter bona, vel mala quæ facerent, ſi diutius viuerent, vanè dixiſſet Apoſtolus ad Roman. 9. *Cùm enim nondum nati eſſent, aut aliquid boni egiſſent, aut mali, vt ſecundùm electionem propoſitum Dei maneret, non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt ei,* &c. dici nanque poſſet, illos gemellos, etſi diſcreti non fuerint ex operibus iam factis, diſcretos tamen fuiſſe propter opera, quæ præuidit illos geſturos.

Quartò, ſi homines prædeſtinarentur propter bona, quæ facerent ſi diutius viuerent, aut reprobarentur propter mala, quæ item perpetrarent, ſi diutius viuerent, vanè Sapiens numeraret inter ſigna prædeſtinationis, & inter effectus diuinæ dilectionis, prætripere hominem ex hac vita morte immatura, antequam decidat in peccata, ſicut dicitur Sapient.cap.4. de quodam prædeſtinato quòd *raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam illius.* & infrà: *Placita enim erat Deo anima illius, propter hoc properauit educere illum de medio iniquitatum.* Sequela eſt manifeſta, quia etiamſi homo prærripiatur morte immatura, ne labatur in peccata, reprobatus tamen eſt, & puniendus propter eadem peccata, quæ admitteret, niſi prærriperetur ex hac vita morte immatura.

Tandem contra eandem reſponſionem facit, quod ait Saluator loco cit. ex Matth. 11. Tyrios, & Sidonios, ſi vidiſſent ſigna, quæ Iudæi viderunt, acturos fuiſſe magnæ humilitatis pœnitentiam, & quod Deus ait Ezechieli cap.3. *Fili hominis non ad populum ignotæ linguæ, & profundi ſermonis tu mitteris, & ſi ad illos mitterereris, ipſi audirent te.* ex quibus verbis euidenter deducitur, reperiri multos, quibus ſi Dei verbum annuntiaretur, & fierent coram illis miracula, illi audirent, crederent, & conuerterentur, & tamen neque fiunt coram illis miracula, neque annuntiatur eis verbum Euangelij, quia non ſunt altiori Dei conſilio ex maſſa perditionis diſcreti. Euidentiſſimum igitur eſt argumentum, non prædeſtinari homines, neque reprobari propter ea, quæ facerent, ſi diutius viuerent.

VIII. Tertiò principaliter refutari poteſt eadem ſententia euidentiſſimis rationibus deductis ex ipſo rerum euentu. quis enim negabit, potiora, & præclariora diuinæ gratiæ dona collata fuiſſe hominibus exiſtentibus ſub lege Euangelica, quàm exiſtentibus ſub lege Moyſis? & adhuc præclariora exiſtentibus ſub lege Moyſis, quàm ſub lege naturæ? Adhuc quis dubitat, multos ex inſidelibus meliorem vſum liberi arbitrij habuiſſe, quàm multos alios fideles? vt etiam adnotauit Hieronymus in epiſtola ad Demetriadem, & Chryſoſtom.homil. tertia in priorem ad Corinth. Hieron. Chryſoſt. Non ergo dona diuinæ gratiæ ſunt hominibus prædeſtinata, propter vſum præuiſum liberi noſtri arbitrij. Adhuc quis dubitet ex Chriſtianis habentibus æqualem vſum liberi arbitrij alios iuſtificari, alios non, aliis tribui donum perſeuerantiæ vſque in finem, aliis non tribui, immo ex duobus impiis iuſtificari magis impium, & ex duobus iuſtis conferri donum perſeuerantiæ minus iuſto? quæ eſſe iudicia Dei inſcrutabilia rectiſſimè ait Auguſtinus. Hac igitur opinione reiecta, conſequens eſt, vt ad ſecundam ſententiam examinandam accedamus eorum, videlicet, qui cauſam prædeſtinationis ponunt in bono vſu ipſam diuinam gratiam concomitante.

IX. Inter eos, qui cauſam prædeſtinationis conſtituunt in bono vſu liberi arbitrij ipſam gratiam concomitante, Aureolus in primo d.40.& 41.articulo primo, & Ioan.Eckius in Opuſculo de prædeſtinatione centuria tertia numero ſecundo dicunt, bonum opus ſupernaturale duobus modis poſſe conſiderari, vno modo, vt procedit à gratia: alio modo, vt procedit ab ipſo libero arbitrio. Primo modo conſideratus non poteſt eſſe cauſa prædeſtinationis, ſed eſt illius effectus. Secùdo autè modo poteſt eſſe aliquo modo cauſa prædeſtinationis, diſpoſitiua ſaltem, ſine qua non, quia vt ſic ita eſt à libero arbitrio, quod non eſt effectus prædeſtinationis, & ita eſt cauſa, ſine qua non, quòd ſine cooperatione liberi arbitrij nulla gratia nullúſque effectus prædeſtinationis eſt efficax. Aureolus. Eckius.

Henricus Gandauenſis quodlibeto quarto q.9. & quodlib. 8. quæſt. quinta conuenit cum prædictis autoribus, & ſolùm in hoc videtur ab illis differre, quòd ipſe non audet ponere hanc cauſalitatem in aliqua diſpoſitione poſitiua, ſed negatiua tantùm, videlicet in non reſiſtentia liberi arbitrij. quare liberum arbitrium, vt ſic, nihil influendo, ſed ſolùm non apponendo actum reſiſtentiæ ipſi diuinæ gratiæ, quem poſſet illi opponere pro ſua libertate, dicitur cauſa ſine qua non, & conditio congruentiæ, ob quam Deus potiùs exoptauerit gratiam prædeſtinationis prædeſtinato, quàm non prædeſtinato.

Hæc illorum opinio, ſaltem ea, quam tenuit Henricus, poteſt iuxta legitimum, & catholicum ſenſum explicari, quam probabilem cenſuit doctiſſimus præceptor meus Valerianus Imolenſis in ſua lectura à me ex illo excepta in primum ſententiarum, quem honoris cauſa nomino. Sic tamen intellecta, prout ab illorum autoribus declaratur, non videtur probanda. aliud nanque eſt, per diuinam prædeſtinationem fuiſſe nobis ipſam gratiam ab æterno præparatam: aliud eſt, eandem gratiam in tempore non ponere in nobis ſuum effectum, ſine nobis liberè eidem gratiæ cooperantibus. Dato autem, quòd reſpectu ſecundi liberum arbitrium habeat ſuam cauſalitatem, ex hoc nõ ſequitur, quòd habeat aliquam cauſalitatem reſpectu primi. immo ſi ipſum naturæ ordinem attendamus, priùs intelligimus, eſſe homini præparatam, & oblatam ipſam gratiam, quàm intelligamus, liberum arbitrium apponere conſenſum, vel illum non apponere. Ergo intelligi non poteſt, vſum liberi arbitrij, vt præuiſum ab æterno (loquor de vſu præuiſo per ſcientiam liberam) potuiſſe eſſe cauſam, ſeu diſpoſitionem negatiuam

negatiuam prædestinationis primæ gratiæ. Et consequentia est clara, quia prædestinatio primæ gratiæ idem est, quod illius præparatio: sed præparatio gratiæ, qua homo est præueniendus, est natura prior, quàm sit consensus, vel dissensus voluntatis, sicut causa est prior effectu. ergo consensus, vel dissensus liberi arbitrij, in quo totus illius vsus consistit, non potest esse vllo modo causa eiusdem præparationis primæ gratiæ, in qua tota ratio eiusdem prædestinationis consistit.

X. Quod vt magis clarum fiat, sic possumus argumentari. Nullum posterius est causa sui prioris, sed solùm potest esse causa sui posterioris: in proposito de quo loquimur sunt tria, vnũ, quod antecedit ipsũ vsũ liberi arbitrij, & istud est præparatio, & oblatio diuinæ gratiæ ipsi libero arbitrio. Secundum quod concomitatur vsum liberi arbitrij, & istud est influxus simultaneus gratiæ cum libero arbitrio in effectum. Tertium est ipse effectus ab vtroque productus. Esto igitur bonus vsus liberi arbitrij possit aliquo modo habere rationem causæ respectu tertij, tamen respectu primi nullo modo id potest.

Dicetur, argumentum procedere de causa positiua, & verè effectiua, non de causa solùm negatiua, aut remouente prohibens, de qua modò est tota disputatio.

Verùm contra hanc responsionem, & simul contra opinionem argui potest. quanuis diuina gratia non ponat in nobis suum effectum sine nobis liberè consentientibus, tamen ipsa prima gratia ponitur in nobis sine nobis, & sine vllo nostro consensu: neque enim Deus in nos præueniendo sua gratia expectat, vt præueniri velimus, vt satis notum est. Ergo etiam absque respectu ad vsum liberi arbitrij ipsa prima gratia fuit nobis ab æterno prædestinata. Sequela est clara per doctrinam D. Augustini lib. de Prædest. sanctorum cap. 10. dicentis hoc solum distare inter gratiam, & prædestinationem, quod inter rei exhibitionem, & illius præparationem. vnde si in tempore ponitur ista gratia in nobis, sine nobis, etiam ab æterno est nobis præparata sine nobis.

Dicetur, quanuis in tempore illa ponatur in nobis sine nobis, & etiam ab æterno fuerit præparata sine nostro consensu, non tamen potuit præparari sine præscientia nostri consensus: quia prædestinatio non est qualiscunque gratiæ præparatio, sed illius solùm, quam Deus præuidit habituram in nobis infallibilem effectum: gratiam verò habituram in nobis infallibilem effectum præuidere non potuit, nisi præuidendo ipsum vsum liberi arbitrij, & consensum comitantem ipsam gratiam, quia sine illo gratia quantuncunque efficax suum effectum in nobis ponere non potest.

Sed dico, aliud est, Deum præparare gratiam, quam præuidet habituram in nobis effectum, & liberum arbitrium benè vsurum ipsa gratia: aliud est, Deum præparare gratiam ex eo, quia præuidet talem bonũ vsum liberi arbitrij. Primũ verum est, non autem secundum. Quare concesso, quòd non præparauerit talem gratiam, sine præscientia talis vsus liberi arbitrij, non sequitur, præscientiam talis vsus causam extitisse talis præparationis. Quomodo autem secundùm hos autores Deus præuiderit hunc vsum comitantem ipsam gratiam, dicendum est, non potuisse illum præuidere, vt absolutè futurum ante ipsam gratiæ præparationem, cùm non sit antecedens, sed concomitans ipsam gratiam, neque vt effectum talis gratiæ, cùm illi ponant potiùs præscientiam talis vsus liberi arbitrij fuisse causam talis præparationis, & distinguant duplicem considerationem effectus supernaturalis, alteram, qua ille consideratur, vt proueniens à gratia, alteram, qua consideratur, vt proueniens à libero arbitrio, & dicant, illum hoc secundo modo consideratum posse esse causam prædestinationis, quia, vt sic non est illius effectus. præuidit igitur illum, vt futurum ex hypothesi, quòd vellet homini talem gratiam conferre, & nullo alio modo videtur fuisse præuisus. vnde habes etiam, secundùm hos autores necessariò admittendam esse in Deo scientiam illam futurorum conditionatorum de qua lib. 3. ad finem. & hinc contra illos deducitur argumentum illud, quod solum videtur futurum ex hypothesi, & non absolutè, non potest constitui aliquo modo causa prædestinationis; sed ante ipsam gratiæ præparationem iste bonus vsus liberi arbitrij non fuit præuisus, vt futurus absolutè, sed solùm sub conditione, cùm non sit de antecedentibus ipsam gratiam, sed de comitantibus solùm. Ergo non potuit esse aliquo modo causa ipsius prædestinationis ad ipsam gratiam, quocunque nomine talis causa nuncupetur.

Demum illud, quod aiunt isti autores huius secundæ opinionis, quòd actus supernaturalis, quatenus procedit à libero arbitrio, non est effectus diuinæ prædestinationis, neque ipsius gratiæ, non puto verum, neque tutum. Licèt enim eadem actio liberi arbitrij præcisè spectata sub ea ratione, qua solùm procedit à libero arbitrio, non sit spectata, quatenus procedit à diuina gratia, tamen eadem actio supernaturalis est realiter à diuina gratia, & ab ipso libero arbitrio, neque est vllus effectus supernaturalis ita prouenies à libero arbitrio, quin etiam prouenial à diuina gratia, & multo magis, sicut dicetur lib. 8. & 9. vnde licèt sententia Hérici Gandauensis legitimè possit exponi, ille enim nõ negat, actũ supernaturalem, etiam vt procedit à libero arbitrio, esse effectum diuinæ prædestinationis, sed solùm dicit, quòd spectatus præcisè sub ea ratione, qua procedit à libero arbitrio, non consideratur, vt effectus ipsius gratiæ, vt satis indicant illius verba quodlibeto 8. quæst. 5. tamen modus loquendi Aureoli, qui dicit, actum supernaturalem, vt procedit à libero arbitrio, non esse effectum prædestinationis, mihi omnino probari non potest, maximè dicente Augustino, omnia bona, quæ sunt in nobis, Deum operari, quædam nobiscum, quædam etiam sine nobis. XI.

Fuit tandem tertia sententia eorum, qui constituebant causam ipsius prædestinationis in præscientiam boni vsus liberi arbitrij, qui sequitur ipsam primam gratiam. Huius opinionis meminit D. Thom. 1. part. quæst. 23. art. 5. in quam opinionem nonnulli nituntur trahere Albertum Magnum in 1. d. 41. art. 2. & Alexand. Alensem 1. part. quæst. 28. memb. 3. art. 3. verùm apud Albertum ibi nihil tale reperitur. Alexander verò dicit, quòd principium meriti non cadit sub meritum. quare cùm prima gratia sit principium meriti, secundùm illum non videtur vllo modo sub merito cadere potuisse. XII. D. Thom. Albertus. Alens.

Dominicus Soto in cap. 9. epistolæ ad Roman. hanc opinionem impugnat, tanquam errorem Semipelagianorum, putat enim eos, qui illam defendunt, sensisse, quòd homo per bonum vsum, sequentem ipsam primam gratiam, ita mereatur ipsam gratiam, sicut per gratiam meretur gloriam, Soto.

quod

quod tamen difficilè crediderim aliquem vel mediocriter in Theologicis verſatum exiſtimare potuiſſe. Solùm reperi nonnullos dicentes, bonum vſum ſubſequentem ipſam gratiam ex quadam congruentia illam mereri, ſicut congruum eſt, Principem ſua ſtipendia, & arma, & equos largiri illis, quos præuidet eiſdem donis benè vſuros.

Ex hoc tamen capite iſta ſententia probabilis non eſt, quia vel autores huius opinionis loquuntur de bono vſu ſequente primam gratiam præuiſo, vt futuro abſolutè, & ſic ille non poteſt vllo modo conſtitui cauſa prædeſtinationis ad primam gratiam, de qua modò loquimur, cùm illam neceſſariò ſupponat in eſſe, ſicut omnis effectus neceſſariò ſupponit ſuam cauſam in eſſe. vel illi loquuntur de bono vſu liberi arbitrij ſequente primam gratiam, præuiſo vt futuro ſolùm ex hypotheſi, quòd Deus vellet ipſam gratiam homini præparare, & conferre. Et ſic non poteſt etiam fuiſſe vllo modo cauſa prædeſtinationis ad primam gratiam. Primò, quia vt futurus ſub tali conditione eſt etiam poſterior eadem prædeſtinatione, vt futura ſub conditione, & illam neceſſariò ſupponit. Secundò, quia bonus, vel malus vſus liberi arbitrij præuiſus ſolùm, vt futurus ſub conditione, non poteſt fuiſſe cauſa prædeſtinationis, aut reprobationis alicuius creaturæ, vt ſuperiùs probauimus cum D. Auguſtino contra Semipelagianos. His igitur opinionibus examinatis ipſa veritas aperienda nobis eſt, & diuinarum Scripturarum, & rationum Theologicarum præſidiis firmanda.

CAPVT XI.

Prædeſtinationis ad primam gratiam nullam omnino cauſam aſſignari poſſe ex parte illius, qui eſt prædeſtinatus.

I. IN tanta opinionum varietate illa ſententia nobis ſequenda eſt, quam diuinarum Scripturarum autoritas, & Eccleſiæ Catholicæ definitio apertiſſimè nobis ſequendam proponit. vanum enim eſt, ac riſu dignum, aliter velle de hoc diuinæ voluntatis arcano infallibili ratiocinari, vt monet D. Thom. 1. patt. quæſt. 23. art. 5. Sententia verò quam diuina Scriptura, & Eccleſiæ autoritas nobis ſequendam proponit, eſt, Nullam dari cauſam prædeſtinationis noſtræ ad primam gratiam ex parte noſtra, quocunque nomine talis cauſa nuncupetur, ſiue meritoria de congruo, ſiue diſpoſitiua, ſiue conditio ſine qua non, ſed illam in ſolam diuinam voluntatem referendam eſſe. Hæc aſſertio ſtatim declarata veriſſima apparebit. Senſus enim illius eſt, quòd Deus ab æterno voluerit nobis talem gratiam præparare, quam præſciebat, quòd ſi præparaſſet, illa foret habitura in nobis ſuum infallibilem effectum, nulla fuit cauſa in nobis, quæ illum mouere potuerit ad illammet ſic præparandam, ſiue per modum cauſæ meritoriæ, ſiue per modum cauſæ diſponentis, ſed talis præparationis cauſa fuit ſola Dei bonitas, & illius immenſa erga nos charitas. Sic autem explicata iſta aſſertio à D. Auguſtino cenſetur eſſe de fide, in qua probanda ferè totum ſeptimum tomum ſuorum operum impendit, præter ea quæ ſcribit in lib. 1. ad Simplicianum q. 2. & epiſt. 105. 106. 107. & obiter aliis in locis. Vnde cùm Auguſtini doctrina fuerit ab Eccleſia approbata tanquam Catholica, & ille dicat, iſtam aſſertionem eſſe doctrinam fidei, nullúmque contra illam poſſe niſi errando diſputare, ego quoque certiſſimè crediderim, illam eſſe de fide, & nullum ſine euidenti erroris nota poſſe oppoſitum docere, aut ſentire, ſaltem in hoc ſenſu, quòd non poteſt ex parte prædeſtinati aſſignari aliqua cauſa prædeſtinationis ad primam gratiam, ad quam ſequatur effectus certò, & infallibiliter. quod ideo dixerim, ſi quo pacto valeam nonnullos Scholaſticos ab errore Maſſilienſium excuſare.

II. Præter definitiones verò, quibus generaliter probata eſt doctrina Auguſtini à ſummis Pontificibus, quibus conſequenter approbata, & definita fuit hæc aſſertio, cùm ſit vnum ex præcipuis capitibus, ad quæ tota illius doctrina de Prædeſtinatione contra Pelagianos, & Semipelagianos ipſomet Auguſtino teſte reducitur, vt ſuprà viſum eſt lib. præcedente c. 16. definita fuit expreſsè in Concilio Arauſicano can. 2. vbi ita legimus: *Si quis ad inuocationem humanam gratiam Dei dicit conferri, non autem ipſam gratiam facere, vt inuocetur à nobis, contradicit Iſaiæ, & Apoſtolo idem dicenti: Inuentus ſum à non quærentibus me, palàm apparui iis, qui me non interrogabant.* & can. 4. vbi dicit, *Si quis, vt à peccato purgemur, voluntatem noſtram Deum expectare contendit, non autem vt etiam purgari velimus, per ſancti Spiritus infuſionem, & operationem in nos fieri confitetur, reſiſtit ipſi Spiritui ſancto per Salomonem dicenti: Præparatur voluntas à Domino, & Apoſtolo ſalubriter prædicanti, Deus eſt, qui operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate.* Et nouiſſimè in Concilio Trident. ſeſſ. 6. de Iuſtificat. can. 3. vbi dicit: *Si quis dixerit, ſine præueniente Spiritus ſancti inſpiratione, atque eius adiutorio hominem credere, ſperare, diligere, atque pœnitere poſſe, ſicut oportet vt ei iuſtificationis gratia conferatur, anathema ſit.* quanuis Tridentinum non loquatur de prima gratia præueniente, ſed ſolùm de iuſtificante. Sed eadem omnino eſt ratio. quæ enim maior ratio eſſe poteſt, vt per ſuas vires mereri poſſit gratiam præuenientem, & ad illam infallibili diſpoſitione ſe præparare, non autem gratiam iuſtificantem, cùm repugnet æquè gratiæ præuenienti, eſſe ex meritis, ſicut iuſtificanti, immo multo magis. Suppono autem, idem iudicium eſſe de actuali gratiæ exhibitione, & de æterna illius præparatione quæ vocatur prædeſtinatio.

Concil. Arauſ.

Concil. Trident.

III. Probatur autem inprimis hæc aſſertio euidentiſſimis autoritatibus diuinæ Scripturæ, in quibus dicuntur homines prædeſtinati, non ex præuiſis illorum operibus, ſed ex ſolo diuinæ voluntatis beneplacito, & propoſito. ita Dauid in Pſ. 27. *Saluum me fecit, quoniam voluit me.* & D. Paulus ad Rom. 9. *Non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt eis, quia maior ſeruiet minori, ſicut ſcriptum eſt, Iacob dilexi, Eſau autem odio habui.* Quæ verba licèt literaliter poſſint alio modo intelligi, tamen ſecundùm allegoriam, & iuxta communem ſanctorum Patrum intelligentiam, & interpretationem, quæ non eſt omittenda, iuxta regulam à ſacro Concilio Tridentino ſeſſ. 4. nobis traditam, ſic ſunt intelligenda, vt faciant hunc ſenſum, quòd prædeſtinatio non eſt ſecundùm merita præuiſa, ſed ſecundùm diuinum propoſitum, & gratiam. & in epiſtola ad Epheſ. 1. *Qui prædeſtinauit* (inquit) *nos in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtum, ſecundùm propoſitum voluntatis ſuæ, in laudem gloriæ gratiæ ſuæ, in qua gratificauit nos in dilecto filio ſuo.* & infrà: *In quo nos etiam ſorte vocati ſumus, prædeſtinati ſecundùm*

Concil. Trident.

ſecundum propoſitum eius, qui operatur omnia ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ. Qui modus dicendi omnem cauſam prædeſtinationis in ſolam Dei voluntatem refert, & omnem aliam cauſam excludit. & 2. ad Timoth. 1. *Qui nos liberauit, & vocauit vocatione ſua ſancta, & non ſecundùm virtutem, ſed ſecundùm propoſitum ſuum, & gratiam.* Vbi loco illius particulæ, *ſecundùm virtutem*, communiter legitur, *ſecundùm opera noſtra*, vnde illa particula manifeſtè oſtendit, prædeſtinationem ita factam fuiſſe ſecundùm propoſitum voluntatis diuinæ, vt nulla ſit habita ratio noſtræ virtutis, ac bonorum operum. & ad Titum cap. 3. *Apparuit* (inquit) *benignitas, & humanitas Saluatoris noſtri Dei, non ex operibus iuſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundùm miſericordiam ſuam ſaluos nos fecit.*

IV. Secundò probatur aliis diuinæ Scripturæ teſtimoniis, ex quibus docemur, non homines primos Deum quærere, & eligere, ſed è contrario Deum homines quærere, & vocare. Primum teſtimonium habetur ex Pſal. 20. vbi de prædeſtinatis dicit, *Quoniam præueniſti eum in benedictionibus dulcedinis, poſuiſti in capite eius coronam de lapide pretioſo.* Secundum ex Pſal. 58. vbi dicit: *Et miſericordia eius præueniet me omnibus diebus vitæ meæ.* Tertium ex lib. Prouerbiorum cap. 8. vbi Sapientia, *ſtans in ſummis, excelſiſque verticibus, ſupra viam, in mediis ſemitis, iuxta portas ciuitatis, in ipſis foribus, loquitur dicens: O viri ad vos clamito, & vox mea ad filios hominum, intelligite paruuli aſtutiam, &c.* Quartum ibid. cap. 9. vbi Sapientia mittit ancillas ſuas vocare paruulos ad arcem, & ad mœnia ciuitatis. Ex his enim locis habetur, Deum eſſe, qui homines ſua vocatione, & ſua gratia ſemper præuenit, non autem nos diuinam gratiam præuenimus. Quintum habetur ex lib. Sapient. c. 7. vbi de ſapientia ſupernaturali verba faciens ait, *Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honeſtas per manus illius, & lætatus ſum in omnibus, quoniam antecedebat me iſta ſapientia, & ignorabam quoniam horum omnium mater eſt.* Sextum ex Ezechiel. 16. quod tam euidenter rem hanc demonſtrat, vt non abs re foret, ſi totum illud caput hîc tranſcriberetur, ibi nanque ſub metaphora infantulæ ex peſſimis parentibus progenitæ, mox vt nata eſt, in terram velut catulum proiectæ, ibique in ſanguine proprio conculcatæ, miſerandum peccatricis animæ ſtatum ad viuum nobis ob oculos proponens, ſtatim ingentem Dei miſericordiam erga eandem peccatricem animam mirum in modum commendans, & exaggerans ſubiungit, *Et tranſiens per te, vidi, te conculcari in ſanguine tuo, & dixi tibi, cum eſſes in ſanguine tuo, viue. dixi (inquam) tibi in ſanguine tuo viue, multiplicatam quaſi germen agri dedi te, & multiplicata es, & grandis effecta es, & ingreſſa es, peruenisti ad mundum muliebrem, vbera tua intumuerunt, & pilus tuus germinauit, & eras nuda, & confuſione plena. & tranſiui te, & vidi te. & ecce tempus tuum tempus amantium. & expandi amictum meum ſuper te, & operui ignominiam tuam. & iuraui tibi, & ingreſſus ſum pactum tecum, ait Dominus Deus, & facta es mihi, & laui te aqua, & emundaui ſanguinem tuum ex te, & vnxi te oleo*, &c. Qui locus omnino eſt legendus, quoniam ex eo facilè quiſque coniiciet, an Deus in hominibus impiis ſua gratia ab impietate mundandis, & ad ſe vocandis illorum bonas voluntates expectet, an potiùs ſua ingentiſſima gratia, ac miſericordia præueniat. Septimum teſtimonium non minus idoneum ad eandem veritatem comprobandam habetur ex Iſaia cap. 43. vbi ita Deus per Prophetam ait: *Non me inuocaſti Iacob, nec laborauiſti in me Iſrael*, &c. *Verumtamen ſeruire me feciſti in peccatis tuis, prabuiſti mihi laborem in iniquitatibus tuis. Ego ſum qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor.* Octauum teſtimonium habetur ex Oſeæ cap. 2. quod totum legendum eſt, nec opus eſt hîc tranſcribere, ſed ſufficit indicaſſe. Nonum habetur ex Euangelio Matthæi cap. 20. in parabola patrisfamilias, exeuntis conducere operarios in vineam ſuam. ille nanque primus ad operarios venit, ille otioſos eos inuenit, ille vocauit, ille in vineam conduxit, nullus bonus vſus liberi arbitrij in illis omnino præceſſit. Decimum habetur ex Euangelio Lucæ cap. 14. in parabola hominis illius, qui fecit cœnam magnam, & miſit per vicos, & plateas, & ad exitus viarum, & ad ſepes, ad pauperes, debiles, claudos, & cæcos inuitandos, & vocandos, & compellendos intrare ad cœnam. Vndecimum colligitur ex Euangelio Ioannis c. 15. vbi Saluator diſcipulis ſuis ait: *Non vos me elegiſtis; ſed ego elegi vos.* Duodecimum ex epiſtola ad Roman. cap. 9. vbi dicit, *Non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei.* Decimumtertium ex lib. Apoc. c. 3. in illis verbis, *Ego ſto ad oſtium, & pulſo. Si quis audierit vocem meam, & aperuerit ianuam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipſe mecum.* Hæc teſtimonia, & alia plura, quæ in diuina Scriptura paſſim occurrere poſſunt, nimis apertè indicant, Deum in hominum ſalute procuranda, & operanda non ab ipſis hominibus præueniri, neque illorũ bonas voluntates expectare, ſed potiùs malas hominum voluntates ſua gratia præuenire, & eadem gratia ex malis bonas facere. Quare ſi verum eſt, quod D. Thom. ait 1. part. quæſt. 23. art. 5. in argumento *ſed contra*, & D. Auguſtinus loco ſæpe citato ex 1. de Prædeſtin. ſanctorum cap. 10. Deum eodem modo noſtram ſalutem ab æterno prædeſtinaſſe, quo modo illam in tempore operatur, mihi certiſſimum eſt, nullo modo prædeſtinationem noſtram ad primam ſaltem gratiam ex aliqua præſcientia boni vſus liberi arbitrij factam fuiſſe.

Tertiò probari poteſt teſtimoniis eiuſdem di- V.
uinæ Scripturæ, quibus oſtenditur, ipſam fidem, quæ videtur eſſe primus bonus actus liberi arbitrij erga ipſum Deum, ex ipſo Deo in nobis eſſe, & eſſe illius gratuitum donum. Primum teſtimonium habetur ex epiſtola ad Epheſ. cap. 2. vbi ait; *Gratia eſtis ſaluati per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum eſt, non ex operibus, ne quis glorietur.* Secundum ex epiſtola ad Phil. 1. vbi ait, *Quia vobis donatum eſt pro Chriſto non ſolùm, vt in eum credatis, ſed etiam vt pro illo patiamini.*

Quartò ſuaderi poteſt aliis teſtimoniis, ex quibus oſtenditur, Deum omnia opera bona in nobis operari, etiam bonas voluntates, & hominem ſine præueniente Dei gratia non ſolùm non poſſe bonum velle, ſed nec etiam cogitare, & nihil in ſeipſo ex ſe habere, in quo glorietur, aut per quod ab alio diſcernatur. Primum teſtimonium eſt apud D. Paulum ad Philipp. cap. 2. vbi ait quòd *Deus eſt, qui operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate.* Secundum apud eundem ad Corinth. epiſtola 2. cap. 3. dicentem: *Non quòd ſufficientes ſimus cogitare aliquid ex nobis, quaſi ex nobis, ſed omnis ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* Tertium apud eundem in priori ad Corinth. 4. dicentem, *Quis enim te diſcernit? quid autem habes, quod non accepiſti? ſi autem accepiſti, quare gloriaris, quaſi*

quaſi non acceperis. Hìc ſi prædeſtinatio facta eſſet ex præſcientia boni vſus liberi arbitrij, primò homo haberet in ſe, per quod diſcerneretur à non prædeſtinato, contra ſententiam Apoſtoli. Secundò haberet aliquid, quod non accepiſſet, nempe bonum vſum liberi arbitrij, non acceptum per gratiam, de qua acceptione loquitur ibi Apoſtolus. Tertiò haberet in ſe aliquid, de quo poſſet gloriari, & extolli contra alium non habentem videlicet ipſum bonum vſum liberi arbitrij, quæ omnia ſunt manifeſtè contra hanc ſententiam Apoſtoli. Quartum eſt apud eundem in poſteriori ad Corinth. 10. dicentem, *Qui gloriatur, in Domino glorietur, non enim qui ſeipſum commendat, ille probatus eſt, ſed quem Deus commendat.* Si autem prædeſtinatio eſſet facta ex præſcientia boni vſus liberi arbitrij, poſſet homo aliqua ratione in ſeipſo, non in Deo gloriari: & qui ſeipſum commendaret, eſſet aliquo modo probatus contra teſtimonium Apoſtoli.

VI. Quintò ſuaderi poteſt illis teſtimoniis, & exemplis diuinæ Scripturæ, quibus probatur, Deum nonnullos peccatores gratis ſuis beneficiis præuenire, vel in ipſo peccatorum feruore, & æſtu aliis derelictis, quibus ſi talia ſuæ gratiæ dona conferret, illi ſimiliter pœnitentiam agerent, quorum nonnulla ſuperiùs recitata ſunt in opinionibus Scholaſticorum refutandis. Primum colligitur ex Iſaia cap. 6. quod etiam habetur apud Matth. 13. apud Marcum 4. apud Lucam 8. & apud Ioan. cap. 12. quod ſuprà recitatum eſt. Secundum ex Matth. cap. 11. de Tyriis & Sidoniis, quod eſt etiam ibi adnotatum. Tertium ex Actis Apoſtolorum cap. 9. vbi *Saulus adhuc ſpirans minarum, & cædis in diſcipulos Domini, cùm proficiſceretur Damaſcum ad diſcipulos Chriſti capiendos, captus ipſe per viam, & repente in diſcipulum Chriſti eſt mutatus.* Quartum eſt apud Matth. cap. 24. *Tunc duo erunt in agro, vnus aſſumetur, & vnus relinquetur: & duæ molentes in mola, vna aſſumetur, & vna relinquetur.* Alia plura huiuſmodi teſtimonia poſſent adduci ex diuina Scriptura, certum enim eſt beneficia, quæ contulit Iudæis, potuiſſe etiam gentibus conferre, & tamen non fecit taliter omni nationi, & iudicia ſua non manifeſtauit eis, vt Dauid ait in Pſal. 147. Adhuc certum eſt, beneficia, quæ modò Chriſtianis confert, potuiſſe, & poſſe Turcis, & Iudæis conferre. *Quis enim prior dedit ei, & retribuetur illi*, ait Apoſtolus ad Roman. 11. Hæc & alia infinita manifeſtiſſimè indicant, Deum in ſuis beneficiis conferendis, & hominum ſalute procuranda bonas hominum voluntates non præſtolari, ſed præueniendo ſua gratia bonas facere ex malis, neque pro bonis, aut malis hominum voluntatibus auxilia præuenientis gratiæ illis largiri.

VII. Sextò probari poteſt eadem veritas illis diuinæ Scripturæ teſtimoniis, ex quibus docemur, gratiam Dei omnem rationem meriti excludere, & è contrario meritum ipſam gratiæ rationem attenuare, & eneruare, ita nanque euidenter nos docet Apoſtolus ad Roman. cap. 4. ad longum, & cap. 11. vbi poſt prolixam de hac re diſceptationem ait. *Sic ergo & in hoc tempore reliquiæ ſecundùm electionem gratiæ ſalvæ factæ ſunt. Si autem gratia, iam non ex operibus, alioquin gratia iam non eſt gratia.* & infrà: *Quis enim cognouit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius eius fuit, aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei? quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia, ipſi gloria in ſæcula.* Loquebatur autem ibi Apoſtolus de prædeſtinatione, vt patet legenti verba textus. Hæc & alia eiuſmodi ſunt teſtimonia, quibus paſſim Auguſtinus contra Pelagianos, & Semipelagianos vtitur ad gratuitam Dei prædeſtinationem comprobandam. quæque prout occaſio poſtulat, exponit, roborat, amplificat, & exaggerat, quibus ſi non probatur, diuinæ prædeſtinationis ad primam gratiam non dari cauſam ex parte prædeſtinati, ego meam fateor ignorantiam, neſcio quibus clarioribus teſtimoniis alia quæuis aſſertio valeat comprobari.

Septimo loco addere poſſumus in confirma- VIII.
tionem eiuſdem veritatis teſtimonia ſanctorum Patrum. conſtat nanque in primis, hanc fuiſſe apertiſſimam ſententiam D. Auguſtini, cuius teſtimonia non opus eſt hìc tranſcribere, ne laboremus in probanda veritate per ſeipſam conſpicua. Legantur inter alia libri de Prædeſtin. ſanctorum, & epiſtolæ 105. 106. 107. Conſtat etiam eandem fuiſſe ſententiam omnium priſcorum Patrum tum ex teſtimonio eiuſdem Auguſtini in lib. de Prædeſtin. ſanctorum cap. 14. & in lib. de Bono perſeuerant. cap. 23. in fine, tum ex teſtimoniis Cœleſtini Primi, in epiſt. 1. ad Epiſcopos Galliarum, & Concilij ſecundi Arauſicani ad finem, & Vincentij Lirinenſis in libello contra prophanas vocum nouitates, tum ex ipſiſmet Patribus, qui ſuam de hac re ſententiam ſatis declarauerunt in Concilio Palæſtino, & Milleuitano, in quibus errores Pelagianorum damnauerunt, & in dicto Concilio Arauſicano, in quo errores Maſſilienſium, id eſt, Semipelagianorum iterum fuerunt damnati.

Vltimo loco probari poteſt teſtimonio Scholaſticorum. omnes etenim, pauciſſimis exceptis, rectè de hac re ſenſerunt. inprimis aſſertionem noſtram probat D. Thomas 1. p. quæſt. 23. art. 5. D. Thom.
eandem abſque dubio probat Scotus, cùm dicat Scotus.
omnes electos fuiſſe ante præuiſa merita efficaciter ad gloriam prædeſtinatos; multò enim magis id dicere debet de prædeſtinatione ad gratiam, & ad primam gratiam. Eandem cogitur defendere Alenſ. cùm in 3. p. q. 44. memb. 5. art. 2. §. 3. doceat, Alexand.
principium meriti nullo modo cadere poſſe ſub Alenſ.
meritum. & D. Bonauentura cùm in 4. d. 15. art. 1. D. Bonau.
q. 5. doceat, etiam meritum de congruo debere procedere ex gratia. Omitto recentiores, qui iam modò in hoc conueniunt.

CAPVT XII.

Argumenta aduerſariorum contra veritatem gratuitæ prædeſtinationis afferuntur, & ſoluuntur.

PRimum, ac præcipuum argumentum, quod I.
contra veritatem propoſitæ à nobis aſſertionis afferri poſſe videtur, quódque olim afferebant contra D. Auguſtinum Maſſilienſes, ſumitur ab autoritate priſcorum Patrum, maximè D. Ioannis Chryſoſt. quorum teſtimonia retulimus ſuprà cap. 9. illi enim videntur docuiſſe, diuinam prædeſtinationem factam fuiſſe ſecundùm præſcientiam, & Deum in conferendis ſuis donis ad conatum noſtræ voluntatis reſpicere.

Reſpondetur nihilominus, priſcos Patres, & præcipuè Chryſoſtomum ſemper rectam fidem gratuitæ prædeſtinationis tenuiſſe, ac docuiſſe, quod cùm dicto cap. 9. ſatis euidenter monſtratum ſit, nunc ſolùm explicandæ ſunt illorum autoritates ibi allegatæ, quibus videntur oppoſitum inſinuare. Sunt verò multi modi illas auto-

ritates exponendi, ſed antequam ſingulos modos referamus, duo ex doctrina D. Auguſtini ſunt prænotanda. Primum eſt, priſcos illos Patres nonnunquam in ſuis dictis declarationem neceſſariam omiſiſſe, vel quia Catholicè loquendo in Eccleſia Catholica arbitrabantur ſine tali declaratione ſe à Catholicis Catholicè intelligi poſſe. Vel certè, quia illis temporibus fuerunt, quibus hæreſes nondum erant exortæ: vnde neceſſitatem non habuerunt, in illis refutandis verſari, ob quam cauſam non curauerunt etiam ſuis dictis, aut ſcriptis illas adiungere declarationes, quibus ab illis erroribus nondum ortis ſe diſtare profiterentur: ſed immorabantur in aliis hæreticorum erroribus euertendis, aut in exhortationibus ad virtutes, quibus Deo pro adipiſcenda æterna, & vera vita ſeruitur. Id autem feciſſe antiquos illos Patres, nondum exorto Pelagianorum errore, teſtatur ipſe Auguſtinus tum in 1. contra Iulian. cap. 2. tum de Prædeſtin. ſanctorum cap. 14. ſuprà citatis, cùm ait, fruſtrà à Maſſilienſibus adduci contra ſe autoritates Patrum, quia illi fuerunt in Eccleſia, priuſquam hæreſis Pelagiana eſſet exorta, ob quam cauſam neceſſitatem non habuerunt, in hac difficili ad ſoluendum quæſtione de gratuita Dei prædeſtinatione verſari, quod proculdubio feciſſent, ſi reſpondere ipſis Pelagianis cogerentur. vnde factum eſt, vt de gratia Dei, quid ſentirent, breuiter quibuſdam ſcriptorum ſuorum locis, & tranſeunter attingerent, immorarentur verò in eis, quæ aduersùs alios inimicos Eccleſiæ diſputabant; & in exhortationibus ad quaſque virtutes, quibus Deo viuo, & vero pro adipiſcenda vita æterna, & vera felicitate ſeruitur, frequentationibus, aut orationibus ſimpliciter apparebat, quid gratia Dei valeret: non enim poſcerentur à Deo, quæ præcipit fieri, niſi ab illo donaretur, vt fieret. Auguſt.

II. Secundò prænotandum eſt id, quod non ſemel admonuit D. Auguſtinus, quæſtionem de gratia Dei, & libero hominis arbitrio per ſeipſam difficilem eſſe, adeò vt dum gratia aſſeritur, liberum arbitrium ſublatum videatur: aut dum liberum arbitrium defenditur, Dei gratia videatur euacuari. Ita factum eſt, vt quia ſancti Patres nonnunquam contra Manichæos liberum arbitrium extollunt, aliquando verò contra Pelagianos contra liberi arbitrij ſuperbiam diuinam gratiam commendant, hæretici, quibus ſola occaſione opus eſt, ipſos Patres in patrocinium ſuorum errorum pro poſſe traducere conati fuerint. Et quidem Maſſilienſes cùm niterentur errores Pelagianorum de libero arbitrio contra Dei gratiam extinctos iterum ſuccendere, acciuerunt ſibi in patrocinium ſui ipſorum erroris Chryſoſtomum, & alios Patres, qui contra Manichæos liberum arbitrium defenderunt, tanquam illi docuiſſent, initium noſtræ ſalutis eſſe ex nobis, & Dei gratiam noſtris meritis ſubiungi, quod tamen luculentum eſt mendacium, & apertiſſima impoſtura. E contrario verò hæretici Prædeſtinati, quorum vera genimina hodie ſunt Caluinitæ, errorem Manichæorum ab Orco reuocantes, autoritates Auguſtini, qui pro Dei gratia contra Pelagianos laborauit, ad euertendum liberum arbitrium inaniter iactitarunt: neque enim ea fuit mens ſanctorum Patrum, & Auguſtini, vt dum Dei gratia commendatur, liberum arbitrium euertatur, neque dum liberi arbitrij partes defenduntur, ipſa Dei gratia excludatur, aut ſuo primatu in omnibus bonis operibus, & ſua laude priuetur. ſed etiamſi id non expreſſerint, ſemper vtrunque ad ſalutem conſequendam ſimul neceſſarium eſſe, ſupponunt, vt idem Auguſtinus notat lib. 4. contra Iulianum cap. 8. & lib. 5. cap. 9. & lib. 1. de Origine animæ cap. 15. & lib. de Gratia, & libero arbitrio cap. 1. & alibi ſæpius. quod maximè aduertendum eſt in dictis D. Chryſoſtomi, vt nanquè Annianus præfatione in homilias eiuſdem Chryſoſtomi in Matthæum adnotauit, ille in euertendo Manichæorum errore, tunc temporis ferueſcente adeò totus fuit, vt diuinæ gratiæ oblitus primas partes noſtro libero arbitrio tribuiſſe viſus ſit, quem tamen neceſſitatem diuinæ gratiæ liberum arbitrium præuenientis, & adiuuantis in omni bono opere alibi non ſolùm non negaſſe, ſed manifeſtè docuiſſe, conſtare poteſt ex homil. 1. quam ſcribit in epiſtolam ad Epheſios. Auguſt.

His duobus prænotatis breuiter referendi ſunt ſinguli modi, ſecundùm quos recentiores Doctores dictas Patrum autoritates catholicè interpretari nituntur. III.

Primus modus eſt illorum, qui dicunt, ſenſum illarum autoritatum eſſe, bonum vſum liberi arbitrij fuiſſe cauſam prædeſtinationis, non quidem meritoriam, aut diſpoſitiuam, ſed finalem, nimirum quòd Deus nos prædeſtinauit, & ſuam gratiam nobis præparauit, non propter hoc, quòd præuidit nos ex nobis habituros fidem, & bonum vſum liberi arbitrij, ſed vt per ipſam prædeſtinationem haberemus fidem, & bene libero arbitrio vteremur, ſicut ait Apoſtolus ad Epheſ. c. 1. quòd *Deus elegit nos in Chriſto ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti, & immaculati coram illo.* hoc modo dictas autoritates exponit Sixtus Senenſis lib. 6. Bibliothecæ ſanctæ annota. 251. hic tamen modus non videtur aſſequi mentem ipſorum Patrum, qui dum aiunt, Deum ita prædeſtinare homines, ſicut illi ſunt in diuina præſcientia, & ideo illos prædeſtinauiſſe, quia ſibi deuotos futuros eſſe præuidit, de alia cauſa loquuntur, quàm de finali. Sixtus Sen.

Secundus modus eaſdem autoritates exponendi eſt aliorum, qui aiunt, cùm Patres dicunt, Deum elegiſſe hominum fidem, voluntatem, ingenium, aptitudinem, & alia id genus, non eſſe locutos de æterna Dei electione, & prædeſtinatione, ſed de electione temporali, qua Deus ipſe homo factus, aut etiam Deus ipſe eos elegit, quos ſibi obtemperaturos, & non reſtituros ſuæ vocationi præuidit, & tunc eligit, quando præuidet conſenſuros, quæ electio non eſt prædeſtinatio, ſed ipſius prædeſtinationis effectus: nam inter effectus diuinæ prædeſtinationis præcipuus eſt vocatio congrua, & hoc modo putant interpretandum Chryſoſtomum, & alios Patres.

Verùm etſi negari non poſſit, Chryſoſtomum, & alios nonnunquam loqui de electione, & vocatione temporali, alij tamen ſunt, qui loquuntur de electione æterna, quæ eſt ipſa prædeſtinatio, quod manifeſtè conuincunt verba illa eiuſdem Chryſoſtomi homil. 2. ad Epheſ. *Elegit omnino iuxta delectum, liberúmque propoſitum prædeſtinatos, hoc eſt, prædeſtinauit, quos ſibi ipſi elegerat, iuxta quod nos vidit, antequam in ſortem aſciſceremur.* & illa Ambroſij in 1. cap. ad Romanos, *Illi ſecundum propoſitum vocantur, quos credentes præſciuit Deus, vt antequam crederent, ſcirentur, quos enim præſciuit futuros ſibi deuotos, ipſos elegit ad æterna præmia.* Chryſoſt. Ambroſius.

& illa

Hieron. & illa Hieronymi in cap. 8. eiuſdem epiſtolæ ad Roman. circa ea verba, *quos præſciuit, & prædeſtinauit, conformes fieri imagini filij Dei. Prædeſtinare* (inquit) *idem eſt, quod præſcire. Ergo quos præuidit conformes futuros in vita, voluit, vt fierent conformes in gloria.* & in epiſtolam ad Galatas c. 1. circa illa verba, *Cùm autem placuit ei, qui me ſegregauit*, &c. vbi ait: *Ex Dei præſcientia euenit, vt quem ſcit iuſtum futurum, prius diligat, quàm oriatur ex vtero, & quem peccatorem, oderit antequam peccet.* Plura alia afferri poſſent ex his, & aliis Patribus, ad oſtendendum, illos loqui non ſolùm de electione, & vocatione temporali, ſed de electione æterna, antequã homo oriatur ex vtero, quam ipſis terminis æternæ electionis, & prædeſtinationis illi appellãt. vnde hic modus dicendi, vt liberè fatear, mihi non probatur.

D. Thom. Præter quod ſi verum eſt, quod ait D. Thom. 1. part. q. 23. art. 5. in argumento ſed contrà, quod, vt dixi, ſumptum eſt ex Auguſtino lib. de Prædeſt. Sanctorum cap. 10. Deum, ſicut in tempore ſaluos nos facit, ita ab æterno prædeſtinaſſe nos ſaluos fieri, ſi in tempore eligit bonum vſum liberi arbitrij, fidem, aptitudinem, ingenium, (de iis loquor, quæ primam gratiam præcedunt) etiam ab æterno hæc eadem in nos prædeſtinando elegit. quare iſta diſtinctio de electione æterna, & temporali non videtur ſufficiens ad autoritates Patrum legitimè interpretandas.

IV. Tertius modus dicendi eſt, hos Patres loqui de prædeſtinatione æterna ad gratiam. ſed diſtinguẽdum eſſe de duplici cauſa prædeſtinationis, alia poſitiua, alia negatiua. ſiue, quod in idem recidit, bonum vſum liberi arbitrij dupliciter poſſe conſiderari, vno modo poſitiuè, ſcilicet quatenus ſuppoſito influxu Dei generali eſt cauſa alicuius effectus: alio modo negatiuè, quatenus idem bonus vſus liberi arbitrij non opponit impedimentum diuinæ gratiæ, aut ſi oppoſitum fuerit, illud remouet, & Deo tale impedimentum remouenti, non obſtat. Dicunt igitur ſecundùm hos Patres, bonum vſum liberi arbitrij, vt præuiſum ab æterno, fuiſſe prædeſtinationis cauſam, & diſcretionis, nõ quidem poſitiuam, quia talis cauſa eſt ſola Dei voluntas, & bonitas, ſed negatiuam, ſeu priuatiuam tantùm. quem modum dicendi putant eſſe ſanum, & Catholicum. & reuera hic modus dicendi videtur fundamentum magnum habere in doctrina

Auguſt. D. Auguſtini epiſtola 105. cùm ait, *Cur autem illum potius, quàm illum liberet, aut non liberet, ſcrutatur, qui poteſt, iudiciorum eius tam magnum profundum: veruntamen caueat præcipitium. Nunquid enim eſt iniquitas apud Deum? abſit. Sed inſcrutabilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius. & in maioribus duntaxat ætatibus dici poteſt, hi noluerunt intelligere, vt bene agerent, hi, quod grauius eſt, intellexerunt, & non obedierunt.* iunctis aliis, quæ habet D. Auguſtinus in lib. ad Articulos ſibi falsò impoſitos ad ſecundum & duodecimum, & Proſper in reſponſione ad Capitula Gallorum reſponſione ſecũda & tertia. Nihilominus licèt hic modus dicendi veram contineat aliquo modo ſententiam, de qua infrà cap. 15. dicetur, tamen bene inſpectus non videtur verus, quia licèt quòd diuina gratia, quæ nobis per ipſam prædeſtinationem præparata eſt, ponat in nobis ſuum effectum, poſſit aſſignari aliqua cauſa ex parte liberi arbitrij: tamen quòd ipſa gratia fuerit ab æterno præparata, huius præparationis, in qua formalis ratio prædeſtinationis ſita eſt, cauſa non videtur ſumi ex bono, vel malo vſu liberi arbitrij: nam licèt in ipſa prima gratia præparanda Deus præſciuerit liberum arbitrium non oppoſiturum obicem eidem gratiæ, tamen ſciuit Deus, ſe potuiſſe aliis non prædeſtinatis talem gratiam præparare, cui illi per ſuum liberum arbitrium non forent oppoſituri impedimentum, & tamen talem gratiam non omnibus præparauit, ſed electis tantùm. Ergo quòd præparauerit gratiam, & vocationem congruam iſtis, & non illis, huius præparationis cauſa fuit ſola Dei voluntas, non autem bonus vſus liberi arbitrij, præuiſus etiam vt cauſa negatiua.

V. Quartus itaque modus dicendi eſt, dictos Patres loqui non de prædeſtinatione ad gratiam, ſed ad gloriam. inferiùs enim ex illorum ſententia oſtendemus, huiuſmodi prædeſtinationem ex præſcientia meritorum factam fuiſſe. ita hos Patres exponit Sixtus Senenſis loco proximè citato: colligitúrque iſta expoſitio ex ipſiſmet Patribus, nimirum Ambroſio in octauum cap. ad Roman. vbi ait, *Quos præſciuit ſibi deuotos futuros, ipſos elegit ad æterna præmia.* Item ex Sedulio in collectaneis epiſtolæ ad Roman. circa illa verba, *his, qui ſecundum propoſitum vocati ſunt ſancti*, vbi ait, *Quos præſciuit futuros deuotos ſibi, ipſos elegit ad promiſſa præmia capeſſenda.* Item ex Auguſtino lib. 1. ad Simplician. q. 2. & lib. de Prædeſt. Dei cap. 3. & ſerm. 7. de verbis Domini, & Proſpero lib. 2. de Vocatione gentium cap. vltimo in fine, ex reſponſionibus ad Capitula Gallorum ad tertium, ex Fulgentio lib. 1. ad Monimum c. 8.

Sixt. Senẽſ. Ambroſ. Sedulius. Auguſt. Proſper. Fulgentius.

Neque obſtat huic expoſitioni, quod ait Vaſquez 1. part. diſp. 89. cap. 4. & 8. & diſp. 91. cap. 9. priſcos Patres locutos non eſſe de electione ad gloriam, quia nullam habuerunt de hac re cum hæreticis diſputandi, aut altercandi occaſionem. Primò, quia neceſſe non eſt, quidquid Patres dixerunt de diuina prædeſtinatione, ſola occaſione cum hæreticis altercandi, aut diſputandi illos dixiſſe. quis enim has illis metas conſtituit? Secundò, quia falſum eſt, non fuiſſe etiam de hac re ſaltem temporibus D. Auguſtini inter Catholicos, & hæreticos diſceptationem. nam Auguſtinus illam ex profeſſo diſputat lib. de Gratia & libero arbitrio cap. 6. 8. & 9. & lib. de Corrept. & gratia cap. 6. & 13. ſiue autem occaſione diſputandi cum hæreticis id dixerint, ſiue alia occaſione, hoc ſufficere debet, illos verè hoc, & verum dixiſſe.

Vaſquez.

VI. Quintus modus, meo iudicio, adhuc conueniẽtior, dictos Patres Catholicè exponendi colligitur ex Chryſoſt. homil. 1. ad Epheſ. Is autem eſt, cùm Patres dicunt, Deum in hominibus prædeſtinandis illorum voluntates, ingenium, fidem, & bonam animi diſpoſitionem reſpexiſſe, non loqui de bono vſu liberi arbitrij in ordine ad primam gratiam præuenientem, ſed ſuppoſita prima ipſa gratia præueniente loqui de bono vſu liberi arbitrij in ordine ad gratiam iuſtificantem. vt ſit ſenſus, Deum, poſtquam luce ſuæ gratiæ hominem præuenit, expectare liberum illius conſenſum, neque prius iuſtificantem gratiam infundere, quàm præuideat eundem conſenſum noſtræ voluntatis. Hoc pacto exponendus eſt Chryſ. vbicunque docet, noſtram voluntatem Deum expectare, vt gratiam ſuam nobis infundat, & nos primos fidẽ ipſi Deo offerre. non enim loquitur de voluntate, omni ſupernaturali auxilio deſtituta: ſed intelligendus eſt, ſuppoſita prima gratia vocante & excitante: illa nanque ſuppoſita, Deus ſine dubio noſtram fidem, & noſtram voluntatem expectat.

Neque

Digitized by Google

Vasquez. Neque obstat, quod obiicit Vasquez, Cassianú fuisse Chrysostomi discipulú, & illum nõ sic magistrum suum intellexisse, neque in hoc sensu testimonium eius allegasse, sed in eo sensu, vt dixerit, bonum vsum nostræ voluntatis præuenire debere etiam ipsam gratiam excitantem. Primò, quia nullum est incõueniens, si dicamus, Cassianum verũ sensum Chrysostomi assecutum minimè fuisse. Secundò, quia nullum etiam est inconueniens, eundẽ Cassianum ex industria verba Magistri extorquere voluisse ad suos errores confirmandos, cùm id quotidie fieri videamus ab hæreticis, qui non solùm autoritates Patrum, sed etiam diuinæ Scripturæ ad sensus falsos, & nunquam intentos ab autoribus detorquent. An dicendum est, eum non esse verum, & legitimum sensum diuinarum Scripturarum, quem nos Catholici in illis agnoscimus, quia hæretici non eodem modo ipsas diuinas Scripturas, vt nos, interpretantur? An quia Caluinitæ nunc D. Augustinum siniſtrè interpretantur, vt specie defendendæ diuinæ gratiæ liberum arbitrium nostrum sustulerit, dicendum est, Augustinum rectam fidem de libero arbitrio minimè tenuisse? An quia idemmet Cassianus Augustinum ipsimet Augustino obiiciebat, credendum est, Augustinum fuisse in eo errore, quem illi Cassianus imponebat?

VII. Sextus, & vltimus modus eosdem Patres, maximè Chrysostomum interpretandi est, vt dicamus, cùm illi docent, nos debere Dei beneficia præuenire, & Deum nostras voluntates expectare, non loqui de humana voluntate comparatione quoruncunque Dei beneficiorum: sed solùm comparatione illorum beneficiorum, quæ Deus non nisi à nobis exoratus, & media oratione vult nobis conferre. & loquuntur Patres ad eum modum, qùo & Saluator ipse loquitur, cùm ait, *Quærite, & inuenietis, petite & accipietis, pulsate & aperietur vobis.* & cùm hortatur nos, vt perseuerantes in oratione simus, atque importuni. erat enim mens Sanctorum Patrum, nos hortari ad orandum, & in ipsa oratione perseuerandum. Atque hoc pacto exponendos esse plerosque dictorum Patrum, euidenter conuincitur ex eo, quoniam Chrys. in locis allegatis ex hom. 32. in Mat. & item homil. 21. ex aliis homiliis 54. in Matth. & Gregor. Naz. in illa oratione 31. hortabantur ad orationem, & ad perseuerantiam in orando, exponentes illa verba Euangelij, *Petite & accipietis.* & illa, *Non omnes capiunt verbum istud.* & eodem modo loquuntur Hilarius in Psal. 118. circa illa verba, *Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternum propter retributionem.* & Prosper in lib. contrà Collatorem cap. 12. Iam autem satis puto constare, absque eo, quòd dicamus, illos Patres per inaduertentiam in errorem lapsos, illos posse legitimè, & catholicè interpretari. & ex his solutum sit primum argumentum sumptum ex autoritate Patrum.

Chrysost. Greg. Naz. Hilarius. Prosper.

CAPVT XIII.

Alia quædam argumenta contra eandem veritatem ex autoritate Theologorum Scholasticorum desumpta afferuntur, & soluuntur.

I. SEcundum argumentum contra eandem veritatem gratuitæ prædestinationis videtur sumi posse ex autoritate omnium Scholasticorum, qui fuerunt in Ecclesia Catholica ab annis quadringentis, & supra, illi nanque omnes, vt suprà c. 10. visum est, constituunt aliquam causam diuinæ prædestinationis in eo, qui prædestinatur, & ex parte illius, quanuis non audeant illam vocare causam meritoriam de condigno, sed aut vocant meritoriam de congruo, aut causam dispositiuam, aut causam, aut conditionem sine qua non. Ex isto verò communi consensu Scholasticorum sumitur argumentum firmum, & demonstratiuum, vt latè probat Melchior Cano de locis Theologicis lib. 8. & præter ea, quæ ibi ille autor adducit ad probandum, quòd communis Theologorum consensus faciat argumentum Theologicum demonstratiuum, in subiecta materia probare hoc possumus, quia populi id credunt, quod illorum Episcopi, & Parochi docent esse credendum; illi autem docent, quod ex Theologis accipiunt. Si ergo omnes Scholastici à quadringentis annis, & citra fuerunt in errore Massilienſium, oportet dicere, etiam Episcopos, & Parochos, & populos, & totam Ecclesiam per quadringentos annos, & ampliùs errasse circa doctrinam fidei, quod omnino non est asserendum, Domino dicente Petro, *Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua.* & *Ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi.* Si autem non errauerunt Scholastici, erronea est nostra assertio.

Melchior Cano.

Ad hoc argumentum nonnulli admittunt liberè, Scholasticos per inaduertentiam lapsos fuisse in errorem Massilienſium. ita sentit Vasquez dicta disp. 91. cap. 10. & 12. Hæc tamen videtur nimis dura esse censura, propter instantiam factam in argumento, & propter reuerentiam, quæ eisdem Theologis debetur. Vnde videtur mihi distinctione opus esse, vel enim hi Doctores ponunt causam prædestinationis in bono vsu liberi arbitrij, qui antecedit primam gratiam, vel in bono vsu, qui sequitur ipsam primam gratiam. Et quidem si aliqui sint, qui ponant causam prædestinationis in bono vsu præcedente primam gratiam, mihi etiam videtur, illos non posse vllo pacto ab errore Massilienſium excusari, propter ea, quæ dicto cap. 10. & etiam cap. 11. tradidimus: sed paucos admodum reperiemus Theologos, qui hoc modo ponant causam prædestinationis in bono vsu liberi arbitrij, solùm nanque reperiemus Durandum, Argentinensem, Iauellum, & alios paucos similis notæ. nam de D. Thom. Bonauent. Alexand. Alensi, Gabriele, & aliis certum est, illos oppositum potiùs sentire, & expressè docere. docent nanque hominem posse quidem se disponere ad gratiam iustificantem per vires liberi arbitrij, si tamen ipsum liberum arbitrium præueniatur auxilio gratiæ excitantis. Si autem loquamur de illis, qui constituunt causam prædestinationis in bono vsu liberi arbitrij ipsam gratiam præueniẽtem subsequente, illi errant quidem in Theologia, quatenus non veram causam assignant pro vera causa, & ordinem causalitatis inuertendo constituunt pro causa prædestinationis, quod est eiusdem prędestinationis effectus, non tamen errant in fide, neque labuntur in errorem Massilienſium, vt diximus dicto c. 10.

Vasquez.

Respondetur itaque ad argumentum, falsum esse, quod assumitur, omnes Scholasticos à quadringentis annis citrà, sensisse, dari causam prædestinationis nostræ ex parte boni vsus liberi nostri arbitrij. nam si qui fuerunt, quia ita senserint, illi pauci admodum fuerunt, neque granioris notæ.

Tertium

II. Tertium argumentum contra eandem veritatem ſumi poteſt ex illo communi axiomate apud Theologos. Homini facienti, quod in ſe eſt, Deus non denegat ſuam gratiam. In quo axiomate conſenſiſſe omnes Theologos tam antiquos, quàm recentiores ab annis quadringentis, & citrà, oſtenditur ex illorum teſtimoniis, quæ diffusè citant Suarez lib. 2. de Prædeſtinatione cap. 9. & 18. Vaſquez dicta diſp. 91. cap. 10. & 12. & nouiſſimè Leſſius in diſp. Apologetica cap. 10. ad quos remitto. Vnum tantùm referam D. Thom. cuius autoritas omitti non debet, ille nanque de veritate q. 14. art. 11. ad primum docet, quòd ſi aliquis nutritus in ſyluis ductum rationis naturalis ſequeretur, in appetitu boni, & fuga mali, certiſſimè Deus illi reuelaret, quæ ſunt credenda, vel per internam inſpirationem, & illuminationem, vel aliquem fidei præconem ad illum dirigendo, ſicut miſit Petrum Apoſtolum ad Cornelium, & in 1. 2. quæſt. 89. art. 6. dicit, quòd cùm primùm homo peruenit ad vſum rationis, tenetur conuertere ſe ad Deum, ordinando ſeipſum ad debitum finem: quod ſi effecerit, conſequetur remiſſionem peccati originalis, per diuinam gratiam. & ſi id non effecerit, peccabit mortaliter, & damnabitur. & lib. 3. Contra Gentes cap. 159. docet, in poteſtate hominis poſitum eſſe Dei gratiam impedire, vel non impedire, & ſi illam non impediat, infallibiliter fore illam recepturum: ſi autem illam impedierit, ſua culpa eadem gratia priuari, & eos ſolos diuina gratia priuari, qui in ſeipſis gratiæ impedimentum præſtant. Quam doctrinam tradit etiam in 2. d. 5. q. 2. art. 1. & d. 28. art. 4. neque illam in Summa vnquam retractauit, quidquid dicat Caietanus. Ex hoc autem axiomate colligitur, dari cauſam prædeſtinationis etiam ad primam gratiam ex parte prædeſtinati. Quia eo modo Deus ab æterno gratiam prædeſtinauit, quo pacto illam in tempore confert: ſed in tempore datur cauſa, ob quam Deus confert homini primam gratiam, nempe conatus liberi arbitrij. Ergo.

Suarez. Vaſquez. Leſſius. D. Thom.

Huic argumento nonnulli reſpondentes, liberè concedunt, illud commune axioma Theologorum pertinere ad errorem Semipelagianorum. Et ita reſpondet Vaſquez dicta diſp. 91. cap. 10. & 12. Excipit tamen ab hoc errore D. Thomam, Alexãd. Alenſem, Altiſiodorenſem, & alios paucos. putat enim D. Thomam iſtam ſententiam retractaſſe in 1. 2. q. 109. art. 6. & q. 112. art. 2. & 3. quia in illis locis docet, hominem per vires liberi arbitrij non poſſe elicere vllum actum, qui ſit ſufficiens præparatio ad gratiam, & illam propoſitionem, facienti, quod in ſe eſt, Deus non denegat ſuam gratiam, intelligendam eſſe de eo, qui facit, quod in ſe eſt, non per ſolas vires naturæ, ſed per auxilium diuinæ gratiæ præuenientis, & eodem modo putat loqui Alexandrum, & alios.

Vaſquez.

Hæc tamen nimia videtur cenſura, neque admittenda. Primò, quia ſequeretur, totam Eccleſiam per annos quadringentos, & ampliùs in errore circa fidem fuiſſe. Secundò, quia primi, qui hanc propoſitionem, ſiue (vt Caluinianis verbis vtar) iſtud Okamicum axioma cœperunt vocare errorem Pelagianorum, fuerunt Lutherus in defenſione articuli 36. per Leonem Sextum damnati, & Caluinus lib. 2. Inſtitut. cap. 3. quod eſt indicium, ante hos hæreticos nullum Catholicum hanc propoſitionem ſuſpectam habuiſſe, ne dicam pro erronea. Tertiò, quia cùm Doctores poſſimus, pie, & Catholice interpretari, charitas, & religio ſuadet, ſic eſſe interpretandos: illi autem pie, & Catholicè poſſunt interpretari, & intelligi, vt ſtatim oſtendemus.

Lutherus. Caluinus.

III. Primus nanque modus hoc Theologicum axioma catholicè interpretandi eſt, vt illud ſic intelligamus, quòd facienti, quod in ſe eſt, quando præuenitur per auxilium gratiæ excitantis, Deus non denegat gratiam iuſtificantem. hoc modo propoſitionem hanc exponit D. Thomas 1. 2. quæſt. 89. art. 6. ait enim, quòd cùm primùm homo peruenerit ad vſum rationis, tenetur ſe ordinare in ſuum finem, quod ſi faciat, Deus infundet illi gratiam iuſtificantem: ſi autem non faciat, peccabit mortaliter, ſupponit en m ibi D. Thomas, hominem ſtatim, vt peruenerit ad vſum rationis, præueniri à Deo per auxilium ſupernaturale ſuæ gratiæ excitantis: aliàs cogeretur dicere, hominem per ſolas vires naturæ poſſe ſeipſum præparare a l gratiam præparatione, ad quam neceſſariò ſequatur gratia: aut non peccare, non ſe diſponendo a l ipſam gratiam. Eodem modo eandem propoſitio nem intelligit quæſt. 109. art. 6. in corpore, & ad ſecundum, & quæſt. 112. art. 2. & 3. Contra Gentes cap. 159. dum ait, eos ſolos à Deo non illuminari, qui oculos claudunt diuino lumini, & eos ſolos gratiam non recipere, qui illi impedimentum opponunt. Supponit quippe hic modus dicendi, Deum ad ianuam cordis noſtri ſemper ſtare, & nullum eſſe, qui lumine diuinæ gratiæ non præueniatur. Eodem modo intelligendus eſt locus D. Thomæ allegatus ex quæſt. 14. de veritate, cùm ibi ponat exemplum in Cornelio Centurione, quem conſtat, antequam Petrus Apoſtolus ad illum mitteretur, iam lumine diuinæ gratiæ illuſtratum fuiſſe, cùm dicat textus in Actis Apoſtolorum, fuiſſe illius orationes à Deo exauditas. Hoc autem modo intellecta iſta propoſitio non ſolùm non pertinet ad errorem Semipelagianorum, ſed eſt doctrina pia, & Catholica. nam ſiue homo per auxilium gratiæ præuenientis poſſit de congruo mereri gratiam iuſtificantem, vt nonnulli putant, quibus aliquo modo videtur fauere Auguſtinus in epiſtola 105. ſiue illa abſque vllo merito detur ei, qui per gratiam præuenientem eſt ſufficienter præparatus, hoc nihil refert, ſufficit nanque quòd facienti, quod in ſe eſt per auxilium gratiæ præuenientis, Deus non denegat gratiam iuſtificantem.

D. Thom. Auguſtin.

Et licèt nonnulli recentiores Theologi diſtinguant de duplici auxilio, alio ſufficienti, alio efficaci, & dicant, quòd facienti quod in ſe eſt per auxilium gratiæ ſufficientis non datur certò, & infallibiliter gratia iuſtificans, id tamen ſine vllo fundamento vel etiam in ſpecie probabili videntur affirmare: quia Deus eo fine nos excitat per auxilium gratiæ præuenientis, vt ſi conſentiamus, det nobis gratiam iuſtificantem, nullo enim alio fine fingere poſſumus illum nos excitare. Dicere verò Deum, poſtquam hominem ſufficienter excitauit, & poſtquam homo per diuinam gratiam excitatus eſt ſufficienter diſpoſitus, & fecit totum, quod in ſe erat, vt ſe diſponeret, non ſtatim dare illi gratiam iuſtificantem, ſed aut nunquam dare, aut aliquando ſic, aliquando autem non dare, videtur mihi, ſalua pace ſic dicendo, eſſe dictum omnino voluntarium. quod ſi Philoſophus infidelis audiret, timeo ne irrideret nos, & Deum noſtrum.

IV. Sed dicunt nõnulli, non eſſe vllam legem diuinam

nam, quòd facienti, quod in ſe eſt per auxilium gratiæ ſufficientis, detur gratia iuſtificans.

Reſpondeo, ſi nulla eſt talis lex, me intelligere non poſſe, quid ſibi velit Deus in illis verbis apud Iſaiam cap. 30. *Expectat Dominus, vt miſereatur veſtri.* & in illis apud Zachariam cap. 1. *Convertimini ad me, ait Dominus, & ego convertar ad vos, dicit Dominus.* & in illis apud Ezechiel. cap. 33. *Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, ſed vt convertatur impius à via ſua, & vivat. Convertimini à viis veſtris peſſimis, & quare moriemini domus Iſrael?* & in illis apud Apocalyp. 3. *Ego ſto ad oſtium, & pulſo.* & aliis id genus ſexcentis, quæ paſſim occurrunt in diuina Scriptura.

Dicetur, lex facit meritum. Ergo ſi eſt lex, quòd facienti, quod in ſe eſt per auxilium gratiæ prævenientis, detur gratia iuſtificans, illa cadet ſub merito.

Reſpondeo, hanc inſtantiam tam habere locũ in eo, qui facit quod in ſe eſt per auxilium efficax, quàm in eo, qui facit, quod in ſe eſt per auxilium ſufficiens. Dico igitur, quòd non omnis lex facit actum, qui lege præcipitur eſſe meritorium. eſt enim lex quòd non detur gratia iuſtificans, niſi homo conſentiat gratiæ prævenienti, & tamen conſenſus liberi arbitrij non eſt meritorius eiuſdem gratiæ: nam ad hoc, vt aliquis actus ſit meritorius, non ſufficit, vt procedat ex quacunque gratia, ſed oportet, vt procedat ex gratia gratum faciente, vt docent Theologi poſt D. Thom. 1. 2. q. 114. D. Thom.

V. Dicetur tandem, nos in hoc noſtro diſcurſu vnum falſum pro vero ſupponere, nimirum hominem ſemper præſtò habere diuinum auxilium ſufficiens, & ſemper tali auxilio à Deo prævenire, quod tamen vel ipſa experientia docente falſum eſſe comprobatur. quis enim eſt, qui ſemper in ſeipſo ſentiat diuinam vocationem, illuſtrationem, & pulſationem? maximè quando ludit, comedit, & alia peragit ſæcularia negotia.

Reſpondeo, hominem ſemper præſtò habere diuinum auxilium excitans, & ſemper ab illo, & per illud à Deo prævenire, duobus modis intelligi poſſe, vno modo in actu formali: alio modo in actu virtuali. Primo modo non eſt verum, hominem ſemper à Deo ſuis illuſtrationibus prævenire, & pulſari auxilio prævenientis gratiæ, vt experientia ſatis nos docet. Secundo autem modo veriſſimum id eſſe puto. Quemadmodum enim in naturæ ordine quidam ſunt actus, qui licèt tranſeant formaliter, manent tamen virtute per aliquod temporis ſpatium, vt ſunt iactus lapidis, & impulſus rotæ currentis, & alij ſimiles: ita in ordine ſupernaturali quidam ſunt actus, qui licèt tranſeant formaliter, manent tamen per aliquod temporis ſpatium ſecundùm virtutem, qualis eſt actus intentionis, quo miniſter Sacramentum aliquod perficere intendit. Et eodem modo diuinæ impulſiones, & illuſtrationes licèt aliquando non maneant in actu formali, quatenus homo non aduertit formaliter, ſe excitari, aut pulſari per diuinam inſpirationem, manent tamen virtualiter, ita vt quotieſcunque ab obiectis diſtrahentibus diuertens animum, & in ſe ipſum reuerſus, ſe à Deo moueri permiſerit, ſtatim diuinam ſentiat inſpirationem, & paratum inueniat diuinum adiutorium, quemadmodum homo exiſtens in peccato mortali per habitum fidei, & ſpei, ſeipſum poteſt excitare ad dolendum de peccatis dolore, qui accedente Sacramento Pœnitentiæ ſufficit ad obtinendam veniam, & remiſſionem peccatorum, vt dicit Concil. Trid. ſeſſ. 6. de iuſtificatione cap. 6. & ſeſſ. 14. de Contritione c. 3. Conc. Trid.

VI. Eſt alius modus, ſecundùm quem nonnulli eãdem propoſitionem: Deus facienti quod in ſe eſt ex viribus naturæ, non denegat ſuam gratiam, nituntur catholicè interpretari. Dicunt enim, iſtud commune Theologorum axioma verũ eſſe, adhibita tamen triplici limitatione. Prima eſt, vt cùm dicitur, quòd facienti, quod in ſe eſt per vires naturæ, Deus non denegat gratiam, nomine virium naturæ non excludatur quodcunque diuinum auxilium, quod licèt non ſit ordinis ſupernaturalis quoad ſubſtantiam, ſit tamen ordinis ſupernaturalis ex ſpeciali Dei prouidentia, & ordinatione, ſiue vt clariùs loquamur, cùm dicitur, facienti, quod in ſe eſt, ex viribus naturæ, Deus nõ denegat ſuã gratiã, iſta propoſitio erit vera, ſi nomine auxiliorum naturalium intelligamus etiam quædam diuina auxilia, quæ licèt ſint ordinis naturalis quoad illorum ſubſtantiam, ſunt tamen ordinis ſupernaturalis, quatenus per ſpecialem Dei prouidentiam ſupernaturalem ſunt ordinata ad hominis ſalutem. vnde & reputantur inter effectus diuinæ prædeſtinationis, cuiuſmodi ſunt nonnũquam repentinę calamitates, bona parentum educatio, optima indoles, & alia, de quibus dictum eſt ſuprà c. 2. illa nanque etſi quoad ſubſtantiam ſint ordinis naturalis, & quodammodo ipſi naturæ debita, tamen ex diuina directione, qua Deus illa confert hîc, & nunc, vt per ea remoueantur à nobis impedimenta noſtræ ſalutis, & nos dirigamur in finem ſupernaturalem, ſunt auxilia ſupernaturalia, & à D. Auguſtino, & D. Thom. & aliis Theologis ponuntur inter effectus diuinæ prædeſtinationis. Hæc limitatio colligitur ex D. Thoma in 1. d. 5. quæſt. 2. art. 1. vbi ita ait, *Sed iſtam gratiam ponere non videtur neceſſarium, niſi ipſa libertas arbitrij gratia dicatur: vel aliqua occaſiones, quæ quandoque dantur hominibus à Deo ad conuerſionem, vt inſtructio legis, & caſtigatio ad humilitatem, & alia huiuſmodi.* quanuis alio etiam modo ibi putet, eandem propoſitionem poſſe verificari, de quo ſtatim dicetur. D. Thom.

Secunda limitatio eſt, vt cùm dicimus, quòd facienti, quod in ſe eſt, Deus non denegat ſuam gratiam, non ſit ſenſus, quòd facienti, quod in ſe eſt ex viribus naturæ, detur ſtatim fides, aut aliud auxilium ita certum, & efficax, vt ad illud ſequatur immediatè gratia gratum faciens, ſed ſit ſenſus, quòd facienti, quod in ſe eſt, detur aliquod ſupernaturale auxilium, quo ſi benè vtatur, adhuc maius auxilium detur, & ſic deinceps, vſque quo tandem conferatur illi gratia gratum faciens.

Tertia limitatio eiuſdem propoſitionis eſt, vt facienti, quod in ſe eſt, detur ſupernaturale auxilium gratiæ prævenientis, non quidem tanquam debitum illi conatui, neque quòd talis conatus ſit diſpoſitio proportionata propinqua, & neceſſitans ad talem gratiam, ſed ex mera, & ſola Dei miſericordia, qui paratus ſemper eſt omnibus non ponentibus obicem conferre auxilia ad ſalutem neceſſaria, & illos ad vitam æternam perducere, & ex infinitis Chriſti meritis, qui cùm paſſus ſit pro ſalute totius mundi, omnibus hominibus gratiam, & merita ſua exoptat, & vt vitam habeant, ita vt totus ille conatus hominis facientis, quod in ſe eſt, aliud ſit nihil, niſi remotio

tio quædam impedimentorum, quæ diuinæ gratiæ opponit ille, qui male vtitur bonis naturæ, & ſuo libero arbitrio.

VII. His autem limitationibus adiunctis iſta propoſitio nullo modo videtur ad errorem Maſſilienſium pertinere, quod probatur primò, quia cùm illi dicebant, homini facienti quod in ſe eſt, dari gratiam, loquebantur de homine faciente, quod in ſe eſt per ſolas vires naturæ, excluſis omnibus auxiliis ſupernaturalibus non ſolùm ſecundùm illorum ſubſtantiam, ſed etiam ex diuina ordinatione, & directione. Dicebant enim, ad bonum inchoandum ſufficere naturam liberi arbitrij dono creationis acceptam, vt colligitur ex illorum propoſitione nona, decima & vndecima ex D. Proſpero recitata ſuprà cap. 9. vel ſi præter arbitrij libertatem aliquod diuinum auxilium ſecundùm illos requirebatur ad gratiam iuſtificantem obtinendam, illud nullum aliud erat, niſi externa legis, & Euangelij propoſitio per prædicationem, vt colligitur ex propoſitione vndecima. & ne quis putet, nos de noſtro cerebro hæc commentari, audiat Proſperum, & Hilarium de illorum erroribus ad Auguſtinum ſcribentes. D. Proſper ita ait: *Quidam verò horum in tantum à Pelagianis ſemitis non declinant, vt cùm ad confitendam eam Chriſti gratiam, qua omnia præuenit merita humana, cogantur, ne ſi meritis redditur, fruſtrà gratia nominetur, ad conditionem hanc velint vniuſcuiuſque hominis pertinere, in qua cum nihil prius merentem, quia nec exiſtentem liberi arbitrij, & rationalis gratia creatoris inſtituat, vt per diſcretionem boni, & mali, & ad cognitionem Dei, & ad obedientiam mandatorum eius poſſit ſuam dirigere voluntatem. vsque ad hanc gratiam, qua in Chriſto renaſcimur, peruenire per naturalem ſcilicet facultatem petendo, quærendo, pulſando. Et ideo accipiat, ideo inueniat, ideo introeat, quia bono naturæ bene vſus eſt, & ad iſtam ſaluantem gratiam initialis gratia ope meruerit peruenire.* D. Hilarius de eiſdem ita ſcribit: *Conſentiunt omnem hominem in Adam periiſſe, nec inde quenquam poſſe proprio arbitrio liberari: ſed id inconuenienti aſſerunt veritati, vt cùm proſtratis, & nunquam ſua virtute ſurrecturis annuntiatur obtinendæ ſalutis occaſio, eo merito, quo voluerint, & crediderint, à ſuo morbo ſe poſſe ſanari, & ipſius fidei augmentum, & totius ſalutis ſuæ conſequantur effectum.*

Proſper.

Hilarius.

Secundò probatur, eandem propoſitionem ſic limitatam non pertinere ad errorem Maſſilienſium, quia illi dicebant hominem per vires naturæ tantum poſſe ad bonum, quantum ad malum. vnde cùm ad malum poſſit ſine vllo ſupernaturali auxilio, etiam ad bonum abſque ſupernaturali auxilio, fatebantur illum ſe poſſe mouere. Ita colligitur ex propoſitione trigeſima, quæ ad verbum ex Proſpero eſt tranſcripta.

Tertiò, quia illi dicebant, hominem ſine auxilio ſpecialis prouidentiæ poſſe omnes Diaboli tentationes vincere. Ita dicebat Caſſianus collatione 13. cap. 14. & ita de illo refert Proſper in lib. aduersùs Collatorem cap. 32. immo dicebat Caſſianus ſanctum Iobum multiplices illas Diaboli tentationes ſolis naturæ viribus viciſſe, & ad hoc ſolum ſupernaturali Dei auxilio indiguiſſe, ne violentiſſimus inimicus animam eius ſenſu amentem, & impotentem faceret. Nihil autem horum errorum docent Scholaſtici Theologi.

Caſſian. Proſper.

Quartò, quia Semipelagiani dicebant, facienti, quod in ſe eſt, ex viribus naturæ, dari immediatè gratiam iuſtificantem. illi nanque nullum aliud ſupernaturale auxilium præueniens putabant neceſſarium eſſe, ad iuſtificationem, ſed dicebant, primam gratiam, quæ datur facienti, quod in ſe eſt, ex viribus naturæ, eſſe gratiam iuſtificantem, vt colligitur ex illorum propoſitionibus 18. 19. 21. 22. 26. 27. 28. & ex Concil. Araſicano II. in quo illorum errores fuerunt damnati. can. 3. 4. 5. & 6. & ex Concil. Trident. quod illius decreta renouauit ſeſſ. 6. de Iuſtificat. canon. 3. quod Scholaſtici Theologi non dicunt.

Conc. Ar.

Conc. Trid.

Quintò, quia Semipelagiani dicebant, conatum liberi arbitrij ex ſolis naturæ viribus elicitum, eſſe diſpoſitionem neceſſariò requiſitam ad iuſtificationis gratiam obtinendam, immo eſſe diſpoſitionem de lege Dei neceſſariam, immediatam, & infallibilem ad ipſam gratiam, quam Deus ex nobis expectat, & exigit, qua poſita ponitur gratia, & ablata aufertur. Ita euidenter colligitur ex dictis propoſitionibus, & ex eiſdem Conciliis Araſicano, & Tridentino, cùm damnant eos, qui dicunt, Deum expectare noſtram voluntatem, vt à peccato purgari velimus, & qui dicunt, diuinam gratiam dari ad humanam inuocationem, & hominem ſine præuenienti Spiritus ſancti auxilio poſſe credere, ſperare, diligere, vt ei iuſtificationis gratia conferatur. Quod ſimiliter iſti Theologi non docent. vnde apparet, latiſſimum eſſe diſcrimen inter ſenſum huius propoſitionis intentum à Semipelagianis, & illum, quem intendunt Doctores Catholici.

VIII. Neque contra hanc doctrinam obſtat, quòd Caſſianus aliquando dixerit, diuinam gratiam nonnunquam noſtras voluntates præuenire. Si nanque hoc dixit, non eſt ex hoc reprehenſione dignus, præter quod quanuis hoc dixerit, ad ſententiam occultandam, alibi tamen docuit, noſtrum conatum regulariter diuinam gratiam debere præuenire, & ipſam gratiam dari quærentibus, & pulſantibus nobis. Et idemmet Caſſianus collatione 13. cap. 11. in principio dicit, ipſam gratiam præuenientem dari propter opus factum ex viribus naturæ, quatenus in homine per vires naturæ inchoatur boni deſiderium, quod etiam adnotauit Proſper lib. Contra Collatorem cap. 6.

Caſſian.

Proſper.

Neque verum eſt, quod ait Vaſquez 1. p. diſp. 89. c. 5. in nullo antiquo autore reperiri, Maſſilienſes docuiſſe, gratiam Dei infallibiliter dari incipientibus nobis. id enim falſum eſſe oſtendunt tum propoſitiones ipſæ Maſſilienſium ex epiſtolis Proſperi, & Hilarij dicto c. 9. excerptæ: tum canones Concilij Tridentini, & Araſicani, in quibus errores illorum fuerunt damnati. quid enim aliud dicere voluit Proſper in illis verbis, quæ habet in dicta epiſtola: *Hæc enim ipſorum definitio eſt, neminem per opera ſua, ſed per Dei gratiam regenerationem ſaluari: vniuerſis tamen hominibus propitiationem, quæ eſt in Sacramento ſanguinis Chriſti, ſine exceptione eſſe propoſitam, vt quicunque ad fidem, & ad baptiſmum accedere voluerint, ſalui eſſe poſſint.*

Vaſquez.

Neque tandem obſtat, quòd idem Caſſianus dixerit,

xerit, homini facienti, quod in ſe eſt, ex viribus naturæ, dari diuinam gratiam non ex merito, ſed ſolùm ex diuina miſericordia. Primò, quia idem Caſſianus licet hoc dixerit ad ſententiam occultandam, tamen docuit, hominem per huiuſmodi conatum diuinã gratiam mereri ſaltẽ de congruo,
Proſper. vt docet Proſper in lib. contra ipſum Collatorem cap. 6. vbi in hoc ſenſu illius doctrinam impugnat, quod tamen Theologi Scholaſtici non docuerunt. Secundò, quia Caſſianus docuit, iſtum conatum eſſe diſpoſitionem neceſſariam, immediatam, & infallibilem ad gratiam iuſtificantem, quod iſti Theologi minimè docuerunt. Ex his apparet, ſententiam iſtam Theologorum de homine faciente, quod in ſe eſt, plurimum diſtare à ſententia Semipelagianorum.

IX. Addo iſtam propoſitionem ſic declaratam non ſolùm videri mihi nullo modo ad errorem Semipelagianorum attinere, ſed eſſe alioqui veritati & pietati valde conſentaneam. Primò, quia ſi Deus iis, qui donis naturæ abutuntur, non ceſſat bonas inſpirationes, & ſtudium recti, & iuſti immittere, vt à peccatis reſipiſcant, quanto rationabilius eſt credere, illum ſupernaturalibus auxiliis præuenire eos, qui omnem conatum adhibent, vt ſeruent legitimè ius naturæ. Secundò, quia Apoſtolus dicit ad Roman. cap. 1. iuſtè punitos fuiſſe à Deo Gentiles Philoſophos, quia cùm ex rebus viſibilibus Deum cognouiſſent, non ſicut Deum glorificauerunt, aut ei gratias egerunt. Cùm igitur Deus magis pronus ſit ad miſerendum, quàm ad vlciſcendum, ſi eos punit, qui donis naturæ abuntur, quanto rationabilius eſt credere, eum immittere inſpirationem boni eis, qui donis naturæ bene vti conantur?

Quòd autem Scholaſtici hanc propoſitionem cum iſtis limitationibus aſſeruerint, atque docue-
D. Thom. rint, colligitur primò ex D. Thoma in 2. d. 28. art. 4. vbi dicit: *Gratia dupliciter accipi poteſt, vel pro quocunque excitatiuo voluntatis exhibito homini à diuina prouidentia, qua omnibus rebus impendit ex ſua bonitate ea, quæ ipſis conueniunt; vel aliquod donum habituale in anima receptum. Si primo modo accipiatur, nulli dubium eſt, quod homo ſine gratia Dei non poteſt ſe præparare ad habendam gratiam gratum facientem.* Secundò colligitur ex D. Bonauentura ibid.
D. Bonau. a. 2. q. 1. vbi dicit, quòd vix, aut nunquam liberum arbitrium deſtituitur gratia gratis data, per quam ſe poteſt aliquando ad gratiam diſponere. Item
Richard. ex Richardo ibid. a. 1. q. 2. vbi dicit, quòd bonus conatus liberi arbitrij ordinis naturalis eſt ſolùm diſpoſitio remota, & indirecta ad gratiam. Item
Albert. ex Alberto ibid. art. 1. ad quartum vbi dicit, quòd in nobis aliquid eſt facere, quo facto habemus poteſtatem ex gratia. Hoc autem eſt facere, quod in nobis eſt: quia ſi hoc fecerimus, Deus ineuitabiliter dabit gratiam. Quia ipſe vno modo ſemper ſe habet ad nos, ſcilicet gratiam porrigendo: ſed nos non vno modo habemus nos ad Deum, quando auertimur. Sed ſi conuertimur faciendo, quod in nobis eſt, ſtatim illam accipimus. Idem colli-
Vega. gimus ex Andrea Vega lib. 13. de Iuſtificat. c. 12. vbi ait, eum, qui bene vtitur naturalibus, à Deo, qui nemini deeſt, facienti quod in ſe eſt, auxiliũ præſtari ſine dubio ſufficiens, ad obtinenda bona
Taper. ſupernaturalia. Idem euidentiſſimè docet Ruardus Taper 2. 7. §. *Doctores verò Scholaſtici.* vbi ad longum ſenſum huius propoſitionis à Scholaſticis intentum declarat.

X. Verùm contra hanc doctrinam videntur militare nonnullæ autoritates, quibus recens quidam autor nititur reprobare ſententiam, quæ aſſerit, quòd propter eleemoſynas, & alia opera moraliter bona facta ab exiſtente in peccato mortali, Deus conferat vni magis, quàm alteri auxilium gratiæ ſecundùm legem ordinariam, vel citiùs adiuuet illum. putat enim hanc ſententiam eſſe cõtra D. Auguſtinum lib. 2. ad Simplic. q. 2. circa finem, & contra D. Proſperum in lib. contra Collatorem c. 6. & 37.

Reſpondeo (quidquid ſit de illa ſententia, de qua modò diſputandum non eſt, quanuis ſi nudè prædicetur populis, Deum propter eleemoſynas, & alia bona opera facta ab exiſtente in peccato mortali non magis conferre auxilium ſuæ gratiæ, neque citiùs adiuuare eum, qui hæc facit, quàm qui non facit, neſcio quomodo non ſit euertendum ſtudium bonorum operum apud illos, qui degunt in peccato mortali: quomodo etiam non vanè exhortemur eos, qui in peccatis viuunt, vt nihilominus pietatis opera minimè intermittãt) mentẽ Aug. & Proſperi fuiſſe, cõfutare ſententiã illã Maſſilienſium in ſenſu ab illis intẽto, qui erat, quòd facienti quod in ſe eſt, ex viribus naturæ, detur infallibiliter gratia, quia conatus ille ex viribus naturæ ex lege Dei ordinaria ſit diſpoſitio certa, infallibilis, immediata, & neceſſariò prærequiſita ad conferendam gratiam gratum facientem. quæ ſententia eſt falſa, & erronea. Et contra ſenſum huius propoſitionis ita à Maſſilienſibus intentum Auguſtinus, & Proſper docent, Deum dare ſua dona quibus vult, & quando vult. Non autem fuiſſe mentem Auguſtini, aut Proſperi negare, quòd facienti, quod in ſe eſt ex viribus naturæ, Deus pro ingentiſſima illa charitate, qua vult omnes homines ſaluos fieri, & ob quam ſemper ſtat ad ianuam cordis noſtri, ſemper pulſans, & ob quam etiam impiis, & naturæ donis abutentibus plurimas ſalutis occaſiones offert, non conferre ſaltem aliqua ſupernaturalia auxilia, quibus ſi benè vtantur, adhuc confert auxilium maius, & tandem gratiam iuſtificantem.

Sed contra hanc reſponſionem obiici poteſt, quod idem autor obiicit, Auguſtinum ſæpe obiicere Pelagianis, Deum ex duobus æquè diſpoſitis vnum iuſtificare, alterum autem derelinquere. quod euidentiſſimè apparet ſaltem in paruulis, ita enim docet Auguſtinus tum in loco proximè allegato, tum etiãm in Epiſtola 107. ad Vitalem.

Reſpondetur, mentem Auguſtini fuiſſe, oſtendere, gratiam Dei non dari petentibus, quærentibus, & volentibus nobis, & Deum non expectare noſtrum conatum tanquam diſpoſitionem neceſſariò requiſitam ad gratiam, ſed nos ſuis donis miſericorditer præuenire, & illa, cui vult etiam indigno, conferre, quem per ſuam gratiam facit dignum, & ad hoc oſtendendum optimum eſt argumentum ſumptum ex paruulis: & tamen ex hoc minimè inferri poteſt, quòd adulto facienti, quod in ſe eſt, non ſit ſemper paratus immittere boni inſpirationes. Et aliud eſt, ex duobus æqualiter impiis Deum vnum iuſtificare, alium in impietate derelinquere: aliud eſt Deum hominem, qui donis naturæ conatur benè vti, & per illa ad Deum ſe conuertere, ſuis auxiliis deſtituere. neque video quomodo ex vno aliud poſſit inferri.

Tandem

XI. Tandem iſtis omnibus adiiciendum eſt, nonnullos Theologos notari erroris Semipelagianorum ex eo, quod dicant, hominem per vires naturæ poſſe elicere actum contritionis acquiſitæ, qui ſit ſufficiens diſpoſitio ad gratiam accedēte ſacramento Pœnitentiæ, ſed immeritò profectò: illi enim non loquuntur de homine deſtituto omnibus auxiliis ſupernaturalibus, neque per contritionem acquiſitam intelligunt eam, quæ ſolis naturæ viribus elicitur, ſed loquuntur de homine fideli, qui iam habet donum ſupernaturale fidei, & ſpei, & loquuntur de contritione imperfecta, quæ accedente ſacramento fit perfecta, de qua loquitur Conc. Trid. ſeſſ. 14. de Sacramento Pœnitentiæ c. 4.

Conc. Trid.

CAPVT XIV.

Dubium ſecundum proponitur, an ex parte prædeſtinati poſsit aſsignari aliqua ratio, ob quam præparatio primæ gratiæ ſortiatur in nobis effectum Prædeſtinationis.

I. DIximus, tres eſſe præcipuos diuinæ prædeſtinationis effectus, primus enim eſt ipſa prima gratia, quam Deus ponit in nobis ſine nobis. Secundus eſt conſenſus liberi arbitrij elicitus ab ipſa gratia, & à libero arbitrio, propter quem effectum Deus ponit in nobis primum effectum, qui eſt ipſamet gratia. Tertius eſt perſeuerantia in bono vſque in finem. Et quidem ſi primus effectus ſit coniunctus cum ſecundo, & tertio, ille habet rationem effectus diuinæ prædeſtinationis, & præparatio primæ gratiæ vocanda eſt prædeſtinatio. Si autem non habeat in nobis coniunctos duos poſteriores effectus, ipſa prima gratia non poteſt vocari effectus prædeſtinationis, ſed ſolùm effectus ſupernaturalis prouidentiæ, & præparatio eiuſdem gratiæ non poterit dici prædeſtinatio, ſed ſolùm habebit rationem ſupernaturalis prouidentiæ. Cùm igitur oſtenſum ſit, non dari vllo modo aliquam cauſam prædeſtinationis ex parte prædeſtinati quoad primum effectum, qui eſt diuinæ gratiæ præparatio, & collatio, ſed omnem cauſam talis præparationis in ſolam Dei voluntatem, & bonitatem eſſe referendam. Dubium tamen eſſe poteſt circa ſecundum & tertium effectum, an reſpectu illorum poſſit aſſignari aliqua cauſa ex parte prædeſtinati, & hoc idem eſt, quod quærere, an ex parte prædeſtinati poſſit aſſignari aliqua cauſa, ob quam diuina gratia, & illius præparatio ſortiatur in nobis effectum, & rationem prædeſtinationis, aut ſolùm retineat rationem ſupernaturalis prouidentiæ, & hoc eſt, quod modò quærimus in hoc dubio ſecundo.

II. Circa quod eſt non leuis controuerſia non ſolùm inter Catholicos, & hæreticos, ſed etiam inter Catholicos ipſos, quanuis inter Catholicos, & hæreticos ſit controuerſia de re, cæterùm inter Catholicos ipſos ſit ſolùm controuerſia de nominibus, & de modo loquendi. Hæretici nāque ideo negant, poſſe aſſignari huiuſmodi cauſam ex parte prædeſtinati, quia arbitrantur per primam gratiā efficacem penitus tolli noſtram libertatem quoad actus ſupernaturales. Ex Catholicis autem nullus id affirmat: ſed nihilominus verentur nonnulli admittere hanc locutionē: Datur cauſa ex parte prædeſtinati, ob quam ipſa gratiæ præparatio ſortitur effectum prædeſtinationis, ne videātur dicere efficaciam diuinæ gratiæ ex noſtro libero arbitrio aliquo modo pendere, non autem ex ſola Dei voluntate. Hic verò controuerſiam de re cum hæreticis omittemus in nonum librum illam reiicientes, vbi commodiùs diſputabitur, nunc ſolùm controuerſiam de modo loquendi breuiter tractabimus, & dilucidè, vt fieri poterit, reſoluemus.

In hoc autem dubio ſunt opiniones Catholicorum è regione pugnantes, altera negatiua, quæ ſcilicet contendit admittendam non eſſe iſtā propoſitionem: Datur cauſa ex parte prædeſtinati, ob quam auxilium diuinæ gratiæ præuenientis ponit in nobis ſuum effectum, vel ſortitur rationem gratiæ prædeſtinationis. Dicunt enim autores huius opinionis, gratiam prædeſtinationis ita eſſe efficacem, vt non ſolùm moneat voluntatem noſtram phyſicè, ſed illam efficaciter prædeterminet ad conſenſum, ita vt non pendeat ex noſtro libero arbitrio, quòd gratia prædeſtinationis ſit efficax, ſed potiùs ex efficacia ipſius diuinæ gratiæ proueniat, quòd liberum noſtrum arbitriū exeat in actum ſecundum, & actu conſentiat eidem diuinæ gratiæ, adeò quòd ipſemet conſenſus liberi arbitrij, quo diuinæ gratiæ conſentit, inter effectus prædeſtinationis eſt numerandus, non eſſet autem inter effectus prædeſtinationis numerandus, ſi ex parte illius poſſet aſſignari ratio, ob quam ipſum diuinum auxilium ſortiretur rationem gratiæ prædeſtinationis, quia illi qui hoc dicunt, conſequenter coguntur defendere, quòd bonus vſus liberi arbitrij, quo Deo vocanti, & excitanti conſentimus, quatenus præciſè emanat à libero arbitrio, computandus non ſit inter effectus diuinæ prædeſtinationis. III.

Altera verò opinio eſt affirmans, concedi poſſe, & de facto concedendum eſſe, dari cauſam ex parte prædeſtinati, ob quam auxilium gratiæ præuenientis habeat rationem gratiæ prædeſtinationis, & ſine qua ſolùm haberet rationem prouidentiæ ſupernaturalis. Quæ verò ex his opinionibus probabilior videatur, breuibus aperiam. Et primò dico, ambas opiniones in reipſa ad inuicem neceſſariò conuenire. Probo, quia dicere, dari cauſam ex parte prædeſtinati, quòd auxilium gratiæ præuenientis habeat rationem gratiæ prædeſtinationis, nihil aliud eſt, niſi dicere, quòd ex parte prædeſtinati detur aliqua cauſa huius effectus prædeſtinationis, qui eſt, diuinæ gratiæ liberè conſentire, & ad Deum conuerti, & huius effectus, qui eſt in bono perſeuerare vſque in finem vitæ: at quis Catholicus negabit, ipſum liberum arbitrium cum diuina gratia ſui conſenſus cauſam eſſe, & in ſuum conſenſum verè influere, & efficienter influere, & liberè influere, & ita influere, vt etiam poſſit non influere. Quis etiam Catholicè negabit, liberum arbitrium liberè in bono perſeuerare vſque in finem, & ita liberè perſeuerare, vt poſſet cadere, ſi vellet, & poſſe velle cadere, licèt de facto non cadat. Neceſſe igitur eſt omnes Catholicos in reipſa conuenire. IV.

Secundò probabiliorem eſſe quoad modum loquendi ſecundam opinionem, quæ concedit, dari cauſam ex parte prædeſtinati, ob quam præparatio gratiæ præuenientis, & illius exhibitio

sortitur rationem effectus prædestinationis; & sine qua haberet solùm rationem effectus prouidentiæ supernaturalis. adeò quòd licet diuinam ipsam gratiam fuisse à Deo nobis ab æterno præparatam, & in tempore illam in nobis poni, non pendeat ex nostro libero arbitrio, tamen quòd illa in nobis posita caueret in nobis effectum consensus,& perseuerantiæ,vsque in finem, hoc pendet etiam ex nostra libera voluntate, quæ si tuum concursum non apponat, quem pro sua libertate non apponere potest, diuina gratia istos effectus in nobis minimè caueret. Hanc autem doctrinam puto esse expressam sententiam D. Augustini non in vno tantùm loco, vt statim ostendam. Licèt nanque doceat,prædestinationis gratiam nunquam non ponere hos effectus in prædestinato, docet tamen, ad ponendos eosdem effectus semper ita concurrere nostram liberam voluntatem cum diuina gratia, vt pro sua libertate non concurrere cum illa possit.Referamus illius verba,ex quibus eius sententia conspicuè apparebit. In lib. Augustin. itaque de spiritu & litera c.34.ita ait Augustinus: *Vtsorum suasionibus agit Deus, vt velimus & credamus,sine extrinsecus per Euangelicas exhortationes,vbi & mandata legu aliquid agunt, si ad hoc admonent hominem infirmitatis suæ, vt ad gratiam iustificantem credendo confugiat, siue intrinsecus, vbi nemo habet in potestate quid ei veniat in mentem. Sed consentire, vel dissentire propriæ voluntatis est.*& infrà: *Profectò ipsũ velle credere Deus operatur in homine, & in omnibus misericordia eius præuenit nos: consentire autem vocationi Dei, vel dissentire ab ea, sicut dixi, propriæ voluntatis est. qua res non solùm non infirmat, quod dictũ est, quid enim habes, quod non accepisti: verùm etiam confirmat. Accipere quippe, & habere anima non potest dona, de quibus hoc audit,nisi consentiendo, ac per hoc,quid habeat,& quid accipiat, Dei est:accipere autem, & habere vtique accipientis,& habentis est.*quid clariùs dici potuit? Idem in lib.2.contra duas epistolas Pelagianorum cap. 8. *Hominis* (inquit) *est præparare cor, & tamen vt hoc faciat homo, adiuuat Deus, quia præparatur voluntas à Domino, & aperit os, ita subendo, vt nemo possit, nisi ipse id faciat adiuuando,cui dicitur,labia mea aperies.* & infrà: *In sententia igitur illa, vbi dicitur: Aperi os, & implebo illud,quasi vnum videtur ad hominem pertinere, alterum ad Deum. In hac autem vbi dicitur: Ego aperiam os tuum, & instruam te,vtrunque ad Dominum quære hoc? nisi quia in vno istorum cooperatur homini faciens:alterum solus facit. quapropter multa Deus facit in homine bona, quæ non facit homo: nulla verò facit homo, quæ non facit Deus, vt faciat homo.* Idem in lib. de Gratia & libero arbitrio cap.17. ait: *Et quis istam etsi paruàm dare cœperat charitatem nisi ille, qui præparat voluntatem, & cooperando perficit, quod operando incipit,quoniam ipse,vt volumus, operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens. Propter quod ait Apostolus: Certus sum, quoniam qui operatur in vobis opus bonum, perficiet vsque in diem Christi IESV. Vt ergo velimus,sine nobis operatur: cùm autem volumus, & sic volumus, vt faciamus, nobiscum operatur: tamen sine illo veloperante,vt velimus, vel cooperante, cùm volumus,ad bona pietatis opera nihil valemus.*

V. Præter hæc verò testimonia potest ex alio capite ostendi, hanc doctrinam esse ipsissimam sententiam Augustini. quia ille dicit expresè, dari causam ex parte hominum, ob quam illi non sunt prædestinati, & electi ad gloriam, nimirum quia Dei vocationem contemnunt, & negligunt, quam si non contemnerent, & illi minimè refragarentur, illi etiam essent prædestinati.Ita expresse docet Augustinus epistola 105. circa medium Augus. vbi ita ait: *Cur autem illum potius, quam illum liberet, aut non liberet,scrutetur, qui potest, iudiciorum eius tam magnum profundum, veruntamen caueat precipitium. Nunquid enim est iniquitas apud Deum? absit. Sed inscrutabilia sunt iudicia eius,& inuestigabiles viæ eius. Et in maioribus dumaxat ætatibus meritò dici potest,hi noluerunt intelligere,vt bene agerent: hi, quod grauius est, intellexerunt, & non obedierunt.* & lib.1. ad Simplicianum quæst.2. proposita hac quæstione, Cur misericordia subtracta est ab Esaü,vt non sic vocaretur,vt vocato inspiraretur fides, & credens misericors fieret, vt bene operaretur. Duas adhibet responsiones,alteram non veram, quam reiicit: alteram quæ talis est: *Nemo itaque credit non vocatus, sed non omnis credit vocatus, multi enim sunt vocati,pauci verò electi. vtique qui vocantem non contempserunt sed credendo secuti sunt, volentes autem sine dubio crediderunt. Quid est ergo, quod sequitur, non volentis, neque currentis, sed miserentis Dei? an quia nec velle possumus, nisi vocati, & nihil valet velle nostrum, nisi, vt perficiamus, adiuuet Deus. opus est ergo velle, & currere,non enim frustrà diceretur,& in terra pax hominibus bonæ voluntatis,& sic curite, vt comprehendatis: non tamen volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, vt quod volumus adipiscamur, & quò volumus perueniamus. Noluit ergo Esaü, & non cucurrit,sed etsi voluisset, & cucurrisset, Dei adiutorio peruenisset, qui ei etiam velle, & currere vocando præstaret, nisi vocatione contempta reprobus fieret. Aliter enim Deus præstat, vt velimus, aliter præstat,quod voluerimus. vt velimus enim,& suum esse velit, & nostrum, suum vocando, nostrum sequendo. quòd autem voluerimus solus præstat,id est, posse bene agere,& semper bene viuere.* Ecce tibi ex sententia Augustini Esaü reprobum factum, quia vocationem contempsit, & Deum primam gratiam ponere quidem in nobis sine nobis,consensum autem, & ipsum velle bonum, & perseuerare in bono, non ponere in nobis sine nobis liberè volentibus, & ita liberè, quòd possumus non velle. Et licèt Augustinus in hac responsione non quiescat, illam tamen non refutat, immo in aliis locis citandis infrà illam confirmat. Et in eodem loco soluens quandam aliam quæstionem, quomodo verum sit, diuinam vocationem effectricem esse bonæ voluntatis, ita vt omnis vocatus ipsam vocationem sequatur, & nihilominus verum etiam sit, quod dicitur: *Multi sunt vocati, pauci verò electi;* quia si dicatur illum, qui vocatur, non ideo statim vocationi obtemperare, quia positum est in eius voluntate, obtemperare diuinæ vocationi, vel non obtemperare, statim obiici poterit. ergo non miserentis est Dei, sed volentis est hominis, quia vocantis non sufficit misericordia, nisi vocantis obedientia sequatur. Non negat positum esse in potestate hominis, vt Deum vocantem sequatur, vel non sequatur, immo hoc tanquam veriſſimo suppositò proposita quæstionem ita dissoluit. *An fortè* (inquit) *illi, qui hoc modo vocati non consentiunt, possunt alio modo vocati accommodare fidei voluntatem, vt & illud verum sit, multi vocati, pauci verò electi. Et quamuis multi vno modo vocati sint, tamen quia non omnes vno modo affecti sunt, illi solis sequantur vocationem, qui ei capiendæ reperiuntur idonei, vt illud non minus verum sit: igitur non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei, qui hoc modo vocauit, quomodo aptum erat eis, qui secuti*

sunt

ſunt vocantem. Ad alios autem vocatio quidem peruenit: ſed quia talis fuit, qua moueri non poſſent, nec eam capere apti eſſent, vocati quidem dici poterunt, ſed non electi. Et non tam ſimiliter verum eſt; igitur non miſerentis Dei, ſed volentis, atque currentis eſt hominis: quoniam non poteſt effectus miſericordiæ Dei eſſe in hominis poteſtate, vt fruſtrà ille misereatur, ſi homo nolit: quia ſi vellet etiam ipſorum miſereri, poſſet ita vocare, quemadmodum illis aptum eſſet, vt & mouerentur, & intelligerent, & ſequerentur. Verum eſt ergo, multi vocati, pauci verò electi: illi enim electi, qui congruenter vocati: illi autem qui non congruebant, neque contemperabantur vocationi, non electi, quia non ſecuti, quamuis vocati. Ex hoc loco habemus, ſentire Auguſtinum, diuinam vocationem ſortiri rationem effectus diuinæ prædeſtinationis non ex eo, quia hominis voluntatem ita afficiat, vt ſuas partes illi minimè relinquat, ſed ex eo, quia ita contemperata eſt noſtræ voluntati, vt infallibiliter, & liberè ab illa conſenſum eliciat. & paulo infrà docet Auguſtinus, eandem vocationem vni eſſe congruam, alij verò non, ob differentem affectionem, & diſpoſitionem eorum, qui vocantur. & in lib. de Prædeſtin. & gratia cap. 15. facta comparatione inter Nabuchodonoſorem, & Pharaonem, quærit, quæ fuerit cauſa diſparis exitus vtriuſque, & cur medicamentum vnius, & eiuſdem medici manu confectum alij ad interitum, alij valuerit ad ſalutem. & quæſtionem ſoluens inquit. *Niſi quia Chriſti bonus odor alios eſt odor vitæ in vitam, alios odor mortis in mortem. quantum ad naturam ambo homines erant, quantum ad dignitatem, ambo Reges, quantum ad cauſam, ambo captiuum Dei populum poſſidebant, quantum ad pœnam, ambo flagellis clementer admoniti. quid ergo fines eorum fecit eſſe diuerſos, niſi quia vnus manum Dei ſentiens, in recordatione propriæ iniquitatis ingemuit: alter libero contra Dei gratiam pugnauit arbitrio.* Hæc autem antitheſis, hæc reſponſio manifeſtè ſupponit, pendere etiam ex libera hominis voluntate, quòd gratia, & vocatio diuina ponat in prædeſtinato effectum conſenſus, & conuerſionis, & ex parte hominum eſſe cauſam, quòd vocati, & præuenti à Deo minimè conuertantur, & perſeuerent in bono, & ſaluentur, & refertur hic textus in cap. Nabuchodonoſor 23. quæſt. 4. & in eadem cauſa & quæſt. cap. vaſis iræ. Citatur alius textus ex Auguſtino dicente: *Prædeſtinationem Dei ſiue ad bonum, ſiue ad malum in omnibus operari ineptiſſimè dicitur, vt ad vtrumque hominet quædam neceſſitas videatur impellere, cùm in bonis voluntas ſit intelligenda non ſine gratia, in malis autem voluntas intelligenda eſt ſine gratia.* & poſt pauca: *Vires ergo obedientiæ non ideo cuiquam ſubtraxit, quia eum non prædeſtinauit: ſed ideo eum non prædeſtinauit, quia receſſurum ab ipſa obedientia eſſe præſcit.* Et in eodem lib. de prædeſtinatione, & gratia cap. 11. propoſita hac quæſtione, cur cùm omnes vocentur, non tamen omnes ad ſecundam gratiam, id eſt, ad rectè viuendi donum perueniant. Reſpondet huic quæſtioni, dicens: *Hinc intelligat, quale ſit, quod contra Dei gratiam defenſare molitur, qui de libero ſibi blanditur arbitrio, quicunque enim diuinæ vocationis munere derelicto ad impiam rurſus fluxere perfidiam, ipſis Dei gratiam deferentibus ad implendum, quod voluerant, ſufficit arbitrium.* & infra expendens illa verba Pſal. 80. *Ego ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, dilata os tuum,* &c. *Hinc* (ait) *aliquid rurſus apparet hominis fuiſſe ſeruatum, quod per liberum facere debebat arbitrium. dilatare enim iubetur os ſuum: ſed Deus ſe implere promittit.* & poſt pauca. *Libero ergo qui locus ſeruatur arbitrio, vt ſine Dei adiutorio ad explendum, quod voluerit rationali dignitate ſuffulta ſibi ipſi ſi non ſufficiat humana natura, continuo pſalmiſta oſtendit, & non audiuit populus meus vocem meam, & Iſrael non intendit mihi.* & in lib. ad Articulos ſibi falsò impoſitos ad 12. exponens illud ex D. Ioanne, *Ex nobis exierunt, ſed non erant ex nobis. Voluntate*, inquit, *exierunt, voluntate ceciderunt: & quia præſciti ſunt caſuri, non ſunt prædeſtinati: eſſent autem prædeſtinati, ſi eſſent reuerſuri, & in ſanctitate vitæ manſuri.* Vbi illa verba non poſſunt exponi in ſenſu, quem vocant formali, ſicut in ſenſu formali accipitur præſcire pro eo, quod eſt prædeſtinare, eo modo quo ait Auguſtinus de Prædeſtin. ſanctorum cap. 10. quòd prædeſtinatione Deus ea præſciuit, quæ fuerat ipſe facturus, & alibi, prædeſtinare eſt ea, quæ ſunt in præſcientia, diſponere, & ordinare. quia Deus non diſponit, neque ordinat, vt homo cadat. vnde illa verba, *Et quia præſciti ſunt caſuri, non ſunt prædeſtinati.* non poſſunt intelligi niſi cauſaliter. Idem in lib. de Eccleſiaſticis dogmatibus cap. 21. *Manet* (inquit) *ad quærendam ſalutem arbitrij libertas, ſed admonente priùs Deo, & adiuuante ad ſalutem, vt vel eligat, vel ſequatur, & initium ſalutis noſtræ Deo miſerante habemus; vt acquieſcamus ſalutiferæ inſpirationi, noſtra poteſtatis eſt.* Alia pluta teſtimonia adduci poſſent ex Auguſtino ad eandem ſententiam probandam, vix enim eſt liber, in quo de libero arbitrio, & Dei gratia tractet, vbi etiam non doceat, Deum in homine iuſtificando ſuas partes relinquere noſtræ voluntati, neque operari ſalutem noſtram ſine nobis liberè cooperantibus, & conſentientibus. ita in lib. de prædeſtin. ſanctorum cap. 19. de bono perſeuerant. cap. 13. & tract. 16. in Ioann. & 53. hæc autem omnia prolixiori fortè oratione, quàm opus foret, ſum proſecutus, propter eos, qui contendunt, contrarium docere Auguſtinum, quod illorum pace nullam veritatis ſpeciem habere poteſt, tot eiuſdem Auguſtini teſtimoniis tam apertè reclamantibus.

CAPVT XV.

Probatur veritas ſecundæ opinionis capite præcedenti recitatæ.

VEritas iſta non ſola D. Auguſtini fulcitur autoritate, ſed deducitur euidenter ex diuina Scriptura, nimirum ex Euangelio D. Ioannis cap. 1. ibi enim de iis, qui in Chriſtum credunt, ait quòd *dedit eis poteſtatem filios Dei fieri his, qui credunt in nomine eius.* cuius loci, etſi multæ Doctorum expoſitiones in medium afferantur tum à Cardin. Toleto, tum ab aliis diuinæ Scripturæ interpretibus, nulla tamen magis propria videtur, quàm illa D. Auguſtini lib. 1. contra duas epiſtolas Pelagianorum ad Bonifacium cap. 3. iunctis aliis ex eodem Auguſtino citatis cap. præcedenti, & Chryſoſtomi homil. 9. in eundem locum D. Ioannis. Ea verò eſt, eis, qui credunt in nomine Chriſti per gratiam vocantem, tribui poteſtatem, vt coope- I. Auguſt.

cooperando eidem gratiæ fiant filij Dei per generationem, & gratiam iuſtificantem. Poſſe nanque fieri filios Dei, datur à Deo ſine nobis: at fieri filios Dei, pendet etiam ex nobis. Verba Chryſoſtomi inter alia notanda ſunt. *Et cur* (ait) *non dixit, fecit eos filios Dei fieri, vt oſtenderet multa nobis opus eſſe diligentia, vt adoptionis nobis per Baptiſma impreſſam imaginem puram ſeruemus, atque intactam.* & infrà: *Accedit ad hoc, quod per eam particulam gratiam non temere, neque ſine labore noſtro in nos infundi ſignificatur: ſed cùm ipſi volumus, tum eam inquirimus: in noſtra enim poteſtate eſt, filios Dei fieri, quippe niſi primùm ad eam accipiendam promptum animum exhibeamus, neque diuinum ad nos munus accedit, neque quidquam in nobis operatur. Vbique igitur non violentum, nan coactum, ſed voluntarium penitus, & liberum nobis oſtendit arbitrium, quod in hoc loco ſignificauit.* Hæc ille. Si autem in hominis poteſtate per Dei gratiam præuenientem poſitum eſt, fieri filium Dei, præbendo diuinæ gratiæ liberum aſſenſum, & recipiendo gratiam iuſtificantem, eſt etiam in hominis poteſtate poſitum, efficere, vt prima gratia, quam Deus ponit in nobis ſine nobis, ſortiatur rationem gratiæ prædeſtinationis, & ponat in nobis eundem effectum gratiæ prædeſtinationis, vel quòd retineat ſolùm rationem communis prouidentiæ ſupernaturalis. Qui enim dicunt, dari cauſam ex parte prædeſtinati, ob quam auxilium præueniens ſortitur rationem gratiæ prædeſtinationis, nihil aliud intendunt dicere, niſi quod iſti Doctores, immò quod D. Ioannes ait in his verbis; *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri.* Et certè ſi non penderet aliquo modo ex libera hominis voluntate, fieri, aut non fieri filium Dei per gratiam iuſtificantem, ſed ipſa gratia præueniens ita efficaciter, & phyſicè ad hanc filiationem prædeterminaret, vt non eſſet in poteſtate voluntatis ſic prædeterminatæ, vt homo fiat, vel non fiat filius Dei, & gratia prædeſtinationis ponat, vel non ponat in nobis ſuum effectum, D. Ioannes non dixiſſet; *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri*, vt Chryſoſtomus aduertit, ſed dixiſſet, fecit eos filios Dei fieri.

Chryſoſt.

II. Secundum teſtimonium ad eandem veritatem comprobandam ſumi poteſt ex epiſt. 2. ad Timoth. cap. 2. vbi de certitudine diuinæ prædeſtinationis verba faciens ait Apoſtolus, *Firmum fundamentum Dei ſtat, habens ſignaculum hoc, nouit Dominus, qui ſunt eius, & diſcedat ab iniquitate omnis, qui inuocat nomen Domini. In magna autem domo non ſolùm ſunt vaſa aurea & argentea: ſed etiam lignea, & fictilia, & quædam quidem in honorem, quædam verò in contumeliam.* Et ne quis diceret, ſi Deus me vas in contumeliam fecit, iam ſalus mea eſt deplorata, ſubiungit ſtatim: *Si quis ergo emundauerit ſe ab iſtis* (ſcilicet peccatis, de quibus ſuprà dixerat) *erit vas in honorem ſanctificatum, & vtile Domino, & ad omne opus bonum paratum.* Hæc Apoſtoli verba ſupponunt, & apertè indicant, in poteſtate hominis poſitum eſſe, efficere, vt præparatio gratiæ habeat in nobis effectum gratiæ prædeſtinationis, aut retineat ſolùm rationem prouidentiæ ſupernaturalis. Et quanuis nonnulli recentiores dicant, mentem Apoſtoli non eſſe, docere, hominem, qui eſt vas contumeliæ, per emundationem poſſe fieri vas in honorem, ſed ſolùm velle oſtendere, quibus notis diſcerni poſſint vaſa honoris à vaſis contumeliæ, ſig: autem ſunt prædeſtinatio diuina, & emundatio, id eſt, emundatum ſe cuſtodire ab iniquitate, maximè à crimine hæreſis, de quo Apoſtolus ſuprà locutus fuerat. Hæc tamen illorum interpretatio, præter quod voluntaria eſt, videtur manifeſtam vim inferre tum verbis Apoſtoli, qui cùm ait, *ſi quis ergo emundauerit ſe*, loquitur de actu emundationis, qui neceſſariò immunditiam ſupponit, tum etiam intentioni, & fini eiuſdem Apoſtoli, qui erat, non ſolùm iuſtos hortari ad munditiam ſeruandam, ſed etiam peccatores ad ſeipſos cum Dei gratia ab iniquitate mundandos, vt verba ipſa ſonant, quæ ſi liceret ita interpretari, diuina Scriptura non parum detrimenti pati videretur: poſſet enim quis dicere, cùm diuina Scriptura peccatores hortatur, vt diſcedant ab iniquitate, & emundent ſeipſos à peccatis, ſenſum non eſſe, quòd illi, qui ſunt vaſa contumeliæ, poſſint reuera fieri vaſa honoris per præteritæ vitæ emendationem; ſed ſolùm velle oſtendere, quibus ſignis aliquis diſcerni poſſit, quòd ſit vas honoris. Et tandem quidquid ſit de hac interpretatione, certè noſtram tradunt Gloſſa, quæ eſt Chryſoſtomi in illum locum Apoſtoli ita ſcribentis: *Vides, vt non natura, carnaliſve neceſſitatis ſit, aureum eſſe, vel fictilem, ſed noſtræ tantummodo voluntatis. Ibi nempe neque fictile vas aureum fieri poteſt, neque hoc in illius naturam conuerti: at verò hic magna huius mutationis, & emigrationis facultas volenti datur. vas erat fictile Paulus, ſed euaſit in aureum. Vas fuit aureum Iudas, ſed in fictile conuerſum eſt.* Et D. Athanaſius Alexandrinus, ex quo Chryſoſtomus non ſolùm ſenſum, ſed etiam ipſa verba videtur excepiſſe. vnde non opus eſt illa hic tranſcribere, cùm eadem ferè omnia habeantur in vtroque autore. Hæc autem habet Athanaſius in Commentario illius ſecundæ epiſtolæ ad Timotheum.

Gloſſa.

Athanaſ.

III. Tertium teſtimonium ad idem ſuadendum colligitur ex epiſtola ad Hebræos cap. 3. vbi ita euidenter hanc rem inſinuat, vt nullum videatur relinquere dubitandi locum. Primò nanque recenſet primum ipſius prædeſtinationis effectum, quem Deus ponit in nobis ſine nobis, qui eſt gratia præueniens, ſiue vocatio, cùm ait, *vnde fratres ſancti vocationis cœleſtis participes, conſiderate Apoſtolum, & Pontificem confeſſionis noſtræ Ieſum, qui fidelis eſt ei, qui fecit illum*, &c. mox vt oſtendat, in noſtra poteſtate ſitum eſſe, efficere, vt diuina vocatio ſortiatur rationem effectus prædeſtinationis, ſubiungit, *Et Moyſes quidem fidelis erat in tota domo eius, tanquam famulus in teſtimonium eorum, quæ dicenda erant: Chriſtus verò tanquam filius in domo ſua, quæ domus ſumus nos, ſi fiduciam, & gloriam ſpei vſque in finem firmam retineamus.* Dicet aliquis. At iſtud eſt minimè poſitum in noſtra poteſtate, ſed in ſola Dei voluntate. nam ſi eſt mihi ex diuino decreto præparata gratia efficax, & perdurans vſque in finem, ego in gratia permanebo. Sin minimè, ego fiduciam iſtam, & gloriam ſpei vſque in finem tenere non potero. Hanc excuſationem remouens Apoſtolus ſtatim ſubiungit: *Quapropter ſicut dicit Spiritus ſanctus; Hodie ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra, ſicut in exacerbatione, ſecundùm diem tentationis in deſerto*, &c. & paulo infrà: *Videte fratres ne ſit in aliquo veſtrùm cor malum incredulitatis diſcedendi à Deo viuo, ſed adhortamini per ſingulos dies veſmet ipſos, donec, Hodie, cognominatur, vt non ob-*

ad Hebr. 3.

duretur quis ex vobis fallacia peccati. Participes enim Christi effecti sumus, si tamen initium substantiæ eius vsque in finem firmum retineamus. Ecce tibi, positum est in hominis facultate suppositio Dei adiutorio, initium substantiæ Christi vsque in finem retinere, hoc autem est, positum esse in hominis facultate, vt diuina gratia in nobis sortiatur effectum gratiæ prædestinationis.

Verùm potuisset aliquis contra Apostolum obiicere, vanè illum homines hortari, vt tenerent initium substantiæ Christi vsque in finem, id nanque in eorum potestate minimè erat propter diuinum iuramentum, & decretum, quo iurauit, aliquos minimè introire in gloriam suam. Hanc autem obiectionem remouens statim subiungit: *Quibus autem infensus est quadraginta annis? nonne his, qui peccauerunt, quorum cadauera prostrata sunt in deserto? quibus autem iurauit non introire in requiem ipsius, nisi illis, qui increduli fuerunt? & videmus, quia non potuerunt introire, propter incredulitatem illorum.* Ecce, quam ob causam iurauit Deus, & decreuit aliquos ab æterna gloria excludere, nimirum propter illorum incredulitatem. Vnde hinc duo manifestè colliguntur, alterum est, positum esse in hominis potestate, vt diuina gratia sortiatur in nobis effectum gratiæ prædestinatorum: alterum, à regno gloriæ homines non excludi aliquo decreto antecedente præscientiam praui vsus liberi illorum arbitrij, vt nonnulli arbitrantur, quemadmodum dictum est lib. præcedente & lib. sequente fusiùs dicemus. & ne ista videantur commenta ex proprio cerebro conficta,

IV. Adiiciamus in confirmationem eiusdem veritatis quartum testimonium sumptum ex eadem epistola cap. 4. vbi Apostolus exhortans
Ad Hebr. 4. Hebræos, consentire diuinæ vocationi, & non esse incredulos, sicut Patres illorum, qui propter incredulitatem non potuerunt introire in requiem, ita ait, *Timeamus ergo, ne forte relicta pollicitatione introeundi in requiem eius, existimetur aliquis ex vobis deesse. Etenim & nobis annuntiatum est, quemadmodum & illis.* & post pauca: *Quoniam ergo superest introire quosdam in illam, scilicet requiem, & illi, quibus prioribus annuntiatum est, non introierunt, ob incredulitatem, iterum terminat diem quendam. Hodie in Dauid, dicendo, post tantum temporis, sicut suprà dictum est. Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra.* & post pauca addit. *Festinemus ergo ingredi in illam requiem, vt ne in idipsum quis incidat incredulitatis exemplum.* & infra cap. 12. *Contemplantes* (inquit) *ne quis desit gratiæ Dei, ne qua radix amaritudinis sursum germinans impediat, & per illam inquinentur multi.* Et tandem si non est positum in hominis potestate efficere, vt diuina gratia ponat, aut non ponat in nobis effectum gratiæ prædestinationis, vt quid obsecro nos monet Apostolus prima ad Corinth. 15. stabiles esse, & immobiles, abundantes in opere Domini semper. & epistola 2. cap. 6. sollicitos esse, ne in vacuum gratiam Dei recipiamus. & ad Hebr. 12. *vt ne quis desit gratiæ Dei?* quid enim est gratiam Dei in vacuum recipere, nisi illam suo effectu frustrare? vt quid etiam iubemur, corda nostra Domino præparare, & conuerti ad Dominum, vt ille conuertatur ad nos? vt quid, inquit Isaias cap. 30. expectare Dominum, vt misereatur nostri, & alia sexcenta, quibus plena est tota diuina Scriptura.

Præter autoritates verò diuinæ Scripturæ po- V.
test eadem veritas confirmari autoritatibus Patrum, & Scholasticorum. Et quidem de autoritate D. Augustini videtur mihi, nullum, qui attentè, & integrè, & ex fide illius legat libros, dubitare posse, quanuis non desint, qui illum in contrariam sententiam traducere nitantur. Præter Augustinum verò hanc nostram sententiam apertissimè probat D. Prosper ad Capitula Prosper.
Gallorum. nam ad secundum ita ait de reprobo: *Qui tamen propter postrema crimina ea morte afficietur, quæ ei propter illa, quæ remissa sunt, debebatur. quod quia Dei præscientiam nec latuit, nec fefellit, sine dubio talem nunquam elegit, nunquam prædestinauit, & periturum nunquam ab æterna damnatione discreuit.* & ad tertium. *Quòd ergo huiusmodi in hac prolapsi mala, sine correctione pœnitentiæ defecerunt, non ex eo necessitatem pereundi habuerunt, quòd prædestinati non sunt; sed ideo prædestinati non sunt, quia tales futuri ex voluntaria prænaricatione præscisi sunt.*

D. Ioan. Damascenus lib. contra Manichæos ait: *Adnitamur facere, quod bonum est, atque boni fiamus, vt simus ex numero bonorum, qui præcogniti sunt, atque prædestinati ad vitam æternam.*

D. Thom. lib. 3. contra Gentes cap. 148. multa, immo omnia dicit, quæ ad hanc veritatem illustrandam, & probandam euidenter iuuant. Etsi enim solùm videatur docere, quòd auxilium diuinæ gratiæ non cogat hominis voluntatem: tamen euidenter probat, quòd ita liberam illam relinquit, vt ex eius pendeat libertate, quòd ipsum auxilium diuinæ gratiæ ponat, vel non ponat in homine suum effectum, vt euidentissimè colligitur ex conclusione eiusdem capitis cùm ait: *Auxilium igitur, quod homini datur ad felicitatem consequendam, non est coactiuum. hinc est, quod Deuteron. 30. dicitur: Considera, quòd hodie proposuerit Dominus in conspectu tuo, vitam & bonum, & è contrario mortem & malum, vt diligas Dominum Deum tuum, & ambules in viis eius. Si autem auersum fuerit cor tuum, & audire nolueris, prædico tibi hodie, quòd peccas. & Ecclesiastici 15. dicitur: Ante hominem vita & mors, bonum & malum, quod placuerit ei, dabitur illi.* Sed infrà cap. 159. rem ponit extra omnem dubietatem. proposita nanque hac dubitatione, an rationabiliter homini imputetur, quòd ad Deum non conuertatur ex eo, quoniam sine Dei gratia id efficere minimè potest. *Ad huius*, inquit, *dubitationis solutionem considerandum est, quòd licèt aliquis per motum liberi arbitrij diuinam gratiam nec promereri, nec acquirere possit, potest tamen seipsum impedire, ne illam recipiat. dicitur enim de quibusdam Iob 21. Dixerunt Deo, recede à nobis, & scientiam viarum tuarum nolumus. Et Iob cap. 24. Ipsi fuerunt rebelles lumini. Et cùm hoc sit in potestate liberi arbitrij, impedire diuinæ gratiæ receptionem, vel non impedire, non immeritò in culpam imputatur ei, qui impedimentum præstat gratiæ receptioni. Deus enim quantum in se est, paratus est omnibus gratiam dare, vult enim omnes homines saluos fieri, & ad cognitionem veritatis venire, vt dicitur 1. ad Tim. 2. sed illi soli gratia priuantur, qui in seipsis gratiæ impedimentum præstant. Sicut Sole mundum illuminante in culpam imputatur ei, qui oculos claudit, si ex hoc aliquod malum sequatur, licèt videre non possit nisi lumine Solis præueniatur.*

VI. Eandem ſententiam cogitur probare Scotus. ſi vera dicit in 2. d. 37. q. vnica §. *ad ſolutionem iſtorum de concurſu voluntatis diuinæ, & humanæ.* Vbi inter alia ſic ait: *Vniuerſaliter enim quidquid Deus dat antecedenter, daret etiam conſequenter, quantum eſt ex ſe, niſi eſſet impedimentum. Dando autem liberam voluntatem, dedit etiam antecedenter opera recta, quæ ſunt in poteſtate voluntatis, & ideo quantum eſt ex parte ſui, dedit redundantem omni actui voluntatis, & voluntati ex conſequenti daret, ſi ipſa voluntas quemcunque actum elicitum rectè ageret ex parte ſua.* Et quanuis loquatur de actibus, qui ſunt ordinis naturalis, idem etiam diceret de actibus ordinis ſupernaturalis, & multo magis.

Andreas Vega lib. 2. de Iuſtificat. cap. 16. ad finem eidem ſententiæ ſubſcribens ait, Quòd *ſi ex libertate noſtra non eſſet, vt quidam diuinæ motioni in ſuam ipſorum iuſtificationem aſſentirentur, & cooperarentur, alij verò minimè, cùm Deus paratiſſimus ſit, omnes conuertere, & ſemper ſtet ad oſtium cordis noſtri, & pulſet, cur non omnes conuerterentur, & iuſtificarentur. Quæ cauſa etiam proxima aſſignari poteſt, ob quam Deus vni peccatori pœnitenti maiorem gratiam largiatur, quàm alteri, niſi quia vnus ſaluentius ſe in Deum conuertit, & perfectius, quàm alter.*

Capreolus in 2. diſt. 28. quæſt. 1. art. 3. ad 12. contra primam concluſ. declarans efficaciam diuinæ gratiæ præuenientis ait: *Sic ergo ad argumentum. Dico, quòd Deus iuuat nos immediatè ipſum actum efficiendo, & quòd non ipſe ſolus efficit actum, ſed etiam ipſa voluntas coefficit. ſed vt iam tetigi, non ſolùm iuuat Deus ad bonum velle partialiter coefficiendo, qui eſt communis modus, quo concurrit ad cuiuſlibet agentis creati effectum quemlibet, vt in argumento dicebatur, ſed etiam quodam modo ſpecialis faciendo ipſam voluntatem partialiter concurrere, ita quod ipſa voluntas partialiter concauſat applicata, & quaſi inſtrumentaliter mota à Deo ad ſic partialiter concauſandum, in qua tamen motione ipſa non neceſſitatur, ſed inſtrumentum liberum exiſtens, in cuius poteſtate eſt ſequi motionem agentis, iuuatur, vt agat ea, quæ non ſic adiuta nequaquam agere poſſet.* Quam doctrinam confirmat teſtimoniis D. Auguſtini dicentis: *Certum eſt, nos velle, cùm volumus: ſed ille facit, vt velimus bonum, de quo ſcriptum eſt, præparatur voluntas a Domino.* Et paulo infrà: *Ipſe, vt velimus, operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens. propter quod ait Apoſtolus: Certus ſum, quia qui operatur in nobis opus bonum, perficiet vſque in diem Chriſti Ieſu. vt ergo velimus ſine nobis operatur: cùm autem volumus, & ſic volumus, vt faciamus, nobiſcum operatur, cùm ſine illo vel operante, vt velimus, vel cooperante, cùm volumus, ad bona pietatis opera nihil valeamus.* Hæc ipſe (ſcilicet S. Auguſtinus, cuius illæ erant ſententiæ.) Per quæ verba patet, eum diſtinguere duplicem Dei modum operandi circa bonum velle noſtrum. vnus eſt ſibi proprius, in quo voluntas noſtra non cooperatur, vt facere nos velle: ideo ait, Vt ergo velimus, ſine nobis operatur, ſine nobis, inquam, operantibus, vt ſcilicet velimus, quia licèt voluntas velit, & cauſet volitionem, non tamen facit, ſe velle, & cauſare volitionem. Nec tamen quia Deus facit, ideo ipſa non cauſat, ſed potiùs ideo cauſat. Et propterea ad illud excludendum Auguſtinus in lib. de Corrept. & gratia cap. 7. de filiis Dei, de quibus ait Apoſtolus, quòd ſpiritu Dei aguntur, inquit, *Aguntur enim, vt agant, non vt ipſi nihil agant. Aliud eſt modus ſibi, & voluntati communis, ſcilicet cauſare volitionem: ideo ait, cùm volumus, nobiſcum operatur.* Ex hoc Capreoli diſcurſu habemus, gratiam præuenientem ita mouere voluntatem, vt relinquat in eius poteſtate, ſequi motionem, vel non ſequi. hoc autem eſt, quod dicimus, pendere ex noſtra voluntate, quòd gratia præueniens ponat in nobis effectum gratiæ prædeſtinationis. Habemus adhuc clariùs, gratiam præuenientem poni quidem in nobis ſine nobis; non tamen illam ponere in nobis effectum gratiæ prædeſtinationis, qui eſt velle bonum, & perſeuerare in bono vſque in finem, ſine nobis liberè cooperantibus. & hoc eſt ſolùm, quod diximus in noſtra aſſertione.

Auguſt.

VII. Didacus Aluarez diſput. 18. de Auxiliis numero 20. reſpondens cuidam inſtantiæ ait, Quòd *licèt motio prævia non ſit in poteſtate voluntatis, tanquam in cauſa efficiente, cùm ſit effectiuè à ſolo Deo: tamen ſuppoſita illa motione terminus illius motionis eſt in noſtra facultate, videlicet operatio libera, ad quam datur talis motio: item eſt etiam in facultate noſtræ voluntatis, ſeipſam impedire, ne habeat illam motionem.* Iam videas inter autores opinionum ſolam de nominibus eſſe altercationem, & in re omnes conuenire.

Nazarius prima part. quæſt. 19. art. 6. controu. 1. §. *Quintò conſiderandum.* verſic. *eſt tamen eadem voluntas*, inquit, *Nam ſi homo culpæ defectum diuinæ voluntati in beatitudinem ipſum eleuanti non obiceret, vellet Deus illius ſalutem efficaciter.* ex hoc etiam autore videas, quid rei interſit inter autores opinionum primo aſpectu adinuicem repugnantium.

Omitto Molinam prima part. quæſt. 23. art. 5. diſput. prima memb. 11. concluſ. 2. 7. & 8. Vaſquez eadem prima part. diſput. 92. cap. 2. & Leſſium in diſput. Apologet. cap. 10. ad tertium argumentum, qui ex profeſſo hanc rem tractant, & defendunt.

VIII. Eandem quoque ſententiam defendere coguntur illi Doctores ſuprà citati, qui affirmant, dari cauſam noſtræ prædeſtinationis ex parte noſtri liberi arbitrij, non quidem meritoriam etiam de congruo, neque cauſam poſitiuam, ſed negatiuam tantùm, quæ conſiſtit in ablatione, & remotione impedimenti ipſi diuinæ gratiæ. non enim loquuntur de ablatione impedimenti in ordine ad primum effectum diuinæ prædeſtinationis, qui eſt, hominem à Deo ſua gratia præueniri, aut moueri, aut excitari, quia ſicut non eſt in poteſtate hominis ponere impedimentum Deo, ita vt non præueniatur diuina gratia, & diuino lumine, ſed ſolùm eſt in poteſtate hominis, quando per Dei gratiam præuenitur, illi aſſentire, vel impedimentum apponere; ita ineptiſſimè dicerent, hominem remouere impedimentum diuinæ gratiæ reſpectu primi effectus prædeſtinationis, qui eſt ipſam gratiam præuenientem poni in nobis. vnde reſtat, vt cùm dicunt, dari cauſam noſtræ prædeſtinationis ex parte noſtræ voluntatis, quatenus ipſa voluntas remouet impedimentum diuinæ gratiæ, loquantur de cauſa prædeſtinationis non reſpectu, & comparatione primi effectus, ſed ſolùm reſpectu effectuum poſteriorum. Quæ ſententia ſic declarata, ſicut abſque dubio eſt declaranda, nullam continet erroris ſuſpicionem, ſed eſt

Catho

Catholica,& (vt puto) veriſſima:non enim eſt inconueniens,aſſignare aliquam cauſam prædeſtinationis ex parte prædeſtinati comparatione effectuum poſteriorum à primo, immo omnes illam aſſignant,ſed tota quæſtio, ſaltem quod ad fidem attinet, verſatur circa primum effectum ipſius prædeſtinationis.

Eandem ſententiam coguntur defendere illi omnes,qui ſuſtinent,auxilium gratiæ cooperantis quoad vſum ſubiacere poteſtati liberi arbitrij, & ex duobus æqualiter affectis, & eodem modo vocatis, vnum pro ſua libertate poſſe diuinæ vocationi conſentire altero non conſentiente,quæ ſententiæ,ſiue ſint veræ, ſiue non, iſtam tamen aſſertionem noſtram defendere tenentur.

Demum probatur dicta aſſertio vnica ratione in hunc modum. Poſita in homine quacunque gratia quantuncunque efficaci poteſt homo diſſentire,& illam abiicere. Ergo in poteſtate hominis eſt, quòd talis gratia ponat in ipſo effectum gratiæ prædeſtinationis, vel quòd retineat ſolùm rationem generalis prouidentiæ ſupernaturalis. Conſequentia eſt clara, quia ſi poteſt gratiæ diſſentire,& illam abiicere, poteſt impedire conſenſum,&(vt rectiùs dicam)illum non elicere,& tunc illa non habebit gratiæ prædeſtinationis ratio-
Conc.Trid. nem. Antecedens verò eſt doctrina Concilij Trident.ſeſſ.6.de Iuſtificat.cap.5. & can.4. vulgatiſſima,cuius Concilij autoritati,etſi variæ reſponſiones ſint excogitatæ, per diſtinctionem de ſenſu diuiſo & compoſito, & de gratia ſufficienti & efficaci, nullam tamen illarum dubium euacuare, hac vnica ratione demonſtratur, quia mens Concilij eſt,oſtendere contra Caluinum(vt ipſemet in Antidoto ad illum locum fatetur) voluntatem, dum actu mouetur per diuinam gratiam, liberam eſſe, & liberè conſenſum eidem gratiæ præbere: quia ita diuinæ gratiæ motum ſequitur, vt illam abiicere poſſit,& ita conſentit vt poſſit diſſentire, ſi velit. Vbi ergo voluntas ita diuinæ gratiæ motum ſequitur,vt mota non poſſit non ſequi, & ita conſentit,vt mota non poſſit diſſentire,illa libera non eſt. & demum quamcunque reſponſionem demus huic argumento, eandem Caluinus dabit argumento ipſius Concilij Tridentini.

CAPVT XVI.

Aduerſariorum argumenta contra doctrinam duobus capitibus præcedentibus traditam afferuntur,atque ſoluuntur.

I. COntra doctrinam hanc duobus præcedentibus capitibus à nobis traditam, & firmatam, militant plura argumenta Caluini lib. 2. Inſtitut. cap.2.3.& 5.& lib.3.cap.2.& 11. Verùm quoniam intentio illius eſt,probare illis argumentis, efficaciam diuinæ gratiæ humanæ voluntatis libertatem reſpectu actuum ſupernaturalium, maximè noſtræ iuſtificationis,euertere,ideo illis in opportuniorem locum, ſcilicet in lib.9.reiectis,nunc ea ſolùm adducemus,ac ſoluemus, quibus nonnulli Doctores Catholici arbitrantur, ſe probare, non poſſe ex parte prædeſtinati aſſignari cauſam, etiam ſine qua non, præparatio diuinorum auxiliorum ſortiatur rationem, & effectum prædeſtinationis. Omnium autem argumentorum, quibus illi hoc ſuadent, quæque multa ſunt,ſumma hæc eſſe videtur.

Primò, quia ſancti Patres, immo & diuinæ Scripturæ ſæpius inculcant, Deum corda hominum,prout vult,mutare,auferre,& conuertere, facere vt faciamus,& operari in nobis velle, & perficere pro bona voluntate. Iob cap.12. Pſalipom. lib.2.cap.50.Prouerbior.21. Canticorum cap.1. Ezech.36.Eſther 14.Iſaiæ 50.Ioan.6. Actuum 16. ad Philippenſ.2.

Reſpondetur primò ex diuina Scriptura nos etiam habere, poſſe hominem ſibi facere cor nouum,Ezechiel.18.*Proiicite à vobis omnes præuaricationes veſtras,in quibus præuaricati eſtis,& facite vobis cor nouum, & ſpiritum nouum, & quare moriemini domus Iſrael.* & conuertere ſe ad Deum, & à Deo pro ſua libertate,ibid.per totum,& Ioëlis cap.2.& eundem hominem ſuam ſalutem operari, 1. ad Corinth.15. *Operor ergo iam non ego, ſed gratia Dei mecum.* Ad Philip.2. *Cum timore, & tremore ſalutem veſtram operamini.*& ſeipſum à peccatis emundare, 2. ad Timoth. 2. *Si quis ergo emundauerit ſe ab iſtis, erit vas in honorem.* quæ tamen omnia intelligenda ſunt ſuppoſito auxilio diuinæ gratiæ præuenientis.

Secundò reſpondetur,omnia loca diuinæ Scripturæ,Conciliorum, & Patrum,in quibus dicitur, Deum corda hominum immutare,conuertere, auferre,& alia ſimilia, duobus modis intelligi poſſe, vno modo quòd Deus corda hominum immutet, phyſicè influendo in illa aliquid, quo poſito non ſit in hominum libera optione, in quam libuerit partem ſe vertere, neque ſit in hominis poteſtate diuinæ motioni præuenienti ſuum conſenſum apponere,aut non apponere, & hunc ſenſum videntur accepiſſe arguentes, ſi aliquid intendunt concludere, qui tamen neque eſt intentus à diuina Scriptura, & Patribus, neque in ſe verus. Licèt nanque poſſet Deus humanas voluntates,quocunque vellet, conuertere etiam inferendo neceſſitatem: id tamen non efficit comparatione actuum moralium, quos in libera hominis optione relinquit. Alio modo poſſunt eadem teſtimonia ſic intelligi,quòd Deus hominum voluntates immutat, & corda conuertit, & aufert, & tribuit, præueniendo hominum voluntates tali vocatione, cui ſcit, quòd illi pro ſua libertate ſunt infallibiliter conſenſum præſtituri. & hic ſenſus eſt verus, & intentus à diuina Scriptura, & Patribus, iuxta quem ſenſum non ſequitur,quòd cùm homo præuenitur per diuinam gratiam, quantuncunque illa efficax ſit,non ſit poſitum in eius facultate, apponere illi ſuum liberum conſenſum, vel illum non adiungere. quem ſi non adiungeret, quod vt dicimus,pro ſua libertate facere poſſet,illa gratia præueniens nunquam ſortiretur rationem,& effectum diuinæ prædeſtinationis.

Secundò argumentantur ex eo, quoniam influxus gratiæ præuenientis eſt influxus immediatus in hominis voluntatem, eam phyſicè præmouens, ac prædeterminans ad actualiter operandum.Ergo omnis bonus vſus liberi arbitrij, & quæcunque alia operatio pia, etiam vt emanat à libero arbitrio, eſt prædeſtinationis effectus, & gratiæ non ſolùm in genere cauſæ moralis,ſed etiam verè efficientis. II.

Reſpondetur, illud antecedens non ab omnibus admitti, tamen illo admiſſo iuxta ſenſum lib. 8. & 9. explicandum, negatur conſequentia. eſt enim doctrina D.Th. de veritate q.12.a.10. immò D.Thom. D.Auguſtini, & Damaſc.ſi proprie ac ſtrictè loqui velimus de diuina prædeſtinatione, Deum ea ſolùm prædeſtinare, quæ facit ipſe,non autem, quæ nos facimus.vnde ibid.ad 4.inquit, quòd meritum noſtrum & eſt ex gratia, & eſt ex libero arbitrio: non

non autem ſubiacet prædeſtinationi, niſi ſecundùm quod eſt ex gratia, quæ à ſolo Deo eſt. vnde id, quod ex noſtro arbitrio eſt, prædeſtinationi ſubeſſe dicitur per accidens. & hanc doctrinam repetit in ſumma 2.2.q.174.art.1.in corpore, quod ſimiliter firmat autoritate Damaſceni,ex qua euidenter habetur conſentium liberi arbitrij, quem præſtat diuinæ gratiæ, eſſe effectum prædeſtinationis non ſub ea ratione,qua eſt à libero arbitrio, ſed ſub ea ratione,qua eſt à gratia.

Vel poteſt ſecundò reſponderi diſtinguendo hoc conſequens. Ergo omnis bonus vſus liberi arbitrij, & quæcunque alia operatio, etiam vt emanat à libero arbitrio, eſt effectus prædeſtinationis, & gratiæ, &c. poteſt enim habere duplicem ſenſum,primus eſt,quòd huiuſmodi bonus vſus, quatenus emanat à libero arbitrio, eſt etiam effectus diuinæ gratiæ, & prædeſtinationis, quia Deus eo fine gratiam præparauit, & in tempore contulit, vt homo per liberum arbitrium talem vſum bonum eliceret, quem ſciebat,quod certiſſimè eliceret,ſi talem gratiam illi conferret,& quia ipſum liberum arbitrium per diuinam gratiam roboratur, ad eliciendum huiuſmodi bonum vſum,quem ſine illa omnino non eliceret.

Secundus ſenſus eſt,quòd talis bonus vſus liberi arbitrij,etiam vt emanat à libero arbitrio, ſit effectus gratiæ,& prædeſtinationis,quia eadem omnino & præcisè ſit cauſalitas liberi arbitrij cum cauſalitate ipſius gratiæ, nullámque habeat ipſum liberum arbitrium propriam cauſalitatem circa ipſum bonum vſum, & circa aliam quancunque piam operationem,niſi eam, quæ eſt gratiæ cauſalitas.Et quidem iuxta primum ſenſum admitti poteſt conſequens, ſed ex illo, aut cum illo non eſt neceſſe admittere, nullam cauſam poſſe aſſignari ex parte prædeſtinati, ob quam præparatio diuinorum auxiliorum ſortiatur effectum gratiæ prædeſtinationis,vt de ſe patet. Iuxta verò ſecundum ſenſum omnino neganda eſt conſequentia, neque enim diuina gratia quantuncunque efficax voluntatem humanam ita phyſicè determinat, vt ob talem determinationem voluntas non habeat ſuum modum cauſandi diſtinctum, & proprium, ſicut habent aliæ ſecundæ cauſæ creatæ, neque inconueniens eſt dicere liberum arbitrium etiam in ordine ad actus ſupernaturales,quos minimè elicere poteſt ſine Dei gratia, habere ſuam propriam cauſalitatem, diſtinctam à cauſalitate ipſius primæ cauſæ,ita vt dici nõ poſſit actũ ſupernaturalem ſub ea præciſa ratione,qua eſt à ſecunda cauſa,non eſſe à prima: quia aliàs tolleretur omnis cauſalitas ſecundarum cauſarum,vt notauit Caietan.1. part. q.19.art.8. ad argumenta Scoti, & nos ſuprà latè oſtendimus, & rediret error antiquorum Philoſophorum dicentium, non ignem vrere, non aquam abluere,ſed Deum eſſe,qui in igne vrit, & in aqua abluit, &c. quæ nimia eſt religioſitas, aut potiùs ſtultitia. Caietan.

III. Tertiò poteſt adhuc clariùs dici,effectus diuinæ gratiæ,& prædeſtinationis eſſe in duplici differentia,alios quos Deus ponit in nobis ſine nobis abſque dependentia à noſtro libero arbitrio, quatenus liberum eſt:alios verò,quos Deus non ponit in nobis ſine nobis,& ſine noſtro libero arbitrio, in cuius poteſtate reliquit, vt ponantur in nobis,vel non ponantur.Primi generis eſt prima gratia præueniens: ſecundi autem generis ſunt bonus vſus liberi arbitrij,& piæ operationes, & merita noſtra in ipſa diuina gratia fundata, reſpectu effectuum primi generis non eſt in hominis poteſtate efficere, vt præparatio diuinorum auxiliorum ſortiatur rationem prædeſtinationis; ſed reſpectu effectuum ſecundi generis id non ſolùm non eſt inconueniens, ſed maximè neceſſarium, ſuppoſito, quòd Deus hominis ſalutem in eius libera facultate poſuerit. Neque obſtat, quòd etiam ipſe bonus vſus liberi arbitrij ſit effectus diuinæ gratiæ: quia, vt dictum eſt, ita eſt effectus gratiæ, vt tamen in poteſtate ipſius liberi arbitrij ſit,talem effectum poni,vel non poni,& hoc nobis ſufficit. & ſanè qui ita arguunt, bonus vſus liberi arbitrij eſt effectus prædeſtinationis, & diuinæ gratiæ. Ergo non eſt in poteſtate liberi arbitrij efficere,vt præparatio auxiliorum ſortiatur effectum, aut rationem prædeſtinationis, latenter innuere videntur, gratiam ipſam ita liberum arbitrium afficere,vt ad producendum actum liberi conſenſus,aut non verè efficienter ſe habeat,aut non ita liberè,vt illum non producere non poſſit: aliàs non video, quid virium haberet illorum argumentum ad ſuadendum,quod illi prætendunt.

IV. Tertiò argumentantur nonnulli, quia auxilium efficax Dei eſt cauſa adæquata, quòd homo conuertatur,neque enim ſupernaturalis conſenſus eſt à gratia,& libero arbitrio, vt à duabus cauſis partialibus,ſicut vnus tractus nauis à duobus trahentibus,ſed Deus per auxilium efficax diuinæ gratiæ facit, vt faciamus. Ergo bonus vſus liberi arbitrij ſupernaturalis, etiam quatenus emanat à libero arbitrio, eſt effectus diuinæ prædeſtinationis.

Reſpondetur. Argumentum eandem continere æquiuocationem de cauſa adæquata, nam duobus modis intelligi poteſt, auxilium efficax eſſe cauſam adæquatam conſenſus ſupernaturalis, vno modo in ſuo ordine:alio modo ſimpliciter,& omnibus modis. Si accipiatur cauſa adæquata primo modo,admittitur antecedens,& ſequela, & totum argumentum, ſed nihil ſequitur contra veritatem doctrinæ à nobis traditæ:Deus enim & efficax auxilium eſt cauſa adæquata ordinis ſuperioris, quæ tamen requirit concurſum, & cauſalitatem ſecundarum cauſarum ordinis inferioris, ſine quibus ipſa prima cauſa nunquam ponit effectum in eſſe. vnde quemadmodum prima cauſa ſuperior eſt cauſa omnis effectus, qui prouenit à cauſa inferiori, non tamen ſine concurſu cauſæ inferioris vel libero,vel neceſſario ſecundùm conditionem cauſæ inferioris: ita diuina gratia eſt cauſa conſenſus ſupernaturalis liberi arbitrij, etiam quatenus ille pendet à libero arbitrio, propter ſubordinationem,& dependentiam cauſæ inferioris à cauſa ſuperiori in agendo, non tamen ſine concurſu libero eiuſdem liberi arbitrij, quem illud poteſt non apponere. Et quemadmodum quoad omnes alios actus liberos noſtræ voluntatis, qui ſunt ordinis naturalis, dicimus, eſſe in poteſtate voluntatis creatæ efficere, vt Deus, qui eſt prima cauſa,ponat,vel non ponat in nobis ipſos effectus à libera noſtra voluntate pendentes: ita de actibus ſupernaturalibus omnino dicere debemus, eadem enim eſt ratio de vtriſque quoad hoc, neque enim per hoc,quòd actus eſt ordinis ſupernaturalis, minus eſt in poteſtate liberi arbitrij, quàm ſi eſſet ſolùm ordinis naturalis. Si autem accipiatur cauſa adæquata ſecundo modo,falſum omnino eſt,& abſurdum, dicere, Deum eſſe cauſam adæquatam conſenſus noſtri ſupernaturalis: quia hoc modo tolleretur cauſalitas propria ab ipſa voluntate.

V. Quartò argumentantur autoritatibus D. Thomæ in 1.parte q.23.art.5. & 1.2. q.111. art.2.ad 2. D.Thom. vbi

vbi dicit, quòd non eſt diſtinctum id, quod eſt effectus diuinæ prædeſtinationis, ab eo, quod eſt effectus liberi arbitrij, & quòd motus voluntatis, quo iuſtificamur, ita eſt motus voluntatis, quòd etiam totus eſt effectus diuinæ gratiæ, & de veritate q.6.art.2.ad 11.vbi dicit,hoc ipſum, quod eſt velle accipere gratiam,eſt nobis ex diuina prædeſtinatione.

Reſpondeo, veriſſimam eſſe doctrinam D.Thomæ;nam conſenſus noſtri liberi arbitrij, & illius motus, & ipſum velle accipere diuinam gratiam, & quocunque alio nomine iſte effectus nuncupetur, totus eſt à diuina gratia, & à Deo totalitate effectus,non autem totalitate cauſæ omnibus modis adæquatæ,ſecundùm omnem modum cauſandi. Diuina enim prouidentia, vt idem D.Thomas ait ibid. producit effectus per operationes cauſarum ſecundarum,& cauſalitas ſecundæ cauſæ, licèt pendeat à prima,præcisè ſpectata,quatenus eſt cauſalitas ſecundæ cauſæ, non eſt cauſalitas primæ cauſæ, niſi ſimus tam inſani, vt velimus creatorem cum creatura confundere. Quare nihil vetat,ipſum motum, & conſenſum liberi arbitrij ita pendere ab ipſa voluntate, vt licèt ſit totus à gratia,non ponatur in eſſe,ſi voluntas ipſa non velit, & toto argumento admiſſo nihil ſequitur contra veritatem doctrinæ à nobis traditæ:nam admiſſo, quòd totus motus liberi arbitrij, ſit à diuina gratia, & ſit effectus prædeſtinationis, negari tamen non poteſt, ipſam diuinam gratiam non poſſe ponere in nobis hunc effectum ſine nobis ita concurrentibus, vt poſſimus non concurrere. Et per hæc reſponderi poteſt ad alia, quæ iidem Theologi adducunt,quæ non ſunt nouæ rationes,ſed eiuſdem argumenti repetitiones: poterant enim iſtæ rationes & aliæ,quas breuitatis gratia omittimus, vnico tantùm argumento perſtringi, & vna ſolutione euacuari. fateamur namque liberum influxum voluntatis noſtræ etiam ſub ea ratione, qua emanat à libero arbitrio, eſſe dependenter à Deo tanquam à cauſa efficiente, ob dependentiam, quam omnis ſecunda cauſa habet à prima quoad eſſe, & operari, neque enim eſt hæc conditio propria ſolius influxus noſtræ voluntatis,ſed omnium ſecundarum cauſarum: ſed cùm hoc fatemur, ita eſſe dependenter à Deo, vt nihilominus talis dependentia relinquat in facultate voluntatis ponere,vel non ponere ipſum influxum.

VI. Magis videtur vrgere teſtimonium D. Auguſtini lib.1.ad Simplician.quæſt.2. cùm ait: Non poteſt effectus miſericordiæ Dei eſſe in hominis poteſtate,vt fruſtrà ille miſereatur,ſi homo nolit. Videtur enim ſic dicendo ſententiam noſtram apertè impugnare, qui dicimus poſitum eſſe in hominis poteſtate, efficere, vt præparatio diuinorum auxiliorum ſortiatur rationem prædeſtinationis, aut ſolùm retineat rationem ſupernaturalis prouidentiæ. Auguſt.

Nihilominus ex verbis immediatè ſequentibus eiuſdem Auguſtini,& toto diſcurſu illius ſecundæ quæſtionis apparet, illum noſtræ ſententiæ non ſolùm non refragari, ſed fauere manifeſtiſſimè: ſubiungit enim ſtatim cauſam,quare non ſit poſitum in hominis poteſtate, vt Deus fruſtrà miſereatur,ſi homo nolit,quia,ſi vellet (inquit) etiam ipſorum miſereri, poſſet ita vocare, quemadmodum illis aptum eſſet,vt mouerentur, & intelligerent, & ſequerentur. In hoc igitur ſenſu dixit Auguſtinus, non poſſe effectum miſericordiæ Dei eſſe in hominis poteſtate,vt Deus fruſtrà miſereatur,non quòd gratia præueniens ita voluntatem ad conſenſum determinet, quòd non ſit in hominis poteſtate illum apponere,aut non apponere,etiam vt ſubſtat ipſi diuinæ motioni; ſed quia poteſt illum,cuius vult miſereri,vocare tali modo,quo videt,illum ſic vocatum infallibiliter diuinæ gratiæ conſenſurum.

Quintò obiiciunt alij contra eandem ſententiam, quia ex illa ſequeretur, efficaciam diuinæ gratiæ præuenientis non pendere ex ſolo Deo, ſed ex noſtro libero arbitrio, nóſque illi efficaciam tribuere noſtris viribus,quod eſt abſurdum. VII.

Reſpondetur negando conſequentiam. aliud enim eſt liberum arbitrium tribuere vim, & efficaciam diuinæ gratiæ: aliud eſt diuinam gratiam ſua ſola efficacitate ſine libero arbitrio non poſſe ponere in homine effectum, qui pendet ex ipſo libero arbitrio, quatenus liberum eſt. Primum eſt falſum, quia gratia Dei eſt cauſa ordine prior, & ſuperior,quæ non recipit vim,& efficaciam ab inferiori. Secundum autem veriſſimum eſt,neque videtur ab aliquo intelligente id, de quo loquitur, poſſe negari, cùm id negare videatur manifeſtam inuoluere contradictionem;neque ex ſecundo poteſt inferri primum, ſicut ex hoc, quòd ea, quæ Deus decreuit non efficere abſque concurſu ſecundarum cauſarum liberarum, non poteſt efficere ſe ſolo abſque libera earum cooperatione, non infertur, quòd ſecundæ cauſæ conferant ipſi Deo aliquam vim,aut efficacitatem in agendo. Et certè mirum videtur,quòd cùm iſtud argumentum æquè militet de omni alia actione ſecundarum cauſarum,quam Deus ſtatuit non producere, niſi mediantibus ipſis ſecundis cauſis,arguentes eo vti neſciant,niſi cùm agitur de actu libero voluntatis creatæ ordinis ſupernaturalis.

Sextò obiiciunt. Si daretur cauſa ex parte prædeſtinati, ob quam præparatio mediorum ſortiretur effectum,ſeu rationem prædeſtinationis, eſſet aliquid in homine, per quod ſeipſum diſcerneret, & de quo poſſet coram Deo gloriari contra Apoſtolum epiſtola 1. ad Corinth. cap.4. & D. Auguſt. lib. 2. de Peccatorum meritis & remiſſione cap.18.& lib.de Prædeſtin.ſanctorum cap.4. Probatur conſequentia, quia poſita æquali gratia præueniente in duobus, vnus poteſt pro ſua libertate apponere conſenſum, altero illum non apponente. VIII. Auguſt.

Reſpondetur in caſu poſito, quòd duo præuenirentur æquali gratia, ſi vnus conſenſum præſtaret, altero minimè conſentiente, ille qui conſenſum præſtaret, non haberet, de quo poſſet coram Deo gloriari, aut quo ſeipſum diſcerneret: quia talem conſenſum ſuis viribus minimè præberet, ſed per auxilium gratiæ præuenientis, & etiam per auxilium gratiæ cooperantis. Licèt enim homo diuina gratia præuentus ſe ſolo poſſit eidem gratiæ impedimentum ponere, non tamen ſe ſolo poteſt conſenſum illi præbere, & quando illum præbet, per auxiliũ gratiæ id facit: vnde non ipſe ſe,ſed Deus illũ diſcernit. Et ita illum locum Apoſtoli interpretatur Auguſtinus lib. 2. de Peccatorum meritis & remiſſione cap. 18. & lib. de Prædeſtin.ſanctorum cap.5. Præter quòd ille locus Apoſtoli, *quis enim te diſcernit*, intelligendus eſt non ſuppoſito auxilio gratiæ diuinæ, nam illo ſuppoſito quis dubitet,hominem ſe ab alio homine diſcernere, cùm dicat diuina Scriptura 1. Regum cap.7. *Præparate corda veſtra Domino.* & Ioelis cap.1.*Conuertimini ad Deum in toto corde veſtro.*& 2. ad Timoth.cap.2. *Quicunque ergo emundauerit ſe ab iſtis,erit vas in honorem.*& 2.Petri cap.1.*Satagite, vt* Auguſt.

per

per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis. Augustinus verò illum locum adducit contra Pelagium, qui necessitatem diuinæ gratiæ ad bona opera negabat. Ex his autem facilè resolui poterit tertium dubium principale huius controuersiæ quod est,

CAPVT XVII.

Dubium tertium, vtrùm ex parte prædestinati detur causa prædestinationis, quoad tertium effectum, qui est perseuerantia vsque in finem.

I. QVod in hoc dubio cõtrouertitur apud Scholasticos, non est, an homo suis viribus absque auxilio supernaturali valeat in bono vsque in finem perseuerare, vel an perseuerantia vsque in finem sit donum supernaturale. Certum enim est, illam esse donum supernaturale, & non posse hominem sine speciali auxilio supernaturali in bono vsque ad finem vitæ durare: estque hæc doctrina de fide definita ab Ecclesia Catholica contra Pelagianos in multis Conciliis, & per multa Romanorum Pontificum decreta: nam inter alios errores Pelagianorum etiam istum docebát, quòd homo si non de facto vitat omnia peccata, potest tamen ex naturæ viribus omnia vitare, item quòd Dei gratia sit necessaria, vt homo mundetur à peccato, non vt perseueret sine peccato. Videantur illorum errores suprà cap. 8. maximè secundus, quartus, septimus, decimus. Videantur etiam Semipelagianorum errores ibid. recitati propositione 33. 38. & 39. hos errores damnauit Ecclesia in Conciliis Milleuitano, Arausicano, & Tridentino, vt ibi ostendimus. Sed quod ad præsens spectat, damnatur eorum error, qui docent, sine speciali auxilio supernaturali hominem posse in bono vsque ad finem vitæ perseuerare in Concil. Carthaginensi in epistola ad Innocentium primum, & in Concil. Milleuitano in epistola ad eundem Innocentium primum, & in Concil. 2. Arausicano, in quo cap. 19. dicitur: *Natura humana etiamsi in illa integritate, in qua est condita, permaneret, nullo modo seipsam creatore suo non adiuuante seruaret. vnde cùm sine gratia Dei salutem non possit custodire, quam accepit, quomodo sine gratia Dei poterit reparare, quod perdidit?* & in Concil. Trident. sess. 6. de Iustific. can. 22. vbi dicitur. *Si quis dixerit, iustificatum vel sine speciali auxilio Dei in accepta iustitia perseuerare posse, vel cum eo non posse, anathema sit.*

Concil. Carthagin. Cõcil. Milleuit. Concil. Arausic. Conc. Trid.

Esse verò perseuerantiam in bono vsque ad finem vitæ donum Dei supernaturale, & speciale, probant in primis D. Cyprianus in expositione orationis Dominicalis, D. Augustinus toto lib. de bono perseuerantiæ, & inter recentiores Venerabilis Doctor Andreas Vega lib. 12. de Iustificat. cap. 21. vbi multa Conciliorum, & Pontificum decreta ad hoc probandum recenset, multas etiam sententias Patrum, Cypriani, Augustini, Hieronymi, Cyrilli, Bernardi, & Richardi nostri Victorini coaceruat, illorúmque rationes expendit, & amplificat, quarum illa videtur præcipua, qua vsi sunt etiam Patres Concilij Carthaginensis in epistola ad Innocentium, & ante illos D. Cyprian. Quia nisi perseuerantia supernaturaliter à Deo nobis daretur, vanè & fallaciter Christus nos docuisset illam à Deo orationibus postulare, & impetrare: Christus autem nos docuit Patrem orare, vt ne nos inducat in tentationem. & Matth. 26. & Marci 14. Apostolis dixit, *Vigilate, & orate, vt non intretis in tentationem.* quæ verba ponderantes Patres dicti Concilij in illa epistola: *Quis* (inquiunt) *non videat, inaniter a Domino peti, & fallaciter orari, cùm orando poscuntur, quæ natura iam condita sufficientibus viribus obtinentur? Neque debuisse dicere Dominum Iesum Christum, Vigilate, & orate, sed tantummodo, Vigilate, ne intretis in tentationem.* De hac re videri possunt, quæ scribunt Scholastici post D. Thom. 1. 2. q. 109. art. 10.

Cyprian. Augustin. Andr. Vega. D. Thom.

II. Illud ergo, quod circa præsens dubium controuertitur, est, an suppositò, quòd ad perseuerandum in bono vsque ad terminum præsentis vitæ necessarium sit speciale Dei auxilium ordinis supernaturalis, & illud auxilium poni in nobis non pendeat ex nostro libero arbitrio, tamen pendeat ex eodem libero arbitrio, quòd huiusmodi auxilium ponat, vel non ponat in nobis suum effectum. Itaque præsens dubium idem ferè est cum dubio præcedenti: illud enim dubium, quod oritur circa secundum effectum prædestinationis, qui est conuersio impij, & illius iustificatio, illud idem oritur etiam circa tertium effectum, qui est perseuerantia in bono vsque ad exitum vitæ, & ex eisdem fundamentis, quibus illud resolutum est, etiam istud resolui potest. Sed quia non solùm circa illud, sed etiam circa istud est specialis controuersia, videtur specialiter examinandum, ac resoluendum.

Sunt circa hoc dubium duæ opiniones Theologorum adinuicem pugnantes, & fortasse magis verbis, quàm sensu. Prima opinio est negatiua, quam vt illius autores explicent, dicunt primò, ipsum donum perseuerantiæ posse accipi dupliciter, vno modo pro ipso dono formali, siue pro auxilio præuenientis gratiæ, per quod Deus actiuè propriè efficit, vt homo velit perseuerare, & perseueret vsque in finem: altero modo pro effectu ipsius doni perseuerantiæ, qui comprehẽdit actus liberos, videlicet ipsum velle perseuerare, & alios actus bonos morales, per quos adimplet diuina mandata. Secundò notant, donum perseuerantiæ duobus modis dici efficax, vno modo tanquam in actu primo, alio modo in actu secundo. Esse autem efficacem in actu primo, est prius natura, quàm voluntas operetur, tribuere illi vires efficacissimas, vt velit. Esse verò efficacem in actu secundo, est actualiter, & in exercitio efficere consensum voluntatis vnà cum ipsa voluntate. His prænotatis suam sententiam istis conclusionibus declarant. Prima conclusio: Donum perseuerantiæ in ratione doni, & efficacia illius nullo modo pendet effectiuè ex libera cooperatione nostri liberi arbitrij, sed à solo Deo, atque ab efficaci, & absoluto decreto voluntatis eius, qui pro sua misericordia tribuit illud donum, cui vult. Secunda propositio: Si efficacia doni perseuerantiæ accipiatur in actu secundo pro efficientia, qua in nobis atque nobiscum efficit pias operationes, quibus iustus perseuerat vsque in finem, talis efficacia non est absque libera cooperatione arbitrij, non tamen dependet ab illa. Tertia propositio: Donum perseuerantiæ non tollit ab homine potentiam, qua potest non perseuerare, si velit, sed efficit, quòd cùm possit non perseuerare, infallibiliter perseueret.

Secunda verò opinio est affirmatiua docens, non pendere quidem ex libera hominis voluntate, quòd donum, & auxilium supernaturale ipsius perseuerantiæ ponatur in nobis: sed tamen illo posito pendere ex nostro libero arbitrio, quod ponat in nobis ipsum effectum actualis perseuerantiæ

vsque

vſque in finem, quemadmodum proportionaliter dictum eſt de prima gratia præueniente, quod illam poni, vel non poni in nobis, non pendet ex nobis, ſed tamen illa in nobis poſita, pendet ex nobis aliquo modo, quòd ponat in nobis effectum conſentus liberi arbitrij.

III. Circa has opiniones videtur primò dicendum, illas in re parum abinuicem diſtare. non enim eſt inter illas diſcrepantia circa tres concluſiones, quas ponit prima opinio: quia nullus, quod videre potuerim, dicit perſeuerantiæ donum ſub formali ratione doni, & illius efficaciam pendere ex libero noſtro arbitrio: nullus etiam dicit, efficientiam eiuſdem doni, qua efficit, & ponit in nobis ſuum effectum in actu ſecundo, pendere à noſtro libero arbitrio: nullus etiam negat, quòd donum perſeuerantiæ faciat homines certò, & infallibiliter perſeuerantes, itaut hæc duo ſimul ſtare valeant, hominem accipere à Deo donum perſeuerantiæ, & hominem de facto non perſeuerare, nam qui de facto non perſeuerat, tale donum non accipit, & qui accipit, perſeuerat, quia tale donum non accipitur, niſi ab illis, qui perſeuerant: & dicere, hominem accipere donum perſeuerantiæ, & non perſeuerare, eſt dicere contradictoria, ſicut dicere, homo currens non currit, & mouendo ſe non mouetur. Fuit hæc quorundam Maſſilienſium ignorantia, quam redarguit Auguſtinus libro de bono perſeuerantiæ capite 6. nolebant illi talem perſeuerantiam prædicari, quæ vel ſuppliciter emereri, vel amitti contumaciter non poſſet: hos redarguit Auguſtinus, *Quia quid dicant, parum diligenter attendunt: de illa enim perſeuerantia loquimur, qua vſque in finem perſeuerator, qua ſi data eſt, perſeueratum vſque in finem eſt: ſi autem non perſeueratum eſt vſque in finem, non eſt data, quod iam ſuperius ſatis egimus. Non itaque dicant homines, perſeuerantiam cuiquam datam vſque in finem, niſi cum venerit finis, & perſeueraſſe, cui data eſt, repertus fuerit vſque in finem.* Hæc Auguſtinus. ex quibus videas, eos, qui dicunt, hominem accipientem donum perſeuerantiæ de facto minimè perſeuerare, contradictoria dicere.

Auguſt.

IV. Ex alio etiam capite cùm autores primæ opinionis concedant, iſtud donum, quod gratis à Deo nobis confertur, quoad actualem efficientiam, & in actu ſecundo non ponere in nobis ſuum effectum abſque noſtra libera cooperatione, & ita certò, & infallibiliter in nobis ponere ſuum effectum, vt tamen relinquat in homine potentiam, qua poſſit non perſeuerare, ſi velit, ſi nomine potentiæ illi intelligant potentiam proximam, de qua eos loqui oportet, ſi ad rem loquuntur, non videntur quoad rem diſſentire ab autoribus ſecundæ opinionis: nam illi, dum aiunt, dari aliquã cauſam ex parte prædeſtinati, ob quam præparatio talis doni ſortiatur rationem, & effectum prædeſtinationis, hoc ſolùm volunt dicere, quòd donum perſeuerantiæ non ponit in homine effectũ actualis perſeuerantiæ, abſque libera cooperatione liberi noſtri arbitrij, & relinquit ipſum arbitrium ita liberum ad cooperandum, & perſeuerandum vſque in finem, vt licèt de facto perſeueraturum ſit, tamen poſſet non perſeuerare, ſi vellet.

Solùm videtur eſſe controuerſia in modo loquendi, an propter hoc, quòd efficacia talis doni nõ eſt ſine cooperatione libera noſtri arbitrij, ſit concedendum, talem efficaciam pendere ab ipſa cooperatione liberi arbitrij, & reſpectu talis effectus poſſe aſſignari cauſam ex parte prædeſtinati, & ex parte eiuſdem poſſe dari aliquam cauſam, ob quam præparatio talis doni ſortiatur rationẽ, & effectum prædeſtinationis. Autores nanque primæ opinionis id negant, ne videantur concedere, gratiã Dei liberi noſtri arbitrij eſſe pediſſequam, & illius efficaciam ex eodem libero arbitrio pendere, & ſic errori Pelagianorum & Semipelagianorum aliquo modo ſaltem in ſpecie adhærere: autores autem ſecundæ opinionis cum Catholicis agentes, & ab illis ſe catholicè intelligi arbitrantes, id concedũt, ne videantur cum Manichæis, Lutheranis, & Caluinitis per efficaciam diuinæ gratiæ arbitrij noſtri libertatem deſtruere. In re autem omnes conueniunt, ita prædicandam Dei gratiam bonorum omnium effectricem, vt per illius efficaciam arbitrij libertatem minimè auferamus.

Dicetur non ſolùm de modo, ſed etiam de re diſcordiam eſſe inter autores vtriuſque opinionis. nam qui primam ſententiam tuentur, ideo negant, dari cauſam prædeſtinationis ex parte prædeſtinati comparatione huius effectus, qui eſt perſeuerare in bono vſque ad finem, aut dari cauſam, ob quam præparatio talis doni ſortiatur rationem prædeſtinationis, quia donum perſeuerantiæ ad gratiam præuenientem ſpectat, auxilium autem præueniens efficax influit phyſicè non ſolùm in effectum, ſed etiam in ipſam cauſam, quæ eſt voluntas, & phyſicè mouet, & determinat ipſam voluntatem ad effectum, & illius influxus ordine rationis, & cauſalitatis eſt prior influxu ipſius voluntatis in eundem effectum: & ob hanc cauſam arbitrantur, non poſſe efficaciam talis doni pendere ab vſu liberi arbitrij, quia effectus non poteſt eſſe cauſa ſuæ cauſæ, neque cauſa dicitur pendere à ſuo effectu. Qui autem concedunt, ex parte prædeſtinati poſſe aſſignari cauſam, ob quam præparatio talis doni ſortitur rationem, & effectum prædeſtinationis, ideo affirmant, quia arbitrantur, influxum auxiliorum etiam præuenientium, & efficacium non eſſe influxum in ipſam voluntatem, ſed cum illa in effectum, neque voluntatem phyſicè mouere, & prædeterminare, ſed moraliter tantùm. Apparet igitur non ſolùm de modo loquendi, ſed de re inter illos eſſe non leuem diſcordiam. V.

Reſpondeo, quidquid ſit de phyſicis prædeterminationibus, & de quæſtione illa, an concurſus primæ cauſæ ſit influxus in ſecundas cauſas, an ſolummodo cum ſecundis cauſis in illarum effectus, videri mihi adhuc de re, de qua modò agimus, ſolùm eſſe diſcordiam de modo loquendi, non de re ipſa, quod ſic oſtendo. Nam qui ponunt, concurſum primæ cauſæ eſſe influxum in voluntatem ipſam, & voluntatem per efficax auxiliũ gratiæ præuenientis phyſicè ad conſenſum determinari, affirmãt nihilominus, illam ita prædeterminare, vt relinquat in volũtate potentiam ad non conſentiẽdum, & loquendo in ſubiecta materia dicunt, per efficax donum perſeuerãtiæ voluntatem noſtrã ita phyſicè prædeterminari ad perſeuerandũ, vt tamẽ poſſet nõ perſeuerare, ſi vellet: illi autem, qui dicũt cõcurſum primæ cauſæ eſſe ſolum influxum in effectum, non autem in ipſam voluntatem, & phyſicas prædeterminationes negant, ideo illas negant, quia arbitrantur, illis admiſſis non relinqui in facultate voluntatis, poſſe apponere, vel nõ apponere conſenſum perſeuerare, vel non perſeuerare, ſed neceſſitari ad ponendum conſenſum, & perſeuerandum. Conueniunt itaque ambæ opiniones in puncto principali, quod eſt, poſito in nobis dono perſeuerantiæ relinqui in noſtra voluntate libertatem, & potentiam ad perſeuerandum, aut non perſeuerandũ, & differunt in modo loquendi,

quoniam ob talem libertatem, & potentiam ad perſeuerandum, vel non perſeuerandum quidam admittunt hanc propoſitionem: Datur ex parte prædeſtinati aliqua cauſa ſaltem, ſine qua præparatio doni perſeuerantiæ non ſortiretur effectum prædeſtinationis, quidam verò eam admittere recuſant.

VI. Dicetur, cùm ipſemet conſenſus voluntatis ad perſeuerandum ſit effectus eiuſdem prædeſtinationis, & doni perſeuerantiæ, vix intelligibile eſt, illum poſſe habere vllam rationem cauſalitatis, quocunque nomine illa vocetur, in ordine ad diuinam prædeſtinationem, & ad ipſum donum perſeuerantiæ.

Reſpondeo, influxus voluntatis proprie nullam habet cauſalitatem in ordine ad prædeſtinationem, aut ad donum perſeuerantiæ, ſed tantùm habet cauſalitatem in ordine ad effectum ipſius actualis perſeuerantiæ, qui effectus licèt ſit effectus diuinæ prædeſtinationis, eſt tamen effectus etiam liberæ noſtræ voluntatis; & qui intelligit diſtinctionem illam de duplici genere effectuum, quorum Deus ponit aliquos in nobis ſine nobis, alios autem non ſine noſtro libero conſenſu, & concurſu, quam ſuperiùs explicauimus, facilè intelliget, qua ratione etiamſi ipſe effectus actualis perſeuerantiæ, immo ipſe influxus, & conſenſus voluntatis ad perſeuerandum ſit effectus diuinæ prædeſtinationis, & doni perſeuerantiæ, nihilominus aliquo modo pendeat ex libera hominis voluntate, præparationem talis doni habere rationem, & ſortiri effectum ipſius prædeſtinationis.

VII. Secundò reſpondeo ad principalem inſtantiam, licèt nonnulli ſentiant, concurſum primæ cauſæ non eſſe influxum in voluntatem, ſed ſolùm in illius effectum, & voluntatem per auxilium gratiæ præuenientis non moueri phyſicè, ſed moraliter tantùm: eſſe tamen alios, qui admittant, per auxilium præuenientis gratiæ moueri ipſam voluntatem non ſolùm moraliter, ſed etiam phyſicè, & inter iſtos, & illos nihilominus ſolùm de modo loquendi eſſe controuerſiam, non autem de re, quod ſuprà lib. 3. cap. 30. ad 11. & lib. 4. cap. 20. inſinuatum fuit, & infrà lib. 9. cap. 8. ex profeſſo eſt probandum.

VIII. Secundò videtur circa principale dubium dicendum, poſſe abſque vllo erroris periculo concedi, dari ex parte prædeſtinati aliquam cauſam, ob quam præparatio doni ſupernaturalis finalis perſeuerantiæ ſortiatur rationem, & effectum prædeſtinationis, ſiue, quod idem eſt, dari ex parte prædeſtinati prædeſtinationis cauſam reſpectu effectus finalis perſeuerantiæ. Hæc aſſertio ſufficienter probatur omnibus teſtimoniis, & rationibus, quibus cap. 14. & 15. oſtendimus, probabilem eſſe opinionem illorum, qui dicunt, poſſe aſſignari cauſam ex parte prædeſtinati, ob quam præparatio auxiliorum gratiæ præuenientis ſortiatur effectum, & rationem prædeſtinationis. Si nanque poteſt aſſignari aliqua ratio prædeſtinationis ex parte prædeſtinati quoad ſecundum effectum prædeſtinationis, qui eſt conſenſus ſupernaturalis liberi arbitrij, multo magis poterit aſſignari quoad tertium effectum, qui eſt finalis perſeuerantis in bono. Videtur autem hæc eadem aſſertio elici non obſcurè ex Concil. Trident. ſeſſ. 6. de Iuſtificat. cap. 13. dum inquit: *Deus enim, niſi ipſi (ſcilicet iuſtificati) ſeiunctam gratiam defuerint, ſicut cœpit opus bonum, ita & perficiet, operans velle & perficere.* Conc. Trid.

Huc etiam tendere videntur illæ diuinæ Scripturæ exhortationes, quibus nos exhortatur, ad perſeuerandum vſque in finem. Matth. cap. 10. & 24. & vt cum timore, & tremore noſtram ſalutem operemur ad Philippen. 2. vt qui ſtat, videat, ne cadat, prima ad Corinth. 10. & vt omni tempore veſtimenta noſtra munda à peccatorum ſordibus ſeruemus, Eccleſiaſt. 9. & Apocalyp. cap. 16. & vt pugnemus, & vincamus, & cuſtodiamus vſque in finem opera Dei, & teneamus, quod habemus, ne alius accipiat coronam noſtram, Apocalyp. 2. & alia id genus ſexcenta, ex quibus habemus hanc aſſertionem ſatis euidenter probatam. Nam, vt Auguſtini argumento, quo ille in lib. de bono perſeuerantiæ cap. 2. & alibi frequenter vtitur, ad probandum quòd perſeuerantia ſit donum ſupernaturale, nos quoque inſtituto noſtro applicantes vtamur, ſicut ex eo, quod diuina Scriptura nos docet, poſtulare à Deo perſeuerantiam, colligitur, ipſam perſeuerantiam eſſe donum Dei ſupernaturale, ita ex eo, quia diuina Scriptura nos hortatur ad perſeuerandum, & monet, cautos, & ſolicitos eſſe ne à Dei gratia excidentes amittamus ſpei noſtræ confeſſionem, colligitur, eſſe in noſtra poteſtate, & ex libero arbitrio noſtro pendere, perſeuerare vſque in finem, vel ab ipſo fine excidere. Nam ſicut vanè, & irriſoriè diuina Scriptura nos doceret poſtulare à Deo perſeuerantiam, ſi illa Dei donum non eſſet, vt Auguſtinus ibi, & Patres Concilij Carthagin. in epiſtola ad Innocentium primum argumentantur: ita poſſumus nos argumentari, quòd vanè, & irriſoriè diuina Scriptura nos hortaretur ad perſeuerandum, ſi in noſtra poteſtate poſitum non eſſet, & ex libero noſtro arbitrio aliquo etiam pacto non penderet, quòd ipſum donum Dei ſupernaturale poneret in nobis, ſuum effectum. nam quæ maior ratio eſſe poteſt de vno, quàm de alio. Auguſtin.

CAPVT XVIII.

Argumenta quædam contra prædicta afferuntur, & ſoluuntur.

I. COntra hanc doctrinam adducuntur à nonnullis recentioribus quædam teſtimonia Cõcilij Tridentini, & Auguſtini, nec non D. Thomæ, quæ operæ pretium eſt examinare, & explicare, ne fortaſſe aliquo pacto illi officere ſaltem apparenter videantur. Primò itaque afferunt teſtimonium Concilij Trident. ſeſſ. 6. de Iuſtificat. cap. 13. dicentis, *Similiter de perſeuerantia munere, de quo ſcriptum eſt, e Matth. 10. & 24. Qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit. quod quidem aliunde haberi non poteſt, niſi ab eo, qui poteſt eum, qui ſtat ſtatuere, vt perſeueranter ſtet, & eum, qui cadit, reſtituere, nemo ſibi aliquid abſoluta certitudine polliceatur.* ex hoc loco deducunt, donum perſeuerantiæ non pendere ex libero arbitrio: nam aliàs poſſet aliunde haberi, quàm ex Deo. Quod ſi dicatur, illud donum haberi quidem à ſolo Deo effectiuè, ſed Deum illud conferre cum præſcientia, quòd poſito illo in nobis liberum arbitrium ſit liberè perſeueraturum, ex qua præſcientia tale auxilium ſortitur rationem doni perſeuerantiæ. Conc. Trid.

Contrà obiiciunt primò, quia Concilium abſolutè, & formaliter loquitur de dono perſeuerantiæ. Ergo quanuis actus producti à libero arbitrio moto à Deo per donum perſeuerantiæ pendeant ex ipſo arbitrio, tamen efficacia auxilij in ratione doni

doni perſeuerantiæ nullo modo pendet actiuè; vel tanquam à conditione, ſine qua, non ex libera cooperatione noſtri arbitrij.

Secundò obiiciunt, quia Maſſilienſes hoc modo explicabant donum perſeuerantiæ, quòd Deus tribuebat homini auxilium ſupernaturale, ſine quo per liberum arbitrium perſeuerare non poterat, ſed tamen cum illo auxilio perſeuerabat homo actualiter, ſi volebat, ſi autem nolebat, non perſeuerabat, affirmabant autem, donum illud amitti poſſe per hominis voluntatem, neque admittebant donum aliquod præoperantis gratiæ, per quod Deus actiuè propriè efficeret hominem ex nolente volentem, & perſeuerantem, ſicut colligitur ex epiſtola Hilarij ad Auguſtinum, in qua illorum errores recenſet, contra quos Auguſtinus in lib. de bono perſeuerantiæ capite primo, ſecundo, ſexto, ſeptimo, octauo, & nono, oſtendit, donum perſeuerantiæ amitti non poſſe contumaci hominis voluntate.

Hilarius. Auguſt.

Reſpondetur, donum perſeuerantiæ in ratione doni nullo modo pendere ex noſtro libero arbitrio effectiuè, neque eſſe aliquem Theologum, quod videre potuerim, qui oppoſitum affirmet. ſolùm ſunt aliqui dicentes, pendere aliquo modo ex libero hominis arbitrio, quòd tale donum ponat ſuum effectum in ipſo homine, ſicut pendet ex libero arbitrio, quòd Deus ponat in homine alios quoſcunque effectus, quos de lege ordinaria ſtatuit ponere in homine, niſi ipſo homine liberè cooperante, & dicentes, pendere aliquo pacto ex libero hominis arbitrio, quòd tale donum habeat rationem doni perſeuerantiæ, quatenus pendet aliquo pacto ex eodem libero arbitrio, quòd huiuſmodi donum ponat in homine ſuum effectum, neque contrà ſic dicentes aliquo modo facit autoritas Concilij Trident. neque autoritas D. Auguſtini, neque in hoc ſenſu Auguſtinus vnquam ſententiam Maſſilienſium impugnauit, ſed in alio ſenſu longè diuerſo.

II. Ad cuius rei euidentiam notandum eſt, Maſſilienſes tria de dono perſeuerantiæ docuiſſe. Primò ad perſeuerandum in bono vſque in finem hominem non egere ſpeciali aliquo auxilio ſupernaturali, itaut, qui de facto perſeuerant, habeant verè aliquod donum ſupernaturale, quod non habuerunt illi, qui de facto minimè perſeuerant. Secundò quòd ſi homo egeat tali auxilio, illud tamen poteſt à Deo ſuppliciter emereri. Tertiò quòd illud donum poteſt contumaciter amitti. non enim tribuit homini, vt de facto perſeueret, ſed ſolùm, vt perſeuerare poſſit. & demum illi arbitrantur, auxilium, quod Deus modò tribuit homini, vt de facto perſeueret, parum aut nihil diſtare ab auxilio, quod collatum fuit Adæ in ſtatu innocentiæ. Primum autem dictum Auguſtinus refutat tanquam errorem in fide, & in eo refutando totus eſt in toto lib. de bono perſeuerant. in quo oſtendit, hominem, qui perſeuerat, ſemper accipere à Deo ſpeciale auxilium, quod non accipit, qui non perſeuerat, & tale auxilium non ſolùm tribuere homini poſſe perſeuerare, ſed etiã de facto perſeuerare, & plurimum per hoc ab auxilio Adæ in ſtatu innocentiæ collato diſtare. Secundum dictum non ſolùm non reiicit, ſed apertè admittit de bono perſeuerantiæ cap. 6. dicens: *Hoc ergo Dei donum ſuppliciter emereri poteſt, ſed cùm datum fuerit, contumaciter amitti non poteſt.* Tertium autem dictum nõ refutat tanquam errorem, ſed tanquam manifeſtam inuoluens repugnantiam, & cõtradictionem. Qui enim dicebant, donum finalis perſeuerantiæ poſſe contumaciter amitti, quid dicerent, minimè intelligebant. audiamus illius verba, quemadmodũ Auguſtinus illorum ſententiam redarguat loco proximè citato. *Sed nolunt* (inquit) *ve ſcribatis, iſtos fratres ita hanc perſeuerantiam predicare, vt non vel ſuppliciter emereri, vel amitti contumaciter poſſit. vbi quid dicant, parum diligenter attendunt, de illa enim perſeuerantia loquimur, qua vſque in finem perſeueratur, qua ſi data eſt, perſeueratum eſt vſque in finem: ſi autem nõ eſt perſeueratum vſque in finem, non eſt data, quod iam ſuperiùs ſatis egimus. non itaque dicam homines, perſeuerantiam cuiquam datam vſque in finem, niſi cùm ipſe venerit finis, & perſeuerauſſe, cui data eſt, reperetur fuerit vſque in finem.* Ex his verbis non ſolùm apparet, qui fuerit error Maſſilienſium, quem Auguſtinus redarguit, ſed quæ ſit illa perſeuerantia, quam cùm data fuerit, docet non poſſe contumaciter amitti, & quam ob cauſam illa cùm data fuerit, contumaciter amitti minimè poſſit. quod vt clariùs explicetur,

Auguſt.

III. Secundò notandum eſt, nomine perſeuerantiæ duo intelligi poſſe. Primò enim intelligere poſſumus totam ſeriem auxiliorum diuinorum, & operum liberi arbitrij ex eiſdem auxiliis profectorum, quibus homo ſemel conſtitutus in gratia perdurat vſque ad terminum vitæ. Secundò poſſumus doni perſeuerantiæ nomine intelligere illud tantùm auxilium ſupernaturale, quo homo conſtituitur in termino vitæ in Dei amicitia, & gratia. Et quidem ſi ſermo ſit de perſeuerantia primo modo accepta pro ſerie auxiliorum vſque ad vltimum illud auxilium, quo iuſtus conſtituitur in termino vitæ, præſcindendo tamen ab illo vltimo auxilio, non eſt dubium, quin donum perſeuerantiæ poſſit contumaciter amitti, ſicut non eſt dubium, hominem conſtitutum in Dei gratia, poſſe ab illa excidere, eſto de facto non excidat: hæc enim eſt conditio cuiuſcunque viatoris, etiamſi ſit in gratia confirmatus, non enim ab Apoſtolis per gratiam confirmationis ablata eſt potentia peccandi, quandiu viatores fuerunt; ſed ſolùm tenuit eos gratia, ne de facto laberentur. Huc tendunt omnes diuinæ Scripturæ exhortationes, quibus nos hortatur ad perſeuerantiam, non enim loquuntur de illa vltimata perſeuerantia, qua quis in termino vitæ conſtituitur, ſed de perſeuerantia, qua homo ſemel in Dei gratia conſtitutus cum diuino auxilio, quod etiam ſpecialiter ad hunc effectum nobis traditur, ſeipſum impollutum à peccatorum ſordibus cuſtodit vſque ad terminum vitæ, Diaboli tentationes oblatas ſuperando, & ſe in bonis operibus aſſiduè exercendo. De hac itaque perſeuerantia ſi loquamur, primò dubium non eſt, illam poſſe amitti. Secundò ſi non amittitur, poſſe ex parte noſtra aſſignari cauſam, ob quam non amittatur. Tertiò illam numerandam inter effectus diuinæ prædeſtinationis, & tandem quòd ex parte prædeſtinati poſſit aſſignari aliqua cauſa prædeſtinationis comparatione huius effectus perſeuerantiæ in bono vſque in finem.

IV. Si autem loquamur de perſeuerãtia accepta pro ſolo illo vltimo auxilio, quod Deus confert homini iuſto in fine vitæ, per quod conſtituit illum in termino ſuæ viæ, adhuc diſtinguere oportet. nã duobus modis intelligere poſſumus, iſtud donum eſſe amiſſibile, vno modo antequam acceptum ſit, quia poteſt homo ſe impedire, ne illud accipiat, cùm tamen infallibiliter eſſet accepturus, ſi impedimentum non poneret: alio modo poſtquã acceptum eſt. quod adhuc duobus modis contingit,

vno modo in actu primo tantùm : alio modo in actu ſecundo, ſuppoſito nanque, quòd iſtud auxilium ſit de præuenientibus, oportet priùs illud concipere in actu primo poſitum eſſe in nobis, antequam liberum arbitrium cum illo exeat in actum ſecundum. Rurſus diuinum ipſum auxilium, vt iam acceptum in actu primo duobus modis concipi poteſt, vno modo ſub præciſa ratione auxilij præuenientis præſcindendo à præſcientia, quòd liberum arbitrium pro ſua libertate ſit cooperaturum ipſi, & ab intentione, qua Deus illud confert ad hunc finem, vt liberum arbitrium de facto illi cooperando conſtituatur in termino ſuæ vitæ alio modo, vt collatum cum præſcientia, quòd ſi illud conferretur, ipſum liberum arbitrium pro ſua libertate eſſet cooperaturum, & ex intentione efficaci, vt cooperando conſtituatur in termino ſuæ vitæ.

V. Ex his notationibus facilè apparet, quænam ſit perſeuerantia, quam Auguſtinus dicit non poſſe contumaciter amitti, & ſub qua ratione illa ſit inamiſſibilis. Primò nanque ſi nomine perſeuerantiæ accipiatur ſpeciale illud auxilium, quo homo in Dei gratia, & amicitia in vltimo vitæ ſuæ termino conſtituitur, vt iam exiſtens in homine, & habens in illo ſuum effectum in actu ſecundo, tale donum eſt prorſus inamiſſibile. implicaret autem manifeſtam repugnantiam in terminis, hominem ſic accepiſſe donum perſeuerantiæ, & poſſe tale donum contumaciter amittere, vt Auguſtinus optimè argumentatur in lib. de bono perſeuerant. cap. 6. quia illa non eſt data niſi ei, qui de facto perſeuerauit vſque in finem. Si autem non eſt perſeueratum vſque in finem, iam talis perſeuerantia non eſt data. De hac perſeuerantia loquitur Auguſtinus vbicunque dicit, donum perſeuerantiæ contumaciter amitti non poſſe: loquitur, inquam, de vltimo illo auxilio, per quod homo ponitur in termino viæ, vt iam accepto in actu ſecundo. Ita ipſemet expreſsè loco proximè citato fatetur, di-

Auguſt. cens : *Non itaque dicant homines, perſeuerantiam cuiquam datam vſque in finem, niſi cum ipſe venerit finis, & perſeuerauerit, cui data eſt, repertus fuerit vſque in finem. dicemus quippe caſtum, quem nouimus caſtum, ſine ſit ſine non ſit in eadem caſtitate manſurus, & ſi quid aliud diuinis muneris habeat, quod teneri, & amitti poteſt, dicimus eum habere, quandiucunque habet, & ſi amiſerit, dicimus habuiſſe. Perſeuerantiam verò vſque in finem, quoniam non habet quiſquam, niſi qui perſeuerauerit vſque in finem, multi eam poſſunt habere, nullus amittere : neque enim metuendum eſt, ne fortè cùm perſeuerauerit homo vſque in finem, aliqua in eo mala voluntas oriatur, ne perſeueret vſque in finem. Hoc ergo donum ſuppliciter emereri poteſt, ſed cùm fuerit datum, amitti contumaciter non poteſt: cùm enim perſeuerauerit quiſque vſque in finem, neque hoc donum poteſt amitti, nec alia quæ poterat ante finem. Quomodo enim poteſt amitti, per quod fit, vt non amittatur etiam, quod poſſet amitti?* Hæc Auguſtinus. Ex quibus habes, quæ ſit perſeuerãtia, quam ille vocat inamiſſibile donum, quam ob cauſam illa ſit inamiſſibilis, & quo tempore homini conferatur.

Secundò, ſi loquamur de eodem auxilio, quod Deus confert homini in fine vitæ, vt accepto ſolùm in actu primo, ex intentione tamen, & ex præſcientia infallibili, quod ponere debeat in homine ſuum effectum in actu ſecundo, tale donum eſt etiam inamiſſibile. quia ſic acceptum, & conceptum habet rationem effectus diuinæ prædeſtinationis, & ſub tali ratione eſt inamiſſibilis eo modo, quo dicimus etiam prædeſtinatum, quatenus eſt prædeſtinatus in ſenſu compoſito, non poſſe damnari : quia implicat, gratiam prædeſtinationis, quatenus talis eſt, non ponere in prædeſtinato ſuum infallibilem effectum.

Tertiò, ſi loquamur de eodem finali auxilio VI. ſupernaturali concepto ſolùm in actu primo, ſecundùm ſuam entitatem, præſcindendo ab intentione, & præſcientia futuræ cooperationis liberi noſtri arbitrij, illud donum amitti poteſt. Probatur, quia etiam gratia, quæ primò tribuitur ipſi prædeſtinato, vt ſic concepta, obiici poteſt, quantuncunque efficax illa ſit, vt dicit Concil. Trident. ſæpe allegatum in ſeſſ. 6. cap. 5. & can. 4. ſenſus enim huius propoſitionis eſt, quòd poſita quacunque gratia præueniente, quantuncunque efficaci, quandiu illa ſolùm concipitur in actu primo, liberum arbitrium poteſt pro ſua libertate illi aſſentire, vel diſſentire. eſto ipſi gratiæ efficaci de facto minimè ſit diſſenſurum.

Quartò, ſi loquamur de eodem finali auxilio, vt nondum habito, illud poteſt contumaciter amitti : quia homo efficere poteſt, vt illud non accipiat, quod tamen niſi ipſe eſſet in culpa, infallibiliter eſſet acceptarus. Iuxta hunc ſenſum admittit Auguſtinus loco citato donum perſeuerantiæ poſſe contumaciter amitti. *Sed ne fortè* (inquit) *dicatur, vſque in finem perſeuerantiam non amitti quidem, cùm data fuerit, id eſt, cùm perſeueratum fuerit vſque in finem, ſed tunc amitti quodammodo, quando agit homo per contumaciam, vt ad eam peruenire non poſſit : ſicut dicimus, hominem, qui non perſeuerauit vſque in finem, amiſiſſe vitam æternam, vel regnum Dei, non quod iam acceperat, & habebat, ſed quod acciperet, & haberet, ſi perſeueraſſet. Verborum controuerſias auferamus, & nonnulla etiam quæ non habentur, ſed haberi ſperantur, poſſe dicamus amitti.* In hoc ſenſu fortè dicebant nonnulli Maſſilienſes, donum perſeuerantiæ poſſe contumaciter amitti.

Tandem ſi nomine perſeuerantiæ intelligamus totam ſeriem diuinorum auxiliorum, quæ homini in gratia conſtituto conferuntur ad vitandum peccata, & ad perſeuerandum in Dei amicitia, talis perſeuerantia poteſt contumaciter amitti, vt ſatis probant teſtimonia diuinæ Scripturæ ſuprà allegata. Et per hæc patet, quid dicendum ad teſtimonium ex D. Auguſtino allegatum, ille nanque in libro de Bono perſeuerantiæ, necnon in libro de Corrept. & gratia capite 8. & capite 12. cùm docet, perſeuerantiæ donum, cùm datum fuerit, amitti non poſſe, loquitur de dono perſeuerantiæ, quod confertur à Deo in fine vitæ, per quod homo in termino viæ conſtituitur, vt exiſtens, & habens ſuum effectum in actu ſecundo. Cum quo ſtat, vt ex parte prædeſtinati poſſit aſſignari aliqua ratio, ſine qua etiam tale donum, vt conceptum in actu primo non poneret in ipſo prædeſtinato actum ſecundum.

Sed contra hanc reſponſionem eſt inſtantia. VII. nam Auguſtinus dicit, ideo donum perſeuerantiæ contumaciter amitti non poſſe, quia auxilium doni perſeuerantiæ talis eſt naturæ, & efficacitatis, vt tribuat homini in bono liberrimam, fortiſſimam, inuictiſſimam, & perſeuerantiſſimam voluntatem, & quia per tale auxilium Deus operatur in homine velle, & perficere, & facit, vt homo velit, & faciat, illum indeclinabiliter, & inſeparabiliter agendo. ita enim ait Auguſtinus ipſe locis proximè citatis ex lib. de Corrept. & gratia cap. 8. & cap. 12.

Reſpon

Respondeo, legitimam interpretationem verborum Augustini colligi ex verbis illius, quæ habet eodem lib. cap. 8. vbi exponens verba illa, *Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua*, ait: *Quando ergo orauit, ne fides eius deficeret, quid aliud rogauit, nisi vt haberet in fide libertimam fortissimam,* Auguſt. *inuictissimam, & perseuerantissimam voluntatem.* & lib. de Gratia & libero arbitrio cap. 16. vbi ait, *Certum est, nos velle, cùm volumus, sed ille facit, vt velimus bonum, de quo dictum est: Præparatur voluntas à Domino, & a Domino gressus hominis diriguntur, & Deus est, qui operatur in nobis velle, & perficere. certum est, nos facere, cùm facimus, sed ille facit, vt faciamus, vires præbendo efficacissimas voluntati.* Facere autem, vt faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati, & præbendo nobis libertimam, inuictissimam, perseuerantissimam, & fortissimam voluntatem, non est voluntatem nostram ita physicè præmouere, aut prædeterminare ad volendum, vt non sit in eius facultate velle, & non velle, & ex eius libertate non pendeat aliquo modo, vt ponat actum volendi: immo verò, qui hic mouet voluntatem, illam mouet, vt ipsa seipsam liberè moueat, & ex illius libertate pendeat eius motus, & in eius potestate positum sit, moueri, aut non moueri. Potest hæc res illustrari exemplo sumpto ex Actis Apostolorum cap. 3. Iacebat ad portam templi claudus quidam ex vtero matris suæ, Petrus Apostolus ait illi: In nomine Iesu Christi Nazareni surge, & ambula. quo dicto consolidatæ sunt statim bases eius, & plantæ. insuper apprehensa manu illius de terra eum leuauit, & ambulare fecit. Negari non potest, Petrum vere fecisse illum claudum ambulare, præbendo illi vires efficacissimas ad ambulandum, & manu illum subleuando, & iubendo etiam, vt ambularet, & nihilominus, quis negabit, relictum fuisse in libera voluntate eiusdem claudi, ambulare, vel non ambulare, & ex eius libera voluntate dependisse illum actum ambulandi? Ita Deus primò per auxilium gratiæ præuenientis vires liberi arbitrij sanat, & roborat. addo etiam, mouet, & inclinat non solùm moraliter suadendo, alliciendo, & inuitando, sed quodammodo physicè per immissionem piæ affectionis: mox extendens manum gratiæ adiuuantis liberum arbitrium de facto sublenat, & adiuuat ad volendum id, quod bonum est, & ad ambulandum, & perseuerandum in bono. & nihilominus ex libera hominis voluntate pendet etiam aliquo modo velle ambulare, & velle perseuerare.

VIII. Verùm obiiciet adhuc aliquis verba illa Augustini dicto loco cap. 8. lib. de Correp. & gratia. *An audebis dicere etiam rogante Christo, vt non deficeret fides Petri, defecturam fuisse, si Petrus eam deficere voluisset, id est, si eam vsque in finem perseuerari noluisset? Quasi aliud Petrus vllo modo vellet, quàm pro illo Christus rogasset, vt vellet. Nam quis ignorat, tunc perituram fuisse fidem Petri, si ea, qua fidelis erat voluntas, ipsa deficeret, & permansuram, si voluntas eadem maneret. Sed quia præparatur voluntas à Domino, ideo pro illo non posset esse inanis oratio.*

Respondeo, verba sequentia, quæ nos suprà adduximus, satis sunt, ad mentem Augustini declarandam, subdit enim: *Quando ergo orauit, ne fides eius deficeret, quid aliud rogauit, nisi vt haberet in fide libertimam, fortissimam, & inuictissimam, & perseuerantissimam voluntatem.* Igitur orante Christo pro Petro, vt non deficeret fides illius, factum est vt Petri fides non deficeret, non quòd ablata fuerit à Petro libera facultas in fide perseuerandi, sed quia Christi oratio obtinuit, vt Deus Petri voluntatem tot diuinæ gratiæ præsidiis muniret, & roboraret, vt de facto nullo modo esset à fide ipsa defecturus, licèt pro sua libertate deficere potuisset, quemadmodum de quibusdam viatoribus in gratia confirmatis dicimus, illos firmissimis diuinæ gratiæ præsidiis ita fuisse munitos, vt nunquam à Dei gratia forent casuri, licèt pro sua ipsorum libertate illi cadere potuissent.

Verùm instant adhuc. Si concedendum esset, quòd efficacia doni perseuerantiæ penderet aliquo modo ex libera cooperatione arbitrij, sequeretur, quòd perseuerantia, quæ datur prædestinatis per Christum, non tribueret eis, vt actu perseuerent, sed solùm, vt possint perseuerare, si velint. Consequens est falsum, quia tunc donum perseuerantiæ, quod modò datur prædestinatis, non differret ab eo, quod collatum fuit Adæ in statu iustitiæ originalis, vt dicebant Massilienses, quorum sententiam confutat Augustinus lib. de bono perseuerantiæ cap. 7. & de Corrept. & gratia cap. 11. & alibi.

Respondeo negando sequelam. donum nanque perseuerantiæ, quod modò Deus tribuit prædestinatis, non solùm dat illis posse perseuerare, si velint, sed etiam, vt de facto perseuerent, non quidem eorum voluntates ita afficiendo, vt non pendeat ex libera eorum cooperatione, ipsum perseuerare, sed quia tribuit illis hoc donum taliter ipsorum voluntatibus contemperatum, & proportionatum secundùm omnes circumstantias, quod cum tali dono videt, illos pro ipsorum libertate esse infallibiliter perseueraturos.

CAPVT XIX.

An donum perseuerantiæ finalis aliquo modo cadat sub merito nostro.

I. ALia etiam ratione præter hactenus assignatas videtur supradicta doctrina posse à nobis probari. nanque dari aliquo pacto causam ex parte prædestinati, ob quam præparatio doni finalis perseuerantiæ sortiatur rationem prædestinationis, ex hoc etiam capite potest euidenter suaderi, quòd licèt præclarissimum istud donum non possit à nobis mereri de condigno, potest tamen ab homine in gratia constituto saltem misericorditer, & suppliciter impetrari, siue sub aliis verbis mereri de congruo. Et quòd donum perseuerantiæ possimus de congruo mereri, docet apertissimè idem Augustinus lib. de bono perseuer. Auguſt. cap. 6. dicens: *Hoc ergo Dei donum suppliciter emereri potest: sed cùm datum fuerit, amitti contumaciter non potest.* Eandem autem doctrinam tradit Augustinus toto illo libro, cùm docet præclarissimum hoc donum esse nobis à Deo precibus impetrandum, quod etiam docuerat S. Cyprianus, cuius ille autoritates ibi passim citat. Idem autem est apud Augustinum, nos posse orationibus aliquid à Deo impetrare, quod posse de congruo illud emereri, vt colligitur ex epistola illius 105. ad Sixtum.

Deinde docet idem Augustinus lib. de Prædestin. sanctorum cap. 7. primum donum, quod homo accipit à Deo, esse fidem, & mediante fide cætera dona impetrari. & in epist. 105. probat hominem per fidem mereri aliquo pacto remissionem peccatorum exemplum Publicani, qui ex fide orabat,

orabat, dicens; Deus propitius, &c. & iuſtificatus eſt. Verba illius notanda ſunt. *Sed nec ipſa* (inquit) *remiſſio peccatorum ſine aliquo merito eſt, ſi fides hanc impetrat: neque enim nullum eſt meritum fidei, qua fide ille dicebat, Deus propitius eſto mihi peccatori, & deſcendit iuſtificatus, merito fidelis humiliatus, quoniam qui ſe humiliat exaltabitur.* & tract. 44. in Ioan. reprehendens cæcum illum, quòd dixiſſet Phariſæis, *Noſ ſcimus, quia peccatores Deus non exaudit*, inquit, *Adhuc imperfecta loquitur, nam & peccatores exaudit Deus; ſi enim peccatores Deus non exaudiret, fruſtrà Publicanus ille oculos in terram demittens, & pectus ſuum percutiens diceret, Deus propitius eſto mihi peccatori. & iſta confeſſio meruit iuſtificationem, quomodo iſte cæcus illuminationem.* & epiſt. 106. ait: *Si quis autem dixerit, quod gratiam bene operandi fides mereatur, negare non poſſumus, immo verò graviſſimè confitemur: hanc enim fidem volumus habeant, qua impetrent charitatem, quæ ſola benè operatur, iſti fratres noſtri, qui multum de operibus gloriantur.*

II. Dominic. Soto.

Neque ſolutiones, quas adhibet iſtis autoritatibus Dominicus Soto lib. 2. de Natura, & gratia c. 4. ſunt legitimæ, ait nanque, cùm Auguſtinus docet nos fide mereri iuſtificationem, non intendiſſe vnquam docere, quod fides impetret iuſtificationem per modum alicuius meriti, ſed ſolùm quòd fides docet nos, quomodo debeamus à Deo petere auxilium ad bene operandum. Nam cùm Auguſtinus dicat, eſſe aliquod meritum fidei, & per fidem nos mereri, & impetrare iuſtificationē, nullaque ſint alia verba, aut periphraſes, quibus clariùs potuiſſet exprimere, quòd fides mereatur aliquo pacto ipſam iuſtificationē, ſatis apparet, hanc non eſſe legitimam verborum Auguſtini interpretationem, ſed manifeſtam depravationem: hoc enim modo interpretandi verba Doctorum ſemel admiſſo, neſcio quid certi amplius ex illis colligi poterit. Neque Auguſtinus hanc Soti interpretationem tradidit in lib. de Spiritu & litera cap. 13. vt ille arbitratur, quod ſatis conſtare poterit legenti verba illius abique alia declaratione.

Secundò reſpondet Auguſtinum epiſt. illa 105. cùm docet, Publicanum merito fidei obtinuiſſe gratiam iuſtificationis, loqui non de merito congrui, ſed condigni, quo meruit non primam iuſtificationem, ſed illius augmentum. putat nanque Sotus, ſenſiſſe Auguſtinum, quòd Publicanus antequam accederet ad templum, iam iuſtificatus eſſet, & poſt orationem ſolùm incrementum iuſtificationis, non autem iuſtificationem ipſam obtinuiſſe.

Verùm Auguſtinum ſenſiſſe, Publicanum per fidelem orationem non ſolùm augmentum iuſtificationis, ſed iuſtificationem ipſam impetraſſe, apertiſſimè conſtat. ex illius verbis tum in dicta epiſt. 105. vbi ait, fidem Publicani impetraſſe remiſſionem peccatorum, tum in dicto tract. 44. in Ioan. vbi dicit, quòd ſicut fides cæci impetrauit illuminationem, ita fides Publicani iuſtificationem: fides autē cęci non obtinuit ſolum augmentum illuminationis, ſed ipſam illuminationem. Et notandum, quòd Auguſtinus ibi loquitur de fide nondum perfecta, qualis fides in Catechumenis reperitur. Accedit quod Patres, qui interpretantur illum locum Lucæ, *deſcendit hic iuſtificatus ab illo in domum ſuam.* ita illum exponunt. vt putent intelligendum eſſe de prima iuſtificatione, vt ſit ſenſus, quòd Publicanus poſt orationem deſcenderit in domum ſuam accepta peccatorum remiſſione, Phariſæo ob ſuam ſuperbiam eandem peccatorum remiſſionem minimè obtinente. Legatur idem Auguſtinus in Pſal. 84. circa illa verba, *veritas de terra orta eſt*, & in lib. de ſancta Virginitate, & D. Thom. 1. 2. q. 114. art. 9. ad 1. Auguſt.

Tertiò ait, Auguſtinum locutum fuiſſe more vulgi, quod ſolet dicere, hominem mereri à Deo iuſtificari propter aliqua bona opera moralia. Verùm ſi Auguſtinus in re adeò graui ex profeſſo diſputans cum Pelagianis, & cum illorum reliquiis more vulgi loquitur, quando vel maximè verborum proprietas ſeruanda eſt, difficile admodum erit, ſcire, quando ex propria ſententia, & iuxta vocabulorum proprietatem loquatur. D. Thom.

Accedit ad hæc, quòd eandem ſententiam alij quoque Patres ante Auguſtinum probauerunt, & poſt illum Scholaſtici ferè omnes. Ex Patribus illam docuerunt Origenes homil. 3. in Leuiticum, illam deducens ex illis verbis Pſal. 31. *Dixi, confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam Domino.* Tertullianus lib. 4. contra Marcionem cap. 18. Ambroſius ſermone de eleemoſyna, & ſerm. 1. de Pœnitentia, Hieronymus lib. 2. contra Pelagianos, Cyprianus ſerm. 6. de Oratione Dominica, D. Gregorius Romanus, & alij quos citat Andreas Vega lib. 8. de Iuſtificat. cap. 7. & 8. & in opuſculis de Iuſtificat. quæſt. 7. concluſ. 4. II. Origenes. Tertull. Ambroſius. Hieron. Cyprian. Gregor. Papa. Andr. Vega.

Ex Scholaſticis verò eandem ſententiam apertè ſequuntur D. Thom. Scotus, Bonauentura, Gabriel Biel, Marſilius, Almainus, Maior, Adrianus, Ferrar. Ioan. Roſenſis, Tiletanus, Franciſcus à Dauantria, immo & Eraſmus, quos citant, & ſequuntur Andreas Vega locis citatis, & Vaſquez in 1. 2. diſp. 218. cap. 2. quibus addere etiam poſſumus eundem D. Thom. in 4. diſt. 45. quæſt. 1. art. 1. quæſtiuncula prima, & 1. 2. q. 114. art. 6. Vaſquez. D. Thom.

III. Hinc verò deducitur argumentum ad probandam noſtram aſſertionem: Minus probabile videtur, hominem extra Dei gratiam conſtitutum poſſe remiſſionem peccatorum, & gratiam iuſtificationis obtinere, & ſuis orationibus aliquo pacto promereri, quàm hominem in Dei gratia & amicitia conſtitutum, poſſe ſuis precibus donum perſeuerantiæ aliquo modo, ſaltem de congruo, promereri; ſed Auguſtinus, & alij tum Patres, tum Scholaſtici admittunt ſine vllo erroris ſcrupulo hanc propoſitionem: Homo per orationes ex fide factas poteſt aliquo pacto remiſſionem peccatorum ſaltem de congruo mereri. Ergo etiam iſta abſque vllo erroris ſcrupulo concedi poteſt, homo in Dei gratia, & amicitia conſtitutus poteſt ſaltem de congruo donum finalis perſeuerantiæ promereri.

Confirmari poteſt hæc aſſertio, quia vnus homo in gratia, & Dei amicitia conſtitutus poteſt alteri mereri de congruo primam gratiam, quemadmodum D. Thomas communiter in hoc receptus docet in 4. d. 45. q. 2. art. 1. quæſtiuncula 1. & 1. 2. q. 114. art. 6. Minus autē eſt hominem iuſtum mereri ſibi vel aliis perſeuerantiam in bono, quàm mereri aliis remiſſionem peccatorum, immo & primam gratiam, quia maius opus eſt ex impio iuſtum facere, quàm iuſtum in bono perſeuerare. Nihil ego videtur prohibere, quin concedi poſſit, poſſe hominem in gratia conſtitutum ſaltem de congruo mereri ſibi finalem perſeuerantiam. D. Thom.

Confirmari poteſt ſecundò, quia homo conſtitutus in gratia poteſt mereri ſibi augmentum eiuſdem gratiæ, vt omnes Theologi concedunt. Ergo à pari videtur mereri poſſe donum perſeuerantiæ. Videatur Andreas Vega lib. 12. de Iuſtificat. cap. vltimo, & in Opuſcul. de Iuſtificatione quæſt. 15. & vltima, vbi ex profeſſo hanc propo

propositionem defendit, & cum illo Vasquez 1. 2. quæst. 114. art. 9.

IV. Verùm contra hanc assertionem, & contra illius rationem videntur militare non leuia argumenta, & primò contra assertionem ipsam arguitur autoritate D.Thomæ 1. 2. q. 114. art. 9. vbi ex professo illam impugnat. docet enim, quòd perseuerantiam patriæ potest quidem homo mereri, non autem perseuerantiam viæ. Et ne quis statim dicat, illum loqui de merito non quidem congrui, sed condigni, hæc responsio præcluditur primò, quia ratio, cui D.Thom. nititur, æquè probat de merito congrui, sicut de merito condigni, est enim illius ratio. Quia principium meriti nullo modo cadit sub merito: sed dona supernaturalia, quæ conferuntur in via ad perseuerandũ, sunt principium meriti, habent enim rationem mouentis principij in ordine ad ipsum meritum; hæc autem ratio æquè procedit de merito congrui, & de merito condigni. Secundò tollitur eadem responsio, quia D.Thom. data opera soluit præcipuum fundamentum, cui nititur nostra assertio: illud enim est, quod homo orationibus obtinet à Deo, potest cadere sub merito saltem de congruo: sed perseuerantiam homo constitutus in gratia potest à Deo suis orationibus impetrare, alioquin illam nostris precibus frustrà peteremus à Deo, vt arguit Augustinus lib. de bono perseuerant. Hoc autem argumentum soluens D.Thomas ibid. ad primum ait, quòd etiam ea, quæ non meremur, orando impetramus: nam & peccatores Deus audit, peccatorum veniam petentes, quam non merentur, vt patet per Augustinum super illud Ioann. *Scimus, quia peccatores Deus non exaudit.* alioqui frustrà dixisset Publicanus, *Deus propitius esto mihi peccatori*, vt dicitur Lucæ 18.

D.Thom.

Augustin.

Respondeo primò, si D.Thom fuisset in ea sententia, quam nonnulli ei tribuunt, vt negasset absolutè, hominem iustum posse etiam de congruo aliquo modo finalem perseuerantiam mereri, non deberemus ob illius autoritatem recedere à doctrina D.Augustini, maximè in libris de Prædest. sanctorum, quam summi Pontifices probauerunt: ibi verò nimis apertè docet, nos posse perseuerantiæ donum suppliciter emereri. neque verum est, quòd aliud sit, nos posse aliquid nostris precibus à Deo impetrare, aliud, nos posse illud mereri, & quod Augustinus solùm docuerit, posse nos orationibus hoc donum impetrare, non autem mereri. Primò, quia Augustinus vtitur hoc verbo *emereri*, nisi noster codex mendosus est. Secundò, quia ex hoc, quòd possimus aliquid petendo à Deo impetrare, probat, nos posse illud à Deo aliquo modo emereri. Audiamus illum epist. 105. dicentem. *Sed nec ipsa remissio peccatorum sine aliquo merito est, si fides hanc impetrat, neque nullum est meritum fidei, qua fide ille dicebat, Deus propitius esto mihi peccatori.* En Augustinus hæc duo confundit, & pro eodem accipit, impetrare aliquid à Deo per fidelem orationem, & illud à Deo de congruo promereri. vnde quod adducitur à D. Thom. ex eodem Aug. super Ioan. c. 18 non facit ad probandum, quòd illud, quod oratione impetratur, non cadat sub merito de congruo, cùm idemmet Augustinus versans circa eundem locum D. Ioannis oppositum dicat, & nullus sit aptior modus autores exponendi, quàm per eosdemmet autores.

Secundò respondeo probabilissimum mihi esse, D. Thomam ibi non loqui de merito de congruo, sed solùm de merito condigni, quod propter tria mihi suadeo. Primò, quia D.Th. ferè semper ad mentem Augustini loquitur, maximè in rebus grauissimis ab eodemmet Augustino disputatis: neque probabile videtur, illum Augustini verba non legisse, aut sensum ignorasse, aut ab eius sententia sine vrgẽte ratione recessisse. Secundò, quia cùm doceat, nos posse mereri perseuerantiam patriæ, non autem viæ, de eodem merito comparatione vtriusque necessariò loquitur: meritum autem, quo perseuerantiam patriæ meremur, non est meritum de congruo, sed de condigno. Tertiò, quia D.Th. in eadem q. art. 6. concedit, vnũ hominẽ posse mereri alteri primã gratiam de congruo. non est igitur verosimile, illũ suipsius statim oblitũ a. 9. negasse absolutè omne meritũ de congruo.

Ad rationem autem illam insinuatam, quod est, principium meriti, non cadit sub merito, dici potest, illam veram esse comparatione eiusdem meriti, non autem diuersorum: nam gratia gratum faciens, quæ est principium meriti de condigno, cadit sub merito de congruo, quod oritur ex prima gratia, qua Deus præuenit voluntatem, & illam disponit ad iustificationem, vt Doctores suprà in hoc capite citati passim docent.

V. Sotus

Secundò contra eandem assertionem argumentatur Sotus loco cit. quia Augustinus nullũ aliud meritum agnoscit, nisi meritum de condigno. Si igitur donum perseuerantiæ de condigno nõ possumus mereri, nullo modo illud sub nostro merito cadere potest. quòd autem Augustinus nullum aliud meritũ agnoscat, probat ex verbis illius lib. 3. Hypognosticon, vbi ait: *Præuenitur homo medicina, id est, Christi gratia, vt sanetur, & reparetur.* & quia Augustinus multis aliis in locis dicit, hominem per peccatum ità captiuũ teneri, vt nullam ad bonum libertatem habeat, nisi priùs spiritu gratiæ liberetur. Ex quibus concludit Sotus, fidem, quæ antecedit gratiam iustificationis, esse inchoationem meriti excluſiuè, non autem includ siuè.

Augustin.

Respondeo, cùm tam aperta sint testimonia ex Augustino allegata, quibus ille testatur, hominem per fidem dono Dei acceptã mereri remissionem peccatorum, & hominẽ in gratia constitutum mereri donũ perseuerantiæ, & illa non possint intelligi de merito condigni, necesse est dicere, Augustinum aliud meritum agnouisse. Immo cùm Massilienses agnouissent meritum congrui, vt indicãt verba illa eiusdem in lib. de bono perseuerantiæ c. 6. *Sed nolunt, vt scribitis, isti fratres ita hanc perseuerantiam prædicari, vt non vel suppliciter emereri, vel contumaciter amitti possit.* Illorum sententiã quoad meritum admittit, dicens: *Hoc ergo Dei donum suppliciter emereri potest, sed cùm datum fuerit, amitti contumaciter non potest.* Neque oppositũ docet in lib. 3. Hypognost. nec alibi. Et ad intelligentiã autoritatum, quæ ex illo ad hoc propositũ possunt adduci, notandum est, quòd sicut in naturalibus generatio substantialis duobus modis accipitur, vno modo pro introductione formæ substantialis in subiectum iam dispositũ, quæ subitanea & instantanea est: alio modo pro tota serie dispositionum præcedentium ipsam introductionem formæ substantialis vsque ad vltimam, & pro ipsa etiã introductione eiusdẽ formæ, quo pacto accepta generatio non fit in instanti, sed successiuè; ita etiã in supernaturalibus nomine sanitatis spiritualis, iustificationis, & reparationis interioris hominis duo possumus intelligere, vel solã & perfectã illã hominis renouationem, & reparationẽ, quæ fit per infusionẽ gratiæ iustificantis, & fit in instanti, vel nõ solam perfectam illam renouationem, per gratiam iustificantem, sed totam seriem dispositionum supernaturalium, quibus homo per Dei gratiam paulatim, & successiuè disponitur ad gratiam

iustificationis obtinendam, à prima vsque ad vltimam, & vsque ad ipsam actualem hominis renouationem.

Proportionaliter etiam loquendo de ipsa Dei gratia, per quam homo supernaturaliter renouatur, reparatur, sanatur, liberatur à peccati seruitute, & roboratur, duo possumus intelligere, vel solam gratiam gratum facientem, & auxilia actualia, quæ dantur cum illa, & post illam: vel totam seriem diuinorum auxiliorum, quæ Deus tribuit homini à primo vsque ad vltimum, vt peccata propria intelligendo, doleat, pœniteat, vt Diaboli tentationes vincere valeat, vt gratiam iustificationis obtineat, & vt illa obtenta in bono perseueret.

Eadem proportione nomine meritorũ duo possumus intelligere, primò illud solum, quod prouenit ex gratia gratum faciente, & ex actuali auxilio, quod datur cum illa, vel post illam, quod est meritum perfectum, quódque vocatur meritum de condigno. Secundò possumus intelligere quodcunque meritum proueniens ex quocunque diuino auxilio supernaturali, siue illud habeat perfectam rationem meriti, siue non, siue illud sequatur gratiam iustificantem, siue etiam antecedat, quo pacto actus moraliter boni facti ex fide, & humilitate ab eo, qui est in peccato ante acceptam gratiam iustificationis, dicuntur aliquo modo meritorij.

VI. Hæc autem omnia si applicentur doctrinæ D. Augustini, sufficiunt ad multa loca eiusdem Doctoris elucidanda, & legitimè explicanda. cùm enim ait, quòd prævenitur homo medicina Christi, id est, gratia illius, vt sanetur, & reparetur, nomine gratiæ, & medicinæ non intelligit solam gratiam iustificantem, sed etiam alia auxilia, quibus voluntas à Deo prævenitur, & præparatur, vt recipiat perfectã sanitatem. Cùm etiam dicit, hominem per peccatum ita captiuum teneri, vt nullam ad bonum libertatem habeat, nisi priùs spiritu gratiæ liberetur, per gratiam non intelligit solam gratiam gratum facientem, vt sit sensus, nihil boni hominem facere posse ante gratiam iustificantem. absit. sequeretur enim, hominem existentem in peccato mortali nullum opus bonum facere posse, & dum per primam gratiam se disponit ad iustificationé per eleemosynas, per imperfectam contritionem, illa opera bona non esse, quanuis imperfecta, quod falsum esset, & erroneum damnatum à Concil. Trident. sess. 14. de sancto Pœnitentiæ can. 5. sed nomine gratiæ intelligit quodcunque supernaturale auxilium, quo vel homo perfectè sanatur, vel ad sanitatem perfectam disponitur, sicut etiam nomine boni non intelligit solum illud, quod habet perfectam rationem boni, sed etiam bonũ imperfectum, quod tamen prouenit ex aliquo supernaturali auxilio, & nomine libertatis non intelligit solam perfectam illam libertatem, quam consequimur per gratiam iustificantem, sed quanuis aliam libertatem, quam homo consequitur per supernaturalia auxilia antecedentia iustificationem, dum paulatim incipit vires spirituales acquirere, & Dæmoni resistere, & oblatas tentationes superare, itaut omne bonum, omne meritum, omnis libertas, & omnis victoria semper ex aliquo supernaturali auxilio proueniat, & in illo fundetur.

Concil. Trident.

Iuxta hunc sensum loquitur idem Augustinus in epist. 106. cùm ait: *Si quis autem dixerit, quòd gratiam benè operandi fides mereatur, negare non possumus. Immo verò gratissimè confitemur: hanc enim fidem volumus habeant, qua impetrent charitatem, qua sola benè verè operatur isti fratres nostri, qui multum de operibus gloriantur.* Quibus in verbis videtur primo aspectu inuoluere manifestam contradictionem. Si enim per solã charitatem benè operamur, ergo fides ista gratiam benè operandi mereri non potest, nam ipsum meritum est quoddã opus bonum, etsi meritum fidei est opus bonum, & præcedit gratiam benè operandi, & charitatem. Ergo absque tali gratia possumus benè operari. Sed soluitur contradictio, vt sit sensus verborum Augustini, quòd per meritum fidei, quod est imperfectum, & solùm de congruo, impetramus gratiam benè operandi, id est, charitatem, quæ sola est principium verè benè operandi, id est, operis boni habentis veram, & perfectam rationem meriti, vbi etiam habes ex Augustino distinctionem meriti & boni perfecti, & imperfecti ferè in terminis.

VII. Ex eadem notatione intelligitur, quod subiungit idem Augustinus ibidem paucis interiectis, *Sed ipsa gratia meretur augeri, vt aucta mereatur perfici, comitante, non ducente, pedissequa, non præuia voluntate.* Nomine enim gratiæ non intelligit solam gratiam gratum facientem, sed etiam præuenientem ipsam iustificationem, quæ dicitur augeri, quia Deus confert primum auxilium supernaturale ea intentione, vt homo benè vtatur illo, & si eo bene vsus fuerit, adhuc maius confert, & rursus adhuc maius, donec accipiat homo gratiam iustificantem.

Ex hac notatione explicari potest alius locus Augustini in eadem epist. 106. & solui præcipuum argumentum contrariæ opinionis. ait enim Augustinus, *Iustificati igitur ex fide pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrum Iesum Christum. Iustificatis autem gratis per gratiam ipsius, ne fides ipsa superba sit, nec dicat sibi, si ex fide, quomodo gratis? quod enim ex fide meretur, cur non potius redditur, quàm donatur? non dicat ista homo fidelis: quia cùm dixerit, vt merear iustificationem, habeo fidem, respondetur ei, quid habes quod non accepisti?* Quibus in verbis videtur etiam tale argumentum insinuari, quo nonnulli Theologi vtuntur. Si fides aliquo modo mereretur iustificationem, ergo iustificatio nostra gratuita non esset: sed illa gratuita est, dicente Apostolo ad Rom. cap. 3. *Iustificati gratis per gratiam ipsius.* Sed respondetur, iustificationem fieri gratis, accepta iustificatione pro tota serie dispositionum, quibus homo perducitur ad ipsam iustificationem ab vltima vsque ad primam, & pro tota serie auxiliorum, quæ Deus tribuit homini, vt disponatur ad iustificationem, quia prima dispositio ad iustificationem, quæ est fides, non est ex nobis, sed ex dono Dei supernaturali, & quia nulla dispositio præcedens ipsam actualem iustificationem, etiam vt profecta ex supernaturali auxilio, est meritoria de condigno ipsius iustificationis: non autem fieri gratis, accepta iustificatione pro sola introductione gratiæ iustificantis, sic quòd illam præcedere non valeant aliqua merita de congruo, prouenientia ex supernaturali auxilio. Quod ostenditur ex verbis Augustini immediatè sequentibus. *Cùm ergo fides impetrat iustificationem, sicut Deus vnicuique partitus est mensuram fidei, non gratiam Dei aliquid meriti præcedit humani, sed ipsa gratia meretur augeri, vt aucta mereatur perfici.* Disputabat verò Augustinus contra Pelagianos, qui dicebant, nos mereri iustificationem per fidem, quam dicebant esse ex nobis, & in eodem sensu loquebatur libro primo ad Simplicianos quæst. 2. cùm dixit:

Quæritur

Quæritur autem, vtrùm vel fides mereatur hominis iuſtificationem, an verò nec fides meritas præcedant miſericordiam Dei, ſed & fides ipſa inter dona gratiæ numeretur. vbi videtur Auguſtinus pro eodem accipere hæc duo, fidem mereri iuſtificationem, & fidem non numerari inter dona Dei. Verùm Auguſtinus ibi per iuſtificationem non accipit ſolam gratiæ iuſtificantis collationem, & infuſionem, ſed totam ſeriem diſpoſitionum, & auxiliorum, quibus homo ad perfectam iuſtificationem perducitur ab vltimo vſque ad primum, quod eſt ipſamet fides, quo pacto accepta iuſtificatione ſi fides mereretur iuſtificationem, illa non poſſet inter dona Dei ſupernaturalia, per quæ homo iuſtificatur, numerari.

VIII. Tertiò argumentari poſſumus contra eandem noſtram aſſertionem. Quia ſi donum perſeuerantiæ aliquo modo cadere poſſet ſub merito, reddi poſſet aliqua ratio, ob quam donum perſeuerantiæ quibuſdam detur, quibuſdam verò minimè: at huius diſcriminis fatetur Auguſtinus lib. de Corrept. & gratia toto cap. 8. nullam poſſe aſſignari rationem præter ſolam Dei voluntatem, idque experientia in dies docet, quòd exiſtentibus duobus in gratia, alterum Deus rapit ex hac vita, antequam malitia mutet eius intellectum, vt dicitur Sapient. cap. 4. alterum ſeruat in vita, neque prius aufert, quàm ille in peccata labatur, & tunc ex hac vita eripit. *De his enim* (inquit) *differimus, qui perſeuerantiam bonitatis non habent, ſed ex bono in malum deficientes bona voluntate moriuntur. Reſpondeant, ſi poſſunt, cur illos Deus, cùm fideliter, & piè viuerent, non tunc de vita huius periculis rapuit, ne malitia mutaret intellectum eorum, aut ne fictio deciperet animas eorum: vtrùm hoc in poteſtate non habuit, an eorum mala futura neſciuit? nempe nihil horum, niſi peruerſiſſimè, atque inſaniſſimè dicitur.*

Auguſt.

Reſpondetur, hoc argumento euidenter probari, perſeuerantiam eſſe donum ſupernaturale, neque poſſe cadere ſub merito condigni: quia nulla eſt lex, qua Deus pro bono opere etiam facto ab exiſtente in gratia tale donum certò promiſerit ſe daturum. Cum hoc tamen nihil vetat, illud poſſe aliquo modo cadere ſub merito de congruo, hæc enim eſt differentia inter meritum de congruo, & meritum de condigno, quòd meritum de congruo innititur diuinæ miſericordiæ, & ideo ex lege diuina non eſt tali merito promiſſa certa retributio: pium eſt tamen credere, Deum, qui oriri facit ſolem ſuum ſuper bonos, & malos, & pluit ſuper iuſtos, & iniuſtos, potiùs paratum eſſe ad ferendum opem iis, qui inuocât illum, quàm non inuocantibus. aliàs vanè Daniel hortatus fuiſſet Regem Nabuchodonoſor, vt peccata ſua eleemoſynis redimeret: vanè etiam exiſtentes in peccato ſeipſos in bonis operibus exercerent, vanè pro remiſſione peccatorum Deum orarent, dicentes: Dimitte nobis debita noſtra, vanè Publicanus pectus ſuum percutiendo dixiſſet; Deus propitius eſto mihi peccatori, ſi Deus non magis pronus eſſet ad faciendam miſericordiam cum his, qui cum cordis humilitate illum inuocant, quàm cum his, ante quorum oculos timor Dei non eſt, nec magis prodeſſent ad gratiam iuſtificationis impetrandam orationes ex fide, & cordis humilitate prouenientes, quàm ſcortationes, & ebrietates. quod dixerim propter quoſdam adeò ſcrupuloſos, qui meritum de congruo ita abhorrent, tanquam ſi per illud gratia Dei funditus euacuaretur, contendúntque, omnes ſanctos Patres, imò & diuinam Scripturam tale meritum prorſus reſpuere, quod abſque vlla probabilitate affirmant. meritum autem de condigno innititur diuinæ iuſtitiæ, & ideo tali merito repromiſſa eſt certa merces: & de hoc merito loquuntur Patres, cùm docent, nullum opus impij eſſe aliquo pacto meritorium, opus enim meritorium de congruo illi non ſolent vocare opus meritorium, ſed opus impetratorium, & ſolùm vocant opus meritorium illud, quod eſt meritorium de condigno. Propter quod cùm Patres dicunt, nullum opus impij meritorium eſſe, loquuntur plerunque de impio, qui nullum habeat donum ſupernaturale. & vt ſemel dicamus, nomine impij intelligunt infidelem: primum nanque donum ſupernaturale eſt fides. Iuxta hanc acceptionem dicit Auguſtinus dicta epiſtola 105. quòd *percipienda prime gratia nulla merita præcedunt in impio, quia meritis impij non gratia debetur, ſed pœna. qui modus loquendi eſt frequens in Auguſtino.*

IX. Quartò argumentari poſſumus contra fundamentum eiuſdem noſtræ aſſertionis ex autoritate D. Thomæ. nam in 1. 2. q. 114. art. 5. propoſita quæſtione, an homo poſſit mereri primam gratiam, pro parte affirmatiua adducit teſtimonium D. Auguſtini dicentis, fides meretur iuſtificationem, & ad primum argumẽtum reſpondet, D. Auguſtinum in lib. 1. Retractat. cap. 23. hanc propoſitionem retractauiſſe: quia aliquando Auguſtinus deceptus fuit, credendo quòd initium fidei eſſet ex nobis, ſed illius cõſummatio eſſet ex Deo, ſed doctior factus errorẽ retractauit. Subdit autẽ D. Thom. quòd quia rei veritas eſt, fidem etiam quoad illius initium eſſe ex Deo, actus fidei non poteſt eſſe meritorius primæ gratiæ, & ideo homo iuſtificatur per fidem, non quaſi credendo mereatur iuſtificationem, ſed quia dum iuſtificatur, credit.

D. Thom.

Reſpondetur tamen Auguſtinum non retractaſſe abſolutè, quòd fides mereatur iuſtificationem accepta fide pro dono ſupernaturali, & merito pro merito de congruo ſolùm, & iuſtificatione non pro tota ſerie auxiliorum, & diſpoſitionum ſupernaturalium ad gratiam iuſtificantem aſſequendam, ſed ſolùm pro collatione ipſa gratiæ iuſtificantis, hoc nanque non ſolùm non retractauit, ſed in vltimis etiam libris, quos ſub vitæ ſuæ finem ſcripſit, manifeſtè docuit, nimirum in lib. de Prædeſtin. Sanctorum cap. 7. & in epiſtola 105. ad Sixtum. Retractauit autem errorem, quem aliquando tenuerat, quòd initium fidei non ſit donum ſupernaturale, ſed ex nobis, & ex ſolis viribus liberi arbitrij, & quòd ob meritum fidei, quæ eſſet ex nobis, Deus conferret nobis gratiam iuſtificationis, quam ille vocabat conſummationem. quam ſententiam retractauit, quia nondum ſciebat, etiam ipſam fidem eſſe donum Dei, iuxta ſententiam Apoſtoli dicentis ad Epheſ. 2. *Gratia eſtis ſaluati per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum eſt, non ex operibus, ne quis glorietur.* In hoc ſenſu retractauit etiam iſtam propoſitionem, fides meretur iuſtificationem, in quo ſenſu nullus Catholicus dicit, fidem mereri iuſtificationẽ ſiue de cõgruo, ſiue de cõdigno: quia eſt manifeſtus error Pelagianorũ, & Semipelagianorũ. primi enim dicebant, fidem mereri iuſtificationem de condigno: ſecundi verò, vt modeſtiùs loqui viderentur, concedebant, illam mereri iuſtificationem ſolùm de congruo, & ex diuina miſericordia. Vtrique autem loquebantur de fide proueniente ex ſolis viribus naturæ.

Ad

Ad autoritatem autem D. Thomæ facilis est solutio, ille enim docet, fidem non posse vllo modo mereri iustificationem accepta iustificatione pro tota serie diuinorum auxiliorum, comprehendendo etiam primam gratiam, quod nos quoque fatemur. Ex his satis apparet, quomodo ipsum donum finalis perseuerantiæ aliquo pacto possimus mereri, & quo pacto respectu huius præclarissimi effectus diuinæ prædestinationis possit assignari aliqua causa ex parte prædestinati.

CAPVT XX.

Quartum dubium principale proponitur, an ex parte prædestinati detur causa prædestinationis ad gloriam.

I. Augustin. QVæstio præsentis dubij celebris est, & per antiqua non solùm apud Scholasticos, sed etiam apud antiquos Patres, præcipuè apud Augustinum, qui illam ex professo disputauit contra Pelagium in lib. de Prædest. & gratia c. 10. & sequentibus, & lib. de Gratia & libero arbitrio cap. 6. 8. & 9. & lib. de Corrept. & gratia cap. 6. & 13. sunt in hac quæstione tres opiniones, duæ è regione oppositæ, tertia media.

Prima opinio, seu (vt verius loquar) apertus error fuit Pelagij asserentis, posse hominem solis naturæ viribus sine auxilio supernaturali vitam æternam promereri de condigno. Hunc errorem Pelagio tribuit Augustinus locis proximè citatis: quanuis ille non contineatur inter duodecim errores illius damnatos in Concilio Palæstino, neque inter illos 27. quos suprà cap. 8. recensuimus, sed tamen ex illis deducitur, & in illis virtualiter continetur. Eundem verò errorem confutat in dictis locis Augustinus, tanquam apertè contrarium diuinis Scripturis, dicente Paulo ad Roman. 7. *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius, gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.* & c. 6. *Gratia Dei vita æterna in Christo IESV.* & Dauide in Psalm. 102. *Qui coronat te in misericordia, & miserationibus,* & ipso Saluatore nostro IESV Christo apud Ioan. cap. 6. *Nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum à Patre meo.* & suprà cap. 3. *Non potest homo accipere quidquam nisi fuerit ei datum de cælo.*

II. Secunda opinio è regione opposita est, omnes prædestinatos fuisse efficaciter electos ad gloriam ante præuisa aliqua illorum merita, etiam vt fundata in diuina gratia: secundùm quam opinionem nulla datur causa prædestinationis ad ipsam gloriam ex parte prædestinatorum, cùm ipsa merita fundata in diuina gratia potius habeant rationem effectus diuinæ prædestinationis, quàm quòd illius causa esse vllo modo possint. Hanc sententiam primi ex professo docuerunt illi hæretici vocati Prædestinati, qui omnem causam diuinæ prædestinationis, aut reprobationis siue ad gratiam, & à gratia, siue ad gloriam, & à gloria, in solam Dei voluntatem referendam esse contendebant, vt colligitur ex illorum erroribus damnatis in Synodo Arelatensi, & Lugdunensi, quos recenset Baronius tom. 6. sub anno Domini 490. n. 18. vsque ad 24. Non dico hanc sententiam sic nudè prolatam esse errorem, sed est error eo modo intellecta, quo illi eam docebant, de quo statim. Eandem sententiam libentèr susceperunt Caluinus, Theodorus Beza, & illorum greges:

Conc. Ar. Baron.

Beza. Caluin.

illi enim dicunt, Deum ab æterno ante præscientiam nostrarum operationum aliquos ad gloriam efficaciter elegisse, ad ostendendam in eis suam misericordiam, alios efficaciter ad pœnas inferni destinasse, ad ostendendam in eis suam iustitiam vindicatiuam. vnde & dicebat Theodorus Beza ad acta Colloquij Montisbelgard. *Decretum Dei de faciendis ex eadem massa vasis aliis in honorem, aliis in contumeliam, antecedit omnem culpæ præuisionem, & omnem omnino causam: sed quia non poterat Deus executioni huius decreti viam aperire, nisi homo peccaret, ideo ordinauit lapsum Adami, vt haberet, quorũ misereretur, & quos iustè puniret.* quam doctrinam dubium non est illum excepisse ex suo Magistro Caluino tum in opusculo de æterna Dei prædestinatione, tum in lib. 3. Instit. c. 23.

III. Neque soli isti hæretici sunt in hac opinione, sed plures etiam Theologi Catholici non mediocris autoritatis illam defendunt, licèt eorum sententia quoad modum illam explicandi, & defendendi, ab errore hæreticorum plurimum distet, quoniam hæretici per decretum efficax, quo Deus prædestinatos elegit ad gloriam ante præuisa merita, putant sublatam ipsis prædestinatis arbitrij libertatem in eadem gloria assequenda: Catholici verò dicunt, non obstante eiusmodi decreto prædestinatos non minus liberè operari circa eiusdem gloriæ assecutionem, neque minus liberè illam assequi, quàm si nullum extaret huiusmodi decretum diuinum. Rursus hæretici dicunt, sicut ante præuisa bona merita Deus efficaciter elegit prædestinatos ad gloriam, ita ante præuisa mala merita alios efficaciter destinasse ad pœnam, & quemadmodum ob hoc, quòd aliquos ad gloriam efficaciter elegit, prædestinauit illis bona opera, per quæ gloriam assequerentur: ita ob hoc quòd alios ad pœnas inferni destinauit, prædestinauit illis peccata, & scelera, vt haberet, vnde iustè posset illos punire. quas impietates isti Theologi tanquam Doctores Catholici reiiciunt, & damnant. ita vt de istis hæreticis verificetur, quod ait Dauid in Psal. 54. quódque Donatistis hæreticis olim adaptauit Augustinus in eundem Psal. *quoniam in multis erant mecum.* neque enim necesse est hæreticos in omnibus ab Ecclesia Catholica dissentire, vt censeantur hæretici, & vt tales iustè damnentur, sed sufficit, quòd in aliquibus ad fidem attinentibus dissentiant, esto in aliquibus consentiant nobiscum. Est igitur sententia istorum Theologorum Catholicorum, omnes prædestinatos ante præscientiam bonorum operum, etiam profectorum ex diuina gratia Deum efficaciter ad gloriam elegisse, & quia efficaciter illos ad gloriam elegit, ideo præparasse illis media gratiæ, & meritorum, per quæ infallibiliter ad gloriam peruenirent. Licèt enim non prædestinauerit illos ad gloriam ex meritis præuisis, prædestinauit tamen illos ad gloriam cum meritis, & per merita, id est, prædestinauit, vt non absque meritis in gratia fundatis eandem gloriam assequerentur, sed per ipsa merita ad illam peruenirent. Differt autem plurimum inter hæc duo, homo est prædestinatus ad gloriam ex meritis, & homo est prædestinatus ad gloriam per merita, vel cum meritis: quia cùm dicimus, homo est prædestinatus ad gloriam ex meritis, merita induunt rationem causæ ipsius prædestinationis, & ob id oportet, ipsa merita in diuina præscientia in aliquo signo rationis antecedere, & antecessisse ipsam prædestinationem, quia omnis causa per

modum

modum meriti, quæ ad efficientem reducitur, præcedit ſuum effectum, immo quæcunque cauſa cuiuſcunque generis illa ſit, ſub ratione cauſæ effectum antecedit. Cùm autem dicimus, homo eſt prædeſtinatus ad gloriam per merita, vel cum meritis, merita non induunt rationem effectus: ſit enim ſenſus, quòd quia Deus prædeſtinauit hominem ad gloriam, ideo præparauit illi, vnde haberet merita, adeò quòd præparatio gloriæ eſt cauſa præparationis mediorum, & ſic in aliquo ſigno rationis prior eſt electio ad gloriam, quàm præparatio, & præſcientia meritorum gloriæ. Hanc ſententiam ſic explicatam docuerunt Scotus in 1.d.41.q.1.§. *poteſt aliter*. Caiet. & Dominicus Bañes 1. p.q.25. a.5. qui nituntur in eandem ſententiam trahere D. Thomam, Raphaël Ripa ibid. & Nazarius controuerſ.2. concluſ. vltima, Suarez lib.1. de Prædeſtinat. cap.8. n.32. vbi pro ſe citat Capreolum, Heruæum, Durandum, Ægidium, Richardum, Gregorium Ariminenſ. Maioris, & alios plures præter D. Thom. & Scotum, & lib.3. de Auxiliis cap.16. n.8. vbi dicit, hanc eſſe communem ſententiam Theologorum, Antonius Corduba lib.1. Quæſtionum Theologicarum q.56. opinione 5. Cardinal. Bellarmin. lib. 2. de Gratia, & libero arbitrio cap.9. & ſequentibus, Trigoſius 1. part. quæſt. 18. art.6. dub. 2. concluſ. 1. Cumel 1. part. quæſt. 23. art. 4. Dominicus Soto in cap. 9. ad Roman. & Aluarez diſp.37. de Auxiliis concl.3.

Scotus. Caietan. Bañes. Ripa. Nazar. Suarez. Corduba. Bellarm. Trigoſius. Cumel. Soto. Aluarez.

Eandem ſententiam quoad aliquos defendit Catharinus in ſuis libris de Prædeſtin. putat enim non omnes, qui de facto ſaluantur, fuiſſe prædeſtinatos, Prædeſtinatorum autem numerum valdè paucos complecti, illos verò quos talis numerus comprehendit, fuiſſe ante inſpecta merita efficaciter ad gloriam electos, ob quam cauſam dicit illorum ſalutem minimè arbitraria fuiſſe, ſicut arbitraria eſt ſalus aliorum hominum. Eadem opinio tribuitur Gulielmo Okamo, & Gabrieli Biel in 1.d.41.

Cathar. Oram. Gabriel.

IV. Porrò licèt hi autores conueniant, omnes prædeſtinatos fuiſſe ante præuiſa merita efficaciter ad gloriam electos, differunt tamen inter ſe. nam quidam illorum veriti, ne ſi admitterent abſolutè, & ſimpliciter hanc electionem ad gloriam ante qualemcunque præſcientiam meritorum, talis electio imponeret ipſis prædeſtinatis abſolutam neceſſitatem quoad eiuſdem gloriæ aſſecutionē, nec illam in libera eorum poteſtate relinqueret, dicunt, electionem ad gloriam præceſſiſſe quidem præſcientiam meritorum liberam, qua merita præuidentur futura abſolutè, non tamen præceſſiſſe præſcientiam conditionatam, & mediam, qua eadem media præuiſa ſunt, vt futura ex ſuppoſitione ſi Deus vellet hominem conſtituere in tali ordine ad talem finem, cum talibus mediis: illa nanque præſcientia neceſſariò ſupponenda eſt in Deo, antequam concipiamus, illum prædeſtinatos ad gloriam efficaciter elegiſſe, aliàs vix poſſet eorum libertas circa eiuſdem gloriæ aſſecutionem ſaluari. Alij verò arbitrati, hanc præſcientiam mediam parum, aut nihil ad præſens negotium conferre, quia prædeſtinatio ſi eſt ex meritis, non eſt ex meritis præuiſis, vt futuris ſolùm ex hypotheſi, ſed vt futuris abſolutè, nam ob merita futura ſolùm ex ſuppoſitione, non autem abſolutè, nullus præmio afficitur, aut pœna, vt non ſemel contra Pelagianos, & Semipelagianos deducit Auguſtinus, abſolutè fatentur, electionem prædeſtinatorum ad gloriam factam fuiſſe ante omnia merita præuiſa, ſiue per ſcientiam abſolutam, & liberam, ſiue etiam per ſcientiam conditionatam, & mediam, ſi tamen illa datur in Deo.

Tertia ſententia media inter duas priores extremas docet, electionem efficacem ad gloriam omnium adultorum ex meritis in diuina gratia fundatis, vt abſolutè, & non tantùm ex hypotheſi, futuris factam fuiſſe, itaut nullus adultorum ante præſcientiam abſolutam eiuſmodi meritorum ſit efficaciter ad gloriam prædeſtinatus. Hãc ſententiam docuerunt Alexand. Alenſ. 1. part. q. 28. memb.2. art.2. D. Bonauent. in 1. d.41. q.1. Argentin. ibid. quæſt.1. art.2. Gabriel ibid. quæſt. 1. art.2. Okam quæſt. 1. vbi egregiè, & ſolidè refutat applicationem illam exemplorum materiæ primæ, & vaſorum, & luti in manu figuli, quibus autores ſecundæ opinionis ad illam declarandam, & probandam nunquam non vtuntur. quia ex huiuſmodi applicatione ſequeretur, quidquid faceret prædeſtinatus, aut præſcitus, tandem hunc ſaluandum, illum fore damnandum, ob efficax Dei decretum antecedens præſcientiã noſtrorum meritorum bonorum, vel malorum. Adhuc ſequeretur, maiora merita non eſſe cauſam maioris gloriæ, nec maiora peccata maioris pœnæ, ſed totum in ſolam Dei voluntatem referendum, ſiue homo plus, ſiue minus mereretur. Quam rationem indicauit apertè Chryſ. in cap.9. ad Roman. vt lib. præcedente cap.14. adnotauimus. Eandem ſententiam tenent omnes Scholaſtici ſuprà cap. 10. citati, qui docent, dari cauſam prædeſtinationis ad gratiam ex parte prędeſtinati, illi nanque id multo magis dicere debent, & dicunt de prædeſtinatione ad gloriam. In eadem ſententia ſunt Molina 1. part. quæſt.23. art.5. diſp.1. Vaſquez ibid. diſp.89. cap.2. vbi citat prõ eadem ſententia Bartholomæum Camerarium in dial. Cathol. cap.5. Hieronymum Oſorium lib.9. de Iuſtitia, Franciſcum Turrianum in quodam opuſculo de electione, & Vuillelmum de Rubione in 1.d.41. quæſt.1. art.1. & 2. Tandem hanc ſententiam probat doctiſſimus, & mihi pluribus nominibus colendus præceptor meus Valerianus Imolenſis in ſua lectura ſuper primum librum ſententiarum tract. de prædeſtin. quæſt. de cauſis prædeſtinationis concluſ. 1. ad finem.

V. Alex. Alenſ. Bonauent. Argentin. Gabriel. Oram. Molina. Vaſquez. Valer. Imol.

CAPVT XXI.

Prædeſtinationis ad gloriam dari cauſam ex parte prædeſtinati, verior eſt ſententia, quæ autoritate, & ratione probatur.

EX his tribus opinionibus prima eſt error manifeſtus in fide, & etiam ſecunda, eo modo intellecta, quo illam intellexerunt, & docuerunt hæretici prædeſtinati, & illam modò docent Caluinitæ. In eo autem ſenſu, in quo defendunt illam Doctores Catholici, nullam meretur cenſuram. nulla tamen, quantum omnibus inſpectis videre potui, maiorem habet probabilitatem, quàm quod eſt ſententia multorum Doctorum Catholicorum non parui nominis in ſcholis. Tertiam verò ſententiam veriſſimam eſſe cenſeo, & diuinæ Scripturæ, & Patribus maximè conſentaneam, cuius veritatem primùm autoritate, deinde rationibus comprobabo. Et quidem, vt ab autoritate diuinæ

diuinæ Scripturæ incipiamus, colligitur hæc ſententia ex Euangelio Matthæi cap. 25. vbi teſtatur Saluator, in die iudicij ſe dicturum electis, *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi; eſurui enim, & dediſtis mihi manducare; ſitiui, & dediſtis mihi bibere*, &c hîc habemus expreſsè, Regnum gloriæ paratum fuiſſe electis à conſtitutione mundi, ex bonis illorum meritis præuiſis: illa nanque particula *enim*, cauſalis coniunctio eſt, & cauſam reddit, ob quam regnum gloriæ fuit electis ab æterno præparatum. Ita hæc verba interpretatur Chryſoſt. hom. 80. in Matthæum dicens, *nam quia ſciebam, vos antequam nati eſſetis, huiuſmodi futuros, hæc vobis à me præparata fuere.* vbi vides præſcientiam meritorũ ex ſententia Chryſoſtomi cauſam eſſe præparationis gloriæ.

Chryſoſt.

Verùm ad hoc teſtimonium reſpondent nonnulli, particulam *enim*, denotare cauſam, quare ordine executionis Deus det electis gloriam, non autem cauſam ob quam ordine intentionis illam eis ab æterno præparauerit. dicunt enim, duplicem ordinem conſtituendum eſſe in diuina prædeſtinatione ad gloriam, alterum intentionis, alterum executionis, quorum prior poſteriori contrarius eſt, adeò vt quæ priora ſunt ordine executionis, ſint poſteriora ordine intentionis. Sic itaque ordine executionis gloria non datur electis, niſi ex meritis: at ordine intentionis eſt præparata ante merita. Et ideo voluit merita, quia voluit gloriam. Atque hic eſt lapis, ad quem putant omnia ferè argumenta noſtræ ſententiæ eliſa vno ictu facilè conterere ſe poſſe. Hunc autem duplicem ordinem intentionis, & executionis conſtituendum eſſe in diuina prædeſtinatione, probant ex D. Auguſtino tract. 68. in Ioann. cuius mentem profitentur ſe fideliter interpretari, vbi duplicem ponit electionem, alteram per modum intentionis, alteram per modum executionis temporalis. Quòd ſi obiiciatur, electionem ipſam ſecundùm ordinem executionis non eſſe æternam, ſed temporalem, ex ſententia Auguſtini. Reſpondent, electionem ipſam temporalem dupliciter conſiderari poſſe, vel vt eſt ſimplex executio temporalis, vel vt talis executio ſuum habet ordinem in mente diuina ab æterno. adeò quòd tam ordo intentionis, quàm executionis, & econtra, eſt ab æterno in mente diuina, licèt illius executio ſit ſolùm in tempore.

Auguſtin.

II. Hæc tamen illorum imaginatio difficultatem non tollit, & vno ictu videtur totam doctrinam Auguſtini de prædeſtinatione ad gratiam contra Maſſilienſes, & contra Pelagianos eneruare. Primò oſtendo hanc reſponſionem eſſe contra interpretationẽ Chryſoſtomi in illum locum. cùm enim dicat, quia ſciebam vos, antequam nati eſſetis, huiuſmodi facturos, hæc vobis à me præparata fuere, planè conſtat, illum non loqui de electione temporali, ſed de æterna, neque de ordine executionis, ſed intentionis: præparatio nanque æterna in ſubiecta materia diuinæ prædeſtinationis denotat ordinem intentionis, non autem executionis, quia prædeſtinatio definitur, quòd ſit præſcientia, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſſimè liberantur quicunque liberantur, quæ præparatio ſecundùm ordinem diuinæ intentionis facta eſt. Aliàs Auguſtinus non ipſam prædeſtinationem, ſed prædeſtinationis executionem definiuiſſet.

Præterea oſtendo particulam *enim*, denotare in eo loco ordinem non executionis ſolùm, ſed intentionis. nam in eodem contextu paulo infrà ſubiungitur. *tunc dicet Rex & iis, qui à ſiniſtris erunt. Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo, & Angelis eius: eſurius enim, & non dediſtis mihi manducare, ſitiui, & non dediſtis mihi potum*, &c. vbi videmus eodem modo poſitam coniunctionem illam *enim*, cauſalem, vt quẽadmodum ex bonis operibus miſericordiæ datur electis regnum gloriæ, ita ex malis operibus impietatis erga pauperes reprobi deputentur ad pœnam. Porrò in iſtis verbis ſequentibus particula *enim*, non ſolùm denotat cauſam ſecundùm ordinem executionis, ſed etiam intentionis. abſit enim, vt dicamus Deum ordine intentionis reprobos ad pœnam deſtinaſſe ante præuiſa illorum demerita, licèt ordine executionis nullum deputet ad pœnam, niſi poſt demerita præuiſa, fuit enim hæc turpiſſima hæreſis Prædeſtinatorum, quam modo Caluinitæ docent. Si autem in verbis iſtis ſequentibus neceſſe eſt fateri, coniunctionem illam cauſalem *enim*, denotare cauſam ſecundùm ordinem non ſolùm executionis, ſed etiam intentionis, cur non etiam in verbis antecedentibus eadem particula denotabit cauſam ſecundùm ordinem intentionis? dicere nanque, quòd in verbis antecedentibus denotat cauſam ſecundùm ordinem intentionis, cùm textus Euangelicus eodem modo loquatur in antecedentibus & conſequentibus, & eandem cauſam oppoſito modo ſe habentem aſſignet, ob quam iſti ad gloriam vocantur, illi ad pœnam deſtinantur, certè qui hoc dicunt, voluntariè loquuntur, ad argumenta vitanda, & parum autoritatis opinionibus ſuis ſibi conciliare videntur, ne dicam parum æſtimationis apud exteros ſibi & nobis comparare, cùm vident, nos ſic pro noſtro libito diuinas Scripturas interpretari.

III. Accedit tertio loco, quòd quemadmodum reprobos ad pœnas inferni deputare actus eſt iuſtitiæ vindicatiuæ, ita prædeſtinatos ad gloriam vocare actus eſt iuſtitiæ remuneratiuæ. Colligitur hoc euidenter tam ex eodem loco Euangelij, vbi Chriſtus eos, qui à dextris eius ſunt, vocans ad regnum, & eos, qui à ſiniſtris, damnans ad pœnam, perſonam gerit iudicis, neque ſolùm erga reprobos & hœdos iudicem agit, ſed etiam erga oues & electos. tum etiam ex Apoſtolo 2. ad Timoth. 4. dicente, *Propoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iuſtus Iudex, non ſolùm autem mihi, ſed & iis, qui diligunt aduentum eius.* Verùm Deus iuſtum agendo Iudicem non poteſt aliquem ante præuiſam culpam deputare ad pœnam, idque omnes verum cenſent tam ſecundùm ordinem intentionis, quàm executionis. Ergo ſimiliter ad gloriam deputare non poteſt ante præuiſa merita, idque tam ſecundùm ordinem intentionis, quàm executionis. quæ enim maior ratio eſt, quòd ad præmium poſſit aliquem deputare ex iuſtitia ante præuiſa bona merita, quàm quòd ad pœnam poſſit deputare ante præuiſa demerita. Certè ſi Deus ſtatuiſſet electis gloriam, non vt coronam, & mercedem, ſed vt ſimplex donum, facilè ratio diſcriminis aſſignari poſſet: at cùm ſtatuerit illam tanquam coronam, & mercedem conferre, quod nihilominus electis ſuis illã ante præuiſa merita decreuerit. ego, ignorantiam meam fateor, hoc intelligere non valeo, neque hactenus apud autores contrariæ opinionis, qui hunc nodũ ſatis explicet, potui reperire.

IV. Nõ me latet, eſſe, qui reſpondeant non eſſe eandem rationem reprobationis, quatenus eſt deputatio

tatio ad pœnam,& electionis ad gloriam,quia reprobatio eſt opus iuſtitiæ , electio verò eſt opus gratiæ. Verùm licet verũ ſit,electionem eſſe opus gratiæ,quatenus datur ex meritis in gratia fundatis, negari non poteſt à vllo Catholico,eſſe etiam opus iuſtitiæ ; alias vanè Chriſtus in conferenda electis gloria perſonam iudicis ageret,vanè etiam vocaſſet gloriam mercedem apud Matth. cap.20. vanè Paulus vocaſſet illam coronam iuſtitiæ, vanè etiam iactaret, ac nimis confidenter diceret,*In reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ , quam reddet mihi Dominus in illa die iuſtus iudex.* quod enim
Auguſtin. gratis donatur,non redditur,vt Auguſtinus lib.de Gratia,& libero arbitrio in principio ca.8. argumentatur , vanè etiam & per iactantiam dixiſſet. *Scio cui credidi , & certus ſum,quia potens eſt depoſitũ meum ſeruare: uſque in illum diem,* in eadem epiſtola 2. c.1.Neque Auguſtinus, cùm hæc quæſtio illi à Pelagianis moueretur,an gloria gratis donetur, an vt merces reddatur, auſus eſt negare abſolutè, illam reddi,vt coronam iuſtitiæ,& vti mercedem, ſed ſolùm negauit, reddi tanquam mercedem operibus ex nudis naturæ viribus prouenientibus , vt patet ex loco proximè citato , qui ſolus ſufficere poſſet ad hanc veritatem in aperto conſtituendam præter alia loca eiuſdem Doctoris , quæ ſequenti capite adducemus.

V. Sed vt eandem reſponſionem à ſuis fundamentis omnino conuellamus , formemus quartam ra-
D. Thom. tionem contra illam ex doctrina D. Thom. Ille nanque 1.p. q.23. a.5. diſput. propoſita de cauſis prædeſtinationis an præſcientia meritorum ſit cauſa ipſius prædeſtinationis , vt hanc quæſtionẽ diſſolueret , in argumento *ſed contra.* tale fundamentum ſibi conſtituit.Sicut Deus ſaluos nos facit,ita prædeſtinauit nos ſaluos fieri. eſtque iſtud vnicum fundamentum cui nititur totus diſcurſus Auguſtini de gratuita prædeſtinatione contra Pelagianos , & Semipelagianos , vt videri poteſt in libris de Prædeſt. Sanctorum præcipuè lib.1. cap.10. & lib. de Gratia, & libero arbitrio, & de Corrept. & gratia , immo verò vnicum hoc eſt fundamentum , cui niti debent , qui de diuina prædeſtinatione rectè ſcribere volunt.cùm itaque eodem modo credendum ſit Deum ab æterno ad gloriam nos prædeſtinaſſe,quo modo in tempore nos ad gloriam perducit,& videamus, in tempore gloriam adultis non dari,niſi ſub ratione coronæ & mercedis,& ex meritis , neſcio qua ratione velit quis contendere , illam ab æterno non fuiſſe nobis præparatam ex meritis. Declaro idem argumentum. Vel Deus ab æterno præparauit electis gloriam ex meritis,vel non, & loquor ſecundùm ordinem quemcunque,ſiue intentionis, ſiue executionis, & quæro, an ſecundùm aliquem ordinem Deus elegerit nos ad gloriam ſine meritis. Si neges, hoc eſt quod contendo.ſi affirmes , ego quæro , quare , cùm Deus ab æterno efficaciter præparauerit nobis gloriam abſque meritis,& ante omnia merita præuiſa,tamen in tempore de facto non vult illam nobis dare,niſi ex meritis?nã ſi eo modo nos prædeſtinauit , quo in tempore ſaluos nos fecit,& in tempore nullo modo & ſecũdùm nullum ordinem dat gloriam abſque meritis,& niſi ex meritis. ergo ab æterno nullo modo nos elegit ad gloriam, niſi ex meritis. alioqui deberent ſaltem iſti recurrentes ad duplicẽ illum ordinem intẽtionis,& executionis dicere,quòd quẽadmodũ ordine intentionis ab æterno ſumus electi ad gloriã ſine meritis , ſed ordine executionis ſumus electi ex meritis , ita etiã in cẽpore ordine intentionis Deus dat nobis gloriam ſine meritis, quãuis executionis ordine nõ det nobis illã niſi ex meritis.quòd vtrũ fuerit rectè dictũ,ipſi iudicent.

Addo quintã rationẽ. admiſſa hac diſtinctione **VI.** de duplici ordine intentionis & executionis , eo modo applicata huic inſtituto,quo illã reſpõdentes applicãr,neceſſe eſt,totã argumentationem D. Aug.in libris de Præd. Sanctorũ , qua cõtra Pelagianorũ reliquias probat prædeſtinationẽ ad gratiam nõ eſſe ex meritis,ſed ex ſola Dei gratia,corruere,& eneruari. Probo conſequentiam. Supponit Auguſt.in lib.de Prædeſt.ſanctorum c.10. hoc ſolum intereſſe inter gratiam , & prædeſtinationem, quod intereſt inter præparationẽ rei, & illius exhibitionem , prædeſtinatio enim eſt gratiæ præparatio.Hoc fundamento iacto in c.11. argumẽtum ſic cõcludit. Eodem modo Deus ab æterno gratiã prędeſtinauit,quo modo in tempore illã nobis cõfert:ſed in tempore gratiã confert omnino abſque meritis,ſi enim gratia,iã nõ ex operibus vt Apoſtolus ait.Ergo ab æterno ipsã gratiã prædeſtinauit nobis abſque meritis. nõ autem ex præſcientia fidei , aut alicuius boni vſus noſtri liberi arbitrij præcedentis ipſam gratiam.hoc eſt præcipuum & ferè vnicum Auguſtini argumentum pro gratuita Dei prædeſtinatione aduersùs reliquias Pelagianorum,quod ex integro ſumptũ eſt ex Apoſtolo ad Rom.c.9.vbi eodem modo probat, æternã prædeſtinationem diuinæ gratiæ nõ eſſe ex vllis noſtris meritis præuiſis , quia ipſa gratia in tempore non datur ex vllis noſtris meritis præuiſis.Argumentum Apoſtoli ſumptum eſt ab exemplo, cùm enim Eſaũ, & Iacob nõdum nati eſſent, aut aliquid boni egiſſent, aut mali , vt ſecundùm electionem propoſitum Dei maneret,nõ ex operibus,ſed ex vocãte dictum eſt eis , quia maior ſeruiet minori, ſicut ſcriptum eſt,Iacob dilexi, Eſaũ autem odio habui.Ex hoc exemplo,& alio ſumpto ex Pharaone,cui dicit Scriptura, quia in hoc ipſũ excitaui te, vt oſtẽderẽ in te virtutem meam, cõcludit Apoſtolus.Igitur nõ volẽtis,neque currentis,ſed miſerentis eſt Dei, & alia quæ ſequuntur. quod idẽ eſt,ac ſi dixiſſet,gratia in tempore nõ eſt data Iacob ex meritis. Ergo neque ab æterno fuit illi prædeſtinata ex meritis.Hoc autem argumentum Auguſtini, immo D.Pauli totum ruit,admiſſa iſta diſtinctione de duplici ordine intentionis, & executionis ipſi prædeſtinationi diuinæ applicato. Cùm enim arguit Auguſtinus , gratia in tempore non datur ex meritis. Ergo ab æterno nõ eſt præparata ex meritis. Reſpondebunt ſtatim; quòd non eſt præparata ex meritis ſecundùm ordinem executionis,ſed bene eſt præparata ex meritis ſecundùm ordinem intentionis: quia nos dicimus,hos ordines contrarios eſſe,& concedimus gloriam eſſe præparatam ex meritis ſecundùm ordinem executionis , quia in tempore,& in executione illa datur ex meritis , non autem ſecundùm ordinẽ intentionis,quia priora intẽtione ſunt poſteriora in executione.Ita illi dicent,gratia nõ eſt præparata ex meritis ſecũdùm ordinem executionis,quia in executione nõ datur ex meritis:ſed bene eſt præparata ex meritis ſecũdũ ordinẽ intẽtionis. Eodẽ modo potuiſſet aduerſarius eludere argumẽtũ Apoſtoli.Cùm enim arguebat, Iacob in tẽpore antequã aliquid boni egiſſet,aut mali,gratis iuſtificatus eſt. Ergo ab æterno non ex operibus, ſed ex ſola Dei miſericordia fuit prædeſtinatus. potuiſſet ſtatim dicere aduerſarius, argumentum

uina cognitione finis,qui eſt gloria,& media,quæ ſunt merita,talem ordinem habent etiam in diuina voluntate: at in diuina cognitione ſimul ſunt finis,& media in eodem ſigno rationis.Quid enim prohibet ? ergo etiam in diuina voluntate ſimul fuerunt finis,qui eſt gloria, & merita noſtra, quæ ſunt media ad talem finem.

Dicetur,quòd gloria, & merita noſtra fuerunt ſimul in diuina cognitione per notitiam mediam, & conditionatam, qua illa videbantur futura ex hypotheſi ſolùm,non autem per notitiam liberam & abſolutam.

Dico, oportere fuiſſe etiam ſimul in diuina cognitione per notitiam liberam,& abſolutam.quia nullus eligitur ad gloriam ex meritis præuiſis, vt futuris ſolum ex hypotheſi, aliàs recurreremus in errorem Pelagianorum.

Dicetur, electionem illam ad gloriam, quatenus fuit ſimplex intentio dandi gloriam, fuiſſe merè gratuitam, nullam prærequirentem bonorũ operum præuiſionem,licèt vt eſt executio,& quaſi diſpoſitio executionis in mente diuina, præexigat præuiſionem meritorum, non enim vitam æternam Deus dare diſpoſuit ſub ratione præmij, niſi his,quos benè operaturos eſſe præuidit. Sed quis intelligat iſta Paradoxa ? Deus merè gratis nos ad gloriam elegit, & electio ad gloriam iecundum ordinem intentionis efficacis fuit merè gratuita,& tamen in executione non vult ipſam gloriam gratis dare, ſed ex præuiſis meritis? Si Deus in executione non dat,nec vult gloriam dare,niſi in ratione præmij,& ex meritis præuiſis,vnde habes illum te ad gloriam ſine meritis efficaciter elegiſſe? cùm Deus eodem modo te ab æterno ad ſalutem prædeſtinauerit, quo modo in tempore te ſaluum facit. vt D. Thom. ait, neque aliud medium, neque aliam rectam viam habeas, de tua prædeſtinatione philoſophandi. Dices, gloriam paratam fuiſſe omnino gratis, & non vt induit rationem præmij, colligitur ex verbis illis apud Lucam 12. *Complacuit Patri veſtro dare vobis regnum.* At dicitne abſque veſtro labore, abſque veſtris meritis in ipſius Dei gratia fundatis? an non ſubiungit ſtatim, quónam pacto complacuit Patri dare illis regnum, ſcilicet per bona opera, & merita dicens:*Vendite,quæ poſſidetis, & date eleemoſynam, facite vobis ſaculos, qui non veteraſcunt, theſaurum non deficientem in cœlis.* an non loquitur de complacentia dandi gloriam, quæ eſt diſpoſitio executionis,quæ non eſt niſi ex meritis præuiſis, vt vel reſpondentes concedunt ? & eſto non dixerit hîc, complacuit Patri veſtro,dare vobis regnũ, vt præmium, id negandum non eſſet contra alia tam multa,& tam aperta diuinæ Scripturæ teſtimonia.Certè nimis debile videtur iſtud refugiũ.

XI. Tandem vel repugnat naturæ finis non eſſe prius volitum ordine intentionis in aliquo ſigno rationis, quàm media, vel non repugnat. ſi repugnat, oſtendant illi iſtam repugnantiam, nullus enim Philoſophus, neque Theologus,quod videre potuerim, illam oſtendit, neque verò oſtendi poteſt:nam ſaltè quãdo medium eſt vnicum,& neceſſarium ad finem,non poteſt eſſe efficax intẽtio finis ſine voluntate talis medij, vt Theologi ferè omnes admittunt. Si autem illi minimè hoc repugnat,cur veremur admittere,Deum nó elegiſſe nos ad finem gloriæ ante præuiſa merita,quæ ſtatuit nobis tãquam media neceſſaria ad finem aſſequendum? Neque enim ex hoc ſequitur, gloriam non dari nobis gratis,vt oſtendit Aug.lib.de Gratia & libero arbitrio c.8.Quia nó datur ex meritis profectis ex ſolis viribus naturæ,ſed ex meritis in ipſa diuina gratia fundatis. Quod ſi Pelagius cõcederet,& in hoc ſenſu diceret, gloriam dari nobis ex noſtris meritis,ſcilicet fundatis in Dei gratia,fateretur idem Auguſtinus in eodem lib.de Gratia & libero arbitrio c.6. quòd libenter hoc illi poſſet concedi:quæ non aduertentes multi, trepidauerunt timore,vbi non erat timor. Auguſtin.

XII. Supereſt modò, vt prima hæc demonſtratio ex autoritate diuinæ Scripturæ sũpta omni ex parte firma ſit,vt reſponſionem quandam aliam refutemus, quæ eidem adhiberi poſſet ex Caiet.3.p.q.1. a.3. nimirum hoc noſtrum argumentum probare quidem, prædeſtinationem noſtram minimè factã fuiſſe abſque meritis, non tamen probare quòd facta ſit ex meritis, aut ex præſcientia meritorum: quia præſcientia meritorum ſe habuit ad noſtram prædeſtinationem ſolùm concomitanter, non autem in ratione cauſæ. Verùm hæc quoque reſpõſio facilè tolli poteſt,quia ſi præſcientia meritorũ ſolùm concomitanter ſe haberet ad noſtram prædeſtinationem,gloria non rectè,neque propriè diceretur dari ex meritis, neque propriè vocaretur corona,& merces bonorum operum,nam illa,quę ſolùm concomitanter ſe habẽt ad aliquid,& cum aliquo,non dicuntur cauſa,quòd quis aliquid mereatur,v.g. miles in ſtadio pugnans fert arma, & veſtes,comitatur illum equus, comitantur multa alia,non tamẽ dicimus,quòd propter arma,veſtes, & equum, aut quia fuit pulcher,ruber,niger, &c. accipiat coronam, aut mereatur præmiũ:quia illa ſe habent ad pugnam ſolùm concomitanter, ſed propter ipſum pugnam, & victoriam accipit coronam, & ſolùm comparatione eiuſdem victoriæ illa corona habet rationem præmij. Deinde quæ ſolùm concomitanter ſe habent adinuicem, poſſunt eſſe vnum abſque alio,niſi ob aliquam naturalem connexionem illa vniantur in tertio, quare ſi præſcientia meritorum,& electio efficax ad gloriam ſolùm concomitanter ſe habent adinuicem, poterit eſſe vnum ſine altero, & ſic poterit quis aſſequi gloriam ſine meritis, quod eſt abſurdum. Quare hæc quoque reſponſio nulla ſpecie probabilitatis fulcitur. Caietan.

CAPVT XXII.

Eadem veritas autoritate Sanctorum Patrum cõprobatur.

I. SEcunda eiuſdem veritatis demonſtratio ſumi poteſt ex communi conſenſione Patrum, qui docent,Prædeſtinationẽ ex præſciẽtia meritorum factam fuiſſe. dicemus diſtinctè de Patribus, qui Auguſtinum præceſſerunt, de iis qui Auguſtino poſteriores fuerũt,ac de Auguſtino ipſo,cuius vel ſolum teſtimonium ſufficere videtur ad hanc cauſam concludendam, & omnem controuerſiam diſterminandam.Patres omnes,qui Auguſtino anteriores fuerunt, docuiſſe, prædeſtinationem factam fuiſſe ex præſcientia meritorum,oſtendimus ſuprà ca.9.neque fortaſſe aduerſatij id negabunt. Neque dici poteſt,vt nonnulli dicunt,eos per inaduertentiã in Pelagianiſimum lapſos,propter rationes ibi adductas nã & Aug. docet,illos rectam fidem etiam in hoc dogmate diuinæ Prædeſtinationis tenuiſſe,& ſuã doctrinã de prædeſtinatione nunquam Eccleſiam Catholicam non habuiſſe. & dici non poteſt, Patres in rebus fidei communiter erraſſe: etenim Eccleſia Catholica id credit, & prædicat, quod Patres, & Doctores communiter docent credendum:Eccleſiam autem in fide communiter

muniter posse errare, error est. Cùm itaque Sancti Patres docuerint, prædestinationem factam esse ex præscientia meritorum, & hoc de prædestinatione ad gratiam nequeat verificari, necessarium videtur, illos de prædestinatione ad gloriam locutos fuisse. Hanc fuisse illorum mentem præter quod argumentatio nostra, ni fallor, necessariò convincit, etiam illorum verba satis euidenter demonstrant.

D. Ambrosius in epistolam ad Roman. circa illa verba cap. 8. *Quos præscivit, & prædestinavit*, &c. inquit, *quos enim præscivit sibi devotos futuros, illos elegit ad æterna præmia.* Quòd autem dicunt nonnulli, illos commentarios non æstimari a viris doctis D. Ambrosij, non est nunc à nobis refellendum, qui non disputamus de autoritate Doctorum, sed secundùm autoritatem, & ex autoritate. quod etiam dicunt, illa verba non esse intelligenda de electione æterna, sed temporali, tum apertè falsum est, tum nihil eos iuuat. falsum in primis id est, quia dicit in præterito *elegit*, nõ autem in præsenti *eligit*: electio autem temporalis nondum quoad omnes in præteritum transiit, & Ambrosius commentabatur, & exponebat verba illa Apostoli, quos præscivit, & prædestinauit. Ergo ad eius mentem, & in sensu ab eo intento loquebatur: Apostolus autem de electione non solùm temporali, sed æterna loquebatur. Esto etiam de temporali electione loqueretur, nihil referret, quia sicut Deus in tempore saluos nos facit, ita ab æterno prædestinauit, saluos fieri, vt cap. præcedenti ex D. Thom. dictum est. Quod tandem additur, Ambrosium loqui de electione secundùm ordinem executionis, non intentionis, atque hac distinctionem posse explicari plurima dicta Patrum, quid veritatis contineat ex dictis cap. præcedenti consuli potest.

D. Hieronymus in epistola ad Roman. cap. 8. circa illa verba, *Quos præscivit, & prædestinauit conformes fieri imaginis filij eius*, inquit, prædestinare idem esse, quod præscire. Ergo quos præuidit, conformes futuros in vita voluit, vt fierent conformes in gloria. Omitto testimonium Origenis.

Sedulius in collectaneis primi cap. ad Roman. circa illa verba, *sis, qui secundùm propositum vocati sunt sancti*, ait. *Quos præscivit, futures sibi deuotos, ipsos elegit ad promissa præmia capessenda.* & infrà: *aliud est præscire, aliud prædestinare. præscientia gerenda prænouit, postmodum prædestinatio retribuenda describit. illa præuidet merita, hæc prædestinat præmia.* ex hoc autore non solùm habemus, illum loqui de prædestinatione ad gloriam, sed nomine prædestinationis apud illum solùm significari præparationem eius quod Deus nobis confert pro nostris meritis, non autem præparationem eius, quod Deus nobis gratis donat. quare alia est prædestinatio, de qua loquuntur Patres, cùm docent, prædestinationem esse ex meritis: alia illa, de qua loquitur Augustinus, cùm docet, prædestinationem non esse ex meritis: quia illi de prædestinatione ad gloriam loquuntur, Augustinus verò de prædestinatione ad gratiam.

Ex Patribus, qui Augustino posteriores fuerunt D. Fulgentius ex Aphrica in persecutione Vandalica profugus lib. de Incarnatione, & gratia IESV Christi ad finem sic ait: *Deus ergo, qui hominem condidit, ipse prædestinatione sua, & donum illuminationis ad credendum, & donum perseuerantiæ ad proficiendum, atque permanendum, & donum glorificationis ad regnandum, quibus dare voluit, præparauit. quique non aliter perficit in opere, quàm in sua sempiterna, atque incommutabili habeat voluntate dispositum.* Hic vides, Fulgentium eidem Augustini fundamento innixum, cui etiam D. Thom. nititur, apertè docentem, eodem modo homines ad salutem disponere, & perducere, quo modo ab æterno illos prædestinauit: perducit autem in tempore ad gloriam ex meritis. Ergo ab æterno non nisi ex meritis illam nobis dare disposuit. Nec moneri debemus, quòd gloriam ipsam vocet donum ex diuina voluntate nobis præparatum. quia, vt ipsemet lib. 1. ad Monimum cap. 10. adnotauit, ipsa gloria & donum, & merces est. Merces, quia redditur nostris meritis, donum, quia illa merita, quibus gloria tanquam merces redditur, sunt profecta ex diuina gratia, & non ex solis viribus nostri liberi arbitrij. quæ est doctrina Augustini locis proximè citandis.

D. Prosper lib. 2. de vocatione gentium c. 15. *Frustrà* (inquit) *dicitur quòd ratio operandi non sit in electis, cùm etiam ad hoc operentur, vt electi sint.* D. Joan. Damascen. lib. 2. de fide Orthodo. cap. 30. *Prædestinatio* (inquit) *opus est iussionis diuinæ, præcognoscendi vim habentis. prædestinat autem ea, quæ non sunt in nostra potestate, secundum præscientiam suam.* & ne quis dicat, eum loqui de effectibus antecedentibus nostrum liberum vsum solummodo, & de illorum præscientia, non de effectibus posterioribus, & de præscientia vsus liberi nostri arbitrij, idem autor lib. contra Manichæos pag. 562. ita ait: *Præuidens itaque Deus ea, quæ à nobis sponte gerenda sunt, videlicet, quæ sunt in nostræ potestate, virtutem dico & vitium, prædestinat ea, quæ non sunt in nostra potestate.* & quòd per ea, quæ nõ sunt in nostra potestate, velit intelligi præmium gloriæ, aut pœnam inferni (latiùs enim accipit nomen prædestinationis, quod nonnunquam antiqui Doctores facere consueuerunt, vt supra cap. 1. notauimus) itant sit sensus, quòd ex præscientia eorum, quæ sunt in nostra potestate, prædestinauit nobis Deus gloriam, vel infernum, indicant verba, quæ paulo pòst subiungit, dicens, *Admonemur itaque facere, quod bonum est, vtque boni fiamus, vt simus ex numero bonorum, qui præcogniti, ac prædestinati sunt ad vitam æternam.* quæ verba non aliter videntur posse intelligi, nisi quia prædestinatio ad vitam æternam facta est ex præscientia bonorum operum nostrorum: aliàs nanque qua ratione sit positum in nostra potestate, vt admitentes facere, quod bonum est, fiamus, & simus ex numero eorum, qui prædestinati sunt ad vitam, non est facile intelligere.

D. Anselmus in lib. concordiæ cùm multa de hac re disputasset, cap. 2. tandem sic cõcludit: *Sicut præscientia, quæ non fallitur, non præscit nisi verum, sed erit aut necessarium, aut spontaneum: ita prædestinatio, quæ non mutatur, non prædestinat nisi sicuti est in præscientia.*

Theophylactus in illud Matth. c. 22. *Multi sunt vocati, pauci verò electi*, inquit, *Pauci quidem sunt, qui saluantur, & qui digni, vt eligantur à Deo, itaut Deus quidem sit vocans, electos autem fieri, vel non, nostrum est.*

Horum patrũ autoritates libuit adnotare, non quòd ab aliis animaduersæ non fuerint: sed vt ostenderem nostram assertionẽ, etiam quoad modum dicendi in illis euidens habere fundamentũ.

III. Augus.

Iam ad Augustinum veniamus, qui rem hanc ita in aperto constituit, vt nihil magis. Primus locus, qui ex Augustino ad hanc sententiam probandam solet allegari, est liber primus ad Simplic. q. 2. vbi docet, diuinam electionem factam esse secun

ſecundùm præſcientiam, quia electio præſupponit diſtantiam aliquam eius, qui eligitur, ab eo, qui non eligitur. vnde & verba illa Apoſtoli ad Roman. 9. *Cùm enim nondum aliquid boni egiſſent, aut mali, vt ſecundùm electionem propoſitum Dei maneret, non ex operibus, ſed ex vocante*, &c. vult intelligenda eſſe per figuram, quam vocant Schiron, hoc pacto, cùm nondum aliquid boni egiſſent, aut mali, propter quod electio alterius illorum, & alterius reprobatio ſecundùm propoſitum Dei maneret, quæ electio non niſi ſuppoſita præſcientia bonorum operum manet, non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt eis, *quia maior ſeruiet minori*, &c. Item verba illa ad Epheſ. 1. *elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem.* exponit de electione, quæ eſt ſecundùm præſcientiam operũ, & illius verba inter alia ſunt, *Cùm ergo nulla eſſet electio benè agentis, ſecundùm quam maneret propoſitum Dei, non ex operibus, ſed ex vocante, id eſt, ex eo, qui vocando ad fidem, gratia iuſtificat impium, dictum eſt, & quia maior ſeruiet minori. Non ergo ſecundùm electionem propoſitum Dei manet, ſed ex propoſito electio, id eſt, non quia inuenit Deus opera bona in hominibus, quæ eligat, ideo manet propoſitum iuſtificationis ipſius: ſed quia illud manet, vt iuſtificet credentes, ideo inuenit opera, quæ iam eligat ad regnum cœlorum. nam niſi eſſet electio non eſſent electi, nec rectè diceretur, quis accuſabit aduerſus electos Dei: non tamen electio præcedit iuſtificationem, ſed electionem iuſtificatio: Nemo enim eligitur, niſi iam diſſians ab illo, qui reiicitur. vnde quod dictum eſt: Quia elegit nos Deus ante mundi conſtitutionem, non video, quomodo ſit dictum, niſi præſciẽtia. Hic autem, quod ait, non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt ei, quia maior ſeruiet minori, non electione meritorum, quæ poſt iuſtificationem gratia prouenerunt, ſed liberalitate donorum Dei voluit intelligi, ne quis de operibus extollatur.* Hæc ille. ex quibus vides, electionem ad gloriam non niſi poſt iuſtificationem, & præſcientiam operum ex gratia profectorum, & ex huiuſmodi præſcientia ex Auguſtini ſententia factam fuiſſe.

Huic teſtimonio, quod certè nimis apertum eſt, ac nimis vrget, qui oppoſitam ſententiam tuentur, conantur multiplicitet reſpondere. Primò per diſtinctionem de duplici electione æterna, & temporali. Sed hæc diſtinctio nihil eos iuuat. primò, quia recurrit ſemper contra illos eadem ratio in Auguſtino, & D. Thom. fundata, quòd eo modo nos Deus ad ſalutem ab æterno prædeſtinauit, quomodo in tempore ſaluos nos facit. Secundò, quia Auguſtinus apertè loquitur de electione æterna, cùm inducat teſtimonium Apoſtoli dicentis: *Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem*, quod non eſt dubium, de electione æterna, non autem temporali eſſe intelligendum. Ideo ſecundò reſpondent, Auguſtinum loqui de electione ſecundùm ordinem executionis, non intentionis. At hæc reſponſio illorum pace gratis, & contra Auguſtini mentem eſt conficta, cùm ibi ille aliam nullam agnoſcat electionem, præter illam, quæ eſt ex præſcientia, &, vt dici ſolet, cum præuio examine. Eſto enim eſſet alia electio ſecundùm ordinem intentionis abſque præuio examine, ille eam ibi non agnoſcit, neque admittit. Ad hæc ille loquitur de ea electione, de qua loquitur Paulus ad Eph. 1. & iuxta ſenſum à Paulo (vt ſalem putat) intentum: Paulus autem loquitur ibi de electione ſecundum ordinem intentionis, aliàs ſi loquitur de electione, quæ eſt executio, vel ordo executionis, vbinam loquitur de electione, quæ eſt intentio? nullus enim locus magis apertus & euidens eſt: & omnia alia loca eodem modo poterunt ad ſenſus non intentos detorqueri.

Propter has fortaſſe rationes alij liberè fatentur, Auguſtinum quando libros illos ad Simplicianum ſcripſit, iuniorem fuiſſe, verùm ſeniorem factum ſententiam in melius mutaſſe, & docuiſſe, electionem diuinam non ſupponere in iis, qui eliguntur diſparitatem, ſed illam facere, neque eſſe ſecundùm præſcientiam meritorum, neque fieri, aut factam eſſe præuio examine, ſed ex mera, & gratuita Dei voluntate, & illas Apoſtoli autoritates aliter intellexiſſe, & interpretatũ fuiſſe, quàm fecerat in dicta q. 2. lib. 1. ad Simplician. quod probant ex eodem autore in epiſt. 105. ad Sixtum, & 106. ad Paulinum, & ex lib. de Corrept. & gratia c. 7. & 13. & lib. 22. de Ciuit. c. 24. quibus in locis illas Pauli autoritates exponit de electione ex gratia ſine præuio examine, & præſciẽtia meritorum. Addi poterant alia eiuſdem autoris loca in Enchirid. c. 107. lib. 5. contra Iulian. c. 3. lib. de Prædeſt. ſanctorum cap. 17. & 19. lib. de Corrept. & gratia c. 10. & ſerm. 11. de verbis Apoſtoli, quibus in locis reiecta illa priori interpretatione, quam in illa ſecunda quæſtione ad Simplicianum tradiderat, eaſdem Pauli autoritates exponit de electione ex gratia ſine vllis meritis præcedentibus. I V. Auguſt.

Sanè quod iſti doctiſſimi viri aiũt, Auguſtinum ſeniorem factum, & in diuinis Scripturis magis exercitatum aliam electionẽ agnouiſſe, quæ non eſſet ex præſcientia meritorum, ſed ex ſola Dei gratia abſque præuio examine, & de huiuſmodi gratuita electione dictas Apoſtoli autoritates intellexiſſe, pluſquam veriſſimum eſt. namque obortа Pelagianorum hæreſis Auguſtini ingeniũ magis excitauit, & aſſidua diſputandi occaſione doctiorem euadere fecit, & cùm priùs ſolam electionem ex præſcientia meritorum agnoſceret, etiam illam, quæ eſt ſine tali præſciẽtia ex ſola Dei gratia, compulit confiteri. Cæterùm Auguſtinum ſeniorem factum ſententiam de electione ex præſcientia meritorum, quam iunior tenuerat in illa 2. q. ad Simplician. quæ eſt electio ad gloriã, correxiſſe, aut aliquo modo retractaſſe, illorum pace minimè verum eſt. quod ex ipſomet Auguſtino cuidentiſſimè oſtẽdi poteſt. Inprimis nanque Auguſtinus quidquid in ſuis ſcriptis retractatione, abrogatione, correctione, limitatione, additione, aut declaratione dignũ iudicauit, ipſemet in ſuis libris Retractationũ palàm, & paſſim, abſque rubore, abſque mora retractauit, abrogauit, correxit, limitauit, addidit, & declarauit (de iis libris loquor, quos ille in dictis libris retractauit: non enim omnes retractare potuit, vt mox ex eodemmet oſtendemus.) Verùm in 2. lib retractationum cap. 1. vbi illius libri meminit, non ſolùm nihil in eo adnotauit, quod aliqua cenſura dignum iudicaret, immo plurimum commendauit, immo verò in libro de Prædeſtin. ſanctorum cap. 4. non ſolùm dictum librum commendauit, ſed Maſſilienſes ad illum remiſit, vtpote ex quo poterant ſuum errorem redarguere, antequam ille ortus eſſet, & miratur, quòd qui in eius libris iactitabant ſeſe verſatos, illum librum non legiſſent, quod minimè dixiſſet Auguſtinus, ſi in illa quæſtione locutus fuiſſet de ea electione, de qua iſti doctiſſimi viri putant locutum, & ſi illam ſententiam retractaſſet, quia ſententia Auguſtini eadem fuiſſet cum ſententia Maſſilienſium, quam Auguſtinus in libris de Prædeſtin. ſanctorum vbique inſectatur: illi enim dicebant, electionem factam fuiſſe ex-

præscientia meritorum, vel saltem boni vsus liberi arbitrij. Ad quid ergo illos remittere ad illam quæstionem, in qua ipsemet cum illis erraſſet, & illis errandi ansam præbuisset? Sed Augustinus ibi de alia electione locutus est, neque doctrinam ibi à se traditam vnquã retractauit. Deinde quòd illam doctrinam non retractauerit, ostenditur, quia in libris ab Augustino iam ad occasum vergente conscriptis eadem doctrina reperitur aperte tradita, immo clariùs, & firmiùs tradita, quàm in ea quæst. 2. ad Simplicianum, quod manifestum fiet ex locorum sequentium subiectione.

V. Secundus itaque locus Augustini, ex quo eadem sententia probatur, est in lib. de Prædest. Dei, vbi cap. 2. & 3. distinguit duplex genus prædestinationis, alterum alligationis, & potentiæ, alterum conditionis, & iustitiæ: & docet, prædestinationem iustitiæ, qua homo prædestinatus est ad præmium, vel pœnam, esse ex præuisione operum nostrorum, & sententiam nostram ita manifestè probat, vt contrarium sentientibus nullus alius respondendi modus idoneus videatur, nisi negando, illum librum esse D. Augustini. Primò, quia libellus nimis brevis est. Secundò, quia eius non fit mentio in libris Retractationũ, neque in indiculo Possidonij. Tertiò, quia continet doctrinam contrariam doctrinæ D. Augustini. Verùm prima ratio huius Erasmicæ censuræ facilè reiicitur, cùm multa alia sint opuscula D. Augustini breviora, multi sermones, multæ epistolæ, quas dubium non est, esse Augustini. Et sanè quis Augustino metas longitudinis, aut brevitatis constituit in libris conscribendis, vt non potuerit pro loci, temporis, & rei, de qua scribebat, & ipsa scribendi occasione, brevior esse, aut magis prolixus? Miser Augustinus, in quas angustias illum coniiciunt isti Germanorum ludimagistri.

Non minori facilitate reiicitur secunda ratio, qua Erasmus in Augustini libris censendis vtitur frequentissimè, si legamus Augustinum epist. 2. ad Quodvultdeum, quæ tomo 6. præmittitur libello de hæresibus scribentem. *Agebam verò rem plurimum necessariam, nam retractabam opuscula mea, & si quid in eis me offenderet, vel alios posset offendere, partim reprehendendo, partim defendendo, quòd legi possent, & deberent, operabar: & duo volumina iam absolueram, retractatis omnibus libris meis, quorum numerum nesciebam, eósque ad 232. esse cognoui. Restabant epistolæ, & tractatus populares, quos Graci Homilias vocant, & plurimas epistolarum legebam, sed adhuc nihil inde dictaueram, cùm me etiam isti Iuliani libri occupare cœperunt, quorum nunc quarto respondere cœpi. quando ego id explicauero, quartóque respondero, si tres non superuenerint, disponо, si Deus voluerit, & quod posciis incipere, simul agens vtrunque, & hoc feliciter, & illud de Retractatione opusculorum nostrorum, nocturnis & diurnis temporibus in singula distributis.* Fiétque res adhuc clarior, si & Possidij testimonium adiungamus eiusdem Augustini discipuli, qui eius vitam describens cap. 18. inter alia de Retractationum libris ita ait, *Vnde etiam duo conscripsit volumina, quorum titulus est de Recensione librorum. Præceptos etiam sibi quosdam libros ante diligentiorem emendationem à nonnullis fratribus conquerebatur, licèt eos postmodum emendasset, imperfecta etiam quædam librorum suorum præuentus morte dereliquit.* Ex his, vt alia omittam, colligas licèt, quid virium habeat Erasmi censura, qua ille mille modis abutitur, sæpe inculcãs; hic liber non est Augustini, quia eius non meminit in Retractationum libris, cùm constet, Augustinum morte præuentum non omnes suos tractatus recensere potuisse, maximè eos, quos populares vocat, qualis videtur libellus iste de Prædestinatione Dei, quod vel ipsum proœmium libelli satis demonstrat. Cùm etiam constet, Augustinum tot libros scripsisse, vt vel ipsemet autor eorum numerum ignoraret, & nonnullos ab eius discipulis, antequam emendarentur, sibi ereptos, & contra illius voluntatem fuisse inuulgatos.

August.

Possidius.

Tertia autem ratio eiusdem censuræ ex ipso- **VI.**
met autore confutanda est. Sermone 7. de verbis Domini ait ipse Augustinus: *In hoc capitulo hoc discimus, quoniam, quos voluit Dominus, hos elegit. elegit autem, sicut dicit Apostolus, & secundùm suam gratiam, & secundùm illorum iustitiam: talia enim sunt verba Apostoli. Attendite* (inquit) *quid dicit Helias, Domine Prophetas tuos occiderunt, altaria tua euerterunt, & ego relictus sum solus, & quærunt animam meam. sed quid dicit illi responsum diuinum? Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curuauerunt genua ante Baal. solum te putas esse seruum benè laborantem, sunt & alij me timentes, & non pauci.* Hìc Augustinus docet, esse quandam electionem & secundùm gratiam, & secundùm iustitiam: eam verò docet esse secundùm iustitiam, quia est ex bonis operibus: docet etiam esse secundùm gratiam, quia ipsa bona opera ex Dei gratia proueniunt, & quidquid boni egerimus, tandem in Deum referendum est, sine cuius supernaturali adiutorio nihil boni agere valemus. hoc docet, hoc prosequitur toto illo sermone, hoc autem est solum, quod & nos docemus. Scio esse, qui dicant, loqui Augustinum de electione non æterna, sed temporali, aut de electione non secundùm ordinem intentionis, sed executionis. sed quantum valeant hi modi respondendi, cap. præcedenti ostendimus.

Quartus locus, in quo Augustinus nostram **VII.**
sententiam conceptis verbis tradit, est in lib. de Gratia & libero arbitrio, quem dici non potest esse ab illo conscriptum, aut quando adhuc iunior erat, necdum in diuinis Scripturis admodum exercitatus. In eo itaque libro cap. 6. ex testimoniis diuinæ Scripturæ allegatis in præcedentibus deducit, gratiam Dei non dari secundùm merita nostra, cùm detur non solùm nullis bonis meritis, sed etiam multis meritis malis præcedentibus; sed cùm data fuerit, incipiunt esse merita bona, per ipsam tamen gratiam, & de istis meritis bonis ex Dei gratia profectis exponit dictum Apostoli, dicentis ad Timoth. epistola 2. cap. 4. *In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex.* Subdit Augustinus: *Cui redderet coronam iustus iudex, si non donasset gratiam misericors Pater, & quomodo esset iusta corona iustitiæ, si non præcessisset gratia, quæ iustificat impium? quomodo ista debita redderetur, si non prius illa gratuita donaretur? Sed cùm dicunt Pelagiani, hanc esse solam non secundùm merita nostra gratiam, qua homini peccata dimittuntur, illam verò, quæ datur in finem, id est, æternam vitam meritis nostris præcedentibus reddi. Respondendum est eis, si enim merita nostra sic intelligerent, vt etiam ipsa dona Dei esse cognoscerent, non essent reprobanda ista sententia. quoniam verò merita humana sic prædicant, vt ea ex semetipsò habere hominem dicant, prorsus rectissimè respondet Apostolus, quis enim te discernit, quid autem habes quod non accepisti, si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? Prorsus talia cogitanti verissimè dicitur, Dona sua coronat Deus, non merita tua, si tibi à te ipso, non ab illo sunt merita tua.* Hæc ille. ex quibus habes, quæ sit illa sententia de electione, aut prædestinatione secundùm

cundùm iuſtitiam,& ex meritis præuiſis,quá reiicit Auguſtinus, ſententia ſcilicet Pelagianorum, qui docebant, electionem, aut prædeſtinationem ſiue ad gratiam,ſiue ad gloriam factam eſſe ex meritis prouenientibus, non ex diuina gratia, ſed ex nobiſmet ipſis,& ex ſolis noſtris viribus.Secundò habes electionem ad gloriam ex præuiſione meritorum ſequentium iuſtificationē, & prouenientium quidem ex viribus liberi arbitrij, ſed cum adiutorio diuinæ gratiæ, & eius virtute, de qua locutus eſt ſolùm in lib. illo 1.ad Simplician. q.2. & lib.illo de Prædeſtinatione Dei,& ſermo.illo 7. de verbis Domini,ab Auguſtino ſeniore facto non ſolùm nunquam oppugnatam, ſed maximè probatam, & ita probatam, vt dixerit, quòd ſi Pelagiani de illa loquerentur, cùm dicebant, electionem, aut prædeſtinationem factam ex meritis præuiſis, non eſſet illorum ſententia reprobanda. ſed pergamus ad alia loca.

VIII. In eodem lib.cap.8. proponit Auguſtinus hanc quæſtionem in terminis, dicens: *Et naſcitur inde non parua quæſtio, quæ Domino donante ſoluenda eſt, ſi enim vita æterna bonis operibus redditur,ſicut apertiſſimè dicit Scriptura,quoniam reddet Deus vnicuique ſecundùm opera ſua. quomodo gratia eſt vita æterna,cùm gratia non operibus reddatur, ſed gratis detur.* Hac grauiſſima quæſtione propoſita, quæ in ſenſu eadem eſt cum ea, quam nos modò diſputamus,adducit hinc inde autoritates, quibus docemur, vitam æternam eſſe gratiam, & dari, vt gratiam, etiam cùm operibus noſtris redditur, dicit enim Apoſtolus,Quòd *gratia Dei eſt vita æterna*, ad Roman. 6. & rurſum Dauid in Pſal. 102. *Qui coronat te in miſericordia, & miſerationibus*, & autoritates quibus docemur, eandem vitam æternam reddi meritis noſtris, & eſſe mercedem,& præmium,& dari nobis ex iuſtitia,& tanquam coronam.Quam quæſtionem diſſoluens ait: *Iſta ergo quæſtio nullo modo videtur mihi poſſe diſſolui,niſi intelligamus & ipſa bona opera noſtra,quibus æterna redditur vita, ad gratiam Dei pertinere propter illud, quod ait Dominus Ieſus: Sine me nihil poteſtis facere* Et paulo infrà,explicans illud, *Gratia eſtis ſaluati per fidem,Dei enim donum eſt. non ex operibus, ne quis glorietur*, ſubiungit: *Sed audi, & intellige,non ex operibus dictum eſt, tanquam tuis ex teipſo tibi exiſtentibus, ſed tanquam iis, in quibus te Deus finxit, id eſt, formauit, & creauit.* & paulo infrà. *Itaque chariſſimi vita bona noſtra nihil aliud eſt,quam Dei gratia ſine dubio,& vita æterna, qua bona vita redditur,gratia eſt,& ipſa enim gratis datur, quia gratis data eſt illa, cui datur: ſed illa, cui datur tantummodo gratia eſt, hæc autem, qua illi datur, quoniam præmium eius eſt, gratia eſt pro gratia, tanquam merces pro iuſtitia,vt verum ſit, quoniam verum eſt, reddet vnicuique ſecundùm opera eius.* & c. 9. proſequitur eandem quæſtionem, explicando, quomodo vita æterna recte vocari poſſit gratia, ſicut ait Apoſtolus, *Gratia Dei vita æterna*, & ait: *Non enim quia dixit, Deus eſt, qui operatur in nobis velle,& operari pro bona voluntate, ideo liberum arbitrium abſtuliſſe putandus eſt. quod ſi ita eſſet, non ſuperiùs dixiſſet: Cum timore, & tremore veſtram ſalutem operamini: quando enim iubetur, vt operemur, liberum eorū conuenitur arbitrium. ſed ideo cum timore, & tremore,ne ſibi tribuendo,quod benè operantur,de bonis tanquam ſuis extollantur operibus.* Eandē doctrinam repetit in lib.de Corr. & gratia c.13.fere per totum,vbi oſtendit, quomodo Deus etiam iuſtos, quibus gloria redditur tanquam merces, nihilominus coronet in miſericordia,& miſerationibus, & explicat, quomodo vita æterna vocetur gratia, quæ tamen redditur meritis. quibus omnibus ſi adiungamus id, quod idem Auguſtinus docet in lib.de Prædeſt. ſanctorum c.10. & 11. hoc ſolum intereſſe inter gratiam,& prædeſtinationem,quod inter rei præparationem, & illius exhibitionem, & ideo gratiā fuiſſe ſine meritis præparatam,quia datur in tempore ſine meritis,& quod ait eod.l b. c.16.& 17.duplicem eſſe Dei electionem, alteram æternam,alteram temporalem,& vtranque eſſe ex Dei gratia, quia non differunt, niſi quia poſterior eſt executio prioris,vnde cùm poſterior ſit ex gratia, etiam prior eſt ex gratia, ſatis ſupérque probatum relinquitur, diuinam electionem ad æternam gloriā in ſententia Auguſtini etiam æternam ex præſcientia meritorum gratiæ factam fuiſſe, cùm temporalis electio ex eiſdem meritis ſecundùm illum ſit facta:neque Auguſtino veniſſe vnquam in mentem, hanc ſententiam oppugnare, immo illam vbique conſtantiſſimè ſemper docuiſſe,& defendiſſe.

CAPVT XXIII.

Eadem veritas rationibus Theologicis euidenter comprobatur.

I. POſſumus eandem veritatem rationibus Theologicis comprobare, & quidem efficaciſſima inter alias multas ea eſt, quæ duobus capitibus præcedentibus implicitè fuit à nobis inſinuata, nempe, quia eo modo credendū eſt, Deum nos ab æterno ad gloriam prædeſtinaſſe,quo pacto ad illam nos in tempore perducit:nam verò in tempore ad gloriam non perducimur,niſi ex meritis.Ergoa b æterno ad gloriam non ſumus prædeſtinati,niſi ex meritis. Minor eſt de fide.Maior eſt doctrina D.Auguſtini, Fulgentij, & D.Th.1.p.q.23. a.5.in argumento *ſed contrà*.Cui rationi etſi variæ adhibitæ ſint reſponſiones per diſtinctionem de electione æterna,& temporali,de electione ſecundùm ordinem intentionis & executionis, eas tamen friuolas eſſe,neque rationem ſoluere c.21.& etiam ſequenti ſatis apertè oſtendimus.Solùm reſtat confutanda reſponſio Suarez qui lib. 1. de Prædeſt. c.8. n.26. ita reſpondet. *Gloriam dari aut non dari gratis,duobus modis intelligi poteſt,vno modo, vt ſcilicet,*gratis,*cadat in actum diuinæ voluntatis:alio modo, vt cadat in illius obiectum, quod eſt ipſa gloria. Ratio noſtra probat gloriam non dari gratis, quatenus particula iſta*, gratis, *cadit in obiectum, non quatenus cadit in actum diuinæ voluntatis.* Quam reſponſionem declarat exemplo eius, qui vendit equū vni ex multis,qui illum emere volūt,ille nanque non vendit gratis ex parte obiecti, quia pro illo vult mercedem:ſed vendit gratis ex parte actus voluntatis, quatenus potius vult dare huic, quàm illi: Ita Deus dat gloriam non gratis ex parte obiecti, ſed tamen dat illam gratis ex parte actus diuinæ voluntatis, quatenus ex multis potius vult illam dare huic, quàm illi. Suarez.

Hæc tamen reſponſio, ſi quid veritatis habet, ſolùm valet ad defendendum electionem comparatiuam factam eſſe gratis:non autem docet,quomodo electio abſoluta facta ſit gratis. immo hoc latenter negat, cùm ſolùm doceat, gloriam dari gratis potius huic,quàm illi,id eſt,quatenus datur potius huic quàm illi, at non dari gratis abſolutè loquendo, quia abſolutè loquendo ſiue det iſti, ſiue illi, non vult illam dare ſine meritis. vnde argumentum minimè ſoluit, ſed magis roborat & firmat. Accedit ſecundò, quòd cùm Deus voluntate antecedenti, inefficaci tamen, velit omnium hominum ſalutem,vt lib.5.cap.10.

11. & 12. monſtratum eſt, difficile admodum videtur declarare, illum eadem voluntate ante inſpecta noſtra merita potius gloriam voluiſſe efficaciter vni, quàm alteri. Tertiò, qua ratione dicitur ex parte actus voluntatis dare gloriam gratis, quia potius vult illam dare vni quàm alteri, eadem ratione ex parte eiuſdem actus voluntatis poteſt, & debet dici, illum non velle dare gloriam gratis, nec iſti, nec illi, quia non vult nec iſti, nec illi obiectum gloriæ ſine meritis. an non iſte eſt actus voluntatis, quia fertur in obiectum? an non prior actus ille, quo vult gloriam potius iſti, quàm illi, ſuum habet obiectum? an non obiectum talis voluntatis eſt ipſamet gloria, quam potius vult iſti, quàm illi? malè itaque concepta eſt iſta diſtinctio, & peius applicata. Dicendum enim erat, quòd quatenus diuina voluntas reſpicit obiectum gloriæ abſolutè, & abſque vlla comparatione, illud non vult nobis dare gratis, quatenus autem reſpicit idem obiectum comparatiuè, an ſit dandum potius huic, quàm illi, vult iſtud obiectum gratis. Sed ſic dicendo non poterat ſolui argumentum; & ideo vt videatur argumentum ſoluere, dicit, gloriam dari gratis ex parte actus, non ex parte obiecti, quaſi dare illam gratis ex parte actus, non ſit dare gloriam gratis ex parte obiecti, aut non dare illam gratis ex parte obiecti, non ſit non velle eam dare gratis ex parte actus. Quartò eſto voluerit Deus potius dare gloriam his, quàm illis, tamen quibus de facto vult dare gloriam, non vult illam dare ſine meritis. Ergo illi, qui de facto ſunt ad gloriam prædeſtinati, & electi, non ſunt ad illam electi ante præuiſa merita. & hoc eſt ſolum, quod ex tota iſta diſputatione noſtra prætendimus. Quare cùm hic autor multa videatur dicere, nihil tamen dicit, atque iſta ſit tertia, eáque ni fallor, efficax huius veritatis demonſtratio.

II. Quarta ratio eiuſdem veritatis demonſtratiua ſit talis. Electio efficax ad gloriam actus eſt diuinæ voluntatis conſequentis: ſed talis voluntas non eſt abſque præſcientia meritorum, immo oritur ex illa. Ergo nullus, niſi ex præſcientia meritorum, eſt efficaciter electus ad gloriam. Maior præter quod ab aduerſariis admittitur, neque poteſt negari, ex hoc etiam deducitur, quòd cùm omnes homines voluntate antecedenti fuerint ad gloriam deſtinati, vix intelligi poteſt, quomodo eadem voluntate antecedenti aliqui tantùm fuerint efficaciter ad eandem gloriam electi, & non alij. Minor verò probata eſt lib. 4. cap. 21.

Reſpondent nonnulli, prædeſtinatos fuiſſe quidem efficaciter electos ad gloriam voluntate conſequente: ſed tamen illam voluntatem anteceſſiſſe omnem præſcientiam meritorum, quoniam voluntas diuina non dicitur antecedens, aut conſequens, eo quòd antecedat, vel ſequatur notitiam noſtrorum operum, vt nos putamus, ſed dicitur voluntas antecedens, qua Deus vult aliquid ſecundùm ſe conſideratum, voluntas verò conſequens dicitur illa, qua Deus vult aliquid conſideratis omnibus circunſtantiis illius: vnde licèt ſalus reproborum ſecundùm ſe conſiderata fuerit volita à Deo voluntate antecedenti, tamen conſiderata, quatenus habet adiunctam priuationem maioris boni, videlicet boni, vniuerſalis prouidentiæ diuinæ, pulchritudinis vniuerſi, manifeſtationis iuſtitiæ diuinæ in reprobis, & maioris ſplendoris miſericordiæ Dei in electis, ſic non eſt volita à Deo.

Hæc reſponſio ſatis manet refutata ex dictis li. 4. c. 21. de voluntate antecedenti, & conſequenti. Nunc autem videtur eadem reſponſio pugnare cum eius autore, cum D. Thoma, cum Patribus, & cum ipſa veritate, pugnat nanque cum autore. ille enim dicit, voluntatem conſequentem eſſe illam, qua Deus vult aliquid, omnibus inſpectis conditionibus, & circunſtantiis adiunctis, vt videri poteſt apud illum diſp. 34. n. 2. modò negabit ne idem autor, inter omnes circunſtantias, & conditiones noſtræ ſaluti adiunctas, & gloriæ æternæ à Deo nobis paratæ, numerandas eſſe iſtas, quòd nos cum timore, & tremore illam operemur, quòd illa reddatur nobis vt merces, vt corona, & præmiũ noſtrorum operum. Ergo dicere, Deum velle alicuius ſalutem voluntate conſequenti inſpectis omnibus adiunctis conditionibus, & circunſtantiis, & velle illam ante inſpecta merita noſtra, & quid homo ſit circa aſſecutionem eiuſdem gloriæ operaturus, videtur dicere contradictoria, & autorem cum ſeipſo pugnare. Aluarez.

Secundò pugnat hæc reſponſio cum D. Thom. cuius doctrinam hic autor profitetur. nam D. Th. 1. p. q. 19. art. 6. ad 1. aſſimilat Deum vrbis gubernatori, qui conſiderans vitam hominum eſſe aliquid de ſe bonum, voluntate antecedenti, quod ex ſe eſt, vult, omnes ſibi ſubiectos viuere: ſed aduertens, nonnullos viuere in periculum, & detrimentum multitudinis, quippe qui fures, aut homicidæ ſunt, voluntate conſequente, vult eos non viuere: ita Deus vult quidem omnium ſalutem voluntate antecedenti, quatenus ſecundùm ſe conſiderata eſt aliquid de ſe bonum. Verùm propter exigentiam ſuæ iuſtitiæ conſequenter vult aliquos damnari. Quid clariùs dici poterat ad oſtendendum, voluntatem conſequentem reſpicere noſtra opera bona, vel mala. Sed clariùs adhuc in 1. diſt. 46. art. 1. in corpore: *Reſpondeo* (inquit) *dicendum ſecundùm Damaſcenum, quòd voluntas eſt duplex, ſcilicet antecedens, & conſequens, & hoc contingit non ex aliqua diuerſitate voluntatis diuinæ, ſed propter diuerſas conditiones ipſius volti. Poteſt enim in vnoquoque homine conſiderari natura ipſius, & alia circunſtantiæ ipſius, vt quod eſt volens, & præparans ſe ad ſalutem ſuam, vel etiam repugnans, & contrariè agens. Si ergo in homine tantùm natura ipſius conſideretur, æqualiter bonum eſt, omnem hominem ſaluari, quia omnes conueniunt in natura humana, & cùm omne bonum ſit volitum à Deo, hoc etiam Deus vult, & hoc vocatur voluntas antecedens, qua omnes homines ſaluos fieri vult, ſecundùm Damaſcenum: & huius voluntatis effectus eſt ipſe ordo naturæ in finem ſalutis, & promouentia in finem omnibus communiter propoſita, tam naturalia, quàm gratuita, ſicut potentiæ naturales, & præcepta legis, & huiuſmodi. Conſideratis autem omnibus circunſtantiis perſonæ, ſic non inuenitur de omnibus bonum eſſe, quòd ſaluentur: bonum enim eſt eum, qui ſe præparat, & conſentit, ſaluari per largitatem gratiæ diuinæ, nolentem verò, & reſiſtentem non eſt bonum ſaluari, quia iniuſtum eſt. Et quia hoc modo ſe habet aliquid ad hoc, quod ſit volitum à Deo, ſicut ſe habet ad hoc, quod ſit bonum, & ideo iſtum hominem ſub iſtis conditionibus conſideratum non vult Deus ſaluari, ſed tantùm iſtum, qui eſt volens, & conſentiens: & hoc dicitur voluntas conſequens, eo quòd præſupponit præſcientiam operum, non tanquam cauſam voluntatis, ſed quaſi rationem volti, vt ſupra dictum eſt.* Hæc ille. Ex his habes non ſolũ, vnde eos redarguas, qui ſe dicunt eſſe diſcipulos D. Thomæ, & in hoc non ſunt, ſed etiam vnde apertiſſima D. Thom. autoritate, qua nulla apertior poterit deſiderari, ſententiam hanc noſtrã comprobare poſſis. D. Thom.

cùm

cùm illé apertè dicat, voluntate consequenti nostram salutem non esse volitam à Deo, nisi præsupposita præscientia operum, non quidem tanquam causa diuinæ voluntatis, quia eius nulla est causa, sicut dicit de prædestinatione, quatenus est actus diuini intellectus, aut diuinæ voluntatis, vt suprà cap. 7. adnotauimus, sed tanquam ratione obiecti voliti. Quam doctrinam D. Thom. nunquam retractauit, immo in summa loco proximè citato probauit, licet non ita diffusè explicauerit, quia summatim scribebat.

III. Tertiò pugnat eadem responsio cum Patribus: nam Damascenus vocat voluntatem consequentem illam, quæ ex nobis aut ex nostro vitio ortum habet. Chrysostomus vocat voluntatē antecedentem præcipuam Dei voluntatem, & flagrans desiderium, secundùm quod nullum vellet perire. Consequentem verò illam vocat, secundùm quam eos vult perire, qui viuunt & persistunt in sceleribus contaminati, vt lib. 4. ostendimus, cùm de voluntate antecedenti, & consequenti ageremus. Ambrosius etiam, Hieronymus, & alij Patres in illum locum, *Deus vult omnes homines saluos fieri*, aiunt, Deum velle omnes homines saluos fieri, nisi per illos steterit. hi profectò dicendi modi indicant, voluntatem consequentem, qua vult efficaciter hos saluos fieri, illos minimè supponere præscientiam operum nostrorum.

Quartò pugnat eadem responsio cum ratione. Nam voluntas consequens, qua Deus vult efficaciter pœnam reprobo, supponit necessariò præscientiam demeritorum, quod neque respondens negabit, nisi velit cum Caluino, & Beza, & hæreticis Prædestinatis sentire, quòd cùm Catholicissimus, & alioqui eruditissimus sit, nullo modo faciet. Ergo voluntas, qua vult prædestinatis efficaciter gloriam, supponit necessariò præscientiam meritorum, nam Patres eodem modo loquuntur de voluntate consequente, qua Deus vult reprobis pœnam, & electis gloriam. immo ad declarandum, quid sit voluntas Dei consequens, ferè semper exemplificant de voluntate, qua vult reprobis pœnam, ob illorum præuisa demerita. Accedit quòd bonum illud iustitiæ punitiuæ non pertinet ad decorem, & perfectionem essentialem vniuersi, sed accidentalem tantùm, immo eatenus spectat ad decorem, & perfectionem accidentalem, quatenus per illud recompensatur malum culpæ, vt lib. præcedente cap. 8. ostendimus.

IV. Quinta demonstratio sumitur ex eo, quia Deus voluntate antecedenti quæ est verè, & formaliter in Deo, omnes homines ordinauit in finem æternæ gloriæ, vt omnibus dat auxilia sufficientia ad salutem consequendam. Ergo intelligibile non est, illum aliquos efficaciter ad gloriam elegisse, aliis derelictis ante præuisa illorum merita bona, vel mala, sine aliqua personarum acceptione, à qua illum faciunt immunem diuinæ Scripturæ in Actis Apostolorum 10. & alibi.

Sed respondent statim autores contrariæ opinionis, Deum nulli debitorem esse, & sua dona ex misericordia, non ex iustitia distribuere: & ideo non esse personarum acceptatorem, quia dona sua, quibus vult, & quando vult, potest elargiri.

Hæc responsio argumentum non soluit, sed firmat, & roborat. Nam quod Deus meræ gratis donat ex actu simplicis misericordiæ, & nullo modo ex iustitia, potest quidem, cui vult & quando vult, donare absque eo, quòd personarum acceptatio apud illum esse verè dicatur, & hoc pacto sæpe etiam Augustinus defendit, Deum ab imposturis, calumnijsque Pelagianorum dicentium, si gratia non redditur nostris meritis, & bonis operibus, Ergo Deus acceptator est personarum, qui illam quidem dat, alteri verò non. Respondet Augustinus, gratiam ex meritis non dari, sed ex sola Dei misericordia, & ideo qui liberantur, gratiam laudent, qui derelinquuntur, debitum agnoscant. Verùm quod Deus donat non tanquam simplex donum, sed tanquam præmium, & mercedem, & coronam, & ex iustitia, non potest ante inspecta merita sine personarum acceptatione vni dari, & alteri negari: Verùm gloria, etsi aliquo modo detur gratis, quatenus datur solùm ex meritis à gratia prouenientibus, vt cap. præcedenti cum Augustino ostendimus, tamen datur etiam vt merces, vt præmium, vt corona, vt ex iustitia, vt ibi deduximus. Non ergo potuit sine personarum acceptione ante inspecta merita hos eligere ad gloriam, & non illos, supposito, quòd voluntate antecedenti omnes ad eandem gloriam, quantum est ex seipso, destinauerit.

Illud etiam addo, hanc responsionem licèt vera sit, non posse accommodari verbis illis Petri Apostoli in Actis Apostolorum cap. 10. *In veritate comperi, quòd non est personarum acceptator Deus.* illa nanque verba indicant, Petrum tunc demum aliquod magnum, & occultæ diuinæ prouidentiæ mysterium circa hominum salutem comperisse, quod priùs non nouerat, hoc autem non fuit, Deum posse sine personarum acceptatione sua munera, quibus voluerit, distribuere, & non debere dici acceptatorem personarum, qui de suo, quod nulli debet, dat cui vult, & cui non vult, non dat. An istud erat secretum tanto apparatu aperiendum? An Petrus priùs hoc ignorabat? an non solùm Christi Apostolus, & caput Apostolorum, sed quilibet etiam idiota, & Paganus, & infidelis intelligere non poterat? Non est istud magnum arcanum, quòd Petrus priùs ignorabat, & postmodum intellexit: sed illud fuit, gratiam Euangelij non solis Iudæis esse prædicandam, & opus Redemptionis non esse pro solo Iudæorum populo, sed pro toto mundo consummatum, & Euangelium esse omnibus prædicandum, & omnes etiam Gentiles ad fidem vocandos, & in omni gente quicunque Deum timet, & cum Dei gratia, quæ omnibus offertur, benè operatur, acceptum esse illi, haberéque sibi paratum Regnum cœlorum.

Hoc autem esse magnum illud arcanum, quod tunc demum Petrus intellexit, ex verbis textus magis notum est, quàm quod vlla debeat declaratione explicari. In eo igitur sensu dicitur Deus non esse acceptator personarū, quia neque dignitatem personæ respicit, neque genus, aut rationem, sed omnibus gentibus, omni populo suam gratiam parauit, & offert, omnes, qui eidem gratiæ volunt cooperari, suscipit, omnibus præstò adest, eorum salutem procurando, etiam per Angelos, & miracula. hæc illa est personarum acceptio, à qua Deum facit immunem sanctus ille Iob cap. 34. cùm ait, *Qui non accipit personas Principum, nec cognouit Tyrannum, cùm disceptaret contra pauperem: opus enim manuum eius sunt vniuersi.* & liber Sapientiæ cap. 6. dicens, *Non enim subtrahet personam cuiusquam Deus, neque verebitur magnitudinem cuiusquam; quoniam pusillum, & magnum ipse fecit, & æqualiter est illi cura de omnibus.* & Ecclesiasticus cap. 35. *Non accipiet Dominus personam in pauperem, & deprecationem læsi exaudiet.* & clariùs ad Roman. 2. *Gloria, honor, & pax omni operanti bonum, Iudæo primùm, & Græco.*

Non

Non enim eſt perſonarum acceptio apud Deum. quicunque enim ſine lege peccauerunt, ſine lege peribunt, & quicunque in lege peccauerunt, per legem iudicabuntur: non enim auditores legis iuſti ſunt apud Deum, ſed factores legis iuſtificabuntur. Ex his apparet, non ideo dici Deum non eſſe perſonarum acceptatorem, quia nulli eſt debitor, & de ſuo nobis donat, ſed ideo, quia omnium ſalutem exoptat, & ex ſe procurat, & omnibus media ad ſalutem aſſequendam ſufficientia parat, & confert. Ita docent Gloſſæ Ambroſij, Auguſtini, Hieronymi, Bedæ, Chryſoſtomi, & aliorum in illum locum Actuum Apoſtolorum cap. 10. Si autem hoc modo dicendum eſt, Scripturas intelligere, Deum non eſſe acceptatorem perſonarum, vix intelligi poterit, quomodo abſque perſonarum acceptatione aliquos ante præuiſa merita elegerit efficaciter ad gloriam, aliis derelictis.

Gloſſ.

V. Sexta ratio licèt qui vult finem ſibi, aut alteri, per media naturalia, vel ſaltem, quæ non pendent ex libera alterius cooperatione, poſſit efficaciter velle finem ante præuiſam alterius cooperationem, ſi aliàs habeat in poteſtate media ipſa, per quæ perueniatur certò, & infallibiliter ad ipſum finem, tamen qui vult finem alteri dependenter à libera illius cooperatione, itaut poſitum ſit in alterius facultate liberè cooperando aſſequi, vel non aſſequi talem finem, nunquam poteſt velle ipſi efficaciter finem, priuſquam præuideat liberam illius cooperationem, hæc enim videntur adinuicem repugnare, non velle alicui finem, niſi dependenter à libera illius cooperatione, & velle ei finem efficaciter ante præuiſam illius cooperationem: at Deus non vult efficaciter alicui finem gloriæ, niſi dependenter à libera illius cooperatione, dicente Apoſtolo, *Non coronabitur, niſi qui legitimè certauerit*, & rurſus, *cum timore & tremore veſtram ſalutem operamini*, & iterum, *ſi tolerabimus, & conregnabimus*, & alia id genus ſexcenta. ergo non potuit velle efficaciter alicui gloriam, ante præuiſam liberam illius cooperationem. Declaratur hæc res exemplo. Si Rex proponat præmium certantibus in ſtadio ea lege, vt illi ſoli præmium accipiant, qui legitimè certauerint, ac vicerint, etſi affectu ſimplicis complacentiæ poſſit illud præmium magis, vni, quàm alteri exoptare, quod etiam ſæpe accidit, tamen ſtante lege non poteſt efficaciter præmium alicui velle ante inſpectum certamen, & victoriam: ita licèt Deus potuiſſet, ac poſſet de poteſtate abſoluta gloriam conferre, cui vellet abſque meritis, tamen ſuppoſito, quòd decreuerit illam non dare, niſi ſub ratione præmij, & coronæ, non poteſt eam efficaciter alicui velle ante inſpectum certamen, & victoriam per bona opera, eſto affectu ſimplicis complacentiæ poſſet eam potius velle vni, quàm alteri.

Sed reſpondet recens quidam autor, Principem non poſſe efficaciter victorem facere, quem diligit: & ideo non poſſe efficaciter velle illi coronam, & præmium ante inſpectum certamen, & victoriam, Deum verò poſſe ei, quem diligit, efficaciter velle gloriam ante inſpectam victoriam, & certamen, quia poteſt efficaciter, quem diligit victorem efficere. Verùm ſic reſpondens vim argumenti, aut non percepit, aut ex induſtria diſſimulauit. non eſt enim dubium, Deum etiam ante præuiſa merita potuiſſe cuilibet efficaciter velle bonum gloriæ, & quem vellet, efficaciter victorem facere, quis de hoc dubitet? ſed tota difficultas in hoc poſita eſt, an ſuppoſito, quòd Deus non voluerit nobis efficaciter gloriam, niſi dependenter à libera noſtra cooperatione, potuerit nihilominus illam nobis velle efficaciter, ante præuiſam eandem cooperationem. Ratio enim noſtra partem negantem concludit: quia hæc duo videntur manifeſtè implicare, non velle nobis gloriam, niſi dependenter à noſtra voluntate, & velle illam efficaciter ante præuiſam cooperationem noſtræ voluntatis. Ideo potiùs neganda eſſet hæc minor, Deum non voluiſſe electis gloriam niſi dependenter à libera illorum cooperatione: ſed neque hæc negari poteſt propter autoritates euidentes diuinæ Scripturæ, quæ illam docent.

Dicetur, illas autoritates exponendas eſſe de voluntate Dei ſecundùm ordinem executionis, non de illa, quæ eſt ſecundùm ordinem intentionis. Verùm cùm de voluntate, quæ eſt, vt electi non conſequantur gloriam, niſi per labores, & certamina, ſolùm nobis conſtet ex diuina Scriptura, de illa autem, quæ ſecundùm iſtos autores eſt ſecundùm ordinem intentionis abſque noſtra libera cooperatione, nihil dicatur in Scripturis, ſed illa ſolùm videatur ex quibuſdam Philoſophorum dictis malè applicatis expiſcata, non video, cur à cõmuni Scripturæ loquendi modo ſine ſolido fundamento recedendum ſit: cùm nullum eſſe poſſit tale fundamentum, ob quod à locutione diuinæ Scripturæ recedere debeamus.

Vltima ratio ad idem adhiberi poſſet ex eo, quia iſtud decretum efficax antecedens præſcientiam noſtrorum operum, quo ſecundùm nonnullos autores Deus voluit electis gloriam, videtur libertatem noſtri arbitrij euertere. Quia, vt dictum eſt lib. 4. cap. 12. decretum efficax antecedens ſiue inferat Phyſicam prædeterminationem in voluntate, ſiue ſolam ſubordinationem voluntatis creatæ ad voluntatem diuinam, ſiue inferat neceſſitatem abſolutam, ſiue ſolùm reſpectiuam, ſiue prouenientem à ſecundis cauſis, ſiue ſolùm à prima cauſa, ſiue etiam ſit conſequens reſpectu primæ cauſæ, dum ſit neceſſitas antecedens reſpectu noſtræ liberæ voluntatis, tollere videtur arbitrij libertatem. Et hoc intelligitur verum eſſe, etiam loquendo de actibus ordinis ſupernaturalis, & etiãſi ante decretum efficax præcederet ſcientia, qua præuiderentur merita noſtra, vt futura ſub conditione, vt ibid. & cap. 14. deduximus: iſta namque præſcientia conditionata, qua nonnulli defendunt, decretum efficax dandi gloriam electis ante præuiſa illorum merita non tollere ab eis libertatem circa eiuſdem gloriæ aſſecutionem, quia non eſt antecedens, ſed conſequens, & infert neceſſitatem non antecedentem, ſed conſequentem, quia eſt conſequens ad cooperationem noſtram liberam præuiſam, vt futuram ex hypotheſi, iſta (inquam) præſcientia nihil eos iuuat, quin ſi ex alio capite abſque iſta præſcientia conditionata efficax iſtud decretum libertatem aufert, illa poſita eandem libertatem non tollat. primò nanque decretum antecedens, vel conſequens, quod tollit, vel admittit noſtram libertatem, & neceſſitas antecedens, vel conſequens, non dicitur tale, vel talis comparatione liberæ noſtræ cooperationis futuræ ex hypotheſi, ſed comparatione eiuſdem cooperationis futuræ abſolutè. deinde iſta præſcientia noſtræ cooperationis præuiſæ ſolùm ſub conditione non efficit, quin efficax decretum abſolutum dandi electis gloriam non antecedat liberam cooperationem noſtram, vt futuram abſolutè, & ſic non efficit, quin tollat noſtram libertatem, vt benè nonnulli argumentantur. Et demum iſta præſcientia operum noſtrorum futurorum ſorum ſub conditione

ditione efficere non poteſt, vt propter illam gloria dicatur nobis volita in ratione mercedis, & præmij, & coronæ, vt Scripturæ paſſim docent. quare iſta præſcientia media nihil in hac cauſa oppoſitum ſentientes videtur innate. Aliæ verò reſponſiones, quas alij eidem argumento afferunt, ex dictis eodem libro cap. 12. & 14. ſatis euidenter confutatæ remanent, & ex dictis ſatis, vt arbitror, firma remanet aſſertio, quòd Prædeſtinationis ad gloriam datur cauſa ex parte prædeſtinati, & nullus ante merita præuiſa eſt ad illam efficaciter prædeſtinatus.

CAPVT XXIV.

Argumenta aduerſariorum ex diuinis Scripturis, & Conciliis deprompta adducuntur, & ſoluuntur.

I. RECentiores Theologi contra hanc doctrinam de Prædeſtinatione ad gloriam ex meritis noſtris præuiſis multipliciter argumentantur, quorum argumenta vt aliquo certo ordine perſtringamus, in hoc capite adducemus primò argumenta petita ex diuinis Scripturis, deinde quæ ſumuntur ex Conciliis.

Primò itaque ex diuina Scriptura argumentantur teſtimoniis, quibus indicatur, prædeſtinatos ex ſolo diuino beneplacito fuiſſe ad gloriam electos. Primum teſtimonium afferunt ex Matth. 25. *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi.* Secundum ex Lucæ cap. 12. *Nolite timere puſillus grex, quia complacuit Patri veſtro dare vobis regnum.* Tertium ex Actis Apoſtolorum cap. 13. *Crediderunt, quotquot præordinati erant in vitam æternam.* Quartum ex epiſtola ad Roman. cap. 9. *Cùm enim nondum aliquid boni egiſſent, aut mali, vt ſecundum electionem propoſitum Dei maneret, non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt eis*, &c. & rurſum: *Quòd ſi Deus volens oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam, ſuſtinuit in multa patientia vaſa iræ aptata in interitum, vt oſtenderet diuitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, quæ præparauit in gloriam.* quæ ſimul iuncta faciunt ſenſum, Deum abſque operibus præuiſis præparaſſe electis gloriam tanquam vaſis miſericordiæ ſuæ. Quintum ex eadem epiſtola cap. 8. *Quos præſciuit, & prædeſtinauit, conformes fieri imaginis filij ſui, vt ipſe ſit primogenitus in multis fratribus: quos autem prædeſtinauit, hos & vocauit, quos vocauit, hos & iuſtificauit, quos autem iuſtificauit, hos & glorificauit.* Sextum ex epiſtola ad Epheſ. cap. 1. *Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu eius in charitate, qui prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum per Ieſum Chriſtum in ipſum, ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ, in laudem gloriæ gratiæ ſuæ, in qua gratificauit nos in dilecto filio ſuo.*

Reſpondeo, hæc omnia teſtimonia ne leuiter quidem videri mihi intentum probare. Ad primum admitto, regnum gloriæ fuiſſe electis paratum à conſtitutione mundi. At quomodo paratum? Quia *eſurini*, ait ipſe Saluator, *& dediſtis mihi manducare, ſitini & dediſtis mihi bibere.*

Ad ſecundum admittimus, complacuiſſe Patri cœleſti ab æterno dare electis regnum. at quomodo ita illi complacuerit, non tacet idem Saluator ſubiungens, *Vendite ergo, quæ poſſidetis*, &c. vnde iſta duo teſtimonia tam non faciunt contra noſtram ſententiam, vt euidenter illam probent.

Ad tertium admittimus omnes, quotquot prædordinati ſunt ad vitam æternam, credere. at quomodo fuerint prædordinati, hoc ibi non dicit, ſed ex aliis locis diuinæ Scripturæ accipiendum eſt, ex quibus ſatis indicatur, fuiſſe prædordinatos ad gloriam ex præſcientia meritorum.

Ad quartum reſpondetur, illa verba quatenus faciunt vnam ſeriem verborum, eſſe intelligenda de electione ad gratiam, aliàs ſi intelligenda eſſent de electione ad gloriam, vt facerent ſenſum, quòd ante omnem præſcientiam bonorum operum aliqui eſſent efficaciter electi ad gloriam, ſequeretur hoc magnum abſurdum, quòd vaſa contumeliæ nullis præuiſis eorum operibus malis eſſent ad pœnam damnata, quod eſt abſurdum. nam Apoſtolus æquè, & eodem modo loquitur de vaſis contumeliæ, & de vaſis honoris. Inquit enim, *Cùm nondum nati eſſent, aut aliquid boni egiſſent, aut mali, vt ſecundum electionem propoſitum Dei maneret, non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt ei, quia maior ſeruiet minori. ſicut ſcriptum eſt, Iacob dilexi, Eſaù autem odio habui.* Dicere autem, quòd iſti ſunt electi ad gloriam ante præuiſa merita, illi verò non ſunt deputati ad pœnam ante præuiſa demerita, eſt voluntariè loqui contra Apoſtolum, qui eodem modo de his, & de illis loquitur.

Ad quintum dico Apoſtolum immediatè loqui de prædeſtinatione ad gratiam quæ eſt ſine meritis præuiſis. Verum eſt, quod tandem concludit, *quos iuſtificauit, illos & glorificauit.* Verùm non video, quomodo ex hoc, quòd nos ad gratiam prædeſtinauit, ſine meritis, ſequatur, etiam ad gloriam nos ſine meritis prædeſtinaſſe. Præter quod verbum illud, *glorificauit*, à pleriſque exponitur non de glorificatione, quæ eſt in altera vita, ſed de glorificatione, qua glorificati ſunt Apoſtoli, & alij credentes in Eccleſia per miracula, virtutes, genera linguarum, & alia ſimilia. vnde mirum non eſt, quòd nonnulli Doctores dicant, Apoſtolum in ſenſu literali principaliter intento non loqui de prædeſtinatione ad gloriam, ſed de electione & adoptione in filios Abrahæ per Spiritum, quibus facta eſt de Chriſto repromiſſio, ſine de prædeſtinatione ad gratiam Euangelij, quod in idem recidit.

Ad ſextum reſpondetur, quòd Apoſtolus ſine dubio ibi loquitur de electione ad gratiam, vt verba ipſa textus ſatis indicant, & notant Gloſſa Interlinearis, & Ordinaria, & alij autores graues. Vel dicendum, quòd loquitur de vtraque electione, ad gratiam in vita præſenti, quæ eſt abſque meritis, & ad gloriam in altera vita, quæ eſt ex meritis, fundatis tamen in diuina gratia, & eſt doctrina eiuſdem Gloſſæ ibid. Gloſſa.

II. Secundum principale eorum argumentum ſumitur ex aliis teſtimoniis diuinæ Scripturæ, in quibus videtur doceri, prædeſtinatos fuiſſe electos ad gloriam ex mera Dei gratia abſque vllis eorum meritis. Primum teſtimonium habetur Ioan. c. 15. *Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos, & poſui vos, vt eatis, & fructum afferatis, & fructus veſter maneat.* Secundum ex epiſtola ad Roman. cap. 11. *Reliquiæ per electionem gratiæ ſalua facta ſunt. Si autem gratia, iam non ex operibus: aliàs gratia non eſſet gratia.* Tertium in epiſtola ad Epheſ. cap. 1. *Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti coram illo.* Notat autem Auguſtinus, quòd non dixit, elegit nos; quia futuri eramus ſancti, ſed vt eſſemus ſancti. Quartum in epiſtola 1. ad Timoth. 1. *Vocauit nos Deus vocatione ſua ſancta, non ſecundum opera noſtra, ſed ſecundum propoſitum ſuum, & gratiam.* ad hæc addit Aluarez: *ſed electis dicuntur non ſolum in ordine ad gratiam, ſed ad gloriam. & multo magis, ſicut*

demonſtrant

demonſtrant diuinæ Scripturæ, cùm dicunt: Multi ſunt vocati, pauci verò electi; & iterum: Congregabunt electos eius à quatuor ventis; & iterum: Omnia ſuſtineo propter electos; & iterum: Sed propter electos breuiabuntur dies illi. quibus in locis nomine electorum per antonomaſiam vocantur illi, qui ſalutem æternam poſſeſſuri ſunt in cœlis.

Reſpondetur ad hæc omnia, electionem eſſe tum ad gratiam, tum ad gloriam, & ratione vtriuſque prædeſtinatos vocari electos, & multo magis propter electionem ad gloriam, quia gloria eſt finis gratiæ. Sed quid indeàn ex hoc inferri poteſt, quòd ſicut electio ad gratiam facta eſt abſque meritis, ita etiam electio ad gloriam minimè. nam diuina Scriptura modo planè diuerſo loquitur de hac, & de illa: electionem enim ad gratiam docet factam omnino ſine meritis, electionem autem ad gloriam docet factam ex meritis gratiæ: gratiam ipſam ita ſemper vocat gratiam, vt nunquam appellet mercedem, aut præmium, aut coronam: at gloriam ita vocat gratiam, vt vocet etiam præmium, coronam, & mercedem, & dicat illam reddi operibus noſtris, ſcilicet ex gratia prouenientibus. Iſta igitur teſtimonia in argumento allegata ſine dubio ſunt intelligenda de electione ad gratiam, qua electione ſuppoſita alio modo loquitur Scriptura de electione ad gloriam. quod planè indicauit Saluator in teſtimonio allegato ex Euangelio Ioan. cap. 15. *Ego elegi vos, & poſui vos, vt eatis, & fructum afferatis, & fructus veſter maneat.* his enim verbis docemur ſuppoſita vocatione, & gratia iuſtificationis debere nos per fructum bonorum operum æternam vitam nobis comparare, iuxta illud Ioan. cap. 6. *Operamini cibum, qui non perit, ſed manet in vitam æternam.* Omitto, iuxta literam ibi locutionem eſſe de electione ad munus Apoſtolatus, & de fructu conuerſionis gentium, vt doctè adnotauit ibid. Cardinalis Toletus. Toletus.

III. Tertium argumentum ſumunt ex autoritate Apoſtoli, qui vocat æternam vitam gratiam, ad Roman. cap. 6 *gratia Dei vita æterna.*

Ad hoc teſtimonium, quo benè explicato cætera omnia ſoluta manent, duobus modis poſſumus reſpondere. Primò Apoſtolum loqui de gratia, non de gloria. Quomodo verò ipſa gratia dici poſſit vita æterna, declarat D. Thomas 2. 2. q. 24. art. 3. ad 2. dicens, gratiam nihil aliud eſſe niſi inchoationem quandam gloriæ in nobis, vnde à Theologis vocatur gratia ſemen gloriæ. Secundò reſponderi poteſt, nomine gratiæ intelligere Apoſtolum ipſam vitam æternam, quæ eſt gloria, vt iſta propoſitio, Gratia Dei eſt vita æterna, ſit conuertenda, & ponendum prædicatum loco ſubiecti, & ſubiectum loco prædicati, hoc pacto, Vita æterna eſt gratia Dei: & ſic iſta verba Apoſtoli intellexit Auguſtinus lib. de Gratia, & libero arbitrio, vbi hunc locum declarat, & data opera hoc argumentum proponit, ac ſoluit. videturque hic ſenſus fuiſſe ab Apoſtolo intentus, ponit enim diſcrimen inter regnum Dei & regnum Satanæ, quia regnum Satanæ, quod eſt regnum peccati, dat militibus ſuis ſtipendium mortis: Regnum autem Dei dat militibus ſuis vitam æternam, quam vocat nomine gratiæ. Quanuis fortaſſe dici etiam poſſit, primum ſenſum æquè potuiſſe ab ipſo Apoſtolo intendi, vt fieret antitheſis inter regnum peccati, & regnum gratiæ, ita vt ſtipendium peccati ſit mors, ſtipendium autem gratiæ ſit vita æterna, qui ſenſus eſt planus, & currens abſque alia conuerſione. D. Thom.

IV. Cur verò Apoſtolus vocauerit vitam æternam gratiam, cauſa non eſt, quòd illa omnino gratis donetur, vel quòd ad illam ſimus efficaciter electi ante præuiſa merita, vt fingunt arguentes, hanc enim cauſam benè vidit, & reiecit Auguſtinus lib. de Gratia & libero arbitrio cap. 9. apud quem ſolutionem huius argumenti, & declarationem verborum Pauli videre potuiſſent: ſed huius denominationis triplex alia ratio poteſt aſſignari. Prima eſt, quam ibi aſſignat Auguſtinus, & in epiſtola 105. & in Enchirid. cap. 107. ex quo acceperunt Cœleſtinus primus in epiſtola 1. ad Epiſcopos Galliæ pro doctrina Auguſtini cap. 2. Fulgentius lib. 1. ad Monimum cap. 10. Concil. Trident. ſeſſ. 6. de Iuſtificat. cap. 16. & Andreas Vega lib. 8. de Iuſtificat. cap. 11. & lib. 15. cap. vltimo. nempe vitam æternam vocari gratiam, quia licèt reddatur noſtris meritis, non tamen redditur noſtris meritis, quatenus ſolùm pullulant, & proficiſcuntur ex viribus naturæ, ſed ſolùm quatenus proficiſcuntur ex Dei gratia, & in illa fundantur: vnde frequens eſt apud Auguſtinum vſus appellandi vitam æternam gratiam pro gratia, & dicendi, cùm Deus coronat noſtra merita, coronat dona ſua. Et hæc ratio inſinuatur ab Apoſtolo dicente, quòd *non ſunt condigna paſſiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis.* Loquitur abſque dubio de paſſionibus huius temporis, ſolùm profectis ex viribus naturæ, nam bona opera profecta ex Dei gratia vitam æternam de condigno merentur, vt omnes Theologi docent. Auguſt. Cœleſtin. primus. Fulgentius. Conc. Trid. Andreas Vega.

Secunda ratio eſt, quæ colligitur ex verbis Apoſtoli: *Momentaneum, & leue noſtra tribulationis æternum gloriæ pondus operatur in cœlis.* quia ſcilicet quanuis merita noſtra in Dei gratia fundata virtualiter adæquent gloriam, & illam de condigno mereantur, tamen quoad id, quod formaliter ſunt, gloria excedit ipſa merita in infinitum. Hanc rationem aſſignat etiam Fulgentius loco proximè citato.

Tertia ratio ob quam vita æterna vocatur gratia, eſt, ad docendum, debere nos Deo ſeruire primò, & principaliter, non intuitu mercedis, ſed ex amore, tanquam ſi ipſa gloria nobis donaretur, nihil promerentibus, iuxta illud Euangelicum, *Cùm feceritis hæc omnia, dicite, quia ſerui inutiles ſumus.* licèt nobis ſic Deo ſeruientibus detur ipſa merces æternæ gloriæ. Hanc rationem paulo differenter aſſignat Cardinal. Toletus in ſuo comment. ad illum locum D. Pauli. Toletus.

V. Quartum argumentum ſumunt ex Concil. Valentino ſub Lothario Imperatore cap. 3. vbi dicit: *Fideliter fatemur, prædeſtinationem electorum ad vitam, & prædeſtinationem impiorum ad mortem, in electione tamen ſaluandorum Dei miſericordiam præcedere meritum bonum, in damnatione autem perituorum meritum malum præcedere iuſtum Dei iudicium.*

Reſpondeo, doctrinam illius Concilij de diuina prædeſtinatione ſumptam fuiſſe ex D. Auguſtino, ad cuius mentem ipſum Concilium ibid. profitetur ſe loqui de diuina prædeſtinatione. quare nihil amplius docet, quàm quod ex Auguſtino ſuprà oſtendimus, nempe prædeſtinationem ad gratiam omnia merita noſtra abſolutè præuenire: in electione verò ad gloriam etiam Dei miſericordiam præcedere noſtra merita, quatenus licèt electio ad gloriam ſit ex meritis, ipſa tamen merita Dei gratia præcedit, ex qua neceſſe eſt illa pullulare.

CAPVT

CAPVT XXV.

Adducitur argumentum ſumptum ab autoritate D. Auguſtini, & ſoluitur.

I. SExtum argumentum ſumunt aduerſarij ex D. Auguſtino, in cuius autoritate & teſtimonio firmiſſimum præſidium putant ſibi conſtitutum, quia doctrina D. Auguſtini de Prædeſtinatione fuit ab Eccleſia probata per plura ſummorũ Pontificum decreta, & etiam in Concil. II. Arauſicano. Ipſe nanque Auguſtinus vbique docet conſtantiſſimè, Deum nullis noſtris meritis præuiſis diſcreuiſſe inter electos, & reprobos, & illis derelictis hos elegiſſe miſericorditer, & decreuiſſe eruere de maſſa perditionis, & elegiſſe gratis ad gloriam, & regnum. Loca Auguſtini, in quibus hãc doctrinam tradit, plura ſunt, quàm vt poſſint hîc omnia diſtinctè recenſeri. ita enim docet paſſim in epiſt. 105. 106. & 107. in lib. 1. ad Simplician. q. 2. lib. 5. contra Iulianum cap. 3. lib. de Prædeſtin. & gratia cap. 7. & cap. 10. lib. de Prædeſtin. ſanctorum c. 17. & 19. lib. de Bono perſeuerantię cap. 14. lib. de Gratia & libero arbitrio cap. 8. & 9. lib. de Corrept. & gratia cap. 7. 8. 10. 13. & 14. Tract. 3. & Tract. 86. in Ioan. & aliis innumeris in locis, in quibus ferè ſẽper vtitur autoritate illa Apoſtoli ad Epheſ. c. 1. *Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti & immaculati*, non quia futuri eramus ſancti, & immaculati. *Auguſtin.*

Ad hoc argumentum multa eſſent dicenda. Primò, quod ad approbationem doctrinæ D. Auguſtini ſpectat, de hoc ſuprà lib. præcedẽti ſatis dictum eſt. Secundò quòd Auguſtinus in locis allegatis id dicat, quod arguentes prætendunt, non omnino verum eſt. nam in illa q. 2. ad Simplician. noſtram ſententiam ita euidenter docet, vt ob hoc nõnulli dicant, illum ſeniorem factum eam mutaſſe opinionem, quam ibi docuerat. Idem dicẽdum de aliis multis locis, in quibus conſtat, illum noſtram ſententiam apertè docere, vt patet ex allegatis ſuprà cap. 22. ſed ad illa omnia teſtimonia vnica reſponſione in hunc modum poſſumus reſpondere. Cùm Auguſtinus docet, electionem factam eſſe ſine præuiſis meritis, vel loquitur de electione ad gratiam, non ad gloriam, vel ſi loquitur de electione ad gloriam, excludere intendit non quidem præſciẽtiam meritorum, quæ prouenient ex Dei gratia, quam vbique docet de lege Dei ordinaria neceſſariam eſſe, ſed excludit præſcientiam meritorum profectorum ex ſolis viribus naturæ. Hanc reſponſionem veriſſimam, & ipſiſſimam Auguſtini mentem eſſe, oſtendo, quia vbicunque Auguſtinus de hac re diſputat, aut ſcribit, diſputat, ac ſcribit contra Pelagianos, & contra illorum reliquias gratiæ Dei inimicos. Porrò inter Auguſtinum, & Pelagianos nunquam fuit quæſtio, an gloria detur nobis ex meritis gratiæ, ſed ſolùm an detur ex meritis in ſolo libero arbitrio fundatis! immo fatetur Auguſtinus lib. de Gratia, & libero arbitrio cap. 6. quòd ſi Pelagiani, cùm docebant, gloriam dari ex meritis, aut electionem eſſe ex meritis, loquerentur ſolùm de meritis ex gratia profectis, poſſet iſta ſententia illis concedi: ſed quòd in hoc errabant, quia volebant gloriam reddi noſtris operibus ex nobis profectis. Hinc manifeſtè ſequitur, cùm Auguſtinus tanto animi ardore conetur Pelagianos probare, electionem factam eſſe abſque meritis præuiſis, neceſſariò locutum fuiſſe vel de electione ad gratiam, vel de electione ad gloriam ex meritis profectis ex ſolis naturæ viribus ſine Dei gratia. Et quamuis vnicuique vel leuiter in libris, & doctrina eiuſdem Auguſtini verſato hoc perutum ſit, nihilominus propter eos, qui in propriis opinionibus ſibiipſis admodum placent, ſubiiciam ipſum Auguſtinum per ſeipſum ſuam cauſam agentem, & non abſque diuino, vt puto, lumine motiua arguentium ante annos mille ſoluentem. Et vt omittam teſtimonia ex lib. de Gratia & libero arbitrio cap. 6. & cap. 8. & 9. & alia quæ ſuprà cap. 22. adducta ſunt, audiamus ipſummet Auguſtinum in epiſtola 105. quam arguentes putant ſuæ opinioni admodum ſuffragari. In ea epiſtola elucidat Auguſtinus hoc dubium. quomodo gratiam Dei Apoſtolus appellet æternam vitam, cùm illa noſtris meritis reddatur, & inter alia ita ſcribit: *Quod eſt ergo meritum hominis ante gratiam, quo merito recipiat gratiam, cùm omne bonum meritum noſtrum non in nobis faciat niſi gratia, & cùm Deus coronat merita noſtra, nihil aliud coronet, quàm munera ſua? ſicut enim ab initio fidei miſericordiam conſecuti ſumus, non quia fideles eramus, ſed vt eſſemus: ſic in fine, quod erit vita æterna, coronabit nos, ſicut ſcriptum, in miſeratione & miſericordia. Non itaque fruſtrà Deo cantatur. Et miſericordia eius prauenit me, & miſericordia eius ſubſequetur me. vnde & ipſa vita æterna, quæ vtique in fine ſine fine habebitur, & ideo meritis præcedentibus redditur, tamen quia eadem merita, quibus redditur, non à nobis parata ſunt per noſtram ſufficientiam, ſed in nobis facta per gratiam, etiam ipſa gratia nuncupatur, non ob aliud, niſi quia gratis datur, nec ideo quia meritis non datur, ſed ideo quia data ſunt & ipſa merita, quibus datur, vbi autem inuenimus etiam vitam æternam gratiam nuncupari, habemus apud eundem gratia magnificum defenſorem Apoſtolum Paulum. Stipendium, inquit peccati mors: gratia autem Dei vita æterna in Chriſto Ieſu Domino noſtro. Vide, obſecro te, in quanta breuitate, quam vigilanter verba poſuerit, quibus diligenter conſideratis quæſtionis huius aliquantulum diluceſcat obſcuritas. cùm enim dixiſſet, ſtipendium peccati mors, quis non congruentiſſimè, & conſequenter addere indicaret, ſtipendium autem iuſtitiæ vita æterna? Et verum eſt, quia ſicut merito peccati tanquam ſtipendium redditur mors, ita merito iuſtitiæ tanquam ſtipendium vita æterna: aut ſi nollet dicere iuſtitia, diceret fidei, quia iuſtus ex fide viuit: vnde etiam & merces appellatur plurimis ſanctarum Scripturarum locis, nuſquam autem dicta eſt merces iuſtitia, vel fides, quia iuſtitia, vel fides redditur merces: Quod eſt autem merces operanti, hoc militanti ſtipendium. Sed B. Apoſtolus aduersus elationem, quæ vſpiam adeò magis tentat irrepere, vt & ſibi propter ipſam dicat datum Angelum Satanæ, à quo colaphizaretur, ne verticem præſumptionis erigeret. Aduersus ergo hanc elationis peſtem vigilantiſſimè militans ſtipendium, inquit, peccati mors. rectè ſtipendium, quia debetur, quia dignè retribuitur, quia meritò redditur. Deinde ne iuſtitia de humano ſe extolleret bono merito, ſicut humanum meritum malum non dubitatur eſſe peccatum, non à contrario retulit dicens, ſtipendium iuſtitiæ vita æterna, ſed gratia (inquit) Dei vita æterna. & hæc ne,* &c. quæ adhuc longius ibi proſequitur. *Auguſt.*

II. Ex iſtis Auguſtini verbis quatuor certiſſima habemus. Primò quòd diuerſa ratione dicitur gratia auxilium, quod datur in hac vita, & donum æternæ gloriæ, quod datur in altera vita. Secundò quam ob cauſam vita æterna dicatur gratia, cùm

cùm tamen illa detur nobis tanquam merces ex iuſtitia. Tertiò quòd ideo dicitur gratia, ne putemus illam reddi operibus noſtris profectis ex ſolis viribus naturæ, ſicut malis operibus profectis ex ſolis viribus naturæ redditur damnatio. Quartò cum hoc quòd vita æterna eſt gratia, eſſe nihilominus verè mercedem, & reddi laboribus noſtris tanquam præmium & coronam. Neſcio quid clarius, & ab opinione aduerſariorum magis diſtans dici poſſit. Dicent, Auguſtinum loqui de ordine executionis, non intentionis, vt quid ergo illius teſtimonia pro ſe adducunt; vbi in Auguſtino hác diſtinctionem duplicis ordinis inueniunt? Certè vbicunque Auguſtinus de gratuita electione diſputat contra Pelagianos, eodem modo loquitur, eaſdem Pauli autoritates adducit, eodem modo exponit. doceant illi, vbi alio modo loquatur, vbi iſta refugia illis aperiat.

Verùm contra hanc noſtram reſponſionem videtur poſſe multipliciter inſtari.

Primò, quia electionem ad gratiam Auguſtinus non ſolet vocare electionem, ſed propoſitum miſerendi, vt colligitur ex illa q. 2. ad Simplician. vbi ex profeſſo contradiſtinguit electionem, quæ eſt ad gloriam, ab electione ad gratiam, quam vocat propoſitum miſerendi. Cùm itaque Auguſtinus doceat, electionem factam eſſe abſque meritis præuiſis, oportet illum loqui non de electione ad gratiam, vt diximus in noſtra reſponſione, ſed de electione ad gloriam.

Secundò Auguſtinus multis in locis apertè indicat, ſe loqui de electione ad gloriam, & non ſolum ad gratiam. quia dicit, quòd electi ſunt ad regnandum cum Chriſto, vel ad regnum, vel ad vitam æternam. ita loquitur ſignanter in lib. de Corrept. & gratia cap. 7. & cap. 9. quibus tamen in locis docet electionem factam eſſe ante omnia merita præuiſa. Ergo ruit ſecunda noſtra reſponſio.

Tertiò, quia Auguſtinus docet, ideo fuiſſe electis præparata media efficacia ad gloriam, quia Deus priùs habuit voluntatem dandi eis finé gloriæ. quod euidenter expreſſit in lib. de bono perſeuerantiæ cap. 14. cùm ait de Tyriis & Sidoniis, quòd etiá illi credere potuiſſent, ſi miracula Chriſti vidiſſent; ſed quia vt crederent, non erat eis datum, etiam vnde crederent fuit illis negatum. ex quo apparet, habere quoſdam in ipſo ingenio diuinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moueantur ad fidem, ſi congrua ſuis mentibus, vel audiant verba, vel ſigna conſpiciant: Et tamen ſi Dei altiori iudicio à perditionis maſſa non ſunt gratiæ prædeſtinatione diſcreti, nec ipſa eis adhibentur vel dicta diuina, vel facta, per quæ poſſent credere ſi audirent vtique talia, vel viderent.

Quartò, Maſſilienſes ſic intellexerunt Auguſtinum, quòd dixerit, prædeſtinatos fuiſſe electos ad gloriam abſque vllis meritis præuiſis: & ob hanc cauſam illi opponebant autoritatem priſcorum Patrum, & in hoc ſenſu impugnabant doctrinam Auguſtini, ſicut patet ex epiſtolis Proſperi, & Hilarij ad ipſum Auguſtinum, & ex iis, quæ ſcripſerũt Caſſianus, & Fauſtus, & Vincentius Lirinenſis, & alij contra eundem Auguſtinum. Et tamen neque Auguſtinus negauit vnquam, ſe in ea opinione fuiſſe, nec Proſper, aut Hilarius, qui eius doctrinam defendendam ſuſceperunt.

Quintò plerique recentiorum Scholaſticorum docent, etiam priſcos Patres, & Gallos contra Auguſtinum docuiſſe electionem ad gloriam factam fuiſſe ex meritis præuiſis, Auguſtinum autem è contrario docuiſſe, huiuſmodi electionem factam ſine meritis, vt refert Sixtus Senenſ. lib. 6. Bibliothecæ annotat. 251. & 252. Ruardus Taper art. 7. Ioan. Driedo & alij, quos refert Vaſquez 1. part. diſp. 89. cap. 1. Sixt. Senẽſ. Taper. Vaſquez.

Ad primam inſtantiam reſpondetur, quãdo Auguſtinus diſtinguebat electionem à propoſito miſerendi, nõdum aliam electionem agnoſcebat præter eam, quæ eſt ex meritis præuiſis, de qua loquebatur in illa q. 2. ad Simplician. vt etiam fatentur nõnulli ex arguẽtibus. quãdo verò cœpit agnoſcere aliud genus electionis abſque meritis, cœpit etiam ipſam electionem ſine meritis cum ipſo propoſito miſerendi confundere. **I V.**

Ad ſecũdam non deſunt, qui reſpõdeant, Auguſtinum in illis locis citatis per electionẽ ad regnũ, vel ad regnãdum cum Chriſto, ſiue ad vitam æternam intelligere electionem ad gratiã. Neque illorũ reſpõſio debet alicui extranea videri, imuo habet euidens fundamẽtum in diuina Scriptura, quæ ipſam gratiam nõ ſemel appellat regnum, & vitam æternam, & eos, qui gratiæ Chriſti participes efficiuntur, appellat participes regni. Ait nãque Apoſtolus ad Coloſ. c. 1. *Qui eripuit nos de poteſtate tenebrarũ, & tranſtulit in regnum filij dilectionis ſuæ, in quo habemus redemptionem, & remiſſionem peccatorum.* & epiſt. 1. ad Theſſal. 2. *Teſtificati ſumus, vt ambuletis dignè Deo, qui vocauit nos in regnum ſuum, & gloriam,* imo gratia Euãgelij vocatur regnum, Lucæ c. 10. *Pœnitentiam agite, appropinquauit in vos regnũ Dei.* & c. 23. dicitur quòd Ioſeph ab Arimathia expectabat & ipſe regnum Dei. & Paulus in Actis Apoſtolorũ c. 19. diſputábat, & ſuadebat de regno Dei. & c. 20. dicitur, quòd trãſibat prædicans regnum Dei. quibus in locis nomine regni Dei abſque dubio intelligitur gratia Euangelij. Immo ſub parabola regni Dei intelligendam eſſe ipſam gratiam in illis verbis apud Matth. c. 21. *Ideo auferetur à vobis regnũ Dei & dabitur genti facienti fructus eius.* contendunt Baſilius hom. 5. in Examerõ, Chryſoſt. hom. 14. imperfecti, Origenes hom. 19. in Matth. & alij in eundem locum, & illorum interpretatio habet fundamentum in autoritate Chriſti apud Marcum c. 12. dicentis cuidam de ſcribis. *Non es longè à regno Dei.* ipſa quoque Dei gratia dicitur vita æterna, quia eſt gloria inchoata, & qui accipit gratiam, accipit pignus gloriæ, & eſt certus, quòd gloriã accipiet, niſi per reciduationem ipſam gloriam amittat. Baſilius. Chryſoſt. Origen.

Secũdò poteſt reſponderi, Aug. in eo loco verba facere de electione ad gloriã, eámque dicere gratis factam fuiſſe, ad excludenda merita in ſolis naturę viribus fundata. & iſta eſt germana Auguſtini ſententia in illis locis, vt patere poteſt legenti verba antecedentia, & conſequentia cap. 6. 7. 8. & 9. quod ſuperiùs non ſemel admonuimus.

Vel tertiò dici etiã poteſt, Auguſtinum in dictis locis loqui de electione abſtrahendo ab electione ad gratiã, & ad gloriam, & illius verba verificanda eſſe. & exponẽda eſſe, prout ipſa res poſtulat, de qua ſermo habetur, ita vt cũ dicitur, quòd electio facta eſt ſine meritis, verba intelligãtur de electione ad gratiã: & cùm dicitur, electionẽ factam eſſe ex meritis, verba ſint intelligẽda de electione ad gloriã. neque opus eſt omnia in omnib. locis declarare.

Ad tertiam reſpondeo, nullibi Auguſtinum dixiſſe, quòd ideo Deus electis media præparauerit efficacia ad gloriam, quia priùs efficaciter voluerit illis gloriam, dixit tamen, quòd iis, qui prædeſtinati ſunt, dantur media efficacia, quæ non dantur non prædeſtinatis: ſed hæc alia res eſt. In illo autem capite 14. libri de bono perſeuerantiæ, **V.**

non

non eſt ſermo de prædeſtinatione ad gloriam, ſed de diſcretione prædeſtinatorum à reprobis, quæ fit per prædeſtinationem gratiæ, non per electionem gloriæ. Et veriſſimum eſt, quòd illis, qui non ſunt altiori Dei iudicio de maſſa perditionis diſcreti, non dantur media, quæ ſi darentur, crederent, & conuerterentur, & illis, qui ſunt ex maſſa perditionis diſcreti, dantur media, quibus moueantur ad fidem, & conuertantur. Verùm ex hoc non infertur, quòd ideo iis, qui ſunt de maſſa perditionis diſcreti, dentur talia media, quia priùs fuerint efficaciter electi ad gloriam ante præuiſa illorum merita.

Ad quartam reſpondetur, inter Auguſtinum, & Pelagianos aut illorum reliquias nunquam fuiſſe controuerſiam de electione ad gloriam ex præuiſione meritorum profectorum ex Dei gratia, vt patet ex lib. illius de Gratia, & libero arbitrio cap. 6. ſæpe allegato: ſed tota quæſtio fuit de electione ad gratiam, & ſi aliquando de electione ad gloriam inter illos controuerſum eſt, controuerſia ſolùm fuit de electione ex præſcientia meritorum profectorum ex viribus nudæ naturæ. Neque Patres aliter ſenſerunt, quàm ipſe Auguſtinus de prædeſtinatione ſiue ad gratiam, ſiue ad gloriam. Vnde hallucinantur Scholaſtici, qui aliter de Auguſtini, & de priſcorum Patrum opinione ſentiunt, & per hoc patet ad vltimam inſtantiam.

CAPVT XXVI.

Alia argumenta contra eandem ſententiam afferuntur & ſoluuntur.

I. SEptimum argumentum contra eandem concluſionem afferunt nonnulli, quia ordinatè volens priùs vult finem, quàm media: Deus eſt ordinatè volens. Ergo priùs voluit electis finem gloriæ, quàm media. Sed ante volita media nulla merita potuerunt præuideri. Ergo ante præuiſa merita Deus voluit electis gloriam.

Reſpondeo, ordinatè volens ſibi vel alteri finem abſque dependentia à libera cooperatione alterius, priùs vult finem quàm media, ſaltem quatenus dictio priùs, idem ſignificat, quod intimiùs, & maiori affectu. Verùm ordinatè volens finem alteri, tanquam præmium aſſequendum per liberam illius cooperationem, media poteſt quidem velle ante finem, ante præuiſa verò ipſa media nunquam efficaciter ipſum finem velle poteſt. Eſſet enim voluntas inordinata. Sed arguentes decipiuntur, quia eodem modo ratiocinantur de eo, qui vult finem abſque dependentia à libera alterius cooperatione, & de eo qui vult finem dependenter à libera alterius cooperatione.

Dicetur, voluntas dandi media efficacia irrationabilis eſt, ſi non prouenit ex voluntate efficaci dandi finem.

Reſpondeo, ad hoc, vt voluntas efficax dandi media non ſit irrationabilis, ſufficere voluntatem dandi finem, quæ eſt ſimplex affectus inefficax ante inſpecta merita. Neque videri debet aduerſariis hæc reſponſio voluntaria, & irrationabilis, quoniam ſicut illi dicunt, quòd ex voluntate oſtendendi ſuam gloriam in creaturis, oritur, quòd poteſt efficaciter velle iſti gloriam, & non illi etiam ante præuiſa merita; ita ex voluntate ſimplicis affectus, ſeu complacentiæ, qua vult antecedenter omnibus ſinè gloriæ, poteſt efficaciter velle media efficacia potius vni quàm alteri.

Gabr. Pennot, de libert. hum.

Dicetur. Propter quod vnumquodque tale eſt volitum, & illud magis eſt volitum.

Reſpondeo id verum eſſe, quando vtrunque volitum eodem modo pendet à volente, non autem, quando illud propter quod aliud eſt volitum, pendet etiam ex voluntate alterius: tunc enim illud, propter quòd aliquid eſt volitum, poteſt eſſe non efficaciter volitum, eſto illud, propter aliud volitum eſt ſit efficaciter volitum. id nanque quotidie in nobiſmet ipſis experimur: & mirum eſt arguentes non videre; hæc aſſumpta eſſe apertè falſa.

Octauò argumentantur. Ordo & numerus ſaluandorum in ſtatu gloriæ ex abſoluta Dei intentione futurus eſt. Ergo neceſſe eſt, Deum hanc intentionem habuiſſe erga omnes ſaluandos à ſe antecedenter ad præſcientiam illorum bonorum operum. Antecedens dicunt eſſe D. Bernardi ſerm. 78. in Cantica, & probant, quia ita congruebat perfectioni illius ciuitatis ſanctæ Hieruſalem. II.

Reſpondeo. Ordo, & numerus omnium electorum in ſtatu gloriæ futurus non eſt ex abſoluta Dei intentione, ſi ſcilicet abſoluta idem ſignificet, quod ex intentione efficaci ante præuiſam cooperationem ipſorum electorum circa ſuæ ipſorum gloriæ aſſecutionem: id enim neque D. Bernardus docuit, neque perfectio illius ciuitatis ſanctæ Hieruſalem requirit, immo eidem perfectioni repugnat valde, cùm illa ſit ciuitas victorum, & triumphatorum, vt dicit Eccleſia in officio de ſanctis Apoſtolis & Martyribus.

Nonò arguunt. Si voluntas efficax dandi gloriam non fuit prima voluntas efficax Dei circa electos, quæritur quænam fuerit talis voluntas. Dicetur quòd fuit voluntas conferendi illis vocationem congruam. Sed contrà vel ipſi intelligunt vocationem cum dono perſeuerantiæ, vel vocationem ſine tali dono. ſi de ſecunda loquantur, illa non magis eſt electorum, quàm reproborum. ſi de prima, illa habet coniunctam voluntatem dandi gloriam. III.

Reſpondeo, primum actum diuinæ voluntatis efficacis circa electos fuiſſe voluntatem dandi illis vocationem congruam coniunctam cum perſeuerantia, & in tali voluntate virtualiter fuiſſe incluſam voluntatem dandi etiam gloriam, quia ipſa gratia virtualiter continet gloriam: non tamen fuiſſe voluntatem formalem dandi gloriam ante præuiſa merita, neque id ex argumento poſſe inferri. debemus enim concipere in Deo talem ordinem, vt primò voluerit omnibus gloriam voluntate ſimplicis complacentiæ, ſecundò voluerit nonnullis dare vocationem congruam, & perſeuerantem, quoties opus fuerit, tertiò videns illorum merita fundata in ipſius gratia voluerit illis efficaciter gloriam.

Decimò arguunt. Si prædeſtinati non diſtinguerentur à non prædeſtinatis per iſtam voluntatem dandi illis efficaciter gloriam, non poſſent diſtingui etiam ab illis per diuinam prouidentiam circa media gratiæ præuenientis, antequam præuideretur illorum conſenſus. Conſequens eſt falſum, quia tunc ſpecialiſſima illa prouidentia, quam Deus habet de ſuis electis, quam nos vocamus prædeſtinationem, inciperet à conſenſu noſtro, & haberet cauſam in nobis. IV.

Reſpondetur. Neganda eſt conſequentia, nam diſcretio prædeſtinatorum à non prædeſtinatis ſumitur à præparatione vocationis congruæ:

vocatio autem congrua non ſupponit noſtrum conſenſum, ſed illum præuenit. neque apparet quomodo ex hoc antecedente, prædeſtinati non ſunt efficaciter electi ad gloriam ante præuiſa illorum merita, ſequatur hoc conſequens, prædeſtinatis non eſt præparata vocatio congrua ante præuiſum conſenſum liberi illorum arbitrij.

Tandem argumentantur, quia neceſſe eſt fateri, ſaltem aliquos fuiſſe electos efficaciter ad gloriam ante præuiſa merita. Ergo idem de omnibus aliis dicendum eſt: nam prouidentia ſpecialis, qua Deus confert electis media ad ſalutem, æqualiter ſe habet erga omnes. Antecedens probatur, nam anima Chriſti ſine dubio eſt prædeſtinata ad gloriam ante præuiſa merita. Item B. Virgo Maria eſt prædeſtinata Mater Dei ante præuiſa merita. Item paruuli, qui ſaluantur nullis eorum meritis præuiſis, ſunt efficaciter ad gloriam electi, cùm nulla illorum extiterint merita, ob quæ illi eligerentur.

Reſpondetur primò negari poſſe conſequentiam. nam eſto Deus de potentia abſoluta aliquos voluiſſet eligere ad gloriam ante præuiſa merita, & etiam de facto aliquos paucos ſic elegiſſet, ſicut Catharinus, & alij non pauci ſentiunt, non ſequitur, quòd de lege ordinaria alij fuerint ſic electi. Secundò admiſſa conſequentia negandum eſt antecedens, loquendo de adultis. vnde cùm dicitur, quòd Chriſtus prædeſtinatus eſt ante præuiſa merita; reſpondetur, quòd illa fuit prædeſtinatio ad eſſe ſubſtantiale: nos verò loquimur de prædeſtinatione ad eſſe accidentale. Ad id, quod dicitur de B. Virgine, reſpondetur, quòd licèt fuerit prædeſtinata ad dignitatem maternalem ante præuiſa merita, non tamen fuit prædeſtinata ad gloriam.

V. Ad id, quod obiicitur de infantibus, reſpondetur, ea omnia, quæ dicta ſunt in hoc dubio, & duobus præcedentibus, locum habere ſolùm in adultis, non autem in paruulis, quorum prædeſtinationis alia eſt ratio: illi enim non ſunt ad gloriam efficaciter prædeſtinati ex meritis propriis, neque ex meritis parentum, ſed ex ſolis meritis Chriſti illis applicatis per Baptiſmum, ea tamen conditione, vt illorum applicatio penderet ex libera cooperatione parentum, & miniſtrorum, immo etiam ex concurſu aliarum cauſarum ſecundarum. veram enim arbitramur ſententiam nonnullorum dicentium, quòd licet bonus vſus liberi arbitrij parentum, & miniſtrorum non fuerit cauſa meritoria prædeſtinationis paruulorum, fuit tamen conditio, ſine qua ſupernaturalis Dei prouidentia circa ipſos paruulos non haberet rationem prædeſtinationis. cui doctrinæ nihil officiunt argumenta Aluarez diſp. 38. de diuinis Auxiliis.

Aluarez Auguſt.

Argumentatur nanque primò ex Auguſtino in lib. de perſeuer. cap. 12. dicente, *Neque enim fato cogitur Deus illis infantibus ſubuenire, illis autem non ſubuenire, cùm ſit vtriſque cauſa communis, aut res humanas in paruulis non diuina prouidentia, ſed fortuitis agi caſibus opinabimur; cùm rationales, vel damnande, vel liberande ſunt animæ: quandoquidem nec paſſer cadit in terram ſine voluntate Patris noſtri, qui in cœlis eſt, aut parentum negligentia ſic tribuendum eſt, quod paruulus ſine Baptiſmo moritur, vt nihil ibi agant ſupernaturalia iudicia, tanquam ipſi, qui hoc modo male moriuntur, voluntate propria parentes negligentes, de quibus naſcerentur, ſibi elegerint. quid dicam quod paruulus aliquando, antequam illi per miniſterium baptizantis ſubueniri poſſit, expirat: plerumque enim feſtinantibus parentibus, & paratis miniſtris, vt Baptiſmus paruulo detur, Deo tamen nolente, non datur, qui cum paruulum in hac vita non tenuit, vt daretur.*

Reſpondeo omnia iſta verba vſque ibi, *quid dicam, quod paruulus*, &c. nihil omnino ad rem facere, neque enim ex hoc, quod dicimus, bonum vſum liberi arbitrij parentum, & miniſtrorum cauſam eſſe, ſine qua ſupernaturalis Dei prouidentia circa paruulos non haberet rationem prædeſtinationis, ſequitur, aut dari fatum, aut res humanas non regi per diuinam prouidentiam, aut quòd paruuli ſibi tales parentes elegerint, vndénam quæſo iſtæ conſecutiones valent deduci? Illa autem verba, quæ ſequuntur, *quid dicam, quòd paruulus aliquando*, &c. duobus modis accipi poſſunt, vno modo in ſenſu affirmatiuo, vt ſenſus ſit, quòd ideo paratis, & feſtinantibus parentibus, & miniſtris paruulus Baptiſmum accipere non poteſt, quia Deus habet actum poſitiuum nolitionis, quo vult, vt ille paruulus abſque Baptiſmo decedat, nec illi poſſit per diligentiam parentum, & miniſtrorum vllo modo ſuccurri: quippe quia vult illum damnari. Et hunc ſenſum ex his, & aliis ſimilibus Auguſtini verbis acceperunt Maſſilienſes, immò & hæretici illi vocati Prædeſtinati, qui tamen nunquam ab Auguſtino fuit intentus, vt lib. præcedente cap. 17. monſtratum eſt. Altero modo in ſenſu negatiuo, nimirum quòd parentibus, & miniſtris nonnunquam paratis, & feſtinantibus paruulus Baptiſmum non accipit, quia Deus non vult miraculo tenere curſum ſecundarum cauſarum interitum paruuli accelerantium, & ſeruare illum in vita, donec paruulus baptizetur. & hic ſenſus eſt verus; ſed tunc non ſequitur, quòd ob hoc Deus non velit aliquo modo ſaltè ſalutem illius paruuli, ſi per parentes, aut miniſtros, aut alias ſecundas cauſas non ſteterit, neque ad hoc, vt circa paruulum ſic decedentem dicatur habere prouidentiam ſupernaturalem, neceſſe eſſe, impedire omnes ſecundas cauſas, ex quarum concurſu illius ſalus poterat impediri. Neque ex hoc ſequitur, quòd ſalutem paruulorum, qui de facto ſaluantur, non velit dependenter a libera cooperatione, & concurſu ſecundarum cauſarum.

VI. Secundò inſtat, quoniam vt paruulus reipſa conſequatur remedium contra peccatum originale, & moriatur priuſquam deueniat ad vſum rationis, & mortaliter peccet, eſt effectus diuinæ prædeſtinationis. Ergo prædeſtinatio paruuli in ratione prædeſtinationis non dependet ex futura applicatione Baptiſmi, aut ex futura morte immatura, nec præſupponit præſcientiam illius. Patet conſequentia, nam effectus non præſupponitur ad ſuam cauſam. Antecedens probatur. nam media, per quæ prædeſtinatus conſequitur vitam æternam efficaciter, ſunt effectus prædeſtinationis illius; ſed per remedium applicatum contra peccatum originale, & per immaturam mortem conſequitur paruulus vitam æternam. Ergo hæc ſunt effectus prædeſtinationis illius.

Reſponderi poſſet ad hoc, argumentum ſolùm probare, quòd prædeſtinatio paruuli non ſupponit præſcientiam applicationis remedij contra originale, & mortis immaturæ, vt futuræ abſolutè, ſufficere verò, vt præſupponat præſcientiam illius, vt futuræ ex hypotheſi.

Secundò reſpondetur, negando conſequentiam. Ad probationem reſpondetur, quòd licet nullus effectus præſupponatur ad ſuam cauſam, poteſt tamen vnus effectus præſupponi alteri effectui prouenienti ex eadem cauſa. ita contingit in propoſito, vnus effectus prædeſtinationis paruuli eſt illius ſalus, alter eſt applicatio remedij contra originale, & mors immatura, & iſte ſecundus effectus præſuppo

præſupponitur primò. Et ſic nullum eſt inconueniens applicationem liberam remedij contra originale, & immaturam mortem eſſe conditionem, ſine qua prædeſtinatio paruuli non ſortiretur rationem prædeſtinationis: quia non ſortiretur rationem prædeſtinationis, ſi non poneret vltimum effectum circa prædeſtinatum, qui eſt illius ſalus. Videantur quæ dicta ſunt ſuprà cap. 15. & 16. circa ſecundum dubium, & recolantur ea, quæ dicta ſunt de duplici effectu prædeſtinationis; altero, quem Deus ponit in nobis ſine nobis, & ſine libero noſtro conſenſu: altero, quem non ponit in nobis ſine nobis, cuiuſmodi eſt applicatio remedij contra originale facta paruulo à parentibus, & miniſtris, & etiam cum concurſu ſecundarum cauſarum. vnde non ſequitur, tàlis applicatio eſt effectus prædeſtinationis. Ergo nullo modo pendet ex libera cooperatione parentum, & miniſtrorum, talem effectum ſortiri rationem effectus prædeſtinationis: nam iſte eſt de effectibus, qui pendent ex libera noſtra cooperatione, & ex concurſu aliarum cauſarum.

Tertiò arguit, quia ſuppoſito, quòd Deus prædeſtinauerit aliquem parmulum, ad prouidentiam illius ſi effet, quòd paruulus naſcatur, & ſeruetur in vitâ, quouſque illi remedium contra originale applicetur. Ergo ſtante huiuſmodi ſuppoſitione, in ſenſu compoſito, eſt impoſſibile, quòd paruulus non naſcatur, vel quòd decedat, antequam huiuſmodi remedium illi applicetur.

Reſpondeo, ipſam prædeſtinationem nihil aliud eſſe, niſi efficacem voluntatem conſtituendi paruulum in tali ordine, in quo ſcit Deus, quòd à parentibus, & miniſtris applicabitur illi remedium contra originale, & per concurſum ſecundarum cauſarum cripietur ex hac vita, antequam peruenat ad vſum rationis, & hoc ex intentione efficaci illum ſaluandi. vnde in ipſa prædeſtinatione paruuli in ſenſu compoſito includitur præſcientia liberæ applicationis, & concurſus ſecundarum cauſarum.

VII. Quartò arguit, quia ſequeretur, dari aliquid ex parte liberi arbitrij creati, à quo penderet prædeſtinatio paruuli, & ſic non eſſet merè gratuita.

Reſponderetur, dari aliquid ex parte liberi arbitrij, ex quo pendeat prædeſtinatio, duobus modis intelligi poteſt, vno modo quoad actum prædeſtinationis, & in ordine ad primum illius effectum, & ſic eſt falſum: alio modo quoad poſteriores effectus, & ſic nullum eſt inconueniens. In propoſita autem quæſtione admiſſo, quòd hoc modo poſteriori detur aliquid ex parte liberi arbitrij creati, ex quo pendeat prædeſtinatio paruuli, negatur, inde ſequi, quòd illa non ſit merè gratuita, nam illud aliquid ſe tenens ex parte liberi arbitrij creati non habet rationem cauſæ meritoriæ.

Verùm contra hæc omnia vnicum eſt argumentum ſatis apparens. quia D. Auguſtinus cùm de gratuita prædeſtinatione verba facit, eodem modo loquitur de prædeſtinatione adultorum, & paruulorum, & ad oſtendendum quòd prædeſtinatio adultorum non fuerit ex illorum meritis, vbi illi deficiunt alia argumenta, recurrit ad paruulos, in quibus nulla merita fingi poſſunt. quæ eſſet vana, & frigida nimis argmentatio, ſi alio modo eſſent paruuli prædeſtinati, alio modo adulti.

Propter hoc fortaſſe argumentum non deſunt, qui dicant eodem prorſus modo prædeſtinatos fuiſſe paruulos, atque adultos. Verùm illorum ſententia mihi omnino probari non poteſt: quia eodem modo arbitror, Deum homines ab æterno prædeſtinaſſe, quo modo in tempore illos ſaluos facit: Deus verò in tempore non eodem modo ad ſalutem perducit paruulos, & adultos, ſed adultos ſaluat, ipſis liberè cooperantibus ſuæ ipſorum ſaluti, paruulos verò abſque aliqua illorum cooperatione.

Auguſtinus verò eodem modo loquitur de prædeſtinatione paruulorum, & adultorum, cùm agit de prædeſtinatione ad gratiam, & etiam, vt oſtendat, prædeſtinationem ad gloriam non eſſe factam ex noſtris meritis profectis ex nudæ naturæ noſtræ viribus; non autem cùm loquitur de prædeſtinatione ad gloriam ex meritis in diuina gratia fundatis. quod puto ex eodem Auguſtino monſtratum fuiſſe vſque ad ſatietatem, & faſtidium.

CAPVT XXVII.

Dubium quintum proponitur, an detur cauſa meritoria noſtræ prædeſtinationis ex parte Chriſti.

CVm ſuperiùs monſtratum ſit, Chriſtum fuiſſe cauſam finalem, & exemplarem noſtræ prædeſtinationis, eſt enim caput omnium prædeſtinatorum, in cuius honorem, & gloriam omnium Angelorum, & hominum prædeſtinatio eſt à Deo ordinata, & in quo noſtrorum omnium prædeſtinatio, velut in exemplari præclariſſimo, refulget, vt Auguſtinus ait lib. de Prædeſtinat. ſanctorum c. 15. Reſtat nunc videndum, an ſit etiam cauſa prædeſtinationis noſtræ meritoria. Idem autem eſt in ſenſu quærere, vtrùm Chriſtus ſit cauſa meritoria noſtræ prædeſtinationis, & quærere, verùm prædeſtinatio Chriſti ſit cauſa meritoria noſtræ prædeſtinationis, ſub iſtis enim titulis diſputatur hoc dubium. I.

Porrò duobus modis poſſumus concipere Chriſtum fuiſſe cauſam noſtræ prædeſtinationis, vno modo abſolutè tantùm, & non comparatiuè: alio modo non ſolùm abſolutè, & in communi, ſed comparatiuè, & in particulari: & vtroque modo hîc intendimus videre, an Chriſtus meruerit nobis noſtram prædeſtinationem. Primò enim videndum eſt, an meruerit omnium prædeſtinationem in communi, & abſolutè ſumptam. Secundò vtrùm meruerit noſtram prædeſtinationem comparatiuè, id eſt, quòd ex duobus æqualibus iſte potius, quàm ille fuerit prædeſtinatus. Adhuc notandum eſt, cùm quæritur, vtrùm Chriſtus meruerit nobis noſtram prædeſtinationem, non eſſe quæſtionem, an omnes, qui ſaluantur, iuſtificentur per fidem, & merita Chriſti, id namque ex fide certum eſt, neque ab vllo Catholico in dubium reuocatur. ſed quæſtio eſt, an Deus intuitu meritorum Chriſti præparauerit omnibus prædeſtinatis primam gratiam, & totam ſeriem mediorum cum perſeuerantia finali, & ipſam gloriam, & in tempore illis eandem gratiam, & eandem ſeriem mediorum conferat, cum finali perſeuerantia, & tandem ipſam gloriam, & vtrùm Chriſtus ad hunc finem ſua merita Deo Patri obtulerit, vt illi prædeſtinarentur. An verò in aliquo ſigno rationis priùs Deus voluerit efficaciter illis gratiam, & gloriam, & quia Chriſtus nouit, ſic prædeſtinatos fuiſſe, obtulerit pro illis ſua merita.

In hac quæſtione, quæ inter ſolos Catholicos controuertitur, eſt prima omnio negans, Chriſtum meruiſſe noſtram prædeſtinationem, quia II.

inter effectus noſtræ prædeſtinationis numeratur Chriſti Incarnatio, & gratia illi collata, quam Chriſtus nullatenus meruit, vt dicit Auguſtinus lib. de Prædeſtin. ſanctorum cap. 15. ita ſentit Franciſcus Sonnius lib. 2. Demonſtrationum Chriſtianæ Religionis tract. 3. cap. 19. hic tamen Doctor admittit, Chriſtum promeruiſſe nobis non ſolùm gratiam iuſtificantem, ſed etiam omnes diſpoſitiones gratiæ præuenientis, fidem, ſpem, & charitatem, & eatenus negat, Chriſtum eſſe cauſam noſtræ prædeſtinationis, quia non eſt cauſa meritoria Incarnationis. vnde conuenit nobiſcum in re, & ſolùm diſcordat in modo loquendi.

Auguſt. Franciſcus Sonnius.

Secunda opinio negat, Chriſtum meruiſſe noſtram prædeſtinationem, quia dicit, quòd licèt meruerit nobis gratiam iuſtificantem, non tamen meruit nobis diſpoſitiones gratiæ præuenientis, quæ requiruntur in nobis ad habendam gratiam iuſtificantem. ita ſentit Capreolus in 3. diſt. 19. quæſt. vnica art. 3. ad argumenta Scoti contra quartam concluſionem. vbi notandum, quòd licèt ille probet, Chriſtum meruiſſe nobis primam gratiam, tamen nomine primæ gratiæ dicit ſe intelligere gratiam habitualem in §. *Aduertendum tamen eſt quòd cùm dicimus*, &c. Inferiùs tamen videtur etiam ſentire, quòd nobis meruerit non ſolùm gratiam iuſtificantem, ſed etiam omnes alias diſpoſitiones; & eatenus videtur negare, quòd ſit cauſa meritoria talium diſpoſitionum, quia licèt ſit cauſa illarum meritoria quoad ſufficientiam, non eſt tamen meritoria quoad efficaciam, ſeu, vt illius verbo vtar, quoad efficientiam, id eſt, quòd applicentur nobis tales diſpoſitiones, & meritum Chriſti ponat ſuos effectus in nobis ſine concurſu aliarum cauſarum, nimirum diuinæ motionis, & liberi noſtri arbitrij. & verba illius ſunt inter alia: *Alio modo poſſunt conſiderari vt informes* (ſcilicet diſpoſitiones præcedentes gratiam iuſtificantem) *nec procedentes ab habitibus prædictis, & ſic ſunt diſpoſitio remota, vel præuia ad gratiam, & vt ſic dantur hominis diſponentis ſe ad gratiam ex gratuita Dei liberalitate, & prædeſtinatione, coagente libero arbitrio, non autem ex merito Chriſti, niſi tanquam cauſa finalis. vel ſi tanquam ex cauſa efficiente, illa cauſalitas eſt cauſa vniuerſalis, quæ non exit in actum, niſi concurrente alia cauſa particulari applicante vniuerſalem cauſalitatem particulari paſſo, & particulari effectui.* Quæ doctrina videtur fuiſſe D. Thomæ de veritate quæſt. 29. art. 7. ad octauum argumentum vbi ait, Quòd *meritum Chriſti ſufficienter operatur, vt cauſa quædam vniuerſalis ſalutis humanæ: ſed oportet hanc cauſam applicari ſingulis per Sacramenta, & per fidem formatam, quæ per dilectionem operatur. & ideo requiritur aliquid aliud ad ſalutem noſtram præter meritum Chriſti, cuius tamen meritum Chriſti eſt cauſa.* Quem locum D. Thomæ, & alia nonnulla cùm Capreolus ibi adducat, & indicet, ſe loqui iuxta ſenſum, & doctrinam D. Thomæ, videtur poſſe excuſari à cenſura, qua illum notant recentiores.

Capreolus.

Sed quidquid ſit de opinione Capreoli, eandem ſententiam docuerunt Ferrarien. lib. 4. contra Gentes cap. 55. §. *An autem*, & Adamus in Comment. epiſtolæ ad Philippenſes cap. 1. & epiſtolæ ſecundæ D. Petri cap. 1. vbi expreſsè negat, Chriſtum meruiſſe nobis fidem, & alias diſpoſitiones ad iuſtificationem. vnde circa illud Pauli ad Epheſ. cap. 1. *Sicut elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem*, infert, Chriſtum non meruiſſe nobis prædeſtinationem, nec ad gratiam, nec ad gloriam. In eandem ſententiam citatur à recentioribus Ioan. Driedo, & Ruardus Taper cius diſcipulus. Cùm tamen Ruardus art. 8. §. *Sine hac fide nullis noſtris operibus*, expreſsè doceat, Chriſtum verè meruiſſe nobis iuſtificationem, neſcio quomodo hæc ſententia iuſtè illi imponi poſſit. Hæc autem opinio cuiuſcunque ſit autoris, in eo, quod docet, Chriſtum non meruiſſe nobis omnes diſpoſitiones ad gratiam iuſtificationis, ſaltem loquendo de ſupernaturalibus, eſt error in fide, contra quem habemus apertum teſtimonium diuinæ Scripturæ, & definitionem S. Concilij Tridentini, quæ infrà ſtatim afferemus.

Ferrar. Adamus. Taper.

III. Tertia ſententia negatiua videtur eſſe quorundam, qui cùm doceant, ante præuiſa cuiuſque merita, & etiam ante præuiſum peccatum originale, omnes electos fuiſſe efficaciter ad gloriam prædeſtinatos, videntur docere prædeſtinationem illorum non fuiſſe factam ex meritis Chriſti, cùm Chriſti prædeſtinatio facta ſit poſt præuiſum originale. Hanc opinionem nonnulli tribuunt Scoto. Verùm Scotus de hac re nihil expreſsè dicit, & apud illum certum eſt, Chriſtum prædeſtinatum fuiſſe ante præuiſum peccatum originale. Vtrùm autem in aliquo ſigno rationis priùs facta ſit prædeſtinatio Chriſti, quàm aliorum electorum, videtur apud Scotum pars affirmatiua probabilior, propter illam rationem ſæpe à Scoto allegatam, ordinatè volens priùs vult finem, quàm media, & inter ea, quæ ſunt ad finem, priùs vult illud, quod eſt magis propinquum fini. vnde cùm prædeſtinatio Chriſti ſit finis noſtræ prædeſtinationis, & anima Chriſti ſit propinquior fini, qui eſt gloria, quàm quælibet alia creatura, ſequitur, Chriſtum fuiſſe ante omnes creaturas prædeſtinatum. Sed vtrùm in illo ſigno rationis, in quo concipitur fuiſſe prædeſtinatus ante alias creaturas, fuerit præuiſum aliquod Chriſti meritum, cuius intuitu Deus alias creaturas prædeſtinauerit, de hoc Scotus nihil videtur dicere. Et quidem ſi admitteret Scotus aliquod Chriſti meritum, præter meritum Crucis, & paſſionis, concedi poſſet, aliquod fuiſſe eiuſmodi meritum à Deo præuiſum, cuius intuitu cæteras creaturas prædeſtinauerit. Si autem aliud meritum non admittit in Chriſto, præter meritum paſſionis, dicendum eſt, Chriſtum non fuiſſe ex mente Scoti cauſam noſtræ prædeſtinationis meritoriam, ſed finalem tantum.

IV. Quarta ſententia eſt Franciſci Suarez, quæ partim affirmatiua eſt, & partim negatiua. Docet hic autor, dilectionem, & electionem efficacem omnium prædeſtinatorum ad gloriam factam fuiſſe non ſolùm ante præuiſa noſtra merita, ſed etiam ante præuiſum peccatum originale, & nihilominus Chriſtum fuiſſe cauſam meritoriam noſtræ dilectionis, & electionis efficacis ad gloriam quoad totum, & integrum illius effectum, abſolutè tamen, & in communi, non comparatiuè, & in particulari. ita docet in Commentar. 3. part. D. Thomæ diſput. 41. ſectione quarta & lib. 2. de Prædeſtin. cap. 24. Cui ſi obiiciatur, omne meritum Chriſti, in illius paſſione fundatum eſſe. Reſpondet: *Dicendum breuiter eſt, in eo ſigno* (ſcilicet in quo prædeſtinauit electos ad gratiam, & gloriam ante præuiſum peccatum originale, quod ſupponitur ad ipſam Chriſti paſſionem) *vel præuiſa fuiſſe Chriſti merita ſimpliciter, & abſolutè, neque includendo, neque excludendo paſſionem; ſed quatenus eſſe poſſunt in quolibet opere*

talis

Digitized by Google

talis persona, vel certè præuisa esse, vt fundata in eximio amore Christi erga Deum, & homines, qui amor & in carne passibili, & impassibili haberi poterat, & per illum de facto Christus nobis meruit, & non tantùm per propria opera passionis, quamuis per hæc fuerit Redemptio consummata. Adeò quòd secundum hunc autorem debemus concipere in primo signo rationis Christum eximio illo amore, quo Deum, & homines dilexit, meruisse omnibus prædestinatis gratiam, & gloriam, obtulisséque Patri suum meritum, & Patrem in secundo signo intuitu meritorum Christi omnes prædestinatos efficaciter ad gloriam elegisse, & præparasse illis vocationem congruam, & media efficacia, quibus perducerentur ad gloriam.

Addit tamen, istam doctrinam sic ab illo explicatam, non esse de fide, sed probabilem tantummodo, pro quo notat, quòd Deum prædestinasse electos ad gloriam ob merita Christi, potest intelligi dupliciter, vno modo, vt illa particula *propter* referatur ad obiectum, siue ad effectus prædestinationis, & sit sensus, quòd Deus ab æterno prædestinauit, quòd gratia, & gloria non darentur electis nisi propter merita Christi, esto quòd fuissent etiam gratis electi nullis meritis præuisis: alio modo, vt illa particula *propter* referatur ad voluntatem Dei prædestinantis, & sit sensus, quòd Deus voluerit, & decreuerit efficaciter conferre electis gratiam, & gloriam, propter merita Christi, ita vt merita Christi præuisa ab æterno fuerint Deo ratio quædam volendi electis gratiam, & gloriam, quod sub aliis verbis explicatur, Deum ex meritis Christi præordinasse electis gratiam, & gloriam, duobus modis intelligi posse, vel secundùm ordinem intentionis, vel secundùm ordinem executionis, est enim hæc distinctio de duplici ordine intentionis, & executionis malagma quoddam, quod semel confectum nonnulli omnibus morbis applicant. inquit igitur, quòd si loquamur de prædestinatione, quoad illius obiectum, & effectus, & secundùm ordinem executionis, est de fide, quòd nullus sit prædestinatus, nisi ex meritis Christi, & hoc modo dicit exponendas esse omnes autoritates D. Pauli, & Scripturæ, cùm docent, Christum meruisse nobis nostram prædestinationem. Si verò loquamur de ipsa diuina prædestinatione, quoad actum diuinæ voluntatis, & secundùm ordinem intentionis, ista propositio non est de fide, sed solùm probabilis. quod probat ex eo, quoniam omnes Theologi, cùm docent, Christum meruisse nobis nostram prædestinationem, recurrunt ad illam distinctionem de prædestinatione accepta pro actu diuino, & pro effectu ipsius actus, & negant prædestinationem quoad actum esse ex meritis Christi, & id solùm concedunt quoad effectum.

V. Hæc doctrina pace tanti Doctoris multa continet dubia, nec vndequaque vera. Primò dubium est, quod ait, Christum fuisse prædestinatum ante præuisum peccatum originale, & est contra expressam doctrinam D.Thomæ, quem ille commentatur, & sequitur in 3. p. q. 1. art. 3. ad 4. & velle mentem D. Thomæ in sententiam contrariam trahere, est Soli nebulas obfundere, & commentatorem sibi autorem principalem velle accommodare, non se autori, & malam fidem sibi in aliis dictis, & dicendis comparare. Secundò ex hac sententia sequitur, etiam non existente peccato futuram fuisse Verbi Incarnationem: quod etiam D.Thomas negat. Tertiò cùm docet hic autor, illud meritum, cuius intuitu Deus elegit prædestinatos efficaciter ad gratiam, & gloriam ante illorum merita præuisa, & secundùm ordinem intentionis, fuisse inspectum à Deo simpliciter, & absolutè, neque includendo, neque excludendo passionem, sed solùm inspectum, quatenus esse poterat, in quolibet opere talis personæ, vel vt fundatum in eximio amore Christi erga ipsum Deum, & homines, siue talis amor esset in carne passibili, siue impassibili. oportet illum dictum suum declarare, vel enim intendit hunc sensum, quòd Christus in aliquo instanti reali habuerit aliquod meritum verum, & de facto, non fundatum in passione, seu in carne passibili (hæc enim duo idem sunt. nam Patres nomine passionis non intelligunt solam crucifixionem, sed quidquid Christus pertulit à primo instanti suæ conceptionis vsque ad consummatum opus Redemptionis, cuius meriti intuitu Deus omnes electos efficaciter prædestinauerit ad gratiam, & gloriam. vel intendit, quòd licèt de facto nullum tale meritum fuerit in Christo, Deus tamen considerauit illud meritum Christi, quod erat fundatum reuera in passione, non vt fundatum in ipsa passione, sed consideratum modo quodam abstractiuo, videlicet abstrahendo ab hoc, quod est esse meritum fundatum in passione, vel esse meritum non fundatum in passione. Si primum intendit, hæc illius sententia nouum est commentum contra communem vsum loquendi diuinæ Scripturæ, & Patrum, qui hactenus nullum aliud meritum agnouerunt in Christo, nisi fundatum in illius passione. immo ponere aliud meritum, videtur esse aliud nihil, nisi ipsam Christi passionem euacuare. Nam si absque passione, & cruce iam sufficienter meruerat nobis gratiam, & gloriam, vt quid tanta inutiliter pati? Si autem intendat secundum, non rectè loquitur, quia istud genus considerationis abstractiuæ omnino non potest poni in Deo, est enim modus imperfectus, secundùm quem concipitur res non eo modo, quo de facto existit: notitia autem diuina solùm est intuitiua, qua Deus res intuetur, & considerat prout sunt in re. Deinde Deus non prædestinat ad gloriam propter meritum abstractè conceptum, sed propter merita realiter existentia, prout aliquando sunt futura hîc, & nunc: at in re secundùm hîc, & nunc, nullum fuit Christi meritum non fundatum in passione. Vanum itaque videtur, velle fingere istud genus meriti consideratum abstrahendo ab hoc, quod est esse fundatum, vel non fundatum in carne passibili, cuius intuitu Deus ordinauerit electos ad gloriam.

D.Thom.

VI. Tandem, quod ait hic autor, cùm Scripturæ, & Patres docent, Christum meruisse nobis nostram prædestinationem, esse intelligendos secundùm ordinem executionis, nó autem intentionis, & quoad obiectum, & effectus ipsius prædestinationis, non autem quoad illius actum, est commentum sine dubio confictum, & falsum. nam illa distinctio de prædestinatione considerata quoad illius actum, & quoad illius effectus, non est ab illis excogitata ad docendum, quòd licèt Deus nos non prædestinauerit ab æterno ex meritis Christi, sed merè gratis elegerit ad gratiam, & gloriam, nihilominus in tempore, & in effectu non vult talem electionem executioni demandare, nisi per merita Christi, vt ipse autor arbitratur: sed fuit ab illis introducta ad soluendum

hoc dubium, quomodo meritum Christi, quod fuit temporale, potuerit dici causa diuinæ prædestinationis, quæ est æterna. Ad quod dubium respondent, sufficere ad hoc, vt meritum Christi vere dici possit causa nostræ prædestinationis, vt sit causa effectuum illius, non autem necessarium esse, vt sit causa actus eiusdem prædestinationis, qui est æternus. Quanuis, vt in initio huius controuersiæ de causis prædestinationis c. 7. notauimus, in aliquo sensu legitimo concedi possit, meritum temporale, vt præuisum ab æterno, esse causam prædestinationis, quoad illius actum, nó quidem absolutè conceptum, secundùm nudam substantiam actus, sed secundùm quod relatione rationis refertur ad obiectum. nequeenim inconueniens est dicere, vnum actum diuinæ voluntatis habere pro causa alium actum æternum diuini intellectus, & præscientiam futuræ impœnitentiæ fuisse causam æternæ voluntatis deputandi reprobum ad pœnam, sicut dicimus vnum diuinum attributum esse causam alterius attributi, sano modo accepto nomine causæ pro ratione, demptis imperfectionibus, more metaphysico, non physico. Quòd autem non fuerit mens Doctorum, per has distinctiones innuere, quod hic autor prætendit, facilè probatur, quia eisdem distinctionibus vtuntur, cùm quærunt, vtrùm detur causa prædestinationis ex parte nostra, sicut videri

D. Thom. potest apud D. Thom. 1 part. q. 23. art. 5. vbi declarat, quid sit, dari causam prædestinationis quoad illius effectum, & non quoad illius actum, & ostendit, non dari causam nostræ prædestinationis ex parte nostra, non solùm quoad illius actum, sed etiam quoad illius effectum, saltem integrum, cuius sententiam omnes Doctores Catholici in hoc sequuntur. In eo igitur sensu negant D. Th. & Doctores, dari causam nostræ prædestinationis ex parte nostra, in quo affirmant dari causam eiusdem prædestinationis ex parte Christi, sed ex parte nostra negant, dari causam nostræ prædestinationis non solùm secundùm ordinem executionis, & quoad effectum, sed etiam secundùm ordinem intentionis. Ergo ex parte Christi affirmant, dari causam meritoriam nostræ prædestinationis, non solùm quoad effectum, & secundùm ordinem executionis, sed etiam quoad actum voluntatis, & secundùm ordinem intentionis.

Declaratur, & confirmatur hæc ratio, nam ex eisdem planè locis, ex quibus Patres, præcipuè D. Augustinus, deducunt, non dari causam nostræ prædestinationis ex parte nostra, deducunt etiam dari causam eiusdem prædestinationis ex parte Christi. hoc colligitur euidenter ex illo loco Pauli ad Ephes. cap. 1. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus sancti, & immaculati in conspectu eius.* Ex quo passim ipse Augustinus, & alij Doctores colligunt, nos gratis electos fuisse respectu nostrorum meritorum, quia Apostolus dicit, nos electos fuisse, vt essemus sancti, non quia præuidit Deus, nos futuros sanctos. ex eodem autem loco colligunt Patres, nos prædestinatos fuisse ex meritis Christi, quia Paulus dicit, nos electos fuisse in Christo. Ergo in eodem sensu Patres, immo, & diuina Scriptura affirmant, nos fuisse prædestinatos in Christo, in quo negant nos prædestinatos ex nostris meritis; sed negant, nos prædestinatos ex nostris meritis non solùm secundùm ordinem executionis, sed etiam intentionis. Ergo docent nos prædestinatos ex meritis Christi non solùm secundùm ordinem executionis, sed etiam intentionis.

Præter quod si Christi merita solùm secundùm ordinem executionis essent causa nostræ prædestinationis, non autem secundùm ordinem intentionis, sequeretur, ipsa merita Christi potius dici debere effectus nostræ prædestinationis, quã causam. Probatur sequela, quia illa merita potius ex præordinatione penderent, qua Deus nos efficaciter ad gloriam ordinauit, quàm è contra. neque verum esset dicere in sensu causali, quia Deus vidit Christi merita, ideo elegit nos ad gloriam: sed è contrario, quia elegit nos ad gloriam, ideo præparauit nobis Christi merita, quibus mediantibus ad illam perueniremus, sicut nonnulli, ex quibus est etiam Suarez, dicunt, non ideo Deum nos ad gloriam prædestinasse, quia nostra merita præuiderit: sed ideo nostra merita nobis præparasse, quia nos ad gloriam efficaciter destinauit. Hæc circa istam opinionem libuit animaduertisse, quæ tanquam noua non potuit sua nouitate animum non remorari, in rebus grauissimis, in quibus nouæ opiniones non debent absque aliqua consideratione, aut admitti, aut præteriti.

CAPVT XXVIII.

Dubium capite præcedenti propositum per conclusiones resolutur.

CIrca præsens dubium est prima assertio de fide, quòd Christus meruit omnibus hominibus prædestinatis non solùm gratiam iustificantem, sed fidem, & prædicationem Euangelij, & applicationem sacramentorum, & omnes alias dispositiones ad gratiam iustificationis obtinendam. Probatur hæc conclusio quoad omnes illius partes, & primò quòd meruerit illis gratiam iustificantem, probari potest ex omnibus illis diuinarum Scripturarum testimoniis, ex quibus probatur, solum Christum esse omnium hominum Saluatorem, ac Redemptorem, neque esse aliud nomen sub cœlo, in quo oporteat nos saluos fieri, præterquam in eius nomine. Expressè autem habetur apud Ioan. cap. 1. dum dicitur quòd *Gratia, & veritas per Iesum Christum facta est.* Secundò quòd meruerit nobis fidem, definiuit Concil. Milleuitanum probatum ab Innocentio Primo cap. 4. & Concil. Trident. sess. 6. de Iustificat. cap. 7. & 8. docens, Christum meruisse nobis iustificationem, & initium nostræ iustificationis esse fidem, & colligitur euidenter ex D. Paulo ad Philippens. 1. dicente, *Vobis donatum est pro Christo, non solùm vt in eum credatis, sed etiam pro illo patiamini.* & ad Hebræos 12. *Aspicientes in auctorem fidei, & consummatorem Iesum.* & ad Roman. cap. 5. *Iustificati ergo ex fide pacem habeamus ad Deum, per Dominum nostrum Iesum Christum, per quem habemus accessum per fidem in gratiam istam, in qua stamus.* Immo hic est germanus sensus verborum Christi apud Ioan. 14. *Ego sum via, veritas, & vita, nemo venit ad Patrem nisi per me.* Loquebatur enim de accessu ad Deum per fidem, vt patet ex verbis sequentibus, & fides est illa, per quam primò accedimus ad Deum, teste D. Paulo ad Hebr. cap. 11. Tertiò quòd meruerit nobis prædicationem Euangelij, & alias omnes dispositiones supernaturales ad iustificantem gratiam, probat ad longum sacrum Concilium Tridentinum eadem sess. 6. cap. 5. quod sic incipit: *Declarat sancta Synodus ipsius iustificationis exordium*

Concil. Milleuit. Concil. Trident.

Concil. Trident.

in

in adultis à Dei per Iesum Christum præueniente gratia sumendum esse, hoc est, ab eius vocatione, qua nullis eorum existentibus meritis vocantur. & c. 6. vbi docet, modum præparationis ad iustificationem, & inter dispositiones primo loco ponit fidem ex auditu, & hanc cum aliis docet inesse nobis per Christum. & cap. 7. vbi docet, Christi passionem esse causam meritoriam nostræ iustificationis, quæ omnia probat testimoniis diuinæ Scripturæ.

II. Et reuera cùm Christus sit caput omnium prædestinatorum, & ex capite deriuent omnes influentiæ, & omnes motus in membra, quis dubitet, ex ipso Christo deriuare in omnes prædestinatos omnes supernaturales motus, & influxus gratiæ præuenientis fidei, & spei, & charitatis, & omnium dispositionum supernaturalium ad gratiam & gloriam consequendam, quemadmodum testatur Apostolus hac vsus metaphora ad Ephes. c. 4. dicens, *qui est caput Christus, ex quo totum corpus compactum, & connexum per omnem iuncturam secundum operationem in mensuram vnius cuiusque membri augmentum corporis facit in ædificationem.* Loquitur ibi Apostolus de spirituali iunctura, qua homines iunguntur adinuicem ad ædificandum vnum corpus per fidem, & alias dispositiones, quibus mediantibus gratia iustificationis obtinetur, & hæc omnia docet, fluere in nos veluti membra à capite nostro Christo. Deinde idem Apostolus in eadem epistola c. 1. ait: *Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus, in Christo Iesu, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus*, &c. Si autem in Christo benedixit nos omni benedictione. Ergo per Christum prædestinauit nobis omnes dispositiones supernaturales ad gratiam iustificationis obtinendam.

Præterea Christus meruit illa omnia suis electis, pro quibus Patrem rogauit: sed Patrem rogauit pro conuersione illorum, qui in illum erant credituri per prædicationem Apostolorum, apud Ioan. cap. 17. Ecclesia etiam orat Patrem pro cõuersione infidelium, & hoc per IESVM Christum. Ergo Christus promeruit omnibus, qui veniunt ad fidem, non solùm ipsam fidem, sed etiam omnia media, quibus peruenitur tum ad ipsam fidem, tum ad gratiam iustificationis, & ad gloriam.

III. Secunda propositio: Christus, siue illius prædestinatio, fuit causa meritoria nostræ prædestinationis ad gratiam, & gloriam. Hanc propositionem probant D. Thom. 3. part. quæst. 24. & omnes illius discipuli, Alexand. Alens. 3. part. quæst. 3. memb. 5. D. Bonauentura in 3. dist. 11. art. 1. quæst. 3. Richardus, Durandus, Albertus, & omnes alij Theologi, qui concedunt, Christi prædestinationem esse causam nostræ prædestinationis. nec verum est, D. Thomam loco citato solùm docere, prædestinationem Christi esse causam nostræ prædestinationis exemplarem: quia hoc docet art. 3. & tamen postea art. 4. iterum inquirit, vtrùm Christi prædestinatio sit causa nostræ prædestinationis: vnde oportet, illum de alia causa verba facere, quàm de causa exemplari. Eandem propositionem probat Ambrosius Catharinus lib. 1. de eximia Christi prædestinatione, Viguerius lib. Institutio, Theologicarum cap. 2. §. 8. versic. 3. Andreas Vega lib. 4. in Concil. Trident. siue de Iustificat. cap. 5. & passim alij recentiores Theologi.

D. Thom. Alex. Alens. Bonau. Richard.

Catharin. Viguerius. Andr. Vega.

Probatur verò euidenti testimonio D Pauli citato ad Ephes. cap. 1. dicentis, *Elegit nos in ipso*, scilicet Christo, *ante mundi constitutionem, vt essemus sancti & immaculati in conspectu eius in charitate: qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum per IESVM Christum in ipsum.* cui testimonio nullo modo possunt adaptari expositiones, quas illis adaptauit Adamus, dicens primò, illam particulam *in ipso* non denotare ibi causam meritoriam, sed denotare causam verè efficientem, quæ est ipse Christus, vt Deus, & ista verba esse intelligenda eodem modo, quo intelliguntur illa, quæ habet Paulus in eadem epistola cap. 2. *Creati in Christo IESV in operibus bonis.* Secundò dicens, illa verba esse sic intelligenda, quòd *elegit nos in ipso*, id est, elegit nos ad habendam fidem in ipso. Nam vt omittamus, omnes Græcos, & Latinos illum locum communiter sic intelligere, vt particula illa *in ipso* idem significet, quod per ipsum, quod probant ex aliis locis, in quibus Apostolus vtitur eadem particula *in ipso*, loco huius *per ipsum*, vt cùm subiungit paulo infrà: *In quo, & nos sorte vocati sumus.* & alibi, *Gratificauit nos in dilecto filio suo*; & rursus: *In quo habemus redemptionem.* vt hæc, inquam, omittamus, ipsa verba, quæ statim sequuntur, rem declarant: subiungit quippe statim, *qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum per IESVM Christum.* particula verò *per* non denotat causam efficientem principalem, sed instrumentalem, vel meritoriam. vnde habemus hic assertionem nostram in terminis formalibus.

IV. Tertia propositio: Christus fuit causa meritoria nostræ prædestinationis non solùm secundùm ordinem executionis, sed etiam secundùm ordinem intentionis. & ista assertio pertinet ad fidem. Probatur hæc propositio contra Suarez, qui arbitratur eam esse probabilem tantùm, non autem de fide. quia Patres, & Scholastici eodem modo affirmant Christum esse causam meritoriã nostræ prædestinationis, quo modo negant, dari in nobis eandem causam meritoriam prædestinationis: sed cùm docent, non dari in nobis causam meritoriam prædestinationis, loquuntur de causa prædestinationis secundùm ordinem intentionis, & putant id esse de fide. Ergo etiam quando dicunt, Christum esse causam meritoriam nostræ prædestinationis, loquuntur secundùm ordinem intentionis, & putant hoc esse de fide. Deinde si non est certum secundùm fidem, Christum esse causam meritoriam prædestinationis nostræ, secundùm ordinem intentionis, non esset certum ex fide, illum esse causam meritoriam nostræ prædestinationis. Consequentia est necessaria; quia causa solùm secundùm ordinem executionis, non est verè causa prædestinationis, sed potiùs illius effectus, neque enim talis causa præsupponitur in diuina cognitione, vt illius intuitu Deus nos prædestinauerit, sed supponit ipsam prædestinationem iam factam, id quod vel ipse Suarez ad alia respiciens, manifestè admittit dicto lib. 2. cap. 3. num. 24. & 26. & cap. 23. num. 26.

CAPVT

CAPVT XXIX.

Soluuntur argumenta contra concluſiones capitis præcedentis.

I. CONtra concluſiones iſtas obiici poteſt primo loco, quia diuina Scriptura dicit noſtram prædeſtinationem gratis omnino factã eſſe, quod dici non poſſet, ſi illa ex meritis Chriſti facta fuiſſet.

Reſpondetur noſtram prædeſtinationem factã fuiſſe gratis, quatenus ſcilicet gratis excludit merita noſtra, non quatenus excludit merita Chriſti. quanuis enim meruerit nobis noſtram prædeſtinationem, non tamen tranſtulit in nos aliquam rationem debiti, ita vt eſſet nobis debita, licèt deberetur ipſi.

Sed obiicitur autoritas Auguſtini in lib. de Prædeſtinat. Sanctorum cap. 15. dicentis, *Ea quippe gratia fit ab initio fidei ſua homo quicunque Chriſtianus, qua gratia homo ille factus eſt Chriſtus.*

Reſpondeo, comparationem non tenere quoad omnia, ſed ſolùm quoad hoc, quòd ſicut Chriſtus non eſt prædeſtinatus ex meritis propriis: ita neque nos fuimus prædeſtinati ex meritis propriis.

II. Secundò obiici poteſt, quoniam ſi Chriſtus meruit nobis noſtram prædeſtinationem, quoad integrum illius effectum, ſequitur, quòd meruerit ſuam Incarnationem. illa enim comprehenditur in integro effectu noſtræ prædeſtinationis. Conſequens eſt falſum, & impoſſibile. Sequela probatur: quia in integro effectu noſtræ prædeſtinationis comprehenduntur omnia media, per quæ perducimur ad ſalutem.

Reſpondetur primò nomine integri effectus noſtræ prædeſtinationis duo poſſe intelligi, aut integrum effectum totius prædeſtinationis totius corporis myſtici Eccleſiæ vnà cum ſuo capite, quod eſt Chriſtus: aut integrum effectum prædeſtinationis totius corporis, præſcindendo tamen à capite, quod eſt Chriſtus. cùm itaque dicitur Chriſtus meruiſſe integrum effectum noſtræ prædeſtinationis, id intelligendum eſt de integro effectu ſecundo, non primo modo accepto. Deinde reſpondetur, falſum eſſe ipſam Chriſti Incarnationem effectum eſſe noſtræ prædeſtinationis. vnio nanque hypoſtatica non ordinatur ad noſtram prædeſtinationem tanquam illius effectus, ſed tanquam cauſa exemplaris, & finalis, & meritoria: alias prior fuiſſet in mente, & in voluntate diuina noſtra prædeſtinatio, quàm verbi Incarnatio, neque Chriſtus eſſet verè caput prædeſtinatorum quæ omnia ſunt abſurda. Neque verum eſt, quòd omne medium ad noſtram ſalutem aſſequẽdam ſit effectus noſtræ prædeſtinationis. nam eſt aliquod medium, quod eſt illius effectus, cuiſmodi ſunt gratia, & merita: eſt aliud medium, quod eſt illius cauſa, vt Chriſti Incarnatio, & meritum. Neque tandem eſt eadem ratio de merito, quo Chriſtus meruit nobis noſtram iuſtificationem. & de merito, quo vnus homo dicitur mereri alteri ſuam iuſtificationem. etenim merita aliorum hominum poſſunt ordinari ad prædeſtinationem eorum, quibus illi merentur, vt effectus ad cauſam, ſicut orationes Stephani, & Monicæ ad Pauli, & Auguſtini prædeſtinationem: at meritum Chriſti ad noſtram prædeſtinationem nullo modo ordinari poteſt ſub ratione effectus, ſed cauſæ tantummodo.

III. Tertiò obiicitur, quia ſi Chriſtus eſſet cauſa meritoria prædeſtinationis noſtræ, ſequeretur quòd ſi Chriſtus in carne non veniſſet, nulla fuiſſet prædeſtinatio. Conſequens videtur falſum, tum quia fuiſſet prædeſtinatio Angelorum, illa enim non dependet à prædeſtinatione Chriſti, fuiſſet etiam prædeſtinatio Adæ in ſtatu innocentiæ, & filiorum eius: gratia quoque Adæ collata non fuit illi ex meritis Chriſti prædeſtinata.

Reſpondetur, ſi Chriſtus in carne non veniſſet, certò ſciri non poteſt, an & qualis futura eſſet Angelorum, & hominum prædeſtinatio. quia de hac re nihil dicunt diuinæ Scripturæ. De prædeſtinatione Angelorum dictum eſt ſuprà controuerſia ſecunda, inter diſputandum, an Chriſtus ſit caput omnium prædeſtinatorum, & iuxta dicta ibi dicendum eſt, ſi Chriſtus prædeſtinatus non eſſet venturus in carne, adhuc futuram fuiſſe prædeſtinationem Angelorum ad gratiam, & gloriam eſſentialem, non autem accidentalem. Vtrùm autem modò de facto prædeſtinatio Angelorum ad gratiam, & gloriam facta ſit ex meritis Chriſti; reſpondendum eſt iuxta dicta ibid. ſecundum quartum, & ſextum modum dicendi aſſignatum. Et quidem ſecundùm quartum modum dici non poteſt, prædeſtinationem Angelorum ad gratiam, & gloriam eſſentialem factam eſſe ex meritis Chriſti, ſed ad accidentalem tantùm. Iuxta ſextum autem modum dici poteſt prædeſtinationem Angelorum etiam ad gratiam, & gloriam eſſentialem factam fuiſſe ex meritis illius.

IV. Sed tunc inſurgere videtur non leuis inſtantia. nam iuxta illum ſextum modum merita Chriſti non potuerunt eſſe cauſa noſtræ prædeſtinationis, vt abſolutè futura, ſed præuiſa ſolùm vt futura ex hypotheſi, & ſub conditione: meritum autem futurum ſolùm ſub conditione non eſt verum meritum, vt ſæpe inculcat contra Pelagianos Auguſtinus. Ergo ſecundùm illum modum dicendi Chriſtus non eſſet verè cauſa meritoria prædeſtinationis non ſolùm Angelorum, ſed nec etiam hominum.

Reſpondetur, vt ſecundùm illum modum dicendi Chriſtus dicatur verè cauſa meritoria prædeſtinationis Angelorum, & hominum, neceſſe eſt conſtituere aliquem ordinem rationis inter illius, & aliorum prædeſtinationem, ita vt in primo ſigno facta fuerit Chriſti prædeſtinatio, & præuiſum illius meritum; in ſecundo verò intuitu meritorum Chriſti facta fuerit aliorum omnium prædeſtinatio. De prædeſtinatione verò hominum in ſtatu iuſtitiæ originalis, ſi ille ſtatus perduraſſet, dicendum, quòd alio modo facta fuiſſet, & non ex meritis Chriſti. tandem de gratia Adæ collata in ſtatu illo iuſtitiæ originalis dicendum eſt, illam duobus modis poſſe conſiderari, vno modo quoad illius ſubſtantiam, & formaliter, quatenus erat gratia illius ſtatus innocentiæ: alio modo quoad illius accidentia, & quatenus fuit per Chriſtum reparata. Primo modo eſt gratia conditoris: ſecundo modo habet rationem gratiæ reparatoris, & redẽptoris. Primo modo, concepta eſt effectus ſolũ prouidentiæ ſupernaturalis. Secũdo autẽ modo fuit effectus prędeſtinationis. primo modo cõcepta gratia illius ſtatus nõ fuit Adę collata ex meritis Chriſti, neque Chriſtus fuit caput hominis in ſtatu innocentiæ, niſi ex conſequenti, ſicut de Angelis dicit D. Th. de veritate q. 29. art. 4. ad quintum. Secundo autem modo illa gratia poteſt

poteſt dici collata Adæ ex meritis Chriſti: quia vt ſic habet rationem gratiæ hominis reparati, & redempti, & ideo eſt gratia reparatoris, & redemptoris. Chriſtus verò eſt autor omnis gratiæ hominis redempti, & reparati, non omnis gratiæ abſolutè, quatenus homo eſt, ſed ſolùm quatenus
D. Thom. Deus eſt, vt docet D. Thomas in 3. d. 13. quæſt. 2. art. 2. quæſtiuncula prima. Et quamuis illa gratia collata Adæ in ſtatu innocentiæ fuerit gratia hominis prædeſtinati, non tamen fuit gratia prædeſtinationis, & ſic non fuit gratia hominis prædeſtinati in ſenſu formali. Si tamen admittamus, verum eſſe illum ſextum modum dicendi aſſignatum ſuprà cap. 6. admitti poteſt, etiam gratiam illam ſtatus innocentiæ quoad ſubſtantiam fuiſſe
Aluarez. ex meritis Chriſti. Videri poteſt de hac re Aluarez diſp. 40.

V. Verùm contra prædicta videntur difficultatem
Hieron. facere nonnullæ Patrum autoritates, quarum prima eſt D. Hieronymi in primum caput ad Epheſ. circa illa verba, *Et omnia ſubiecit ſub pedibus eius, dicentis, quod crux Chriſti ſaluatoris non ſolùm ea, quæ in terra, ſed etiam ea quæ in cœlis erant, purgaſſe perhibetur.* Secunda D. Gregorij in lib. 1. Regum
Greg. Papa. cap 2. circa illa verba, *Neque enim eſt alius extra te*, dicentis extra vnigenitum Dei filium non eſſe aliquem quia nemo electorum niſi in ipſo eſt. Tertia D. Fulgentij in lib. 2. ad Trasimundum cap. 3. dicentis, vnam in vtroque gratiam operatum fuiſſe, in homine, vt reſurgeret, in Angelo ne caderet. Quarta Cyrilli Alexand. lib. 5. in Iſaiam
Cyrillus. circa illa verba, *Iuxta ſterilis*. dicentis omnem fructificationem ſpiritualem tum in ſanctis Angelis tum in nobis ipſis inſitam eſſe per Chriſtum.
Bern. Quinta D. Bernardi ſermo. 22. in Cantica dicentis, Qui erexit hominem lapſum, dedit ſtanti Angelo, ne laberetur ſic illum de captiuitate eruens, ſicut hunc a captiuitate defendens: & hac ratione fuit æquè vtrique redemptio, ſoluēs illum, & ſeruans iſtum.

Reſponſio nihilominus facilis eſt, nam ad primam reſpondetur, D. Hieronym. ibi non ex propria ſententia loqui, ſed more commentatorum aliorum opiniones referendo, fuit enim ille error Origenis, aut Apollinaris, aut alicuius ex antiquis hæreticis, qui dixerunt, Chriſtum ſua paſſione etiam Angelos redemiſſe. quod dictum conſtat
Sixt. Senēſ. eſſe errorem. De qua re videatur Sixtus Sen. lib. 5. bibliothecæ annot. 117.

Ad alias omnes dicitur, omnes tam Angelos, quàm homines per Chriſtum, & in Chriſto ſalutē adeptos, & eandem gratiam Chriſti opitulatam fuiſſe homini, & Angelo; ſed hominum fuit ſaluator per gratiam Redemptoris, quatenus homo: at Angelorum fuit ſaluator per gratiam conditoris, quatenus Deus. Vt leantur quæ circa has autoritates ſcribit Vaſquez 3. part. diſputat. 49.
Vaſquez. cap. 5.

VI. Quartò obiicitur contra eaſdem aſſertiones. Si Chriſtus meruit noſtram prædeſtinationem, vel meruit illam ſolùm ſufficienter, vel etiam efficaciter. Si ſolùm ſufficienter, ergo non meruit illam magis pro prædeſtinatis quàm pro non prædeſtinatis, adhuc non meruiſſet nobis eiuſdem meriti applicationē, qui eſt vnus ex effectibus prædeſtinationis. Si autem meruit illam efficaciter. Ergo diuina auxilia prædeſtinatis collata ex merito Chriſti non pendent quoad efficaciam ex illorum libero arbitrio, non enim poteſt liberum arbitriū noſtrum illorum efficaciam fruſtrare, alioqui non erunt efficacia ex merito Chriſti. Adhuc ſequitur, abſque vllo noſtro merito ex ſolis meritis Chriſti dandum nobis eſſe regnum gloriæ, aliàs Chriſtus non meruit nobis efficaciter gloriam.

Reſpondeo, Chriſtum meruiſſe nobis prædeſtinationem ad gratiam, & gloriam, non ſolùm ſufficienter, ſed etiam efficaciter. ita enim docent Theologi poſt D. Thom. 3. part. quæſt. 19. art. 4. D. Thom. ad 3. & de veritate quæſt. 29. art. 7. ad quartum. Immò & poſt Scotum in 3. d. 19. quæſt. vnica §. Scotus. *in iſta quæſtione. Intra A.* & ad inſtantiam, negatur vtraque conſequentia. ratio negationis eſt, quia Chriſtus ita efficaciter obtulit pro prædeſtinatis ſua merita, vt tamen illorum applicationem quibuſdam legibus alligatam eſſe voluerit, quarum altera eſt, vt talis applicatio non fiat abſque Sacramentis, vel in re, vel in voto exhibitis: altera, vt homo liberè cooperetur vocationi Dei, & gratiæ, & propriæ ſaluti, ſicut dicit D. Thom. 3. part. loco cit. & dicta quæſt. 29. de veritate art. 7. ad octauum & decimum. Capreol. in 3. d. 19. art. Capreol. 3. ad argumenta Scoti contra quartam concluſionem, & Molina 1. part. quæſt. 23. a. 5. diſp. 2. ad finem. Molina.

Quintò obiicitur contra eaſdem concluſiones, VII. quòd Chriſtus pro hominibus meruerit, & habuerit affectum amoris erga Deum, & homines, & obtulerit pro illorum ſalute & gloria ſua merita, id factum eſt ex ſpeciali motione, & inſpiratione Spiritus ſancti, qui ita inſpirauit illi animæ ſacratiſſimæ, & ſic mouit illius affectum erga Deum, & homines. Ergo merita Chriſti iam ſupponebant in Deo voluntatem dandi electis gratiam, & gloriam. Nam Spiritus ſanctus non alio fine mouebat ſua inſpiratione illam animam ad merendum pro electis, niſi quia eo medio iam decreuerat eorum ſalutē, non ergo merita Chriſti ſunt cauſa noſtræ prædeſtinationis, ſed illius potiùs effectus.

Confirmatur ratio. quia non eſt credibile, profundum illud myſterium diuinæ prædeſtinationis electorum ad gloriā, totámque illius rationem, & modum fuiſſe ordinata à Deo approbante, & conformante ſe humanæ voluntati ipſius Chriſti, & non potiùs Chriſtum applicauiſſe ſua merita prædeſtinatis, ad executionem effectuum ipſius prædeſtinationis, quia cognouit, illam eſſe voluntatem Dei, ſic præordinantem, & prædefinientem, maximè quia Apoſtolus totum hoc negotium refert in diuinum conſilium, & diuinam voluntatem, ad Epheſ. cap. 1. & propter hoc exclamat: *O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei.* Hoc argumentum cum ſua confirmatione affert, & exaggerat Suarez dicto lib. 2. cap. 24. num. 24. Suarez. 25. 26. & 31. ad probandum, quòd Chriſtus non meruerit noſtram electionem comparatiuam, non aduertens, argumentum, ſi quid probat, probaret etiam, quòd Chriſtus non meruerit noſtram electionem abſolutam. & potius merita Chriſti fuiſſe effectus, quàm cauſam noſtræ prædeſtinationis.

Reſpondetur per diſtinctionem conſequentis. nam illud conſequens, Ergo voluntas illa Chriſti ſupponebat in Deo voluntatem dandi electis gratiam, & gloriam, duobus modis poteſt intelligi, vno modo de voluntate Dei efficaci, & determinata ad certos homines, & tunc neganda eſt conſequentia. vel de voluntate inefficaci, quæ eſt voluntas ſimplicis complacentiæ non determinata ad certos homines, & tunc admiſſa prima conſequentia, negatur, quod vltra infertur, merita

Chriſti

Christi non potuisse esse causam nostræ prædestinationis, sed fuisse effectus tantùm. illud enim vltimum consequens neque in se verum est, & parum distans ab errore, si vera sunt ea, quæ in probando prædictas assertiones sunt à nobis allegata, de quibus lector consule, neque ex ista argumentatione potest legitimè deduci. quod facilè intelligi poterit, si hunc ordinem progressionis imaginemur in ipsa diuina prædestinatione, vt primò Deus voluntate inefficaci antecedenti omnibus creaturis rationalibus exoptauerit finem gloriæ, & eas ad talem finem ordinauerit. Secundò animam Christi efficaciter ad gloriam prædestinauerit, ea lege, & conditione, vt ipse Christus posset suis meritis obtinere prædestinationem Reipub. cœlestis, quæ constat vel ex omnibus electis simpliciter, vel saltem ex omnibus hominibus electis, & pro illa sua merita Deo Patri offerre, & Deus ipse eos prædestinaret, pro quibus Christus sua merita obtulisset. Tertiò quòd ipse Christus sua merita obtulerit Patri pro electis, vt illi ad vitam efficaciter prædestinarentur.* Quartò quòd Deus intuitu meritorum Christi ipsos electos efficaciter prædestinauerit ad gratiam, & gloriam. Hoc autem ordine intellecto, qui rationi maximè consentaneus est, facilè intelligitur, quomodo omnia Christi merita fuerint ex motione, & instinctu Spiritus sancti: & nihilominus Christus meruerit nostram prædestinationem, & Deus ante præuisa Christi merita nullum efficaciter elegerit ad gloriam.

Ad confirmationem respondetur, nullum esse maius inconueniens dicere, Deum in electis ad gloriam prædestinandis approbasse humanam Christi voluntatem, & se illi conformasse, quàm dicere, Deum totam executionem diuinæ prædestinationis, quoad omnes, & singulos illius effectus commisisse liberæ voluntati, & meritis ipsius Christi. Sed in neutro est inconueniens, quia in neutro voluntas diuina absolutè sequitur voluntatem humanam, neque ab illa vltimatè pendet, sed tantùm à seipsa, sicut etiam quando Deus non vult aliquid, nisi dependenter à libera voluntate humana, non dicitur absolutè pendere à voluntate humana, sed à sua voluntate, quæ hoc aut illud non vult, nisi volente etiam voluntate humana.

CAPVT XXX.

Vtrùm Christus meruerit electis illorum prædestinationem comparatiuam.

I. CVm ex iam dictis constet, Christum meruisse nobis prædestinationem nostram ad gratiam, & gloriam; dubium nihilominus restat, an meruerit etiam nobis illam comparatiuè, & in particulari. circa quod dubium tres sunt opiniones Theologorum.

Prima illorum, qui docent, Christum meruisse nobis nostram prædestinationem solùm in communi, & absolutè, non autem in particulari, & comparãdo vnum cum altero, quod sub aliis verbis explicantes dicunt, Christum meruisse omnibus prædestinatis efficacem dilectionem ad gratiam, & gloriam, non autem efficacem electionẽ. Differt namque electio à dilectione, quòd electio semper est per comparationem eius, qui eligitur cum alio, qui nõ eligitur. Dilectio autem est actus, quo quis vult bonum alteri non comparando illum cum aliis. Dicunt itaque, Christum obtulisse Patri sua merita in communi pro salute aliquorũ hominum, vt Pater aliquos prædestinaret: non autem pro his potius, quam pro illis in particulari, vt hi potius eligerentur, quàm illi: sed peculiarem electionem istorum potius, quàm aliorum ipsius Patris beneplacito determinatam reliquisse. ita Suarez lib. 2. de Prædest. c. 14. n. 21. & sequent. & in 3. part. disp. 41. sect. 4.

Hanc autem opinionem probat primò. Si Christus meruisset prædestinationem nostram comparatiuam, necesse esset dicere, Christi merita ab æterno fuisse præuisa, vt applicata isti potius, quàm illi: hoc autem dicere est absurdum, quia sequeretur, totum negotium nostræ prædestinationis tandem reducendum esse in humanam Christi voluntatem, & Deum in opere tam præclaro, & inscrutabili totaliter se conformasse voluntati humanæ, & eam approbasse, & secutum fuisse.

Secundò, quia sequeretur, Christum meruisse damnationem reproborum. nam electio dicitur per comparationem, electus enim non dicitur quis, nisi per comparationem ad eos, qui non eliguntur, illi autem reprobantur. Consequens autem omnino non debet admitti, quia *perditio tua ex te Israel.*

Tertiò, quia intelligi non potest, quomodo Christus meruerit comparatiuam electionem Sanctorum, qui fuerunt in veteri Testamento, nam omnis applicatio meritorum Christi facta est vel per modum petitionis & orationis, vel per modum gratiarum actionis: sed per modum petitionis, & orationis hæc applicatio fieri non potuit, quia oratio, & petitio non fuit pro re præterita; neque per modum gratiarum actionis, quia gratiarum actio supponit beneficium iam collatum.

Quartò addere possumus in confirmationem huius opinionis, quòd quando Scriptura loquitur in particulari de electione prædestinatorum, dicit, illos fuisse datos ipsi Christo à Patre, & idcirco Christum pro illis orasse, & sua merita applicauisse, quia illi fuerant ei à Patre donati, vt illos seruaret, & non perirent. Ioan. c. 6. & 7. ferè per totum.

II. Secunda opinio est eorum, qui docent Christum meruisse prædestinationem electorum non solùm absolutam, sed etiam comparatiuam formaliter sumptam, non autem quoad materialem designationem, sic enim aiunt. Christus Dominus meruit electionem comparatiuam prædestinatorum formaliter sumptam, & rursum dicimus meruisse Christum, quòd cùm omnes homines possint à seipsis à fine supernaturali supposita diuina permissione deficere, aliqui tamen in particulari designarentur à Deo, in quibus ipsa Christi merita suum consequerentur effectum: designationem autem materialem eligendorum Christus Dominus reliquit Patri.

Et quòd Christus meruerit electionem comparatiuam prędestinatorum formaliter, probant primò ex diuina Scriptura, quæ docet, omnes prædestinatos fuisse electos in Christo, & per Christum, ad Ephes. c. 1.

Secundò, quia Christus obtulit sua merita Patri, vt saltem in aliquibus haberent suam efficaciam. Ergo saltem formaliter sunt electi ex meritis Christi.

Tertiò, quia diuina Scriptura promittit Christo electos in præmium suæ passionis Isaiæ 53.

Si

Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longaevum, & voluntas Domini in manu eius dirigetur.

Quomodo verò materialem designationem eligendorũ Christus Patri dereliquerit, declarãt tali exẽplo, sicut si quis offerret sua bona Reipublicæ distribuẽda in pauperes, sed tamen illorũ applicationem, & materialem determinationẽ, quòd potius applicarentur istis, quàm illis, relinqueret dispositioni, & voluntati eiusdem Reipublicæ. ita docet Aluarez disp. 39. de Auxiliis concl. 4.

Aluarez.

III. Tertia opinio est aliorum dicentium, Christum meruisse electis prædestinationẽ comparatiuam, non solùm formaliter sumptam, sed etiã materialiter, saltem aliquibus, licèt non omnibus, nam de nonnullis sanctis noui Testamenti putant quidem ita dicendum esse, quòd scilicet Christus meruerit illorũ prædestinationẽ comparatiuam non solùm formaliter, sed etiã materialiter sumptam: at de sanctis veteris Testamenti putant id minimè dici posse. quia cùm illi fuerint electi ex meritis Christi futuris, nulla fuit peculiaris causa ex parte Christi, quod illi potius eligerentur, quàm alij. De Sãctis autem saltem quibusdam noui Testamenti id probant, nã Lucæ 22. Christus specialiter orauit pro Petro, vt non deficeret fides illius, & Ioannis c. 17. specialiter orauit pro Apostolis, vt Pater tribueret illis donum perseuerantiæ, & nullus dubitat, Christum ea oratione meruisse, & obtinuisse illis vocationem cõgruam, & gratiam perseuerantem vsque in finem. modò si Deus in tẽpore applicauit Apostolis eam gratiam propter merita Christi, nulli dubiũ esse potest, quòd etiam ab æterno talis applicatio fuerit illis in particulari prædestinata ob merita Christi. Hanc opinionẽ tenuit Vasquez 1. p. disp. 94. c. 3.

Scotus.

Quarta sentẽtia videtur addi posse ex Scoto in 3. d. 19. §. *In ista quæstione*, vbi videtur sentire, electionem omnium prædestinatorum etiam comparatiuam, non solùm formalem, sed etiam materialem factam esse per merita Christi. sic enim ait: *Sicut verbum præuidit passionem Patri offerendam pro prædestinatis, & electis, & sic eam efficaciter obtulit in effectu: ita tota Trinitas pro eis passionem efficaciter acceptauit, & pro nullis aliis fuit efficaciter oblata, nec ab æterno acceptata.* Verùm quia Scotus in verbis antecedentibus docet, prædestinatorum electionem ad gratiam, & gloriam factam fuisse ante præuisam Christi passionem, nescio quid certi in sententia Scoti de hac re possimus affirmare.

IV. Ex his opinionibus prima, & secũda solis verbis abinuicẽ distare videntur. nã ambæ concedũt, omnes electos fuisse ex Christi meritis prædestinatos, concedũt etiã, Christum obtulisse Patri sua merita, vt in aliquibus haberent efficaciam, & intuitu illorum aliqui eligerentur in particulari ad gloriam. & quidem secunda opinio expresè id affirmat. Quòd autem Suarez, qui autor est primæ sententiæ, id etiam dicat, colligitur ex exemplo, quo ille suam sententiam declarat dicto cap. 24. num. 22. ait nanque quòd sicut si quis testamentum condens præciperet hæredi, quòd ex eius hæreditate centum virgines ciuitatis matrimonio iungeret, relinquendo tamen ipsi hæredi designationem materialem ipsarum, videlicet quòd virgines matrimonio iungendæ forent istæ, potius quàm illæ: ita Christus obtulit sua merita Patri, vt aliqui eligerentur, & voluntati Patris reliquit designationem materialem eligendorum. apparet itaque ambas opiniones in re conuenire, & solùm differre in modo loquendi, an propter hoc, quòd Christus obtulit pro aliquibus sua merita Patri, vt pro illis aliqui eligerentur, dicendum sit, illum meruisse electionem comparatiuam prædestinatorum, an potiùs, quia non meruit materialem illorum designationem, sed illam voluntati Patris dereliquit, dicendum sit, quòd electionem comparatiuam non meruerit. Secunda autem opinio videtur probabilior, quia ad hoc, vt comparatiuam electionem dicatur meruisse, necesse non est, vt meruerit illius materialem electionem, quod solum est fundamentum primæ opinionis.

V. Secundò videtur mihi dicendum, quòd Christus non solùm formalem comparatiuam electionem, sed etiam materialem illius designationem meruerit quoad aliquos sanctos, non solùm noui, sed etiam veteris Testamenti. Et quidem de quibusdam Sanctis noui Testamenti non video, quomodo id in dubium possit reuocari, quales fuerunt B. Virgo, Ioannes Baptista, & sancti Apostoli. quis enim dubitet vocationem congruam, & gratiam iustificantem cum perseuerantia vsque in finem fuisse illis in tempore ob speciale Christi meritum specialiter applicatam? De quibusdam verò Sanctis veteris Testamenti, quales fuerunt illi, quos in suos parentes delegit, Abraham, Isaac, Iacob, Dauid, idem prorsus videtur dicendum. quis enim dubitet in primis saltem Christum habuisse specialiter gratum, & specialiter gratias Patri egisse, quòd suos parentes secundùm carnem, tot donis præ aliis cumulauerit? Cur ergo non potuit Deus intuitu meritorum Christi saltem per modum gratiarum actionis illos potius, quàm alios elegisse? Maximè, quia, vt ait D. Bernardus, Christus fuit illorum filius, qui portabat, & non portabatur, id est, omnia spiritualia bona, quæ parentibus Christi secundùm carnem à Deo collata fuere, ideo illis collata sunt, quia futuri erant illius parentes.

Accedit, quòd opinio contrarium docens ideo negat, Christum potuisse mereri suis parentibus electionem comparatiuam materialiter sumptam, quia imaginatur, quòd sicut generatio Christi secundùm carnem fuit in re posterior generatione suorum parentum, ita etiam in diuina prædestinatione fuerit posterior. quæ imaginatio manifestè falsitatis conuincitur, quia cùm Christus sit caput omnium prædestinatorum, necessariò prior extitit in mente diuina conceptio Christi, & illius meritũ, quã prædestinatio alicuius hominis siue ex nouo, siue etiã ex veteri Testamẽto. quare eadẽ prorsus est ratio quoad hoc, de illis, qui fuerunt sub veteri, & qui fuerunt sub nouo Testamento.

VI. Tertiò videtur mihi dicendũ, præter paucos ex nouo, & veteri Testamẽto, Christũ omniũ aliorũ materialẽ designationẽ Patri reliquisse. id nãq; videtur cõsẽtaneũ reuerẽtiæ, quã ille Patri per omnia exhibebat. Sed hæc potius diuinãdo, quàm aliquid certi affirmãdo dici posũt. Quod autẽ nõnulli aiunt, Deũ eodẽ modo omnes elegisse, id est dictũ omnino volũtariũ, & absq; solido fũdamẽto. Videmus enim, Deũ in tẽpore nõ eodẽ modo omnes ad salutẽ perducere, sed aliquos absq; propriis meritis, vt infãtes, aliquos non sine propriis meritis, vt adultos, alios iustificare absque illorum consensu, vt paruulos, alios non sine consensu, vt adultos, alios nonnunquam miraculo conuertere, vt Paulum. non itaque verum est vniuersaliter, omnes eodem modo fuisse prædestinatos, nisi tantùm in hoc sensu, quòd omnes fuerunt ad gratiam prædestinati absque propriis meritis.

Argumẽta verò opinionũ admitti posũt præter argu

argumenta Suarez, quæ soluenda sunt, quoniam si quid probant, nimis probant, vnde

Ad primum neganda est sequela. Dato enim, quòd Christus meruerit electionem comparatiuam omnium prædestinatorum etiam in signata materia, non sequitur, totum negotium prædestinationis reducendum esse in voluntatem humanã Christi, quoniam ipsamet Christi prædestinatio tandem reducitur in diuinam voluntatem, vt in primam causam. Neque est inconueniens, Deum in aliquibus se conformare humanæ voluntati, & illam quodammodo sequi, quia tandem non sequitur vltimatè voluntatem hominis, sed suam, qui voluit hoc, aut illud non nisi dependenter à libera voluntate humana. Præterquòd ipsa etiam voluntas Christi secuta est diuinam voluntatem, modo superiùs explicato. vnde nullum ex hoc sequitur inconueniens.

Ad secundum negatur sequela. nam quanuis electio dicatur fieri per comparationem eius, qui eligitur ad alios, qui non eliguntur: non sequitur, quòd qui est causa, quòd ille eligatur, sit causa, quòd qui non eliguntur, reprobentur, sufficit enim, quòd omnes fuerint infecti peccato originali, ob quam causam, qui non eliguntur, reprobantur: non autem causa reprobationis referenda est in illum qui illos non eligit, sicut eligit alios, iuxta illud, *Perditio tua ex te, tantùm ex me auxiliũ tibi.*

Ad tertium respondetur illud procedere ex falsa illa imaginatione, quòd sicut meritum Christi in re fuit posterius beneficiis exhibitis sanctis veteris testamenti, ita etiam fuerit posterius in diuina prædestinatione, cùm oppositum absque dubio sit dicendum.

Ad quartum cùm Christus dixerit etiam Ioan. 13. *Nemo venit ad Patrem nisi per me.* euidens est, illas autoritates indicatas in argumento non continere hunc sensum, quòd prædestinati absque meritis Christi sint efficaciter ad gloriam prædestinati, sed indicare summam Christi reuerentiam, quam in omnibus Patri exhibebat, & omnimodam illius subiectionem ad diuinam volũtatẽ.

CAPVT XXXI.

Dubium sextum proponitur, an vnus homo possit alteri suam prædestinationem promereri.

I. AD complementum istius controuersiæ de causis prædestinationis restat nobis examinandum, ac resoluendum vltimum dubium, an ex parte nostra detur aliqua causa nostræ prædestinationis saltem in hoc sensu, quòd vnus homo mereatur alteri homini suam prædestinationem. quod dubium sub alio titulo disputatur à Theologis, an nostra prædestinatio possit iuuari precibus Sanctorum, sub hoc enim titulo illam disputãt D.Th in 1.p.q.23.a.8. & in 1.d.41.q.1.a.4. Dur. ibid.q.3. Argent. ibid.q. vnica a.3. & alij cõmuniter. Et licèt aliqui partem affirmatiuam, alij negatiuam tueantur, controuersia nihilominus parui est momenti, & potiùs de modo loquendi, quàm de re. Ad quam dissoluendam est primò recolenda distinctio de effectu prædestinationis totali, & partiali. Rursus distinguendum est etiam de effectu totali. nam nomine effectus totalis primò intelligere possumus totam seriem effectuũ, & mediorũ ad salutẽ quę prędestinatio ponit circa prędestinatũ. si ne illa media recipiantur intrinsecè in ipso prædestinato, siue sint extrinseca. Secundò possumus intelligere solùm illam seriem mediorũ quæ prædestinatio ponit intrinsecè in ipso prædestinato, & quæ intrinsecè in illo recipiuntur.

D.Thom. Durand. Argentin.

Hac itaque distinctione supposita, primò dicẽdũ est, si nomine integri effectus prędestinationis intelligamus totã seriẽ effectuũ, & mediorũ, quæ prędestinatio ponit circa prędestinatũ, siue intrinsecè, siue extrinsecè, vnus homo non potest mereri alteri illius prædestinationẽ, quoad integrũ illius effectũ. Ratio cõmuniter à Theologis allegata est, quia sub nomine effectus prædestinationis hoc modo accepti cõcludũtur etiã ipsa merita, quibus alter alteri meretur ipsã prædestinationẽ, v.g. lacrymæ B. Monicæ hoc modo fuerunt effectus prædestinationis Augustini, & oratio Stephani fuit effectus prædestinationis Pauli. In hoc sensu negat Durandus loco cit. prædestinationem posse iuuari precibus sanctorum, quanuis non desint etiam hoc modo dicentes, vnum hominẽ posse alteri promereri integrum effectum prædestinationis illius, non quidem in hoc sensu quòd aliquis possit mereri sua merita, sed in hoc sensu, quia illi putant, quòd merita, quibus vnus alteri suã prædestinationẽ meretur, nõ cõprehendãtur sub effectibus prædestinationis illius, sicut dictum est de meritis Christi, quòd illa nõ sunt effectus prædestinationis electorũ, sed causa, atque ita tenet Vasquez disp.94.c.3.n.21.& c.5.n. 27. quæ tamẽ sententia expressè videtur esse cõtra D.Th.1 p.q.23.a. 8. vbi inter alia dicit, *Sicut igitur sic prouidẽtur naturales effectus, vt etiã causa naturales ad illos naturales effectus ordinẽtur, sine quibus illi effectus nõ proueniũt: ita prædestinatur à Deo salus alicuius, vt etiã sub nomine prædestinationis cadat, quidquid hominem promouet in salutẽ, vel orationes propriæ, vel aliorum, vel alia bona, vel quidquid huiusmodi, sine quibus homo salutẽ nõ consequitur.* Est etiã hic modus loquendi contra D.Gregoriũ l b.1.Dialogor. c.8. dicẽtẽ, *Obtineri nõ possunt, quæ à Deo prædestinata nõ fuerũt: sed ea quæ viri sancti orãdo efficiunt, ita sũt prædestinata, vt precibus ipsorũ obtineãtur.* vbi videtur orationes, quibus vnus alteri impetrat salutẽ, esse à Deo prædestinatas, tãquã media ad promouẽdum illũ in suã salutẽ. Sed parũ fortasse retulerit hàc aut illã sẽtẽtiam sequi.

Vasquez. D.Thom. Greg Papa.

Secũdò dicẽdũ est, posse vnũ hominẽ alteri mereri aliquos effectus etiã se extrinsecè habẽtes ad ipsũ prædestinatũ. Nã & Isaac orauit pro fœcunditate Rebeccæ, & exauditus est, & suscepit Iacob, qui fuit prædestinatus, vt habetur Genesis c.25. ex quo loco deducit glossa ibid. circa illa verba, *Deprecatúsque est Isaac*, &c. quòd prædestinatio precibus Sanctorum iuuatur.

Tertiò videtur dicendũ, si loquamur de integro effectu prædestinationis, qui ponitur intrinsecè in prædestinato, vnũ hominẽ posse alteri de cõgruo mereri integrũ effectum suæ prædestinationis. ita sentiũt D.Tho. in locis citatis, & D.Bonau. in 1.d. 41.q.1 Ratio est, quia vnus homo potest de cõgruo mereri alteri homini omnes dispositiones ad gratiã iustificãtẽ, vt tradũt cõmuniter Doctores post ipsũ D.Th.1.2.q.114.a.6. Probatur et ã hæc veritas exẽplo, nã Mat.c.9.1 E S V S vidẽs fidẽ illorum qui Paralyticũ deferebãt, illum sanauit intus & extra. vbi dicit glossa, *Quantũ valet apud Deũ fides propria, apud quẽ sic valuit aliena, vt intus & extrà sanaret hominẽ.* D. quoque Iacobus in sua epistola ait: *Orate pro inuicẽ, vt saluemini.* & Ecclesia quotidie orat pro cõuersione infideliũ, & Doctores cõmuniter dicũt, quòd ad preces Stephani Deus cõuertit Saulũ, & ad preces B. Monicæ Aug. & D. Bonau. inquit loco cit. quòd iusti suis orationibus merentur peccatoribus illorum conuersionem nõ

II. D.Thom. D.Bonau. D.Thom. Glossa.

solùm

ſolùm merito congrui, ſed etiam digni, licèt non merito condigni. quia ſolus Chriſtus merito condigni meruit nobis primam gratiam. Immo Chriſtus meruit nobis illam etiam de rigore iuſtitiæ. quid autem ſit meritum de rigore iuſtitiæ, videri poteſt apud Barthol. Medinam bene hoc explicãtem 1.2. q.114.a.3.

Aduertendum tamen, ex hoc non ſequi, propriè dari ex nobis cauſam noſtræ prædeſtinationis, aut ipſam prædeſtinationem propriè perfici orationibus Sanctorum. quia propriè loquendo non dicitur cauſa prædeſtinationis, niſi quod præuiſum fuit aliquo modo ipſi Deo ratio, & cauſa prædeſtinandi. Cæterum orationes Sanctorum non fuerunt Deo ratio, & cauſa prædeſtinandi alios, ſed ex eo, quia Deus aliquos prædeſtinauit, præordinauit illorum prædeſtinationem per orationes Sanctorum adimpleri, quare ipſæ orationes potius ſunt effectus prædeſtinationis, quàm ſint illius cauſa.

CAPVT XXXII.

Quarta principalis controuerſia proponitur de certitudine diuinæ prædeſtinationis.

I. FVit ſanè grauis, ac difficillima quæſtio, quam vtcunque abſoluimus, de cauſis diuinæ prædeſtinationis, at certè non in minores nos coniicit anguſtias atque difficultates, quam modò aggredimur de eiuſdem prædeſtinationis certitudine ac firmitate. Tria nanque & illa grauiſſima inter alia continet dubia. Primum an ipſa prædeſtinatio ſit apud Deum vndequaque certa. Secundum vnde oriatur, ſiue in quo fundata ſit certitudo illius, an in ſola præſcientia, an etiam in diuino decreto. Tertium an certitudo diuinæ prædeſtinationis tollat hominis libertatem circa aſſecutionem ſuæ ſalutis. Addi etiam poſſet quartum, de quo eſt nobis cum recentioribus hæreticis controuerſia, an homo poſſit certitudine fidei, cui falſum ſubeſſe non poſſit, certus eſſe de ſua prædeſtinatione. & hæc dubia ſunt à nobis in hac controuerſia, quantum res patietur, breuiter elucidanda, ac reſoluenda.

II. Circa primum dubium quærimus, an numerus prædeſtinatorum ſit omninò certus apud Deum, non ſolùm formaliter, ſcilicet quòd tot ſaluabuntur, nõ plures, neque pauciores, ſed etiam in ſignata materia, quòd ex hominibus, & etiam Angelis iſti ſaluabuntur, & non illi. In qua re fuit ſententia Semipelagianorum, referentibus Proſpero, & Hilario ad Auguſtinum, numerum prædeſtinatorũ neque materialiter; neque etiam formaliter eſſe apud Deũ ita certum, vt nõ poſſit augeri, neq; minui, ſicut patet ex illorũ propoſitione 37. ex relatis ſuprà c.8. Immo ob hanc præcipuè cauſam doctrinæ D. Auguſtini de prædeſtinatione grauiter ſuccenſebant, quia docebat Auguſtinus, numerum prædeſtinatorum eſſe apud Deum ita certum, vt nec minui poſſit, neque augeri.

Semipelag.

D. Thom. Fuit ſecunda opinio, quam refert D. Th. 1. p.q. 23.a.7. dicentium numerum prædeſtinatorum eſſe certum apud Deum formaliter, non tamen materialiter, ſiue in ſignata materia. qui verò fuerint huius opinionis autores, ille non dicit.

Bañes. Dom. Soto. Tertia opinio eſt, quam Dominicus Bañes ibid. & Dominicus Soto in c.9. epiſtolæ ad Rom. tribuunt Ambroſio Catharino, quòd ille diſtinxerit omnes prædeſtinatos in duos ordines, quorum primus contineat ſolùm paucos eximiè prædeſtinatos, quorum numerus ſit certus apud Deum nõ ſolùm formaliter, ſed etiam materialiter, ita vt nec minui poſſit, neque augeri. Secundus verò contineat reliquos ſaluandos, quorum ſalus arbitraria ſit, ita vt poſſint ſaluari aut non ſaluari. quorum prædeſtinatorum numerus neque materialiter, neque formaliter ſit certus, ſed augeri poſſit, & minui. quam opinionem illi, vt falſam, & erroneam confutant, & reiiciunt.

Si tamen iſti autores libros Catharini attentè, & patienter legiſſent, non hunc illi impoſuiſſent errorem. Primò nanque falſum eſt, Catharinum diſtinguere duos ordines prædeſtinatorũ, aut etiã ſaluandorum. quia ille vnum tantùm ordinem prædeſtinatorum agnoſcit, & omnes ſaluandos dicit certò eſſe ſaluãdos, bene diſtinguit omnes homines in duos ordines, alterum illorum, quorum ſalus eſt certa ex diuina prædeſtinatione, & iſte ſolus eſt ordo prædeſtinatorum: alterum illorum, quorum ſalus arbitraria eſt, & poſſunt ſaluari, & damnari, & iſte ordo reliquos omnes homines complectitur. Falſum eſt etiam, quod Catharino imponitur, numerum omnium ſaluandorum non eſſe certum apud Deum tum materialiter, tum formaliter. docet nanque idem autor in ſecundo libro ſummæ ſuæ doctrinæ de prædeſtinatione prope initium, numerum omnium ſaluandorum eſſe ab æterno certiſſimum in diuina præſcientia non ſolùm formaliter, ſcilicèt quòd tot ſaluabuntur, ſed etiam in ſignata materia, ſcilicet quòd iſte, & ille certò ſaluabitur. Videatur ſecunda & tertia concluſio, quas ille ibi probat eiſdem argumentis, quibus iſti autores illius opinionem tanquam erroneam reiiciunt. Catharin.

III. Non igitur in hoc errauit Catharinus, ſed errauit primò in eo, quòd contendit, non omnes, qui de facto ſaluantur, fuiſſe de numero prædeſtinatorum ab æterno, quem errorem ſuprà c.3. refutauimus. Secundò, quia putauit, numerum ſaluandorum eſſe certum apud Deum ſola certitudine præſcientiæ, non autem certitudine diuini decreti, & diuinæ prædefinitionis ante præuiſum exitum vitæ cuiuſque ſaluandi, quæ ſententia ſi ſolùm velit excludere phyſicas illas prædefinitiones actuum noſtrorum liberorum, quas nonnulli à nobis lib.4.c.9. & ſequentibus relati introduxerunt, non video, cur aliquã cenſuram mereatur, ſi autem omnem aliam certitudinem excludere velit à diuina prædeſtinatione præter illam, quæ eſt ex diuina præſcientia, non videtur probanda, vt dicemus circa ſequens dubium.

IV. Quidquid autem ſit de hac, & ſimilibus opinionibus, Catholica veritas eſt, numerum omnium, & ſingulorum prædeſtinatorum eſſe certum apud Deum non ſolùm formaliter, ſed etiam materialiter, &, vt aiunt, in ſignata materia. & iſta aſſertio eſt de fide, cui omnes Catholici ſubſcribunt, etiam ipſe Catharinus loco proximè cit. Neque indiget prolixiori probatione, quia niſi dicamus, certum eſſe numerum omnium prædeſtinatorum etiam in determinata materia, ſequitur neceſſariò, ſcientiam Dei variabilem eſſe, quod eſt contra fidem. Hinc etiam ſequitur, numerum prædeſtinatorum apud Deum nec augeri poſſe, nec minui. quia ſi poſſet vel augeri, vel minui, poſſet Deus decipi circa eum, quem modò ſcit ſaluandum, ſi ille non ſaluaretur,

& de nouo ſcire ſaluandum, ſi ſaluaretur, quem modo videt non eſſe ſaluandum. Hanc autem aſſertionem longo diſcurſu probat Auguſtinus cõtra reliquias Pelagianorum tum in libris de Gratia & libero arbitrio, tum in libris de Prædeſtinatione Sanctorum, cuius doctrinam ſummi Pontifices probauerunt, vt dictum eſt lib. 5. cap. 16.

V. Videbitur fortaſſis alicui, contra hanc Catholicam veritatem militare poſſe, illud quod Paulus ait 1. ad Corinth. cap. 9. *Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo, ne cùm aliis prædicauerim, ipſe reprobus efficiar.* & D. Petrus epiſtola 2. cap. 1. *Satagite vt per bona opera certam veſtram vocationem, & electionem faciatis.* & Ioan. in Apocalypſ. cap. 3. *Tene quod habes, vt alius non accipiat coronam tuam.* & Eccleſia in quadam collecta Deum orans, vt nomina omnium fidelium beatę prædeſtinationis liber aſcripta retineat.

Verùm hæc nihil obſtant, primò nanque poſſunt hæc omnia teſtimonia intelligi ſecundùm præſentem iuſtitiam, non ſecundùm æternam Dei prædeſtinationem. & eſto intelligenda ſint de æterna prædeſtinatione, non denotãt, prædeſtinationem in ſenſu compoſito incertam eſſe, ſed denotant, illius certitudinem non tollere noſtram libertatem, & neceſſitatem operum ad ipſam ſalutem aſſequendam, & non debere nos temere de diuina prædeſtinatione confidentes ſtudia bonorum operum negligere, ſed cum omni timore, & tremore, & ſolicitudine noſtram ſalutem operari. Lyranus. & hunc ſenſum indicauit Lyranus in illum locũ Gloſſa. D. Pauli, & gloſſa ordinaria circa illa verba Petri Apoſtoli.

VI. Quis autem, & quantus ſit numerus electorum in ſuperna felicitate locandus, illud primò certum eſſe debet, ſolum Deum ſcire numerum omnium prædeſtinatorum: ita enim docet Eccleſia in quadam collecta, quæ incipit *Deus, cui ſoli cognitus eſt numerus electorum in ſuperna felicitate locandus.* & cùm ſecretum diuinæ prædeſtinationis non poſſit à nobis ſciri, niſi quatenus Deus nobis reuelauit, & nulla extet reuelatio numeri prædeſtinatorum, nihil de illo certò ſciri poteſt. Auguſtin. Et ita teſtatur D. Auguſtinus in Enchirid. c. 29. dicens, *Neque enim numerum aut ſanctorum hominum, aut immundorum dæmonum nouimus, in quorum locum ſuccedentes filij ſanctæ matris Eccleſiæ, quæ ſterilis apparebat in terris in ea pace de qua illi ceciderunt, ſine vllo temporis termino permanebunt, ſed illorum ciuium numerum ſiue quis eſt, ſiue qui futurus eſt, in contemplatione eſt eius artificis, qui vocat ea, quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt, atque in menſura, & numero, & põdere cuncta diſponit.* Immo verò id teſtatur aperte diuina Scriptura, quæ tribuit Deo tanquam notam, & characterem diuinitatis, noſſe numerum prædeſtinatorum, in epiſtola 2. ad Timoth. cap. 2. dicens, *ſed firmum fundamentum Dei ſtat, habens ſignaculum hoc, nouit Dominus qui ſunt eius.*

Secundò dicendum videtur, comparatione facta inter prædeſtinatos, & reprobos abſolutè, & vniuerſaliter, maiorem eſſe numerum reproborum, quàm ſit numerus prædeſtinatorum. Ita ſentit D. Thom. D. Thom. 1. part. q. 23. a. 7. ad tertium. & ratio eſt, quoniam numerus infidelium ſemper fuit maior numero fidelium, & certum eſt, omnes infideles damnari, ex fidelibus etiam plures damnantur, quare oportet abſolute maiorem eſſe numerum reproborum numero electorum. Ex ipſis autem Greg. Papa. fidelibus D. Greg. hom. 19. in Euangelia putat plures damnari, quàm ſaluari: de illis enim ait verificari illud Euangelicum, *Multi ſunt vocati, pauci verò electi*, quæ ſententia an vera ſit, neſcio. illud ſcio, cùm ad ſalutem non niſi per fidem, & obſeruantiam mandatorum perueniatur, timendum valdè eſſe Chriſtianis, ne propter diuinæ legis contemptum plures damnentur, quàm ſalui fiant.

CAPVT XXXIII.

Quæ ſit certitudo diuinæ prædeſtinationis, declaratur.

COnſtito de certitudine diuinæ prædeſtinationis, grauis remanet difficultas circa illius modum, vnde ſcilicet oriatur, & in quonam ſit fundata eadem certitudo. eſt nanque duplex certitudo, altera cognitionis, altera ordinis, ſiue cauſalitatis, vt D. Thom. de veritate q. 6. a. 3. adnotauit. Certitudo cognitionis eſt, quando cognitio non declinat in aliquo ab eo, quod in re inuenitur, & ita exiſtimat de re, ſicuti eſt; & quia certa exiſtimatio de re habetur præcipuè per cauſam rei, hinc tractum eſt nomen certitudinis ab ordine cauſæ ad effectum, vt dicatur ordo certus ipſius cauſæ ad effectum, quando cauſa infallibiliter ſuum effectum producit. cùm itaque inquirimus, quomodo prædeſtinatio ſit certa, quæſtio eſt, an ſit certa ſola certitudine cognitionis, an certitudine cauſalitatis, an vtriuſque. Et notandum cum Aluarez diſputat. 41. de Auxiliis Aluarez. num. 1. §. *aly verò Theologi.* quòd hîc eſt quæſtio, vtrùm vltimatè, & quaſi radicaliter ſit certitudo prædeſtinationis ad abſolutum decretum, & efficax Dei prædeſtinantis referenda, an verò ad præſcientiam futuræ cooperationis arbitrij cum gratia, ſiue illa præſcientia ſit conditionata, ſiue abſoluta. I.

II. Quod ſpectat ad opiniones omiſſis erroribus hæreticorum Prædeſtinatorum, & Calumitarum, qui dixerunt, prædeſtinationem eſſe certam certitudine ordinis, & cauſalitatis, diuini ſcilicet decreti imponente prædeſtinato abſoluram neceſſitatem circa aſſecutionem propriæ ſalutis, inter Catholicos fuit prima opinio aſſerentium, prædeſtinationem eſſe certam ſola certitudine cognitionis, non autem cauſalitatis: arbitrantur nanque autores huius opinionis, Deum per prouidentiam ſupernaturalem omnes homines ordinaſſe in finem ſupernaturalem æternæ beatitudinis, & contuliſſe omnibus media, & auxilia diuinæ gratiæ præuenientis, & excitantis ad eundem finem aſſequendum: ſed nullum actum noſtrum liberum ſiue bonum, ſiue malum prædefiniuiſſe ante præuiſam liberam determinationem noſtræ voluntatis, primámque radicem noſtræ determinationis ſiue ad bonum, ſiue ad malum eſſe noſtrum liberum arbitrium. Præuiſa autem determinatione noſtræ voluntatis prædeſtinaſſe, quos voluit ad gloriam; Et iuxta hanc opinionem certitudo diuinæ prædeſtinationis vltimatè videtur reduci in præſcientiam determinationis liberæ noſtræ voluntatis.

Huius opinionis videtur meminiſſe D. Tho. de D. Thom. veritate q. 6. art. 3. illam verò Theologi tribuunt Ambroſio Catharino in Opuſc. de præſcientia & Catharin. prouidentia c. vltimo, & alibi, Antonio Cordubæ Cordub. lib. 1. quæſtionum theologicarum q. 55. dub. 10. Iulio Sirenio lib. 8. de fato c. 11. & tribus ſequen- Iul. Siren. tibus,

tibus, & Hieronymo Oſorio lib. 9. de Iuſtitia. De qua opinione idem D. Thomas ibi loci ita ait: *Non enim poteſt dici, quòd prædeſtinatio ſupra certitudinem prouidentiæ nihil addit, niſi certitudinem præſcientiæ, vt ſi dicatur, quòd Deus ordinat prædeſtinatum ad ſalutem, ſicut & quemlibet alium, ſed cùm hoc de prædeſtinato ſcit, quòd non deficiet à ſalute. ſic enim dicendo non diceretur prædeſtinatus differre à non prædeſtinato ex parte ordinis, ſed tantùm ex parte præſcientiæ euentus: Et ſic præſcientia eſſet cauſa prædeſtinationis, nec prædeſtinatio eſſet per electionem prædeſtinantis, quod eſt contra autoritatem Scripturæ, & dicta Sanctorum.* Recentiores verò Theologi eandem opinionem notant erroris Pelagiani, quia dicit, determinationem diuini decreti non antecedere, ſed ſequi determinationem noſtræ voluntatis; hoc eſt enim ponere initium noſtræ ſalutis ex nobis, & dicere, quòd Dei gratia ſequatur noſtrum liberum arbitrium. Alij verò eandem ſententiam nituntur ab errore Pelagianorum vindicare, quia illa non negat neceſſitatem diuinæ gratiæ non ſolùm adiuuantis, ſed etiam præuenientis, in quo ſolùm quoad hoc conſiſtere videtur error Pelagianorum: neque negat, in eodem temporis inſtanti eſſe determinationem diuinæ gratiæ, & liberi arbitrij ad actum liberum ordinis ſupernaturalis. vnde contra ſententiam iſtam nihil faciunt decreta Concilij Arauſicani, quia an noſtra liberi arbitrij determinatio ſit prior natura, an poſterior prædeterminatione diuina, de hac re Concilium nihil definiuit, & forteſſe nunquam hoc dubium in mentem illi venit, neque vnquam de hac re fuit controuerſia inter Catholicos, & hæreticos illorum temporum.

III. Circa hanc opinionem hæc mihi videntur dicenda. Primò, non debere illam tam facilè erroris notari. Primò, quia illius autores in reliquis vt Catholici ſemper habiti ſunt, nec omnino inter Catholicos infimi nominis, & pietas requirit, vt Catholicos, ſi fieri poteſt, Catholicè interpretemur. Secundò, quia illorum ſententia plurimum diſtat ab errore Pelagianorum, & Maſſilienſium. hi nanque Doctores nõ negant neceſſitatem gratiæ præuenientis, & adiuuantis ad hoc, vt homo conuertatur, & iuſtificetur, & etiam neceſſitatem gratiæ adiuuantis, addamus etiam præuenientis, ad perſeuerandum: ſed ſolùm videntur negare neceſſitatem illarum prædefinitionum antecedentium, quibus nonnulli Doctores non ſolùm noſtro ſæculo, vt quidam putant, ſed ducentis ab hinc annis & amplius docuerunt, omnes actus noſtros liberos etiam ordinis ſupernaturalis fuiſſe efficaciter ab æterno prædefinitos antecedenter ad omnem præſcientiam liberæ noſtræ determinationis, & in tempore antecedenter voluntatem noſtram ad conſenſum prædeterminari. hæc nanque illorum opinio ipſiſſima eſt pauciſſimis additis, vel mutatis potius quoad modum dicendi, quàm quoad rem, cum illa, quæ negat huiuſmodi prædefinitiones antecedentes, de qua dictum eſt ſatis lib. 4. Vtrùm autem opinio, quæ iſtas prædefinitiones negat, cenſenda ſit ad errorem Pelagianorum, & Maſſilienſium ſpectare, de hoc eodem 4. lib. ſufficienter, vt puto, dictum eſt. Tertiò quod magis vrget, quanuis D. Thom. loco citato dicat, iſtam opinionem eodem modo intellectam, quo ille eam refert, & refutat, eſſe contra autoritatem Scripturæ, & dicta Sanctorum, tamen cùm vel ipſe, vel alij Doctores mole difficultatum premuntur, in eandem recurrere videntur, quod oſtendo primò de eodemmet D. Th. nam ibid. ad 6. argumentum apertè inquit: *Sed veritas prædeſtinationis, & præſcientiæ reſpicit futurum, vt præſens, vt in quæſtione de ſcientia Dei dictum eſt, & ideo certitudinem habet.* Eſt ergo certitudo diuinæ prædeſtinationis eadẽ cum certitudine præſcientiæ: nam ſi præter illam haberet aliam certitudinem ordinis, & cauſalitatis, id dixiſſet; etenim illa non neceſſariò habet reſpicere futurum, vt præſens, quia cauſa infallibiliter determinata ad effectum producendum facit deuenire in cognitionem certam effectus, antequam effectus ſit præſens in rerum natura, & illius cauſæ ordo ad effectum eſt de ſe certus, antequam effectus ſit præſens. Accedit quòd ibid. in corpore articuli ex duobus modis, ſecundùm quos poſſet declarari, quomodo prædeſtinatio ſit certa certitudine ordinis, & cauſalitatis, primum reiicit, & ſolùm ſecundum admittit, qui tamen vltimatè reducitur ad certitudinem præſcientiæ, vt infrà oſtendemus. Accedit etiam quòd in Summa 1. p. q. 23. a. 6. docet, certitudinem prædeſtinationis eandem eſſe cum certitudine diuinæ prouidentiæ, & certitudo prouidentiæ videtur tandem reduci ad certitudinem ſcientiæ, vt non obſcurè ibi indicat idem D. Thom. D. Thom. Idem oſtendi poteſt ex D. Bonauentura Bonauent. nam in 1. diſt. 40. art. 2. q. 1. concilians arbitrij noſtri libertatem cum certitudine diuinæ prædeſtinationis ita ait: *Ad intelligentiam autem obiectorum notandum, quòd prædeſtinatio duo importat, & rationem præſcientiæ, & rationem cauſæ in quantum dicit rationem cauſæ, non neceſſariò ponit effectum: quia non eſt cauſa per neceſſitatem, ſed per voluntatem, & iterum non eſt tota cauſa, ſed cum alia cauſa contingente, ſcilicet cum libero arbitrio: & regula eſt, quòd quotieſcunque effectus pendet ex cauſa neceſſaria, & variabili, à neceſſaria tanquam ab vniuerſali, & à variabili tanquam à particulari, denominatur à variabili, quia denominatio eſt à cauſa particulari, & effectus qui dependet à cauſa contingente, eſt contingens; & præter rationem cauſæ importat rationem præſcientiæ, & præſcientia quidem totum includit in cognitione, quia liberum arbitrium, & eius cooperationem, & vertibilitatem, & totum, & præterea non eſt niſi veri, & etiam de vero contingente eſt infallibiliter, ſicut ſuprà monſtratum eſt in quæſtione de præſcientia. Ideo prædeſtinatio infert ſalutem, & non poteſt caſſari, nec diſcordare à libero arbitrio: & quia præſcientia nullam imponit neceſſitatem conſequentis, ſed ſolùm conſequentia, ſimiliter nec prædeſtinatio.*

Idem oſtendi poteſt ex D. Auguſtino, qui cùm Auguſt. ab aduerſarijs vrgeretur, dicentibus, certitudinem diuinæ prædeſtinationis imponere nobis neceſſitatem, quæ libertatem adimat, tandem recurrit ad certitudinem diuinæ præſcientiæ, ita ſcribens in lib. de bono perſeuerantiæ cap. 15. *Iſta cùm dicunt, ita nos à confitenda Dei gratia, id eſt, quæ non ſecundum merita noſtra datur, & à confitenda ſecundum illam prædeſtinatione Sanctorum deterrere non debent, ſicut non deterremur à confitenda præſcientia Dei, ſi quis de illa populo ſic loquatur, vt dicat, ſiue nunc rectè viuatis, ſiue non, rectè tales vos eritis poſtea, quales vos Deus futuros eſſe præſciuit.* Neque huic obiectioni reperitur apud Auguſtinum euidentior reſponſio, quidquid nonnulli dicant, vt li. 4. c. 24. oſtendimus. Idem oſtendi poteſt ex Conc. Valen- Concil. tino ſub Lothario cap. 3. vbi ſic dicit de diuinæ Valent. prædeſtinationis certitudine, & firmitate: *Apud quem eſt, ſcilicet Deum, vt ſanctus Auguſtinus ait, de omnibus rebus tã fixa ſententia, quàm certa præſcientia.*

Secundò circa eandem opinionem aduertere IV. oportet, non negare autores huius opinionis, ſa-

lutem omnium illorum, qui ſaluantur, fuiſſe ab æterno à Deo decretam per ſuam voluntatem. Quis enim credat, viros doctos, & in Theologicis eruditos, ignoraſſe, Deum ſuum concurſum ſupernaturalem præbere ad omnes actus ſupernaturales creaturæ, & neminem ſine ſpeciali auxilio ſupernaturali poſſe in bono vſque in finem perſeuerare, & omnes concurſus, quos Deus præbet in tempore, prædefiniuiſſe ab æterno, & ſuam prædefinitionem optimè nouiſſe, & noſſe, cùm id ſciant etiam nouitij vix mediocriter in Theologicis inſtructi. Non dixiſſe etiam, priorem eſſe determinationem noſtræ voluntatis ipſa diuinæ gratiæ, & diuini auxilij determinatione, id enim aliqui illorum non ſolùm non dicunt, ſed ex profeſſo negant, quidquid illis imponatur: ſed dixiſſe, diuinam prædeterminationem non eſſe natura priorem determinatione voluntatis creatæ ad actum conſenſus, nimirum quia nec vna eſt altera prior, neque poſterior, ſed ambæ ſunt ſimul in eodem inſtanti naturæ, ita enim poſtulat conditio ſecundæ cauſæ liberæ. Quæ ſententia non ſolùm nullam meretur cenſuram, ſed mihi veriſſima videtur propter ea, quæ dicta ſunt ſuprà lib. 4. cap. 10. Hæc circa iſtam primam opinionem volui animaduertiſſe, ne quis facilè contra illam proferat ſententiam, putans, ad Pelagianiſmum tam manifeſtè, vt quidam aſſerunt, ſpectare.

V. Secunda opinio eſt illorum, qui dicunt, prædeſtinationem eſſe certam certitudine non ſolùm præſcientiæ, ſed ordinis, & cauſalitatis, ſeu prædefinitionis, qua antecedenter ad præſcientiam liberæ cooperationis voluntatis creatæ efficaciter prædefiniuit ſalutem omnium prædeſtinatorum, & media, quibus vnumquenque illorum ad ſalutem efficaciter, & infallibiliter perducere decreuit, in qua efficaci prædefinitione radicatur certitudo diuinæ prædeſtinationis, & ad quam tandem reducitur etiam certitudo præſcientiæ ſalutis ipſorum prædeſtinatorum. ita ſentiunt Dominicus Bañez, Ripa, & Cumel. 1. part. q. 23. art. 7. & Aluarez diſput. 41. de Auxiliis, & illi omnes, qui contendunt, omnes actus liberos voluntatis creatæ fuiſſe efficaciter prædefinitos decreto, & prædefinitione antecedenti, de qua opinione dictum eſt lib. 4.

Bañez. Ripa. Cumel. Aluarez.

Hanc autem opinionem contendunt eſſe ipſiſſimam mentem D. Th. & D. Auguſtini. nam quod attinet ad D. Thom. ille expreſsè eam docet dicta q. 6. de veritate art. 3. & dicit, quòd dicere, prædeſtinationem non addere ſupra prouidentiam niſi certitudinem præſcientiæ, eſt dicere contra autoritatem Scripturæ, & contra dicta Sanctorum. & 1. part. q. 23. art. 7. dicit: *Vnde certus eſt Deus numerus prædeſtinatorum non ſolùm per modum cognitionis, ſed etiam per modum cuiuſdam principalis prædefinitionis: non ſic autem omnino eſt de numero reproborum, qui videntur eſſe præordinati à Deo in bonum electorum.* Quòd etiam iſta ſit mens Auguſtini, non videtur poſſe vllo modo dubitari, cùm illam præ ſe ferant omnes illius libri de Gratia & libero arbitrio, de Correptione & gratia, & de Prædeſtinatione. Præcipuè verò in lib. de Corrept. & gratia cap. 7. ita ait: *Horum, ſcilicet prædeſtinatorum, ſi quiſquam perit, vitio humano vincitur Deus: ſed nemo eorum perit, quia nulla re vincitur Deus. horum ſi quiſquam perit, fallitur Deus: ſed nemo eorum perit, quia non fallitur Deus.* Ecce Auguſtinus duobus modis oſtendit prædeſtinationem certam eſſe certitudine decreti inuincibilis, & certitudine ſcientiæ infallibilis.

D. Thom.

Auguſt.

Eam autem multis rationibus probare nituntur. Primò namque ſi prædeſtinatio ſolùm eſſet certa certitudine diuinæ præſcientiæ, non autem multo magis certitudine diuini decreti, ipſa prædeſtinatio non eſſet ſecundùm propoſitum diuinum, & gratiam, & non eſſet certa ex diuina electione, & conſilio, & propoſito, & voluntate, contra ea, quæ dicit Apoſtolus ad Roman. 4. 8. & 9. & 11. & ad Epheſ. cap. 1. VI.

Secundò, quia ſi prædeſtinatio eſſet certa ſola certitudine præſcientiæ, non autem prædefinitionis, & cauſalitatis, ſequeretur, quòd prædeſtinatus non differret à non prædeſtinato ex parte ordinis, ſed ſolùm ex parte euentus, & ſic prædeſtinatio non adderet ſupra prouidentiam, niſi præſcientiam: immo præſcientia eſſet cauſa prædeſtinationis, & daretur cauſa eiuſdem prædeſtinationis ex parte prædeſtinati, quæ omnia ſunt abſurda.

Tertiò idem probant ex eo, quoniam ſpectat ad rationem prouidentiæ certa, & infallibilis aſſecutio finis, non ſolùm ex vi præſcientiæ, ſed etiam ex vi ordinis & cauſalitatis. Ergo id multo magis eſt de ratione prædeſtinationis.

Quartò poteſt eadem ſententia probari omnibus argumentis, quibus illi probant, omnes actus liberos fuiſſe prædefinitos antecedenter ad præuiſam determinationem noſtræ voluntatis, & efficaciam diuinæ gratiæ in eo ſitam eſſe, vt noſtram voluntatem intrinſecè, & phyſicè prædeterminet: illis enim admiſſis benè ſequitur, prædeſtinationem certam eſſe certitudine ordinis & cauſalitatis. Plura alia addit Ripa ad eandem confirmandam, & oppoſitam ſententiam euertendam, neſcio tamen an argumenta, an conuicia.

Hic modus dicendi illam inuoluit difficultatem, quòd vult, prædeſtinationē eſſe certam certitudine decreti efficacis antecedentis omnē præſcientiam liberæ determinationis voluntatis creatæ, quod decretū multis doctis, & eruditis Theologis videtur non ſatis cum arbitrij libertate conſtare poſſe. Dicunt quidem autores huius opinionis, ad efficaciam diuinæ voluntatis ſpectare efficere, vt res certò, & infallibiliter eueniant, & nihilominus ita eueniant, quomodo Deus illas vult euenire, quæ eſt ipſiſſima D. Thom. ſententia: ſed neque D. Thom. dicit, Deum velle actus humanos liberos decreto efficaci antecedente, neque illi declarant, quomodo cum huiuſmodi efficaci decreto antecedente ſtet arbitrij noſtri libertas, quod ſi ſemel declaraſſent, illorum ſententiæ libentiſſimè ſubſcriberem. VII.

Illud etiam non placet in hac opinione, quòd tandem totam certitudinem prædeſtinationis reducit in ſolum diuinum decretum, cùm & D. Th. & D. Auguſtinus ex duplici capite doceant, prædeſtinationem eſſe certam, & potius certitudinem decreti reducant ad certitudinem præſcientiæ, quàm econtra, vt ex locis deductis patet.

Tertia igitur ſententia, quam puto veriſſimam, ſequentibus concluſionibus declaratur, quæ vt faciliùs intelligantur, & earum magis eluceſcat veritas, duo priùs notanda ſunt. Primò notandum eſt, idem omnino eſſe dicere, prædeſtinationem eſſe certam certitudine ordinis, & cauſalitatis, & dicere Deum præparaſſe prædeſtinatis media, & auxilia ſupernaturalia, quibus ad ſalutem perducantur, ita certa & infallibilia, quòd illis mediantibus infallibiliter ſalutem aſſequantur. Secundò notandum eſt, diuina auxilia à Deo præparata electis, vt illis mediantibus ſalutem aſſequantur, eſſe in duplici differentia, quædam enim ſunt VIII.

auxilia

auxilia prænenientia, quædam ſunt comitantia, & adiuuantia humanam voluntatem.

His prænotatis ponitur prima concluſio: Prædeſtinatio eſt certa non ſolùm certitudine præſcientiæ, ſed etiam ordinis & cauſalitatis. hæc aſſertio eſt ipſiſſima ſententia D. Thom. & D. Auguſtini, quam probant efficaciter argumenta facta pro ſecunda opinione, nam vere non videtur poſſe, niſi contradicendo diuinis Scripturis & Patribus negari.

Secunda concluſio: Si reſpiciamus ſolùm ad auxilia gratiæ præuenientis, diuina prædeſtinatio non eſt vndequaque certa certitudine ordinis, & cauſalitatis præſcindendo à præſcientia, qua præuidit, quid prædeſtinatus faciet, ſi velit illum in tali ordine cum talibus auxiliis conſtituere. In hac concluſione non negamus abſolutè prædeſtinationem eſſe certam certitudine auxiliorum præuenientium, vt nonnulli putant, dicimus namque etiam ex hoc capite prædeſtinationem eſſe certam, quia Deus confert prædeſtinato auxilia gratiæ præuenientis, quæ ſcit habitura eſſe infallibiliter in illo effectum gratiæ prædeſtinationis, & confert illa eo fine, & intentione, vt habeant in ipſo infallibilem effectum, & in hoc differt prædeſtinatus à non prædeſtinato, quòd cùm poſſet etiam non prædeſtinato conferre auxilia, quæ ſi conferret, præuidit fore habitura infallibilem effectum, ſicut de Tyriis, & Sidoniis ait D. Auguſtinus in lib. de bono perſeuerantiæ cap. 9. & cap. 14. nihilominus noluit eis talia auxilia conferre, & contulit illa ſolis prædeſtinatis, & in hoc elucet eximium beneficium diuinæ prædeſtinationis. Sed illud, quod ſolum negamus, eſt, per auxilia gratiæ præuenientis, quæ conferuntur prædeſtinato, vt ordine naturæ, & cauſalitatis præcedunt liberam determinationem voluntatis ipſius prædeſtinati, non prædeterminari ita efficaciter voluntatem prædeſtinati antecedenter, vt ex vi talis prædeterminationis, præſcindendo ab omni præſcientia liberæ determinationis eiuſdem voluntatis creatæ, Deus certò præuiderit, huiuſmodi auxilia fore habitura ſuum effectum infallibilem. Et demum in hac concluſione illud intendimus quòd ſuprà lib. 4. c. 14 & 15. oſtendimus, nempe actus liberos ſupernaturales voluntatis creatæ non fuiſſe efficaciter ante omnem præſcientiam vſus liberi noſtri arbitrij efficaciter prædefinitos, de qua re ſatis ibidem.

IX. Tertia concluſio: Si attendamus ad totam ſeriem diuinorum auxiliorum non ſolùm gratiæ præuenientis, ſed etiam adiuuantis, & concomitantis, per quæ homo perducitur in finem æternæ gloriæ à primo vſque ad vltimum, prædeſtinatio eſt certa non ſolùm certitudine præſcientiæ, ſed ordinis & cauſalitatis. & in hoc differt communis prouidentia etiam ordinis ſupernaturalis, per quam omnes etiam non prædeſtinatos ordinat, & dirigit in finem ſupernaturalem æternæ ſalutis ab ipſa prædeſtinatione; quia media ſupernaturalia, quæ præparantur non prædeſtinato, non præparantur illi cum intentione efficaci, & ex certa ſcientia, quòd per illa ſit infallibiliter aſſecuturus talem finem, cùm tamen non deeſſent Deo infinita alia media, quæ ſimiliter potuiſſet, ſi voluiſſet, præparare ipſi non prædeſtinato, per quæ ille quoque aſſequeretur finem æternæ gloriæ: media verò, quæ præparantur prædeſtinato, præparantur illi ex certa intentione, & ſcientia, quòd per illa aſſequetur finem, & non deficiet. Itaque prædeſtinatorum ſalus non ob hoc dicitur certa certitudine ordinis, & cauſalitatis, quòd Deus per auxilium gratiæ præuenientis ita phyſicè voluntatem prædeſtinati prædeterminet ad actum conſenſus, & ad perſeuerandum vſque in finem, vt etiam in ſenſu compoſito, id eſt, quatenus liberum arbitrium actu ſubſtat ipſi auxilio gratiæ præuenientis, & cum illo componit, non poſſit, ſi velit, non conſentire, & non perſeuerare, eſto de facto ſit conſenſurus, & perſeueraturus: ſed ob hoc eſt certa, & infallibilis certitudine ordinis, & cauſalitatis, quia præparauit illis ſeriem mediorum, & auxiliorum gratiæ præuenientis, & comitantis, & adiuuantis, cum quibus ſcit certò, & infallibiliter, quòd prædeſtinatus non deficiet à ſalute, quamuis pro ſua libertate deficere poſſet, & perſeuerabit in bono, quamuis pro ſua libertate poſſet non perſeuerare, & hoc ex peculiari dilectione, & electione, qua ipſos prædeſtinatos dilexit, & in hoc conſiſtit electio prædeſtinatorum præ non electis, quòd cùm poſſet etiam non electis talem ſeriem mediorum præparare, eam illis non præparauit, ſed iſtis tantùm. Et iſtud eſt propoſitum diuinum, ſecundùm quod prædeſtinati ab Apoſtolo dicuntur vocati, & electi.

Quòd autem hæc ſit certitudo illa ordinis, & cauſalitatis, ſecundùm quam prædeſtinatio dicitur certa, docet expreſsè D. Thom. in illa quæſt. 6. de veritate art. 3. vbi declarans, quomodo certitudo prædeſtinationis ſupra certitudinem præſcientiæ addat etiam certitudinem ordinis, & cauſalitatis, inquit, quòd hoc modo id poſſumus conſiderare. *Inuenimus enim ordinem compoſſibilem eſſe reſpectu alicuius dupliciter, vno modo in quantum vna cauſa ſingularis producit effectum ſuum ex ordine diuinæ prouidentiæ: alio modo quando ex concurſu cauſarum multarum contingentium, & deficere poſſibilium, peruenitur ad vnum effectum, quarum vnamquamque Deus ordinat ad conſecutionem effectus loco eius, quæ deficit, vel ne altera deficiat, ſicut videmus, quòd omnia ſingularia vnius ſpeciei corruptibilia ſunt, & tamen per ſucceſſionem vnius ad alterum poteſt in eis ſecundùm numerum ſaluari perpetuitas ſpeciei, diuina prouidentia taliter gubernante, quòd non omnia deficiant, vno deficiente. Et hoc modo eſt in prædeſtinatione, liberum enim arbitrium deficere poteſt à ſalute, tamen in eo, quem prædeſtinat, Deus tot alia adminicula præparat, quod vel non cadat, vel ſi cadat, quòd reſurgat, ſicut exhortationes, & ſuffragia orationum, & donum gratiæ, & alia huiuſmodi, quibus Deus adminiculatur homini ad ſalutem.* Ecce D. Th. duos modos refert, ſecundùm quos imaginari poſſumus, prædeſtinationem eſſe certam, certitudine ordinis & cauſalitatis, alterũ, ſecundùm quem vna cauſa ſingularis ex ordine diuinæ prouidentiæ producit effectum ſuum certò, & infallibiliter, & hunc modum excludit, & ideo excludit etiam ſecundã ſententiam, dicentium, prædeſtinationem eſſe certam ex vi decreti antecedentis, & efficacia gratiæ præuenientis efficaciter liberum arbitrium determinantis ad conſenſum, & perſeuerantiam: nam dicere, hoc modo prædeſtinationem eſſe certam, eſt dicere ſine dubio, illam eſſe certam, in quantum vna cauſa ſingularis producit effectum ſuum ex ordine diuinæ prouidentiæ, quod D. Thom. expreſsè negat. alterum, ſecundùm quem multæ cauſæ ex ſe defectibiles ita à Deo coordinantur in vnam ſeriẽ, vt ſi vna deficiat, altera illi ſuccedat, & teneat liberũ arbitrium vſque in finem, ne de facto deficiat, eſto ob ſuam libertatẽ poſito quocunque auxilio deficere poſſet, & hunc modum probat, &

X. D. Thom.

iuxta hunc modum dicit, prædeſtinationem eſſe certam certitudine ordinis & cauſalitatis, quia ei, quem prædeſtinat, Deus præparat talem ſeriem diuinorum auxiliorum, quòd quamuis per nullum eorum ita antecedenter prædeterminetur voluntas prædeſtinati, vt deficere non poſſit, tamen illa ſerie auxiliorum poſita circa ipſum prædeſtinatum, ipſe de facto minimè deficiet. Neque hoc eſt, Deum non prædefinire, & præparare prædeſtinatis ſingula media in particulari, per quæ illi ſint perducendi infallibiliter ad ſalutem, ſed ſolùm in communi, quia nimirum Deus ita prouidet prædeſtinato, & tot auxilia illi præbet, vt ſi vni reſtiterit, alteri conſentiat, & infallibile ſit ex vi cauſæ, quòd per tot auxilia, & adminicula ſaluetur, quamuis non ſit ita certum, quòd per hunc, vel illum actũ determinatè ſaluabitur, ſed hoc ſit certum per præſcientiam, vt nonnulli imponunt ipſi D. Thomæ, ex quibus eſt Suarez lib. 1. de Auxiliis c. 16. & lib. 3. c. 17. Nam cùm Deus ſciat, quæ media habitura ſint infallibilem effectum, ſi illa velit in homine conſtituere, eo ipſo, quòd præparat homini talem ſeriem auxiliorum, quam ſcit infallibiliter habituram ſuum effectum, eo ipſo etiam præparat, & prædefinit illi ſingula media in particulari, & per talem ſeriem mediorum ſic præparatã prædeſtinatio eſt certa certitudine non ſolùm diuinæ præſcientiæ ſed ordinis, & cauſalitatis. Suarez.

XI. Hunc eundem modum certitudinis ordinis, & cauſalitatis diuinæ prædeſtinationis tradit etiam D. Auguſtinus cùm docet, vocationem electorum eſſe certam & ſecundùm diuinũ propoſitum, quia eodem modo vocat electos, quomodo ſcit, quòd ſic vocati infallibiliter conſentient, & efficaciam gratiæ prædeſtinatorum ponit in iſta vocatione congrua, vt dictum eſt ſuprà c. 14. ad longum. Iuxta hunc modum facile declarari poteſt, quomodo prædeſtinatio non ex vno, ſed ex duplici capite ſit certa, ſcilicet non ſolũ certitudine ordinis, & cauſalitatis, ſed etiam certitudine præſcientiæ, quod non videtur poſſe declarari per primam opinionem nudè intellectã, prout iacet, neque etiam per ſecũdam. Quia iuxta primã tota certitudo prædeſtinationis tandem reſoluitur in præſcientiã diuinam, & per ſecundam tota certitudo reſoluitur in diuinum decretũ, & cauſalitatem, quod etiã illius autores vltro fatentur. At iuxta noſtrum modum dicendi neque certitudo diuini decreti pendet ex certitudine præſcientiæ, tale nanque decretũ pendet ex ſola Dei volũtate, & quamuis ſupponat præſcientiam, qua Deus præuidit, quem effectũ eſſet habiturum quodlibet ipſius auxilium, ſi illud vellet ponere in homine; tamen decretum, quo voluit ponere in homine talem ſeriem auxiliorum, per quæ præuidit illum fore infallibiliter perducendum ad ſalutem, nullo modo pendet ex tali præſcientia, nam ſtante tali præſcientia adhuc liberum erat, ponere, vel non ponere in homine talem ſeriem auxiliorum. vnde falſum eſt, quod inferunt autores ſecundæ opinionis, quòd ſequeretur præſcientiam eſſe cauſam prædeſtinationis. Eſto enim id ſequeretur ad illam primam opinionem ſic nudè intellectam, non tamen ſequitur ad noſtram ſententiam, qui dicimus, quòd etiam ſuppoſita huiuſmodi præſcientia, ex ſolo Dei beneplacito pendet, & pependit, voluiſſe prædeſtinatis præparare illa media, per quæ præuidit, illos, ſi talia media illis præparentur, fore infallibiliter aſſecuturos æternam ſalutem.

Iuxta hanc doctrinam piè poteſt interpretari prima opinio. ſi enim ſolùm intendit prædeſtinationem non eſſe certam certitudine decreti efficacis antecedentis omnem præſcientiam liberæ determinationis voluntatis creatæ, illa ſententia nihil falſum habet, quod cenſutam mereatur. & quidem iuxta hunc ſenſum locutos eſſe nonnullos ex illius opinionis aſſertoribus, ſatis clarè oſtenſum eſt lib. 4.

Argumenta verò pro ſecunda opinione admitti poſſunt, & ſi quam habent difficultatem, illa ſublata eſt ex dictis in lib. 4. & euacuabitur omnino libro 9.

CAPVT XXXIV.

Certitudinem diuinæ prædeſtinationis non tollere noſtri arbitrij libertatem.

HÆretici Pelagiani, ac illorum reliquiæ Auguſtino imponebant, quòd per diuinam prædeſtinationem, quam ille prædicabat, fatum induceret, & libertatem humani euerteret arbitrij, ſicut colligitur ex libris Auguſtini contra Iulianum, & ex libris de Prędeſtinatione Sanctorum, & ex epiſtolis Proſperi, & Hilarij ad Auguſtinum de reliquiis Pelagianorum, à qua impoſtura paſſim ſe Auguſtinus vindicat tũ in dictis libris, tum etiam in libro de Gratia & libero arbitrio, & in libello ad Articulos ſibi falsò impoſitos, ſiue ille ſit liber Auguſtini, ſiue à Proſpero in gratiam doctrinæ Auguſtini conſcriptus. Hunc autem errorem ex doctrina Auguſtini prauè intellecta hauſtum tenuerunt, & docuerunt hæretici Prædeſtinati, quorum anteſignanus fuit quidam preſbyter Lucidus nomine, cuius articuli fuerũt damnati in quadam Synodo Arelatenſi, inter quos erat quintus articulus, *Qui dicit, alios deputatos ad mortem, alios ad vitam prædeſtinatos.* Qui ideo damnatus eſt, quoniam per illum articulum intendebat ille Lucidus aſſerere, quòd per diuinam prædeſtinationem imponeretur hominibus neceſſitas circa illorum damnationem, vel circa illorum ſalutem, quæ eorum tolleret libertatem. Cuius Concilij hiſtoria legi poteſt apud Baronium tom. 6. Annal ſub anno 490. num. 18. & ſequent. Eundem errorem ſecuti ſunt, & etiam modo defendunt hæretici Caluinitæ, & alij relati lib. 2. cap. 3. ad quem locum nunc remittimus. I. Prædeſt. Baron.

Fundamentum potiſſimum, cui hic error nititur, eſt efficacia diuini decreti, & diuinæ gratiæ, cùm qua non videtur iſtis hæreticis vllo modo conciliari poſſe iſta arbitrij noſtri libertas. quis ſi demus, hominem poſſe ſeipſum ab huiuſmodi decreto efficaci ſubtrahere, iam illud non erit decretum efficax; & ſi demus hominem poſſe adiutorium diuinæ gratiæ ſuo effectu fruſtrare, iam illud non erit adiutorium efficax.

Secundum fundamentum, cui idem error nititur, eſt autoritas D. Auguſtini. ille nanque in pleriſque locis ait, Deo volenti ſaluum facere, nullum humanum arbitrium reſiſtere poſſe, & rogandum eſſe, vt velit nos ſaluos facere, quia cùm voluerit, neceſſe erit, hominem ſaluari, & voluntatem diuinam non poſſe vinci, ſed potiùs vincere voluntatem humanam, & Deum operari in nobis velle, & perficere, & alia id genus ſexcenta.

Tertiò addi poteſt vulgatum axioma apud Theologos, quo dicere ſolemus, prædeſtinatum, vt prædeſtinatum non poſſe damnari.

Hæc tamen leuiſſima ſunt, quibus non obſtantibus Catholica veritas eſt, certitudinem diuinæ II.

prædeſti

prædestinationis nullo modo lædere hominis libertatem circa propriæ salutis assecutionem, quæ assertio præter communes rationes, quibus lib.2. probata est arbitrij nostri libertas, & præter peculiares rationes, quibus lib.3 cap.11. & sequentibus & lib.4. cap.23. ostensum est, per certitudinem diuinæ præscientiæ, & efficaciam diuini decreti non tolli eandem arbitrij nostri libertatem (neque enim eadem prædestinationis certitudo, & efficacia maiorem necessitatem inferre potest eidem voluntati, quàm inferat certitudo diuinæ præscientiæ, aut efficacia diuini decreti, vt iatis notum est) probari potest euidentissimo testimonio D. Augustini, quod contra Caluinum facere debet autoritatem irrefragabilem, cùm ipse fateatur in libris contra Pighium pag. 86. & 95. iuxta primam editionem, se in materia de diuina prædestinatione, ne in vna quidem syllaba differre ab ipso Augustino, & maximè in posterioribus libris ab ipsomet Augustino editis, in quibus fatetur illum liquidam, & distinctam veri expositionem semper retinuisse, ipse itaque Augustinus nonnullis sibi imponentibus eundem errorem, quem & Caluinus, & ante illum hæretici Prædestinati, & Massilienses, & Monachi Adrumetini; & Pelagiani illi imposuerunt, statim in initio libri de Gratia & libero arbitrio seipsum vindicans, ita scribit: *Propter eos, qui liberum hominis arbitrium sic prædicant, & defendunt, vt Dei gratiam, qua vocamur ad eum, & à nostris malis meritis liberamur, & per quam bona merita comparamus, quibus ad vitam perueniamus æternam, negare audeant, & conentur auferre, multa iam disseruimus, literisque mandauimus, quantum nobis Dominus donare dignatus est. Sed quoniam sunt quidam, qui sic gratiam Dei defendunt, vt negent hominis liberum arbitrium, aut quando gratia defenditur, negari existiment liberum arbitrium, hinc aliquid scribere ad vestram charitatem Valentine frater, & cæteri, qui simul Deo seruitis compellente charitate curaui.* & cap.2. statim incipit probare ex diuinis Scripturis, esse in homine liberum arbitrium, & lib.4. contra Iulianum cap.8. in principio inter alias calumnias Pelagianorum, quibus illi eum calumniabantur, etiam hanc recenset, dicens: *Inter quæ dicu, illud vestrum contra Christi gratiam sæpe à vobis inaniter dictum, quòd scilicet appellatione gratiæ boues fieri homines fatalis necessitate dicamus.* a qua impostura se purgat eodem loco. leguntur alia quæ lib.2. cap.8. ex eodem Augustino adnotauimus.

Caluin.

Suppono autem, Caluinũ, qui totũ Augustinianum se iactat, probè nosse, apud Aug. eandem esse prorsus quæstionem de diuina gratia, & de diuina prædestinatione, cùm prædestinatio nihil aliud sit, quàm eiusdẽ diuinæ gratię præparatio, vt ille fatetur in lib. de Prædest. sanctorum c.10. & 17. quare vel sola autoritas Augustini sufficere potest ad ostendendum Caluino, & suis gregalibus, certitudinem diuinæ prædestinationis non eam humanæ voluntati imponere necessitatem, quæ illius auferat, vel vllo modo imminuat libertatem.

III. Fundamenta verò hæreticorum nullius sunt momenti. Primùm namque dicimus, non posse hominem se subtrahere à decreto Dei efficaci, non quia Deus suo decreto voluntatem humanam præueniendo, illi imponat necessitatem circa propriæ salutis assecutionem, sed quia eo modo decreuit hominem ad salutem perducere, quo scit, illum per suum liberum arbitrium cum adiutorio diuinæ gratiæ ad salutem esse peruenturum. Secundò dicimus, efficaciam diuinæ gratiæ non in eo sitam esse, vt non posset homo illius effectum, si vellet, frustrare, sed in eo esse positam, vt Deus eo modo suis auxilijs hominem præueniat, quomodo scit illum certò, & infallibiliter suum consensum præstiturum.

Ad secundum respondetur, Deum esse rogandum, vt velit saluos nos facere, quia Deo volenti hominem saluum facere nullum humanum resistit arbitrium, non quòd cùm de operando nostram salutem agitur, voluntatem nostram cogat, aut illi necessitatem inferat. absit. non enim dixisset Paulus, cum timore, & tremore vestram salutem operamini: sed quia habet infinitos modos hominem sic vocandi, vt vocatus infallibiliter Deo vocanti consentiat, sicut clarissimè docet Augustinus lib. 1. ad Simplician. q. 2. videantur quæ lib.4. dicta sunt cap. 23. & 24. illa enim sufficient tum ad cauillos hæreticorum soluendos, tum etiam ad certitudinem diuinæ prædestinationis cum arbitrij nostri libertate concilianda.

Aug.

Ad tertium respondetur, propositionem illam veram esse in sensu composito, non autem in sensu diuiso, sensus enim compositus est, non quando esse effectus diuinæ prædestinationis componitur cum auxiliis præuenientibus per diuinam prædestinationem nobis præparatis, vt quidam putant: sed quando componitur esse effectus diuinæ prædestinationis, cum non esse eiusdem effectus. vnde dicere, quòd prædestinatus in sensu composito non potest damnari, idem est, ac si dicamus, quòd tendens ad cœlum, quatenus tendit ad cœlum, non tendit ad infernum, cum quo tamen stat, quòd qui tendit ad cœlum, potest retrocedendo tendere ad infernum. & hoc est, quod Theologi dicunt, prædestinatum in sensu diuiso posse damnari. Videantur quæ lib.1. cap.31. de sensu diuiso, & composito dicta sunt. & lib.4. cap. vltimo de concordia diuinorum decretorum & prædestinationis cum nostro libero arbitrio. qui locus omnino videndus erit.

CAPVT XXXV.

Duo alij errores asserentium, per certitudinem diuinæ prædestinationis euerti humanam libertatem recensentur, & refelluntur.

PRæter errorem capite præcedenti refutatum duo alij extiterunt asserentium, euerti arbitrij nostri libertatem per certitudinem diuinæ prædestinationis, alter Iouiniani, qui, referente D. Hieronymo in 2. libro contra eundem Iouinianum, dixit, hominem semel iustificatum non amplius à diuina gratia excidere posse, ad quem errorem sequebatur necessariò, omnes homines semel iustificatos esse de numero prædestinatorum, & nullum prædestinatum semel iustificatum posse damnari, sed neque à gratia excidere etiam in sensu, quem vocamus diuisum. Alter Ioannis VVicleffi, qui eundem errorem Iouiniani ditando nouo errore addidit, omnes prædestinatos semper esse in Dei gratia, neque vllo modo ab ipsa gratia potuisse, aut posse excidere: & è contrario nullum reprobum vnquam assequi diuinam gratiam, sed semper extra illam manere. vnde & irridet illam distinctionem Theologorum de dilectione Dei secundùm præsentem iustitiam, & secundùm æternam prædestinationem. Ita de illo refert Andreas Vega lib.12. de Iustificat. ita etiam videtur colligi ex iis quæ

I. Iouinian. Hieron.

VVicleff.

Andr. Vega.

Th.Vuald. quæ ſcribit Thomas Vualdenſis lib. 2. doctrinalis fidei art.2. ſcilicet cap. 8. & ſequentibus, quanuis inter articulos VVicleffi damnatos in Concil. Conſtantienſi, ſeſſ. 8. nulla expreſſa fiat mentio iſtius erroris. Eundem errorem videtur ſecutus Ioan. Huſs. Ioannes Huſs, vt conſtat ex illius articulis damnatis ab eodem Concil. Conſtantienſi ſeſſ. 15. art. 1. 2. & 3. licèt art. 5. ille videatur admittere, præſcitum aliquando eſſe in Eccleſia ſecundùm præſentem iuſtitiam. Eundem errorem eidem Ioanni Huſs tribuit Alphonſ. Caſtrenſis contra hæreſes, in verbo, *Prædeſtinatio*, hæreſi 1. & nonnulli illum etiam tribuunt Caluino lib. 3. Inſtitut. capite 2. §. 11. & 12.

Alphon. Caſtrenſ. Caluin.

II. Vterque error (ſi tamen in re differunt, & non ſolùm verbis) ſuaderi poteſt ex teſtimonio D. Ioannis epiſtola 1. cap. 3. dicentis, Omnis, qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit, quoniam ſemen ipſius in eo manet, & non poteſt peccare, quia ex Deo natus eſt: & in hoc manifeſti ſunt filij Dei, & filij Diaboli. & cap. 5. *Omnis, qui natus eſt ex Deo, non peccat, ſed generatio Dei cuſtodit illum, & malignus non tangit eum.* Confirmari poteſt idem error autoritate Saluatoris apud Matthæum cap. 7. dicentis, *Non poteſt arbor bona fructus malos facere, neque arbor mala fructus bonos facere.* qua autoritate vtebatur etiam Manichæus ad alium ſimilem errorem aſtruendum.

Confirmari poteſt ſecundò autoritate eiuſdem Saluatoris apud Ioan. cap. 10. dicentis, *Oues mea vocem meam audiunt, & ego cognoſco eas, & ſequuntur me, & ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quiſquam de manu mea.* quo teſtimonio nonnunquam Lutherus vſus eſt ad probandum, quòd per diuinam prædeſtinationem imponatur prædeſtinato neceſſitas quoad aſſecutionem propriæ ſalutis.

III. Vterque error ſanctiſſimè damnatus fuit ab Eccleſia Catholica in Concilio Trident. ſeſſ. 6. de Iuſtificat. cap. 12. & 13. & can. 17. & 23. quia ad vtrũque errorem reuincendum habemus apertiſſima diuinarum Scripturarum teſtimonia. Primò nanque adſunt teſtimonia, ad probandum, prædeſtinatos poſſe à gratia Dei excidere. ita apertè D. Paulus epiſtola 1. ad Corinth. cap. 9. *Caſtigo*, inquit *corpus meum, & in ſeruitutem redigo, ne cùm aliis prædicauerim, ipſe reprobus efficiar.* ſiue nanque illa dictio *reprobus* idem ſignificet, quod improbus, ſiue id, quod communiter apud Theologos, & Patres, nihil refert, & eundem omnino reddit ſenſum, quem ex hoc loco intendimus. & in eadem epiſtola c. 10. *Verumtamen* (inquit) *qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat.* & in epiſtola ad Hebræos cap. 3. *Participes* (inquit) *Chriſti effecti ſumus, ſi tamen initium ſubſtantiæ eius vſque in finem firmum retineamus.* iſti enim modi dicendi neceſſariò ſupponunt, hominem conſtitutum in Dei gratia, etiam prædeſtinatum, poſſe à gratia Dei excidere. aliàs vanè hortaretur ad ſtandum illum, qui cadere non poſſet.

Conc. Trid.

IV. Secundò adſunt teſtimonia, ad probandum, nonnullos prædeſtinatos de facto à gratia Dei excidiſſe, & mortaliter peccauiſſe. Dauid nanque fuit de numero prædeſtinatorum, ſicut colligitur ex Actis Apoſtolorum cap. 13. in illis verbis, *Suſcitauit illis Dauid Regem, cui teſtimonium perhibens dixit: Inueni Dauid filium Ieſſe, virum ſecundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas.* & tamen conſtat, illum mortaliter peccaſſe peccatum adulterij, & homicidij lib. 2. Regum cap. 11. & 12. niſi quis obſtinatus adeò eſſe velit, vt neget illud adulterium, & homicidium à Dauide perpetratum, quia erat de numero prædeſtinatorum, peccatum fuiſſe, cuius nihilominus obſtinationem conuincere poterunt verba illa cap. 12. cit. *Quare ergo contempſiſti verbum Domini, vt faceres malum in conſpectu Domini,* & illa, *eo quòd deſpexeris me, & tuleris vxorem Vriæ Hethæi, vt eſſet vxor tua,* & illa, *Peccaui Domino,* & illa, *Dominus quoque tranſtulit peccatum tuum à te, non morieris.* quæ verba indicant, non ſolùm Dauidem peccaſſe talia admittendo, ſed illud fuiſſe peccatum, pro quo mortem mereretur. Adhuc Petrus fuit de numero prædeſtinatorum, & tamen peccauit peccatum trinæ abnegationis Chriſti, vt notum eſt omnibus. Apoſtoli etiam omnes, excepto Iuda, fuerunt de numero prædeſtinatorum, & nihilominus dictum eſt illis à Chriſto apud Matthæum cap. 6. *Omnes vos ſcandalum patiemini in me in iſta nocte.* Scandalum autem pati eſt cadere, & ruere, vt vel ipſa vocis ſignificatio denotat, D. Hieronymo aduertente. Paulus item, & Magdalena fuerunt de numero prædeſtinatorum. quis autem ambigere poteſt, Paulum, cùm blaſphemus, & Chriſti, atque eius Eccleſiæ perſecutor extitit, vt ipſemet fatetur epiſtola 1. ad Timoth. cap. 1. & Magdalenam, cùm eſſet in ciuitate peccatrix, in Dei gratia tunc non extitiſſe.

Hieron.

V. Tertiò adſunt teſtimonia diuinæ Scripturæ, ad probandum, reprobos nonnunquam Dei gratiam adeptos fuiſſe. Primò nanque conſtat, Saulẽ fuiſſe à Deo reprobatum, & Deum ab illo receſſiſſe vſque ad diem mortis illius. ita enim teſtatur diuina Scriptura Regum lib. 1. cap. 16. & cap. 28. & tamen conſtat ex eodem lib. 1. Regum cap. 9. Saulem aliquando fuiſſe Dei amicum, & in illius gratia conſtitutum, nempe cùm Deo iubente in Regem fuit electus, tunc enim vſqueadeo bonus fuit, vt non eſſet vir de filiis Iſraël melior illo: non eſt autem credibile tunc temporis nullum de filiis Iſraël in Dei gratia fuiſſe conſtitutum. Addamus in eodem lib. cap. 16. dici, Spiritum Domini receſſiſſe à Saule, & tunc cœpiſſe illum exagitare Spiritum nequam: receſſus autem Domini ſupponit illius acceſſum. Et ne quis reuocet in controuerſiam, vtrùm Saül fuerit à Deo reprobatus, legantur quæ de illius vitæ progreſſu, atque exitu ſcribuntur lib. 1. Paralipom. cap. 10. & ab Auguſtino lib. 1. ad Simplician. q. 2.

Auguſt.

Iudam quoque perditiſſimum Chriſti proditorem fuiſſe de numero reproborum, nulli dubium eſſe arbitramur: & tamen illum quandoque bonum, & Dei amicum, & in eius gratia conſtitutum, probatur ex Euangelio Ioan. cap. 17. vbi Chriſtus dixit Patri: *Quos dediſti mihi, cuſtodiui, & nemo ex eis periit, niſi filius perditionis.* non enim traditus fuiſſet illi à Patre, & non diceretur ſolus periiſſe, niſi fuiſſet priùs in amicitia Patris, & vitam gratię habuiſſet. Addere poſſumus exempla Angelorum Apoſtatarum, quos in Dei gratia conditos fuiſſe communiter affirmant omnes Theologi, & Patres. Et quidem Luciferum in Dei gratia conditum fuiſſe ſatis euidenter probari poteſt ex Ezechiele cap. 28. dicente, *Tu ſignaculum ſimilitudinis*, &c. & Iſaiæ 14. dicente, *Quomodo cecidiſti de cœlo Lucifer, qui mane oriebaris*, &c. quæ teſtimonia Doctores paſſim de Lucifero malorum Angelorum principe interpretantur. fateor tamen non eſſe argumentum vndequaque firmum ad hæreticos, qui Patrum interpretationes reiiciunt, conuincendos.

VI. Afferunt alij aliud exemplum in perſona Regis Salomonis, quem conſtat multo tempore in Dei gratia atque amicitia vixiſſe, & peculiaribus fauoribus Deum fuiſſe illum, & ipſius regnum proſecutum:

cutum: & nihilominus senio confectus, & per mulieres seductus à Dei gratia excidit, & male moriens reprobatus fuit. Sed scio de hac re non leuem esse controuersiam tum apud Patres, tum apud Scholasticos, num Salomõ ante obitum suorum peccatorum pœnitentiam egerit, & sancto fine huius vitæ cursum absoluerit, & sic tandem salutem sit adeptus, an impœnitens, & in suis iniquitatibus decedens fuerit ad pœnas inferni damnatus. Sunt enim, qui constanter affirment illum absque digna pœnitentia decessisse, & damnatum fuisse. ita Cyprian. epistola 7. Gregor. lib. 2. Moral. cap. 2. Prosper lib. 2. de Prædictionibus cap. 27. Theodoret. in epistolam ad Roman. circa illa verba cap. 11. *Sine pœnitentia sunt dona, & vocatio Dei.* Eucherius in 4. Regum cap. 23. circa illa verba. *Excelsa, quæ ædificauerat Salomon, pollut Rex.* & ibid. Rabanus. Beda in lib. Regum q. 29. & in Isaiam cap. 2. circa illa verba, *Idola conterentur.* Sozomenus in initio suæ historiæ in epistola ad Theodosium. Ado Viennens. in Chronica ætate quarta ad finem, Abulensis lib. 2. Regum cap. 7. q. 13. Andreas Vega lib. 12. de Iustificat. cap. 2. Benedictus Pererius in epistolam ad Roman. cap. 8. disp. 27. Cardin. Bellarmin. tom. 1. lib. 1. de Verbo Dei cap. 6. Ioan. Maldonatus Matth. 2. n. 8. & Aluarez disp. 42. de diuinis Auxiliis, quorum argumenta sunt.

Cyprian. Greg. Pagan. Prosper. Theodoret. Eucherius. Rabanus. Beda. Sozomenus. Ado Vien. Abulens. Andr. Vega. Pererius. Bellarm. Ioan. Maldonat. Aluarez

Primum, quia cùm peccata Salomonis describantur, & grauissimè reprehendantur, & exaggerentur in diuina Scriptura, nulla tamen fit mentio vel leuissima de illius pœnitentia. Secundum, quòd non aliter diuina Scriptura exprobret illius scelera, & præcipuè idololatriam, quàm aliorum Regum, quos non est dubium malo fine ex hac vita migrasse, & reprobos fuisse. Tertium, quia Deus illi comminatus fuerat Paralipom. lib. 1. cap. 28. quòd si dereliquisset Dominum, foret proiicẽdus in æternum. Quartum, quia multa sunt Scripturæ testimonia, quæ satis apertè videntur indicare, illum non pœnituisse, sed in malo perseuerasse, sicut illud 3. Regum cap. 11. *Non erat cor eius perfectum cum Domino Deo suo, sicut cor Dauid patris eius.* & illud ibid. *Fecit Salomon, quod non placuerat coram Domino, & non adimpleuit, vt sequeretur Dominum sicut Dauid pater eius.*

VII. Sunt alij Doctores, qui hanc rem dubiam relinquunt, vt Tertullianus lib. 2. contra Marcionem cap. 25. & lib. 3. cap. 20. licèt nanque videatur dicere. fuisse reprobatum, non loquitur ibi de reprobatione æterna; & Augustinus, qui quanuis variis in locis videatur dicere, Salomonem fuisse reprobatum, vt lib. 17. de Ciuit. cap. 8. & lib. 22. contra Faustum cap 81. & 88. tamen præfatio in Psal. 126. satis indicat, se non fuisse locutum de reprobatione æterna, sed de ea, quæ est secundùm præsentem iustitiam. Cùm enim dixisset, quòd Salomon reprobatus est à Deo, statim subiecit, se non loqui de reprobatione æterna, sed temporali, quam meretur quodlibet peccatum mortale. Eodem modo de Salomone sensisse videntur Basilius in epistola ad Chilonem, Cyrillus lib. 7. contra Iulianum, Gregorius Nissenus homil. 2. 3. & 4. in lib. Eccles. Rupertus Abbas lib. 3. de Trinitate, & eius operibus cap. 32. & lib. 5. cap. 2. Isidorus lib de vita & morte Sanctorum, qui Deo placuerunt, Bernard. lib. 2. de consideratione ad Eugenium cap. 12. Hugo noster de S. Victore homil. 5. in Eccles. Gerson part. 4. alphabeto 69. litera q. D. Antonin. 1. part. summæ historialis titulo 3. cap. 2. ad finem, & Iosephus Hebræ. lib. 8. Antiquitatis cap. 2.

Tertul. Augustin. Basilius. Cyrillus. Greg. Niss. Rupert. Isidor. Bernard. Hugo Victor. Gerson. Antonin. Ioseph. Iudæ.

VIII. Sunt tandem, qui Salomonem velint ante mortem pœnitentiam egisse, & ob id lib. Ecclesiasten scripsisse, qui ab Hebræis vocatur Salomonis pœnitentia, & in numero prædestinatorum constituunt. ita sentiunt Hieronymus in 1. cap. Ecclesiastici, & in cap. 12. Danielis, & lib. 2. contra Iouinianum, & in epistola 9. ad Saluinam, & in Ezechiel. cap. 43. & in cap. 2. & 7. eiusdem Ecclesiastæ, vbi probat communem sententiam Hebræorum dicentium, Salomonem sub finem vitæ pœnitentiam egisse, & ob id librum Ecclesiastæ conscriptum ab illo fuisse. Idem sensit Ambrosius apologia 1. pro Dauide cap. 3. & apolog. 2. cap. 3. & in Psalm. 118. circa illa verba, *In quo corrigit adolescentior viam suam.* & in proœmio in Lucam, Hilarius in Psal. 42. Epiphanius hæresi 42. Cyrillus Hierosolymitanus catechesi 2. Irenæus lib. 4. contra hæreses cap. 45. D. Thom. lib. 3. de Regimine Principum cap. 8. D. Bonauẽtura in proœmium Ecclesiastæ, & alij innumeri, quos refert, & sequitur Ioannes Pineda lib. 8. de Rebus Salomonis c. 1. sect. 5. & 6. vbi non solùm autoritate Doctorum tum Christianorum, tum Hebræorum, sed validissimis coniecturis hanc sententiam ad longum probat, ad quem nunc remitto.

Hieron. Ambrosius. Hilarius. Epiphan. Cyril. Hierosol. Irenæus. D. Thom. Bonau. Ioan. Pineda.

Nam siue hæc sententia vera sit, & Salomon verè sit de numero prædestinatorum, siue sit vera opinio contraria, nihil refert ad causam, quam modò cum hæreticis cõtrou ertimus: quia ex vtraque sententia necessariò ostenditur falsitas sententiæ hæreticorum, si nanque dicamus, Salomonem fuisse de numero prædestinatorum, cùm ex diuina Scriptura constet, illum aliquando idola coluisse, & mulieribus alienis adhæsisse, & turpissimis libidinibus fœdatum, conuincuntur hæretici, dicentes, prædestinatum semper esse in Dei gratia, & nunquam ab illa excidere. Si autem dicamus, Salomonem fuisse à Deo reprobatum, cùm constet ex diuina Scriptura, illum fuisse Deo dilectum, & ingentissimis donis, & fauoribus aliquando cumulatum, eodem modo conuincuntur hæretici, dicentes, reprobum nunquam esse membrum Ecclesiæ, & in Dei gratia constitutum. Contra hos errores disputat ex professo Andreas Vega dicto lib. 12. de Iustificat. per multa capita, nimirum à principio libri vsque ad caput 9.

Andr. Vega.

IX. Ad motiuum, cui isti hæretici nitebantur, scilicet ad illam autoritatem D. Ioannis dicentis, eum, qui natus est ex Deo, non peccare, & in hoc manifestos fieri filios Dei, & filios Diaboli, duplex est modus respondendi. Primus D. Hieronym. lib. 2. contra Iouinianum in principio, & Dialogo 1. contra Pelagianos in principio, & D. Augustini tract. 5. in illam epistolam D. Ioannis, quem indicat etiam in lib. de Natura & gratia cap. 14. vbi dicit, se hoc D. Ioannis testimonium copiosiùs explicauisse in libris de hac re conscriptis ad Marcellinum. Sequuntur Didymus relatus in Glossa circa epistolam primam D. Ioannis cap. 5. ad illa verba, *Scimus, quia omnis, qui natus est ex Deo, non peccat.* Glossa interlinearis, & Lyranus ibid. & circa caput 3. eiusdẽ epistolæ. Is autem est, verba illa D. Ioãnis intelligenda esse secundùm sensum, quem Theologi vocant compositum, non secundùm sensum diuisum, vt sensus sit, eum, qui natus est ex Deo per gratiam, quandiu semen diuinæ gratiæ manet in illo, & quatenus est filius Dei, & natus ex Deo, non peccare, qui enim peccat, non peccat, quatenus est filius Dei, neque quatenus habet semen diuinæ gratiæ regenerantis illum, sed quatenus est filius Adæ, & recipit in seipso semen Diaboli: & quando peccat, desinit esse filius Dei per gratiam regenerantem,

Hieronym. Augustin. Didymus. Glossa. Lyranus.

tantem, & amittit ſemen Dei, quod habebat in ſe, & ſit filius Diaboli. Non autem vt ſit ſenſus, eum, qui ſemel adeptus eſt gratiam iuſtificantem, & per illam effectus eſt filius Dei, non poſſe ampliùs peccare, aut quòd prædeſtinatus ad vitam, quandiu eſt in curſu huius viæ, non poſſit labi, & peccare. Et quòd hæc verba non ſint intelligenda in ſenſu diuiſo, quem in illis hæretici prætendùt, probant euidentiſſimè Hieronymus, & Auguſtinus ex aliis verbis eiuſdem capitis primi illius epiſtolæ, ait enim Ioannes: *Si dixerimus, quoniam non peccatum habemus, mendacem facimus eum, & verbum eius non eſt in nobis.* & ne quis argumentum ſubterfugere velit, dicendo, aliud eſſe, eum, qui eſt in gratia, priùs peccatum admiſiſſe, aliud eſſe, eum, qui ſemel iuſtificatus eſt, iterum peccare poſſe, audiamus verba antecedentia, *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. Si confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt, & iuſtus, vt remittat nobis peccata noſtra, & emundet nos ab omni iniquitate.* quomodo igitur mendacem facimus Deum, quomodo nos ipſos ſeducimus, dicentes, quòd peccatum non habemus, ſi omnis qui natus eſt ex Deo, nec peccat, nec peccare poteſt? An D. Ioannes ex Deo natus non erat, an non habebat ſemen Dei in ſe, quando ſcribebat, *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus*, & quando nos hortabatur, vt peccata noſtra confiteamur coram Deo, vt emundet nos ab omni iniquitate? Addamus, ſi ille eſſet verus ac legitimus ſenſus ab Apoſtolo in illis verbis intentus, vt qui ſemel ex Deo per Dei gratiam natus ſit, ampliùs peccare non poſſit, vt quid cap. 2. ait. *Filioli mei hæc ſcribo vobis, vt non peccetis, ſed etſi quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem Ieſum Chriſtum iuſtum.* & infrà: *Vos quod audiſtis ab initio, in vobis permaneat.* & infrà: *Et vos vnctionem quam accepiſtis ab eo, maneat in vobis.* & iterum: *Et nunc filioli manete in eo, vt cùm apparuerit, habeamus fiduciam, & non confundamur ab eo in aduentu eius.* quorſum nos ad non peccandum hortatus eſſet, & ad retinendum in nobis diuinum verbum, & vnctionem ſancti Spiritus, quam accepimus, & ad manendum in illo, vt in aduentu illius fiduciam habeamus, & non confundamur? ſi ſemel iuſtificatus ampliùs peccare non poteſt, ſi non poteſt verbum Dei, & ſemen diuinum, & vnctionem ſancti Spiritus amittere, ſi non poteſt in Deo ſemper manere.

X. Rurſus quòd hæc, & alia ſimilia verba in ſenſu compoſito neceſſariò ſint intelligenda, oſtenditur ex eodem textu. cùm enim ait: *Omnis qui natus eſt ex Deo, non peccat*, ſtatim rationem ſubiungit, *quoniam ſemen ipſius in eo manet, & non poteſt peccare, quoniam ex Deo natus eſt.* quid quæſo aliud his verbis voluit innuere, niſi eum, qui natus eſt ex Deo, non peccare, & non poſſe peccare, quandiu, & quatenus natus eſt ex Deo, & ſemen regenerationis diuinæ manet in illo? Et ne videatur violenta, aut voluntaria expoſitio, & ratiocinatio, oſtendamus, illam veram eſſe ex duobus locis Euangelij ſimilem ſententiam continentibus, quos conſtat non aliter, quàm in ſenſu compoſito verificari poſſe. Primus locus eſt apud D. Matthæum cap. 6. vbi ait Saluator: *Nemo poteſt duobus dominis ſeruire. non poteſtis Deo ſeruire, & mammonæ.* ſanè iſta verba in ſenſu diuiſo falſa ſunt, quid enim prohibet, vnum poſſe duobus dominis etiam inimicis ſucceſſiuè deſeruire? ſunt igitur intelligenda in ſenſu compoſito, quòd quemadmodum nemo ſimul poteſt duobus dominis inimicis inter ſe deſeruire: ita nemo poteſt ſimul Deo ſeruire, & mammonæ. idem autem eſt dicere, hominem non poſſe ſimul Deo ſeruire, & mammonæ, & dicere, omnis, qui natus eſt ex Deo, non poteſt peccare, quoniam ſemen eius in eo manet, & quoniam ex Deo natus eſt. Secundus locus eſt apud Matth. cap. 7. vbi ait, non poſſe arborem malam fructus bonos facere, neque arborem bonam fructus malos facere, quod non poſſe verificari in ſenſu diuiſo, vt arbor bona non poſſit fieri mala, & vt talis fructus facere malos, aut arbor mala non poſſit fieri bona, & fructus bonos facere, colligitur ex eodem textu, ait enim infrà cap. 12. in eadem metaphora perſiſtens, *Aut facite arborem bonam, & fructum eius bonum, aut facite arborem malam, & fructum eius malum: ſiquidem ex fructu arbor agnoſcitur.* & vt omnem dubietatem tolleret circa ſenſum eiuſdem metaphoræ, & illius applicationem, ſtatim ſubiunxit, *progenies viperarum quomodo poteſtis bona loqui, cùm ſitis mali.* ecce tibi poteſt homo arborem bonam malam facere per ſolum liberum arbitrium, & fructum illius ſimiliter malum facere, & poteſt arborem malam bonam facere per Dei gratiam, & liberum arbitrium, & illius fructum bonum: at quandiu malus eſt, bona loqui, & bona facere non poteſt, & è contrario quandiu malus eſt, bona facere nequit. bona enim, & mala arbor non eſt natura, vt Manichæus arbitrabatur, omnis enim natura de ſe bona eſt, ſed voluntas bona vel mala, vt benè Auguſtinus exponit in Enchirid. cap. 15. vbi hunc locum D. Matthæi, & hanc eandem metaphoram applicat ad hanc eandem veritatem confirmandam, & lib. 1. de Gratia Chriſti contra Pelagium, & Cœleſtium cap. 18. & 19. & lib. 2. de Nuptiis, & concupiſcentia cap. 26. atque iſte videtur eſſe verus ſenſus & peruius illorum verborum D. Ioannis. Auguſtin.

XI. Verùm contra hunc primum modum exponendi illud teſtimonium obiici poſſunt illa verba, quæ idem Ioannes habet in dicta epiſtola cap. 2. *Ex nobis exierunt, ſed non erant ex nobis: nam ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent vtique nobiſcum.* ſed facilis eſt reſponſio, loquebatur D. Ioannes de quibuſdam Pſeudo-apoſtolis, qui fictè, aut turpis lucri cauſa ad veros Apoſtolos, & ad veram Eccleſiã acceſſerant, & poſtea ab illa diuiſi errores diſſeminabant; hos dicit, non fuiſſe veros, ſed fictos Chriſtianos: quia ſi ex fide ad Eccleſiam acceſſiſſent, manſiſſent vtique cum illa, ſed ideo facilè exierunt, quia fictè, & per ſimulationem intrauerant in Eccleſiam. Et eſt modus frequens, quo dicere ſolemus, amicum verum diu nobiſcum permanere, amicum autem fictum, & lucri cupidum citò recedere, quia non verus, ſed fictus erat amicus. & vt colligitur ex Auguſtino in tract. 3. ſuper eandem epiſtolam, mens D. Ioannis erat docere, ideo illos ab Eccleſia receſſiſſe palàm, &, vt ſic dicam, corpore, quia priùs receſſerunt mente, & animo. Auguſt.

Vel ſecundò dici poteſt duobus modis aliquem eſſe in Eccleſia iuſtorum, vno modo ſecundùm præſentem iuſtitiam: alio modo ſecundùm prædeſtinationem æternam. Non negat Apoſtolus, eum, qui eſt in Eccleſia ſecundùm præſentem iuſtitiam, poſſe ab illa exire ſecundùm præſentem iniuſtitiam, hoc enim manifeſtè ſupponit, nam qui exit, ingreſſus fuerat, & qui non manet in aliquo ſtatu, fuit aliquando in illo ſtatu: ſed negat, apoſtatas, qui finaliter ab Eccleſia recedunt, fuiſſe ab æterno per diuinam prædeſtinationem computatos in numero electorum: qui enim eſt de numero electorum ſecundùm æternam prædeſtinationem, manet finaliter in Eccleſia iuſtorum, & non recedit.

Secundus

XII. Glossa. Bern. Secundus autem modus exponendi istud testimonium est, quem innuit Glossa ordinaria in illa verba eiusdem epistolæ cap. 5. *Scimus, quoniam omnis, qui natus est ex Deo, non peccat.* & D. Bern. serm. 1. de Septuagesima, videlicet, quòd qui natus est ex Deo per æternam prædestinationem, non peccat finaliter, aut non peccat perseueranter, aut non permanet in peccato, sed si peccat, per pœnitentiam reuertitur ad Deum.

Hieronym. Ad confirmationes verò eiusdem argumenti eodem modo dicendum est cum D. Hieronymo in c. 7. Matthæi cum Augustino locis proximè citatis, cum Glossa ordinaria, & interlineari ad eũdem locum D. Matthæi, per arborem bonam aut malam intelligendam esse voluntatem nostram, non naturam, aut prædestinatum, & reprobatum, & non dixisse Saluatorem nostrum, arborem bonam non posse malam fieri, aut è contrario; sed solùm non posse arborem bonam, quandiu bona est, & quatenus bona, facere malos fructus, neque è contra, & eodem modo non posse, qui oues sunt Christi, quandiu illius sunt oues, vocem Christi non audire, & illum non sequi, & sequendo perire, hæc enim repugnant: cum hoc tamen fieri posse, vt qui modò oues sunt Christi, ab illo recedentes fiant oues Diaboli, aut etiam lupi. Illud verò, quod subiungitur, *& nemo rapiet eas de manu mea*, nihil officit: Verissimum est enim, eum, qui in gratia Dei semel est constitutus, per nullam vim creatam posse à charitate Dei separari, vt Apostolus ait in epistola ad Roman. cap. 8. & cum hoc stat, illum propria voluntate posse à Deo, lethalem culpam committendo, separari, ita exigente illius libertate.

CAPVT XXXVI.

Nullum viatorem absque speciali Dei reuelatione certò scire posse, se esse de numero Prædestinatorum.

1. POstremum dubium circa hanc controuersiam, & totam hanc tractationem de diuina prædestinatione est, an homo secluſa diuina reuelatione possit esse certus de sua prædestinatione. & loquimur de reuelatione speciali facta alicui particulari personæ, ex qua certò possit cuique de sua prædestinatione certò constare. De hac re est inter Catholicos, & hæreticos horum temporum non leuis concertatio. & vt eam breuiter dirimamus, præmittendum est, tribus modis intelligi posse, aliquem esse certum de sua prædestinatione. primò per certitudinem fidei Catholicæ, cui falsum subesse non possit, quo pacto Catholicus est certus de articulis fidei. Secundò per certitudinem moralem, quæ excludat omnem formidinem de opposito, cui tamen falsum subesse possit, quo pacto certi sumus de intentione ministri conferẽtis sacramentum in forma Ecclesiæ, quando audimus illum proferentem formam Sacramenti iuxta ritũ Ecclesiæ, & eodem modo sumus certi de veritate Sacramenti. Tertiò per certitudinem moralẽ, quæ non omnem prorsus formidinem excludat. & de certitudine hoc triplici modo accepta distinctè est agendum, & videndum an homo absque speciali reuelatione possit certus esse de sua prædestinatione.

II. Iouinian. Circa hoc dubium fuit error Iouiniani asserentis, hominem semel baptizatum ampliùs à gratia excidere non posse. Iste hæreticus consequẽter debuit affirmare, hominem semel baptizatum certũ esse posse de sua prædestinatione saltem ea certitudine, qua certus est de veritate Sacramenti Baptismatis suscepti. Vtrùm autem Ioan. VVicleff, & Ioannes Huss hunc etiam Iouiniani errorem cõplexi fuerint, mihi non constat. Constat autem, eundem errorem libentissimè excepisse, & docuisse Caluinum lib. 3. Instit. c. 2. §. 16. & in Antidoto Concilij Tridentini ad canon. 14. docendo, verè fidelem non esse, qui non certò credit absque hæsitatione, se esse de numero prædestinatorum. Eũdem errorem docuit Lutherus non quidem apertè, sed duos alios errores docendo, ad quos iste necessariò sequitur. docuit nanque primò quòd omnis fidelis certò credere debet, se consecutum fuisse remissionem peccatorum. Secundò quòd fidelis non potest, etiamsi velit, amittere suam iustitiam, nisi per infidelitatem. Ex his sequitur tertiò fidelem posse certò scire, se esse assecuturum vitã æternam. Ita illi tribuit Alphonsus à Castro lib. contra hæreses in verbo *Prædestinatio*, hæresi 2. & post Lutherum eundem errorem docuit Martinus Bucerus in lib. concordiæ in articulo de Iustificatione, & certitudine gratiæ, & in Colloquio Ratisbonensi, Martinus Kemnitius in Concil. Tridentinum cap. 12. & Petrus Martyr in Commentariis ad cap. 8. epistolæ ad Roman.

Caluin. Luther. Alphons. à Caste. Bucerus. Kemnitius. Petr. Mart.

III. Conc. Trid. Contra hunc errorem sanctissimè definiuit Concil. Tridentinum sess. 6. de Iustificatione c. 12. quòd nemo, quandiu in hac mortalitate viuitur, de arcano diuinæ prædestinationis mysterio vsqueadeo præsumere debet, vt certò statuat, se esse in numero Prædestinatorum, quasi verum esset, quòd iustificatus, aut ampliùs peccare non possit, aut si peccauerit, certam sibi resipiscentiam promittere debeat: nam nisi ex speciali reuelatione sciri nõ potest, quos Deus sibi elegerit, & can. 15. quòd *Si quis dixerit, hominem renatum, & iustificatum teneri ex fide ad credendum se certò esse de numero prædestinatorum, anathema sit.* & can. 16. *Si quis magnũ illud vsque in finem perseuerantiæ donum se certò habiturum absoluta & infallibili certitudine dixerit, nisi hoc speciali reuelatione didicerit, anathema sit.* & huius definitionis ratio demonstratiua est, quia nullus potest sine speciali reuelatione scire, se adeptũ fuisse gratiam iustificationis, & perseueraturum in Dei gratia vsque in finem, at sine hac certitudine nullus potest esse certus de sua prædestinatione. Et quidem quòd nullus sine speciali reuelatione possit esse certus, se esse in gratia constitutum, quanuis id obstinatè affirment horum tẽporum hæretici, probatur illo apertissimo testimonio Sapientis in lib. Ecclesiastæ cap. 9. dicentis *Sunt iusti atque sapientes, & opera eorum in manu Dei: & tamen nescit homo vtrum amore, an odio dignus sit, sed omnia in futurum seruantur incerta.* quo testimonio ad hoc propositum vtuntur D. Hieronymus in illum locum Ecclesiastæ, & D. Bern. ser. 1. de Septuagesima, & Theologi communiter. Neque hic locus à Papistis est deprauatus ad stabiliendum dogma de gratiæ incertitudine, vt iniustè Bucerus queritur. nã licèt verba illa Hebr. cõtextus גַּם־אַהֲבָה גַּם־שִׂנְאָה אֵין יוֹדֵעַ הָאָדָם הַכֹּל לְפָנֵיהֶם reddendo verbum verbo faciant hunc sensum, *& amorem, & odium non cognoscit homo, omnia ante faciem eorum*, prout etiam vertere videntur Septuaginta, nihilominus editio nostra vulgata ita legit, *nescit homo, vtrũ amore, an odio dignus sit*, quę vel sola sua antiquitate Buceranis querelis satisfacere potest. Deinde admissa etiã lectione Hebraici textus

hæc verba ponderatis antecedentibus, & ſequentibus eundem ſenſum reddunt, quòd neſcit homo dilectionem, & odium, quo Deus illum odio habet, vel diligit. Et quòd loquatur de amore, aut odio, quo Deus hominem diligit, vel odio habet, oſtendunt verba antecedentia, quæ iuxta veritatẽ textus Hebraici ſunt: *Et quidem omnia iſta poſui in corde meo, vt diſcernerem totum iſtud, quòd iuſti, & ſapientes, & ſerui eorum in manu Dei ſunt, & nec amorẽ, nec odium cognoſcit homo.* ineptè nanque iſtæ clauſulæ adinuicem ſubnecterentur, niſi de diuino amore, aut odio loqueretur. Oſtendunt etiam verba ſequentia, *eo quòd vniuerſa æquè eueniant iuſto, & impio, bono & malo, mundo & immundo.* cui lectioni cõformis in ſenſu, & ferè in verbis ipſis eſt lectio Septuaginta Interpretum. Iſta autem verba cùm reddant rationem antecedentium, cur neſciat homo, vtrùm amore, an odio dignus ſit, nimirũ quia omnia in hoc mundo æquè videantur euenire iuſto & iniuſto, eueniántque omnia ex diuina diſpoſitione, in manu enim Dei ſunt omnes homines, & omnia opera eorum, indicant neceſſariò, Salomonem ibi loqui de amore, & odio, quo Deus homines proſequitur, adeò vt iſta videatur eſſe vera & legitima huius loci interpretatio; cùm omnes homines, & omnia illorum opera ſint in manu Dei, & Dei prouidentia regantur, non poteſt homo ſcire, an amore, an odio dignus ſit; quia omnia in hac vita æqualiter eueniunt tam iuſto, quàm iniuſto.

Rabbi Salomon. Addo quòd Rabbi Salomon peritiſſimus Hebræorum, licèt prauè hunc locum ob aliam cauſam exponat, quam hic non opus eſt recenſere, fatetur tamen, textum loqui de amore, & odio, quo Deus hominem diligit, vel odio habet.

IV. Scio non ſolùm hæreticos, ſed etiam Ambroſiũ Catharinum, alioqui doctum, & Catholicum, variis modis niti hoc teſtimonium eludere. Sed omnes illius reſponſiones facilè tolluntur, ſuppoſitis duobus. Primò, Salomonẽ ibi, cùm ait, neſcire hominem, vtrùm amore, an odio dignus ſit, non de quouis homine impio, & carnali, ſed de homine iuſto loqui, & docere, illum neſcire, an Dei amorẽ, an odium mereatur, quod vel ipſa verba antecedentia monſtrant, cùm ait, *ſunt iuſti, atque ſapientes, & opera eorum in manu Dei, & tamen neſcit homo vtrùm amore, an odio dignus ſit.* Et ratio, quam reddit, dum ait, ideo hoc neſciri poſſe, quia omnia æquè eueniunt iuſto, & iniuſto. Si enim loqueretur de homine impio, & carnali, quis neſciret, illum eſſe Deo inimicum, aut ſaltem, quis impius, & infidelis dicet, ſe Dei amicum. Secundò ſupponendo, notitiam iſtius amoris, & odij non in præſenti vita haberi, ſed in futurum reſeruari, quod idem textus apertè dicit. His duob. ſuppoſitis corruũt omnia, quæ contra hoc teſtimonium obiiciuntur ab aduerſariis, quæ qui fuſiùs videre cupit, legat Cardi-

Bellarm. nal. Bellarminum lib. 3. de Iuſtificatione cap. 4. vbi eandem veritatem firmat pluribus aliis diuinis Scripturæ teſtimoniis.

V. Quòd autem nullus abſque ſpeciali reuelatione poſſit eſſe certus, ſe in bono perſeueraturum vſque in finem, docent apertè diuina eloquia, Prouerbior. cap. 27. dicente Salomone: *Ne glorieris in craſtinum, ignorans quid ſuperuentura pariat dies.* & capite 28. *Beatus homo, qui ſemper eſt pauidus.* & D. Paulo ad Roman. capite 11. *Tu autem fide ſtas, noli altum ſapere, ſed time, ne forte & tibi non parcat.* & 1. ad Corinth. capite 10. *Itaque qui ſe exiſtimat ſtare, videat, ne cadat.* & ad Philippenſes ſecundo. *Cum timore & tremore veſtram ſalutem operamini.* & ad Hebræos capite 4. *Feſtinemus ergo ingredi in illam requiem, ne in id ipſum quis incidat incredulitatis exemplum.* & D. Ioannes in epiſtola 2. *Videte voſmet ipſos, ne perdatis, quæ operati eſtis, ſed vt mercedem plenam accipiatis,* & Apoc. 3. *Tene, quod habes, vt nemo accipiat coronã tuam.* Ad quę teſtimonia non ſufficit dicere, illa eſſe prolata ad incutiendum timorem, & excutiendum torporem, & negligentiam circa ea, quæ ſpectant ad noſtram ſalutem. Nam vel hæc ſunt dicta infidelibus, & illis nullum timorem incutere poſſunt, qui eis nullam fidem adhibent: vel ſunt dicta fidelibus, & illis ſimiliter nullum timorem incutere poſſunt, qui ex ſententia hæreticorum in tantum timere non debent, vt ex fide omnem timorem excutere teneantur, & eo ipſo, quòd dicunt hæretici, illa verba dicta eſſe ad timorem incutiendum, concedunt, velint, nolint, ex diuina Scriptura, quæ talem timorem incutit, non poſſe hominem eſſe certum de ſua perſeuerantia: timor enim non eſt, niſi mali imminentis, quod tamen aliquo modo vitari poteſt. Si enim malum ſit, ſed non imminens, illud non timetur, & ideo beatus pœnas inferni non timet: ſi autem malum ſit imminens, ſed ineuitabile, timorem non parit, ſed deſperationem. Vt ergo comminationes, & adhortationes illæ diuinarum Scripturarum in nobis aliquem timorem gignere valeant, neceſſe eſt imminere aliquod malum negligentibus propriæ ſaluti cooperari: hoc autem Scripturæ docent, eſſe malum amiſſionis diuinæ gratiæ, & æternæ gloriæ. aut igitur fateantur hæretici, per illas diuinæ Scripturæ locutiones nullũ timorem incuti poſſe fidelibus, ſed ioci gratia eas eſſe à Spiritu ſancto prolatas, aut dicant, imminere homini circa propriam ſalutem minus diligenti periculum excidendi à gratia, & à gloria.

Auguſt. His addere poſſumus aperta D. Auguſtini teſtimonia, quibus tam manifeſtè docet, nullum de lege ordinaria certum eſſe poſſe de ſua vſque in finem perſeuerantia, vt neque hæretici illa negent, licèt prauè interpretari nitantur. ita enim docet in lib. 11. de Ciuitate capite 12. & lib. de bono perſeueran. in principio, & capite 13. & capite 22. & lib. de Corrept. & gratia cap. 13. & in epiſtola 121. ad Probam, & in lib. ad Articulos ſibi falsò impoſitos ad 13. ſi ille eſt liber Auguſtini. Neque Auguſtinus ſolùm loquitur de certitudine, quæ habetur per vires, ſiue per lumen naturæ, loquitur enim de homine fideli, & de notitia, quæ per fidem habetur. nam ſi loqueretur de ſola notitia & certitudine habita per vires naturæ, per illam non ſolùm non poſſet homo ſcire, ſe perſeueraturum in gratia, ſed neque quid ſit perſeuerantia, neque quid ſit gratia, neque quid ſit præmium æternæ gloriæ. vnde cùm dicat, ſanctos quidem eſſe certos de præmio ſuæ ipſorum perſeuerantiæ, non tamen de ſua ipſorum perſeuerantia, niſi dicere velimus, illum quatuor in verbis æquiuocationem manifeſtam commiſiſſe, neceſſe eſt dicere, locutum fuiſſe de certitudine per fidem, qua certus eſt de præmio æternæ beatitudinis, & illius mentem fuiſſe, hominem non poſſe ex fide certò ſcire ſe perſeueraturum in Dei gratia vſque in finem, & accepturum præmium.

VI. Quòd demũ nemo poſſit eſſe certus de ſua prędeſtinatione, prętęr quod deducitur ex duab. antecedẽtib. præmiſſis, probant Theologi euidẽtiſſimis rationibus. Primò nanque ſecretũ diuinę prędeſtinationis ab Apoſtolo vocatur inſcrutabile ad Roman. c. 11. illúdque nulla alia ratione, aut via eſt ab

intellectu

intellectu noſtro perueſtigabile, niſi ex diuina reuelatione,& ex ipſius prædeſtinationis effectibus, quos in nobis ponit, vt ſuprà ex ſententia D. Auguſtini,& D.Thomæ oſtendimus. At vbi reuelauit Deus in Scripturis ſanctis,quòd iſti ſint de prędeſtinatorum numero,illi de ſorte reproborum?quis eſt effectus viſibilis, quo perduci poſſimus ad certam notitiam abditiſſimi huius ſecreti? Dicetur reuelatum eſſe, omnes, qui credunt,fore ſaluandos. At ſi hoc reuelatum eſt, quorſum dixit, & prophetico ſpiritu prædixit Paulus 1. ad Timoth. 4.*In nouiſſimis diebus quoſdam receſſuros à fide.* quorſum in fine illius epiſtolæ dicit, quoſdam à fide excidiſſe? quod etiam dixerat cap. 1. quorſum in epiſtola ad Hebræos cap.3.inquit, nos participes Chriſti effectos eſſe, ſi tamen initium ſubſtantiæ eius vſque in finem firmum retineamus?Dicetur, illos,qui à fide exciderunt,nunquam veram fidem habuiſſe.Sed licèt hoc ſit falſum,demus illud Caluino, quoniam ex eodem aſſerto concluditur eadem veritas. Si nanque illi veram fidem non habebant, eſto illam viderentur habere, vnde ſcire poterit homo,ſe veram fidem habere?recurrit ergo idem argumentum, & vel ex ipſis Caluinianis reſponſionibus, & refugiis illius error refutatur.

Deinde concedunt ipſi hæretici, quòd ſi noſtra ſalus ex noſtris operibus pendet, nullus de ſua ſalute certus eſſe poteſt, & meritò quidem, quia nullus certò ſcire poteſt,ſe diuina mandata, vt oportet ſeruaſſe, & præcepta diuinæ legis adimpleuiſſe, cùm Dominus apud Lucam cap. 17.nos admoneat, poſt vniuerſæ legis obſeruantiam dicere,quòd ſerui inutiles ſumus: at hominis ſalutem ex operibus in gratia fundatis pendere, oſtẽdimus ſuprà cap.21. 22. & 23. & oſtenditur teſtimonio Scripturæ vocantis æternam gloriam mercedem,Matth.cap.20. *Voca operarios, & redde illis mercedem.*& coronam iuſtitiæ ſecunda ad Timoth. cap.2.*Non coronabitur, niſi qui legitimè certauerit.* & cap.4.*In reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iuſtus iudex.*& alia id genus plurima ſunt teſtimonia, quæ ſuperfluum eſt hîc coaceruare.

VII. Confirmantur hæc omnia autoritate ſanctorum Patrum,nimirum Gregorij Papæ lib.39. Moral.cap.32. circa illa verba: *Nunquid noſti ordinem cæli.*& Hieronymi lib.2.contra Pelagianos,Chryſoſt. homil.11. in epiſtolam ad Philippenſ. Auguſtini locis ſuprà in hoc capite citatis,Bernardi ſermo.1.de Septuageſima,& D.Proſperi lib.2.de vocatione gentium ad finem, quorum teſtimonia videri poſſunt tum apud ipſos, tum apud eruditos Theologos,Andream Vegam lib. 11. de Iuſtificat. cap.9. & Alphonſum Caſtrenſem contra hæreſes in verbo *Prædeſtinatio*,hæreſi 2. & Cardin. Bellarmin.lib.3. de Iuſtificat. cap. 12. vbi etiam cap. ſequenti obiectiones hæreticorum ſolidè, vt eius moris eſt, retundit, ac diſſoluit, quas hîc omittimus ſoluere,tum quia apud ipſum earum habetur ſolutio,tum quia ſupponunt, hominem ſcire poſſe, ſe ex fide Deum orare, ſicut oportet, & ſicut Chriſtus præcipit,cùm ait,*Quidquid orantes petitis, credite,quia accipietis, & fiet vobis.* & ſicut Iacobus ait in ſua epiſtola canonica, *Poſtulet autem in fide nihil hæſitans.* quod abſolutè negandum eſt: qui enim ſic orat,eſt in Dei gratia conſtitutus, & non orat,niſi petendo,quod bonum eſt,& expedit eius ſaluti. quis autem ſcire poteſt, ſe ex fide Deum orare.

Greg.Papa. Hieron. Chryſoſt. Auguſtin. Peretius. Alphonſ. Caſtren. Bellarm.

Supponunt etiam,hominem ſcire poſſe,ſe accepiſſe pignus hæreditatis æternæ,quod eſt fides per dilectionem operans, & accepto hoc pignore ſe ſcire poſſe,non eſſe illud amiſſurum, quæ ſunt illorum falſæ imaginationes, & commenta gratis excogitata ad contradicendum omnino reiicienda.

Eodem modo reiicienda eſt ſententia cuiuſdã Doctoris alioqui Catholici, cuius meminit Andreas Vega dicto lib.12.c.1.aſſerentis,hominẽ propter teſtimonium bonæ conſcientiæ, & bonorum operum abſque ſpeciali reuelatione certum eſſe poſſe de ſua ſalute, & hoc modo Paulum abſque aliqua reuelatione aſſeruiſſe, ſibi repoſitam eſſe coronam iuſtitiæ. primò nanque ſciri non poteſt ex teſtimonio bonæ cõſcientiæ, & bonorum operum certitudine fidei,cui falſum ſubeſſe nõ poſſit, hominem conſtitutum eſſe in Dei amicitia; & deinde eſto hoc ſciri poſſet,non poteſt vlteriùs ſciri, hominem ſic in gratia conſtitutum ab ipſa gratia excidere non poſſe,& D.Paulus,qui aliquando dixit,*repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ*,dixit etiam,*Caſtigo corpus meum,& in ſeruitutem redigo,ne cùm aliis prædicauerim,ipſe reprobus efficiar.* quare verba illa, *Repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ*, debent intelligi cum adiuncta conditione, ſi vſque in finem in iuſtitia perſeuerauero. de qua conditione,an ſit adimplenda,nullus abſque reuelatione eſt certus.

VIII. Eodem modo reiicienda eſt aliorum ſententia, dicentium,hominem,licèt nõ poſſit eſſe certus de ſua prædeſtinatione certitudine fidei, cui falſum ſubeſſe nõ poſſit,abſque diuina reuelatione, poſſe tamen eſſe certum certitudine morali, quæ omnẽ formidinem excludat de oppoſito. Nam teſtimonia diuinæ Scripturæ ſuperiùs adducta iubent, hominem de ſua ſalute ſemper pauere debere, & nullum de illa ita certum eſſe debere, vt omnem formidinem de oppoſito expellat.

IX. Quibus omnibus adiiciunt Doctores Catholici,quòd licèt abſque ſpeciali Dei reuelatione nullus hominum,quandiu eſt in curſu huius vitæ poſitus,ſcire poſſit,ſe eſſe de numero prædeſtinatorũ certitudine fidei,cui falſum ſubeſſe nõ poſſit, neque etiã certitudine morali, cui licèt falsũ ſubeſſe poſſit, illa tamen omnem metum de oppoſito excludat: nihilominus poteſt fidelis ex quibuſdam ſignis,& coniecturis ita eſſe certus de ſua prædeſtinatione, vt quannis talis certitudo non omnem prorſus formidinem de oppoſito excludat, magnã tamen ſpem de ſua ſalute obtinẽda concipere valeat,ac debeat. Eiuſmodi verò ſigna varia,& multa enumerari ſolent à Doctoribus, ex quibus hîc nõnulla breuiter referemus.Inprimis diuinæ prædeſtinationis ſigna ſatis manifeſta colligi vidẽtur ex verbis Chriſti apud Matthæum cap.5.vbi octo hominis beatitudines recenſet:ex illis nãque octo noſtræ prædeſtinationis ſigna optimè colligere valemus.Primum eſt paupertas ſpiritus,id eſt,vera quædã mentis, & cordis humilitas,qua homo ſibi humilis eſt in conſpectu Domini, nihil de ſeipſo præſumens,ſed quidquid boni habuerit, totum in Dei gratiam,& miſericordiã referens.idcirco ſæpe in Euangelio Saluator ait:*Qui ſe humiliauerit,exaltabitur.*Secundũ eſt mitem eſſe,ac corde manſuetũ apud omnes, & cũ omnibus, præcipuè in iniuriis ferẽdis.cùm Rex Saül plurimis indiciis didiciſſet, Danidẽ electum eſſe in Regem à Deo pro ſe,quem ob eius ſcelera abiecerat,ex hoc certiſſimè cognouit,cũ futurũ Regẽ in Iſraël: quia mitiſſimus erat in iniuriis ferendis, & cùm poſſet illas referre, & Saüli illum ad necem perſequenti mortem inferre,noluit propriam iniuriam vlciſci,quam ob cauſam dictum eſt illi à Saüle 1. Regum capite 24.

Nunc ſcio, quia certiſſimè regnaturus ſis, & habiturus in
X. *manu tua regnum Iſrael.* Tertium, lugere propria peccata, & aliena in hoc mundo, neque animo quieſcere, & oblectari in rebus huius mundi. qui nanque extra patriam ſunt, lugent, quandiu in illam peruenerint. qui etiam in compedibus abſque crimine detinentur in carceribus, lugent, quandiu ſoluantur, & à carceribus exeant, quoniam ſciunt, quòd è cuſtodia exeuntes priſtinæ libertati ſunt reſtituendi. è contrario, qui ob grauiſſima ſcelera in carceribus detinentur, nollent vnquam exire, certò ſcientes, cùm primùm exierint, ſe ad furcas ducendos: ita iuſti quandiu ſunt in carcere huius vitæ conſtricti, lugent, optántque educi de cuſtodia, dicentes: *Educ de cuſtodia animam meam.* è contrario reprobi, cùm egreſſus ex hoc carcere illis nuntiatur, lugent, quia certò ſciunt, ſe ad furcas inferni ſtatim ducendos, iuxta illud: *Circumdederunt me dolores mortis, pericula inferni inuenerunt me.* Quartum ſignum eſt iuſtitiæ fames quædam, & ſitis auidiſſima, qua electi Dei nunquam ſatis ſe feciſſe arbitrantur in via Dei, & cùm iuſti ſint, adhuc cupiunt iuſtificari, & cùm omnia fecerint, nihil tamen ſe arbitrantur feciſſe, & ſemper illud Dauidicum habent in ore: *Dixi, nunc cœpi.* & ad obſeruantiam mandatorum addunt obſeruantiam conſiliorum, & plus facere ſtudent, quàm illis præceptum ſit. Legimus in lib. Geneſis cap. 24. cùm Eliezer ſeruus Abrahæ Domino ſuo ita iubente perrexiſſet ad terram patrum ſuorum, vt inde acciperet ſponſam filio ſuo Iſaac, conſtitiſſétque iuxta puteum aquæ extra oppidum, ita Deum allocutum: *Ecce ego ſto prope fontem aquæ, & filiæ habitatorum huius ciuitatis egrediuntur ad hauriendam aquam. Igitur puella, cui dixero, inclina hydriam tuam, vt bibam, & illa reſponderit, bibe, quin & camelis tuis potum tribuam, ipſa eſt, quam præparaſti ſeruo tuo Iſaac: & per hoc intelligam, quòd feceris miſericordiam cum domino meo.* Sanè ſignum eſt, animam illam Chriſti ſponſam in regno gloriæ futuram, quæ iuſtitiæ magnam patitur eſuriem, & ad ea, quæ illi præcipiun-
XI. tur, etiam non præcepta addere ſtudet. Quintum ſignum eſt in proximum miſericordem ex corde eſſe, miſericordes enim in diuina Scriptura vocantur Sancti, vt videre poſſumus in illis verbis Pſal. 4. *Et ſcitote quoniam mirificauit Dominus ſanctum ſuum*, pro quo eſt vox in contextu Hebraico, quæ ſignificat miſericordem; immo eadem dictio חָסִיד ſignificat ſanctum, & miſericordem, poteſt nanque deriuare à radice חסד quæ ſignificat miſereri. hinc Lucas cap. 16. paradiſum pinxit hieroglyphico viri miſericordis pauperem Lazarum in ſinu ſuo fouentis, & Dauid in Pſal. 111. *Beatus*, inquit, *vir qui miſeretur, & commodat, diſponet ſermones ſuos in iudicio, quia in æternum non commouebitur.* Sextum eſt cordis mundities, cùm ſemel adeptam iuſtificationis gratiam homo nititur omni conatu ſeruare, nec facilè ad præteritam vitam reuertitur, & ſi ex fragilitate contingat illum labi, quantocyus per pœnitentiam reſurgit. quemadmodum è contra ſignum reprobationis eſt, cùm quis vix peccatorum ſuorum abſolutione à ſacerdote recepta in eadem labitur, ac relabitur peccata. nam, vt Sapiés ait in lib. Eccleſiaſtici, *Qui tranſgreditur à iuſtitia ad peccatum, Deus paratus illum ad rompheam.* & adhuc euidentius reprobationis ſignum eſt, diutius in peccatis viuere, nec tædium peccati experiri, nec conſcientiæ ſtimulo exagitari. quemadmodum enim, qui ad probationem poſitus in aliqua religione pondus regularis obſeruantiæ libenter, & leuiter ſuſtinet, certiſſima ſpes eſt, eum in ipſa religione profeſſionem emiſſurum: ita qui in religione Diaboli leuiter, & libenter fert onus peccati, certiſſima coniectura eſt, illum diabolicum mancipium perpetuò futurum. Septimum ſignum eſt XII.
pacificum eſſe, tum proprias iniurias proximis condonando, & eos beneficiis, & officiis charitatis proſequendo, quod filiationis diuinæ apertum argumentum, & indicium eſſe, idem Saluator in eodem capite paulo infrà teſtatur, dicens: *Diligite inimicos veſtros, benefacite iis, qui oderunt vos*, &c. *vt ſitis filij Patris veſtri qui in cœlis eſt.* tum etiam inter diſcordes pacem, & amicitias componendo. ſicut enim inter ſigna reprobationis apertiſſimum eſt, diſcordias inter amicos ſeminare, nihilque magis odio habet Deus, quàm illum, qui ſeminat inter fratres diſcordias, vt Salomon ait in Prouerb. cap. 6. ita nullum magis diligit eo, qui non ſolùm cum his, qui oderunt pacem, eſt pacificus per voluntariam propriæ iniuriæ condonationem, ſed etiam per ſtudium, & ſolicitudinem aliorum inimicitias componendi. Octauum eſt patienter ferre perſecutionem propter iuſtitiam. idem enim eſt, pati perſecutionem propter iuſtitiam, atque pati perſecutionem propter Deum, & Chriſtum: id verò apertiſſimum eſt argumentum, eum, qui propter Chriſtum perſecutionem ſuſtinet, non ex familia mundi eſſe, aut Diaboli, ſed Chriſti, iuxta quod idem Saluator ait, apud Ioan. cap. 15. *Si de mundo fuiſſetis, mundus, quod ſuum erat, diligeret: quia verò de mundo non eſtis, ſed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus.* eſt ergo ſignum diuinæ electionis hominem à mundo perſecutionem ſuſtinere propter Chriſtum, & iuſtitiam.

Præter hæc ſunt alia quatuor ſigna certiſſima XIII.
diuinæ prædeſtinationis. Primum eſt frequenter à Deo flagellis corripi in hac vita, & preſſuris paupertatis, ægritudinum, & perſecutionum obſtrictum teneri. Hæc nanque eſt differentia inter filium Regis, & bubulci, quòd filius Regis, quandiu paruulus eſt, pædagogos habet, qui de modo incedendi, ſtandi, loquendi, principatum adminiſtrandi, optimè illum doceant, & quidquid reprehenſione dignum egerit, corrigant: filius autem bubulci, aut paſtoris ſtatim, atque per ſe incedere poteſt, abſque cuſtode, abſque pædagogo ipſe ad ſues, aut oues cuſtodiendas dirigitur: ita qui ad regnum gloriæ ſunt à Deo miſericorditer deſtinati, quandiu paruuli ſunt, & infantes, quod eſt tempus vitæ præſentis, inſtitis tribulationum ligati tenentur, & pædagogis corrigendi traduntur, nempe illorum inimicis, qui eorum dicta, facta, nutus, &, ſi fieri poſſit, etiam cogitationes diligenter obſeruant, ac reprehendunt: reprobi verò ſtatim, vt ad vſum rationis peruenientes per viam boni, & mali incedere per ſeipſos valent, abſque his pædagogis poſt ſues ſuarum cupiditatum, & voluptatum carnis incedere permittuntur. Et quemadmodum veſtem, quam ſemel exutam fulloni tradimus abluẽdam, iterum volumus induere, eam verò, quam exutam ablui non curamus, ſignum eſt, ampliùs nos induere non velle, ſed in ignem, aut in ſterquilinium tandem eſſe proiiciendam: ita animæ, quas Iſaias cap. 49. Dei veſtimenta appellat, cùm maculas contrahunt, non enim eſt homo in hac vita, qui non peccet, ſi hîc tribulationum, & preſſurarum lixiuia frequenter à ſordibus peccatorum purgantur, iuxta quod cap. 4. ait, *Si abluerit Dominus ſordes filiarum Sion, & ſanguinem Hieruſalem lauerit de medio eius, in ſpiritu iudicij, & ardoris.* indicium eſt, eas fore in altera vita à Deo iterum aſſumendas. at cùm vides, animam mille immunditiis

conſpur

conſpurcatam aquis tribulationum minimè à Deo purgari à ſuis ſordibus, maximè timendum eſt, ne ſit in altera vita in ignem, & ſterquilinium inferni proiicienda; id nanque videntur nobis innuere verba illa Dauidis in Pſal. 72. iuxta lectionem Septuaginta Interpretum, & D. Auguſtini & veteris pſalterij; *Quia non eſt declinatio mortis eorum, & firmamentum in plaga eorum, in labore hominum non ſunt, & cum hominibus non flagellabuntur.*

XIV. Secundum ſignum eſt, cùm homo tribulationibus à Deo corripitur, patienter eas ferre, & in Deum cordis affectu magis, ac magis eleuari. Ait Plinius lib. 33. naturalis hiſtoriæ cap. 6. ex eadem maſſa educi argentum, & plumbum, ſi quis enim terram mineralem, ex qua vtrunque educitur, in cacabum coniiciat, & impoſita aqua ignem ſupponat, vi caloris ſecernitur plumbum ab argento, & quidem plumbo ad ima tendente argentum ſuperfertur. Equidem in hac humani generis maſſa diſcernere argentum à plumbo, prædeſtinatum à reprobo, ſecretum eſt diuinum omnem creaturæ captum ſuperans. Si tamen liceat aliquibus indiciis de hoc tam magno arcano coniectare, præclarum eſt indicium, animaduertere, quorſum tendat homo, dum eſt in cacabo tribulationum poſitus, vtrùm ſurſum petat, an deorſum. qui enim argentum eſt electum, ſtatim in Deum per orationem, & gratiarum actionem eleuatur, iuxta illud Dauidis dicentis, *In die tribulationis meæ Deum exquiſiui manibus meis.* & illud, *ſecundùm multitudinem dolorum meorum in corde meo, conſolationes tuæ lætificauerunt animam meam.* E contrario verò in die tribulationis à Deo recedere, mentis reprobatæ indicium eſt, & ad tartarum tendentis. Pſal. 76.

Tertium ſignum eſt Dei verbum magna cum auiditate ac dulcedine cordis excipere, & de rebus cœleſtibus, ac diuinis ſermones libentiſſimè audire: eſt nanque vnicuique patria ſua dulciſſima, vt Iuriſconſultus ait in l. qui habebat. ff. de legatis 3. & Ouidius, Ouidius.

Neſcio, inquit, *qua natale ſolum dulcedine cunctos,*
Ducit & immemores non ſinit eſſe ſui.

Et Saluator ipſe apud Ioan. cap. 8. *Qui ex Deo eſt, verba Dei audit, propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis.* & cap. 10. *Oues meæ vocem meam audiunt.*

XV. Quartum & vltimum ſignum eſt, cùm voluptates ſibi oblatas ab hoc ſæculo ipſe homo conſtanter renuit, ac reſpuit, & rebus huius mundi vtitur, vt Deo fruatur, è contrario quàm faciat reprobus, qui Deo vtitur, vt fruatur mundo. Quemadmodum enim deficientibus aquis diluuij columba ex arca emiſſa ſtatim reuerſa eſt in arcam, ramum oliuæ foliis virentibus ſecum ferens in ſymbolum pacis, è contrario autem coruus ſemel emiſſus, non ampliùs in arcam eſt reuerſus, quippe qui ſtatim ad cadauera, quibus tota terra plena erat, voranda ſeſe conuertit: ita electi cùm per contemplationem ſuper bona hæc viſibilia, & caduca feruntur, non in illis ſiſtunt, nihil enim firmum eſſe in his rebus inferioribus, cui affectus pede inhærere mortales poſſint, optimè animaduertunt, ſed ſtatim in ſeipſos recepti ramum viridem diuinæ laudis ore gerunt. E contrario verò reprobi Deo poſt terga derelicto ad hæc caduciſſima, & viliſſima deuoranda toto affectu ſeſe conuertunt. *Boni quippe*, Auguſtinus inquit, *ad hoc vtuntur mundo, vt fruantur Deo: mali verò vis volunt Deo, vt fruantur mundo.* Atque hinc etiam elici poteſt verus, & legitimus intellectus illius ſententiæ lib. Geneſis cap. 25. cùm dicitur, *Mortuus eſt Abraham in ſenectute bona, prouectæque ætatis, & plenus dierum.* Quæ prima facie dubium non leue ingerit, quomodo Abraham mortuus ſit prouectæ ætatis, & plenus dierum, cùm vix ad dimidium ætatis Patrum ſuorum ille peruenerit. Iuxta contextum Hebraicum pro eo, quod nos legimus, *plenus dierum*, legendum eſt, *ſatur dierum*, quod Rabbi Gerundenſis ita exponit, quia anima eius ſaturata erat, nec optabat, vt dies eius prolongarentur in hac vita. Ratio eſt, quia Abraham de numero erat prædeſtinatorum, quos vix vnus bolus voluptatum, & bonorum huius vitæ ſaturos reddit. eſtque metaphora deſumpta ab illis, quos cibi ante illos poſiti non delectant, quippe ſtatim, vt vnum, atque alterum bolum guſtauerint, ſaturatos ſe fatentur. His, atque aliis ſignis, quæ numerantur à Theologis, poſſumus aliquo pacto argumentari, an ſimus de numero eorum, qui prædeſtinati ſunt ad vitam, licèt abſque reuelatione diuina nihil certi de nobis polliceri valeamus, de quibus, qui plura deſiderant, legere poſſunt Andream Vegam dicto lib. 12. c. 12. vſque ad 20. & nouiſſimè Didacum Aluarez diſp. 42. de diuinis Auxiliis, egregiè differentes. Hîc nanque huic quartæ controuerſiæ finem imponimus, & toti ſexto libro de Prædeſtinatione. Auguſt. Aluarez.

PROPVGNACVLI HVMANÆ LIBERTATIS

LIBER SEPTIMVS.

Non auferri humanam libertatem per diuinam reprobationem.

DOCET nos Marcus Tullius in lib. de natura Deorum, de Diis immortalibus, & de illorũ potestate timidè, & pauca dicere debere. & longè ante illũ Sanctissimus Vates Dauid in initio Psal. 64. iuxta Hebraicam veritatem: *Tibi silentium laus* (inquit) *Deus in Sion.* Conuenientius nanque diuinæ maiestatis magnitudinem, & diuini consilij in rebus humanis moderandis altitudinem religioso silentio venerari, & admirari possumus, quàm præconiis laudare, & dignè, vt oportet, prædicare. Hoc sanè sanctissimum documentum, ac saluberrimum consilium cùm in aliis omnibus diuinæ voluntatis arcanis perquirendis, & declarandis expediat maximè obseruare, tum præsertim, ac necessariò obseruandum videtur circa arcanum inuestigabile diuinæ reprobationis, de quo præsenti libro sumus verba facturi. est enim secretum diuinum omnem humanæ mentis captum adeò excellens, vt non solùm nullus mortalium illud valeat comprehendere, sed quo magis accedit homo ad cor altum, eo ampliùs exaltetur Deus, vt neque ipsi D. Paulo, qui raptus est vsque ad tertium cælum, & audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui iniuriam irrogemus, si dicamus, illum elinguem fuisse in hoc mysterio enodando, vtque tandem non nisi valde pauca, & cum ingenti animi timore, ac tremore dicere possimus. Quod nanque de mysterio sanctissimæ Trinitatis ait D. Augustinus lib. 1. de Trinitate cap. 3 idipsum de arcano diuinæ reprobationis, & verissimè, & rustissimè dicere valemus, neque laboriosiùs aliquid quæri, neque periculosiùs alicubi errari, eiséque lydium lapidem ad verum, & falsum aurum probandum, & scopulum, ad quem recentium nouatorum procellæ frequentiùs rumpuntur, & hominum ausus temerarij retunduntur, quo vera quidem fides magis solidatur, & spes augetur, & charitas perficitur: sed homines instabiles, improbi, & moribus corrupti sæpius circa fidem naufragantur. & mea quidem opinione satiùs faceremus, huius mysterij abdita religioso silentio venerãtes, quàm minus aptis verborum periodis tanquam lituris quibusdam illud magis obscurantes, ac denigrantes, nisi ea esset hæreticorum improbitas, & perfricata nimis impudentia, quæ vitos Catholicos pro Dei gloria silere non permittit: sed Creatoris ac Saluatoris nostri IESV Christi contumelias modis omnibus, quibus possunt vindicare compellit. Quis enim vel solo nomine Catholicus ferat, dicentem homines ad malum diuina potestate fuisse prædestinatos, & Deum nolle, vt omnes salui fiant, etiamsi illi velint, & adulteria, & corruptelas virginum sacrarum, & incestus parentum cum filiis, & filiabus, homicidia, sacrilegia, & furta ideo euenire, quia Deus, vt ea fierent, prædestinauit, & maiorem partem hominum à Deo creari, vt illos perdat, & nihil efficere homines, nisi arcano Dei nutu, nec quidquam deliberando agitare, nisi quod ipse iam apud se decreuit, & arcana sua directione constituat, & à Deo ipso emanare efficaciam erroris, & Dei prædestinatione lapsum fuisse Adamũ, & illius peccatum fuisse à Deo decretum, nec sola permissione, sed Dei ordinatione sibi interitum accersiuisse, & ante præuisa hominum peccata decreuisse illos ostendendæ gloriæ suæ causa ad pœnas inferni ordinasse? quas horribiles blasphemias, & execrandas nimis contumelias contra Deum euomere non timent post antiquos hæresiarchas illos in Conciliis Arausicano II. & Valentino sub Lothario celebrato sanctissimè damnatos, Caluinus lib. 1. Institut. c. 18. & lib. 3. c. 23. & in opusculo de æterna Dei prædestinatione, & illius legitima soboles Theodorus Beza in responsione secunda de æterna prædestinatione ad Sebastianum Castelionem, quibúsque paregis toti illorum libri potissimùm sunt exornati.

Augustin. Caluin. Beza.

Ab istis igitur blasphemis, & in Deum contumeliosis nimis pro Dei gloria, & honore in hoc libro cum confidentia diuini auxilij decertãdo ipse diuinus honor pro posse vindicandus nobis est. Id autem vt efficiamus, tria in hoc libro proponimus explicanda, primò quid sit ipsa reprobatio: Secundò quæ sint illius causæ: Tertiò qui sint illius effectus. His nanque probè intellectis facilè intelliget quisque, nullius hominis ruinam ex Dei ordinatione dispositam fuisse, & ex nobis ipsis, non autem ex diuina dispositione esse nostram perditionem, iuxta quod nos obtestatur per Prophetam, dicens, *Perditio tua ex te Israel: tantum in me auxilium tibi.* Osee 13.

CAPVT I.

Quid sit Reprobatio declaratur.

I. VT facilè assequamur quidditatiuam Reprobationis definitionem, ipsa significatio nominis exactè aperienda inprimis est, illa nanque non solùm ad explicandum, quid sit reprobatio, sed ad alia multa in sequentibus dicenda maximè conducit. Itaque verbum *reprobare*, ex quo deriuat nomẽ *reprobatio*, in diuinis Scripturis, & etiam apud autores prophanos variam, & multiplicem habet significationem. Primaria verò illius significatio, ex qua cæteræ omnes deriuant, est vt significet iudicium, quo aliquid iudicamus falsum, aut malum, aut minus conueniens, & idoneum ad aliquem finem assequendũ, & vt tale illud reiicimus. reprobatio nãque directè opponitur approbationi. approbatio verò est iudicium, quo aliquid iudicamus tanquam verum, & bonum, & aptum, & idoneum ad aliquem finem assequendum: atque ista est propriissima acceptio huius verbi *reprobare*, &

& nominis *reprobationis*. Hinc primò deductum eſt nomen *reprobatio* ad ſignificandum iudicium, quo aliquam propoſitionem tanquam falſam reiicimus: hoc pacto Doctores in Scholis dicuntur reprobare opiniones, quas vt falſas reiiciunt. In hoc ſenſu inquit Apoſtolus 1. ad Corinth. cap. 1. *Perdam ſapientiam ſapientum, & prudentiam prudentum reprobabo.* id eſt, conuincam falſitatis, & imprudentiæ, & vt talem reiiciam, quod factum eſt per prædicatores Euangelicos. Secundò deductum eſt ad ſignificandum actum, quo aliquid tanquam malum reiicitur: iuxta quam acceptionem inquit Iſaias cap. 7. *Antequam ſciat puer reprobare malum, & eligere bonum.* Tertiò deductum eſt ad ſignificandum actum, quo aliquid reiicitur, tanquam minùs aptum, & idoneum ad finem. hoc pacto Scholares minùs idonei dicuntur reprobari à laurea Doctoratus. Et quia quod mens iudicat vel falſum, vel malum, vel minus aptum ad finem, proponit voluntati, vt reiiciat illud: hinc verbum *reprobare* deductum eſt non ſolùm ad ſignificandum iudicium mentis, ſed etiam voluntatis actum, quo rem ſibi oblatam reiicit, aut tanquam falſam, quo pacto vir Catholicus reprobat falſam fidem hæreticorum, aut tanquam malam, quo pacto Iudæi dicuntur reprobaſſe Chriſtum in Pſal. 117. *lapidem, quem reprobauerunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli.* & Lucæ c. 17. *oportet illum multa pati, & reprobari à gentibus.* Et quia quod reprobatur, iudicatur falſum, vel malum, vel minus idoneum ad finem, hinc fit, vt homines mali, & vitiis coinquinati in diuina Scriptura vocentur *reprobi*. Eccleſiaſtici cap. 9. *ſpeciem mulieris alienæ multis admirati reprobi facti ſunt*, id eſt, improbi. & Apoſtolus epiſt. 1. ad Cor. c. 9. ait, *ne cùm aliis prædicauerim, ipſe reprobus efficiar.* quod ſecundùm aliquos idem ſignificat, quod improbus: nam dictio Græca ἀδόκιμος vtrunque ſignificare poteſt. & in epiſt. 2. ad Timoth. c. 3. vocat quoſdam hæreticos reprobos circa fidem. & ad Hebræos cap. 6. inquit, *terra ſæpe venientem ſuper ſe bibens imbrem, & nihilominus proferens ſpinas, & tribulos, reproba eſt.* hinc qui aliqua dignitate, aut poteſtate priuatur, dicitur reprobari: quia id fieri non ſolet niſi, qui talis reputatur minus aptus illi dignitati, & illi poteſtati exercendæ. in hoc ſenſu dixit Paulus epiſt. 2. ad Corinth. c. 13. *Oramus autem Deum, vt nihil malè faciatis: non vt nos probati appareamus, ſed vt vos, quod bonum eſt, faciatis, nos autem vt reprobi ſimus.* id eſt, priuati poteſtate, quam habemus vos iudicandi. Demum quia quod malum, & minus aptum reiicimus, impedimus etiam, ne eueniat, & illud diſſipamus, hinc deductum eſt verbum *reprobare*, ad ſignificandum idem, quod *diſſipare* in Pſal. 32. *Dominus diſſipat conſilia gentium: reprobat autem cogitationes populorum, & reprobat conſilia Principum.*

II. Ex omnibus his colligitur, germanam, & præcipuam ſignificationem nominis reprobationis eſſe, vt ſignificet iudicium rationis, & actum voluntatis, quo aliquid reſpuimus tanquam falſum, aut malum, & minus aptum ad finem. Iuxta quam acceptionem tranſlatum eſt nomen reprobationis ab humanis ad diuina, ad ſignificandum actum diuini intellectus, & diuinæ voluntatis, quo Deus quaſdam creaturas rationales iudicauit minus aptas fini æternæ gloriæ, & vt tales ab eodem fine reiecit, & vt malitia affectas punire decreuit. Et hæc eſt vera acceptio nominis reprobationis, quatenus hoc nomen eſt in vſu apud Theologos, quæ in hoc tractatu, & toto libro ſemper eſt præ oculis habenda: & licèt iuxta hanc acceptionem non ſit admodum frequens nomen reprobationis in diuina Scriptura, eſt tamen frequens illius ſignificatio ſub alia verborum forma: & reprobationem hoc modo acceptam eſſe in Deo ab æterno, eſt doctrina fidei, quam probat D. Thom. 1. part. q. 23. art. 3. & Scotus in 1. diſt. 41. §. *poteſt & aliter dici.* quia certum eſt, quòd Deus exequitur in tempore, illud ab æterno præordinaſſe: ſed in tempore nonnullas creaturas excludit à fine æternæ gloriæ, & deputat ad pœnas inferni, vt conſtat ex Euangelio Matthæi cap. 25. & Lucæ 16. & aliis locis. Ergo ab æterno ita præordinauit facere: illa verò præordinatio eſt ipſa reprobatio. D. Thom. Scotus.

Probat etiam D. Thomas eandem veritatem ratione ſumpta ex ordine diuinæ prouidentiæ. quia ſicut ſpectat ad diuinam prouidentiam ita infallibiliter creaturas dirigere in finem, vt ipſum finem conſequantur, ita etiam ſpectat ad diuinam prouidentiam, permittere deficere aliquas creaturas ab eodem fine: hæc autem permiſſio, qua nonnullas creaturas permittit deficere à fine æternæ gloriæ, eſt reprobatio; ſicut prouidentia, qua eaſdem creaturas dirigit infallibiliter in eundem finem, eſt prædeſtinatio. quæ tamen ratio præter alias difficultates, quas continet, in quibus enodandis laborant Caietanus, & alij interpretes, continet etiam iſtam, quia ſupponit reprobationem formaliter eſſe illam permiſſionem, qua Deus permittit aliquas creaturas rationales deficere à fine æternæ gloriæ, quod formaliter non videtur verum: licèt reprobatio huiuſmodi permiſſionem ſupponat. Ex hac tamen ratione euidenter colligitur, ex ſententia D. Thomæ non ſpectare ad rationem prouidentiæ genericè ſumptæ, vt res aſſequantur finem, ad quem ſunt per ipſam prouidentiam ordinatæ, de qua re lib. 5. cap. 2. abundanter dictum eſt.

III. Circa eandem rationem notandum, non eodem modo pertinere ad diuinam prouidentiam prædeſtinationem, & reprobationem: nam prædeſtinatio pertinet ad prouidentiam per ſe primariò, & principaliter, finis enim prædeſtinationis eſt primò per ſe volitus à Deo primaria (inquam) intentione ad oſtendendam diuinam gloriam, & bonitatem per modum miſericordiæ in electis. At reprobatio pertinet ad diuinam prouidentiam ſolùm ſecundariò: quia eius finis ſolùm ſecundaria intentione eſt volitus, & intentus à Deo, qui eſt oſtenſio diuinæ bonitatis per modum iuſtitiæ punitiuæ in reprobis. Secundò, quod ferè in idem recidit, quia finis à Deo intentus per prædeſtinationem eſt volitus non ſolùm voluntate conſequenti, ſed etiam antecedenti, bonum enim miſericordiæ vtraque voluntate poteſt eſſe volitum: at finis reprobationis, qui eſt oſtenſio iuſtitiæ vindicatiuæ, eſt volitus ſolùm voluntate conſequenti, quæ ex noſtro vitio ortum habet, vt Damaſcenus lib. 4. c. 21. citatus teſtatur, quidquid in contrarium deblaterent Caluinus & Beza. Tertiò, quia de primaria agentis intentione eſt ordinare rem in finem, primaria nanque agentis intentio eſt facere rem perfectam: at permittere quòd res deficiat à fine, ſolũ ſpectare poteſt ad ſecundariam agentis intentionem, quatenus ille defectus poteſt ordinari in alium finem ſecundariò intentum, quod in ſubiecta materia, de qua agimus, verum eſſe ex eo probatur euidentiſſimè, quia etiamſi Deus voluiſſet nullam creaturam rationalem permittere deficere à ſuo fine ſupernaturali, non minus benè illi prouiſum eſſet. vnde permittere, quòd

quòd aliqua rationalis creatura ab hoc fine deficiat, eatenus, ſpectat ad diuinam prouidentiam, quatenus ad illam ſpectat primariò, ſinere agentia libera liberè operari, etiam circa aſſecutionem finis ſupernaturalis.

IV. Tandem aduertendum eſt, à nonnullis Theologis conferri multa diuinæ Scripturæ teſtimonia, ad probandam prædictam veritatem, quòd Deus nonnullos reprobet, quæ etiam in ſenſu literali videntur poſſe aliò detorqueri. eiuſmodi eſt illud epiſt. 1. ad Cor. c. 9. *Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo, ne cùm aliis prædicauerim, ipſe reprobus efficiar.* & illud Eccleſi. c. 9. quod proximè etiam adductum fuit. nam hæc teſtimonia poſſunt exponi, vt reprobi nomen idem ſignificet, quod improbum, & vitio coinquinatum. affert etiam D. Th. ad idem probandum teſtimonium ex Malachiæ c. 1. & ad Rom. 9. *Iacob dilexi, Eſau autem odio habui.* Verùm illud quoque iuxta ſenſum literalem videtur poſſe aliò detorqueri, vt alibi diximus. Verùm quanuis hæc teſtimonia dictam veritatem non ita efficaciter probent, nullo tamen pacto de illa dubitare licèt, cũ ſit aſſertio certa ex fide. hinc verò apparet, quid reprobationis nomine intelligant Theologi, cùm de reprobatione diſputant, intelligere videlicet illos iudicium illud diuinum, quo nonnullæ rationales creaturæ minus conuenientes, & idoneæ iudicantur ad aſſequendum finem æternæ beatitudinis coniunctum cum actu voluntatis efficacis excludendi illas ab eodem fine, & deputandi ad pœnam pro illarum culpis. hanc autem voluntatem cum eodem iudicio coniunctam vocant quandoque ſancti Patres prædeſtinationem, vtuntur enim aliquando nomine prædeſtinationis, quatenus in bonam, atque in malam partem accipitur. Cæterùm ſecundùm communem modum loquendi maximè apud Scholaſticos prædeſtinatio ſolùm in bonam partem accipitur, ſicut etiam reprobi nunquam apud Theologos conſueuerunt vocari prædeſtinati, ſed vocantur præſciti, quod nomen ex vſu conſueuit etiam accipi ſemper in malam partem, vt illi dicantur præſciti, qui ad pœnas inferni ſunt deputati. Iam præmiſſa nominis declaratione accedendum eſt ad reprobationis quidditatem, & eſſentiam declarandam.

CAPVT II.

Quos actus diuini intellectus, & diuinæ voluntatis ipſa reprobatio intrinſecè includat.

I. VAriæ à Theologis afferuntur definitiones reprobationis, quibus illi eius eſſentiam, & quidditatem nituntur declarare, prout de actibus diuini intellectus, & diuinæ voluntatis, in quibus illa intrinſecè conſiſtit, variè vnuſquiſque arbitratur. Quapropter vt quidditatiuam ipſius reprobationis definitionem aſſequi poſſimus, videndum neceſſariò eſt priùs, ad quam facultatem intrinſecè illa ſpectet, an ad intellectũ, an ad voluntatem, an ad vtrunque, & quiſnam actus diuini intellectus, & diuinæ voluntatis intrinſecè ad illam ſpectet. Nam quod attinet ad primum quæſitum, ſunt qui arbitrentur, illã ex æquo ad intellectum, & voluntatem ſpectare, vt Alexander Alenſis, Richardus, Marſilius, & alij nonnulli; Durandus verò, & Antonius Corduba, cum quibus videtur ſenſiſſe D. Thom. de veritate quæſt. 6. art. 1. dicunt, magis principaliter ſpectare ad voluntatem, & minus principaliter ad intellectum. E contrario alij tenent, magis principaliter pertinere ad intellectum, & minus principaliter ad voluntatem. ita ſentit D. Thom. 1. part. q. 23. art. 3. quem recentiores Theologi communiter ſequuntur. & hæc poſtrema ſententia eſt ſine dubio veriſſima, tum quia prædeſtinatio etiam magis principaliter ſpectat ad intellectum: tum quia reprobare magis principaliter dicit iudicium, & voluntas eatenus aliquid reprobat, quatenus ſequitur iudicium dictans, illud eſſe reprobandum: tum quia ratio reprobationis eſt præſcientia, & certitudo illius fundatur in diuina præſcientia, & reprobi vocantur præſciti. D. Thom.

II. Verùm licèt hæc ita ſe habeant, cùm tamen plures actus tum in diuino intellectu, tum in diuina voluntate concipere poſſimus, difficile admodum videtur explicare, in quónam actu tum intellectus, tum voluntatis intrinſecè ipſa reprobatio conſiſtat. Vt autem hunc nodum difficilem explicemus, oportet ſingulos actus, quos ex parte intellectus, & voluntatis affirmant Theologi, concurrere ad diuinam reprobationem cõſtituendam, hîc breuiter recenſere. Id verò vt faciamus, ante omnia præmittenda eſt Scotica illa diſtinctio de duplici reprobatione, altera negatiua, ſeu permiſſiua, altera poſitiua, quæ elicitur ex eodem Scoto in 1. d. 41. §. *Poteſt & aliter*, &c. Qua diſtinctione ſuppoſita de reprobatione negatiua, ſeu permiſſiua ita ſentiunt communiter Theologi primò ad illam conſtituendam concurrere actum diuini intellectus, quo Deus vidit ab æterno creaturam rationalem, vt ordinabilem in finem ſupernaturalem æternæ beatitudinis, & puto omnes Catholicos concedere, etiam vt ordinatam in eundem finem per voluntatem antecedentem, quâ vult omnes homines ſaluos fieri, id nanque ſaltem verbis omnes fatentur: licèt nonnulli reipſa id negent. Addunt etiam aliqui, ad illam conſtituendam requiri actum diuini intellectus, quo per ſcientiam mediam vidit, quid creatura rationalis eſſet factura circa ſui finis aſſecutionem, ſi à Deo conſtitueretur in tali ordine cum talibus auxiliis, nimicum ſufficientibus, non autem efficacibus. Scoto.

Secundò affirmant, concurrere ad reprobationem negatiuam conſtituendam ex parte voluntatis actum voluntatis permittendi caſum, ſeu lapſum in culpam, quæ voluntas nihil aliud eſt, niſi voluntas denegandi creaturæ rationali auxilium efficax, quo de facto teneatur, ne cadat: quanuis nonnulli recentiores diſtinguant inter voluntatem permittendi lapſum in culpam, & voluntatem negandi auxilium efficax, & inter ipſam permiſſionem, & negationem diuini auxilij efficacis: nihil enim eſt permittere aliquem cadere, niſi illum non tenere, & nihil aliud eſt hominem non tenere, niſi non præbere illi auxilium efficax, quo de facto ille teneatur.

Tertiò affirmant, concurrere actum diuinæ voluntatis, quo vult non dare ei, qui lapſus eſt, auxilia efficacia, vt reſurgat, ſed vult ſinere illũ in peccato manere, & iacere. his igitur actibus dicunt compleri reprobationem negatiuam, nimirũ actibus, quibus Deus præuidens, quòd ſi permittat hominem labi, & non det illi auxilium efficax, quo ille de facto teneatur, & quo lapſus reſurgat, ille cadet, & obdurabitur, neque reſurget, vult permittere, illum labi, nec vult dare efficax auxilium, vt reſurgat, & ſinit illum obdurari in peccato vſque ad mortem: per iſtos actus aiunt compleri reprobationem negatiuam.

Ad conſtituendam verò reprobationem poſitiuam iſtos actus concurrere arbitrantur. Primò actum

Digitized by Google

actum diuini intellectus, quo præuidit aliquas creaturas rationales lapſas in peccatum, & in eodem permanentes vſque ad terminum vitæ. Secundò actum eiuſdem intellectus, quo iudicauit illas minus aptas, & idoneas, quæ ad finem æternæ gloriæ perducerentur. Tertiò actum diuinæ voluntatis, quo eaſdem creaturas efficaciter voluit reiicere ab ipſo fine ſupernaturali, & ad pœnas inferni propter illorum peccata efficaciter damnare, & in iſtis actibus ſimiliter completur reprobatio affirmatiua.

III. Circa hos actus multa, eaque grauiſſima dubia occurrunt, videlicet an permiſſio peccati inter effectus reprobationis ſit numeranda. An detur ex parte noſtra aliqua cauſa talis permiſſionis. quo fine Deus permittat peccata fieri in mundo, an Deus poſitiuè aliquos indurer, & quomodo. An diuina voluntas quoad hos actus ſolùm negatiuè ſe habuerit, an etiam poſitiuè. An voluntas excludendo efficaciter reprobos à gloria præceſſerit omnes alios actus diuinæ voluntatis: ſed de ſingulis inferiùs diſtinctè agendum eſt, nec oportet omnia ſimul complicata confundere, de quibus nonnihil etiam diximus obiter lib. 5. & 6. Nunc primò dicendum videtur, permiſſionem peccati eſſe quidem conditionem, ſine qua reprobus non fuiſſet reprobatus, non enim reprobaretur ſine peccato, & non eſſet peccatum, niſi illud à Deo permitteretur: non tamen ipſam permiſſionem eſſe cauſam peccati, neque Deum ea intentione peccata permittere, vt illa fiant, quæ res vt rectè intelligatur, vnum mihi quidem certiſſimum ſupponendum eſt, Deum ante actum voluntatis, quo voluit permittere peccatum, optimè nouiſſe, ſi voluiſſet hominem, aut Angelum conſtituere in manu conſilij ſui cum auxiliis ſufficientibus ad vitanda peccata, & perſeuerandum in Dei gratia, nihilominus niſi præueniretur etiam auxiliis longè maioribus, & efficacibus, illum propria voluntate de facto caſurum, nec perſeueraturum fuiſſe in Dei amicitia, non quidem ex inſufficientia priorum auxiliorum, cum quibus ſtare potuiſſet, ſi voluiſſet, ſed ex conditione propriæ libertatis: id verò optimè præuidendo voluiſſe relinquere homines aliquos, & Angelos cum ſolis auxiliis ſufficientibus, ſinendo, vt illis vterentur pro ſua ipſorum libertate, nec voluiſſe illis maiora auxilia conferre, & tunc vidiſſe, illos de facto caſuros, & hoc fuiſſe, Deum voluiſſe peccata permittere, nõ quidem denegando homini vel Angelo ſufficiens auxilium, quo poſſent ſtare, ſi vellent, ſed non tenendo illos, conferendo maiora auxilia, cùm poſſet maiora conferre, & illos tenere, ſi vellet. quo ſuppoſito apparet, non poſſe hominem Deo ſuum caſum imputare, & propriam ruinam ex eo, quòd cùm poſſit, nolit illum tenere: quia tribuit illi vires, & auxilium ſufficiens, quo poſſet, ſi vellet, ſtare, de qua re optimè ſcribit Molina 1. part. quæſt. 19. art. 12. & quæſt. 23. art. 3. & art. 4. diſp. 3. Molina.

Secundò dicendum videtur præcipuum finem, ob quem Deus peccata permittit, non eſſe oſtenſionem diuinæ gloriæ per modum iuſtitiæ vindicatiuæ in reprobis, quia, vt lib. 5. c. 9. retigimus, ſi hoc fine principali Deus peccata permitteret, vix ac ne vix quidem intelligi poteſt, quomodo non ſaltem virtualiter, & interpretatiuè ipſam culpam intenderet, ac vellet. De qua re inferiùs c. 5. redibit nobis ſermo.

IV. Tertiò dicendum, negationem efficacis auxilij, ſine quo homo lapſus in culpam non reſurget, ſed in peccato vſque in finem obdurabitur, eſſe conditionem, ſine qua nullus eſſet reprobatus, nullus enim iudicaretur indignus æternæ gloriæ, niſi præuideretur in peccato finaliter perſeueraturus, & non perſeueraret in peccato, niſi negaretur illi auxilium efficax ad reſurgendum. Addo etiam reſpectu iſtorum actuum diuinam voluntatem non ſe habuiſſe ſolùm negatiuè, ſed ſe habuiſſe verè poſitiuè. itaque diuina voluntas non manſit ſuſpenſa, neque habendo actum poſitiuæ nolitionis dandi reprobis efficacia auxilia ad ſtandum, & ad reſurgendum, neque habendo alium actum poſitiuum illi contrarium: ſed habuit actum poſitiuæ nolitionis dandi reprobis efficacia auxilia, quibus de facto tenerentur, ne caderent, & quibus lapſi de facto reſurgerent. Ita ſentiunt communiter recentiores Theologi, quorum ratio eſt, quia comparatione eorum, quæ de facto eueniunt in tempore, diuina voluntas ab æterno non manſit ſuſpenſa, neque ſe habuit ſolùm negatiuè. Videantur quæ ſcribunt Molina, Aluarez, Suarez, & Vaſquez.

Quartò dicendum mihi videtur, primam permiſſionem lapſus in culpam ſiue voluntatem permittendi talem lapſum, & non dandi auxilium efficax ad illum vitandum, non pertinere intrinſecè ad reprobationem, neque ab huiuſmodi voluntate intrinſecè incipere reprobationem, neque talem permiſſionem effectum eſſe diuinæ reprobationis. Et quanuis ſciam, me contra communem ſententiam hoc affirmare, id tamen veriſſimè puto me affirmare poſſe. tum propter ea, quæ inferiùs dicemus de effectibus reprobationis: tum præſertim, quia reprobatio intrinſecè eſt iudicium, quo aliquid iudicatur tanquam malum, & minus idoneum ad finem: at ante primam permiſſionem peccati, & voluntatem permittendi primum peccatum, quæ obſecro malitia fingi poteſt in creatura rationali, ob quam illa iudicetur mala, & minus apta ad finem gloriæ, & vt talis cenſeatur reiicienda, maximè cùm Deus omnes creaturas rationales ſaltem voluntate antecedenti ordinauerit in eundem finem æternæ gloriæ, quod licèt Caluinus, Beza, & illis antiquiores hæretici Prædeſtinati negent, omnes tamen Doctores Catholici verbis ſaltem affirmant. & iſta quidem ratio præſertim contra eos militat, qui dicunt nullam cauſam talis permiſſionis ex parte creaturæ poſſe aſſignari; ad quorum ſententiam neceſſariò ſequitur, nullam malitiam in ipſa creatura concipi poſſe, ob quam ante huiuſmodi permiſſionem potuerit iudicari indigna æternæ beatitudinis. ponderet prudens, & eruditus Theologus, & iudicet an abſque ratione à communi Doctorum ſententia recedamus. V.

Quintò dicendum, voluntatem non dandi homini lapſo auxilium efficax, quo de facto reſurgat, & permiſſionem manendi in peccato vſque ad finem vitæ, licèt ſit conditio ſine qua homo non reprobaretur, tamen intrinſecè ad reprobationem non pertinere, neque in huiuſmodi actu formaliter conſiſtere, neque ab illo formaliter incipere ipſam reprobationem. Ratio eadem eſt, quia reprobatio eſt iudicium, quo quis iudicatur indignus æternæ gloriæ, & tali fini minus aptus, & conueniens: ſed de lege Dei ordinaria omnes homines vſque ad vltimum terminum vitæ habent auxilia ſufficientia, quibus, ſi volunt, poſſunt à peccato reſurgere, & conſequi vitam æternam. Ergo non poteſt Deus iudicare aliquem finaliter indignum æterna gloria, & ab illa reiiciendum, donec VI.

nec videat illum in peccato finaliter duraturum. voluntas verò non tribuendi homini auxilium efficax ad resurgendum est prior præscientia finalis impœnitentiæ. Ergo ab illa incipere non potest ipsa reprobatio.

Dicetur, quòd ante hanc voluntatem præcessit præscientia, qua prævidit, quod si denegaret homini auxilium efficax, ille perseueraret in peccato vsque ad finem. Verùm hæc responsio difficultatem minimè soluit: quoniam propter ea, quæ prænidentur futura solùm sub conditione, nullus à Deo prædestinatur, aut reprobatur.

VII. Hinc sequitur primò, ante voluntatem permittendi primum peccatum non præcessisse in Deo actum voluntatis excludendi reprobos à fine supernaturali, à quo illorum inceperit reprobatio. Si enim ipsa reprobatio incipere non potuit à voluntate primum lapsum permittendi, multo minus incepit ab isto actu, quem nonnulli fingunt priorem illo. Sequitur secundò minus necessarias esse distinctiones illas de duplici reprobatione, altera negatiua, altera positiua, altera à gratia, altera à gloria: nulla enim videtur esse reprobatio negatiua saltem qualis à nonnullis fingitur. nulla etiam est reprobatio à gratia, si propriè, & strictè de reprobatione loqui velimus: quia reprobatio est iudicium, quo quis iudicatur reiiciendus à fine non autem à mediis. Sequitur tertiò reprobationem non opponi directè, & contrariè prædestinationi, sed approbationi, quæ alio nomine vocatur *electio*: immo neque ipsi electioni opponi contrariè, sed priuatiuè tantùm. prædestinatio enim est præparatio non solùm gloriæ, sed etiam gratiæ: reprobatio verò est reiectio non à gratia, sed à gloria tantùm. Adhuc electionis ad gloriam datur causa ex parte eligentis: sed reprobationis à gloria non datur causa ex parte reprobantis, sed solùm ex parte reprobi. Adhuc finis electionis est volitus primaria intentione, & voluntate consequenti, & etiam antecedenti: at finis reprobationis est volitus solùm voluntate consequenti, & secundaria intentione. Et si quæratur, quid ergo directè opponitur prædestinationi. Respondeo non prædestinatio, & ista est oppositio contradictoria.

VIII. Tandem sequitur, minus idoneas videri illas definitiones reprobationis, in quibus dicitur, quòd reprobatio sit voluntas permittendi lapsum in culpam, aut permittendi creaturam deficere à fine supernaturali. nam licèt eiusmodi voluntas supponatur ad ipsam reprobationem, non tamen pertinet intrinsecè, & quidditatiuè ad illam. Portò exacta reprobationis definitio videtur esse, quæ ex nonnullis recentioribus colligitur, quæ talis est: Reprobatio est iudicium, quo rationalis creatura à Deo iudicatur indigna æternæ vitæ, & digna æterni supplicij, cum voluntate efficaci excludendi illam à gloria, & deputandi illam ad pœnam. Ista definitio videtur data per omnia intrinseca, & nihil includere, quod quidditatiuè ad ipsam reprobationem non spectet. Videri potest circa hanc definitionem Ludouicus Molina 1. part. quæst. 23. art. 3. & 4. disp. 3.

CAPVT III.

Vtrùm ante præuisum peccatum fuerit in Deo voluntas efficax excludendi reprobos à fine supernaturali æternæ gloriæ.

COnstito itaque de actibus diuini intellectus, & diuinæ voluntatis, qui vel spectant intrinsecè, & quidditatiuè ad ipsam reprobationem, vel saltem necessariò illi supponuntur, eámque antecedunt, videndum est, quem ordinem isti actus habeant inter se: hæc nanque consideratio necessaria est ad sternendam nobis viam ad ea, quę dicenda sunt de causis reprobationis. & primò videndum est, vtrùm ante præscientiam peccati, vel mali vsus liberi arbitrij creati fuerit in Deo efficax voluntas excludendi reprobos à fine supernaturali æternæ gloriæ. Nam in hac re est nobis controuersia non solùm cum hæreticis, sed etiam cum Doctoribus Catholicis non paruæ autoritatis in scholis. Nam quod attinet ad hæreticos, Prædestinati, quos secuti sunt Caluinus, & Beza in locis in initio huius libri citatis, & prout etiam illis tribuit Cardinal. Bellarminus lib. 2. de amissione gratiæ, & statu peccati c. 12. dixerunt, impios creari ad gloriam diuinæ iustitiæ in eorum suppliciis demonstrandam, ob decretum, quod omnem culpæ præuisionem anteceſſit. De hoc errore dictum est lib. 5. c. 10. & sequentibus. Ex Doctoribus Catholicis nonnulli etsi ab errore Caluini, & aliorum hæreticorum plurimum se velle distare fateantur, aiunt tamen, Deum actu positiuo ante omnem præscientiam mali vsus liberi arbitrij creati voluisse non admittere reprobos ad regnum gloriæ, quod idem est, atque voluisse illos efficaciter ab eodem regno excludere, & ex hac voluntate processisse voluntatem permittendi lapsum in culpam: & ostensionem iustitiæ punitiuæ in reprobis fuisse æquè principaliter intentam, sicut fuit intenta ostensio diuinæ bonitatis per modum misericordiæ in electis, sicut eodem lib. 5. cap. 10. & sequentibus etiam dictum fuit. Et quanuis vtraque sententia satis superquè fuerit in eodem libro à nobis refutata, cùm ostendimus, Deum voluntate antecedenti, quæ antecedit præscientiam vsus liberi nostri arbitrij, nō solùm nullum efficaciter excluſisse à fine supernaturali æternæ salutis, verùm etiam omnes in eundem finem ordinasse, & parasse omnibus media apta, & sufficientia ad eundem finem assequēdum: non est tamen hoc in loco, qui illius discutiendæ proprius est, silentio omnino prætereunda maximè cùm nouæ suppetant rationes ad illam oppugnandam, & noua sese offerant argumenta hæreticorum, & etiam Catholicorum dissoluenda. Caluin. Bellarm.

I. Hæc igitur sententia in eo sensu intellecta, in quo illam hæretici intelligunt, & defendunt, absque dubio est error in fide, cuius rei argumentum efficax est, quòd cùm Massilienses illam imponerent D. Augustino, quemadmodum nunc quoque Caluinitæ Augustinum sui ipsorum erroris faciūt patronum, ille in responsione ad Articulos sibi falsò impositos, siue Prosper eiusdem Augustini defensor, eam tanquam erroneam reiicit ad primum secundum & duodecimum, & idem D. Prosper ad capitula Gallorum ad octauum & nonum.

II. De opinione verò Catholicorum Doctorum nihil

nihil audeo de meo ſupercilio cenſere, fortaſſis nanque illi verum aliquem ſenſum in illa, & per illam intendunt, quanuis non ita apertè illum explicent. etſi Suarez lib. 5. de Prædeſtinatione cap. 3. n. 6. vocet illam improbabilem, & alienam à ſana doctrina, & Scotus ibi citatus vocet illam crudelem. Ambroſius Catharinus horribilem, & omnes pias aures verberantem, & dicens, Auguſtinum illam tanquam impiam deteſtari, Horantius dicat, eam facere Deum atrocem, & ferum. Viguerius, Ioãnes à Bononia, & Flaminius de nobilibus illam pugnare cum diuina iuſtitia, & diuina pietate, quorum cenſurę libenter ſubſcribit Trigoſius q. 18. a. 6. dub. 1. concl. 3. & art. 10. dub. 4. concluſ. 4.

Suarez. Scotus. Catharin. Horantius. Viguerius. Ioã. Bonon. Flamin. Trigoſius.

III. Hoc vnum libenter & conſtanter affirmo, eam ſic nudè intellectam, prout iacet, mihi nullo pacto probabilem videri poſſe: & argumenta, quibus eius autores eam probant, prorſus eadem eſſe cum illis, quibus Caluinus probat ſuum errorem, qui primus eſt lapis ab illo poſitus ad aſtruendos omnes alios errores de reprobatione.

Et quidem nullo modo eam probabilem videri, præter alia argumenta lib. 5. cap. 10. 11. & 12. adducta ita oſtendo, quia ſi ante præuiſum peccatum Deus ſtatuit non admittere aliquam creaturam rationalem ad finem æternæ beatitudinis, & ab eo efficaciter illam excludere, ſequitur, primã, & maximam pœnam, quam reprobus patitur in inferno, non eſſe pœnam pro peccato inflictam, & eidem peccato debitam, ſed gratis, & ſola Dei voluntate reprobo impoſitam. Conſequens autem ita abſurdum eſt, vt confutationem non mereatur. & ſequela probatur. quia ſumma, & prima damnatorum pœna eſt carentia diuinæ viſionis, quam vocant pœnam damni: hæc autem pœna non eſt inflicta pro peccato, ſi ante præuiſum peccatum Deus efficaciter iam apud ſe decreuerat, reprobos ſua viſione priuare.

Huic argumento, quod certè efficaciſſimum eſt, reſpondet recens quidam Doctor, carentiam diuinæ viſionis duobus modis conſiderari poſſe, vel vt priuatio, & pœna damni, vel vt importat ſolum actum poſitiuum voluntatis non dandi aliquibus beatitudinem, & non ordinandi eos ad talem finem, vt magis ſplendeat in electis diuina miſericordia. primo modo concedit, nullum fuiſſe excluſum à beatitudine ante præuiſum peccatum: & tamen cum hoc ſtat, Deum efficaciter aliquos voluiſſe non admittere ad gloriam ante præuiſum peccatum, quatenus illa carentia diuinæ viſionis conſideratur ſecundo modo.

Hæc reſponſio frigida nimis eſt, & ſeipſam ſubuertens, carentia enim formæ in aliquo ſubiecto nunquam induit rationem priuationis, niſi in ſubiecto ſit aliquod debitum habendi talem formam. ob hanc cauſam lapis non dicitur cæcus, & carentia viſionis in lapide non habet rationem priuationis, quam vocamus cæcitatem: quia natura non conſtituit in lapide debitum habendi formam, quæ eſt viſio. In oculo verò carentia viſionis habet rationem priuationis, & vocatur cæcitas, quia in oculo natura conſtituit debitum habendi formam, quæ eſt viſio. Si ergo carentia diuinæ viſionis pro aliquo tempore vel inſtanti habere poteſt rationem priuationis, neceſſe eſt, fuiſſe in creatura rationali à Deo conſtitutum debitum habendi formam oppoſitam, quæ eſt diuina viſio: hoc autem debitum nullo alio modo Deus in creatura rationali conſtituit, niſi ordinãdo illam in finem ipſius diuinæ viſionis, & præparando illi media ſaltem ſufficientia ad talem finem aſſequendum. hoc autem ſtante quæro à ſic reſpondente, per quem actum Deus conſtituerit in damnato iſtud debitum habendi viſionem beatificam, ratione cuius talis carentia habet rationẽ priuationis. vel enim per actũ antecedẽtẽ iſtũ actũ diuinæ voluntatis, quo voluit illos excludere efficaciter à beatitudine, vel per actum ſequentẽ. Si per antecedentem, iam ille actus voluntatis efficacis, quem dicunt eſſe primum actum diuinæ voluntatis circa reprobos, non erit primus actus ſed ante illum erit aliquis actus prior. Rurſus ſi ante actum voluntatis efficacis, quo voluit reprobos excludere ab æterna beatitudine, fuit actus, prior, quo eoſdem reprobos ordinauit in finem ſupernaturalem æternæ beatitudinis, & præparauit illis media ad talem finem, illa carentia diuinæ viſionis, & excluſio reproborum à beatitudine non poteſt pro aliquo inſtanti habere rationem ſimplicis carentiæ: quia ſemper ſupponit in reprobo debitum habendi formam oppoſitam. Rurſus impoſſibile erit, ante præuiſum peccatum concipere in Deo voluntatem efficacem excludendi reprobos à beatitudine. quomodo nanque eſt intelligibile, Deum actu aliquo ſuæ voluntatis creaturam ordinare in finem æternæ beatitudinis, & velle illi media opportuna ad talem finem aſſequendum, & nihilominus nullo demerito præcedente in eadem creatura deordinare illam, & efficaciter excludere velle ab eodem fine? Certè meã fateor tarditatem, hoc intelligere nullatenus valeo. Si verò dicatur, Deum conſtituiſſe huiuſmodi debitum in creatura per actum ſequentem illum actum voluntatis efficacis excludendi illam à beatitudine, ſequitur aliud abſurdum non minoris momenti, nimirum Deum poſtquam ſemel efficaciter apud ſe decreuit non admittere creaturam ad regnum gloriæ, ſed illam excludere, iterum illam ad idem regnum gloriæ per ſuam voluntatem ordinauiſſe, quod quàm ſit abſurdum, etiam nouitij in Theologia facilè videbunt.

Hinc infero ſecundam rationem. Licèt Deus potuiſſet non ordinare aliquam creaturam ad finem ſupernaturalem æternæ beatitudinis abſque eo, quòd ei aliquam iniuriam irrogaret, tamen ſemel ſuppoſito, quòd illam ordinauerit ad talem finem, & contulerit ei media ad finem aſſequendum, & conſtituerit in illa debitum eundem finem conſequendi, ita quòd niſi ipſum finem aſſequatur, hoc ſit illi imputandum ad culpam, pro qua deputetur ad pœnam, non poteſt Deus abſque præuiſo aliquo defectu in ipſa creatura illam efficaciter excludere à tali fine, ſine aliqua iniuria, & iniuſtitia: ſed certum eſt, Deum omnes homines per prouidentiam ſupernaturalem ſemel ordinaſſe in finem æternæ beatitudinis, quod D. Thom. 1. p. q. 23. a. 3. manifeſtè fatetur, & omnes Catholici cum illo: certum eſt etiam, Deũ contuliſſe omnibus media opportuna ad finem: adhuc certum eſt, conſtituiſſe in omnibus debitum habendi tum gratiam, quæ eſt medium, tum gloriam, quæ eſt finis, nam propter hoc debitum contrahimus peccatum originale, quod eſt carentia originalis iuſtitiæ cum debito habendi illam, propter hoc punimur pœna damni in inferno, quia ineſt nobis debitum aſſequendi gloriam. Ergo non potuit Deus ante inſpectum peccatum voluiſſe aliquam creaturam rationalem excludere à regno gloriæ abſque iniuria, & iniuſtitia eidem creaturę irrogata. Atque iſta eſt potiſſi-

IV. D. Thom.

ma ratio, ob quam iſta opinio vocatur crudelis, & faciens Deum atrocem: nam aut Deus non imputet nobis, quòd careamus iuſtitia originali, & non aſſequamur gloriam, vel ſaltem ad illam non tendamus, vel non excludat nos ante noſtra demerita præuiſa. quis enim eſt iure culpandus, quòd non tendat ad eum finem, ad quem non ſolùm nunquam fuit à Deo ordinatus, ſed à quo fuit à Deo efficaciter excluſus ante omne illius demeritum præuiſum? quis enim hæc paradoxa ferat prorſus inextricabilia?

V. Tertiò oſtendo falſitatem eiuſdem ſententiæ alio argumento tacto lib. 5. cap. 12. ſi Deus ante præuiſa hominum peccata aliquos efficaciter voluit excludere à regno gloriæ, neceſſe eſt, eum ob aliquem finem hoc voluiſſe. quæritur ergo, quis fuerit talis finis. Dicitur, quòd fuit oſtenſio diuinæ iuſtitiæ in reprobis, & maioris miſericordiæ in electis, qui finis potiſſimus eſt, & per ſe ſufficiens ipſius reprobationis, quanuis non excludat alios fines ipſi Deo cognitos, & ab illo intentos. hoc autem ſtante arguo. Qui intendit efficaciter aliquid tanquam finem potiſſimum, & per ſe ſufficientem, intendit etiam ſaltem virtualiter illud omne, ſine quo talis finis haberi non poteſt: ſed oſtenſio diuinæ iuſtitiæ vindicatiuæ ſine culpa eſſe non poteſt. Ergo cùm Deus voluerit efficaciter excludere reprobos à gloria ob oſtenſionem iuſtitiæ vindicatiuæ, virtualiter ſaltem voluit culpam, ſine qua talis oſtenſio omnino eſſe non poteſt.

Neque eſt valida reſponſio, quam quidam autor adhibet, dicendo Deum non quidem intendiſſe reproborum damnationem, neque hoc fine illos creare, vt damnentur, quia illorum damnatio non eſt bonum de ſe appetibile: ſed ſolùm permittere illorum peccata, & illos punire, vt in illis ſplendeat diuina iuſtitia, quę eſt quid de ſe bonum. hæc nanque reſponſio ſeipſam euertit. quia oſtenſio diuinæ iuſtitiæ vindicatiuæ realiter nihil aliud eſt, niſi punitio peccati, & punitio peccati realiter nihil aliud eſt, niſi damnatio ad pœnam peccato debitam, & eiuſdem pœnæ inflictio. quanuis itaque peccatum, cui pœna debetur, non ſit quid de ſe bonum, tamen punitio eiuſdem peccati eſt quid de ſe bonum, & dicere, quòd damnare impium ad pœnam, & illum pro peccato punire, non ſit aliquid de ſe bonum, eſt dicere errorem: ſicut dicere, quòd Deum eſſe iuſtum vltorem peccati, non ſit aliquid de ſe bonum, & quòd iudex puniens delinquentem, non agat actum de ſe bonum, niſi intelligatur quòd non eſt aliquid de ſe bonum, id eſt, non ſuppoſito peccato. Sed hoc ad rem non facit, & facit contra reſpondentem: quia ſi oſtenſio iuſtitiæ vindicatiuæ non eſt aliquid de ſe bonum non ſuppoſito peccato, non potuit Deus iſtud bonum velle, antequam peccatum præuideret. aut igitur dicendum eſt, hanc reſponſionem eſſe abſurdam, aut docere debet ſic reſpondens, quomodo Deus efficaciter excludere voluerit reprobos à gloria, & permittere illos labi in peccatum ob hunc finem, qui eſt oſtenſio iuſtitiæ vindicatiuæ in illis, & tamen noluerit illorum damnationem, quod non oſtendit. aut dicendum, quòd volendo hunc finem, qui eſt oſtenſio iuſtitiæ punitiuæ, vt potiſſimum, & per ſe ſufficientem reprobationis, voluerit etiam virtualiter culpam, quod eſt dictum abſurdum. aut tandem, quòd non voluerit hunc finem niſi ſuppoſita notitia peccati, quod veriſſimum eſt, & iuxta ſententiam D. Auguſtini & D. Thom. vt dicemus.

Confirmatur ratio. qui enim dicunt, Deum ante præuiſa cuiuſque merita voluiſſe electis ſuis efficaciter gloriam, dicunt quòd ex intentione efficaci talis finis voluit etiam illis gratiã, & media ad finem. Ergo à pari qui dicunt, Deum ante præuiſum peccatum voluiſſe efficaciter excludere reprobos à regno gloriæ, ad oſtendendam in eis ſuam iuſtitiam punitiuam, conſequenter habent dicere, Deum virtualiter voluiſſe illis omnia media, ſine quibus talis finis haberi non poteſt, inter quæ media eſt ſine dubio peccatum. quæ nanque eſt maior ratio de mediis reſpectu huius finis efficaciter intenti, quàm de mediis reſpectu illius finis etiam efficaciter intenti. VI.

Dicetur rationem diſcriminis eſſe, quòd medium ad hunc finem, qui eſt gloria, cùm ſit aliquid de ſe bonum, poteſt eſſe à Deo volitum, & intentum, ſed medium ad hunc finem, qui eſt oſtenſio iuſtitiæ punitiuæ, non omne eſt aliquid de ſe bonum, peccatum enim non eſt aliquid de ſe bonum: & ideo non poteſt eſſe à Deo volitum & intentum. Sed hæc euaſio non tollit difficultatem argumenti, vis enim argumenti in hoc poſita eſt, quòd volens efficaciter finem voluntate antecedenti ante inſpecta alterius opera, vult virtualiter omne medium, ſine quo finis haberi non poteſt, hæc enim videtur propoſitio in terminis per ſe manifeſta, quæ à nullo terminos non ignorante poſſit negari, & dixi notanter quòd volens efficaciter finem ante inſpecta alterius opera voluntate antecedenti vult virtualiter media ad finem neceſſaria, ad excludendam inſtantiam, quã ſciolus facere poteſt, dicendo, certum eſſe ſecundùm fidem, Deum velle reprobos efficaciter damnare, & tamen certum eſſe, Deum non velle peccatum, ſine quo illi non damnarentur, id enim verum eſt, quia non vult illos dãnare ante inſpecta illorũ peccata. Si autẽ vellet illos dãnare ante inſpecta peccata, aut dicendũ eſſet, quòd vellet eos damnare ſine culpa, aut quòd vellet etiam culpam, vt iuſtè illos poſſet damnare. Cùm itaque illa propoſitio ſit neceſſaria, & per ſe nota ex notitia terminorum, in omni materia locum habere debet. quare aut reſpondens habet oſtendere, quòd hæc propoſitio, volens aliquem finem primaria intentione, & voluntate antecedenti ante inſpectum alterius concurſum, & voluntatem, virtualiter vult illud omne, ſine quo finis haberi non poteſt, ſit propoſitio falſa: aut dicere habet, quòd Deus volendo hunc finem, qui eſt oſtenſio iuſtitiæ punitiuæ in reprobis ante inſpecta illorum opera voluerit ſaltem virtualiter illorum peccata, aut quòd noluerit talem oſtenſionem ante præuiſa illorum mala opera, ſed pòſt. Primum non demonſtrant. Tertium negant. Ergo ſecundũ dicere coguntur, quod tamen eſt manifeſtè abſurdum.

Confirmatur etiam ratio. nam Caluinus, & Beza non dixerunt, Deum velle malitiam peccati, immo potiùs dixerunt, illam non velle, & odio habere: & tamen quia dixerunt, Deum voluiſſe oſtendere ſuam iuſtitiam punitiuam in reprobis, quæ ſine peccato oſtendi non poteſt, & voluiſſe actus illos, quibus malitia eſt annexa, Catholici dicunt, illos facere Deum autorem peccati. Et quòd illi non dixerint, Deum velle, aut voluiſſe malitiam peccati, ſed potiùs eam non velle, nec voluiſſe, oſtendimus ex verbis Caluini lib. 1. VII.

Inſti

Caluin. Beza. Zuinglius. Inſtitut. cap. 17. & 18. & ex lib. 3. cap. 23. ex Beza Aphoriſmo 31. cui addi poteſt Zuinglius ſerm. de prouidentia cap. 6. & vt ſemel dicamus, cùm iſti dicant, Deum primaria intentione voluiſſe oſtentionem ſuæ iuſtitiæ vindicatiuæ in reprobis, ſicut voluit oſtentionem ſuæ miſericordiæ in electis, & ob iſtum finem voluerit illos efficaciter excludere à regno gloriæ, & illorum lapſum permittere, & pro culpa ad pœnam deputari, non ſatis docent, quomodo illorum ſententia realiter diſtet ab opinione Caluini. ille enim nihil plus dicere videtur, quod monſtrant verba illa Bezæ, *ideo oportet Adamum condi ſanctum & innocentem: ſed qui ſua ſponte, & ſine vlla Dei culpa vitioſus factus viam patefaceret æternis Dei conſiliis, id eſt, tum miſericordiæ, tum ſeueritatis ipſius declarandæ. oportuit ergo Deum quoque hanc vnicam viam ſibi aperire, id eſt, Adami lapſum ordinare, ſed ad eum, quem dixi finem, qui cùm ſit iuſtiſſimus, & ſanctiſſimus, iuſtam quoque ipſius ordinationem eſſe conſequitur.* melius ergo eſt Catholicum Doctorem ab hæreticis etiam in verbis, & modo loquendi diſcordare, quàm concordare in modo loquendi, & laborare, vt monſtret ſe diſcordare in re, maximè cùm id rationibus euidentibus minimè demonſtret.

VIII. Dicetur fortaſſe, Deum voluiſſe quidem reprobos excludere efficaciter à regno gloriæ ante præuiſa peccata, non tamen voluiſſe illos ad pœnam ante præuiſam culpam deputare. Verùm nec iſta euaſio difficultatem ſoluit. quia vel ſic excluſi habuiſſent neceſſitatem labendi in peccata, vel nõ. Primum dici non poteſt, quia illorum peccatum neceſſariò refundendum eſſet in Deum, ſaltem loquendo de primo peccato Angelorum, vel hominis in ſtatu naturæ integræ, vt arguit Aug. in lib. de Corrept. & gratia cap. 11. & 12. ad probandum, quòd ſi Adæ vel Angelo in ſtatu innocentiæ non fuiſſet collatum aliquod auxilium, quo ſtare potuiſſent, ſi voluiſſent, illorum culpa in autorem naturæ refundenda eſſet. Sequeretur etiam, creaturam peccare in eo, quod vitare nõ poſſet, quod etiam eſt abſurdum. quam ſententiam damnauit Pius V. & Gregorius XIII. referente Leſſio in diſp. apologetica c. 9. n. 8. Si autem non habuerũt neceſſitatem labendi. Ergo potuit eſſe creatura rationalis in puris naturalibus conſtituta ad nullum finem ſupernaturalem ordinata, neque ad oſtendendam diuinam miſericordiam, neque ad oſtendendam diuinam iuſtitiam. Conſequentia eſt euidens. Si enim reprobi non habuerunt neceſſitatem labendi, potuerunt ſtare: ſi autem ſtetiſſent, illi neque ad finem ſupernaturalem, qui eſt oſtenſio diuinæ gloriæ per modum miſericordiæ, neque ad finem, qui eſt oſtenſio diuinæ iuſtitiæ, fuiſſent ordinati. & caſus fuiſſet poſſibilis: quia poſſibili poſito in eſſe nullum ſequitur impoſſibile, ex 1. Priorum c. 12. Conſequens verò ex hoc cõuincitur falſum eſſe, quia nullus Catholicus negat omnes creaturas rationales, quæ aliquando ſunt futuræ in rerum natura, ſaltem voluntate antecedenti fuiſſe ordinatas in finem ſupernaturalem. quod manifeſtè ſupponit D. Th. 1. p. q. 23. a. 3. Nec poteſt dici, quòd etiamſi defeciſſent à fine ſupernaturali, manſiſſent tamen in puris naturalibus: quia ex illa ordinatione ad finem ſupernaturalem oritur debitũ tendẽdi in illum, & aſſequendi, vnde qui non aſſequitur illum, conſtituitur neceſſariò in culpa, ſicut qui naſcitur ex ſtirpe Adæ per viam ordinariam, conſtituitur in culpa, non habens iuſtitiam originalem, quam debet habere.

Auguſtin. Leſſius. D. Thom.

IX. Tandem quia nonnulli iactant, ſententiam, quam modò impugnamus, eſſe ipſiſſimam ſentẽtiam D. Auguſtini, & Proſperi, & D. Thom. oſtẽdo illam à doctrina horum Doctorum prorſus alienam eſſe, & nunquam (quod mihi certiſſimum eſt) illis in mentem veniſſe. in primis enim Auguſtinus ex ſententia D. Thomæ de veritate q. 6. art. 2. ad 9. dicit, reprobationem ſupponere notitiam peccati originalis, & ex illa ortum habere. neque poteſt dici, quòd loquatur de reprobatione poſitiua, aut à gloria, non autem de negatiua, & à gratia. quia D. Thom. indiſtinctè loquitur, & quærit cauſam reprobationis vniuerſaliter loquendo, & eſt vniuerſaliter & diſtinctè intelligendus. Addo quòd nunquam inuenietur in Auguſtino, illum dixiſſe, Deum aliquẽ reprobaſſe, niſi propter peccatum, & ſi alicubi cõtrarium dixiſſet, aſſignatus eſſet locus, vbi id diceret, nullus autem hactenus talem locum potuit monſtrare, cùm nonnulli laborauerint in eo quærendo. Immo ad articulos ſibi falsò impoſitos hanc impoſturam reiicit, maximè cap. 7. nec refert dicere, quòd ille non ſit liber Auguſtini, ſed Proſperi: quia D. Proſper, ſi eius libri autor eſt, illũ ſcripſit gratia defendendæ doctrinæ Auguſtini ab impoſturis Maſſilienſium, & Semipelagianorum: quam ob cauſam multa alia ſcripſit. Mihi autem valde perſuaſum habeo, D. Proſperum longè meliùs Auguſtini ſenſum, & mentem percepiſſe, & magis fideliter retuliſſe, qui non contradicendi ſtudio ſcribebat, neque ob eam cauſam, quæ nonnunquam inter ipſos Apoſtolos agitata eſt, nimirum quis eorum videretur eſſe maior, quæ multorum litigiorum in Dei Eccleſia nonnunquam cauſa exiſtit, ſed ſolius veritatis Catholicæ ab hæreticis defendendæ, & illuſtrandæ, quàm recentiores quidam, quorum animus in contradicendo totus poſitus videtur. Immo cùm ipſe D. Proſper D. Auguſtini doctrinam defendens à calumniis aduerſariorum in lib. ad capitula Gallorum ad tertium, ſeptimum, vndecimum & decimumquartum. & in ſententiis ex illis reſponſionibus ſuo ordine exceptis hanc ſententiam reiiciat, vt calumniam ab æmulis impoſitam Doctoribus Catholicis, & in lib. 2. de vocatione c. 23. verſans circa illud Apoſtoli, *Deus vult omnes homines ſaluos fieri.* dicat, hanc Apoſtoli ſententiam ita veram eſſe, vt etiam illis paruulis, qui non regenerãtur, Deus prouiderit media, & auxilia, quibus ipſam ſalutem aſſequi poſſent, ſi per eos, quorum ſunt curæ demandati, aliquo modo non ſtaret, mirum eſt, quòd nonnulli pro ſua ipſorum ſententia audeant etiã D. Proſperum in contrarium cũ Auguſtino citare.

D. Proſper.

X. Sed vt tollamus omnem dubitationem, certum eſt apud D. Auguſtinũ, & Proſperũ, & D. Th. prædeſtinationẽ ſupponere præſcientiã peccati originalis ſaltẽ, ſiue illa ſit ad gloriã, ſiue etiã ad gratiã, vt lib. præcedenti c. 2. 22. & 25. monſtrauimus. Ergo etiam reprobatio illius præſcientiam ſupponit. quis enim credat, fuiſſe priorem reprobationem, quàm prædeſtinationẽ? Dicetur quòd illa volũtas excludendi reprobos à fine æternæ gloriæ, nõ fuit reprobatio. Verùm hoc eſt cõtra D. Th. loco cit. in corpore articuli dicẽtẽ, *vnde cùm per diuinã prouidentiã homines in vitam æternã ordinentur, pertinet etiã ad diuinam prouidentiam, vt permittat aliquos ab iſto fine deficere, & hoc eſt reprobare.* & certè notanda ſunt iſta verba: dato enim, quòd præter reprobationem poſitiuam ſit reprobatio negatiua, non dicit D. Thomas eam conſiſtere in voluntate poſitiua excludendi aliquos à fine gloriæ ante præuiſa peccata, ſed in voluntate permittendi

illos deficere ab eodem fine. At quis tam imprudens erit, qui dicat voluntatem excludendi efficaciter aliquem à fine, & voluntatem permittendi illum pro ſua libertate deficere à fine, non eſſe voluntates diſtinctas, ſicut ſunt diſtinctæ voluntates illa, qua quis vult poſitiuè, vt aliquid fiat, & voluntas, qua quis vult ſolùm aliquid permittere, vt fiat ab alio pro ſua libertate. videantur loca ex D. Thom. citata lib. 5. cap. 12. in fine.

CAPVT IV.

Aduerſariorum obiectionibus ſit ſatis.

1. COntra noſtram ſententiam, quam capite præcedenti ſolùm breuiſſimè inſinuauimus, illam enim latè probauimus lib. 5. controuerſia tertia, per totum, obiiciunt tum hæretici, tum nónulli Catholici plurima argumenta, quæ etſi eodem lib. 5. ſufficienter ſint ſoluta, tamen ne videantur hîc data opera diſſimulata, nonnulla, quæ videntur fortaſſe ſpecialem reſponſionem poſtulare, hîc ſummariè adducemus, & ſoluemus.

Primò itaque obiiciunt teſtimonium illud Malachiæ 1. & ad Roman. 9. vbi dicitur *Iacob dilectus, Eſaü autem odio habitus, antequam boni aliquid egiſſent aut mali.* Iacob verò eſt typus prædeſtinatorum, & Eſaü reproborum. Deum autẽ odio habuiſſe Eſaü, idem fuit, quod voluiſſe illum efficaciter excludere ab æterna gloria, & hoc fuit Deum reprobaſſe illum. Sic enim ait D. Tho. eadem 1. p q. 23. a. 3. ad primum, quod *in quantũ quibuſdam non vult hoc bonum, quod eſt vita æterna, dicitur eos odio habere, vel reprobare.* Reſpondetur iuxta ea, quæ dicta ſunt lib. 5. cap. 13. & 14. quæ omnino ſunt videnda, illud teſtimonium *Iacob dilexi, Eſaü autem odio habui*, non eſſe in ſenſu hiſtorico, & literali intelligendum de amore, & odio, quo Deus vult, aut non vult nobis bona ſpiritualia, & æterna: ſed de amore, & odio, quo vult, aut non vult nobis bona temporalia. & dato quòd in ſenſu myſtico, & allegorico loquatur Apoſtolus de amore, & odio, quo Deus vult, aut non vult homini bona ſpiritualia, & idem ſit, Deum diligere, quod prædeſtinare, & idem odio habere, quod reprobare. Dico, non eſſe intelligenda hæc verba de prædeſtinatione ad gloriam, vel reprobatione à gloria, ſed de prædeſtinatione ad gratiam, vel reprobatione à gratia, vt idem ſit odio habere, quod minus diligere, & nolle reprobo tantàm gratiam, quantam vult prædeſtinato. Aut ſi demus illa verba poſſe intelligi de prædeſtinatione, & reprobatione ad gloriam, vel à gloria, dicendum, quòd illa verba, *Iacob dilexi, Eſaü autem odio habui*, non ſunt conſtruenda cum illis, *antequã aliquid boni egiſſent aut mali*, vt faciant ſenſum, quòd ante præuiſa noſtra bona vel mala opera Deus nos efficaciter elegerit ad gloriam, vel efficaciter reprobauerit à gloria. eſſet enim ſenſus falſus, & nunquam ab Apoſtolo intentus, repugnans aliis apertiſſimis diuinæ Scripturæ teſtimoniis: ſed debent conſtrui cum illis: quia maior ſeruiet minori, vt dicto lib. 5. c. 14. ad primum argumentum notauimus.

D. Thom.

Sed verior ſententia, & reſponſio eſt, vt in ſenſu myſtico loquatur Apoſtolus de prædeſtinatione ad gratiam, & reprobatione à gratia. quanuis propriè loquendo nulla ſit huiuſmodi reprobatio, vt c. 1. notatum eſt, & nomine odij non intelligatur proprie actus odij, quod propriè in Deo non niſi ex peccato oriri poteſt, vt D. Hier. notauit in illum locum Malachiæ, ſed minor dilectio. Vel ſecundò dicendum, Apoſtolum non loqui de quibuſcúque operibus ſiue internis, ſiue externis, ſed de operibus externis, & de obſeruantia legalium, ob quam Iudæi, quorum errorem ibi Paulus confutabat, aſſerebant, ſe fuiſſe à Deo electos ad gratiam Euangelij, & adoptionis filiorum Abrahæ ſecundùm ſpiritum. Vel tertiò dicendum cum D. Aug. epiſtola 106. & lib. 2. de gratia Chriſti & peccato originali c. 31. Paulum cùm ait, cùm nondum aliquid boni egiſſent, aut mali, excludere voluiſſe non quæcunque opera bona, vel mala, quæ nobis imputantur, non enim excludit peccatum originale, propter quod dicit paruulos fuiſſe reprobatos, neque excludit merita Chriſti, quorum intuitu oſtendimus lib. præcedẽti nos fuiſſe à Deo prædeſtinatos, quoniam de vtriſque apertam habemus ſententiam eiuſdem Apoſtoli, dicentis: *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes viuificabuntur.* ſed ſolùm excludere voluiſſe opera perſonalia, vt ſit ſenſus, nullum ex bonis, vel malis meritis perſonalibus præuiſis fuiſſe à Deo prædeſtinatum ad gratiam, vel ab ea reprobatum. cum quo ſtat, aliquos ad gratiam fuiſſe prædeſtinatos ex meritis Chriſti, & aliquos à gratia reprobatos propter peccatum originale.

Hieronym. Auguſt.

Autoritas verò D. Thomæ nihil ad rem facit. nõ enim dicit, quòd Deus non velit reprobo bonum vitæ æternę, ita quòd efficaciter velit illum excludere à tali fine ante præuiſum peccatum, de qua re ſolùm eſt quæſtio. vnde admittimus, Deũ aliquos odio habere, eſſe illos reprobare, & non velle illis bonum vitæ æternæ: ſed propter hoc non cogimur dicere, Deum illos odio habuiſſe ante inſpectum peccatum.

II. Secundò principaliter obiiciunt verba Apoſtoli in eodem loco dicentis, *Ergo cuius vult miſeretur, & quem vult indurat.* & humanam audaciam obiurgantis dicendo, *O homo tu quis es, qui reſpondeas Deo? nunquid dicit figmentum ei, qui ſe finxit, quare me feciſti ſic? Nunquid non habet poteſtatem figulus luti ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam.* quæ obiurgatio nullas vires haberet, ſi diceremus, Deum ante præuiſa noſtra opera nullum efficaciter reprobauiſſe. reſponderi enim poſſet, ex bono, vel malo vſu liberi noſtri arbitrij pendere, quòd ſupernaturalis Dei prouidẽtia ſortiatur in vno rationem prædeſtinationis, in alio non.

Reſpondeo primò, me ſatis lib. 5. c. 14. oſtendiſſe, quomodo illa metaphora luti & figuli, & vaſorũ in honorem, & contumeliam, qua nonnulli nõ ſolùm hæretici, ſed etiam Catholici multis modis aburantur, ſit iuxta diuinam Scripturam & ſanctos Patres Hieronymum, Auguſtinum, Chryſoſtomum, & alios prædeſtinatis, & reprobis applicanda. Nunc autem dico, etiamſi demus, ex bono, vel malo vſu liberi arbitrij creati dari cauſam, ob quam ſupernaturalis Dei prouidẽtia ſortiatur rationẽ, & effectũ prædeſtinationis, aut retineat ſolùm rationem cõmunis prouidentiæ, nõ ſequi, obiurgationem illam nullas vires habere, neque arguentem id probare. Deinde dico, totum illum Apoſtoli diſcurſum ſupponere peccatum originale, quo ſuppoſito Deus, quem vult indurat, non impertiendo auxilium efficax, quo homo conuertatur, & cuius vult miſeretur, impertiẽdo auxiliũ efficax, quo liberetur de maſſa perditionis. neque vllus contra Deum iuſte queri poteſt: nam qui

libe

liberantur, Dei misericordiam debent laudare, & qui non liberantur, debitum proprium agnoscere, vt sexcentis in locis inculcat Augustinus. & per massam luti, ex qua Deus efficit aliud quidem vas in honorem, aliud in contumeliam, non intelligitur massa naturæ humanæ nondum peccato vitiata, vt sit sensus, quòd ante præuisum peccatum Deus, sicut fecit alios vasa honoris per prædestinationem, ita fecerit alios vasa contumeliæ per reprobationem. absit, non ita hanc metaphoram luti, & massæ exponunt Sancti Patres: sed per massam intelligunt naturam humanam peccato Adæ vitiatam, & corruptam. ita Ambrosius, Haymo, Primasius, Beda & Anselmus in illum locum ad Rom. 9. & D. Aug. epistola 105. & 106. licèt hęc interpretatio non admodum placeat Theodoro Bezæ ad acta colloquij montis Belgardensis p. 1. pag. 164. cùm ait, *nec etiam ignoro, ipsum Augustinũ sæpe per luti massam intelligere humanum genus non solum, vt iam conditum, sed etiam originis peccato vitiatum, vnde nascantur, quorum misereatur, & quos iustè induret. sed si valet istud, tam nota esset causa prædestinationis ad iram, quam destinationis ad misericordiam. cur autem Apostolus si ita esset, exclamaret: O altitudo diuitiarum*, &c. ex quibus verbis non solùm appareat, applicationem metaphoræ luti, & massæ, & vasorum honoris, & contumeliæ prædestinatis, & reprobis eo modo factam, vt dicamus, Deum ante præuisum peccatum Adæ aliquos fecisse vasa honoris efficaciter ad gloriam prædestinando, alios vasa contumeliæ efficaciter à gloria excludendo, esse commentum Bezę à Caluino acceptũ, & contrarium doctrinæ Augustini, & Patrum, sed apparet etiam, argumentum aduersariorum, quo obiiciunt, obiurgationem Pauli nullam vim habere, si demus, Deum nullum efficaciter reprobare, ante præuisum vsum liberi arbitrij, in sensu idẽ esse cum argumento, quod contra Augustinum, & Patres obiicit Beza. Videat igitur Doctor Catholicus, & diligenter attendat, maximè cùm dicat Beza eodem loco, decretum Dei de faciendis ex eadem massa vasis aliis in honorem, aliis in contumeliam antecessisse omnem præuisionem culpæ, & omnem omnino causam, quod dictum falsum esse, & erroneum optimè conuincit Cardin. Bellarmin. lib. 2. de amissione gratiæ c. 12. quia si Deus propria voluntate sua ante præscientiam peccati fecisset vasa cõtumeliæ, non illa odio haberet, non vellet confringere, non sustineret illa cum tanta patientia, nec sine nota iniquitatis ex massa, quæ nec boni, nec mali aliquid mereretur, videretur posse facere vasa in contumeliam, & tamen non est iniquitas apud Deum.

Augustin. Beza. Bellarm.

III. Tertiò argumentantur ex finibus prædestinationis, & reprobationis. nam finis prædestinationis est ostensio diuinæ gloriæ per modum misericordiæ in electis, finis autem reprobationis est ostensio diuinæ gloriæ per modum iustitiæ punitiuæ in reprobis, vt satis euidenter in eodem loco Apostolus docet: sed voluntas ostendendi misericordiam in electis præcessit præscientiam boni vsus illorum liberi arbitrij. Ergo & voluntas ostendendi iustitiam vindicatiuam in reprobis præcessit præscientiam mali vsus liberi arbitrij.

Respondeo, argumentum malè consutum esse. Si enim aliquid concluderet, vtique probaret, quòd Deus vellet reprobos punire antequam illos peccantes præniderer, quod impium esset de Deo affirmare, licèt hoc affirment recentes hæretici. non enim Deus prius est vltor, quàm homo peccator, vt Augustinus ait. Dicendum igitur, nõ eodem modo esse à Deo volitum finem, qui est ostensio diuinæ gloriæ per modum misericordiæ, & finem, qui est ostensio diuinæ gloriæ per modum iustitiæ vindicatiuæ: nam primus finis potest esse volitus à Deo non solùm voluntate cõsequẽte, sed etiam antecedente; at secundus finis non potest esse volitus nisi voluntate consequente: & ideo esto finem primum potuerit velle ante præuisum bonũ vsum liberi arbitrij creati, secũdũ tamẽ velle nõ potuit ante præuisũ illius malũ vsũ.

Quartò obiiciunt testimonium D. Augustini IV. in epistola 107. ad Vitalem dicentis, *Multi salui nõ fiunt, non quia ipsi nolunt, sed quia Deus non vult, quod absque vlla caligine monstratur in paruulis.* Eandem sententiam habet Augustinus in lib. de bono perseuerant. cap. 12. ad finem. Addunt Caluinus & Beza alia testimonia ex eodem Augustino lib. 1. ad Simpl. q. 2. & lib. 11. de Genesi ad literam c. 10. Aug.

Respondeo ad hæc, & alia plura id genus testimonia ex Augustino desumpta, satis superque dictum esse lib. c. 17. vbi fideliter sensum Augustini aperuimus, & quidem tali pacto, vt nullus nisi cõtradicendi studio exstimulatus de illo possit dubitare. Nunc quod attinet ad testimonia allegata, ad primum ex illa epistola 107. ad Vitalem facilè ipsimet arguentes mentem Augustini deprehendissent, si totam illam epistolam legere voluissent, & videre, quo fine, & cui, & ob quam causam Augustinus illam scripserit epistolam. ille enim cui scribebat, erat erroribus Pelagij infectus, & finis, ob quem scripsit, fuit, illum ab huiusmodi erroribus reuocare. Inter alios autem errores Pelagij, quos numero 12. Augustinus recenset in illa epistola, quartus in ordine erat, gratiam Dei non dari, nisi quærentibus, & volentibus, & iuxta meritum nostræ voluntatis. Hunc errorem conuincit ibid. Augustinus, quia videmus, gratiam Dei dari nonnullis, non volentibus, nimirum paruulis, qui voluntatis vsum non habent. Illis igitur datur gratia, non quia illi eam volunt, sed quia Deus vult. & sunt etiam nonnulli, quibus non datur gratia, non quia illi eam nolint, vt sunt alij paruuli, qui decedunt ex hac vita sine Baptismo, qui cùm nondum haberent vsum rationis, & propriæ voluntatis, non potuerunt illam non velle, aut respuere: sed quia Deus non vult, supple illos miraculo in vita seruare impediendo cursum secundarum causarum accelerantium interitum illorum infantium donec Baptismum accipiant. In hoc igitur sensu dicit Augustinus, aliquos non saluari, non quia ipsi nolunt, sed quia Deus non vult, non vt innuat, Deum aliquos sua voluntate ante præuisa illorum peccata efficaciter voluisse non saluare, vt arguentes malè deducunt: sed vt doceat, Deum in gratia conferenda non sequi meritum humanæ voluntatis. Præter quod Augustinus loquitur de paruulis peccato originali infectis, vt patet legenti, vt mirum sit, Doctores in re seria, & graui istis scenoriis vti.

Ad aliud verò testimonium, quod affert Caluinus ex lib. 11. de Genesi ad literam, dico illud testimonium pro commodo arguentis citatum fuisse, quod ne in specie quidem illum aliquid iuuat. nam Augustinus illo capite, & præcedenti duo proponit, & soluit quæsita, alterum est, cur Deus illos creet,

quos malos futuros esse præuidet: alterum cur cùm possit illorum voluntates malas bonas facere, id non efficiat. Ad primum respondet, id Deum facere, quia nouit illorum malitia vti ad bonum, & commodum aliorum, & etiam vt sinat illos liberè operari, quia etiam hoc est aliquid bonum. Ad secundum ait, Deum non omnes voluntates malas in bonas conuertere: quia non vult. cur autem non velit, dicit non esse curiosiùs inquirendum. Secundò ait non facere omnes voluntates malas bonas, quia malis voluntatibus vtitur ad correctionem aliorum: quam responsionem prosequitur etiam c. 11. & hæc solùm ibi habet Aug. sed hæc quid faciant ad meritum causæ, de qua controuertitur, nullo modo videre possum, nec ille indicauit.

V. Quintò obiiciunt nobis Calu. & Beza testimonia D. Prosperi lib. 1. de vocatione gentium c. 22. & lib. 2. c. 22. & 23.

Verùm D. Prosper in illis locis versatur in eodem errore confutando, circa quem versatur August. in dicta epistola 107. & eadē argumentatione & eisdem planè verbis Augustini vtitur, & eodem modo est intelligendus absque alia declaratione.

Sextò obiicitur. Beatitudo supernaturalis nulli creaturæ secundùm se consideratæ est debita. Ergo potuit Deus ante præscientiam boni, vel mali vsus liberi arbitrij creati aliquos efficaciter excludere à fine supernaturali æternæ gloriæ absque eo, quòd alicui iniuriam irrogaret. & sic cuer um est fundamentum nostræ sententiæ.

Respondetur, licèt beatitudo supernaturalis non sit nobis debita non præsuppositio ordine supernaturalis prouidentiæ, quo creatura rationalis est in illum finem ordinata: tamen suppositio tali ordine, qui reuera supponendus est, illa est nobis debita, aliàs non esset pœna illa priuari. vnde absque nostra culpa non potest Deus velle nos ab illa efficaciter excludere, quia talis exclusio pœna est, & damnatio, & vt Augustinus ait epistola 106. *Si Deus quemquam immeritum, & nulli peccato obnoxium damnare creditur, alienus ab iniquitate non creditur.*

CAPVT V.

Quo fine peccata à Deo fieri permittantur.

I. ETsi libro 5. c. 9. ad finem multas causas recensuimus, ob quas permittit Deus peccatum esse in mundo, non tamen disputauimus ibidem de fine potissimo & per se sufficienti istius permissionis, qui finis est impræsentiarum diligenter inuestigandus: quia scire huiusmodi finem maximè confert ad intelligentiam dicendorum in sequentibus de causis, & effectibus reprobationis. Supponimus autem ex dictis eodem loco, peccata nō euenire à casu in mundo, & præter Dei prouidentiam, sed ipsa quoque certissimæ Dei prouidentiæ suo modo esse subiecta, sicut docent Aug. in Enchir. c. 96. & seq. Theologique omnes post Magistrum in 1. d. 39. & 46. & post D. Th. 3. contra gēt. c. 71. & Alex. Alens. 1. p. q. 36. memb. 4. a. 1. nō quòd ipsum peccatum effectus sit diuinæ prouidentiæ: sed quia prouidentia circa illud versatur tāquam circa obiectum, vel permittendo fieri, vel impediendo, ne fiat, vel factum ordinando in aliquem bonum finem. & quoniam prouidentia est ratio ordinis rerum in finem, oportet permissionem peccati per diuinam prouidētiam in aliquem bonum finem fuisse ordinatam, & de hoc fine est ista quæstio, maximè de fine magis principali, & per se sufficienti.

Augustin. D. Thom. Alex. Alens.

II. Circa istud quæsitum est quædam opinio asserens, potissimum finem, & per se sufficientem huius permissionis esse ostentionem diuinæ iustitiæ in reprobis, & maioris misericordiæ in electis, contenditque illius autor esse expressam sententiam D. Thomæ, & Caietani, & communem omnium Thomistarum ex eo, quòd D. Thom. dixerit, Deum aliquos prædestinasse, aliquos reprobasse, vt ostenderetur diuina bonitas per modum misericordiæ in electis, & per modum iustitiæ in reprobis, istis parcendo, illos puniendo.

Hanc opinionem probat primò autoritate D. Pauli ad Roman. c. 9. dicentis, *quòd si Deus volens ostendere iram suam, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ aptata in interitum, vt ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam.* ex quibus verbis apparet, permissionem peccati ordinari ad ostensionem diuinæ misericordiæ in electis, & diuinæ iustitiæ in reprobis, & cùm diuina Scriptura, præcipuè D. Paulus hanc causam assignet, colligitur, illam esse causam potissimam, & per se sufficientem. quemadmodum D. Thom. 3. part. quæst. 1. a. 3. colligit, potissimam causam Dominicæ incarnationis fuisse redemptionem generis humani: quia diuina Scriptura hanc causam illius assignat. D. Thom.

Secundò probat eandem sententiam autoritate lib. Prouerbior. cap. 16. vbi ait, quòd *vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus, impium quoque ad diem malum.* Deus verò non alia ratione potest impium creare ad diem malum, nisi ex intentione & fine ostendendi in eo suam iustitiam, sicut illū locum explicant Haymo, Lyranus, & Rodulphus. Lyranus.

Tertiò, quia ostensio diuinæ iustitiæ est finis vniuersalissimus permissionis peccati, sub se continens alios fines particulares. Ergo est finis potissimus: nam finis vniuersalis est potissimus, sicut finis victoriæ, quia est vniuersalis totius exercitus, est etiam finis, quem omnes milites intendunt.

Quartò, quia omnes concedunt, ostensionem diuinę iustitiæ esse finem permissionis peccati. Ergo est finis potissimus, & magis principalis. Probatur sequela, quia aliter sequeretur, Dei gloriam ordinari ad nos, tanquam finem potissimum, quod est absurdum.

III. Hæc tamen opinio nec est D. Thomæ, nec Caietani, nec communis Thomistarum, nec D. August. nec in se vera, sed ob hoc potissimùm excogitata: quia illius autor omnibus viribus nititur defendere, & suadere, quòd Deus ante præscientiam vsus liberi arbitrij, & cuiuscunque peccati, etiam originalis omnes reprobos efficaciter excludit à fine supernaturali. quod falsum esse, satis, vt puto, capitibus duobus præcedentibus, & lib. 5. tota cōtrouersia tertia ostendimus: & nititur etiam persuadere, quòd permissio peccati sit primus effectus huius voluntatis efficacis excludendi reprobos à regno gloriæ, quam voluntatem ipse vocat reprobationem, quod etiam falsum esse infrà c. 15. monstrabitur. Ex his autem bene sequitur, quòd ostensio diuinæ iustitiæ sit præcipuus finis talis permissionis.

Quòd igitur non sit in se vera, probatur argumento aliàs tacto. quia qui vult aliquid, vt finem

potiſſi

potiſſimum, & principaliter intentum voluntate efficaci per aliquod medium, inter quod,& ipſum finem alia media neceſſariò intercedunt, ſaltem virtualiter, & interpretatiuè dicitur velle etiam alia media: qui nanque remouendo columnam vult diruere tectum, neceſſariò vult diruere etiam parietes, quibus tectum ſuſtinetur: ſed Deus ſecundùm hanc opinionem vult efficaciter hunc finem, qui eſt oſtenſio iuſtitiæ vindicatiuæ per hoc medium, quod eſt permiſſio peccati, & inter hoc medium,& hunc finem neceſſe eſt intercedere alia media, nempe patrationem ipſius peccati, nam per ſolam permiſſionem, ſi peccatum de facto minimè patraretur, Deus nunquam iſtum finem aſſequeretur. Ergo ſi Deus ob hunc finem potiſſimum permittit peccata, vt oſtendat in reprobis ſuam iuſtitiam punitiuam, ſequitur, illum ſaltem virtualiter, & interpretatiuè velle patrationem peccati.

IV. Declaro alio modo eandem rationem. Vel Deus peccata permittit hac intentione, vt fiant; vel quia præuidet futura per noſtrum liberum arbitrium, ſi duntaxat illa permittere velit: vel quia præuidet futura ex neceſſitate: vel non præuidens eſſe futura. Quartum dici non poteſt, quia hoc eſſet ponere in Deo ignorantiam,& derogare perfectioni diuinæ prouidentiæ. Nec dicendum eſt tertium, quia peccata, quæ ex neceſſitate euenirent, non eſſent peccata. neque dici poteſt ſecundum, quia autor huius opinionis non admittit ſcientiam futurorum conditionatorum, ſed illam impugnat. Ergo oportet illum dicere primum, quòd Deus permittat peccata ex intentione, vt fiant.

Dicetur. Deum cognoſcere, quòd ſi permittat peccatum, illud infallibiliter eueniet, non quòd cognoſcat futura conditionata, ſed quia cognouit decretum ſuũ, quo ab æterno prædefiniuit actum, cui annexum eſt peccatum, non quoad moralem eius malitiam, ſed quoad naturalem entitatem actus. Verùm hæc reſponſio non ſubſiſtit. nam vel talis actus prædefinitus habet neceſſariò, & inſeparabiliter adiunctam malitiam: vel illa ſequitur eum ex accidenti. Si dicatur primum, quomodo fingi poteſt, Deum prædefinire efficaciter, & antecedenter ad præſcientiam noſtri conſenſus, vt fiat actus, cui naturaliter, & inſeparabiliter eſt annexa moralis malitia, & non velle ipſam malitiam, & ſi hoc non concedimus hæretico, cur concedemus Catholico? Caluinus enim non dicit, moralem malitiam eſſe à Deo volitam, & intentam, ſed ſolùm eſſe volitum actum, cui inſeparabiliter annexa eſt malitia, vt aliàs dictum eſt. Si autem dicatur ſecundum, iam ex huiuſmodi permiſſione non poteſt præuideri peccatum certò, & infallibiliter eſſe futurum.

V. Sed dicitur ex Caietano, Deum non permittere peccatum vt illud puniat, ſed permittere illud, & punire, vt oſtendat ſuam diuinam iuſtitiam: quia neque permiſſio peccati, neque illius punitio ſecundùm ſe appetibilis eſt, neque ſecundùm ſe poteſt habere rationem finis. Verùm hæc reſponſio eſt verborum ludus: quia nihil aliud eſt, oſtendere iuſtitiam punitiuam, niſi eos punire, qui iuſtè puniri debent, & merentur, & punire peccata, quæ iuſtè puniri debent, eſt oſtendere iuſtitiam punitiuam. quid enim eſt aliud, ipſam iuſtitiam punitiuam oſtendere? quare ſi punitio peccati de ſe appetibilis non eſt, neque etiam oſtenſio iuſtitiæ punitiuæ de ſe appetibilis eſt. & ſi iſta appetibilis eſt, cur non etiam illa, cùm ſint vna & eadem res? quod etiam air, permiſſionem peccati non eſſe quid de ſe bonum, & appetibile, eſt dictum manifeſtè repugnans doctrinæ D. Auguſtini in Enchiridio cap. 95. & clariùs c. 96. vbi ita air, *Nec dubitandum eſt, Deum facere bene etiam ſinendo fieri quæcunque fiunt malè: non enim hoc niſi iuſto iudicio ſinit: & profectò bonum eſt omne quod iuſtum eſt. quamuis ergo ea, quæ mala ſunt, in quantum mala ſunt, non ſint bona, tamen vt non ſolùm ſint bona, ſed etiam mala, bonum eſt: nam niſi eſſet hoc bonum, vt eſſent mala, nullo modo eſſe ſinerentur ab omnipotente bono, cui proculdubio quam facile eſt, quod vult, facere, tam facile eſt, quod non vult, eſſe non ſinere.* & lib. 11. de Geneſi ad literam c. 9. reddit rationem, cur Deus creet, quos præuidet futuros malos, & air, hoc facere, vt relinquat eis liberum arbitrium, quo quidquid etiam culpabiliter eligunt, eum inueniant de ſe laudabiliter operantem: & Deum melius iudicare permittere mala, vt de malis bona faciat, quàm non permittere, res eſt apud Auguſtinum vulgatiſſima, & protrita. Rurſus punitionem peccati ſuppoſita culpa non eſſe quid de ſe bonum, & appetibile, falſum eſt, ſicut falſum eſt, actum iuſtitiæ punitiuæ non eſſe de ſe laudabilem, & bonum, & appetibilem. Quare etiamſi Caietanus hoc diceret, rem manifeſtè falſam affirmaret. Auguſt.

Addo, id quod intrinſecè pertinet ad rationem diuinæ prouidentiæ, non poteſt non eſſe de ſe bonum, & appetibile: ſed permittere creaturam liberè ſuos motus exercere etiam circa aſſecutionem ſui finis, pertinet ad intrinſecam rationem diuinæ prouidentiæ. Ergo. Sed idem eſt permittere peccata, quod relinquere creaturam liberè operari, non tenendo per auxilium efficax, vt ſtatim dicemus, & ſuprà etiam dictum eſt. Quomodo ergo negari poteſt, quòd permittere peccata non ſit aliquid de ſe bonum? Dicetur, punitionem peccati non eſſe quid de ſe bonum & appetibile, quia non eſt appetibilis niſi ſuppoſito peccato. Sed hoc nihil refert: nam & oſtenſio diuinæ iuſtitiæ non eſt de ſe appetibilis, niſi ſuppoſito peccato, & tamen non poteſt negari, illam non eſſe aliquid de ſe bonum.

Dicendum igitur eſt primò; oſtenſionem diuinæ iuſtitiæ eſſe finem permiſſionis peccati. nam ad hunc etiam finem Deus permiſſionem peccati ordinauit. hanc aſſertionem probant argumenta, quibus probatur prima opinio. VI.

Secundò dico, oſtenſionem diuinæ iuſtitiæ non potuiſſe eſſe potiſſimum, & per ſe ſufficientem finem eiuſdem permiſſionis, ita vt ſi nullus fuiſſet alius finis, nihilominus propter hunc ſolum Deus peccatum permiſiſſet. hanc aſſertionem defendere debent illi omnes, qui defendunt, omnes homines voluntate antecedente fuiſſe à Deo ordinatos in finem ſupernaturalem, & Deum ante præuiſum peccatum nullum efficaciter excludere voluiſſe à gloriæ regno. Illam ex profeſſo defendunt Ludouicus Molina 1. part. q. 23. art. 3. Vaſquez diſp. 95. cap. 4. & diſp. 107. cap. 3. Trigoſius quæſt. 18. art. 8. dub. 3. concluſ. 3. & art. 10. dub. 4. concluſ. 1. & ante illos Caietan. dicta quæſt. 23. art. 3. ibi nanque propoſita quæſtione, cur ad prouidentiam rerum defectibilium ſpectet permittere aliquos deficere à fine, ita eam ſoluit dicens, *Et ſi quæras fundamentum huius præmiſſæ, ſcito, quòd eſt ſuauis diſpoſitio rerum prouiſarum: ex hoc enim quòd prouidentia ſuauiter diſponit, defectibilia ſuis viribus derelinquit, & ſic eueniunt defectus.* Hæc ille. & eadem eſt mens D. Thomæ ibid. vt optimè illic Molina. Vaſquez. Trigoſius. Caietan.

Caietanus deducit. & infrà art. 5. §. *Ad quartum vt bene intelligatur*, ait, *& ideo decepti sunt* (videlicet aduersarij) *quoniam, vt in litera expresiè dicitur, permissionis malorum conseruatio diuersorum est causa, & ad mala culpæ applicando suauis dispositio creaturarum rationalium & hominum manifestè est causa permissionis peccatorum, dum homines quidam relinquuntur in manu consilij sui proprij.* & suprà q. 22. art. 2. propósito hoc eodem quæsito, cur Deus permittat malum culpæ ad perfectionem vniuersi, respondet, ideo permitti ipsum malum culpæ, quia ex malo culpæ occasionata sunt multa bona, quæ spectant ad perfectionem vniuersi, vt ostensio diuinæ iustitiæ, & patientia Martyrum, & vnio hypostatica. deinde subiungit, *Subest etiam naturalis ratio, cur malum culpæ permissum fuerit, scilicet suauis rerum dispositio, potentia nanque peccandi ab vniuersò subtrahi non potuit, sine illius maxima iactura in amissione omnium creaturarum intellectualium, vt alibi patet. Actus autem peccati ab huiusmodi potentia progrediens quamuis prohiberi, id est, non permitti potuisset, suauis tamen dispositio liberi arbitrij creati hoc non exigit, sed magis vt sua vi seipsum agat: & quoniam ad diuinam prouidentiam spectat disponere omnia suauiter, sapientissimè elegit Deus permissionem malorum culpæ.* hæc ille.

Et quamuis ibidem, & dicta q. 23. art. 5. alias etiam assignet causas, & alios fines eiusdem permissionis, nimirum ostensionem diuinæ iustitiæ, & virtutes Martyrum, &c. isti tamen non potuerunt esse fines primò, & per se intenti: quia non sunt intenti nisi aliquo alio præsuppositò, ex quo sunt occasionati, videlicet præsuppositò peccato, vt idemmet fatetur dicto art. 1. §. *ad vltimum dicitur negando assumptum.* vbi dicit, quòd iustitia punitiua est de genere bonorum, quæ non sunt per se primò intenta. Legantur illius verba. Suauis autem dispositio vniuersi, quæ ab illo subtrahi non potest sine magna illius iactura in amissione omnium creaturarum intellectualium, est de genere bonorum, quæ sunt per se primò intenta, & non ex aliquo præsuppositò, aut ex aliquo non intento occasionata. & ideo ex Caietani sententia finis per se primò intentus in permissione peccatorũ, est suauis dispositio vniuersi, secundùm quam oportet creaturam rationalem sinere, vt sua vi seipsam agat. Et hanc rationem assignat etiam Augustinus lib. 11. de Genesi ad literam c. 9. vt dictum est. Et licèt dicat idem Caietanus dicto art. 5. quòd dato, quòd reprobatio quoad punitionem esset mala sine demerito, tamen quoad permissionem demeriti etiamsi nulla esset causa, nisi relucentia diuinæ iustitiæ, mala non est, quoniam permissio ipsa nihil adimit cadenti de iis, quæ sibi debentur, sed tantùm gratuitum negat amorem Dei ad tenendum ne cadat: vnde cùm permissio secundùm se non sit mala, & relucentia diuinæ bonitatis in iustitia punitiua sit magnum bonum, si ad nihil aliud permissio ordinaretur, adhuc bona esset. Non tamen dicit, quod relucentia diuinæ bonitatis per modum iustitiæ punitiuæ fuerit finis præcipuus, & potissimus talis permissionis à Deo intentus, maximè ante præuisum peccatum, sicut dicit autor primæ opinionis, immo expresè dicit, talem finem non fuisse de facto intentum, nisi suppositò peccato, vt in dicto §. *ad vltimum dicitur negando*, &c. apparet. quod volui admonere, ne quis videns, autores primæ opinionis Caietanũ in suas copias confidenter traducere, suspicetur, illam fuisse mentem tam profundi solidique Doctoris.

Augustin.

Iam modò ex fundamento ab ipso Caietano proximè insinuato probatur ipsa assertio. Relucentia diuinæ iustitiæ punitiuæ in reproborum punitione non potest esse finis per se primò intentus, & volitus voluntate antecedenti, sed solùm per se secundariò, & suppositò peccato, & voluntate consequenti, vt Caietanus ibid. ait, & lib. 5. c. 12. ex D. Thom. & aliis ostendimus: sed permissio peccati est volita voluntate antecedenti, & ante præuisum peccatum. Ergo relucentia iustitiæ punitiuæ non potuit esse finis potissimus, & per se primò intentus permissionis peccati. Minor propositio probatur quoad primam partem, quia quod de se spectat ad suauem dispositionem vniuersi, est à Deo volitum voluntate antecedenti: at permissio peccati de se spectat ad suauem dispositionem vniuersi. quoad secundam autem partem est de se euidens, quia prius est permittere aliquid fieri, quàm illud factum esse. VII.

Confirmatur ratio. quia licèt ostensio diuinæ iustitiæ punitiuæ sit aliquis finis huius permissionis, & dato quòd Deus vtendo iure supremi dominij, quod habet in creaturam, posset ad hunc solum finem peccata permittere, id tamen videretur repugnare summæ illius bonitati, & charitati, qua omnes creaturas diligit. quis nanque solo naturali lumine ductus de Deo cogitare, & existimare audeat, quòd reputaret in homine dignissimum vituperatione, vt nimirum princeps ea potissimum ratione peccata permitteret, vt posset punire, cùm illa posset, si vellet, impedire?

Scio nonnullos respondere, absimilem esse, & longè diuersam rationem de Principe terreno, ac de Deo. nam respublica humana non ordinatur per se ad principem humanum, & ad eius gloriam manifestandam, sed potiùs è contra, verùm respublica humana ordinatur per se in Deum tanquam vltimum finem, & ad illius gloriam manifestandam. Verùm istud refugium parum illos iuuat, licèt enim omnes creaturæ ordinentur in Deum, tanquam in vltimum finem, & ad eius gloriam manifestandam, vt diuina eloquia passim testantur, non tamen ita ordinantur in Deum, vt ouis in leonem, lepus in lupum, vt ab eo lanientur, vorentur, consumantur, & miserè perdantur, sed potiùs vt ab illo pascantur, vegetentur, feruentur, viuántque optimam, & felicissimã vitam, & omnibus bonis repleantur, nisi ob illarum malitiam talibus bonis cõtingat illas iustè priuari. Sanè hoc pacto manifestatur Dei gloria in creaturis iuxta primariam illius intentionem, ac præcipuam voluntatem, vt Chrysostomus ait hom. 1. in epist. ad Ephes. ob hanc causam inquit Isaias cap. 30. *Expectat Dominus, vt misereatur vestri, & ideo exaltabitur parcens vobis.* non vos puniens (intelligas primò & principaliter) ob hanc inquam causam nos expectat cum tanta patientia, fert cum tanta longanimitate, recipit cũ tanta hilaritate, parcit cum tanta clementia, & celeritate, fouet cũ tanta charitate, & omnes peccatores vocat cum tanta solicitudine ad pœnitentiam, quia gloriam suam vehementer cupit in nobis ostendere, parcendo, non puniendo, & diuitias gloriæ suæ largiendo, nõ rapiendo, & omnipotentiã suam ferendo bona, non feriendo & occidendo, vt Ecclesia nos edocet in quadam collecta dicens, *Deus qui omnipotentiam tuam parcendo maximè, & miserando manifestas.* hoc modo nos docent de Deo, & de eius finibus in humana republica moderanda diuinæ Scripturæ, & sancti Patres philosophari. An non Augustini frequentissimum est dictum, quòd non permitteret Deus,

Chrysost.

Digitized by Google

Deus, qui ſummè bonus eſt, mala eſſe in mundo, niſi etiam vſqueadeo potens eſſet, ac ſapiens, vt noſſet de malis bona facere? Vnde quod reſpondentes ſubiungunt, ad gubernatores particulares ſpectare, omnia mala, ſi poſſunt, impedire, non autem ad Deum, qui gubernator vniuerſalis eſt, non ob hoc ſolùm veritatem habet, quòd Deus ſit gubernator vniuerſalis, illi autem particulares, quid enim referret? Sed ob hoc, quòd gubernator vniuerſalis ſcit ex malis bona elicere, & poteſt elicere, & de facto elicit, vt Auguſtinus ait: particulares verò gubernatores nullum malum permittere debent, quia ex malo bonum elicere nec ſciunt, nec poſſunt, ſaltem de malo culpæ loquendo.

VIII. Sed quæres, & quiſnam igitur fuit potiſſimus, & per ſe ſufficiens finis, & primò intentus talis permiſſionis, ſi ille non fuit oſtenſio diuinæ iuſtitiæ punitiuæ?

Reſpondeo, etiamſi alium finem neſciremus, ſufficeret oſtendere ex diuina Scriptura, & ex D. Auguſtino & D. Thom. & aliis Doctoribus & per euidentem rationẽ Theologicã, huiuſmodi finem eſſe non poſſe oſtenſionẽ iuſtitiæ punitiuæ. Deinde dico finem præcipuum, & per ſe primò intentum talis permiſſionis duplicem fuiſſe, alterum ſuauem diſpoſitionem, & gubernationẽ omnium rerum: alterum oſtenſionem diuinæ gloriæ per modum miſericordiæ in electis. primũ finem aſſignat D. Auguſt. lib. 3. de libero arbitrio c. 5. & lib. 11. de Geneſi ad literam cap. 9. Caietanus, D. Thomas proximè citati. ſicut enim in creatione rerum maximè elucet diuina omnipotentia, & ſapientia, & bonitas, ita etiam in creaturarum ſuaui diſpoſitione, & gubernatione: Suauis igitur gubernatio eſt finis proximus talis permiſſionis, & oſtenſio diuinæ ſapientiæ, & bonitatis, & omnipotentiæ in eadem ſuaui diſpoſitione & gubernatione eſt finis vltimus. poſteriorem etiam finem aſſignat idem Auguſtinus lib. 1. ad Simplic. q. 2. & lib. 4. cõtra Iulian. c. 8. immo D. Paulus ad Rom. 9. cùm ait, *Quòd ſi Deus volens oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam, ſuſtinuit in multa patientia vaſa iræ aptata in interitum, vt oſtenderet diuitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, quæ præparauit in gloriam.* Quæ verba ſatis indicant, non fuiſſe æquè primò, & principaliter à Deo intentam oſtenſionem diuinæ gloriæ per modum miſericordiæ in electis, & per modum iuſtitiæ vindicatiuæ in reprobis, id nanque etſi nonnulli dicant, minimè verum eſſe conuincitur ex eo, quoniam Apoſtolus dicit ſufferentiam, qua Deus ſuſtinuit in multa patientia vaſa iræ aptata in interitum, & voluntatem, qua voluit oſtendere in eis iram ſuam, & potentiam, fuiſſe à Deo ordinatam ad vlteriorem finem, qui fuit oſtendere diuitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, quæ præparauit in gloriam. Eodem modo exponit Auguſtinus, quid ſit, Deum facere homines vaſa contumeliæ, dicens, hoc eſſe homines propria voluntate malos factos ordinare in bonum electorum, qui ſunt vaſa gloriæ, vt per vaſa contumeliæ mundentur à ſordibus peccatorum: ſicut in magna domo vaſa contumeliæ, quæ ſunt vaſa fictilia, vt lagenæ, lebetes, ollæ, & ſimilia ordinata ſunt ad emundanda vaſa aurea, & argentea.

Auguſt. D. Thom. Auguſtin.

Præter hos fines ſunt etiam alij non per ſe primò intenti, & voliti voluntate antecedenti, ſed ſolùm ſuppoſito ipſo peccato, & iſti ſunt oſtenſio diuinæ gloriæ per modum iuſtitiæ punitiuæ in reprobis, & perfectio vniuerſi, quod ex occaſione peccati ingentiſſima bona obtinuit, inter quæ ſummum bonum fuit bonum vnionis hypoſtaticæ, quod ſecundùm veriorem ſententiam D. Thomæ fundatam in diuina Scriptura, & ſanctis Patribus, non fuiſſet in mundo, non exiſtente peccato. Alios plures fines recenſuimus lib. 5. cap. 9. ad finem, de quibus videri poſſunt D. Ioannes Damaſcenus lib. 2. de fide cap. 29. Molina, Vaſquez & Trigoſius locis citatis. Damaſc.

Ad argumenta verò primæ opinionis adducta in principio patet reſponſio, nam primum, & ſecundum probant, oſtenſionem diuinæ iuſtitiæ eſſe finem permiſſionis peccati: ſed non probant, eſſe finem præcipuum, & potiſſimum. IX.

Ad tertium verò negandum eſt, hunc eſſe finem vniuerſaliſſimum permiſſionis peccati. Ad quartum neganda eſt conſequentia, & ad probationem negatur ſequela, quòd ſequeretur Dei gloriam ordinari in nos tanquam in finem vltimum. neque id probatur. benè verum eſt, Dei gloriam, ſicut etiam potentiam, & ſapientiam, & bonitatem ordinari in nos ſicut in finem proximum, & cum hoc ſtat, nos, & omnia noſtra ordinari ad Dei gloriam ſicut in finem vltimum: cauſa enim ſuperior benè ordinatur ad inferiorem, vt illam foueat, & perficiat, non è contra.

CAPVT VI.

Controuerſia ſecunda proponitur de cauſis Reprobationis, & dubia circa illam emergentia recenſentur.

PRæſentem controuerſiam nonnullis Theologis viſum eſt magna ex parte eſſe potius de nomine, aut de modo loquendi, quàm de reipſa, & illius cardinem circa quẽ potiſſimùm illa voluitur, eſſe an admittenda ſit diſtinctio illa de duplici reprobatione, altera negatiua, altera poſitiua. Nã ſi detur ſolummodo reprobatio poſitiua, conuenit apud Catholicos illius dari cauſam, etiam quoad integrum effectum, ex parte reprobi. Si autem admittamus præter poſitiuam dari etiam reprobationem negatiuam, & dicamus, primum illius effectum eſſe permiſſionem primam peccati, cuius multi dicunt non poſſe aſſignari cauſam ex parte reprobi, videtur etiam conuenire inter Doctores, eiuſdem reprobationis non poſſe aſſignari cauſam ex parte reprobi, quoad integrum illius effectum. Ob hanc igitur cauſam dicunt nonnulli, totam controuerſiam eſſe de modo loquendi. An ſcilicet conuenientiùs loquantur, qui præter reprobationem poſitiuam admittentes etiam negatiuam dicunt, non dari cauſam reprobationis ex parte reprobi, quoad totum, & integrum illius effectum: vel illi, qui nullã aliam admittentes, præter reprobationem poſitiuã, dicunt, dari reprobationis cauſam ex parte reprobi, etiam quoad totalem, & integrũ illius effectũ. Et licèt mea opinione propriè, & ſtricto modo loquendo, nulla ſit reprobatio negatiua, vt ſuprà in ipſius reprobationis quidditate explicanda ſatis, ni fallor, apparenter oſtenſum eſt, tamen quia loquendum eſt, vt plurimi, hanc controuerſiam ſic diſcutiemus, ac ſi daretur non ſolùm reprobatio poſitiua, ſed etiam negatiua, cuius duo præcipui effectus communiter aſſignantur à Theologis, alter, qui eſt permiſſio lapſus in culpam, alter, qui eſt permiſſio, vt quis obduretur in peccato vſque ad terminum vitæ. & vt ea, quæ præcipuè controuertuntur à Theologis, ordinatè percutramus, tria præcipua dubia erunt hîc à nobis diſcutienda. Primum, an primæ permiſſionis, qua quis permittitur labi in peccatum, propter quod ille damnatur, poſſit aſſignari aliqua cauſa ex parte reprobi. L.

Secundum, an obdurationis, qua quis permittitur à Deo obdurari in peccato vsque ad mortem, detur similiter aliqua causa ex parte reprobi. Tertium, an reprobationis positiuæ sit assignabilis causa ex parte reprobi, & quænam illa sit.

II. Igitur circa primum dubium, vt status difficultatis intelligatur, supponendum est primò, ad permissionem propriè dictam tria requiri, primò vt peccatum præuideatur futurum nisi impediatur. Secundò vt possit impediri. Tertiò vt qui præuidet futurum, & potest impedire, si velit, nolit tamen illud impedire, siue per actum positiuæ nolitionis, siue etiam per suspensionem, & negationem omnis actus: vt cùm quis aduertit, peccatum secuturum, nisi illud impediat, neque vult non impedire, neque habet actum contrarium, sed manet suspensus, hoc enim modo dicitur etiam permissio peccati interpretatiuè saltem volita, & imputatur ad culpam, si is, qui poterat, & debebat impedire, non impediuit, vt dicunt Doctores post D. Thomam 1. 2. q. 6. Vt ergo Deus dicatur peccata permittere, necesse est, vt cognoscat, illa esse futura, si non impediat, & vt possit impedire, & tamen nolit, & hoc est, Deum permittere peccata, quia cùm præuideat, hominem cum auxilijs sufficientibus, quibus posset vitare peccata, si vellet, nihilominus pro sua libertate de facto lapsurum, nisi per auxilium efficax illum præueniat, & forti manu teneat, non vult auxilium efficax præbere, neque forti manu illum tenere, sed sinit causam defectibilem pro sua libertate deficere, quæ tamen posset, si vellet, non deficere, habens auxilia sufficientia, quibus posset stare, & ideo non potest illius effectus Deo imputari, quia Deus dedit illi auxilia sufficientia ad standum, & creatura etiam sine auxilio efficaci nullam habet labendi necessitatem, alioquin omnia mala, quæ fiunt in mundo, oporteret Deo imputare, & teneretur Deus, omnia mala impedire, cùm posset, si vellet. quod falsum est, quia sic euerteretur rerum ordo, secundùm quem oportet sinere omnia modis vnicuique conuenientibus operari.

Est autem quæstio præsentis dubij de prima permissione, qua quis permittitur primò labi in peccatum: nam de permissione, qua aliquis lapsus in peccatum permittitur labi in alia peccata, non est quæstio, an talis permissionis possit assignari causa ex parte reprobi, cùm certum sit non solùm ex Patribus, sed etiam ex diuina Scriptura, Deum permittere hominem labi in nonnulla peccata in pœnam impœnitentiæ, & aliorum peccatorum præcedentium, vt dubio sequenti dicemus, vnde tota difficultas versatur circa primam permissionem peccati, qua scilicet Deus permittit, hominem labi in primum peccatum an illius detur causa ex parte creaturæ; & non est quæstio de permissione lapsus in primum peccatum simpliciter, quod est peccatum originale: quia constat talis permissionis causam fuisse peccatum Adami, quatenus erat peccatum stirpis, & radicis totius generis humani, ex quo deriuat, vt omnis, qui nascitur ex huiusmodi radice per viam ordinariam, habeat necessitatem contrahendi peccatum originale. Sed tota quæstio restringitur ad primum peccatum, in quod labitur homo in Dei gratia, atque amicitia constitutus, an permissionis illius primi peccati detur causa ex parte creaturæ.

III. Putant nonnulli facilem esse quæstionem hanc, & illius solutionem, de quorum numero videtur esse Vasquez 1. part. disp. 95. cap. 4. aiunt nanque, esse rem de se manifestam, quòd talis permissio in solam Dei voluntatem reducenda sit. Nam Deus optimè videt, quòd auxilium diuinæ gratiæ possit efficaciter tenere hominem, ne labatur in peccata oblata eidem homini quacunque tentatione, & occasione peccati, & videt, quòd si istud auxilium non esset efficax, posset illi præbere aliud, quod sit efficax vsque in infinitum, non enim desunt Deo infiniti modi, quibus potest, si vult hominem de facto tenere, ne cadat, oblata illi quacunque etiam grauissima tentatione. Quare quòd Deus de facto nolit dare homini auxilium efficax, ne cadat, quod posset dare, si vellet, id non potest in aliam causam referri, nisi in solam diuinam voluntatem, quia id Deo non placet, quis enim dicet, causam, cur Deus noluerit tenere Adam, ne laberetur, fuisse aliam nisi quia noluit? Vasquez.

Confirmant hanc sententiam. quia si posset assignari aliqua causa talis permissionis ex parte creaturæ, illa nulla alia esse posset, nisi aliquod peccatum, in cuius pœnam Deus denegaret auxilium efficax ad standum: sed hoc minimè dici potest, quia illud peccatum conciperetur ante primam permissionem, sed ante primam peccati permissionem nullum potest concipi peccatum, cùm prior sit permissio peccati, quàm ipsum peccatum. Nulla igitur potest assignari causa talis permissionis ex parte ipsius creaturæ.

IV. Mihi autem solutio huius difficultatis cum primis grauis semper visa est. nam, vt omnes Doctores vnanimi consensu fatentur, Deus hominem semel iustificatum non deserit, nisi priùs homo deserat Deum. ita docent Augustinus lib. 2. de peccatorum meritis, & remissione cap. 17. & ad articulos sibi falsò impositos ad 7. & 15. Fulgentius lib. 1. ad Monimum cap. 13. D. Prosper de vocatione Gentium cap. 12. & 19. & 26. & ad Capitula Gallorum ad 7. & Concil. Tridentinum sess. 6. de Iustificat. cap. 11. vbi ait: *Deus nanque sua gratia semel iustificatos non deserit, nisi ab eis priùs deseratur.* & cap 13. loquens de dono perseuerantiæ inquit, *Deus enim, nisi ipsi illius gratia defuerint, sicut cæpit opus bonum, ita perficiet operans velle, & perficere.* Neque loquitur Concilium de sola gratia habituali, vt nonnulli arbitrantur, sed etiam, & multo magis de gratia auxilij actualis, quo homo adiuuatur ad mandata Dei implenda, & perseuerandum in gratia vsque in finem. Neque loquitur de solo auxilio sufficienti, non autem efficaci, vt alij nituntur glossare; quia loquendo de auxilio sufficienti, nullus dicit, hominem destitui à Deo tali auxilio, etiamsi ille Deum deserat, donec est in cursu huius viæ constitutus. & quanuis dicat idem Vasquez disput. 97. cap. 6. quod Augustinus, & Prosper, & Fulgentius illius discipuli senserunt, hominem aliquando destitui auxilijs etiam sufficientibus in pœnam præcedentium peccatorum, quod tamen verum non est, nihilominus quidquid esset de illorum opinione, iam modò habemus definitionem Concilij Tridentini, quæ non potest glossari, vt loquatur de auxilio sufficienti, non autem efficaci, quia, vt dixi modò, nullus audet dicere, Deum deserere hominem auxilio sufficienti quandiu est in via, etiamsi homo deserat Deum per peccatum. Augustin. Fulgent. Prosper. Concil. Trident. Vasquez.

Neque videtur valida responsio, quam adhibet dicendo, non fuisse mentē Concilij definire, vtrū si nos priùs deseramus Deū, ille quoque nos deserat, fortasse

fortassè ne videretur definire contra doctrinam D. Augustini, sed solùm voluisse definire, quòd Deus non priùs hominem deserit, nisi homo deserat Deum. nam siue Concilium hoc solum postremum definiat, siue etiam illud primum, nihil refert. Sufficit enim, quòd definiat, hominem non deseri, nisi priùs deserat Deum, & quòd pro certo supponat, nullum, quandiu est in hac vita destitui à Deo auxiliis sufficientibus. Et licèt idem autor tandem respondeat, Concilium loqui de auxilio diuinæ gratiæ adiuuantis, non autem de auxilio gratiæ præuenientis, quod habere non est in hominis potestate. Neque hæc responsio difficultatem tollit: quia si Deus nos non deserit efficaci auxilio gratiæ cooperantis, & adiuuantis, nisi priùs ille deseratur à nobis, multo minus deseret nos auxilio efficaci gratiæ præuenientis. nam qui non denegat posterius, non denegat prius, quando posterius sine priori subsistere non potest: gratia autem cooperans, & adiuuans gratiam operantem, & excitantem necessariò supponit. Deinde præsens difficultas potissimum videtur versari circa gratiam adiuuantem, qua Deus hominem adiuuat, & tenet ne labatur: sed quòd Deus non adiuuet hominem, ne labatur, datur causa ex parte hominis, id namque manifestè videtur innuere diuina Scriptura in lib. Ecclesiastici cap. 15. cùm ait, *ne dicas, ille me implanauit, ne dicas, per Deum abest, quæ enim odit, ne feceris.* & Oseæ cap. 13. *Perditio tua ex te Israel, tantùm in me auxilium tuum.* id etiam innuunt exhortationes, & terrores, quibus nos Deus hortatur ad bonum, & terret à peccato, signa enim sunt, & indicia manifesta, quòd diuinum auxilium ad permanendum, & perseuerandum in Dei amicitia nunquam nobis defuturum est, nisi nos primi Deum relinquamus. Id conceptis verbis expressit D. Augustinus lib. 2. de peccatorum meritis & remissione cap. 17. dicens, *quòd homines non adiuuentur à Deo, eadem causa est in ipsis, non in Deo.* Eadem ferè habet verba D. Prosper lib. 2. de vocatione Gentium cap. 26. dicens, *Homo habet de sua mutabilitate, si deficit, de gratia opitulatione, si proficit, qua opitulatio per innumeros modos siue occultos, siue manifestos omnibus adhibetur: & quòd à multis refutatur, ipsorum est nequitia.* & clariùs suprà cap. 12. *Certissimè* (inquit) *nouerimus, nullum fidelium à Deo non discedentem relinqui, neque cuiusquam ruinam esse ex diuina constitutione dispositam.* quæ verba habet etiam ad Capitula Gallorum ad tertium, & septimum & D. Anselm in lib. de causa Angeli cap. 3. *Ista* (inquit) *est causa, quare Diabolo non concedit gratiam Deus, quia ipse non voluit accipere, nec paratus fuit.* quod non intelligitur de gratia gratum faciente, quia secundùm communem opinionem ille habuit gratiam gratum facientem, neque de auxilio gratiæ sufficientis, quia nec ille, nec Adam in statu innocentiæ fuit hoc auxilio destitutus, alioquin illorum peccatum Deo foret tribuendum, vt ait Augustinus de Corrept. & gratia cap. 11 *Quòd si hoc adiutorium vel homini, vel Angelo quamprimum facti sunt, defuissent, quoniam non talis natura facta erat, vt sine diuino adiutorio posset manere, si vellet, non vtique sua culpa cecidissent: adiutorium quippe defuisset, sine quo manere non posset.* vnde illa verba necessariò videntur intelligenda de gratia auxilij efficacis.

Augustin.

Prosper.

Anselm.

CAPVT VII.

Alia quorundam opinio circa primum dubium propositum refertur, & reiicitur.

PRopter has fortasse difficultates aliis Theologis, de quorum numero est Aluarez disp. 113. licet hoc dubium in terminis non disputet, distinguunt de duplici consideratione diuinæ permissionis, qua peccatum permittit, aiúntque illam duobus modis posse considerari, vno modo quatenus est simplex, & pura negatio auxilij efficacis: alio modo quatenus est priuatio quædam, & induit illius rationem, priuatio nanque est aliquid inferius ad negationem, quia omnis priuatio negatio quædam est, & non econtra. Cùm igitur in permissione peccati includatur negatio auxilij efficacis, quo homo teneretur, si Deus illud conferret, quatenus talis negatio habet rationem solùm simplicis negationis huiusmodi auxilij efficacis, ipsius permissionis nulla datur causa ex parte creaturæ, sed illa in solam diuinam voluntatem est referenda. Si autem consideretur, quatenus habet rationem priuationis eiusdem auxilij efficacis, talis permissionis datur causa ex parte creaturæ: quia nullus priuatur tali auxilio, nisi propter aliquod peccatum præcedens saltem secundùm prioritatem naturæ, licèt non durationis. I. Aluarez.

Verùm hæc speculatio licèt sit ingeniosa, suam videtur habere difficultatem. nam licèt negatio genericè concepta sit prior ipsa priuatione ea prioritate, à qua non conuertitur existendi consequentia, tamen vt est negatio talis formæ in tali subiecto apto nato habere formam, cuius illa est negatio, non est prior priuatione. Declaro hanc rem exemplo manifesto. Licèt non videre genericè conceptum sit prius, quàm cæcum esse, tamen in determinato subiecto, in quo naturaliter est aptitudo ad videndum, quale subiectum est oculus, non est prius non videre, quàm cæcum esse (in actu primo loquor) neque per aliam rationem competit oculo non videre, & per aliam cæcum esse, sed per vnam, & eandem rationem oculus est non videns, & cæcus. Cùm igitur permissio peccati non dicat simplicem negationem auxilij efficacis genericè conceptam, sed dicat certam negationem talis auxilij in tali subiecto, quod est creatura rationalis apta habere talem formam, & in qua est debitum illam habendi, aliàs enim non posset habere rationem priuationis, non potest carentia talis auxilij esse prior, vt est simplex negatio, seipsa, vt habet rationem priuationis, neque per aliam rationem habet, vt sit negatio auxilij efficacis, & per aliam, vt sit illius priuatio, sed per vnam & eandem rationem & est negatio talis auxilij, & est eiusdem priuatio. Cùm itaque isti autores concedant, quòd primæ permissionis peccati, quatenus habet rationem priuationis auxilij efficacis, detur causa ex parte creaturæ, etiam quatenus est negatio eiusdem auxilij, causa assignari potest ex parte creaturæ. II.

Posset quoque contra eandem sententiam fieri ad hominem argumentum. quia nonnulli ex iis, qui illam defendunt, fatentur in executione, & in exercitio Deum nulli auferre auxilium efficax, nisi propter suam culpam, & ita notanter dicit Aluarez dicta disp. 113. n. 8. 10. 11. & 12. Sed hoc est, quod quærimus, an de facto Deus cùm primum peccatum permittit, deneget homini auxilium efficax, quo de facto teneretur, propter aliquam culpam, aut causam se tenentem ex parte ipsius hominis. Posset etiam fieri argumentum contra eandem sententiam ex nonnullis autoritatibus D. Augustini, & D. Prosperi, quibus probatur, dari causam ex parte creaturæ, quòd aliqui non sint prædestinati, quas autoritates capite sequenti adducemus. III. Aluarez.

cemus. Si nanque datur causa ex parte hominis, quòd ille non sit prædestinatus, bene videtur sequi, dari causam, quòd non prædestinatus destituatur auxilio efficaci, quo destitutus permittitur labi in primum peccatum, in quo postea perseverans damnatur.

IV. In hac difficultate apud me grauissima libenter fateor, me veram solutionem ignorare. arbitror tamen ad illam inueniendam non parum conferre solutionem illius quæstionis, scilicet quid intersit inter auxilium sufficiens, & auxilium efficax, de qua de libro 9. aliquid dicemus. Sed quoquo modo res illa se habeat, vnum ab omnibus Catholicis video communi consensu receptum, videlicet siue auxilium efficax, & auxilium sufficiens differant realiter, siue non, Deum omni homini in gratia constituto conferre auxilium sufficiens, quo possit stare, si velit. hoc enim tanquam dogma fidei videtur definitum in Concilio Tridentino sess. 6. c. 13. Neque contra hanc veritatem aliquid docet Augustinus lib. de bono perseuerantiæ cap. 7. cùm ait, *qui non infertur in tentationem, non discedit à Deo, non est hoc omnino in viribus liberi arbitrij, quales nunc sunt, fuerat in homine antequam caderet.* nam ibi solùm docere intendit, quòd homo constitutus in rectitudine naturæ, & gratia gratum faciente cum solo auxilio iustitiæ originalis poterat stare, si vellet, aut si indigebat speciali auxilio, multo magis eodem auxilio indiget homo constitutus in gratia post lapsum Adæ ad hoc, vt perseueret, nec labatur in peccatum.

Conc. Trid.

Secundò supponendum videtur, quòd si homo constitutus in gratia benè vteretur auxilio sufficienti, vel auxilium sufficiens euaderet auxilium efficax, vel saltem homini bene vtenti auxilio sufficienti daretur certò, & infallibiliter auxilium efficax. immo dicendum videtur, quòd homo constitutus in gratia benè vti possit auxilio sufficienti, & quòd omni bene vtenti auxilio sufficienti Deus infallibiliter conferat auxilium efficax. hoc præter quod omnes communiter concedunt, & præsertim Doctores citati, nimirum Vasquez disp. 95. n. 61. & Aluarez disp. 113. n. 8. & 11. potest tali ratione probari. nullus enim de facto perseuerat sine auxilio efficaci: sed cum auxilio sufficienti homo potest non solùm conuerti ad Deum, sed etiam de facto perseuerare, nam propter hoc imputatur illi, quòd non conuertatur, & non perseueret. Ergo si bene vtatur auxilio sufficienti, vel illud euadet auxilium efficax, vel vtenti benè auxilio sufficienti infallibiliter dabitur tale efficax auxilium.

Vasquez. Aluarez.

V. Tertiò videtur distinguendum esse de permissione peccati, aut de negatione efficacis auxilij ad hominem tenendum, ne peccet. duobus enim modis possumus intelligere, Deum negare homini efficax auxilium, quo teneatur, ne cadat: vno modo, quia non tenet illum per auxilium collatum, vel quod conferret certò, & infallibiliter, si homo bene vteretur auxilio sufficienti: alio modo, quia non confert illi omne illud auxilium, quod posset conferre, & per quod de facto teneret hominem, si vellet illud conferre, cùm habeat infinitos modos tenendi hominem, ne cadat, & videat, quòd si hoc modo non teneretur, alio modo teneretur, & non caderet. Vel sub aliis verbis, duobus modis potest intelligi, Deum permittere hominem labi in peccatum, vno modo non conferendo aliquod actuale auxilium, per quod homo posset stare, si vellet, vel quo si bene vteretur, conferret illi auxilium efficax, vt de facto teneretur: alio modo non conferendo illi omne auxilium efficax per quod posset eum de facto tenere conferendo, tamen auxilium, quo si bene vteretur, vel illud euaderet efficax, vel saltem benè vtenti illo daretur auxilium efficax.

His præmissis, si per hoc, quod est, Deum permittere hominem existentem in gratia labi in peccatum, & illum per efficax auxilium non tenere, intelligamus Deum non velle conferre omne auxilium, per quod scit, quòd si illud conferret, homo de facto teneretur, & non peccaret, licèt velit conferre, & de facto conferat aliquod auxilium, quo si homo bene vteretur, vel per illud de facto teneretur, vel homini sic bene vtenti auxilio priori aliud conferretur, quòd efficaciter illum teneret, hoc pacto accepta prima peccati permissione, illius nulla potest reddi ratio ex parte creaturæ, sed illa omnis in solam Dei voluntatem est reiicienda. quòd enim Deus non velit omnia peccata impedire, & omnes homines saluare, cùm tamen id posset facere, si vellet, huius nulla alia ratio reddi potest, nisi quia Deus sic vult. & in hoc maximè elucet gratia diuinæ prædestinationis, quòd duobus existentibus in gratia, illum quem prædestinauit, de facto tenet, & si videat, quòd cum hoc auxilio deficiet, aliud maius auxilium adhibet, & illo deficiente aliud adhuc maius, vt dicit D. Th. de veritate q. 6. art. 3. in corpore, & est donum ineffabile perseuerantiæ, quod confert prædestinato, quod tamen non confert non prædestinato. & hoc est quod ait Apostolus, *cuius vult, miseretur, & quem vult indurat.* VI. D. Thom.

Secundò dico. Si per hoc quod est, hominem permittere labi in peccatum, & illum per efficax auxilium minimè tenere, ne cadat, intelligamus, Deum de facto non conferre aliquod auxilium efficax, quo homo bene vtens prioribus collatis de facto teneretur, nec caderet, vel Deum nullum omnino conferre auxilium, aut denegare omne auxilium, quo de facto teneretur, qui benè vteretur prioribus auxiliis sufficientibus, huius permissionis datur causa ex parte creaturæ, & illa est duplex, altera est naturalis exigentia voluntatis creatæ agentis liberè, & defectibiliter, & suauis rerum dispositio, quæ requirit, vt res defectibiles defectibiliter agere permittantur, quæ ratio suprà ex D. Augustino Caietan. immo, & D. Thom. satis fuit comprobata. altera verò est non vsus auxilij sufficientis, quod Deus ea lege nobis contulit, vt benè illo vtamur, & vtentes accipiamus auxilium efficax. & hic est sēsus parabolæ Euāgelicæ hominis peregrè proficiscentis, qui vocauit seruos suos, & tradidit illis bona sua, alij quinque talenta, alij duo, alij vnum ea conditione, vt negotiarentur, & lucrarentur, & illis qui lucrati sunt, maiora adhuc contulit, ab eo autem, qui nihil est lucratus, etiam id, quod dederat, est ablatum. vt aliàs dictum est. VII.

Verùm hîc statim occurrit dubium. Abusus auxilij sufficientis est peccatum, & istud peccatum necessariò anteceſſit permissio. Ergo abusus auxilij sufficientis non potuit esse causa primæ permissionis eiusdem peccati, quia posterius non potest esse causa sui prioris. VIII.

Hoc dubium videtur accuratè quantum fieri potest resoluendum: quia ex illius resolutione pendere videtur resolutio aliarum difficultatum contingentium circa hanc quæstionem. Neque est nouum dubium, sed vetustum, & frequens apud Theologos, & Philosophos, vt cùm disputant de contritione, & de prioritate, & posterioritate causarum adinuicem, & illud habent solucre etiam illi,

Digitized by Google

illi,qui dicunt,ſubtractionis auxilij efficacis, quatenus habet rationem priuationis, dari cauſam ex parte creaturæ.Dicendum itaque eſt,inter bonum, & malum vſum auxilij ſufficientis dari aliquod medium, & iſtud eſt non vſus eiuſdem auxilij, qui formaliter nec eſt peccatum, nec actus moraliter bonus,ſed quid medium per negationem. quod ne cui videatur nouum commentum, & paradoxum, declaro exemplo.imaginemur aliquem aggreſſum eſſe ab inimico, & habere ſibi paratum auxilium ſufficiens armorum, quibus ſe defendere poſſit, ſi velit,& ita paratum, vt bene vtenti tali auxilio ſit paratum adhuc maius auxilium vſque ad partam victoriam: ille armis ſibi paratis, & oblatis minimè vti vult, inimicus illum aggreditur, & proſternit.quòd igitur hic feriatur,& proſternatur,in cauſa eſt nolle armis ſibi paratis vti, & prius eſt non vti armis paratis, quàm feriri, & proſterni. ita cùm Dæmon hominem in Dei gratia conſtitutum aggreditur, vt per peccatum vulneret, & proſternat, homo habet paratum ſibi à Deo auxilium ſupernaturale, quo vtendo ſe tueatur ea etiam lege, & conditione, vt bene vtenti prioribus auxiliis dentur maiora, ſi opus fuerit,vſque ad partam victoriam. Iam verò homo neque maiora auxilia poſtulat à Deo,neque prioribus vtitur,Dæmon illum aggreditur, Deus maiora auxilia minimè tribuit;& ſic tandem permittit illum vinci,& labi in peccatum. Ecce non vſus auxilij ſufficientis eſt prior permiſſione peccati, & permiſſio prior eſt ipſo lapſu in peccatum. Non igitur admittendum eſt, omnem non vſum auxilij ſufficientis eſſe peccatum, vt ante illum intelligenda ſit permiſſio eiuſdem peccati, vt arguentes falsò imaginantur. & hanc doctrinam non obſcurè videtur tradidiſſe D.Thom. D. Thom. 1.part.q.94.art.4.ad 5.cùm dicit,quòd in tentatione non eſt ſubuentum Adæ, licèt tunc auxilio maximè indigeret: quia iam præceſſerat peccatum in animo, & quia ad diuinum adiutorium recurſum non habuit, vbi videmus duas rationes aſſignatas fuiſſe, quòd Adæ non fuerit collatum diuinum adiutorium efficax,ne deciperetur, alteram nimirum peccatum, per quod iam reddiderat ſe indignum tali auxilio: alteram priorem, quia cùm tentaretur,non habuit recurſum ad diuinum adiutorium.

IX. Secundò dicendum eſt, nullum eſſe inconueniens,aliquid eſſe altero prius, aut poſterius in diuerſo genere cauſalitatis. nam ingreſſus venti feneſtram aperientis in cubiculum in genere cauſæ efficientis prior eſt apertione eiuſdem feneſtræ, quia ingreſſus venti feneſtram aperit:ſed in genere cauſæ materialis apertio feneſtræ eſt prior ingreſſu venti, quia niſi feneſtra aperiretur, ventus non intraret. Eodem modo gratia in genere cauſæ efficientis, aut formalis eſt prior in impio iuſtificato,quàm contritio, quia vera contritio non niſi ex diuina gratia oritur; ſed in genere cauſæ materialis contritio eſt prior infuſione gratiæ, quia contritio eſt diſpoſitio immediata ad gratiam, & forma ſupponit ſuas diſpoſitiones in ſubiecto,nec introducitur niſi in ſubiecto bene diſpoſito. Eodem modo ſi permiſſio peccati vel ſubtractio efficacis auxilij conſideretur per modum cauſæ efficientis, vel potiùs in hoc deficientis, prior eſt permiſſio peccati vel denegatio auxilij efficacis, quàm peccatum. Si autem peccatum conſideretur ſub ratione cauſæ demeritoriæ eiuſdem efficacis auxilij, quæ cauſa demeritoria ad materialem reducitur, ſicut etiam diſpoſitiones materiales ad cauſam materialem reducuntur, tunc dicendum, quòd peccatum eſt prius eadem ſubtractione efficacis auxilij: cum tamen ſimul, & in eodem inſtanti ſint ſimul peccatum,& permiſſio illius.

Per hæc verò facile apparet ſolutio omnium argumentorum,quæ hinc inde ſunt adducta. nam aliquo modo concedendum eſt permiſſionis peccati non dari cauſam ex parte creaturæ, & aliquo modo concedẽdum eſt, dari cauſam eiuſdem permiſſionis iuxta ea, quæ in hoc capite ſunt adnotata.

CAPVT VIII.

An ex parte reprobi detur cauſa ob quam ille non fuit prædeſtinatus.

VLtima ratio, quam capite præcedenti adduximus contra ſecundam opinionem, illam tangit difficultatem, an ex parte reprobi dari poſſit cauſa,ob quam ille non fuerit à Deo prædeſtinatus. Circa quam difficultatem Vaſquez diſp. 95. cap.9. refert quoſdam Doctores partem affirmatiuam tenentes, quorum ſententiam dicit, ſe non poſſe non admirari, eámque acriter impugnat. & primò illa poteſt impugnari argumento, quod alibi tangit, quia ſi daretur ex parte hominis cauſa non prædeſtinationis daretur etiam cauſa prædeſtinationis, quia inter non prædeſtinationem & prædeſtinationem non datur medium; & qui ex ordine non prædeſtinatorum egreditur, in alium oppoſitum, qui eſt prædeſtinatorum recurrit,& è contra, & ſicut negatio eſt cauſa negationis, ita affirmatio erit cauſa affirmationis:vnde ſi malus vſus diuinorum auxiliorum eſſet cauſa non prædeſtinationis; ergo bonus vſus eſſet cauſa prædeſtinationis. I. Vaſquez.

Secundò eandem ſententiam impugnat teſtimonio D. Pauli vulgatæ ad Roman. 9. dicentis, *cuius vult,miſeretur, & quem vult, indurat.*quod ſic debet intelligi quòd quem vult, prædeſtinat, & quem non vult, non prædeſtinat, nulla talis varietatis cauſa ex parte creaturæ ſubſiſtente.

Tertiò eandem vrget teſtimonio D. Auguſtini ſæpius dicentis, quòd,quem Deus vocat, ex miſericordia vocat,& quem non vocat, iuſto iudicio non vocat.

Circa hanc difficultatem videtur eodem modo diſtinguendum, duobus modis poſſe intelligi dari cauſam ex parte reprobi, ob quam ille non fuerit prædeſtinatus, vno modo quòd ex parte reprobi detur cauſa, ob quam Deus non præparauerit illi omnem gratiam, quam ſciuit futuram efficacem in illo,ſi eam illi præparare voluiſſet, & quam poterat præparare, ſi voluiſſet: alio modo, quòd ex parte reprobi detur cauſa,ob quam gratia, quæ eſt illi præparata, non ſortiatur in illo effectum gratiæ prædeſtinationis.Iuxta primum modum veriſſimum eſt, non dari cauſam ex parte reprobi, ob quam ille non fuerit prædeſtinatus. quòd enim Deus non præparauerit illi omnem gratiam,quam poterat præparare,& ſciebat, quòd ſi illam præpararet, illa infallibiliter futura eſſet efficax, & vinceret omnem duritiem humanæ voluntatis,& perduceret de facto hominem ad æternam ſalutem, quis huius rei aliam reddere poteſt cauſam, niſi diuinam voluntatem? ſicut quòd non omnes creaturas rationales, quas poſſet, ſi vellet,ad ſalutem perducat, nulla alia cauſa reddi poteſt, niſi diuina voluntas, & ſplendor diuinæ ſapientiæ in rebus humanis ſuauiter moderandis, iuxta quod vniquæque res poſtulat, & ſplendor miſericordiæ II.

Dei

Dei in electis. In hoc ſenſu ait Paulus, *Cuius vult, miſeretur, & quem vult, indurat.* & Auguſtinus, *Qui liberantur, miſericordia liberantur, & qui non liberantur, iuſto iudicio non liberantur.* In hoc ſenſu admitti poteſt opinio Vaſquez, licèt ille teſtimonia D. Auguſtini & Proſperi quæ contra ſe adducit, reuera non rectè explicet ad mentem illorum Doctorum.

III. Iuxta autem ſecundum modum veriſſimum eſt, dari cauſam ex parte reprobi ſaltem adulti, ob quã ille nõ fuerit prædeſtinatus. Si enim reprobus benè vteretur auxiliis ſufficientibus, quæ ſunt ſibi præparata, Deus daret illi auxilia efficacia, & ſaluaretur: ſi autẽ ſaluaretur, vtique eſſet prædeſtinatus. ſed quòd non benè vtatur auxiliis ſufficientibus, & conſequenter non detur ſibi auxilium efficax, & non ſaluetur, datur cauſa ex parte illius. Ergo quòd non fuerit prædeſtinatus, datur cauſa ex parte illius.

Confirmatur hæc ſententia apertis teſtimoniis
Auguſt. D. Auguſtini dicentis in lib. 1. ad Simplician. q. 2. *Noluit ergo Eſau, & non cucurrit: ſed etſi voluiſſet, & cucurriſſet, Dei adiutorio perueniſſet, qui eſ etiam velle, & currere vocando præſtaret, niſi vocatione contempta reprobus fieret.* & paulo infrà *Multi vocati, pauci verò electi: illi enim electi, qui congruenter vocati, illi autem, qui non congruebant, neque contemperabantur vocationi, non electi, quia non ſecuti, quamuis vocati.* & ad articulos ſibi falsò impoſitos ad 12. *Et quia præſciti ſunt caſuri, ideo non ſunt prædeſtinati: eſſent autem prædeſtinati, ſi præuiſi eſſent reuerſuri, & in ſanctitate vitæ manſuri.* & in cap. vaſis iræ 23. quæſt. 4. *Vires itaque obedientiæ non ideo cuiquam ſubtraxit, quia eum non prædeſtinauit: ſed ideo eum non prædeſtinauit, quia receſſurum ab ipſa obedientia eſſe præuidit.*

Confirmatur ſecundò eadem ſententia teſtimo-
Proſper. niis D. Proſperi, nam in lib. ad Capitula Gallorum ad ſecundum ait, *Qui enim recedit a Chriſto, & alienus à gratia finit hanc vitam, quid niſi in perditione cadit, ſed non in quod remiſſum eſt recidit, nec originali peccato damnabitur, qui tamen propter poſtrema crimina ea morte afficietur, quæ ei propter illa, quæ ei remiſſa ſunt debebatur, quod quia Dei præſcientiam nec latuit, nec fefellit ſine dubio nunquam talem elegit, nunquam prædeſtinauit, & perituram nunquam ab æterna damnatione diſcreuit.* & ad tertium inquit, *Quòd ergo huiuſmodi in hac prolapſi mala ſine correctione pœnitentiæ defecerunt, non ex eo neceſſitatem perendi habuerunt, quia prædeſtinati non ſunt: ſed ideo prædeſtinati non ſunt, quia tales futuri ex voluntaria prauaricatione præſciti ſunt.* & ad ſeptimum. *Quia illos ruituros propria voluntate præſciit, & ob hoc à filiis perditionis nulla prædeſtinatione diſcreuit.* & ad 12. *Vires ergo obedientiæ non ideo cuiquam ſubtraxit, quia eum non prædeſtinauit: ſed quia receſſurum ab ipſa obedientia eſſe præuidit, ideo non prædeſtinauit.* idem repetit prorſus in ſententiis ex illis reſponſionibus ſuo ordine exceptis, vt patet legenti.

Neque verum eſt, quod ait Vaſquez, Auguſtinum, & Proſperum iſtis modis loquendi ſolùm velle denotare cauſam cognitionis, non cauſam rei, vt ſit ſenſus iſtorum verborum, quòd ideo cognoſcuntur fuiſſe non prædeſtinati, quia erant caſuri, non autem quòd ob hanc cauſam non fuerunt prædeſtinati, quia præuiſi ſunt eſſe caſuri. hanc enim Gloſſam frigidam eſſe, & textum ſuum deſtruentem, videbit facilè, quicunque aduertat, mentem Auguſtini, & Proſperi fuiſſe ſatisfacere obiectionibus aduerſariorum dicentium, quòd ſi homines non ſaluantur, quia non ſunt prædeſtinati, vt Auguſtinus paſſim, & palàm docebat, cauſa noſtræ perditionis eſt Dei prædeſtinatio, non autem noſtra mala opera; quibus obiectionibus vt ſatisfacerent, dixerunt, Deum voluiſſe omnium ſalutem, & omnibus præparaſſe auxilia ad ſalutem opportuna, & ſufficientia, quibus ſi bene vti vellent, omnes ſaluarentur, & ſic eſſent de numero prædeſtinatorum. Verùm quia Deus præuidit, illos contempturos ſuam vocationem, & à ſe receſſuros, & caſuros, & in peccato diuina vocatione contempta duraturos, ideo illos non prædeſtinauit. Sic retunditur humana proteruia, cùm vult ſuæ perditionis facere Deum autorem. Sic concludit Auguſtinus, quòd quia præſciti ſunt caſuri, non ſunt prædeſtinati: eſſent autem prædeſtinati, ſi præuiſi eſſent reuerſuri, & in ſanctitate vitæ manſuri. ac per hoc prædeſtinatio Dei multis eſt cauſa ſtandi, nemini cauſa eſt labendi. Obſeruet prudens lector hanc cauſalem, *ac per hoc*; quid obſecro denotat iſta cauſalis *per hoc*. ſi non denotat cauſam rei, ſed tantùm cognitionis? erat ne Auguſtino cum Semipelagianis controuerſia de cauſis diuinæ cognitionis, cùm obiiciebant ei, quòd iuxta illius doctrinam de prædeſtinatione ipſa Dei prædeſtinatio eſſet cauſa perditionis, & ruinæ multorum, & quòd ex ſententia Auguſtini ſequeretur, eum, qui non eſt prædeſtinatus, non poſſe ſaluari, idque propter diuinam prædeſtinationem, & diuinam voluntatem, quia quos Deus voluit, prædeſtinauit, & quos non voluit, non prædeſtinando efficaciter excluſit à ſalute? ſed res magis eſt clara, quàm vt digna ſit, quæ pluribus declaretur. Conferantur obiectiones aduerſariorum cum reſponſionibus Auguſtini, & Proſperi, & apparebit claè, & diſtinctè, illos non de cauſa cognitionis, ſed rei loqui.

Confirmari tandem poteſt eadem ſententia ar- IV.
gumento ſatis apparenti, ne quid ampliùs dicam. quia eo modo, quo Dei gratia in tempore nobis datur, eo modo eſt nobis ab æterno præparata, præparatio autem gratiæ eſt ipſa prædeſtinatio, vt Auguſtinus ait lib. de prædeſtin. ſanctorum capite 10. & 17. ſed quòd homo in tempore gratiam efficacem non recipiat, datur cauſa ex parte illius. Ergo quòd ab æterno illa non fuerit ei præparata, datur cauſa ex parte illius. quòd autem ex parte hominis detur cauſa, ob quam ille non recipiat gratiam efficacem, probatur omnibus illis teſtimoniis Patrum, quæ toto hoc capite, & præcedentibus adducta ſunt, & præcipuè D. Auguſtini lib. 1. Auguſtin.
ad Simplician. quæſt. 2. Idem docet Auguſtinus lib. 2. de peccatorum meritis, & remiſſione cap. 17. cùm ait, *vt homines non adiuuentur gratia Dei, in ipſis cauſa eſt, non in Deo.* quod ſi verum eſt de gratia adiuuante, verum eſt etiam de præueniente. Idem D. Proſper & D. Anſelmus ſuprà citati. Idem expreſsè D. Thomas lib. 3. contra Gentes cap. 159. di- D. Thom.
cens, *Deus, quantum eſt ex ſe, paratus eſt omnibus gratiam dare, vult enim omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, vt dicitur ad Timoth. 1. cap. 2. Sed illi ſoli gratia priuantur, qui in ſeipſis gratiæ impedimentum præſtant.* & quòd loquatur de gratia efficaci, præter quod probat Aluarez diſp. 112. Aluarez.
num. 6. conuincitur euidenter ex hoc, quia auxilio gratiæ ſufficientis tantùm nullus in hac vita priuatur. & D. Thom. loquitur de eo gratiæ auxilio, quo quis ob ſuam culpam priuatur. & 1. 2. q. 112. art. 3. ad 2. inquit, quòd defectus gratiæ prima cauſa eſt in nobis, ſed collationis gratiæ prima cauſa eſt in Deo. Adhæc ſuprà oſtendimus, denegationis efficacis auxilij, quo homo permittitur labi in peccatum, in quo tandem, moritur,

aliquo

aliquo modo,& ſenſu bono,& Catholico,concedi poſſe dari cauſam ex parte reprobi. Ergo ſaltem in hoc ſenſu defectus gratiæ efficacis datur cauſa ex parte reprobi.

Adhæc frequentiſſima eſt ſententia Auguſtini, quòd gratia Dei quibus datur, quod nó merẽtur, datur,& quibus ſubtrahitur, meritò ſubtrahitur, & quibus negatur,iuſto iudicio negatur,& qui liberantur,miſericorditer liberari,& qui deſerũtur, iuſte deſeri, quibus ſentẽtiis pleni ſunt omnes libri Auguſtini contra Pelagianos, & illorum reliquias.Legatur liber de bono perſeuerãtiæ c.11. & 12.& lib.de Prædeſt.ſanctorum c.14.Ergo nõ dari gratiam,illa reprobum deſtitui,non liberari,deſeri,ſupponit aliquam cauſam demeritoriã ex parte reprobi,& ob hanc cauſam rectè,& Catholicè dici poteſt,& deber,quòd detur cauſa, ob quã gratia efficax non fuerit ab æterno reprobis præparata.neque dici poteſt,illam eſſe ſolum peccatum originale,nam primò ſi hoc admittatur, ſaltẽ habebimus, quòd ex parte reprobi detur cauſa, ob quam ille non fuit prædeſtinatus. Secundò, quia multi reprobi liberãtur de facto ab originali.Ergo peccatum originale non poteſt aſſignari pro cauſa,ob quam illi non ſunt prædeſtinati.Confirmatur,quia peccatum originale non poteſt aſſignari pro cauſa reprobationis illorum, ſi ſemel fuit remiſſum,vt infrà oſtendemus,& apertè dicit Proſper ad Capitula Gallorum ad ſecundum.Ergo nõ poteſt aſſignari pro cauſa, ob quam non ſunt prædeſtinati:& tamen Auguſtinus generaliter,& vniuerſaliter loquitur dicẽs, omnibus quibus diuina gratia denegatur,iuſto iudicio denegari, & illos, quibus denegatur, debere proprium debitum agnoſcere,ſicut omnes,quibus datur gratia, debent miſericordiam Dei laudare.

D.Thom. Videatur etiam D.Thom.de veritate q.23. art. 2.in corpore ad finem.

V. Hinc apparet,falſum omnino eſſe illud aſſumptum,cui nititur Vaſquez, quòd ſi ex parte creaturæ datur cauſa nõ prædeſtinationis,detur etiam ex parte illius cauſa prædeſtinationis, aduerſatur enim hoc aſſumptum non ſolùm ſupradictis teſtimoniis D.Auguſtini, & D.Th. ſed manifeſtæ auctoritati diuinæ Scripturæ dicentis, apud Oſeam c.13. *Perditio tua ex te Iſrael,tantùm in me auxilium tibi.*licèt autem inter eſſe prædeſtinatum, & non eſſe prædeſtinatum,non detur medium,tamẽ non ſequitur,homo eſt cauſa,quòd non ſit prædeſtinatus, ergo homo eſt cauſa quòd ſit prædeſtinatus, niſi quis contendat veram eſſe ſententiam Pelagianorum, quòd quantũ quiſque de ſe poteſt ad malum, tantum idem poſſit ad bonum. Poteſt igitur homo de ſe ad malum, at de ſe non poteſt ad bonum; & ideo de ſe poteſt eſſe cauſa, quòd non ſit prædeſtinatus, non tamen poteſt eſſe cauſa, quòd ſit prædeſtinatus, quia non prædeſtinationis cauſa eſt peccatum, & obſtinatio,cuius ſolus homo eſt cauſa:at non poteſt eſſe cauſa prædeſtinationis,quia prędeſtinatio eſt pręparatio gratiæ, & gratiæ homo non eſt cauſa.

Et regula illa,ſicut affirmatio eſt cauſa affirmationis,ita negatio negationis,& econtra,nõ habet locum, niſi quando vtraque eſt cauſa adæquata affirmationis, & negationis, non autem quando vnius eſt adæquata, alterius verò non adæquata, ſicut contingit in propoſito. nam non vti diuinis auxiliis,eſt cauſa adæquata non prędeſtinationis: vti verò eiſdem auxiliis, non eſt cauſa adæquata prædeſtinationis; & poteſt hoc declarari exemplo. nam ſi Rex offerret multis aliquam opulentiſſimam ciuitatem eam ingredi volentibus, & aliqui ingrederentur, aliqui nó,nolle ingredi eſſet totalis cauſa, quòd aliqui ciuitatem non poſſiderent, velle autem ingredi non eſſet totalis cauſa, ob quam ingredientes ciuitatem poſſiderent, neque etiam eſſet cauſa,ob quam ciuitas fuiſſet illis præparata ad poſſidendum,ſi vellent intrare. Aut ſi eſſent duo graui morbo laborantes, & veniret medicus,& vtrique propinaret pharmacum, quo hauſto illi in vita poſſent ſeruari, & alter poculum acciperet & ſeruaretur, alter verò nollet accipere, & moreretur, in altero nolle poculum ſumere eſſet quidem cauſa, ob quam moreretur: at in altero ſumptio poculi nòn eſſet cauſa,ob quam viueret,ſed medicus,& poculum ipſum. ita nolle vti auxiliis diuinis eſt quidem adæquata cauſa damnationis: at velle vti illis non eſt adæquata cauſa ſalutis. Immo nullo modo eſt cauſa præparationis ipſorum auxiliorum, in qua præcipuè conſiſtit diuina prædeſtinatio.

CAPVT IX.

Dubium ſecundum expenditur, an finalis obdurationis, qua quis lapſus in lethalem culpam permittitur manere in illa vſque ad terminum vitæ, detur cauſa ex parte reprobi.

NE nominum æquiuocatione in hoc dubio enodando in errorem labi videamur, ante omnia notandum eſt, nomine obdurationis duo nos poſſe intelligere,primò ipſum peccatũ, quod eſt durities quædam cordis: ita illud appellant ſæpe diuinæ Scripturæ. Secundò permiſſionem, qua Deus hominem ſemel lapſum in peccatum permittit manere in illo vſque ad mortem, non præbendo ei efficax auxilium, vt conuertatur, & agat pœnitentiam. Accepta autem obdurationc primo modo non eſt diu laborandum in inquirenda illius cauſa,idem enim eſt quærere cauſam obdurationis hoc modo acceptæ,& quærere cauſam peccati, quam conſtat eſſe ſolam voluntatem creatam deficientem, non autem vllo modo Deũ, vt lib.ſequenti contra multas hæreticorum ſectas oſtendemus. Accepta verò obduratio ſecundo modo adhuc duobus modis ſubaccipitur, vno modo pro ſola permiſſione, qua Deus permittit hominẽ ſemel lapſum in lethalem culpã permanere in illa vſque ad mortem, non præbendo illi auxilium efficax,vt reſurgat: alio modo pro permiſſione, qua non ſolùm permittit hominem lapſum manere in peccato,ſed etiam labi in ſcelera maiora,& grauiora.Differunt autem hæ duæ permiſſiones,quia prima eſt ſola negatio auxilij efficacis ad reſurgendum,ſecunda verò eſt etiam imminutio auxilij ſufficientis, licèt nunquam ſit tanta imminutio, vt non habeat homo tanta auxilia, quanta ſufficere poſſent ad hoc, vt ſi vellet, conuerteretur, & ſaluaretur. Adhuc prima permiſſio ſeu obduratio impropriè appellatur obduratio, vt rectè nonnulli recentiores notant, ſolùm enim propriè loquendo dici debet permiſſio durãdi,& perſeuerãdi in peccato. vnde ſi quis lapſus in lethalem culpã caſu aliquo repentè excederet ex hac vita ſine pœnitẽtia, ille

impropriè diceretur obduratus à Deo. Adhuc minus proprie posset dici à Deo obduratus ille, qué diu in peccatis viuentem Deus in dies nouis auxiliis excitaret, & ad pœnitentiam vocaret, & ille nihilominus diuinæ gratiæ reluctando tandem in peccato moreretur. Verùm secúdo modo accepto nomine obdurationis nõ solùm dicitur Deus aliquos peccatores indurare ad Rom. 9. sed etiã tradere illos in reprobũ sensum, & in desideria cordis eorum, & in passiones ignominiæ, ad Rom. 1. & in Psal. 80. & immittere in illos spiritum vertiginis, Isaiæ c. 19. & claudere illorum oculos, & aures, Isaiæ c. 6. & illos despicere, Ecclesiastæ c. 7. & recedere ab illis, & illos deserere, Oseæ c. 9. & Matth. 23. & tandem illos proiicere, Ieremiæ c. 6. & 7. & hoc modo accepto nomine obdurationis non oportet etiam diu laborare in quærendo, an detur illius causa ex parte reprobi, certũ enim est ex diuina Scriptura Deum in pœnã peccatorum præcedentium, & abusum auxiliorum præcedentium permittere hominem labi in grauiora peccata, & proportione quadam imminuere diuina auxilia saltem in hoc sensu, quia quãto magis homo cadit in peccata, & sæpius in illa recidit, tãto deterioris fit conditionis ad surgendum. & sic auxilia proportione quadam, & comparatione facta ad eundem hominem sæpe cadentem, & veterascẽtem in sordibus suis, licèt sint quoad essentiã, & gradum eadem, tamen ob deteriorem conditionem reciduantis dicuntur attenuari, & fieri minora, & sic tandem infelix peccator deueniens in profundum malorum, diuina auxilia, & Deum ipsum contemnit, vt est apud Salomonem in Prouerbiis cap. 18. & ipsos radios vehementissimarũ illustrationum sub pedibus conculcat, quemadmodum de reprobis ait Iob cap. 41. & hoc est, Deum in pœnam præcedentium delictorum hominem obdurare, & tradere in reprobum sensum, deserere, despicere, & proiicere.

Tota itaque difficultas in hoc dubio contingens versatur circa obdurationem primo modo acceptam, quatenus est simplex quædã permissio, qua Deus hominem semel lapsum in lethalem culpam, permittit in illa manere vsque ad terminum vitæ, nec tribuit efficax auxiliũ, vt resurgat, an talis obdurationis seu permissionis detur causa ex parte reprobi.

II. Circa istud dubium recentiores quidã Theologi, qui dicunt, Deum ante præuisa nostra opera omnes reprobos efficaciter excluſisse à regno gloriæ, & circa dubium præcedens dixerunt, nõ dari causam ex parte reprobi permissionis lapsus in peccatum, propter quod ille damnatur, quatenus illa permissio est simplex negatio efficacis auxilij, quo homo, si illud haberet, teneretur, nec caderet, dicũt etiam obdurationis finalis siue permissionis, qua Deus permittit hominẽ lapsum in culpam in illa manere vsque ad terminũ vitæ, quatenus talis obduratio, & permissio habet rationẽ simplicis negationis auxilij efficacis, quo mediãte homo de facto resurgeret, non dari aliquã causam ex parte reprobi, sed illius causam esse solam Dei voluntatem. Si autẽ consideretur huiusmodi permissio, & obduratio, nõ vt habet rationẽ simplicis negationis, sed vt habet rationẽ priuationis, illius datur causa ex parte reprobi: & ideo dicunt, quòd si hæc permissiò cõsideretur, vt est simplex negatio auxilij efficacis ad resurgendũ, ista propositio est vera: Homo non conuertitur, quia Deus non vult adiuuare, & non è contra Deus non vult adiuuare, quia homo non vult conuerti. Si autem consideretur quatenus habet rationẽ priuationis, ista est vera: Homo non adiuuatur à Deo, quia nõ vult conuerti, & non econtra homo nõ vult cõuerti, quia nõ adiuuatur à Deo. Addunt etiã quòd in executione, & in exercitio Deus nũquam negat homini auxilium ad eliciendos actus supernaturales, prout ratio temporis, & loci postulat, nisi in pœnam alicuius peccati præcedentis saltem originalis, præcedentis (inquam) vel ordine tẽporis, vel saltem ordine naturæ: fatentúrque hanc esse sententiam D. Augustini, & D. Thom. & omnium Doctorum absque vlla discordia.

Fundamenta, quibus in hac opinione adstruẽda illi nituntur, sunt. Primum quia prædestinationis nõ datur causa quoad integrum illius effectum ex parte prædestinati. Ergo neque reprobationis datur causa quoad integrum illius effectũ ex parte reprobi: at in integro effectu reprobationis includitur prima permissio peccati, quæ est subtractio efficacis auxilij, ne homo conuertatur. Ergo talis permissionis nulla datur causa ex parte reprobi. III.

Verùm hæc ratio falso nititur fũdaméto, quòd sicut prędestinationis nõ datur causa ex parte prędestinati quoad illius integrum effectum, ita nec etiam reprobationis. quod arguens nõ probat, & sicut gratis asseritur, ita gratis negatur, & illo etiã admisso non posset concludi id, quod arguens intendit. nam ad hoc, vt nõ daretur causa reprobationis ex parte reprobi quoad illius integrũ effectum, sufficeret, vt nõ daretur causa ratione primi effectus: primus autem effectus reprobationis secundùm arguentem non est permissio permanẽdi in culpa, pro qua quis dãnatur, sed permissio lapsus in eandem culpam, quæ prior est.

Secundum illorum fundamentum est, quia negatio est, quid superius ad priuationem. Ergo vbicunque fuerit priuatio diuini auxilij, supponitur ante illã, & præintelligitur illi negatio eiusdẽ auxilij: sed ad huiusmodi negationem nullũ supponitur peccatum ex parte reprobi. Ergo illius nulla datur causa ex parte reprobi. Minor probatur, quia illud auxilium nulli est debitum, & Deus potest illud dare, aut negare cui vult.

Sed istud quoque fundamentũ falsum est. quia licèt negatio diuini auxilij genericè concepta sit prior priuatione eiusdem auxilij, tamen negatio talis auxilij in tali subiecto, in quo Deus cõstituit debitũ illud habendi, nunquam potest habere rationem simplicis negationis, quin habeat etiam adiunctã rationem priuationis: sicut priuatio visionis in oculo non potest habere rationẽ simplicis negationis, sed necessariò habet semper adiũctam rationem priuationis, sicut superiùs non semel dictum est, & inferiùs etiam dicemus.

Præter quod hîc nõ est sermo de auxilio, quod datur, ne homo cadat in peccatum, sed de auxilio, quod datur, vt homo resurgat à peccato, in quod lapsus est. vnde siue negatio huius auxilij concipiatur, vt simplex negatio, siue vt priuatio, illa necessariò supponit peccatum.

Tertium fundamentũ est. quia Deus voluntate absoluta, & efficaci ante omnem præscientiã mali vsus nostri liberi arbitrij decreuit omnes reprobos efficaciter excludere à regno gloriæ. Ergo eadem voluntate decreuit non dare illis auxilia, quibus peruenirent ad gloriam. IV.

Sed quàm falsum sit hoc assumptum, hoc eodem lib. cap. 3. ostendimus, & lib. 5. tota controuersia, nec plura addere hîc oportet.

Quartum fundamentum, Deus voluntate consequenti omnibus inspectis circumstantiis simpliciter

citer non vult omnes homines ſaluos fieri. Ergo non vult omnibus conferre auxilia, & media ad ſalutem. Supponunt autem voluntatem Dei conſequentem nullo modo ex noſtro vitio oriri, vt dicunt ſe alibi probaſſe. Hoc etiam fundamentum, quàm ſit falſum, & contra doctrinam Patrum, & D.Thomæ, & arguentium, lib. 4. fusè oſtendimus cap.21.

Quintum fundamentum, voluntas Dei conſequens ſemper impletur. Ergo ſi Deus voluntate conſequente vellet dare omnibus auxilia ſufficientia, aut efficacia ad ſalutem, omnes illa de facto reciperent. Conſequens eſt falſum, nam data illius veritate, ſequeretur quòd nullus eſſet infi-
D.Thom. delis negatiuè contra D.Thom.2.2. q.10. art.1. nã ſi omnes haberent ſufficiens auxilium ad credendum, qui non crederet peccaret contra fidem, & ſic non eſſet infidelis negatiuè tantùm, ſed priuatiuè. Probatur etiam falſitas eiuſdem cõſequentis, quia experientia docet, non omnes de facto accipere huiuſmodi auxilia.

Sed nullus dicit, Deum voluntate conſequente velle dare omnibus auxilium efficax ſaltem, quatenus dare dicit relationem ad accipere, ſed ſolùm quatenus dicit idem quod offerre, & etiam loquendo de auxilio ſufficienti, non vult voluntate conſequenti dare omne auxilium ſufficiens, quatenus ſimiliter dare dicit actualem relationem ad accipere. vnde non omnibus in exercitio dat ſufficiens auxilium immediatum ad credendum, ita vt omnes illud de facto accipiant: & propter hoc datur homo infidelis purè negatiuè, vt dicit S. Thomas. Dat tamen Deus omnibus auxilium ſufficiens, & neceſſarium ad ſalutem, etiam quatenus dare dicit relationem ad accipere, vel immediatè, vel ſaltem mediatè in hoc ſenſu, quia dat aliquod auxilium, & homo illud recipit, quo ſi bene vteretur, de facto daret alia, & ſi illis vteretur adhuc maiora daret, & tandem perduceret hominem ad æternam ſalutem.

CAPVT X.

Sententia capite præcedenti recitata reiicitur, & veritas aperitur.

I. OPinionem iſtam, prout in terminis iacet, intellectam nullo modo poſſum probare. nam dicunt illius aſſertores, Deum nunquam denegare ſupernaturalia auxilia in facto, & in executione ad credendum, & diligendum, & ad alios actus ſupernaturales eliciendos, niſi in pœnam alicuius peccati præcedentis. modò ſtante hoc fundamento, quod ſi negaretur, facillimum eſſet illud multis teſtimoniis ſanctorum, & etiam diuinarum Scripturarum probare, irrationabile omnino videtur eſſe, dicere Deum ex ſolo beneplacito voluntatis ſuæ ante præuiſa hominum demerita ordine intentionis priùs decreuiſſe, nõ dare auxilia ſupernaturalia reprobis, quibus ad ſalutem peruenirent. nos enim de diuinis arcanis non aliter ratiocinari poſſumus, quàm ex his, quæ Deus in tempore, & de facto operatur ad extra, nam & hoc modo nos docet de arcano diuinæ prædeſti-
D.Thom. nationis ratiocinari D. Thom. 1. part. quæſt. 23. art.5. in argumento *ſed contra*. & 3.part.quæſt.1.a. 3. ita ait, *Ea enim, quæ ex ſola Dei voluntate pendent ſupra omne debitum creaturæ, nobis innoteſcere non poſſunt, niſi quatenus in ſacra Scriptura traduntur, per quam nobis diuina voluntas innoteſcit.* Cùm autem inter omnia arcana diuinæ voluntatis obſcuriſſimum ſit arcanum prædeſtinationis, & reprobationis, ſi diuina Scriptura, & Patres, & omnes Theologi vnanimi conſenſu dicunt, Deum de facto, & in exercitio nunquam negare alicui ſuum auxilium, niſi in pœnam alicuius præcedentis peccati, vnde obſecro innoteſcere potuit iſtis Theologis alioqui præclaris, & eruditis iſta efficax, & abſoluta Dei voluntas denegandi ſupernaturalia auxilia reprobis ante præuiſa illorum mala opera, tota diuina Scriptura, & omnibus Patribus, & Theologis contrarium dicentibus? Certè hæc ratio magnas vires habere debet in hoc dogmate de diuina reprobatione, de quo non ſecundùm regulas Philoſophorum, ſed diuinæ Scripturæ, & ſanctorum Patrum debemus argumentari, neque aliter poſſumus argumentari, niſi ex iis, quæ Deus de facto, & in exercitio ad extra operatur: vnde cùm de facto & in exercitio nunquam ſua auxilia deneget, niſi ob præcedens peccatum, velle nihilominus aſſerere, quòd ordine intentionis ante inſpecta peccata decreuerit efficaciter, eadem auxilia non dare, id illorum pace potius videtur eſſe genus diuinationis, quàm Theologicæ aſſertionis, aut argumentationis.

Præterea nititur hæc ſententia illi fundamẽto, II.
quòd Deus ante inſpecta demerita voluerit efficaciter reprobos excludere à fine ſupernaturali, quod quàm ſit falſum, in hoc libro, & duobus præcedentibus, ſatis probatum fuit.

Tertiò poteſt eadem ſententia refutari ex illorummet doctrina. nam quidam illorum, qui eam defendunt, docent poſt Dominicum Bãnes, quòd ſi verbum dare idẽ ſignificet, quod offerre, Deus omnibus dat auxilia ſupernaturalia, & nulli decreuit illa negare ante inſpecta illius mala opera, quanuis ſi verbum *dare* accipiatur, prout dicit relationem ad accipere, aliter ſit dicendum. hoc autem fundamento iacto argumentor. Cùm Deus offert reprobo auxilium, quod de facto non dat, vel offert illud ex intentione dandi, ſi per illum, cui offertur non ſteterit, vel offert non ex animo illud dandi, ſed per iocum, & ſimulationem quãdam. Secundum nec dici debet, nec cogitari de Deo. primum autem omnino non videtur conſiſtere poſſe cum illa voluntate abſoluta, & efficaci non dandi idem auxiliũ ante inſpecta mala opera eiuſdem reprobi: nõ enim iungi poſſunt hæc duo, Deum voluntate abſoluta, & efficaci ante inſpectam meam voluntatem velle hoc auxilium mihi non dare, & Deum velle illud idem auxilium mihi reuera dare, ſi ego illud accipere velim, & ſi per me non ſteterit.

Quartò data veritate huius opinionis, ſequeretur, reprobum non peccare peccatum impœnitentiæ, quod eſſet peccatum ſpeciale, cùm non conuertitur ad Deum; quod eſt non ſolùm cõtra D.Th. & Scholaſticos, ſed contra diuinam Scripturam Prouerbiorum 1. vbi Deus impiorum impœnitentiam exaggerãs inquit, *Quia vocaui, & renuiſtis, extendi manum meam, & non fuit, qui aſpiceret, & deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis, ego quoque in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo.* Sequela videtur neceſſaria: nullus enim peccat omittendo id, ad quod præſtandum non habet à Deo conueniens auxilium, Deus autem iam apud ſe decreuit tale auxilium nõ dare. Immo ſequeretur, hominem non peccare, cùm peccat, & labitur in peccatum: quia iſti autores ſimiliter dicunt, Deum decreuiſſe apud ſe non dare illi auxilium ad vitandum peccatum, immo ſequeretur non peccare nõ adimplendo diuina præcepta, III.

quia ſimiliter Deus decreuit apud ſe non dare illud auxilium ad implenda præcepta.& iſtæ omnes conſequentiæ patent:quia nullus peccat non vitando id, ad quod vitandum non habet conueniens auxilium, neque non adimplendo id, ad quod implendum non habet idoneum auxilium; & eſt doctrina expreſſa D.Auguſtini in lib.de natura & gratia cap.67. & de corrept. & gratia cap. 11.& D.Th.1.2.q.10. art.1. vbi docet, quòd infidelitas negatiua non eſt peccatum contra fidem, quia tali modo infidelis non habuit auxilium, quo poſſet credere.

Auguſt.

D. Thom.

IV. Sed dicetur, quòd licèt homo non poſſit conuerti,& vitare peccata, & diuina mandata implere ſine diuino auxilio, tamen huiuſmodi auxilio qui priuantur, ſua culpa priuantur: & ideo peccant non ſe conuertendo,non vitando peccata, & nõ implendo diuina præcepta,ſicut ſi ebrius amiſſo iudicio rationis aliquem interficiat, non excuſatur à peccato propter defectum rationis, quia ſua culpa iudicium rationis amiſit.

Hæc reſponſio tollitur primò, quia ſecundùm reſpondentes non negatur reprobo tale auxilium ex propria culpa, ſed ex ſola Dei voluntate antecedente omnem præſcientiam culpæ ipſius reprobi. Secundò,quia non eſt etiam abſolutè verum, hominem ſemper peccare in eo,quod vitare non poteſt, etiamſi propria culpa contraxerit talem impotentiam, vt dicit Auguſtinus lib.3.de libero arbitrio cap.18.& clariùs in lib.de Natura & gratia cap.67.in illis verbis, *non tibi imputatur ad culpam, quod inuitus ignoras, ſed quòd negligis quærere, quod ignoras,neque illud quod vulnerata membra*, &c. quanuis in verbis antecedentibus,ſi ſuperficie tenus legantur, oppoſitum docere videatur.& hoc conſtat manifeſte in motibus concupiſcentiæ rationem præuenientibus,& in eo,qui propria culpa factus eſt amens,aut infirmus, ita vt ex amentia virum interficiat, & ieiunare non poſſit. Neque contrarium docuit S.Thom.3.contra Gentes cap.160.nam ibi quærit,vtrùm homo exiſtens extra Dei gratiam poſſit omnia peccata vitare; & reſpondet, quòd non poteſt. Obiicit ſibi, quòd nullus peccat in eo,quod vitare non poteſt. Reſpondet, quòd homo propria culpa priuatus eſt diuino auxilio:& ideo imputatur illi,ſi ſine auxilio gratiæ labitur in peccata. quibus in verbis nõ intendit docere, illum omnem, qui lapſus eſt in lethalem culpam,ſtatim à Deo priuari diuino auxilio ad peccata alia vitanda.abſit:ſed loquitur de eo,qui ita degit in culpa, vt habeat voluntatem perſeuerandi in peccato. nam capite præcedenti dixerat,quòd nullus priuatur auxilio diuinæ gratiæ,niſi qui eidem gratiæ impedimentum præſtat per propriam voluntatem: ſicut nullus priuatur lumine,niſi ille,qui claudit oculos Soli. & loquitur ibi non de gratia habituali, ſed de auxilio actuali, vt ex titulo eiuſdem capitis; & tota illius ſerie conſtat. Immo loquitur de auxilio actuali efficaci,quia auxilio ſufficienti nullus in hac vita priuatur.

Auguſt.

Immo deducitur hinc aliud argumentum contra eandem ſententiam, nullus priuatur auxilio ſufficienti, niſi qui eidem auxilio per propriam voluntatem obicem ponit, immo neque auxilio efficaci,vt ex eodem loco D.Thomæ cõſtat. Ergo videtur eſſe figmẽtum dicere quòd fuerit in Deo iſta voluntas efficax denegandi reprobis ſupernaturalia auxilia, ante inſpectum vſum liberæ illorum voluntatis.

Et tandẽ contra hanc ſentẽtiam facit doctrina D.Auguſtini dicentis,quòd qui liberantur de maſſa perditionis,miſericordia Dei liberantur, & qui non liberantur,iuſto iudicio Dei non liberantur, & qui liberantur,gratiam laudent, & qui non liberantur, debitum agnoſcant, quibus ſententiis plena ſunt libri illius. qui ergo permittuntur in peccato manere,nec recipiunt auxilium efficax,vt ſurgant à peccato,propria culpa præcedente illud non recipiunt.

V. Ad iſtud itaque dubium ſoluendum recolendam eſſe arbitror diſtinctionem illam de duplici permiſſione, & negatione efficacis auxilij. nam Deum permittere hominem lapſum manere in peccato,nec tribuere illi efficax auxilium, vt reſurgat,duobus modis intelligi poteſt, vno modo, quòd nõ tribuat illi omne auxilium efficax,quod tribuere poſſet ex infinitis,quæ ille habet,& quod ſi tribuere vellet,ſcit quòd de facto peccator ſurgeret,& conuerteretur, quantuncunque deprauatus & in peccato inueteratus: habet enim Deus infinitos modos auxilij,& videt, quòd ſi iſtud nõ eſſet efficax,aliud eſſet efficax, & poſſet illud dare,ſi vellet:alio modo quòd deneget illi omne auxilium, quod de facto eſſet efficax, & homo per illud conuerteretur,niſi propria voluntate,& malitia impedimentum illi præſtaret.Hac diſtinctione ſuppoſita

Sit prima aſſertio:Accepta permiſſione primo modo, illius nulla poteſt aſſignari cauſa ex parte reprobi.& hoc modo vera eſt illa opinio aſſerens, non dari cauſam talis permiſſionis ex parte creaturæ, ſed illam in ſolam Dei voluntatem eſſe reiiciendam.& fortaſſe hunc ſenſum ex ea intendũt illius aſſertores,quos pietas & religio ſuadet piè, & legitimè ſemper interpretari, etiamſi illorum verba cum difficultate hanc interpretationem recipiant.& iſta aſſertio ſic intellecta eſt doctrina D Auguſtini.Videatur præcipuè lib.1. ad Simplician.q.illa 2. ſæpe citata vbi quærit:*Cur ergo Eſaïæ non ſic eſt vocatus,vt vellet obedire? videmus enim alios aliter eiſdem rebus demonſtratis,vel ſignificatis,ad credendum moueri ſicut exempli gratia Simeon in Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum adhuc infantem credidit, ſpiritu ei reuelante cognoſcens; Nathanael ad vnam ſententiam* &c. & infra:*Cum ergo alius ſic, alius autem ſic moueatur ad fidem,eademque res ſæpe alio modo dicta moueat,alio modo dicta non moueat, quis audeat dicere,defuiſſe Deo modum vocandi,quo etiam Eſau ad eam fidem mentem applicaret, voluntatémque coniungeret,in qua Iacob iuſtificatus eſt.* quibus,& aliis verbis ſequentibus apertè indicat, quòd Deus non omnibus modis vocauerit Eſaü,quibus poteſt vocare,& ſciebat, quòd vocatus veniſſet, nullam cauſam aſſignari poſſe, niſi diuinam voluntatem. Videatur etiam in lib.de bono perſeuerantiæ cap. 9.in illis verbis,*Sed numquid poſſumus dicere, etiam Tyrios, & Sidonios talibus apud ſe virtutibus factis credere noluiſſe,aut credituros non fuiſſe,ſi fierent eũ eis*, &c.& cap.14.in illis,*vbi Tyrij & Sidonij relicti ſunt, qui etiam credere potuerunt, ſi mira illa Chriſti ſigna vidiſſent*, &c.& in hoc conſiſtit ſecretum diuinæ reprobationis, cuius fatetur Auguſtinus cauſam ignorare,& prouocat ad incomprehenſibilitatem diuinorum iudiciorum. & reuera quòd Deus nolit omnes impios, quos poſſet, ad pœnitentiam conuertere,quis poteſt huius aliam rationem reddere, quàm ipſam Dei voluntatem, & quòd ex duobus impiis hunc conuertat, non illum, quis poteſt aliam rationem aſſignare, quam eandem Dei voluntatem?

Auguſt.

Secunda propoſitio:Accepta permiſſione, aut negatione VI.

Digitized by Google

negatione auxilij efficacis ad resurgendum à peccato, secundo modo ex proximè numeratis, illius datur causa ex parte reprobi. Ista propositio videtur expressa sententia D. Augustini dicentis, eos, qui non liberantur, iusto Dei iudicio non liberari, & debere in seipsis debitum agnoscere, propter quod non liberantur, & etiam D.Thom. 3. contra Gentes cap.159. dicentis, nullum diuina gratia priuari, nisi illum, qui eidem gratiæ per propriam voluntatem impedimentum præstat, sicut lumine Solis nullus priuatur nisi, qui eidem Soli oculos claudit, & potest probari omnibus illis argumentis, quibus proximè reiecta est oppositа sententia.

D.Thom.

D.Thom.

Probari etiam potest autoritate D.Thomæ, & ratione ex illa deducta. ait enim in 1.2. quæst.89. art. 6. quòd statim atque homo peruenerit ad vsum rationis, tenetur conuertere se ad Deum, sequendo id, quod bonum, atque honestum est. quod si effecerit, statim per Dei gratiam mundabitur ab originali, & iustificabitur. Si autem id minimè effecerit, peccabit mortaliter. In eo loco D.Thom. loquitur de homine constituto in peccato originali, & de gratia efficaci. aut igitur falsum asserit, quòd teneatur in primo instanti, in quo incipit habere vsum rationis, se in Deum conuertere, & quòd tunc statim se conuertens mundetur à peccato: aut verum est, omni existenti in peccato paratum esse auxilium efficax, & nullum absque sua culpa tali auxilio priuari. nam si illo priuatur, saltem adest culpa illa, qua noluit veniens ad vsum rationis conuertere se ad Deum.

Probari etiam potest omnibus illis diuinæ Scripturæ testimoniis, quibus Deus homines ad pœnitentiam hortatur, & illorum duritiem increpat, & obiurgat, & pœnitentibus veniam, & vitam promittit. hi enim modi loquendi diuinæ Scripturæ manifestè indicant, nullum priuari auxilio sufficienti, immo nec etiam auxilio efficaci, quo de facto resurgat à peccato, nisi ob illius culpam, cùm certum sit, quòd si homo benè vteretur auxilio sufficienti, reciperet efficax, & conuerteretur de facto. Indicant etiam, nunquam fuisse in Deo voluntatem denegandi omne auxilium efficax, quo homo posset à peccato resurgere, nisi supposita præscientia mali vsus liberi illius arbitrij, cùm etiam supposito peccato tanta charitate illum ad pœnitentiam prouocet, & tanta patientia sustineat, idque non per iocum agat, neque simulando, sed seriò, & ex corde.

VII. Tertia propositio: Causa demeritoria per se sufficiens, ob quam Deus denegat impio efficax auxilium, ne de facto resurgat, est peccatum originale. Dixi autem, *causa per se sufficiens*: quia duplex esse potest causa huius permissionis, altera per se sufficiens, & est illa, quæ se sola sufficiens esse potest, vt propter illam Deus deneget huiusmodi auxilium: altera verò est causa per se efficiens, & est illa, propter quam Deus de facto negat tale auxilium. Itaque loquendo de causa per se sufficiente, dico illam esse peccatum originale. Hæc conclusio est doctrina frequentissima D. Augustini dicentis, eos qui non liberantur, iusto Dei iudicio non liberari, & debere in seipsis causam, & meritum propriæ damnationis agnoscere, & ferè semper pro causa assignat peccatum originale. Nam Adam peccando seipsum perdidit, & omnem eius posteritatem, & amisit gratiam pro se, & omni illius posteritate, sicut Christus factus est omnibus autor vitæ, & gratiæ, sicut dicitur Ioannis 1. & ad Rom.5. & docet Fulgentius

Fulgent.

in lib. de Incarnatione c.2. & 13. & ideo quemadmodum qui ex stirpe Adæ nascuntur, contrahunt peccatum originale, & nascuntur Deo odibiles, sic si Deus negaret illis omne auxilium ad resurgendum, & linqueret illos in eo statu mori, id posset iuste facere, & nullus iustè de illo queri posset, id nanque meruerunt peccatum primi parentis ab illis contractum: nam qui Dei inimicus constitutus est, iustè priuatur & destituitur diuino auxilio. Et videmus de facto nonnullos propter hoc solum peccatum talibus auxiliis destitutos, sicut sunt paruuli decedentes sine Baptismo, quorum exemplo sæpissime vtitur Augustinus. & hinc etiam maximè fulget Dei misericordia in illis, quos nihilominus suis auxiliis efficacibus minimè destituit, vt Apostolus ait ad Rom. cap.5. dicens, *Commendat autem charitatem suam Deus in nobis, quoniam cùm inimici essemus, Christus pro nobis mortuus est.*

Quarta conclusio, Causa per se efficiens talis permissionis est in aliquibus solum peccatum originale, in aliquibus verò est abusus auxilij sufficientis, & velle eidem auxilio reluctari. Prima pars huius assertionis probatur, nam in paruulo decedente absque Baptismo nulla alia causa assignari potest. Secunda autem pars probatur autoritate eiusdem Augustini dicentis lib.2. de peccatorum meritis, & remissione cap.17. quòd *homines non adiuuentur à Deo, in ipsis causa est non in Deo.* & lib.1 ad Simplician.q.2. *Noluit ergo Esaü, & non cucurrit: sed etsi voluisset, & cucurrisset, Dei adiutorio peruenisset, qui ei etiam velle, & currere vocando præstaret, nisi vocatione contempta reprobus fieret.* idem ferè D.Fulgentius lib.1.ad Monimum c.18. Iuxta sensum huius conclusionis locutus est D. Thom. 3.contra Gentes c.159.& 1.2. q.89.art.6.& q.112. Probatúrque duobus suppositis, quæ ab omnibus, vt verissima conceduntur, alterum est, Deum nemini, quandiu est in hac vita, negare auxilium sufficiens; alterum, omni benè vtenti auxilio sufficienti conferri aliquod auxilium efficax, per quod de facto ille conuertatur. Ex his duobus necessariò sequitur, nullum adultum priuari auxilio efficaci, quo de facto conuerteretur, nisi ob malum vsum auxilij sufficientis, & reluctationem contra diuinam gratiam.

August.

VIII.

CAPVT XI.

Si daretur reprobatio negatiua, vt nonnulli arbitrantur, posse illius causam aliquo modo assignari ex parte reprobi.

ETsi propriè, & strictè loquendo nulla sit reprobatio negatiua, vt cap.1.& 2. dictum est, si tamen admittenda esset reprobatio negatiua, & illius effectus esset prima permissio lapsus in peccatum, in quo reprobus finaliter moritur, & permissio dutandi in peccato vsque ad terminum vitæ præsentis, possemus nihilominus absolutè dicere, & sine periculo erroris, dari aliquo modo causam reprobationis ex parte reprobi quoad totum, & integrum illius effectum. Hæc propositio deducitur ex solutione duorum dubiorum præcedentium. Ostendimus nanque, dari aliquo modo ex parte reprobi causam permissionis lapsus in culpam, obdurationis, ac perseuerantiæ in culpa vsque ad terminum vitæ. I.

Sed potest etiam ista propositio probari autoritate D.Augustini. nam in epist. 105. Augustinus ait: *Quærimus causam prædestinationis, & non inue-*

mus : quærimus autem causam obdurationis, & inuenimus. Igitur eodem modo affirmat dari ex nobis causam reprobationis, quo negat dari causam prædestinationis. sed prædestinationis negat dari causam ex nobis, quoad integrum illius effectum. Ergo & reprobationis affirmat dari causam ex nobis quoad integrum illius effectum. hoc est autem, dari causam, quoad primum effectum, quia de aliis posterioribus non est dubium inter Doctores.

II. Sed dicetur, aliud est dari ex nobis causam obdurationis, aliud dari causam reprobationis: obduratio nanque non est primus effectus reprobationis, vt propter hoc quod datur ex parte reprobi causa obdurationis, detur etiam ex parte illius causa reprobationis. Sed hæc responsio tollitur per hoc, quòd Augustinus pro eodem accipit multoties obdurationem, & reprobationem: nam in sæpe citata quæst. primi lib. ad Simplician. ita signanter ait: *O homo debitum si non accipias, habes, quod gratuleris,* (& loquitur de debito reprobationis, & damnationis) *si autem accipias, non habes, quod queraris.* & clariùs de bono perseuerantiæ c. 11. *Inuestigabilis* (inquit) *est Dei misericordia, qua cuius vult, miseretur, nullis eius præcedentibus meritis, & inuestigabilis veritas, qua quem vult indurat eius quidem præcedentibus meritis. sed cum eo, cuius miseretur, plerunque communibus, sicut duorum geminorum, quorum vnus assumitur, alter relinquitur, disparest exitus, merita communia, in quibus sic alter magna Dei bonitate liberatur, vt alter nulla eius iniquitate damnetur.* Quo in loco apparet, nomine obdurationis intelligere reprobationem. & certè si valet hoc refugium, quo quidá Theologi recentiores vtuntur; cur illi & alij multi ad probandum, quòd non detur ex parte reprobi causa illius reprobationis, sicut non datur ex parte prædestinati causa illius prædestinationis, sed vtriusque causa in solam Dei voluntatem est reiicienda, cur, inquàm, vtuntur illis verbis D. Pauli, *cuius vult miseretur, & quem vult indurat?* possumus enim illis statim respondere, nomine obdurationis Paulum non intelligere reprobationem, sed certum illius effectum. Si autem contendunt, Paulum nomine obdurationis intelligere reprobationem, cur non eodem modo intelligunt etiam Augustinum, qui sæpe eisdem D. Pauli verbis vtitur? Neque tamen ob hoc illum sensum verborum D. Pauli admittimus; quem nonnulli ei tribuunt, quòd voluerit dicere, sicut Deus hominis miseretur, illum prædestinando ad vitam nullis eius præcedentibus meritis bonis, ita quem vult, indurat reprobando, nullis eius præcedentibus meritis malis, hunc enim sensum tanquam falsum, & ab Apostolo nunquam intentum reiicit sæpe D. Augustinus, sed præsertim in verbis proximè citatis, cùm ait, *cuius vult, miseretur, nullis eius præcedentibus meritis, & inuestigabilis veritas eius, qua quem vult, indurat, eius quidem præcedentibus meritis, sed cum eo, cuius miseretur plerunque communibus.* ecce quomodo verba Apostoli vult intelligi debere Augustinus.

D. Thom. Scotus. Bonauent. Okam. Marsilius. Catharin. Ioan. à Bonon. Suarez. Vasquez.

Præterea Augustinum docuisse, dari causam reprobationis ex parte reprobi, sentiunt D. Thom. de veritate q. 6. art. 2. ad 9. Scotus in 1. dist 41. §. *potest & aliter dici.* & omnes illorum discipuli; vno aut altero excepto. ita Bonauentura; Gulielmus Okam, Marsilius, Ambrosius Catharinus, Ioannes à Bononia, Suarez, Vasquez, & cómuniter omnes Scholastici. est ergo intelligendus de causa reprobationis quoad integrum illius effectum, sicut cùm negat dari causam prædestinationis ex parte prædestinati, est intelligendus de causa prædestinationis quoad integrum illius effectum, & Augustini autoritas in hoc maximi ponderis esse debet.

III. Verùm contra hanc doctrinam videntur militare argumenta quorundam Doctorum. Primum, quia doctrina Augustini non potest extendi ad Angelos reprobos. illi enim non sunt reprobati ob peccatum originale, quod solum Augustinus constituit pro causa reprobationis.

Respondetur, Augustinum ferè nunquam locutum fuisse de reprobatione in vniuersali, quatenus complectitur etiam reprobationem Angelorum, sed tantùm de hominum reprobatione, cuius signum est, quòd sæpe vtitur in illa explicanda verbis illis Apostoli, *cuius vult, miseretur, & quem vult, indurat*, quæ constat de hominibus, non de Angelis esse intelligenda. de reprobatione verò Angelorum idem est dicendum, quod dicitur de causa primæ permissionis lapsus in peccatum, in quo quis finaliter moritur, & eodem modo de vtraque iudicandum est.

Secundum argumentum est. quia reprobationis paruulorum saltem comparatiuæ nulla potest assignari causa ex parte eorundem paruulorum, vt sæpe idem Augustinus docet, præsertim in dicto lib. de bono perseuerantiæ cap. 11. statim post verba proximè allegata. subiungit nanque, *Sicut duorum geminorum, quorum vnus assumitur, alter relinquitur, disparest exitus, merita communia, in quibus sic alter magna Dei benignitate liberatur, vt alter nulla eius iniquitate damnetur.* addunt arguentes, idem etiam dicendum esse de adultis. & reuera hoc videtur dicere Augustinus, subiungit nanque statim, *ex ore infantium, & lactentium perfecit laudem suam, vt quòd in his videmus quorum liberationem bona eorum merita nulla præcedunt, & in his, quorum damnationem vtriusque originalis sola præcedens, hoc & in maioribus fieri nequaquam omnino cunctemur.*

Respondeo, quidquid sit de causa reprobationis comparatiuæ, de qua dicemus infrà, sufficit, quòd ex parte etiam illorum detur causa reprobationis absolutè sumptæ, ob quam qui reprobatur, iustè reprobetur. Quod autem addunt, eodem modo ratiocinandum esse de adultis, neque est ad mentem Augustini, vt infrà ostendemus, neque in se verum, cùm salus adultorum ex illorum voluntate pendeat, cùm etiam peccatum originale, quod est causa reprobationis paruulorum, in multis adultis reprobis sit remissum, & ideo non possit esse causa reprobationis illorum. Neque Augustinus in dicto cap. 11. lib. de bono perseuerantiæ, transfert exemplum paruulorum ad adultos quoad hoc, quòd sicut paruulis non datur diuina gratia ob meritum bonæ voluntatis, ita nec adultis, & sicut paruuli non sunt prædestinati ad gratiam ex propriis meritis, ita nec adulti. Sed de hac re satis libro superiori dictum est.

IV. Sed contra hanc responsionem non leuis sese obiicit difficultas. nam si peccatum originale in paruulo est causa reprobationis illius, necesse est illud præcedere primum effectum ipsius reprobationis, nam comparatione illius debet assignari pro causa reprobationis: at primi effectus reprobationis eiusdem paruuli peccatum originale nullo modo potest assignari pro causa, nam primus effectus reprobationis paruuli est permissio lapsus in ipsum peccatum originale, quæ est prior ipso peccato originali, posterius verò non potest esse causa sui prioris.

Sed respondetur, peccatum originale duobus modis posse considerari, vno modo vt actu contractum à paruulo, & sic nõ est causa reprobationis,

nis, quoad integrum illius effectum: alio modo vt est peccatum radicis transfundendum in omnes posteros Adæ, qui ex illo nascuntur per viam ordinariam, qui habent debitum illud contrahendi, & hoc modo antecedit ipsam permissionem lapsus in idem peccatum, & vt sic constituitur pro causa reprobationis quoad integrū illius effectū.

V. Tertium argumentum sumitur ab autoritate D. Th. qui 1.p.q.23.art. 5.ad 3. expresè videtur docere, neque prædestinationis dari causam ex parte prædestinati, neque reprobationis ex parte reprobi, sed vtriusque causam esse solam Dei voluntatem, & ostensionem diuinæ bonitatis in prædestinatis per modum misericordiæ, & in reprobis per modum iustitiæ, quam rem duobus exemplis declarat, altero desumpto ex partibus materiæ primæ. nam quòd aliqua pars materiæ primæ sit sub forma terræ, aliqua sub forma aquæ, aliqua sub forma ignis, huius rei ratio assignari potest, id à Deo factum esse, vt esset diuersitas specierum in vniuerso: sed quare hæc pars materiæ sit sub ista forma, illa sub alia, dependet ex simplici Dei voluntate. altero desumpto ex rebus artificialibus, nam quòd aliqui lapides sint in vna parte domus, alij in alia, hoc postulat ratio artis: sed quòd hic lapis potius sit in hac parte, quàm in alia, solùm pendet ex voluntate artificis. sic quòd sint in vniuerso prædestinati, & reprobi, hoc videtur postulare perfectio vniuersi: sed quare hos elegerit ad gloriam, alios verò reprobauerit, non habet rationem, nisi diuinam voluntatem.

Hoc argumentum quia est præcipuum fundamentum contrariæ sententiæ, propter autoritatem D. Thomæ diligentiùs soluendum est, & respondetur primò quòd cùm constet ex sententia D. Augustini dari ex nobis causam reprobationis, idque tum omnes Theologi fateantur, tum ipse D.Th. de veritate q.6. art. 2. ad 9. si ea esset mens D.Thomæ, quòd non detur causa reprobationis ex parte reprobi, salua reuerentia, quæ illi summa debetur, sequenda nobis esset doctrina D.Augustini, quæ in dogmate de prædestinatione, & reprobatione non solùm in genere, sed etiam in specie videtur fuisse ab Ecclesia approbata.

Secundò respondetur, nullo modo probabile videri, illam fuisse mentem D.Thomæ, quam nonnulli interpretes fuisse arbitrantur, vt sicut nostræ prædestinationis nulla omnino causa potest ex nobis assignari, quoad totum integrúmque illius effectum, ita neque etiam reprobationis. primò, quia D.Th. semper fuit sectator fidelissimus doctrinæ Augustinianæ, & etiam in hoc quæsito soluendo inhæret illius autoritati, vt patet. vnde cùm intellexerit, illam fuisse mentem Augustini, vt reprobationis detur causa ex parte reprobi, non est rationi consentaneum, ab eius sententia illum discessisse. Secundò, quia D.Thom. inhæret autoritati D.Pauli ad Rom.9. & 2.ad Timoth.2. & vtitur illa metaphora vasorum gloriæ, & contumeliæ, ostensum est autem supra ex D. Augustino, Hieron. Chrysost. & aliis, verba Apostoli, & illam metaphoram non sic esse applicanda prædestinatis, & reprobis, vt eo modo fiant vasa contumeliæ, quo fiunt vasa honoris, & eodem modo absque inspectione operum Deus reprobet, sicut prædestinat, & æquè principaliter fuerit intentus finis reprobationis, quo fuit intentus finis prædestinationis. alioqui multæ absurditates contra diuinam bonitatem, immo & contra fidem sequi viderentur, vt dicti Patres deducunt, & nos supra ex illis, & cum illis deduximus. Tertiò, quia ex sententia D.Thomæ prædestinatio ipsa supponit notitiam peccati, vt aliàs dictū est. Ergo multo magis reprobatio. Ad hæc prædestinatio saltē ad gloriam est actus voluntatis consequentis. Ergo etiam reprobatio: voluntas autē consequens ex D.Th. recipit conditionem Creaturæ, & supponit notitiam vsus voluntatis creatæ, vt lib.4. ostendimus. Præterea si verba D.Th. & exempla applicata sic nudè essent intelligenda, & applicanda, prout iacent, tota ratio, & causa omnium effectuum reprobationis esset sola diuina voluntas. sicut quòd hæc pars materiæ sit sub hac forma ignis, illa sub forma aquæ, dicit D.Th esse causam solam Dei voluntatem, & sicut sola voluntas artificis est causa, quòd hic lapis potius sit in fundamento positus, quàm in summitate domus. & sic sola Dei voluntas esset causa, quòd hic sit bonus, sanctus, & potiatur gloria beatorum, ille verò sit impius, & quòd pœnis crucietur in inferno. & sic sententia D. Thomæ non differret ab errore hæreticorum Prædestinatorum, & Caluini, & Bezæ. quare necessariò illam oportet in alium sensum exponere.

Addo etiam, si de hominibus, & eorum salute ita philosophandum esset, sicut de prima materia, aut de lapidibus, aut de vasis fictilibus, matulis, lasanis, addamus etiā argenteis, & aureis, sine sensu, sine anima, nihil omnino circa illorum salutem cooperantibus per liberam voluntatem, posset vtcunque admitti hæc doctrina absque alia declaratione, aut limitatione, & glossa. Verùm neque D. Thom. neque D.August. neque D.Paulus ita vnquam de nobis philosophati sunt, sed expresè docuerunt, homines vasa esse animata, & spiritu, & libero arbitrio prædita, & vasa honoris fieri quidem à Deo, non tamē absque libera illorum cooperatione: vasa autē contumeliæ fieri à seipsis, sine diuina voluntate, vel eatenus vasa cōtumeliæ fieri à Deo, quia quos propria voluntate, & malitia videt malos effectos, illis tanquā vasis contumeliæ vtitur ad iustos mundandos à sordibus peccati.

Sed dicetur. quænam igitur fuit mens D.Thomæ in eo loco citato in argumento. VI.

Respondeo D.Th. ibi loqui de reprobatione negatiua, velleque aliquā causam illius assignare, & quia primus effectus reprobationis negatiuæ est permissio peccati, secundùm eos, qui admittūt reprobationem negatiuam, ideo idē est apud D.Th. assignare causam reprobationis, & assignare causam primæ permissionis peccati, in quo aliquis finaliter moritur. Diximus autem suprà, quòd huius permissionis aliquo modo potest assignari causa ex parte reprobi, & aliquo modo non: sed illa in solam diuinam voluntatem est referenda. Si enim nomine permissionis intelligamus, Deum non voluisse dare reprobo omne auxilium, quod dare potuisset, si voluisset, & quod sciebat futurum esse efficax ad illum tenendum, ne caderet, si dare voluisset, sine dubio huius permissionis nulla causa dari potuit nisi diuina voluntas. In hoc sensu dicit D.Thom. nullam dari causam reprobationis ex parte reprobi, nisi diuinam voluntatem: quia quòd Deus nolit dare omnibus reprobis auxilia, quibus, si vellet, posset illos efficaciter conuertere, nulla alia ratio reddi potest, nisi diuina voluntas. & quòd isti voluerit dare talia auxilia, & non illi, huius etiam nulla ratio reddi potest, nisi diuina voluntas, & est ipsissima doctrina D.Augustini, vt suprà ostensum est. Si autem nomine permissionis intelligamus, Deum voluisse negare reprobis omne auxilium, quod foret de facto efficax, si per ipsos reprobos non staret, ad illos tenendos, ne caderent, sicut huius permissionis ostendimus dari causā ex parte reprobi,

ita etiam reprobationis datur causa ex parte eiusdem reprobi: & est etiam doctrina expressa D. Thom. & D. Augustini.

VII. Quibus omnibus adiicitur, quòd licèt causa reprobationis, & prædestinationis tandem vltimatè reducenda sit in diuinam voluntatem, quia sola Dei voluntas est vltima, & prima causa, ob quam mundum sic condere voluit, cum hac rerum varietate, & diuersitate, quam in illo cernimus, & quos præuidit reprobos futuros, si crearentur, poterat non creare, & quòd creauerit, & reprobos esse permiserit, sola eius voluntas fuit causa. & hoc solùm ibi prætendit D. Thom. Tamen supposito, quòd voluerit hominem condere, & in eo ordine rerum constituere, in quo constituit, & relinquere in manu consilij sui, vt liberè cooperaretur circa propriam salutem, ipsa Dei voluntas non potuit esse iniusta, aut ante præuisa demerita hominem reprobare, aut non velle dare auxilia, quibus etiam reprobi tenerentur, ne caderent, nisi per illos staret: neque eodem modo voluit aliorum damnationem, quo aliorum voluit salutem, quia aliorum salutem velle potuit voluntate antecedenti, vt quid bonum de se absque alio præsupposito: aliorum autem reprobationem velle non potuit de se voluntate antecedenti, & primaria intentione, quia non est aliquid bonum de se, sed solùm aliquo præsupposito, scilicet peccato. vnde bonum ostensionis diuinæ misericordiæ potuit esse volitum primaria intentione, & voluntate antecedenti; at bonum ostensionis iustitiæ vindicatiuæ non potuit esse volitum, nisi voluntate consequente, & secundaria intentione. & est doctrina D. Thom. de veritate quæst. 23. art. 2. D. Thom.

VIII. Quartum argumentum sumunt alij ex incomprehensibilitate huius arcani, diuinæ scilicet reprobationis. nam si ex parte nostra posset dari causa ipsius reprobationis, non esset adeò inscrutabile istud mysterium, neque opus fuisset recurrere D. Paulo ad exclamationes: potuisset enim reddi ratio ob quam hunc reprobauit, non illum, quia hic rebellis fuit diuinæ gratiæ, non ille: & superflua esset illa reprehensio Apostoli, *O homo tu quis es, qui respondeas Deo? nunquid dicit figmentum ei, qui se finxit, quare me fecisti sic.* Superfluè etiam nos admoneret Augustinus dicens, quare hunc trahat, illum non trahat, noli velle diiudicare, si non vis errare.

Respondetur non esse adstruendas absurditates, vt scilicet dauus istud arcanum inscrutabile. Sed ad hoc, vt omnes illæ exclamationes, & reprehensiones superfluæ non sint, sufficere, quòd cùm Deus etiam reprobis posset dare infinita auxilia, quæ præuidit, si illa vellet dare, futura esse efficacia, nihilominus noluit dare illis, & voluit dare istis, hoc est, quod D. Augustinum & Apostolum compellit prouocare ad altitudinem, & incomprehensibilitatem diuinæ sapientiæ: & hoc solum sufficere potest ad nimiam curiositatem humani intellectus cohibendam, & audaciam frænandam, propter quod iuste Apostolus ait, *O homo tu quis es qui respondeas Deo? nunquid dicit figmentum ei, qui se finxit*, &c.

Alia sunt argumenta, quæ contra hanc eandem nostram doctrinam congerunt nonnulli tum ex verbis illis D. Pauli *cùm nondum nati essent*, &c. & *eum vult misereatur, & quem vult, indurat*, & aliis, quæ habet dicto cap. 9. quæ omittuntur, quoniam sæpius sensum legitimum illorum verborum aperuimus. item ex eo, quoniam primæ permissionis lapsus in culpam non datur causa ex parte reprobi, quæ similiter sunt à nobis soluta. Item ex eo quòd peccatũ originale in adultis baptizatis non potest esse causa reprobationis, quod nõ facit contra nos. ideo ne superflua repetitione tædium faciamus lectori, consultò ducimus omittenda.

CAPVT XII.

Dubium tertium proponitur, an reprobationis positiuæ detur causa ex parte reprobi quoad integrum illius effectum.

ETsi nonnulli Theologi negauerint, dari causam reprobationis ex parte reprobi, quoad totum, integrúmque illius effectum, nullus tamen, quod videre potuerim, negauit, dari huiusmodi causam ex parte reprobi, quoad integrum effectum reprobationis positiuæ tantùm: sed id negauerunt duntaxat de reprobatione negatiua. Supposito igitur, quòd reprobationis positiuæ detur causa quoad integrum illius effectum, qui est exclusio efficax à regno gloriæ, & deputatio efficax ad pœnam, saltem in facto, & in executione, remanet quæstio, quid sit talis causa, an peccatum originale, an actuale, an vtrunque. I.

Circa hoc dubium est prima opinio docens, causam reprobationis esse peccatũ originale. Est autem hæc opinio intelligenda de reprobatione hominum, non autẽ Angelorum. Hæc opinio passim tribuitur D. Augustino in omnibus suis libris, in quibus de hac re disserit, nimirum in Enchirid. c. 94. & sequent. in epist. 105. lib. 1. ad Simplic. q. 2. in lib. de Natura, & gratia, & omnibus aliis hanc quæstionem continentibus toto ferè tomo 7. Docet enim Augustinus, omnes homines in Adamo ob illius peccatum factos esse vnã massam perditionis, filios iræ, & dignos æterni supplicij, Deum verò ex eadem massa decreuisse nonnullos misericorditer liberare ad ostendendam in eis suam misericordiam, & isti vocantur prædestinati: alios verò decreuisse permittere in massa damnationis, & perditionis ad ostendendam in eis suam iustitiam punitiuam, & isti vocantur reprobi. & hoc est, Deum aliquem reprobare, quod illũ derelinquere in massa perditionis. & huius reprobationis causa est peccatum Adæ. vt peccatum primi parentis, quod interpretatiuè fuit peccatum totius naturæ: Adam enim peccando meruit damnationem, & perdidit gratiam pro se, & pro tota illius posteritate. Hinc in epist. 105. *Quærimus* (inquit) *causam prædestinationis, & non inuenimus: quærimus causam obdurationis, & inuenimus.* accipit autem pro eadem obdurationem, & reprobationem alludens ad verba illa Pauli, *cuius vult, miseretur, & quem vult, indurat.* Legantur alia eius verba in dicto l. b. 1. ad Simplicianum quæst. 2. & lib. de Corrept. & gratia, & de bono perseuerantiæ cap. 11. Augustin.

Hanc autem fuisse mentem D. Aug. docent D. Th de veritate q. 6. art. 2. ad 9. Scotus in 1. dist. 41. §. *potest & aliter dici*, & ibid. Bonau. & Okam. & omnes ferè Theologi tũ prisci, tum recentiores, vno excepto Aluarez disp. 110. n. 16. qui contendit, D. Augustinum nunquam sensisse, peccatum originale esse causam reprobationis, nititurque omnia testimonia illius interpretari vel de causa per se sufficienti, non autem de causa per se de facto, aut de causa quoad effectus intermedios, non autẽ quoad effectũ primum; qui tamen nõ aliter negat, sentire Augustinum, peccatum originale esse causam reprobationis, nisi quia negat, illud esse causam primæ permissionis peccati. vnde loquitur nõ de reprobatione positiua tantũmodo, sed de negatiua. II. D. Thom. Scotus. Aluarez.

Sed

Sed nihilominus quod ait hic autor, Auguſtinum loqui ſolùm de cauſa per ſe ſufficienti, non autem de cauſa in facto eſſe, nõ puto verum: quia in paruulis peccatum originale ſecundum Auguſtinum, & ſecundum rei veritatem eſt cauſa reprobationis non ſolùm per ſe ſufficiens, ſed etiam de facto, & eſt cauſa etiam ratione primi effectus, vt ſuprà dictum eſt.

Et certè ſi ex nobis poteſt aſſignari cauſa per ſe ſufficiens noſtræ reprobationis, cur volumus illam in Dei voluntatem referre, & volumus facere Deum autorem noſtræ perditionis, contra eloquium eiuſdemmet Dei dicentis, *Perditio tua ex te Iſrael, tantùm ex me auxilium tibi.*

Dicetur, Auguſtinum ſæpe dicere, *quare hunc trahat, & illum nõ trahat, nolo velle diudicare. ſi non vis errare:* & iterum, quare ex duobus æqualiter peccato infectis hic aſſumatur, ille relinquatur, inſcrutabilia eſſe iudicia Dei.

Reſpondeo, his loquendi modis id tantùm voluiſſe dicere, ſe cauſam prædeſtinationis, aut reprobationis comparatiuæ ignorare, non autem negare, dari cauſam reprobationis abſolutæ ex parte reprobi: immò verò manifeſtè id ſupponere, cùm ait, non prædeſtinari, aut reprobari eſſe derelinqui in maſſa perditionis.

III. Immo verò circa reprobationem comparatiuam videtur mihi vnum dicendum, ſaluo ſemper iudicio meliùs ſentientium, licèt Auguſtinus fateatur ſe cauſam reprobationis cõparatiuæ prorſus ignorare, nihilominus illum ferè ſemper innuere, quòd etiam huius reprobationis detur aliqua cauſa ex parte reprobi, licèt penitus occulta, & ſoli Deo cognita. hoc nanque præ ſe ferre videtur verba illa lib. primi ad Simplician. quæſt. 2. *Eorum autem non miſeretur, quibus miſericordiam non eſſe prabendam aquitate occultiſſima, & ab humanis ſenſibus remotiſſima iudicat.* & illa ex epiſtola 105. *Cur ille credat, ille non credat, cùm ambo idem audiunt, & ſi miraculum in eorum conſpectu fiat, ambo idem videant, altitudo eſt diuitiarum ſapientiæ Dei, cuius inſcrutabilia ſunt iudicia, & apud quem non eſt iniquitas, dã cuius vult, miſeretur, & quem vult, indurat. neque enim propterea ſunt iſta iniuſta, quia occulta.* & illa ex lib. de Prædeſtinatione Sanctorum cap. 14. *Cur autem hic tenuerit caſturum iuſtum, quem priuſquam caderet, hinc poſſet auferre, iuſtiſſima omnino, ſed inſcrutabilia ſunt iudicia eius.* & illa ex lib. de bono perſeuerantiæ cap. 10. *Quibus non vult ſubuenire, non ſubuenit, de quibus in ſua prædeſtinatione occultè quidem, ſed iuſtè aliud iudicauit.* Legantur alia ſimilia in lib. de Gratia, & libero arbitrio cap. 23. in principio, & lib. de Corrept. & gratia cap. 8. quæ verba præ ſe ferre videntur præter cauſam communem, & omnibus conſpicuam, ſubeſſe aliquam aliam cauſam occultam, & ſoli Deo cognitam reprobationis etiam comparatiuæ, non enim eiuſmodi cauſa poteſt eſſe peccatum originale, tum quia illud eſt cauſa communis, tũ quia eſt cauſa de ſe manifeſta. neque talis cauſa eſt ſola Dei voluntas, tum quia illa non eſt cauſa occulta, ſed manifeſtiſſima: tum quia ſi ſola Dei voluntas eſſet cauſa talis reprobationis comparatiuæ, Deus in hoc aſſumendo, alium deferendo, non ageret vt iudex, ſed vt Dominus. alia plura ſunt loca in Auguſtino, quæ eundem ſenſum videntur referre.

IV. Alij igitur admittentes, eam fuiſſe mentem D. Auguſtini, quòd detur cauſa reprobationis ex parte reprobi, illam tamen minimè probant. primò quia credunt, illum non ponere cauſam reprobationis peccatum actuale, ſed ſolùm peccatum originale quod putant eſſe falſum: quia peccatum originale, non poteſt poni pro cauſa reprobationis Angelorum. Ita Dominicus Bañes quæſt. 23. art. 5. dub. vltimo, Trigoſius quæſt. 18. art. 10. dub. 4. Molina quæſt. 23. art. 5. diſp. 1. mem. b 7. & diſp. 3. Bañes. Trigoſius. Molina.

Secundò quia baptizatus, qui poſtea labitur in lethalem culpam, & in illa moritur, eſt reprobatus, & non poteſt eſſe reprobatus propter peccatum originale, quod per Baptiſmum credendum eſt fuiſſe remiſſum, & quoad culpam, & quoad damnationem æternam, iuxta definitionem Concilij Tridentini ſeſſ. 5. de peccato originali, & teſtimonium Apoſtoli dicentis, *Nihil ergo dãnationis eſt iis qui ſunt in Chriſto IESV.* non ergo ſolum originale poteſt eſſe cauſa reprobationis. Conc. Trid.

CAPVT XIII.

Dubium capite præcedenti propoſitum per concluſiones reſoluitur.

POſtrema ſententia, quam puto veriſſimam, I. eſt, dari cauſam reprobationis ex parte reprobi, eámque eſſe peccatum lethale, in quo quis videtur finaliter duraturus vſque ad mortem. vnde pro deciſione dubij propoſiti ſit hæc

Prima aſſertio: Peccatum originale præuiſum, vt contrahendum à tota Adæ poſteritate, fuit ſufficiens cauſa reprobationis omnium hominum reproborum. Iſta aſſertio recipitur ab omnibus recentioribus Theologis, eámque probant Molina, Aluarez, Trigoſius, & Vaſquez. eam expreſsè docuit Auguſtinus, cùm docuit, peccatum originale eſſe cauſam reprobationis omnium hominum: non enim loquitur de cauſa reprobationis per ſe efficienti, & de facto, ſed de cauſa per ſe ſufficienti. & quòd non loquatur de cauſa de facto, oſtendemus inferiùs. quòd autem loquatur ſolùm de cauſa per ſe ſufficienti, probatur, quia ille ſolùm docet, omnes homines in Adamo effectos eſſe vnam maſſam reproborum, dignam damnationis, atque ſupplicij, ob quam etiamſi Deus omnes voluiſſet damnare, id facere potuiſſet, nulli iniuriã irrogando: quia redderet omnibus, quod iuſtè illis debetur. vnde quos liberat, Dei miſericordia liberantur, & quos non liberat, iuſto Dei iudicio damnantur.

Probatur verò concluſio, quia certum eſt ex fide, Adamum per peccatum perdidiſſe gratiam, & iuſtitiam, & omne ius, quod habebat ad ſupernaturalem beatitudinem non ſolùm pro ſe, ſed etiã pro tota ſua poſteritate; & factum fuiſſe obnoxium æternæ damnationi, & omnes, qui ex illo naſcuntur per viam ordinariam, naſci filios iræ, & damnationis. Quare ſi Deus denegaret omnibus auxilia, quibus à peccato reſurgerent, & pro illo ſolo in æternum illos damnaret, poſſet id iuſtè efficere, in pœnam illius peccati; quod ſi minimè efficit, ex ſola illius miſericordia id prouenit.

Secunda propoſitio: Peccatum originale non II. eſt quoad omnes reprobos cauſa per ſe efficiens, & de facto illorum reprobationis. hæc propoſitio eſt adeò certa, ſicut certum eſt, eum, qui ſacramentum Baptiſmi legitimè ſuſcepit, emundatum fuiſſe à peccato originali & quoad culpam, & nihil dãnationis ob tale peccatum illum poſſe ampliùs manere, ita vt ſi ante lapſum in nouam lethalem culpam contingat illum decedere ex hac vita, certò & infallibiliter ſit vitã æternam conſecuturus:

quod

quod fuit definitum in Concil. Trident. sess. 5. can. 5. Quare cùm non sit dubium, multos esse reprobos, in quibus aut per Baptismum in lege Euangelica, aut per Circuncisionem in lege veteri, aut aliis modis fuit remissum peccatum originale, illorum reprobationis causa non potest assignari ex parte ipsius peccati originalis: & ideo frustrà laborant nonnulli, vt defendant in gratiam (vt putant) D. Augustini, etiam illorum reprobationis, in quibus peccatum originale semel remissum fuit, esse causam ipsum peccatum originale: id enim neque Augustinus sensit, neque est in se verum. & quòd Augustinus id non senserit, indicant illius verba de Augustin. Corrept. & gratia cap. 13. cùm ait: *His ergo, qui non pertinent ad istum certum, & felicissimum numerum, pro meritis iustissimè iudicantur, aut enim iacent sub peccato, quod originaliter de generatione traxerunt, & cum illo hæreditario debito hinc exeunt, quod non est regeneratione dimissum: aut per liberum arbitrium alia insuper addiderunt, aut gratiam Dei suscipiunt, sed temporales sunt, nec perseverant, deserunt, & deseruntur, dimissi enim sunt libero arbitrio non accepto perseverantia dono iudicio Dei iusto, sed occulto.* Legantur alia illius verba in lib. de Prædestin. & gratia cap. 9. Prosp. Legatur D. Prosper, qui pro defensione doctrinæ eiusdem Augustini scripsit non pauca, & inter illa scripsit libellum ad Capitula Gallorum: nam in responsione ad secundum ait, *Qui enim recedit à Christo, & alienus à gratia sunt hanc vitam, quid nisi in perditionem cadit? sed non in quod remissum est, recidit, nec in originalis peccato damnabitur, qui tamen propter postrema crimina ea morte afficietur, qua ei propter illa, quæ remissa sunt debebatur: quod quia Dei præscientiam nec latuit, nec fefellit, sine dubio talem nunquam elegit, nunquam prædestinauit, & perieturum nunquam ab æterna damnatione discreuit.* hæc aurea verba diligenter sunt notanda, quia ex illis habemus primò, dari causam reprobationis ex parte reprobi, illámque fuisse vel peccatum originale in reprobo non baptizato, vel actuale in quod relabitur post Baptismum. Secundò non esse verum, solum originale esse causam reprobationis de facto ad mentem Augustini: mihi enim certissimum est, D. Prosperum, qui Augustini doctrinam contra Gallos defendebat, & in ea adeò erat versatus, vt maior pars librorum illius compilata esse videatur ex sententiis D. Augustini, illius mentem, & sensum minimè ignorasse. Tertiò colligitur solutio fundamenti, cui nituntur illi, qui contendunt, reprobos etiam baptizatos propter originale peccatum ex sententia D. Augustini fuisse reprobatos.

III. Est enim illorum fundamentum, quod D. Augustinus sæpe dicit, eos, qui post Baptismum relabuntur in peccata, & damnantur, nunquam in æterna Dei prædestinatione fuisse discretos à massa perditionis: & quamuis ad tempus, & secundùm præsentem iustitiam ab illa nonnunquam discernantur, tandem in illam finaliter relabi, & damnari. Verùm hoc fundamentum nullas habet vires: non enim ait Augustinus, non fuisse aliquos reprobos per Baptismum verè liberatos, & mundatos à labe peccati originalis, & solutos à pœna, quæ eidem peccato debebatur, aut cùm post Baptismum legitimè susceptum relabantur in peccata, iterum relabi in peccatum originale, hoc enim dicere est dicere contra fidem, ob definitionem Concilij Tridentini, & contra D. Paulum ad Roman. cap. 8. in principio. neque per massam perditionis vnquam intellexit peccatũ originale, vt non pauci etiam viri docti, & in doctrina Augustini non parum versati arbitrantur: peccatum enim originale non est ipsa massa perditionis, sed illius causa: nam ob hoc posteri Adæ labuntur in hanc massam, quia contrahunt originale. Sed per massam perditionis intelligit totam vniuersitatẽ dãnatorum, siue illi sint dãnati propter originale, siue propter actuale, siue propter vtrunque. Et reprobum etiam baptizatum non fuisse per æternã Dei prædestinationem discretum de massa perditionis, non est, non fuisse mundatum ab originali per Baptismum legitimè susceptum, & solutum ab omni pœna æterna illum consequente, quoad præsentem iustitiam: sed est, illum nunquam fuisse exemptum de illo numero eorum, qui finaliter sunt damnati per diuinam prædestinationem: quia si per prædestinationem fuisset ab illo numero segregatus, non esset finaliter damnandus. neque illum, qui post Baptismum legitimè susceptũ relabitur in lethalem culpam, & tandem damnatur, relabi in massam perditionis, est illum relabi in peccatum originale, aut relabi in eandem numero pœnam peccati originalis: sed est, illum propter posteriora crimina affici illa damnatione, quę illi aliàs debebatur propter peccatum originale iam dimissum, vt Prosper ait. adeò qnòd peccatum originale respectu adulti legitimè baptizati ex mente Augustini, & D. Prosperi non est de facto causa reprobationis illius. Quòd autem neque in se sit vera illa sententia, quæ docet, solum originale de facto esse causam per se efficientem reprobationis, iam ostensum est: quia non potest esse causa reprobationis adulti legitimè baptizati. & confirmatur, quia saltem non potest esse causa reprobationis Angelorum.

IV. Tertia propositio: Causa reprobationis per se efficiens, & de facto, est peccatum lethale actuale, in quo quis finaliter moritur, in aliquibus solum originale, in aliquibus solum actuale, & in aliquibus originale, & actuale simul. Et quòd causa reprobationis positiuæ, de qua hîc loquimur, sit peccatum lethale, in quo quis præuidetur finaliter duraturus, nullus est Catholicus, qui neget. Nam ista reprobatio non incipit, nisi ab egressu hominis ex hac vita, & à iudicio diuino, quo quis in eodem egressu reputatur indignus vitæ æternæ, & dignus æterni supplicij. Ergo illa supponit notitiam exitus vitæ ipsius reprobi in peccato lethali: nullus enim reputatur finaliter indignus æternæ vitæ, & dignus æterni supplicij, nisi pro peccato mortali, in quo ille finaliter moritur. & Deus non prius est vltor, quàm homo sit peccator, vt Augustinus ait in lib. de Natura & gratia c. 26. & aliis in locis. August.

Confirmatur hæc sententia nam etiam illi, qui dicunt, Deũ ordine intentionis ante præuisa peccata voluisse efficaciter excludere ipsos reprobos à regno gloriæ, nihilominus non audent negare, Deum de facto, & in exercitio, & quatenus talis exclusio priuatio quædam est, & pœna, supponere notitiam peccati, & peccatum esse illius causam.

Confirmatur secundò autoritate Concilij Valentini sub Lothario cap. 3. dicentis, *Fideliter fatemur, prædestinationem electorum ad vitam, & prædestinationem impiorum ad mortem: in electione tamen saluandorum misericordiam Dei præcedere meritum boni, in damnatione verò perituorum meritum malum præcedere iustum Dei iudicium.* Dictum est autem, reprobationem primò incipere à iudicio, quo quis iudicatur indignus æternæ vitæ, & dignus æterni Conc. Valent.

suppli

ſupplicij. quæ ſententia videtur ſumpta ex D. Auguſtino, cuius ſententiam Concilium ibi fatetur ſe in tradenda doctrina de prædeſtinatione, & reprobatione ſequi. & quidem plurima ſunt Auguſtini teſtimonia, quibus eadem veritas apertiſſimè probatur, vt illud ex lib. 1. ad Simplicianum q. 2. *Niſi vocatione contempta reprobus fieret.* & illud ex lib. 6. Hypognoſticon, *Tenenda eſt inconcuſſa huius diſputationis regula, quæ diuinis teſtimonijs claruit, peccatores in malis propriis antequam eſſent in mundo, præſcitos eſſe tantùm, non prædeſtinatos, pœnam autem eſſe eis prædeſtinatam, ſecundùm quod præſciti ſunt. Parvulos quoque nõ renatos prædeſtinatæ pœnæ eſſe obnoxios, qui præſcius ſunt non propriis voluntatibus, niſi tantùm in Adæ peccato, quod traxerunt, naſcentes, & in hoc manentes ſoluerunt tempus vitæ præſentis.* Legantur alia teſtimonia ex eodem Doctore citata ſuprà c. 8. & 11. & alia, quæ tum ex ipſo, tum ex aliis Doctoribus, videlicet Hieronymo, Ambroſio, Chryſoſtomo, Origene, Damaſceno, Proſpero, Fulgētio, & aliis citant Trigoſius q. 18. a. 10. dub. 4. cõcl. 2. Aluarez diſp. 110. n. 4. Vaſquez diſp. 95. c. 5. & Suarez lib. 5. de Prædeſtinatione c. 6. omnes enim vnanimi conſenſu fatentur, Deum eos tantùm reprobaſſe, quos præſciuit futuros malos: & ideo reprobaſſe, quia malos futuros eſſe præuidit. Omnes etiam fatentur, dari cauſam reprobationis ex parte reprobi, quod ad ſuminum neceſſe eſt eſſe verũ de reprobatione poſitiua.

Trigoſius. Aluarez. Vaſquez. Suarez.

Præterea reprobatio actus eſt iuſtitiæ vindicatiuæ, & punitiuæ: at ordine talis iuſtitiæ non poteſt iudex prius ad pœnam deputare, quàm præuiderit culpam.

Demum poteſt dari cauſa reprobationis ex parte reprobi, abſque eo quòd ſequatur abſurdum. Ergo illa danda eſt. Conſequentia probatur per regulam illam ab Auguſtino traditam in lib. 3. de Libero arbitrio cap. 5. dicente, *Quidquid vera ratione tibi melius occurrerit, hoc ſcias Deum effeciſſe.* Melius autem videtur eſſe, facere Deum vltorem pro culpis noſtris, quàm pro ſolo ſuo beneplacito, & magis congruit pietati ipſius, qui vult omnes homines ſaluos fieri, quantum in ipſo eſt, ſi dicamus, illum nullum reprobaſſe, niſi propter illorum demerita, quàm ſi dicamus, illum homines reprobare voluiſſe propter ſolam ſuam voluntatem. Antecedens verò probatur, quia prædeſtinatio ſupponit notitiam peccati ſaltem originalis, vt aliàs dictum eſt ex D. Thom. 1. part. quæſt. 1. art. 3. ad quartum. Ergo etiam reprobatio. Ergo poteſt aſſignari peccatum pro cauſa reprobationis.

Auguſtin.

V. Reſpondetur ad hoc argumentum à nonnullis, quòd peccatum originale duobus modis conſiderari poteſt, vno modo vt opponitur innocentiæ, & iuſtitiæ originali: alio modo vt opponitur gratiæ redemptoris. Primo modo conſideratum non eſt effectus reprobationis, neque dicit ordinem ad illam, & hoc modo notitia peccati originalis antecedit prædeſtinationem, & reprobationem. Secundo autem modo peccatum originale eſt poſterius ipſa reprobatione, quia permiſſio illius eſt effectus reprobationis.

Sed hæc reſponſio manifeſtè falſa eſſe conuincitur: quia gratia Chriſti eſt gratia redemptoris, & eſt medicina generis humani, redemptio verò ſupponit captiuitatem, & medicina ſaltem curatiua ſupponit morbum, vt habet relationem ad illam. vnde prædeſtinatio Chriſti vt redemptoris, & prædeſtinatio aliorum hominum, vt illorum, qui per Chriſtum erant redimendi, neceſſariò ſupponebat in mente diuina notitiam lapſus Adæ, & omnium hominum in Adamo, & peccati originalis, ſaltem vt contrahendi a tota Adæ poſteritate: & dicere, quòd peccatum originale vt opponitur gratiæ redemptoris, ſit poſterius ipſa prædeſtinatione Chriſti, & aliorum, & etiam reprobatione, pace ſic reſpondentium videtur eſſe, non attendere ad ea, de quibus homines loquuntur, vt ſi quis dicat, quòd morbus quatenus opponitur medicinæ curatiuæ, eſt poſterior ipſa medicina, & illam ſupponit, quod eſt contra experientiam, & contra ſententiam Saluatoris in Euangelio dicentis, *non eſt opus valentibus medico, ſed male habentibus.* Et ita rem ſe habere confirmant definitiones prædeſtinationis ab Auguſtino traditæ, & à Theologis communiter probatæ, quæ dicunt, prædeſtinationem eſſe propoſitum miſerendi, & præparationem beneficiorum Dei, quibus certiſſime liberantur, quicunque liberantur, & frequentiſſimæ locutiones illæ: *Qui liberantur, gratiam laudent, qui non liberantur, debitum agnoſcant*: Liberari nanque captiuitatem ſupponit, & ſi non liberari idem eſt, quod reprobari, etiam ipſum reprobari ſupponit debitum peccati, propter quod aliquis reprobatur. Supponit ergo reprobatio peccatum non ſolùm, vt opponitur gratiæ innocentiæ originalis, ſed etiam vt opponitur gratiæ Chriſti; & vt dicit ordinem ad reprobationem, immo etiam ad noſtram prædeſtinationem: quia ſi prædeſtinari eſt liberari de maſſa perditionis, & non liberari eſt reprobari, neceſſe eſt, peccatum originale, propter quòd omnes homines confluxerunt in vnam maſſam perditionis, dicere ordinem ad noſtram prædeſtinationem per modum termini à quo, & ad reprobationem per modum cauſæ.

V. I. Quòd autem cauſa reprobationis non ſit ſolùm peccatum originale, ſed in aliquibus ſolùm originale, vt in paruulis decedentibus ſine Baptiſmo, in quibuſdam ſolùm actuale, vt in adultis legitimè baptizatis, in aliis verò originale, & actuale ſimul, vt in adultis non baptizatis, præter quod communis conſenſus Theologorum ſufficere videtur ad illam probandam, illam nanque docet D. Thom. in caput 9. ad Roman. lectione 2. & 3. Scotus in 1. diſtinct. 41. litera A. Caietanus, Ferrarienſ. Ioannes Maioris, & Sylueſter, quos refert. & ſequitur Molina 1. part. quæſt. 23. art. 5. diſp. 3. Dominicus Soto in caput 9. ad Romanos, Petrus Soto maior, quem citat, & ſequitur Dominicus Bañes eadem q. 23. a. 5. dub. vltimo, Trigoſius dicta q. 18. art. 10. dub. 4. cõcl. 4. vbi illam probat octo argumentis, & etiam autoritate D. Thomæ, & Scoti, Horantius lib. 5. locorum Catholicorum cap. 9. Cardinal. Bellarmin. lib. 2. de Gratia, & libero arbitrio c. 16. & Suarez lib. 5. de Prædeſtinatione cap. 6. Præter hunc, inquam, communem conſenſum, eſt etiam aſſertio de ſe euidens. nam reprobationis paruulorum nulla alia poteſt eſſe cauſa per ſe in facto, niſi originale: reprobationis verò Angelorum, & adultorum, qui per Baptiſmum legitimè ſuſceptum emundati ſunt à macula peccati originalis, nulla alia cauſa eſſe poteſt, niſi actuale: tandem reprobationis infidelium adultorum tam originale, quàm actuale, & è contra poteſt eſſe cauſa, quia per ſolum actuale ſine originali, & per ſolum originale ſine actuali reprobarentur, ſi alterum ab altero ſepararetur.

D. Thom. Scotus. Caietan. Ferrarienſ. Maioris. Syluester. Molina. Dom. Soto. Petr. Soto. Bañes. Trigoſius. Horantius. Bellarm. Suarez.

Confirmari poteſt hæc aſſertio autoritatibus D. Auguſtini, & D. Proſperi proximè inductis

ad

ad probandum, quòd non ſolùm, & ſemper peccatum originale ſit cauſa reprobationis, ſed quandoque etiam peccatum actuale ſine originali.

Tandem confirmari poteſt tali ratione. Reprobatio poſitiua, & prædeſtinatio ad gloriam contrariè opponuntur. Contrariorum autem effectuum contrariæ ſunt cauſæ, & rationes, vt notum eſt ex bona Philoſophia: ſed cauſa prædeſtinationis ad gloriam non eſt ſola Dei voluntas, ſed ſunt etiam noſtra merita, vt fundata in diuina gratia. Ergo reprobationis cauſa ſaltem in adultis ſùt mala merita noſtra non ſolùm originalia, ſed actualia.

CAPVT XIV.

Corollarium ex prædictis deducitur, per certitudinem, & immobilitatem reprobationis non impediri hominis libertatem.

1. EA, quæ de cauſis reprobationis hactenus à nobis dicta ſunt, ſufficere poſſunt ad errorem hæreticorum reuincendum, qui contendunt, per diuinam reprobationem imponi reprobis neceſſitatem illorum damnationis; nec opus eſt contra illos ſpecialem hoc in loco inſtituere diſputationem, ne quemadmodum de quodam errore veterum Pelagianorum ait Auguſtinus lib. de bono perſeuerantiæ cap. 10. videamur illorum ſententiam exiſtimare alicuius eſſe momenti, quam maluerimus diſputatione potius cohibere, quàm ſilentio præterire. Non habent profectò hæretici tantas vires, quantas verboſitates, & quantos habent conatus. & cùm multa dictitent, iactent, nihil probant. Dixerunt olim hæretici vocati Prædeſtinati, diuinam præſcientiam, & prædeſtinationem violenter homines compellere ad mortem, & ſolo Dei beneplacito alios deputatos ad mortem, alios ad vitam prædeſtinatos. Nihilominus, qui primus iſtum docuit errorem, ab illius turpitudine conuictus in publico Epiſcoporum Catholicorum concilio, & verbo, & ſcripto illum retractauit, nimirum Lucidus ille preſbyter, cuius extat epiſtola ad Concilium Arelatenſe, quam refert Baronius tomo 6. Annalium ſub anno 490. n. 24. Impoſuerunt eundem errorem Auguſtino Maſſilienſes: at Auguſtinus proprio libello hac de cauſa edito ſub nomine ad articulos ſibi falsò impoſitos, ſe palàm ab eodem errore purgauit, aut ſi ille eius libelli autor non eſt, certè illum vindicauit D. Proſper non ſolùm in libello ad obiectiones Vincentianas, ſed etiam in aliis ad Capitula Gallorum, & ad excerpta Genuenſiũ. Refrigerat idem error, vtpote per plures Pontifices Romanos, & per dictum Concilium Arelatenſe, necnon per aliud Concilium Arauſicanum ſecundum iuſtiſſimè damnatus, nihilominus poſt 400. annos ſerpens iterum caput ſuum attollere cœpit. Iterum fuit damnatus in Concilio Valentino ſub Lothario Imperatore cap. 3. circa annum Domini 885, quo in loco definitio, & damnatio Synodi Arauſicanæ his verbis iterum eſt renouata: *Verùm aliquos ad malum prædeſtinatos, diuina poteſtate videlicet, vt quaſi aliud eſſe non poſſent, non ſolùm non credimus, ſed etiam, ſi ſunt, qui tantum malum credere velint, cum omni deteſtatione, ſicut Arauſicana Synodus, illis anathema dicimus.* Videbatur per quingentos annos, & amplius non ſolùm omnino extinctus, ſed etiam in cineres omnino redactus, & ecce Ioannes VVicleffus, & Ioannes Hus illum iterum ab Orco reuocarunt. Iterum damnatus eſt in Concilio Conſtantienſi. Iterum ſæculo prætercrito Lutherani, Zuingliani, & Caluinitæ illum excitauerunt, at Lutheranos puduit tantam impietatem Deo impoſuiſſe, vt dicerent, illum cogere homines ad peccandum, & mala opera ſicut bona in hominibus operari. Scripſerat hoc Philippus Melanchthon in locis communibus in loco de viribus hominis, & libero arbitrio. *Quandoquidem omnia, quæ eueniunt, neceſſariò iuxta diuinam prædeſtinationem eueniunt, nulla eſt arbitrij libertas.* & infrà: *Si ad prædeſtinationem referas humanam voluntatem, nec in externis, nec in internis operibus vlla eſt libertas, ſed eueniunt omnia iuxta prædeſtinationem diuinam.* & in annotationibus epiſtolæ ad Romanos circa illa verba: *Scimus, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Nos vero* (inquit) *docemus non ſolùm permittere Deum creaturis, vt operentur, ſed ipſum omnia propriè agere; ſicut fatemur proprium Dei opus fuiſſe Pauli vocationem: ita fatemur opera Dei propria eſſe, ſiue, quæ media vocantur, vt comedere, bibere brutis communia, ſiue quæ mala ſunt, vt Dauidis adulterium, Manlij ſeueritatem animaduertentis in filium. Conſtat etiam ex capite primo ad Romanos, Deum omnia facere non permiſſiue, ſed potenter, vt Auguſtini verbo vtamur, id eſt, vt ſit eius propria Iudæ proditio, ſicut Pauli vocatio, ſicut in actis Apoſtolicis ſcribitur: Conuenerunt Herodes, & Pilatus facere, quæ manus tua, & conſilium tuum decreuerunt fieri. Quid enim magis perſpicuum dici potuit, quàm quod ait: Cuius vult, miſeretur, & quem vult, indurat? Ergo non eſt, cur frigidum gloſſema admittamus, Deum mala permittere, non etiam facere: nam & illa ipſa mala, quæ fiunt, ille ordinat ad ſuam gloriam ſicut aut Pharaonis: In hoc ipſum excitaui te, vt oſtendam in te virtutem meam.* Hæc ille. Nihilominus in locis cõmunibus poſteriùs editis in loco de humanis viribus, ſeu de libero arbitrio, & in loco de cauſa peccati, & contingentia eundem errorem ita recantauit, vt illum inter Stoicas nugationes reiiciat; & teſtimonia diuinæ Scripturæ, quæ priùs adduxerat ad probandum, Deum operari in cordibus hominum malas voluntates, fateatur iuxta phraſim Hebraicam eſſe exponenda ſecundùm permiſſionem, non ſecundùm voluntatem efficacem.

Baron.

Proſper.

Conc. Valent.

Conc. Conſtanc.

Solus Caluinus cum ſuis aſſeclis oculos ſuos diuino lumini voluit occludere, & in luto, in quo ſemel infixit pedem, firmus hærere. Quid igitur. Sinamus beſtias in volutabro luti ſe voluptare: neque enim reſpondendum eſt ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam, vt Sapiens ait: neque eſt diſputandum contra quamlibet opinionem ſermonis gratia dictam, vt ſapienter nos Philoſophus monuit in phyſicis auſcultationibus. eiuſmodi eſt ſententia iſtorum hæreticorum, quæ nulla diuinæ Scripturæ, nulla Sanctorum Patrum autoritate, nulla naturali ratione munita, nullam pietatis ſpeciem, immo verò omnem ſpeciem impietatis præ ſe ferens, toties per cenſuras Eccleſiaſticas icta, denuo caput ſuum attollere conatur.

Caluin.

II. Nobis in hac re duo ſufficere debent, quæ fuerunt ſemper in Eccleſia Catholica certiſſima. alterum eſt, ſententiam Caluini aſſerentis, homines ad malum diuina voluntate prædeſtinatos ante præuiſa illorum peccata, aut diuinam reproba-

tio

tionem imponere eis, qui damnantur abſolutam aliquam neceſſitatem ſuæ illorum damnationis, ſemper fuiſſe tanquam hæreſim manifeſtã ab omnibus Catholicis reiectam, & damnatam. Illam damnauerunt Concilium ſecundum Arauſicanum cap. vltimo, & Valentinum ſuprà citatum cap. 3. & Arelatenſe item ſuprà memoratum. Illam etiam damnauit Concilium Conſtantienſe ſeſſ. 8. & 15. in quibus non ſolùm fuit damnatus ille articulus, *Omnia ex abſoluta neceſſitate eueniunt.* Sed etiam iſte, quem ſub formalibus terminis docuit VVicleff. *Infans præſcitus, & baptizatus neceſſario viuet diutiùs, & peccabit in Spiritum ſanctum, ratione cuius merebitur, vt perpetuò condemnetur. & ita nullus ignis poteſt illum comburere pro hoc tempore, vel inſtanti; vt fidem aſſero omnia, quæ euenient, de neceſſitate euenient ei. Sic Paulus præſcitus non poteſt verè pœnitere, hoc eſt, contritione peccatum finalis impœnitentiæ delere, vel ipſum non habere.* Et Caluinus non poterit negare, illud fuiſſe Concilium generale totius Eccleſiæ. Illam tandem damnauit Conc. Trident. ſeſſ. 6. de Iuſtificatione can. 6. cùm damnantur illi qui dicunt non eſſe in poteſtate hominis vias ſuas malas facere, ſed mala opera, vt bona Deum operari non permiſſiuè ſolùm, ſed etiam proprè, & per ſe, vt ſit proprium eius opus non minus proditio Iudæ, quàm vocatio Pauli.

Cæſil. Trid.

III. Secundum eſt, non ideo quenquam improbum euadere, quia fuit ab æterno reprobatus, ſed ideo homines reprobatos fuiſſe, quia præſciti ſunt propria voluntate futuri eſſe mali. ita docent vbique Sancti Patres toto hoc opere citati, maximè D. Auguſt. & D. Proſper eius diſcipulus, vt conſtat ex locis c. 8. & 11. allegatis. Ob hanc cauſam reprobi à Patribus vocantur præſciti, licèt etiã nonnunquam appellentur prædeſtinati: ne ſcilicet aliquis ſuſpicetur, aliam eſſe, aut fuiſſe cauſam, ob quam ad pœnas inferni ſunt deſtinati, præter præſcientiam prauorum illorum operum. Atque ita eſt differentia inter certitudinem prædeſtinationis, & reprobationis, quòd prædeſtinatio eſt certa, & infallibilis non ſolùm certitudine præſcientiæ, ſed etiam ordinis, & cauſalitatis, quæ tamen certitudo humanam libertatem minimè lædit, vt libro ſuperiori dictum eſt. At reprobationis certitudo vltimatè ad ſolam præſcientiam reducitur, vt expreſsè docet Auguſtinus in lib. de Prædeſtinatione & gratia c. 15. & aliis in locis dicto c. 8. & etiam 11. citatis. Quare, vt Auguſtinus ibidem oſtendit, certitudo diuinæ reprobationis nullam omnino imponit reprobis neceſſitatem, nihil omnino adimit illorum libertatis, ſicut neque certitudo diuinæ præſcientiæ, vt lib. 3. ad longum deduximus.

Quæ autem contra hanc veritatem deducunt aduerſarij ex diuina Scriptura, dicente, Deũ creare impios propter ſemetipſum ad diem malum, & aliquos excitare, aut obdurare, vt oſtendat in eis virtutem ſuam, & notam faciat iram ſuam, toties ſoluta ſunt, vt inutile opus fuerit in illis ſoluendis nunc denuo immorari.

CAPVT XV.

Tertia controuerſia proponitur de effectibus reprobationis, & dubia præcipua, quæ circa illam emergunt, recenſentur.

I. DE effectibus reprobationis nunc tandem dicendum eſt, circa quos vt dubia emergentia, quæ præcipua ſunt in hac controuerſia, retegamus, aduertere oportet, non eſſe controuerſiam de effectibus reprobationis poſitiuæ, quæ ſola nomen reprobationis meretur, vt dictum eſt: conſtat enim, effectus iſtius reprobationis eſſe primum efficacẽ excluſionem à regno gloriæ, ſecundum efficacem deſtinationem ad pœnam æternam, vel ad aliam pœnam, quæ cum pœna externa ſit neceſſariò coniuncta, quod dicitur propterea, quòd ſoleat Deus quoſdam nequiſſimos homines adhuc viuentes tradere Diabolo torquendos, quorum mors computatur inter effectus diuinæ reprobationis, quia eſt infallibiliter, & immediatè coniuncta cum pœna æterna, qualis, exempli gratia, fuit mors Dathan, & Abyron Numerorum c. 16. Addere poſſumus tertium effectum, qui eſt eiuſdem æternæ pœnæ inflictio, quatenus deſtinatio ad pœnã, & eiuſdem pœnæ inflictio non pro vno, & eodem effectu computantur, ſed pro effectibus diſtinctis. Remanet itaque controuerſia de ſolis effectibus reprobationis negatiuæ. & licèt nullam eenſeamus eſſe eiuſmodi reprobationem, vt diximus, nihilominus diſſeremus breuiter de illius etiam effectibus, tanquam ſi daretur verè reprobatio negatiua, ne aliquid videatur hîc omiſſum ad integritatem huius tractationis aliquo modo ſpectans. Sunt autem tria, quæ ad ſummum poſſumus imaginari eſſe cõnumeranda inter effectus reprobationis, videlicet permiſſionem peccati, ipſum peccatum, & finalis obduratio in peccato: & circa iſta tria, tria etiam dubia ſunt hîc expendenda ac ſoluenda. Primum, an permiſſio peccati ſit effectus diuinæ reprobationis. Secundum, an ipſum peccatum ſit effectus reprobationis. Tertium, an obduratio ſit effectus reprobationis, & quid ſit peccatores à Deo obdurari, an ſcilicet ſit priuare hominem auxiliis non ſolùm efficacibus, ſed etiam ſufficientibus, ita vt de facto aliquis in hac vita obduretur ſic, vt priuetur à Deo auxiliis ſufficientibus ad ſalutem.

II. Quod ſpectat ad primum dubium, an permiſſio peccati ſit effectus reprobationis; eſt opinio multorum Doctorum, permiſſionem peccati ſaltem eius, in quo quis finaliter moritur, eſſe effectum reprobationis, immo propter hanc cauſam illi negant, dari cauſam reprobationis ex parte reprobi: quia putant, non poſſe ex parte illius aſſignari cauſam talis permiſſionis, quæ eſt primus reprobationis effectus. quam ſententiam defendere coguntur illi omnes, qui docent, Deum ante præuiſum peccatum omnes reprobos efficaciter excludere voluiſſe à regno gloriæ, ad oſtendendam in illis ſuam gloriam per modum iuſtitiæ punitiuæ. Omitto Caluinum, & Bezam, quibus iſta ſententia admodum plauſibilis eſt. vnde inquit Beza in reſponſione ad Caſtellionẽ de æterna Dei prædeſtinatione. *Oportuit ergo Deum quoque hanc viucam viam ſibi aperire, id eſt, Adami lapſum ordinare, ſed ad eum, quem dixi, finem, qui cùm ſit iuſtiſſimus, & ſanctiſſimus, iuſtam quoque ipſius ordinationem eſſe conſequitur.*

Beza.

Mihi verò hæc ſententia omninò probari non poteſt, non ſolùm quòd cẽſeam nullam eſſe reprobationem negatiuam: ſed etiam quia ad hoc, vt aliquis dicatur effectus in ordine ad aliquẽ finem, duo ſunt omninò neceſſaria. primum, vt finis priùs ſit volitus, quàm talis effectus: nam eiuſmodi effectus non eſt volitus per ſe, ſed ſolùm ex intentione finis. ſecundum quòd talis effectus ſecundùm quòd eſt volitus, & intentus ab agente, conferat aliquid ad finem reipſa aſſequendũ: ſed neutrũ iſtorũ poteſt conuenire permiſſioni ipſius peccati in ordine

Gabr. Pennot. de libert. hum.

ad finem reprobationis. Probatur, quòd non possit illi conuenire primum: nam finis reprobationis vt isti dicunt, est ostensio diuinæ iustitiæ vindicatiuæ. Ergo si permissio peccati est effectus reprobationis, oportet priùs fuisse à Deo intentum hûc finem, qui est ostensio diuinæ gloriæ per modum iustitiæ vindicatiuæ, quàm fuerit intenta permissio peccati. quod omnino absurdum esse videtur, esset enim facere Deum vltorem, prius quàm homo sit peccator.

III. Neq; valet, si dicatur, quòd reprobatio est priùs volita, quàm permissio peccati, accepta reprobatione pro voluntate excludendi efficaciter hominem à regno gloriæ, non autem pro volũtate deputandi ad pœnam. primò, quia ista voluntas excludendi reprobos à regno gloriæ secundùm respondentes, non est finis per se intentus, sed ordinatur in alium finem, qui est prior in diuina intentione quàm sit voluntas ipsa excludendi efficaciter reprobos à regno gloriæ: & iste finis secundùm illos est ostensio diuinæ gloriæ per modum iustitiæ vindicatiuæ in ipsis reprobis. vnde oportet, voluntatem permittendi peccatum esse posteriorem voluntate ostendendi gloriam diuinam per iustitiam punitiuam, si respondentes volunt sibiipsis constare. Deinde isti loquuntur de effectibus reprobationis in ordine ad vltimum effectum, neque distinguũt de reprobatione à gloria, aut à gratia, immo illam reliciunt, præsertim Ripa q.23.a.5.disp.2. vnde cùm loquuntur de effectibus reprobationis, loquuntur de illis comparatione vltimi finis, qui est primò intentus per ipsam reprobationem.

Quòd verò permissioni eiusdem peccati non possit conuenire secundum, videlicet quòd ipsa permissio peccati nihil per se conferre possit ad finem reprobationis reipsa consequendum, probatur, quia permissio peccati non confert reipsa ad talem finem consequendum sine peccato: at ad ipsam permissionem non sequitur peccatũ reipsa, & infallibiliter, alioqui Deus esset autor peccati, sicut qui remouet columnam, est causa ruinæ domus, & sicut, qui vas vitreum, quod manu tenet, finit super lapidem cadere, est causa confractionis illius.

IV. Secundò, contra eandem sententiã arguo. quia effectus reprobationis debet esse volitus ex intentione finis eiusdem reprobationis; vt dictum est: sed permissio peccati non potest hoc modo esse volita, aliàs Deus vellet etiam peccatum, qui nãque vult finem per aliquod medium, necessariò vult omne illud, sine quo ad finem per tale mediũ non potest peruenirì: sed per peccati permissionẽ nõ potest peruenirì ad finem reprobationis sine ipso peccato. Ergo qui vult finem reprobationis per permissionem peccati, vult etiam ipsum peccatum.

Tertiò, multi qui reprobi non sunt, permittũtur peccare. Ergo nõ omnis peccati permissio est reprobationis effectus. Si dicatur, nõ omnẽ permissionem peccati esse effectum reprobationis, sed solã permissionẽ peccati, in quo quis finaliter moritur, hoc quidẽ videtur aliquo pacto cõtrariã sententiam honestare: sed nihilominus cõtra hãc respõsionem facit primò, quòd autores sentẽtiæ, quã modò impugnamus, omnes dicũt cõmuniter, finẽ permissionis cuiuscunque peccati esse ostensionẽ diuinæ iustitiæ vindicatiuæ. erit ergo finis etiam peccati, quod remittitur. Secundò, quia illi diuidũt totam prouidẽtiam supernaturalem in prædestinationem, & reprobationem: permissio verò peccati non est effectus prædestinationis. Ergo est effectus reprobationis.

Quartò finis præcipuus permissionis peccati non est ostensio iustitiæ vindicatiuæ, vt monstratum est, sed suauis rerum dispositio, & gubernatio, & ostensio diuinæ sapientiæ in huiusmodi dispositione, & gubernatione, vt etiam D.Th. innuit dicta q.23.a.3. quanuis ibi subiungat, quòd permittere aliquos à fine deficere, est illos reprobare: quia ipse admittit reprobationem negatiuam, quæ secundùm illum nihil aliud est, nisi permissio illa, qua quis permittitur deficere à fine æternæ gloriæ. Sed hoc nihil refert, quoniã ex hac D.Thomæ sentẽtia sequitur, finem præcipuum huius negatiuæ reprobationis nõ esse ostensionem diuinæ iustitiæ, sed suauem rerum dispositionem.

Demum antequam Deus aliquos prædestinaret aut reprobaret, permisit peccatum Adæ. non igitur finis præcipuus huius permissionis est reprobatio. Ergo permissio peccati non est effectus reprobationis.

V. Est secunda opinio, quæ distinguit de duplici permissione prima, & secunda, & ait secũdam permissionem esse effectum reprobationis, nõ autem primam. ita Greg. de Valentia dicta q.23.a.5. pũcto 2. ad tertiũ. Trigosius q.18.a.8.dub.3. in principio. Sed hæc responsio non soluit dubium: quia de secũda permissione, quæ est obduratio, alia est quæstio. hîc autem solum quærimus de prima permissione. Trigosius.

Tertia sententia est, primam permissionem peccati esse effectũ reprobationis à gratia, non autem à gloria, quod puto idem esse, ac si dicamus esse effectũ reprobationis negatiuæ, non autem positiuæ, aut parum distare. ita Suarez lib.5. de Prædestinatione c.7.n.9. & Vasquez disp.95.c.9.in principio. Verùm cùm reprobatio negatiua sit ordinata ad positiuam, & vtriusque sit idem finis, isti autores recurrunt in easdem difficultates, quas patitur prima opinio. Suarez. Vasquez.

VI. Videtur itaque absolutè dicendum, quòd prima permissio peccati non est effectus reprobationis, quanuis sit conditio, sine qua non esset reprobatio. Ita sentit Molina dicta q.23.a.3. & a.5.disp.3. Greg. Valentianus loco proximè citato, & Trigosius q.18.a.6.dub.3.cõcl.3. & a.10.dub.4.concl.1. Hæc sententia in eo, quod docet primam permissionem peccati non esse effectum reprobationis, probatur argumentis modò factis. in eo autẽ, quod subiungimus, esse conditionem, sine qua nõ esset reprobatio, est de se euidens: quoniam si non esset peccatum, non esset reprobatio, & si non esset permissio, non esset ipsum peccatum. Molina. Greg. Valẽt. Trigosius.

Dicetur, si permissio peccati nõ est effectus reprobationis, neque etiam erit effectus prædestinationis. cuius ergo erit effectus?

Respondeo, esse effectum communis prouidentiæ, aut naturalis, aut etiam supernaturalis, quam Deus habet de creaturis rationalibus.

Cõtra hanc responsionem videtur esse instãtia. nam prouidentia supernaturalis diuiditur in prædestinationẽ, & reprobationem. Ergo aut permissio peccati non est effectus prouidẽtiæ supernaturalis, aut est effectus prædestinationis, aut reprobationis.

Respondeo hãc instantiã maximè probare, quòd prima permissio peccati non sit effectus reprobationis. nã si aliqua peccati permissio est reprobationis effectus; ergo omnis peccati permissio erit similiter reprobationis effectus. quòd si aliqua permissio peccati esse potest, quæ non sit effectus

repro

reprobationis, eadé ratione dicere possumus, nullam permissionem esse effectum reprobationis: valebit enim hoc argumentum. Ista permissio, quã ponis non esse effectum reprobationis, vel est effectus diuinæ prouidentiæ, vel non. Secundum dici non potest, vt hb. 5. ostensum est. Si dicatur primum, quæro cuius prouidentiæ illa sit effectu, & cuiuscunque prouidentiæ illa dicatur esse effectus præter reprobationem, eiusdem prouidentiæ dicam ego esse effectum illam primam permissionem, quam tu affirmas esse effectum reprobationis. quæ nanque maior est ratio de vnã permissione, quàm de altera?

Respondetur ergo ad instantiam, quòd prouidentia supernaturalis non diuiditur immediatè per prædestinationem, & reprobationem, sed mediatè. nam prouidentia supernaturalis diuiditur in prouidentiam approbationis, & concessionis, & permissio peccati ad prouidentiam concessionis spectat, non autem approbationis. & si spectat ad prouidentiam approbationis, spectat ad illam, quæ vniuersalis est, non autem specialis aut etiam specialissima: & prædestinatio ac reprobatio non sunt duæ species immediatè oppositæ diuidentes genus prouidentiæ supernaturalis, ita vt quod non est effectus vnius, sit effectus alterius. Et tandem possumus dicere, permissionem peccati ad prouidentiam naturalem spectare, ad quam spectat, naturas rectum modò suauissimo disponere. Neque ex hoc, quòd peccatum opponitur non solùm ordini naturæ, sed gratiæ, sequitur, quòd permissio peccati pertineat ad prouidentiam ordinis supernaturalis, sicut etiã ex hoc, quòd peccatum deordinat animam ab ordine supernaturali, non sequitur, peccatum ipsum esse actum ordinis supernaturalis. Videantur, quæ de multiplici prouidentiæ diuisione dicta sunt lib. 5. c. 3.

Quod autem addit Ripa dicta q. 23. art. 5. disp. 2. c. 2. opinionem, quæ docet, dari causam reprobationis ex parte reprobi, etiam respectu primi effectus, qui secundùm illum, & secundùm alios multos est ista prima permissio peccati, esse parum cõsentaneam D. Paulo, D. Augustino, & omnibus grauioribus Doctoribus, propter illa verba, *Quod si Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ*, &c. quid veritatis habeat, suprà capite 6 & 7. ostensum est. Reliqua, quæ in Scholasticos quosque etiam eruditissimos, qui eum illo non sentiunt, effundit, solitę illius licentiæ in censendo de aliorum opinionibus sunt indulgenda, & ad vtiliora properandum.

CAPVT XVI.

Dubium secundum proponitur, an peccatum sit effectus reprobationis.

1. FVit error hæreticorum, qui vocati sunt Prædestinati, quòd quemadmodum Deus voluntate efficaci prædestinauit electos ad gloriã, ad ostẽdẽdam in eis suam gloriam per modum misericordiæ, ita prædestinauerit reprobos ad pœnam, ad ostendendam in eis gloriam suam per modum iustitiæ punitiuæ etiam ante præuisa illorum peccata, & ex consequenti quemadmodum omnia media diuinæ gratiæ, & bonorũ operum, quibus electi de facto perducuntur ad vitam, sunt ex diuina prædestinatione, & sunt illius effectus: ita omnia peccata, per quæ reprobi deputãtur ad pœnas inferni, sint ex diuina prædestinatione, id est, reprobatione, & illius effectus. Hunc errorem imposuerunt D. Augustino Massilienses, & alij, quibus respondent Augustinus ad articulos sibi falsò impositos ad quintum decimum & vndecimum, & Prosper ad Capitula Gallorũ ad sextum, quem postea secuti sunt non solùm dicti hæretici Prædestinati, sed etiam Ioannes VVicleff, Ioannes Hus, & aliquando Lutherus, & Philippus Melanchthon, & nouissimè Caluinus cum suis sectariis.

Contra hunc errorem non opus est hîc disputare. nam quod spectat ad æternam Dei prædefinitionem, iam satis refutatus fuit lib. 4. c. 16. & tribus sequentibus. ibi nanque ostẽdimus, actus moraliter malos non esse ex diuina prædefinitione. quod autẽ spectat ad actualem causalitatem lib. sequente ostendemus, Deum peccati causam non esse: ille enim erit proprius locus hunc errorem confutandi.

Nunc sufficiat, hunc errorem damnatum fuisse in Cõcilio II. Arausicano c. vltimo, & Valẽtino c. 3. quorum definitiones superiùs sunt recitatæ, & in Tridentino sess. 6. can. 6. & in Constantiensi sess. 15. quorum definitiones sunt etiam à nobis relatæ capitibus proximè præcedentibus. Aduersùs hunc errorem præter D. Augustinum, & D. Prosperum in locis proximè citatis scripserunt Tho. VValdensis lib. 1. Doctrinalis fidei c. 21. & 22. Rophensis ad a. 36. Lutheri, Ruardus Taper a. 7. pag. mihi 259. & sequentibus, & Andreas Vega lib. 2. de Iustificatione c. 15.

Cõc. Arauf. Concil. Valent. Cõcil. Trid. Concil. Constant. Th. VVald. Rophenſ. Ruahd. Taper. Andr. Vega.

Ex Doctoribus Catholicis Caietanus in lib. 2. Regum c. 12. duo asseruit, primum quòd omnis pœna temporalis est effectus diuinæ reprobationis. Secundum quòd peccatum quod est pœna alterius peccati, est effectus reprobationis, & illud est etiam à Deo sub ea ratione, qua est pœna alterius peccati. Raphael Ripa in comment. 1. p. q. 23. a. 5. disp. 2. cap. 1. videtur numerare peccatum inter effectus reprobationis, licèt non dicat, illud esse à Deo, neque vt peccatum, neque vt pœnã alterius peccati. Hæc sententia Caietani quoad primum dictum est falsa & omnino improbabilis: quia in tantum abest, vt omnis pœna sit effectus reprobationis, quòd multæ pœnæ, quas homo sustinet in hac vita, sint effectus prædestinationis, quales exẽpli gratia, fuerunt pœnæ, quas tulerũt Sãcti Martyres, & Iob, & B. Virgo, cuius animam gladius doloris pertransiuit. Refragatúrque apertis diuinæ Scripturæ testimoniis, dicente Salomone in Prouerbiis c. 3. *Quem enim diligit Dominus, corripit.* & Ioanne in Apocalyps. c. 3. *Ego quos amo, corrigo & castigo.* & Paulo epistola 1. ad Corinth. c. 9. *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne cùm aliis prædicauerim, ipse reprobus efficiar.* Quod etiam spectat ad secundũ dictũ Caietani, cùm peccatũ siue cõsideretur, vt peccatũ, siue vt pœna alterius peccati, nunquam possit exuere rationẽ offensæ Dei, & deordinationis à Deo, omnes Doctores illud meritò reiiciũt, & eodẽ modo videtur reiicienda opinio Ripæ, nã si peccatũ est effectus reprobationis, cũ reprobatio sit actio diuina, oportet peccatũ esse effectũ Dei. & loquimur nũc de peccato, quoad illius formale, & nõ solùm quoad materialẽ entitatem: peccatũ autẽ nullo modo inter Dei effectus potest cõputari, & vt lib. 5. ex sentẽtia D. Th. & aliorum Doctorũ ostẽdimus, peccatũ subest diuinæ prouidẽtiæ, non tanquã illius effectus, sed tanquã obiectũ circa quod ipsa diuina prouidẽtia versatur, vel illud impediendo, vt non fiat, vel permittẽdo fieri, vel factũ ordinando in aliquem bonum finem.

II. Caietan.

Quare absolutè concludendum est, peccatum nullo modo posse inter effectus diuinæ reprobationis numerari. & videri possunt, quæ de hac re scribit Trigosius dicta q.18.a.8.dub.3.conclusione prima & secunda, vbi multis rationibus probat, peccatum nullo modo esse posse reprobationis effectum, neque vt peccatum, neque etiam vt habet rationem pœnæ alterius peccati. & dicit, hanc cõclusionem esse itam certam, vt oppositum sit hæreticum. & toto illo articulo multa scribit, quæ ad hanc veritatem illustrandam non parum iuuant, & Suarez lib.5. de Prædestinatione c.7. in principio.

Trigosius.

Suarez.

CAPVT XVII.

An obduratio sit reprobationis effectus, & an aliquod sit peccatum in hac vita irremissibile.

I. POstremum hoc dubium grauissimas continet controuersias de fide inter Catholicos, & hæreticos, immo etiam inter ipsos Catholicos, quarum vt status intelligatur, & certa ab incertis secernantur, primò recolenda sunt, quæ suprà c.9. de varia acceptione nominis obdurationis dicta sunt. est enim obduratio, quę est simplex permissio manendi in peccato vsque ad mortem, & est obduratio, quę est permissio labendi in grauiora peccata ob impœnitentiam præcedentium delictorum. Recolenda etiam sunt, quæ diximus lib.5. c.15. de indutatione, & excæcatione diuina. vbi docuimus, quid sit, Deũ peccatores obdurare, & obcæcare, nõ quidẽ immittẽdo errores, aut causando in illis aliquã duritiẽ positiuè, sed solũ subtrahendo auxilia, & nõ emolliendo, neq; illuminãdo. Ad cuius rei euidentiã notandum est, cùm Deus permittit hoc secũdo modo hominẽ labi in grauiora peccata, id facere in pœnam alicuius peccati præcedentis secundùm suam intrinsecam formalitatem, & naturam; quia vt sic oportet illud produci liberè à voluntate creata, & vt sic non potest esse volitum à Deo, sed dicitur vnum peccatum esse alterius pœna ratione subtractionis diuini auxilij, quo homo seruatur, ne ruat in ipsum peccatum, illa enim subtractio auxilij benè potest habere rationem pœnæ, & potest esse volita à Deo in pœnam peccati præcedentis. & ob hanc causam inquit Augustinus de Prædestinatione Sanctorum c.10. quòd vnum peccatum dicitur esse pœna alterius: quia Deo tribuitur iudicium, & iusta vindicta, non autem peccatum. hinc sequitur, quòd cùm dicitur Deus in pœnam peccatorum præcedentium hominem tradere in reprobum sensum, in desideria cordis, in passiones ignominiæ, & illum obdurare, & excæcare, hoc minimè intelligi possit ita, vt Deus positiuè causet in homine duritiem, aut cæcitatem, sed solùm permittiuè, & quòd in pœnam peccati præcedentis subtrahit, & denegat auxilium, quo homo teneretur, ne laberetur in peccata subsequentia.

II. Secundò recolendum est, quod diximus c.2. permissionem manendi in peccato vsque ad terminum vitæ esse quidem conditionem, sine qua non esset reprobatio: non tamen in huiusmodi permissione consistere formaliter reprobationem, neque ab illa incipere: quia reprobatio est iudicium, quo quis iudicatur finaliter indignus æternæ gloriæ, & ab illa finaliter excludendus, sed Deus ante terminum huius vitæ nullum finaliter iudicat indignum æternæ gloriæ, & ab illa esse finaliter excludendum. Hinc verò sequitur iuxta illos, qui nõ admittunt reprobationem negatiuam, sed solùm positiuam, quæ incipit à termino huius vitæ, quã opinionem nos vt veriorem amplectimur, obdurationem siue acceptam pro sola permissione manendi in peccato vsque ad mortem, siue etiam pro permissione labendi in grauiora peccata in pœnam peccatorum præcedentium, nullo modo esse effectum reprobationis. ratio est, quia ista obduratio est prior ipsa reprobatione. Ergo non potest inter illius effectus numerari, cùm effectus non sit prior sua causa. Si autem admittatur reprobatio negatiua, nulli dubium est, talem obdurationem, & permissionem posse inter effectus reprobationis numerari. & quia Doctores communiter admittunt, reprobationem negatiuam, docent etiam communiter, obdurationem seu permissionem manendi in peccato vsque ad mortem effectum esse reprobationis.

Si etiam vera esset sententia illorum, qui dicũt, labi hominem in hac vita in aliquod peccatum irremissibile, & in pœnam alicuius grauis erroris destitui à Deo auxiliis ad salutem sufficientibus, & necessariis, ita vt pœnitere ampliùs nequeat, & saluari, dicendum esset, permissionem illam, & obdurationem, qua Deus permitteret lapsum in peccatum irremissibile, & subtraheret ab eo auxilia ad salutem necessaria, esse effectum reprobationis: quia ab illa inciperet iam reprobatio positiua, qua homo iudicaretur finaliter indignus æternæ gloriæ, & ab illa finaliter excludendus.

III. Quare vt sciatur, an obduratio finalis in peccato lethali sit effectus diuinæ reprobationis, priùs videndum est duplex dubium, an sit aliquod peccatum in hac vita de se irremissibile, etiamsi homo de illo pœnitere velit. Secundò, an esto nullũ sit peccatum de se irremissibile, tamẽ aliquis peccator in præcedentium delictorum pœnam destituatur auxiliis ad salutem necessarijs, ita vt pœnitere non possit, neque saluari. & sunt ista dubia distincta, vt patet, & distinctè examinanda.

Circa primum itaque dubium fuit antiquus error quorundam Iudæorum, referente Nicolao Lyrano in caput primum Amos, dicentium, esse quædam peccata irremissibilia, de quibus exponebant sententias illas Propheticas, *Super tribus sceleribus Israel, & super quatuor non conuertam. super tribus sceleribus Iuda*, &c. Quarum sententiarum iuxta illos hic erat sensus, esse quædam peccata, quæ Deus primò, secundò, & tertiò, remittit: sed quartò peccantibus minimè vult remittere. Quidam etiam nomine Origenes non ille Adamantius, & alius nomine Theognostus dixerunt, esse aliquod peccatum irremissibile in hac vita, quorum sententiam aliquando videtur secutus Aug. in lib. de sermone Domini in monte, licèt lib.1. Retractationum c.19. illam retractauerit, seu potiùs declaraugrit, se illam non tenuisse. Eundem errorem docuerunt Montanus hæreticus, referente D. Hieronymo in epistola ad Marcellã, & Nouatus presbyter Romanus, docens, peccata, quæ post Baptismũ admittuntur, esse irremissibilia, vt scribit Eusebius in Historia lib.6.c.33. quanuis nonnulli illius errorem moderentur, vt hoc dixerit solùm de peccato abnegantium Christum in tormentis, aut vt dixerit, Christum non reliquisse Ecclesiæ potestatem

Origenes. Theognost.

Augustin.

Montanus. Nouatus.

Eusebius.

tem remittendi peccata poſt Baptiſmum admiſſa, ſed taliter peccantes diuino iudicio eſſe relinquendos. fuitque error iſte nouiſſimus, aduersùs quem multi ſcripſerunt ex antiquis Patribus, & recentioribus etiam Theologis, præcipuè D. Th. cum diſcipulis 3.part.q.86.art.1. Dominicus Soto in 4.d.15.art.1. Andreas Vega lib.13. de Iuſtificatione cap. 2. & Cardinal. Bellarminus lib. 2. de Pœnitentia cap. 15.

D. Thom. Dominic. Soto. Andreas Vega. Bellarm.

IV. Aduersùs hunc errorem ſtatuitur aſſertio de fide, Nullum eſſe peccatum in hac vita irremiſſibile, quantuncunque illud graue ſit. Quæ aſſertio fuit definita, vt doctrina fidei per Cornelium Papam in Concilio Romano aduersùs Nouatum congregato. Cuius definitionem omnes Eccleſiæ Orientales, & Occidentales receperunt, vt patet ex hiſtoriis Euſebij, & Nicephori, & ex ſcriptis D.Cypriani Martyris. & fuit renouata eadem definitio in Concilio Niceno I. can.8. & in Concil. Lateranenſi ſub Innocentio III. cuius conſtitutio extat in cap firmiter. de ſumma Trinitate & fide Catholica, & nouiſſimè in Concil. Tridentino ſeſſ.6. de Iuſtificatione can. 29. ſub his verbis: *Si quis dixerit, eum, qui poſt Baptiſmum lapſus eſt, non poſſe per Dei gratiam reſurgere, aut poſſe quidem, ſed ſola fide amiſſam iuſtitiam recuperare ſine ſacramento Pœnitentiæ, prout ſancta Romana, & vniuerſalis Eccleſia à Chriſto Domino, & eius Apoſtolis edocta hucuſque profeſſa eſt, ſeruauit, & docuit, anathema ſit.* Quam doctrinam tradit ſuprà cap. 14. eiuſdem ſeſſionis.

Concil. Roman. Concil. Nicen. Concil. Lateran. Concil. Trident.

Ea verò probatur euidentiſſimis diuinæ Scripturæ teſtimoniis, videlicet Ieremiæ c.3. vbi animam quibuſcunque etiam grauiſſimis peccatis pollutam ſub metaphora viri propriam vxorem adulteram ad ſe reuocantis inuitans ad pœnitentiam,& veniam promittens, ita ait: *Vulgo dicitur, ſi dimiſerit vir vxorem ſuam, & recedens ab eo duxerit virum alterum, nunquid reuertetur ad eam vltrà? nunquid non polluta, & contaminata erit mulier illa? tu autem fornicata es cum amatoribus multis; tamen reuertere ad me, dicit Dominus, & ego ſuſcipiam te.* & Ieremiæ c.18. vbi ait Dominus omnes peccatores ad pœnitentiã inuocans, *Repente loquar aduersùs gentem, & aduersùs regnum, vt eradicem, & deſtruã, & diſperdam illud. Si pœnitentiam egerit gens illa à malo, quod locutus ſum aduersùs eam, agam & ego pœnitentiam ſuper malo quod cogitaui, vt facerem ei, & ſubitò loquar de gente, & de regno, vt ædificem, & plantem illud.* & Ezech.c.18. *Nunquid voluntatis meæ eſt mors impij, dicit Dominus, & non vt conuertatur à viis ſuis, & viuat?* & infra. *Conuertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris, & non erit vobis in ruinam iniquitas.* & infrà; *quia nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus, reuertimini & viuite.* Eadem habentur c.33. quæ indicant, Deum nullius hominis non exoptare pœnitentiam, & vitam, & nullius peccatoris velle interitum,& apud Matth. c.18. interrogante Petro, *Si peccauerit in me frater meus, quoties dimittam ei, vſque ſepties? Reſpondit Ieſus. non dico tibi vſque ſepties, ſed vſque ſeptuagies ſepties.* Quo in loco Origenes, Hieronymus, Auguſtinus, Chryſoſtomus, Theophylactus, Lyranus, & communiter alij interpretes notant, poni numerum determinatum pro indeterminato, vt ſit ſenſus, toties dimittendum eſſe, quoties peccator pœnituerit. & Lucæ c.15. vbi Saluator teſtatur, maius eſſe gaudium in cœlo ſuper vno peccatore pœnitentiam agente, quàm ſupra nonaginta nouem iuſtis, qui non indigent pœnitentia. idque indicat non ſolùm parabola ouis,& parabola drachmæ deperditæ & inuentæ, ſed etiam parabola filij prodigi,& vt ſemel dicam, tota ſeries illius capitis, & Ioan.epiſt.1. c.2. vbi dicit ſanctiſſimus ille Chriſti Apoſtolus dilectus: *Filioli hæc ſcribo vobis, vt non peccetis, ſed & ſi quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem Ieſum Chriſtum iuſtum, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantùm, ſed etiam pro totius mundi.* Diuus autẽ Ioannes ibi alloquitur baptizatos, & in lib. Apocal. c.2. hortatur Angelum, id eſt, Epiſcopum Epheſi, vt agat pœnitentiam. Videatur totum illud caput, & ſequens. quoniam ex illis deducitur euidenter nullum eſſe peccatum irremiſſibile apud Deum, cùm ille omnes quantuncunque grauiſſimè delinquentes ad pœnitentiam hortetur, & omnibus veniam promittat.

V. Secundò probatur eadem veritas euidenti ratione. Nam dicere, eſſe aliquod peccatum irremiſſibile, apertè repugnat diuinæ miſericordiæ, cuius veritatis argumentum demonſtratiuum eſt in lib. Geneſis c. 4. cùm enim Cain ob fratricidium admiſſum de diuina miſericordia deſperaret, ac diceret: *Maior eſt iniquitas mea, quàm vt veniam merear.* ſtatim Dominus illũ increpauit, dicens. *Non, ſed ſi bene egeris recipies. ſin autem malè, ſtatim in foribus peccatum tuum aderit.* Quibus verbis ſignificauit, nullum eſſe peccatum, quod diuinam miſericordiam vincere poſſit: ſed e contrario miſericordiam diuinam omnes iniquitates noſtras vincere, ſi ex corde pœniteamus. Repugnat etiam merito, & virtuti ſanguinis Ieſu Chriſti, & vinificæ illius Paſſioni dicere, eſſe aliquod peccatum, quod per illam deleri non poſſit, D. Ioanne reclamante, & dicente, *Quoniam ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantùm, ſed etiam pro totius mundi.*

Tertiò probatur eadem veritas ex eodem Scripturæ diuinæ teſtimonio, ex quo potiſſimũ hæretici ſuum errorem probabant. illud autem erat teſtimonium Iſaiæ c.6. vbi Deus ita Prophetam alloquitur: *Vade, & dices populo huic, audite audientes, & nolite intelligere, & videte viſionem, & nolite cognoſcere. excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude, ne fortè videat oculis ſuis, & auribus ſuis audiat, & corde ſuo intelligat, & conuertatur, & ſanem eum.* Ex hoc loco deducebant antiquiores hæretici, & etiam nunc recentiores deducunt, Deum quoſdam peccatores data opera excæcare, & obdurare: quia illos non vult conuertere, neque vult illorum miſereri. Cùm tamen oppoſitum euidenter colligatur ex eiſdem verbis æqua rationis lance ponderatis. Quid enim innuere volunt verba illa, *ne fortè conuertantur, & ſanem eos?* an ſi Deus decreuit illorum non miſereri, & illos non ſanare, etiamſi oculis videant, & corde intelligant, & auribus audiant, & conuertantur, non erit in illius poteſtate nõ velle illis peccata remittere, nõ velle illos ſanare, non velle miſereri? minimè profectò: ſed quotieſcunque illi conuerſi fuerint ex corde, illorum non poterit non miſereri, & illos non ſanare. hoc indicare voluit iſtis verbis: *Ne fortè conuertantur, & ſanem eos.* ac ſi apertè dixiſſet, ſi conuerſi fuerint, non potero illos non ſanare. Atque hunc eſſe germanum ſenſum illorum verborum probatur ex verbis D. Ioannis epiſt.1.c.1. dicentis: *Si confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt Deus, & iuſtus, vt remittat nobis peccata noſtra, & emundet nos ab omni iniquitate.* Ponderemus quæſo iſta verba, primo aſpectu ita intellectu difficilia, vt nihil magis. quorſum enim eſt dictum, Deum fidelem eſſe in remittendo peccatum iis, qui peccatum confiten-

tur? Quorſum iuſtus in remittendo peccata pœnitentibus, in emundando illos ab omni iniquitate? an remittere peccata pœnitentibus actus eſt iuſtitiæ? minimè profectò, ſed ſolius miſericordiæ, niſi cum Pelagianis dicere velimus, hominem ex viribus liberi arbitrij poſſe gratiam iuſtificationis ſibi promereri; quomodo igitur fidelis, quomodo iuſtus in remittendo peccata confitentibus, & pœnitentibus? Reſpondetur cum D. Cypriano in lib. de oratione Dominica, & cum Gloſſa interlineari, & Lyrano ad illum locum D. Ioannis, ob eam cauſam Deum vocari fidelem, & iuſtum in parcendo verè confitentibus peccata, & pœnitentibus: quia omnibus verè pœnitentibus promiſſa eſt peccatorum venia, & promiſſum obſeruare, & adimplere, actus quidam eſt iuſtitiæ. Vnde quantuis remittere peccata pœnitentibus, ſi attendamus merita eius, cui peccatum remittitur, ſit actus miſericordiæ, quia percipiendæ diuinæ gratiæ in impio nulla merita præcedunt: tamen ſi attendamus Deum promittentem veniam veræ confeſſioni factæ ex humilitate cordis, actus quidam eſt iuſtitiæ, ita vt non poſſit Deus illam verè pœnitentibus denegare. & hoc colligitur ex verbis illis apud Iſaiam cap. 1. *Lauamini, mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis, quieſcite agere peruerſè, diſcite benefacere, quærite iudicium, ſubuenite oppreſſo, iudicate pupillo, defendite viduam: & venite, & arguite me, dicit Dominus. Si fuerint peccata veſtra vt coccinum, quaſi nix dealbabuntur & ſi fuerint rubra quaſi vermiculus, velut lana alba erunt.*

Cyprian. Gloſſa. Lyranus.

VI. Deum negari non poteſt, Deum ſemper magis promptum eſſe ad indulgendum, & benefaciendum, quam ad puniendum, & ſubtrahendum manum ſuam: nullus autem in hac vita creuit in Dei amicitia, quin ab illa poſſit per peccatum excidere, vt non ſemel in hoc opere monſtrauimus, præſertim lib. 6. cap. 35. Ergo ab oppoſito nullus eſt tam grauis peccator, qui dum eſt in curſu huius viæ poſitus, non valeat ad Dei amicitiam reparari. Hanc rem pluribus proſequitur Vega logo citato cap. 3. & 4. & ſequentibus.

Vega.

CAPVT XVIII.

Argumentis hæreticorum fit ſatis.

I. QVanuis nulli dubium eſſe poſſit, aſſertionem capite præcedenti à nobis firmatam eſſe dogma fidei Catholicæ, & oppoſitam ſententiam manifeſtum eſſe errorem in fide. Quædam tamen ſunt diuinæ Scripturæ teſtimonia, quæ ſuperficie tenus inſpecta videntur illi plurimum fauere.

Primum eſt in libro Geneſ. cap. 15. vbi Deus prædixit Abrahæ, non niſi poſt quartam generationem ex Ægypto illius poſteros reuerſuros fuiſſe in terram promiſſionis. *Quia nondum* (inquit) *completæ ſunt iniquitates Amorrhæorum, vſque ad præſens tempus.* Quæ verba indicant, eſſe quandam periodum annorum peccatoribus à Deo conſtitutam, vltra quam non ſit ampliùs locus pœnitentiæ, vt expoſitores obſeruant. quod etiam obſeruauit Hieronymus in quæſtionibus Hebraicis circa illa verba Geneſis cap. 6. *Non permanebit ſpiritus meus in homine in æternum, quia caro ſunt: erúntque dies illius centum viginti anni.*

Hieron.

Secundum eſt in lib. Leuitici cap. 4. & 15. quibus in locis præſcribitur hoſtia pro expiandis peccatis ex ignorantia admiſſis: pro peccatis autem ex certa malitia admiſſis nulla præſcribitur hoſtia ad illa expianda. & ne quis dicat, Deum ſub lege Euangelica promptiorem eſſe ad parcendum, quàm eſſet ſub lege Moyſis, audiat Apoſtolum ab Hebræos cap. 10. ex lege veteri ad nouam in hunc modum arguentem: *Voluntariè enim peccantibus nobis poſt acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur pro peccatis hoſtia, terribilis autem quædam expectatio, & ignis æmulatio, quæ conſumptura eſt aduerſarios. Irritam quis faciens legem Moyſi, ſine vlla miſeratione duobus, vel tribus teſtibus moritur. Quanto magis putatis deteriora mereri ſupplicia, qui filium Dei conculcauerit?* Quæ ſanè verba terroris ſunt plena, non ſolùm propter autoritatem tanti Apoſtoli, ſed propter argumentum, quod continent, quod huiuſmodi eſt. Iudæi contra legem Moyſis malitioſè peccantes abſque miſericordia puniebantur. Ergo multo magis, qui poſt acceptam Baptiſmi gratiam filium Dei conculcauerit, irremiſſibiliter punietur.

Tertium teſtimonium colligitur ex Ieremiæ cap. 7. vbi Dominus Ieremiam obteſtatur, ne pro populo Iudæorum velit ampliùs fundere ad ſe preces, dicens: *Tu autem noli orare pro populo hoc, nec aſſumas pro eis laudem, & orationem, & non obſiſtas mihi, quia non exaudiam te.* Eadem verba habentur infrà cap. 11. & cap. 14. & gloſſa circa hæc verba ait: *Propheta præcipitur, ne pro eis oret, in quos eſt iam conſummata ſententia.* Conſimiles ſententiæ reperiuntur apud Ezechielem cap. 14.

Gloſſa.

Quartum eſt in lib. Amos cap. 1. & 2. vbi ſæpe Deus inculcat: *Super tribus ſceleribus Iſraël, & Iudæ, & filiorum Ammon, & Moab, Damaſci, &c. & ſuper quatuor non conuertam eos.* Sunt ergo aliqua peccata, à quibus non vult Deus homines conuertere per pœnitentiam.

Quintum eſt apud Matthæum, vbi Saluator ait, quòd qui peccauerit in Spiritum ſanctum, non remittetur, neque in hoc ſæculo, neque in futuro. quod magis explicans D. Marcus ait: *Non habebit remiſſionem in æternum.*

Sextum apud Ioannem cap. 8. *Quæretis*, inquit, *me, & non inuenietis: & in peccato veſtro moriemini.* Conſimilem ſenſum habent verba illa Salomonis in Prouerb. cap. 1. *Tunc inuocabunt, & ego non exaudiam, manè conſurgent, & non inuenient me.* & illa apud Amos cap. 8. *Circuibunt quærentes nomen Domini, & non inuenient.* Cuius etiam rei exempla habentur in Antiocho Rege, de quo in 2. lib. Machabæorum cap. 9. dicit diuina Scriptura quòd *orabat ſceleſtus Dominum, à quo non eſſet miſericordiam conſecuturus.* & in Eſaiæ, de quo Paulus ad Hebræos cap. 12. ait quòd *non inuenit pœnitentiæ locum, quamquam cum lacrymis inquiſiuiſſet eam.*

Septimum in epiſt. 1. D. Ioannis c. 5. vbi inquit: *Eſt peccatum ad mortem, non pro illo dico, vt roget quis.* Ex quo loco Auguſtinus in lib. de verbis Domini colligit, eſſe aliquod peccatum irremiſſibile, pro quo non eſt orandum: licèt laboret in huiuſmodi peccato demonſtrando, & dicat fuiſſe peccatum Iudæ proditoris Chriſti.

Auguſt.

Ad hæc, & ſimilia teſtimonia explicanda, quæ IL ex diuina Scriptura occurrere poſſunt, vnum aduertere oportet, quo animaduerſo omnia ſunt cuique intellectu facillima. Illud verò eſt, peccatum duobus modis poſſe dici irremiſſibile, vno modo quoad quaſdam pœnas temporales, quibus Deus nonnunquam illud decreuit punire: alio modo quoad culpam, & pœnam æternam. quod adhuc ex duplici capite intelligi poteſt eſſe irremiſſibile, vno modo ex parte hominis: alio modo ex parte Dei. Ex parte autem hominis dicitur peccatum

peccatum irremiſſibile, quando homo ad eam metam peccatorum peruenit, vt pœnitentiam agere, & vitam in melius mutare non poſſit, ſine qua peccatum non remittitur. Quanto nanque homo ad peccandum ampliùs adſueuerit, tanto minus peccatum illi poteſt diſplicere, & cum maiori ſemper difficultate de peccato poteſt pœnitere, vt D. Gregorius ait homil. 20. in Ezechielem, *frontem cordis in impudentiam attexit culpa frequens, vt quo frequentius committitur, eo de illa committentis animus minus verecundatur.* & tandem cùm in profundum venerit, contemnit peccatum, & Deum ipſum, vt eſt in Prouerbiis cap. 18 Hinc eſt illud Ieremiæ 13. *Si mutare poteſt Æthiops pellem ſuam, & pardus varietates ſuas, & vos poteritis bene facere, cum didiceritis malum.* Immo verò cor peccatoris, quod fuerit peccatis aſſuetum, ictibus diuinarum inſpirationum non ſolùm non emollitur, ſed multoties induratur magis in propria nequitia, iuxta illud, quod de reprobis dicitur Iobi 41. *Cor eius indurabitur, tanquam lapis, & ſtringetur quaſi malleatoris incus.* & ſæpe flores diuinarum inſpirationum, & auxiliorum ſupernaturalium in venenum conuertit, vt Hieronymus notat in epiſtola ad Hedibiam quæſt. 3. & tandem ad eam metam peccatorum deuenit, vt abſque ingenti Dei miraculo vix poſſit à peccato ſurgere.

Gregorius Papa.

Hieron.

III. Ex parte autem Dei duobus modis intelligi poteſt aliquod peccatum eſſe irremiſſibile, vno modo quòd Deus apud ſe ſtatuerit aliquod peccatum non remittere, etiamſi homo pœnitere voluerit, & hoc modo non poteſt abſque errore dici, quòd ſit aliquod peccatum irremiſſibile, Deo ipſo per Ezechielem cap. 18. omnes impios obteſtante ac dicente: *Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, quæ operatus eſt, & fecerit iudicium, & iuſtitiam, vita viuet, & non morietur: omnium iniquitatum eius, quas operatus eſt, non recordabor.* Alio modo quòd nolit ea auxilia impiis conferre, per quæ à peccatis conuertantur, & pœnitentiã agant. & hoc poteſt eſſe tum verum, tum falſum. nam diuina auxilia ſunt alia efficacia, alia ſufficientia, quare ſi ſit ſenſus, quòd non velit conferre omne auxilium, quod ſi conferret ex infinitis, quæ poteſt conferre, ſcit, quòd infallibiliter conuerteretur, & ſaluaretur, in hoc ſenſu poteſt admitti, quòd Deus non vult quibuſdam peccatoribus peccata remittere. Sed neque hic modus loquendi eſt proprius, neque hic ſenſus à Doctoribus intentus, cùm diſputant, an ſit aliquod peccatum irremiſſibile: neque enim ex hoc, quòd non vult cuilibet impio conferre omne auxilium, quod videt fore efficax ad illum conuertendum, ſi conuertere vellet, dicendus eſt, nolle illius peccata dimittere: alioquin dicendum eſſet, omnia peccata reproborum, ſaltem illa, propter quæ finaliter damnantur, eſſe irremiſſibilia. Si autem ſit ſenſus, quòd nolit conferre auxilia ſaltem ſufficientia ad ſalutem, & hoc etiam ſine fidei præiudicio dici non poteſt, vt in ſequentibus magis deducemus: licèt in latitudine auxiliorum ſufficientium admitti poſſit, eſſe aliqua auxilia, quæ Deus nolit conferre in pœnam alicuius peccati.

IV. Hoc ſuppoſito ad omnia teſtimonia contra veritatem aſſertionis, quam hîc defendimus, ab aduerſariis inducta, reſpõdetur illa vno, aut pluribus ex quatuor ſequentibus modis eſſe exponenda.

Primus modus eſt, vt quædam peccata dicatur Deus nolle remittere, non quidem quoad culpam, & pœnam æternam, quæ ipſam culpam conſequitur, quam paratus ſemper eſt remittere omnibus ex corde pœnitentibus, ſed quoad pœnam temporalem, quam illis decreuit in hac vita. ſunt enim aliqua peccata, quibus Deus decreuit pœnam in hac vita irremiſſibiliter infligendam, etiã remiſſa culpa, & pœna æterna. Eiuſmodi habemus exemplũ in 2. lib. Reg. c. 11. & 12. in Dauide, cui ob peccatum adulterij, & homicidij admiſſum dictũ eſt: *Ecce ego ſuſcitabo ſuper te malum de domo tua, & tollam uxores tuas in oculis tuis, & dabo proximo tuo, & dormiet cum uxoribus tuis in oculis Solis huius.* & infrà: *Propter verbum hoc filius, qui natus eſt tibi, morte morietur.* Quarum pœnarum remiſſionem multis etiam lachrymis profuſis obtinere non potuit, qui tamen culpæ, & pœnæ æternæ iam obtinuerat remiſſionem. & hoc modo ſunt exponenda teſtimonia inducta ex lib. Geneſis c. 15. Ieremiæ 7. 11. & 14. Ezechiel. 14. Amos 1. & 2. Machabæorum lib. 2. cap. 9. & ad Hebræos 12. éſtque expoſitio literalis plana, & peruia legentibus.

V. Secundus modus eſt, vt aliqua peccata dicantur irremiſſibilia non quidem ex parte Dei, ſed ex parte impiorũ, qui, vt Ieremias ait, confortati ſunt in terra, & de malo ad malum egreſſi ſunt, & aſſidua reciduatione in eadem peccata nonnunquam in profundum malorum deueniunt: & ideo obfirmantur in malo, vt ad illos conuertendos nõ ſufficiant quotidiana auxilia, quibus Deus illos pulſat, excitat, vocat ad pœnitentiam, niſi velit adhibere miracula; ac ne miraculis quidem viſis illi conuertuntur. Eiuſmodi peccatorum impœnitentium euidentiſſimum fuit exemplar impius Pharao, quem ne miraculis quidem tam ſtupendis coram illo factis potuit ad ſe cõuertere, & illius duritiem frangere: quin immo eiſdem miraculis magis, ac magis in ſua nequitia obdurauit. hoc modo multi Doctores myſticè exponunt verba illa Amos, *Super tribus ſceleribus Iſrael, & ſuper quatuor non conuertam eum* Per quatuor nanque peccata exponunt conſuetudinariam vitam in peccatis, vt ſit primũ ſcelus delectatio in peccato. Secundum conſenſus in peccatum. Tertium perpetratio peccati, & Quartum reciduatio, & conſuetudo peccandi. Atque ob hanc cauſam Auguſtinus, Gregorius Papa, & alij Patres Lazarum quatriduanum à Chriſto non ſine turbatione, & fremitu ſpiritus, & lacrymis, & magno clamore reſuſcitatũ rationabiliter docent, eſſe typum peccatoris conſuetudinarij, quem vt Deus reſuſcitet à peccato ad vitam, quæ eſt per Dei gratiam, miraculo opus eſt. hoc modo eſt etiam exponendus locus ille apud Matth. c. 12. *Qui autem peccauerit in Spiritum ſanctum, non dimittetur ei*, &c. peccatum nanque in Spiritum ſanctum, de quo ibi eſt ſermo, fuit peccatum malitiæ Iudæorum, quo illi maligno, ac ſuper omnes nequam ſpiritu opera Chriſti calumniabantur, illa Dæmonum virtuti, & poteſtati tribuentes. qui enim ſcient opera Chriſti ſic calumniatur, indicat ſe in profundum malorum prolapſum, cui opera Chriſti, & diuina auxilia non ſolùm non proſint, ſed etiam noceant. & ob hanc cauſam illius peccatum dicitur non remitti, & manere in æternum: quia licèt de poſſibili illud ſit remiſſibile, eo quòd nullum Deus auxiliis ſufficientibus deſtituit, tamen de facto ſic peccantes vix vnquam ad veram redeunt pœnitentiam. & licèt aliquando videantur pœnitere, tamen illorum pœnitentia eſt coacta, & vt plurimum ficta, qualis erat pœnitentia Pharaonis, qualis etiam fuit pœnitentia impiiſſimi Regis Antiochi, & Eſaü. & idcirco quia diuina Scriptura loqui ſolet ſecundùm ea, quæ, vt in pluribus fieri ſolent, & ſecundùm legem Dei ordinariam, ideo vocat huiuſmodi peccatum irremiſſibile.

VI. Tertius modus est, vt aliqua peccata dicantur irremissibilia, quia sunt aliqua peccata adeò grauia, & nefanda, quæque oculos diuinæ maiestatis adeò acriter pungunt, vt cùm homines illa admiserint, iam Deus incipiat illos stomachari, & despicere, & multa auxilia sufficientia ab eis auferre, & quodammodo eos negligere, ita vt videantur derelicti. Ps. 87. *Sicut vulnerati (inquit) dormientes in sepulchris, quorum nō es memor amplius, & ipsi de manu tua repulsi sunt.* vt bene notauit Adrianus Papa in 4. q. 3. de Pœnitentia. hoc modo intelligenda etiam sunt verba illa ex lib. Geneseos c. 15. *Nondum completa sunt iniquitates Amorrhæorum vsque*, &c. & illa Psal. 80. *Et non audiuit populus meus legē meam, & Israel non intendit mihi: & dimisi eos in desideria cordis eorum, ibunt in adinuentionibus suis.* & illa ex lib. Eccles. c. 7. *Nemo potest corrigere, quem ille despexerit.* & illa Ier. 6. *Erudire Hierusalem, ne forte recedat anima mea à te, & ponam te desertam, & inhabitabilem.* & illa Ezech. 16. *Et auferetur zelus meus à te, & quiescam, neque irascar amplius.* Et metaphora illa vineæ apud Isaiam c. 5. & argenti reprobi apud Ieremiam c. 6. & alia verba apud eundem c. 51. *Curauimus Babylonem, & non est sanata, derelinquamus eam.* & comminatio illa apud Matth. 23. *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alis, & noluisti. ideo relinquetur vobis domus vestra deserta.* & aliæ similes comminationes Euangelicæ, & illæ Salomonis in Prouerbiis 1. & Amos cap. 8.

Adrianus.

VII. Quartus modus est, quem adhibet doctissimus Pater Andreas Vega. quod pleræque ex autoritatibus citatis, quibus indicatur, Deum quibusdam peccatoribus minimè parcere voluisse, sint intelligendæ per modum propheticæ prædictionis: quia nimirum Deus finalem eorum præuidebat impœnitentiam, & ideo prædixit illorum peccata nunquam fore illis dimittenda, non autem quòd sit aliquod peccatum tam graue, quod verè pœnitentibus ille noluerit, aut nunc etiam nolit indulgere. præuidit enim Deus peccata reproborum non fore dimittenda ob illorum impœnitentiam, & verè potuit prædicere, quòd illorum peccata non essent dimittenda; & tamen hoc dici non potest, illorum peccata absolutè fuisse irremissibilia.

Andreas Vega.

VIII. Iuxta hos modos dicendi optimè, & facilè exponi possunt testimonia pro sententia hæreticorum inducta, exceptis secundo, & vltimo, quæ forsan videbuntur peculiarem solutionem & declarationem desiderare. vnde

Ad secundum respondetur, falsum esse, quòd in lege veteri etiam pro peccatis ex malitia admissis non præferiberentur sacrificia, vt colligi potest ex Leuitici cap. 6. Maiorem nobis ingerunt difficultatem verba illa Pauli, *Voluntariè peccantibus nobis iam non relinquitur pro peccatis hostia.* Nihilominus dicitur cum Augustino in inchoata expositione epistolæ ad Romanos, Cyrillo lib. 5. in Ioannem, & Chrysostomo relato in Glossa illius loci, per hæc verba non negari pœnitentiam voluntariè peccantibus post Baptismum. sed negari secundum Baptismum, quem Paulus vocat hostiam, quia Baptismus est figura Passionis Christi, qui semetipsum obtulit hostiam pro nobis Deo Patri: per Baptismum enim homo commoritur, & consepelitur ipsi Christo, vt per illum, & cum illo viuificetur, vt Paulus ad Roman. cap. 6. ait, & per Baptismum Christi Passio nobis totaliter applicatur.

Augustin. Cyrill. Glossa.

Dicetur, Apostolum dicere, quòd voluntariè peccantibus post acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur pro peccatis hostia. vnde non potest hunc sensum intendere, quòd non relinquatur illis secundus Baptismus: quia ille nulli semel baptizato relinquitur, siue ille peccet ex voluntate, & malitia, siue ex fragilitate, siue ex ignorantia.

Respondeo, Paulum non comparare peccatum voluntariè admissum cum peccato admisso ex fragilitate, aut ex ignorantia, sed comparare peccatum hominis existentis sub lege Euangelica cum peccato hominis existentis sub lege Moysis, quod peccatum ratione abundantioris gratiæ, & clarioris notitiæ, quæ sub lege Euangelica habentur, plusquam haberentur sub lege Moysis, dicitur peccatum voluntarium, quasi illa peccata, quæ sub veteri lege admittebantur, minus haberent de voluntario.

Secundò respondetur cum Glossa ordinaria, Apostolum per voluntariè peccantes non intelligere omnes voluntate peccantes, nullum enim est peccatum non voluntarium: sed intelligere eos, qui peccantes retinent voluntatem perseuerantem in peccato, quibus nulla relinquitur pro peccatis hostia, & propitiatio.

Ad vltimum verò respondetur omissis multis, quæ dici possent de peccato ad mortem, veram eius loci intelligentiam esse, vt nomine peccati ad mortem intelligatur peccatum lethale, in quo aliquis finaliter moritur. Alia multa videri possunt ad hoc propositum spectantia apud Vegam loco citato cap. 11. Cardinal. Bellarm. dicto lib. 2. de Pœnitentia cap. 16. & Suarez disput. 8. per totam. IX.

Andreas Vega. Bellarm. Suarez.

CAPVT XIX.

Nullum quantumuis impium in hac vita sufficientibus auxiliis ad salutem necessariis à Deo esse destitutum.

NOn modò nullum in hac vita est peccatum, quantumuis graue illud sit, cuius per veram pœnitentiam homo indulgentiam à Deo non valeat obtinere, sed nullus etiam est quantuncunque nequissimus, & peraitissimus peccator, quem Deus, quandiu est in cursu huius vitæ constitutus, auxiliis ad resurgendum opportunis, & ad salutem assequendam necessariis penitus destituat. atque ita arbitror secundùm fidem Catholicam sentiendum esse, licèt oppositum dixerint nonnulli tum hæretici, tum etiam viri alioqui Catholici, & pij. Nam ex hæreticis Prædestinati dicebant, nullos reprobos habere auxilium sufficiens ad salutem, aut ad peccata cuitanda, sed omnibus auxiliis diuinis destitutos esse, ita vt nihil nisi malum facere possint: immo non possint non facere peccata, quæ de facto admittunt, Deo sic ordinante, & disponente. quem errorem hauserunt ex quibusdam sententiis Augustini ad illorum sensum detortis, quas inferiùs adducemus. Eundem errorem secuti sunt VVicleff, Ioannes Hus, & aliquando Lutherus, & nouissimè Caluinus, vt non semel aduertimus. I.

Inter Doctores Catholicos sunt nonnulli, qui etsi existiment, omnia peccata de lege Dei ordinaria esse irremissibilia, asserant tamen, posse hominem ad eam peccatorum metam deuenire, vt ob illa priuetur à Deo auxiliis supernaturalibus ad salutem sufficientibus, & necessariis, ita vt etiamsi velit, pœnitentiam agere non possit, & saluari.

Et

Et hoc inquiunt esse, quod sæpe docent diuinæ Scripturæ, Deum quosdam peccatores deserere, & tradere in reprobum sensum, & illos despicere, & à se abucere. immo & stomachari. ita dixerunt Henricus Gandauensis quodlibeto 8. q. 5. Gregor. Arimin. in 1. d. 46. Tostatus Episcopus Abulensis in cap. 4. lib. Exodi q. 12. Rophensis contra Lutheri articulum 36. Ruardus Taper art. 7. per multas paginas. quanuis enim hanc quæstionem problematicè videatur ad vtramque partem defendere: tamen pagina mihi 253. quæ est Louanienſis editionis, in hanc opinionem magis propendit, putans esse magis consentaneam doctrinæ D. Augustini, Patrũ & Conciliis, quam didicit ex suo Magistro Ioanne Driedone in lib. de Captiuitate, & redemptione generis humani communiter à recentioribus citato, & sequitur Caietanus in cap. 12. D. Ioannis circa illa verba, *Et non poterant credere*, &c. ita fortasse sensit Armacanus lib. 9. de erroribus Armenorum cap. 27. cùm dixit, deuenire homines ad quandam metam peccatorum, ad quam cùm deuenerint, Deus non vult ampliùs illorum misereri.

Henricus. Greg. Arim. Tostatus. Rophens. Ruard. Taper. Driedo. Caietan. Armacan.

II. Alij verò Catholici, vt huius opinionis duritiem vtcunque moderari videantur, distinguũt inter adultos, & paruulos, & rursus distinguunt inter eos paruulos, qui moriuntur in vteris matrum, aut aliis modis, ita vt per diligentiam humanam illis minimè potuerit sacramentum Baptismi applicari, & illos, quibus poterat Baptismus applicari, sed per negligentiam illorum, quorum curæ erant commissi, non fuit illis applicatus. Et quidem si sermo sit de adultis, vel etiam de paruulis, quibus per humanam diligentiam succurri minimè potuit, hos fatentur fuisse à Deo destitutos auxilijs ad salutem sufficientibus, etiam necessariis. Loquendo verò de aliis paruulis, quibus per humanam diligentiam succurri minimè potuit, hos fatentur fuisse à Deo destitutos auxilijs ad salutem sufficientibus, etiam necessariis. ita sentit Vasquez 1. part. disp. 95. cap. 6. & tota disp. 96.

Vasquez.

Alij verò distinguunt inter dare, quod dicit relationem ad accipere, & dare, quod significat aliquid offerre. aiunt itaque, si dare dicat relationem ad verbum accipere, Deum non omnibus dare auxilium sufficiens. Si autem dicat idem, quod offerre, & esse paratum ad dandum, contendunt. Deum dare omnibus auxilia sufficientia, & necessaria ad salutem. ita Dominicus Bañes 1. part. quæst. 23. art. 3. conclusione 8. & 9. Trigosius quæst. 18. art. 8. dub. 4. & Aluarez disp. 112. de Auxilijs, qui tamen sequenti disputatione dicit, quòd quibus Deus in tempore de facto minimè dat talia auxilia, ab æterno decreuit illa minimè illis dare etiam ante inspecta illorum mala opera, quod non intelligo, quomodo non sit facere Deum delusorem hominum, qui largè & promptè illis offerat, quæ minimè velle dare decreuit.

Bañes. Trigosius. Aluarez.

III. Hæ omnes opiniones quoad id, in quo conueniunt, esse aliquos in hac vita auxilijs sufficientibus, & ad salutem necessarijs à Deo destitutos, videntur apparentibus diuinæ Scripturæ, & Patrum testimoniis, & Theologicis rationibus satis validis suffultæ, quas infrà simul cum responsionibus ad singulas mutuis repetitionis vitandæ causa adducemus. Nunc pro dubij solutione quædam præmittenda sunt. Et primò præmittere oportet, inter diuina auxilia esse latitudinem, sunt nanque alia externa, alia interna, alia remota, & mediata, alia propinqua, & immediata, quæ vt omnia quantum per ingenij nostri tenuitatem conceditur, certo aliquo ordine graduum, & numero perstringamus, dicimus ad septem genera esse reducenda septenario illo numero diuinarum vocationum à Dauide comprehensa Psalmo illo 28. qui incipit, *Afferte Domino filij Dei*, cùm ait, *Vox Domini super aquas, vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia, vox Domini confringentis cedros, vox Domini intercidentis flammam ignis, vox Domini concutientis desertum, vox Domini præparantis ceruos.* Supponimus autem Dei vocem idem significare iuxta euangelicam sententiam, atque diuinum auxilium, quo Deus hominem ad se vocat, cui prædestinatus aures cordis aperit, & sequitur: *Reprobus autem easdem aures obstruit, & refugit*, iuxta illud Saluatoris apud D. Ioannem cap. 10. *Oues meæ vocem meam audiunt, & vos non creditis, quia non estis ex ouibus meis.*

IV. In primo itaque gradu diuinorum auxiliorum, quibus Deus hominem ad se vocat, & trahere nititur, constituenda est rerum visibilium vniuersitas, & mundi huius visibilis pulchritudo; rerum nanque vniuersitatem aquarum nomine innuit diuina Scriptura. Genesis 1. cùm ait: *Spiritus Domini ferebatur super aquas.* Est itaque mundi huius visibilis, & rerum à Deo creatarum bonitas, speciositas, & ordo vox quædam, qua Deus hominem ad se reuocat. Spiritus enim Domini repleuit orbem terrarum, & hoc scilicet vniuersum, quod continet omnia, scientiam habet vocis. Estque primum auxilium, quod Deus tribuit homini, paratus tribuere secundum, si hoc primo bene vtatur. & quanuis hoc auxilium quoad substantiam ordinis sit naturalis, tamen ex diuina directione & prædestinatione potest inter auxilia supernaturalia numerari, sicut lib. præcedenti dictum est, cùm loquerer ut de effectibus prædestinationis. Hinc Augustinus: *Cœlum, inquit, & terra, & omnia, quæ in eis sunt, mihi dicunt, vt diligam te Deus meus.* & de sanctissimo illo eremi cultore Antonio, cuius simplicitatem ipse Augustinus in libris Confessionum præfert multorum sapientum doctrinis, ad sese in Dei amorem excitandum nullo alio vtebatur libro, quàm mundi huius visibilis contemplatione. *Mens*, aiebat, *liber est mundi machina.* Est enim mundi visibilis pulchritudo participata quædam diuinitatis imago, vt Plato ait in Conuiuio, aut saltem diuinitatis vestigium, vt Theologi fatentur. Plutarchus etiam lib. 1. de placitis Philosophorum ait, mundi visibilis pulchritudinem fuisse primam ducem ad diuinam cognitionem assequendam. Atque ob hãc causam diuina Scriptura idololatras inexcusabiles reddit, quòd veri Dei cultu neglecto idola coluerint. *A magnitudine enim speciei*, ait Sapiẽs in lib. Sapient. cap. 13. *& creaturæ cognoscibiliter poterit horum creator videri.* & Paulus ad Roman. 1. *Inuisibilia enim ipsius à creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus, & diuinitas, ita vt inexcusabiles sint, qui cùm cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt.* his enim auxiliis si homo benè vteretur, Deus maiora tribueret.

V. In secundo gradu ponenda sunt miracula, de quibus ait Vates: *Vox Domini in virtute.* Miracula nanque virtutum nomine appellare frequentissimus est vsus diuinæ Scripturæ. Atque ista est diuinæ prouidentiæ in procuranda hominum salute solicitudo, vt quos primi generis auxilia non sufficiunt

ſufficiunt excitare,& ad ſe reuocare, eis ſecundi generis auxilia adhibeat, iuxta ſententiam D. Auguſtini tractatu 24. in Ioannem dicentis: *Secundum ſuam miſericordiam ſeruauit ſibi quædam, quæ faceret opportuno tempore, præter viſitatum curſum, & ordinem rerum, vt non maiora, ſed inſolita videndo, ſtuperent, quibus quotidiana vilueruut.* Auguſtin.

In tertio ordine & gradu conſtituenda ſunt peculiaria quædam beneficia ſpeciali quodam modo vni præ altero à Deo collata, quæ non incongruè denotantur per vocē diuinæ magnificentię, ſiquidē Dei magnificentia in parcēdo,& benefaciendo potiſſimū ſplendet, iuxta illud Iſaiæ 30. *Expectat Dominus vt miſereatur veſtri: & ideo exaltabitur parcens vobis.* Eiuſmodi ſunt optima animi,& corporis indoles, ingenij acumen, bona parentum educatio, bona etiam fortunæ,& multa id genus auxilia,quibus Deus ſæpiſſimè vtitur ad promouendos homines ad ſalutem, quæ licèt videantur ſecundùm ſubſtantiam ordinis naturalis, tamen ex diuina directione ſunt auxilia ſupernaturalia,quæ ſæpe ſunt effectus diuinæ prædeſtinationis, vt Auguſtinus lib.6.cap. 2. relatus ait. atque hi ſunt funiculi illi, quibus multoties Deus peccatorem ad ſe trahit, de quibus Oſeas cap.11. ait, *In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis*: funiculi autem Adam ſunt funiculi beneficiorum, quibus mentes humanæ potiſſimum deuinciuntur: nomen enim Adam ibi appellatiuum, non proprium eſt,& idem eſt in funiculis Adam,quod in funiculis hominum. Atque hanc eſſe germanam eius loci intelligentiam, colligitur ex aliis verbis diuinæ Scripturæ lib.2. Regum cap. 7. vbi Dauid Dei beneficia ſibi collata commemorans ait: *Sed & hoc parum viſum eſt in conſpectu tuo, niſi loquereris etiam de domo ſeruis tui in longinquum. Iſta enim eſt lex Adam Domine Deus.*

In quarto conſtituenda ſunt flagella, quibus peccatores in hac vita corripit ad emendationem, quibus ſæpiſſimè peccatorum impœnitentium faſtum deprimit, & ſuperbiam frangit, quæ Cedrorum hieroglyphico pingitur Pſalmo 36. cùm ait: *Vidi impium eleuatum, & exaltatum ſicut Cedros Libani, & tranſiui, &c.* & ob hanc cauſam diuina flagella appoſitiſſimè vocantur voces Domini confringentes Cedros. Ea verò eſſe efficaciſſima auxilia, quibus Deus quamplures errantes ad viam ſalutis reuocat,& pœnitentiam de admiſſis criminibus agere compellit, res in diuina Scriptura magis eſt manifeſta, quàm vt probatione aliqua indigeat.

In quinto ponuntur diuina verba, quibus per ſuos præconēs Deus impios ad pœnitentiam vocat. *Eſt enim viuus ſermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti.* vt Paulus ait, & Ieremiæ cap.23. *Nunquid*, inquit Deus, *non verba mea ſunt quaſi ignis ardens, & quaſi malleus conterens petras.* Atque ſub hoc gradu, & genere continentur prædicatio Euangelij, amicorum conſilia, increpationes, exhortationes, & alia id genus quæ inter ſupernaturalia Dei auxilia non eſt dubium debere connumerari.

In ſexto internæ Dei illuſtrationes, pulſationes, terrores, bonæ cogitationes, & piæ affectiones, quas nobis immittit vel per ſeipſum immediatè, vel per ſanctos Angelos cuſtodes, quibus corda peccatorum concutit, quæ deſerti nomine ſignificantur in Scriptura.

Atque tandem in vltimo ordine ſunt peculiariſſimæ quædam, & efficaciſſimæ illuſtrationes, quibus Deus quaſi miraculo hominem illuminat ad peccata intelligenda, & piæ affectiones, quibus præter conſuetum curſum, & ordinem ad ſe conuertit, quibus auxiliis conuertit Paulum, Auguſtinum, & alios quoſdam. Iſtæ ſunt voces Domini præparantis ceruos, quæ ad literam ſunt voces tonitrui, & fulguris, quibus Deus ceruæ parturienti obſtetricatur, vt illorum timore perculſa partus dolorem non ita ſentiat grauem, quemadmodum naturales Philoſophi docent. Ad hæc ſeptem genera omnia diuina auxilia, quibus Deus noſtram ſalutem operatur, facilè poſſunt reduci.

VI. Secundò præmittere oportet, quòd quemadmodum in generatione naturali non ſtatim inducitur forma in ſubiectum, ſed priùs inducuntur diſpoſitiones, atque in illis inducendis talis ſeruatur ordo, vt priùs inducantur remotæ, deinde illis mediantibus propinquæ, vſque ad immediatas, quibus poſitis in ſubiecto ſtatim ponitur forma: ita in iuſtificatione impij, quæ ſupernaturalis quædam eſt hominis generatio, non ſtatim inducitur forma, quæ eſt gratia iuſtificans, ſed inducuntur priùs in anima præuiæ quædam diſpoſitiones, ſaltem loquendo de lege ordinaria, in quibus inducendis non à proximioribus, & immediatis incipit,ſed à remotioribus paulatim procedendo ad propinquas. Id verò efficit per ſupernaturalia auxilia, quæ homini confert, quibus mediantibus illius ſalutem operatur. Quare etiam in conferendis ſuis auxiliis non ſtatim à maioribus incipit,ſed à minoribus ad maiora procedendo. Primò itaque incipit conferre minima auxilia, expectátque, vt videat, an homo benè illis vtatur. quod ſi effecerit, maiora ſtatim confert, & rurſus maiora vſque ad conſummatum opus noſtræ iuſtificationis. Ei autem, qui minoribus non benè vtitur, maiora minimè confert: quia qui in modico fidelis non eſt, neque in multo fidelis eſt cenſendus, & ignis, qui ſecundum gradum caloris introducere non valet, nec tertium, nec quartum poterit introducere.

VII. Tertiò ſupponendum eſt, ad hoc, vt aliquis finis fuerit volitus, & intentus per diuinam prouidentiam,neceſſe non eſſe,vt impediat concurſum omnium ſecundarum cauſarum, quæ poſſunt eiuſdem finis aſſecutionem impedire: ſed ſufficere, quòd per diuinam prouidentiam res ſint ordinatæ in ſuos fines, & quòd ſint ipſis præparata media, & auxilia opportuna, & neceſſaria, quibus mediantibus in eoſdem fines tendere poſſint, & illos ſint infallibiliter aſſecuturæ, niſi ab aliqua ſecunda cauſa contingenter, aut liberè impediantur ab huiuſmodi aſſecutione, quod applicando ſubiectæ materiæ, de qua nunc ſermo eſt, dicimus,ad hoc, vt Deus dicatur verè, & propriè voluiſſe, & velle omnium, & ſingulorum hominum ſalutem voluntate ſaltem antecedenti inefficaci, neceſſe non eſſe, omnes de facto talem finem aſſequi, ſed ſufficere, ſi omnes ad finem ſupernaturalem ordinauerit, & media opportuna,& neceſſaria ad eiuſmodi finem aſſequendum præparauerit. Rurſus ad hoc,vt verè dicatur talia media omnibus præparaſſe, neceſſe non eſt, eadem media omnibus de facto applicari: ſed ſufficit, quòd ita ſint præparata, vt niſi per aliquam ſecundam cauſam contingenter impediatur illorum applicatio, illa futura ſit certò, & infallibiliter. alioquin ſequeretur, quòd ſi quis adultus etiam baptizatus in mortali exiſtens repentino caſu domus corruentis, aut alterius ſimilis cauſæ moreretur, antequam poſſet de proprio peccato aliquid

aliquid cogitare, & pœnitere, tali modo ex hac vita decedenti, non esset præparatum sufficiens auxilium ad salutem, propter hoc, quia Deus non tenuit miraculo domum, quam præuidebat tuituram, & cùm posset noluit tenere. His itaque præmissis proposita difficultas sequentibus propositionibus sic nobis videtur resoluenda.

CAPVT XX.

Proposita dubitatio per conclusiones resoluitur.

I. PRima propositio: Deus tribuit omnibus auxilium necessarium, & sufficiens ad salutem, etiam paruulis in vteris maternis decedentibus, quatenus tribuere idem significat, quod præparare, offerre, & paratum esse, quantum ex ipso est, ad actu tribuendum. Hanc propositionem probo veram esse tum generaliter de omnibus hominibus, tum specialiter de paruulis, qui in vteris maternis ex hac vita decedunt, contra Vasquez asserentem, huiusmodi infantes statim post præuisum peccatum Adæ fuisse à gratia reprobatos, & talis reprobationis primum effectum fuisse, denegare illis auxilium sufficiens, quo possent saluari, & in hoc nullum Doctorem discordare, exceptis nonnullis recentioribus. quod an verum sit, statim dicemus. Probatur itaque primo loco definitionibus Concilij primi Nicæni & Romani sub Cornelio Papa, in quibus definitum fuit, quemlibet hominem, quandiu est in hac vita, posse saluari; & habentur eiusmodi definitiones in vtroque Concilio cap. 8. & illas renouauit Concilium Lateranense sub Innocentio tertio in cap. firmiter. de summa Trinitate & fide Catholica. Et licèt mens præcipua dictorum Conciliorum fuerit damnare errorem Montani, & Nouatii: tamen etiam virtualiter hanc propositionem definiuerunt. nam definiuerunt tanquam dogma fidei, quòd omnes homines, quandiu sunt in hac vita, possunt saluari, & quòd illis patet aditus ad vitam: sed sine auxilio supernaturali nullus potest saluari, & nulli patet aditus ad vitam. Ergo virtualiter definitum est, nullum esse hominem in hac vita destitutum auxiliis supernaturalibus ad salutem necessariis.

Concil. Nicen. Concil. Roman. Concil. Lateran.

II. Secundò probatur apertissimis testimoniis diuinæ Scripturæ, quæ passim docet, omnes à Deo vocari, & omnibus promitti veniam, & vitam, vt ex plerisque locis sacrorum librorum deduximus lib. 5. tot. a controuersia tertia. Ergo Deus ex se paratus est tribuere omnibus auxilia ad salutem necessaria. Quòd si dicatur, ab eiusmodi promissionibus excipi grauissimos quosdam peccatores, quos diuina Scriptura dicit, à Deo proiectos, & traditos in reprobum sensum, obduratos, & excæcatos. Contra hanc responsionem est valida instantia, nam isti, quos diuina Scriptura vocat proiectos à Deo, & obduratos, & excæcatos, non fuerunt à Deo priuati auxiliis ad salutem necessariis. Ergo multo minus alij. Probo antecedens. Exodi cap. 3. & 9. & ad Roman. cap. 9. dicitur, Deum induxisse cor Pharaonis, vt ostenderet in illo virtutem suam, & Augustinus in lib. expositionis quarundam propositionum exceptarum ex epistola Pauli ad Roman. propositione 62. inquit, quòd Pharaoni non imputatur, quòd tunc non obtemperauit, quandoquidem obdurato corde obtemperare non potuit. Eodem modo Paulus in Actis cap. 14. verba faciens de idololatris existentibus ante diluuium, & in terra promissionis, quos Deus ante faciem populi Israëlitici subuertit, videtur dicere, illos fuisse derelictos, cùm ait, Deum in præteritis generationibus permisisse Gentes ingredi viam suam. Verùm illos non solùm non fuisse à Deo derelictos, sed etiam cum maxima attentione, & patientia illorum salutem Deum procurasse per eadem flagella, quibus illi corripiebantur, docet Sapiens tam aperte, & tam assueuerater in lib. Sapientiæ cap. 12. vt qui illud caput vel in superficie viderit, non possit non mirari, alicui Doctori Catholico, potuisse oppositum in mentem venire.

III. Confirmatur ratio expressa autoritate D. Augustini in lib. de Prædestinatione & Gratia cap. 15, cuius verba referuntur in cap. Nabuchodonosor 23. quæst. 4. vbi comparatione facta inter Nabuchodonosor, & Pharaonem ostendit, omnia diuina auxilia, quibus Deus Nabuchodonosor ad pœnitentiam reuocauit, fuisse etiam ipsi Pharaoni oblata, ex qua comparatione tandem sic concludit: *Quid ergo fuit eorum facit esse diuersos, nisi quia vnus manum Dei sentiens in recordatione propriæ iniquitatis ingemuit: alter libero contra Dei gratiam pugnauit arbitrio.* & quod nonnulli aiunt, illum librum non esse D. Augustini, vel quòd discrepet ab illius phrasi, vel quòd contineat doctrinam contrariam doctrinæ eiusdem Augustini, vel quòd nulla fuerit Augustino causa illum librum scribendi, qui tam copiosè scripserat de prædestinatione Sanctorum, vel tandem quòd neque à Possidio, neque à Beda, neque ab aliquo antiquo scriptore testimonium habeat, leue admodum est. nam ad primam illorum rationem, si tempus hîc permitteret, ostendere possemus, multas integras sententias, quæ in aliis libris Augustini continentur, in illo etiam haberi. & præterea quis autor eadem phrasi semper in suis dictis, aut scriptis vsus est: maximè de illis loquendo, qui diuturna longissimáque exercitatione in legendo, disputando, & scribendo cultiores, & doctiores, & in dicendo, ac scribendo grauiores, & pressiores fiùt: quíque tam varium tam multiplex argumentum tractant, modò ad populos concionem habent, modò in scholis discipulos instruunt, modò cum aduersariis congrediuntur: qui si eadem phrasi, eodémque genere dicendi, ac scribendi vti semper vellent, neque id possent efficere, neque si efficerent, laudi illis verteretur, sed vitio, sicut si quis eodem genere dicendi, ac eadem phrasi iurgia Dametæ ac Menalcæ, & prælia Hectoris atque Achillis decantaret. Legatur ipse Augustinus in initio libri primi de Genesi contra Manichæ. vbi reddit rationem, quare non in omnibus libris eundem seruauerit stylum.

III. Augustin.

Ad secundum dico, falsum esse illum librum continere doctrinam contrariam doctrinæ D. Augustini. licèt enim cap. 16. dicat, si vellet Deus, eum iure creationis, seu dominij, quod in suam creaturam habet, posse, & potuisse hominem ad pœnas inferni damnare absque peccato, id tamen non est contrarium ei, quod docet in epistola 105. & 106. & de Peccatorum meritis & remissione lib. 2. cap. 16. quia in illis loquitur de facto, & secundùm ea, quæ Deus facit de potentia, & lege ordinaria. In illo autem libro loquitur solùm de possibili, & de potentia absoluta. Immo verò si verba Augustini ponderentur, adeò sobria, & circunspecta sunt, vt nihil magis. *Si humanum*, inquit, *genus, quod creatum primitus constat ex nihilo, non cum debita mortis, & peccati origine nasceretur, & tamen ex eis creator omnipotens in æternum nonnullos damna-*

August.

ro vellet interitum, quis omnipotenti creatori diceret, quare fecisti sic? quis enim cùm non essent, esse donauerat, quo fine essent, habuit potestatem. Et modus loquendi similis est modo loquendi Pauli, cùm ait: *Nunquid dicit figmentum ei, qui se finxit, quare me fecisti sic.* Quæ verba ibi Augustinus citat.

Ad tertium dico, non constare, quòd Augustinus illum librum scripserit post librum de prædestinatione sanctorum. Immo crediderim illum antea scripsisse, neque superfluè de eadem materia pluries illum scribere, cùm non eadem in hoc, & in illis libris tractet quæstiones. Constat etiam, Augustinum de eadem re sæpe scripsisse, & pluribus in locis, nec vllus vitio hoc illi vertit.

Ad quartum dico, neque Possidium, neque Bedam omnes Augustini libros recensuisse, neque Augustinum ipsum illorum omnium meminisse in suis Retractationibus. Addo tot libros ab Augustino iuxta varias occasiones fuisse conscriptos, vt nec ille eorum numerum sciret, sicut ipsemet scribit in epistola ad Quoduultdeum, quæ habetur tomo 6. in initio ante librum de hæresibus. Quòd autem liber de Prædestinatione, & gratia non habeat testimonium ab aliquo graui autore antiquo, id fortè fuit in causa, quòd prisci imprelloriæ artis beneficio nondum potiebantur.

Gratianus. habet autem testimonium à Gratiano, qui illud supponit esse opus Augustini, qui fuit ante quadringentos, & quinquaginta annos.

IV. Tertiò probatur eadem propositio aliis testimoniis diuinæ Scripturæ, quibus videtur Deus oppositam sententiam data opera eniti ex mentibus hominum conuellere. Eiusmodi est illud, quod habetur Ezechiel. 33. vbi Iudæis apud se submurmurantibus, ac dicentibus: *Iniquitates nostræ, & peccata nostra super nos sunt, & in ipsis tabescimus, quomodo ergo viuere poterimus? Dominus respondit: Nolo mortem impij, sed vt conuertatur impius a via sua, & viuat.* Eiusmodi est illud, quod sub metaphora meretricis nefandissimæ habetur apud eundem Ezechielem cap. 16. per totum, quam Deus comminatur velle se à facie sua in sempiternum proiicere: & nihilominus tandem sic concludit: *Et suscitabo ego pactum meum tecum, & scies, quia ego Dominus, vt recorderis, & confundaris, & non sit tibi vltrà aperire os tuum pre confusione tua, cùm placatus tibi fuero in omnibus, quæ fecisti, ait Dominus Deus.* Similia legi possunt apud Ieremiam cap. 3. & Oseam cap. 2. & alibi.

Quartò Christus est omnium hominum Redemptor. Ad Roman. cap. 5. epistolæ 2. ad Corinth. cap. 5. 1. ad Timoth. cap. 3. 1. Ioannis cap. 2. vanè autem diceretur passus pro omnibus, & omnium Redemptor, nisi omnibus remedia saltem sufficientia, & necessaria præparasset, quibus ipsa Christi passio, & redemptio illis posset applicari.

Quintò probatur, quia si admittamus, esse aliquos destitutos à Deo auxiliis ad salutem sufficientibus, sequitur, illos non posse peccare speciale peccatum impœnitentiæ, siue quod idem est, non peccare, non agendo pœnitentiam de peccatis admissis contra autoritatem D. Pauli dicentis: *An ignoras, quòd benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit: tu autem secundùm duritiam tuam, & impœnitens cor tuum thesaurizas tibi,* &c. Sequela probatur, quia nullus peccat non præstans, quod præstare non potest: at sine auxilio supernaturali nullus potest dignè pœnitere. Videatur D. Augustinus sermo. 11. de verbis Domini.

Sextò probatur autoritatibus D. Augustini in lib. de Correptione, & gratia cap. 15. & tract. 11. in Ioan. cuius verba refert Gratianus in caput corripiantur 24. quæst. 3. & cap. recurrat. 32. q. 4. & lib. 1. Retractat. cap. 19. & Leonis Papæ primi epistola 90. cuius verba referuntur in cap. ancillam 32. quæst. 2. & cap. nemo de Pœnitentia d. 7. iunctis aliis, quæ habentur apud Gratianum eadem distinctione, & apud Magistrum sententiarum in 2. d. 43. illi enim docent, de nullius salute esse desperandum, quandiu in hoc corpore constitutus est. & verba Augustini in lib. Retractationum citato sunt ista: *De quocunque pessimo in hac vita constituto non est desperandum, neque pro illo imprudenter oratur, de quo non desperatur.* Certè Ecclesia orat pro conuersione, & salute omnium peccatorum, etiam infidelium. Ergo nullius salus desperata est, quandiu in hac vita est, aliàs Ecclesia pro desperatis oraret.

CAPVT XXI.

Nullum paruulorum, etiam in vteris maternis morientium, destitutum esse à Deo auxiliis necessariis ad salutem.

NVnc specialiter probanda est eadem prima propositio quoad paruulos, & specialiter quoad illos, qui in vtero materno sine sacramento migrant ex hac vita. Ea verò probatur vulgato D. Pauli testimonio ad Timoth. epistola 1. cap. 2. dicentis: *Qui vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Idem autem est Deum velle omnes homines saluos fieri, & Deum velle omnibus auxilia necessaria ad salutem. Scio, dicit Vasquez, hoc testimonium esse intelligendum de solis adultis, non de paruulis. sed huius responsionis vanitatem arguit D. Augustinus, dicens: *Nunquid paruuli homines non sunt, vt non pertineant ad illud, quod dictum est: Qui vult omnes homines saluos fieri.* & D. Prosper quem ille pro se citat lib. 2. de vocatione Gentium cap. 20. vbi verba Apostoli docet intelligenda esse etiam de paruulis, & cap. 23. vbi nostram conclusionem in terminis probat eodem testimonio Apostoli, & cap. 25. vbi docet eandem sententiam Pauli generaliter ad omnes pertinere, & ob id concludit, Dei gratiam nulli vnquam fuisse denegatam, licèt in aliis præualuerit ipsa Dei gratia, in aliis resiluerit natura. & cap. vltimo, vbi sic concludit: *Deus enim, qui vult omnes ad agnitionem veritatis venire, non potest quenquam sine iniustitia refutare.* Legantur etiam illius verba suprà toto cap. 2. eiusdem libri. Eiusdem quoque responsionis vanitatem redarguit communis omnium Patrum expositio. Redarguit Apostolus ipse in verbis sequentibus subiungit nanque statim. *Vnus enim Deus, vnus & mediator hominum homo Christus Iesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* Nam Christus non pro solis adultis, sed etiam pro paruulis dedit seipsum redemptionem. & profectò quis Philosophus non rideat audiens hanc glossam, *Deus vult omnes homines*, id est adultos, saluos fieri, an paruuli (vt Augustinus arguit) homines minimè sunt, vt sub nomine hominum minimè veniant comprehendi? quis etiam Theologus hanc violentiam diuinæ Scripturæ manifestè illatam ferat? si enim hæc verba, *Deus vult omnes homines saluos fieri*, possunt glossari vt intelligantur de solis adultis, cur non simili modo glossanda sunt illa: *Qui crediderit, & baptizatus*

I.

August.

Prosper.

baptizatus fuerit, saluus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur. & illa, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, nō potest introire in regnum cœlorum.* & illa, *Omnes homines in Adam moriuntur.* & illa, *Omnes in Christo viuificabuntur.* maximè quòd non amplior is efficaciæ dicendum est fuisse Adam ad perdendum, quàm fuerit Christus ad viuificandum, dicente Paulo ad Roman. cap. 5. *Sed non sicut delictum, ita & donum.*

II. Immo deduci hinc potest secundum argumẽtum ad eandem veritatem confirmandã, illudque efficacissimum. Christus est omnium hominum Redemptor, & dedit semetipsum pro omnibus, & ipse est propitiatio pro peccatis totius mundi, & hoc absque vlla distinctione, & exceptione adultorum, aut paruulorum, saltem quoad sufficientiã: ita enim expressè ait Paulus ad Roman. c. 5. *Quòd sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem, sic & per vnius iustitiam in omnes homines in iustificationem.* & 1. ad Corinth. 15. *Christus resurrexit à mortuis primitiæ dormientium: quoniã sicut per hominem mors, ita & per hominem resurrectio mortuorum, & sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur.* & epist. 2. c. 5. *Quoniã si vnus pro omnibus mortuus est. Ergo omnes mortui sunt. pro omnibus mortuus est Christus, vt qui viuunt, iam non sibi viuãt, sed ei, qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit.* Ponderanda omnino sunt verba illa, *Si vnus pro omnibus mortuus est.* Ergo omnes mortui sunt. Si enim valet hæc Apostoli argumentatio, valet etiã à contrario, Christus non pro omnibus mortuus est, demonstratis paruulis morientibus in vteris maternis. Ergo illi pro quibus ipse non est mortuus, mortui non sunt. quæ erat hæresis Pelagij dicentis, paruulos non contrahere peccatum originale. & cùm non habentes peccatum actuale ex hac vita decedunt, non egere beneficio redemptionis Christi. & epist. 1. ad Tim. 4. *Qui est redemptor omnium maximè fidelium.* & D. Ioan. epist. 1. c. 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.* Omnes autem istæ sententiæ vnum manifestè supponũt, eos, pro quibus Christus mortuus non est, & quorum Redemptor non est, pro quibus sanguinem non fudit, in Adam mortuos non esse: cùm dicãt, Christum mortuum esse pro omnibus illis, qui in Adam mortui sunt. Si ergo pro paruulis in vteris maternis ex hac vita migrantibus Christus mortuus non est, neque illi in Adam mortui sunt.

III. Huic argumento respondet Vasquez, Christum pro omnibus mortuum esse, non quòd omnibus, etiam paruulis, salutem voluerit, & remedia, quæ illis possent applicari, desideraverit: sed quantum spectat ad magnitudinem pretij, & ad vnam & eandem causam generis humani susceptam. contenditque hanc esse responsionem D. Prosperi ad obiectiones Vincentianas ad primum, & ad Capitula Gallorum ad 9.

Fateor in illo libello ad obiectiones Vincentianas, siue ille sit Prosperi, siue Augustini, ad articulos sibi falsò impositos, haberi hæc verba. *Quod ergo ad magnitudinem, & potentiã pretij, & quod ad vnã pertinet causam generis humani, sanguis Christi redemptio est totius mundi.* At hoc concesso non negat tamen, quòd omnibus etiam paruulis salutem, & media ad salutem necessaria voluntate saltem inefficaci non exoptauerit. fatentur Augustinus, & Prosper, immo Catholici omnes, proprietatem redemptionis, quã nos vocamus efficaciã, penes solos prædestinatos manere. quis hoc ignorat? Verùm quoad illius sufficientiã, & quoad desiderium saltẽ ineffícax, omnes saluandi, aliter loquuntur. Audiantur verba sequentia eiusdẽ Prosperi ad primã obiectionem Vincentianã. *Cum itaque propter vnam omnium naturam, & vnã omnium causam à Domino nostro in veritate susceptã recte omnes dicantur redempti, & tamẽ non omnes a captiuitate sint eruti, redemptionis proprietas haud dubiè penes illos est, de quibus princeps mundi mussus est foras, & iã non vasa Diaboli, sed membra sunt Christi.* Dicat obsecro hic autor, quomodo in veritate susceperit Christus vnã omnium hominum causam tractandam apud Patrem, si ex corde non habuit voluntatẽ, & desiderium omnes saluandi, si non ex corde pro omnibus obtulit suam passionem, si non omnibus exoptauit ex animo remedia, & auxilia ad salutẽ necessaria. Certè hoc non fuisset, vnam omnium causam suscepisse tractandam in veritate, vt Prosper ait, sed in fictione, & per simulationem, quod de Christo indignè nimis esset sentire. Iã videat, si ista fuit mens Prosperi, sicut illi imponit.

Sed parũ fortasse videretur hanc responsionem verbis D. Prosperi repugnare, nisi etiã D. Paulo apertè refragaretur: illi autẽ apertissimè refragari apparet, si quis loca proximè citata perpendat. nã in epist. ad Rom. c. 5. intendit hanc veritatẽ deducere, quòd abundantior fuerit Christus in viuificando, & saluãdo, quàm Adã in occidendo, & perdendo. sic enim concludit: *Sed non sicut delictum, ita & donũ. Si enim vnius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei, & donũ in gratia vnius hominis Iesu Christi in plures abundauit. & non sicut per vnum peccatũ, ita & donum: nam iudicium quidem ex vno in condemnationẽ gratia autẽ ex multis delictis in iustificationẽ. Si enim vnius delicto mors regnauit per vnum, multo magis abundantiã gratiæ, & donationis iustitiæ accipientes in vita regnabunt per vnũ Iesum Christũ.* hæc autẽ deductio nulla omnino esset, si Christus nũ ex corde pro omnibus etiã paruulis suã passionẽ obtulisset, & illis media ad salutẽ necessaria minimè ex animo desiderasset. Immo lõgè abundãtius operaretur peccatũ Adæ, quã passio Christi: nam certũ est, illos paruulos per peccatũ Adæ damnari, qui tamen per Christi passionem nullo modo possent iuuari: & sic cùm peccatum Adæ in illis de facto ponat suũ effectũ, tamẽ Christi passio nullũ effectum erga illos posset ponere. & falsum diceret Paulus subiũgens: *Igitur sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem, ita & per vnius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitæ.* & falsum deduceret in epist. 1. ad Cor. c. 15. quòd *sicut in Adam omnes moriũtur, ita & in Christo omnes viuificabuntur.* quod deducit ex fundaméto facto in initio illius capitis, quòd Christus mortuus est pro nobis secũdùm Scripturas: esset enim falsum fundamentum, & falsa deductio, quoniam Christus pro illis paruulis reuera mortuus nõ esset, & sic illi in Christo nõ viuificarentur, neque resurgerent virtute resurrèctionis Christi in die iudicij. falsa etiam esset deductio illa in epist. 2. ad Corinth. cap. 5. *Christus pro omnibus mortuus est. ergo omnes mortui sunt.* diceret nanque Iudæus, vel Pelagianus, Christus per vos non est reuera mortuus pro istis paruulis. Ergo isti reuera in Adamo mortui non sunt. hæc igitur responsio Pauli doctrinam euertit. IV.

Tertiũ argumentum ad eãdem veritatem probandam tale est. Si Christus dicitur Redemptor paruulorum decedentium in vteris matrum, aut alio modo, sic quòd per humanã diligentiam illis succurri nõ potuit: solũ ratione potẽtiæ, & magnitudinis pretij, non autem quòd passionem suam V.

pro illis obtulerit,& salutem, & media ad ipsam salutem illis verè exoptauerit, sequitur, eodem modo illum dici posse redemptorem Diaboli. Sequela patet,nam pretium passionis Christi quoad magnitudinẽ,& potentiã sufficientissimũ fuit, & superabundantissimum etiam ad redimendos omnes Dæmones, si Deus illos redimere voluisset.

Nec satisfit huic argumento per id, quod Vasquez ait, Christum dici Redẽptorem paruulorũ, & non dici redemptorem Dæmonum:quia omniũ hominum erat vna causa cõmunis, etiã paruulorum,at non erat vna causa communis hominũ,& Dæmonum. Nam redemptor omnium nõ dicitur aliquis ex eo, quòd omnium est vna communis causa dãnationis,sed ex hoc,quòd omnes assumit ex damnatione liberandos,& agit causam redemptionis omnium,qui sunt damnandi. Nam si tota ciuitas incurrat crimen læsæ maiestatis, & vnus offerat pretium pro redemptione centum ex illa ciuitate, num dicendus erit redemptor omnium de illa ciuitate ob hoc, quòd omnium illorũ est vna communis causa damnationis? minimè profectò. Ita Christus vanè diceretur redemptor omnium ex hoc, quòd causa damnationis omnium communis est, nisi etiam communem causam redemptionis omnium damnandorum verè suscepisset tractandam Immo verò si verum est, quod hic autor docet,Christum istis paruulis salutẽ, & media ad salutem necessaria minimè exoptasse,& pro illis pretium suæ passionis minimè obtulisse, vix intelligi poterit,ac ne vix quidem, quomodo Christus in veritate susceperit vnam communem illorum cum cæteris hominibus causam tractandam,illi enim non sunt in illo tractatu cõprehẽsi.

VI. Quartò, si quid obstat, quo minus dicere debeamus,etiã istis paruulis fuisse à Deo verè præparata media,& auxilia ad salutẽ necessaria, hoc solum videretur obstare,quòd Deus sinit secũdas causas naturales illorum interitum accelerare, antequam per humanam diligentiam eiusmodi media illis valeant adhiberi: at hoc minimè obstat,quia ad hoc, vt per Dei prouidentiam supernaturalem talia media dicantur verè fuisse illis præparata, sufficit, quòd Deus verè illos ordinauerit in finem supernaturalem, & ex ordine ad talem finem verè præparauerit illis media tali pacto, quòd per diligentiam humanã possint verè illis applicari, nisi per concursum alicuius causæ cõtingentis talis applicatio fuerit impedita. Dixi autem notanter,*per concursum alicuius causæ contingentis*:quia si talis applicatio impediretur per cõcursum alicuius causæ secundæ necessariæ, vanè dicerẽtur ipsa media fuisse illis à Deo præparata, cùm ex aduerso præparata esset causa necessariò istorũ applicationem impeditura.Non autẽ necesse est,quòd omnem concursum secundarũ causarum contingentiũ, quibus talis applicatio potest impediri, Deus de facto impediat:nimis enim angusta esset illius prouidentia. Cùm itaque Deus voluntate saltem antecedenti velit omnes homines saluos fieri, & Christi passio sit sufficiens ad omniũ salutẽ,& illa sit nobis ita præparata, quòd de lege Dei ordinaria,& secundùm cursum,& ordinẽ rerum est omnibus applicabilis,& vt in pluribus de facto etiã applicatur omnibus volẽtibus eã applicare,& paucissimi impediantur ab huiusmodi applicatione,saltẽ comparatione illorũ,qui non impediuntur, & huiusmodi impedimentum merè contingenter eueniat ex concursu causarum contingentium,nihil videtur obstare, quominus Deus dicatur verè illis præparasse media ad salutem necessaria.

Demum ipse Vasquez cõcedit, nos pie,ac iustè credere posse,Christũ expressè nõ denegasse istis paruulis fructũ suæ passionis,neque illos reiecisse sicut reiecit Dæmones. Immo voluntate quadam simplicis affectus illis salutem desiderasse,sicut & vitã sibi concupiuit,& ita pro omnibus orasse, vt salutem consequerentur,sicut pro se orauit, vt liberaretur à morte. hoc autem si verum est, sequitur, illum voluisse etiam illis media ad salutem necessaria affectu saltem simplicis complacentiæ inefficaci.

VII. Secunda propositio: Quãuis Deus non det omnibus auxilia immediata ad salutẽ, quatenus dare dicit actualem respectum ad accipere, dat tamen hoc etiã modo omnibus aliquod auxilium saltem mediatũ,& remotũ,quo accepto si homines benè vterentur,maiora acciperent,& tandem æternam assequerentur salutem.Prima pars huius propositionis patet:quia auxilium proximũ,& immediatum ad gratiã iustificantem est fides explicita, & contritio,illã autem constat non omnes homines de facto accipere,sunt enim multi,ad quos nũquã Euangelij prædicatio peruenit, quique negatiuè solùm infideles sunt,non autem priuatiuè,aut cõtrariè, quorum infidelitas in ratione infidelitatis inculpabilis est,vt Theologi fatentur post D.Th. D.Thom. 2.2.q.10.art.1.2.& 3.Secunda autem pars videtur expressa mens D.Th.lib.3.contra Gentes c.159.vbi dicit,illos solos gratia priuari,qui in seipsis eidem gratiæ impedimentum præstant,& Deum ex se paratum esse omnibus gratiã dare,& velle omnes homines saluos fieri.& clariùs in 1.2. q.89.a. 6.vbi docet,cùm primũ homo peruenerit ad vsũ rationis, teneri conuertere se in Deum eo modo, quo potest,videlicet proponendo sequi, quod rectum,& honestum est, & si id efficiat,Deũ statim infundere illi gratiam iustificantem, & sic emundari ab originali(loquitur de adulto non baptizato)si autem id minimè efficiat, illum mortaliter peccare.Supponit itaque D.Th. omni homini statim, vt peruenerit ad vsum rationis, dari à Deo aliquod auxilium supernaturale,quo se cõuertere possit ad Deum,& disponi valeat ad gratiã iustificationis obtinendam; alioqui posset homo ex viribus naturæ se disponere ad gratiam dispositione infallibili,& necessaria.& in q.14.de veritate art. 11.ad primum adhuc clariùs hanc rem prosequitur,dicens,quòd si quis enutritus in syluis remotissimis ab omni conuersatione hominum ductũ rationis naturalis sequeretur in appetitu boni, & fuga mali,certissimè tenendum est;quòd ei Deus, vel per internam inspirationem reuelaret ad credendum necessaria,vel aliquẽ fidei prædicatorem ad eum dirigeret,sicut misit Petrũ ad Cornelium.

VIII. Probatur verò ista propositio quoad hãc partẽ à Cardinali Bellarmino lib.2. de Gratia,& libero arbitrio c.15.& Suarez lib.4. de Prædestinatione c.3.& Vasquez 1.part.dis.97.multis autoritatibus diuinæ Scripturæ,& Patrum,præcipuè D.Prosperi,& D.Augustini, quæ apud illos videri possunt, neque necessarium est illas hic transcribere, cùm omnes in progressu præcedentium librorum,maximè lib.5.controuersia 3.fuerint adductæ. Bellarm. Suarez. Vasquez.

Vnũ hìc occurrit dubium non omittendũ.cùm certũ sit Deum dare omnib.aliquod auxiliũ ad salutem assequendã saltem remotum,& mediatum, an istud auxilium detur semper,& pro omni tempore,& momento, an solùm certis quibusdã momẽtis,aliis verò momẽtis minimè tribuatur,quòd enim non omnibus momentis illud nobis detur,

docet

docet experientia, vt cùm quis dormit, vel ad alia intentus nihil de propria salute cogitat. Quòd autem debeat omnibus momentis dari, suadetur. nam si illud pro hoc momento detur, & pro alio non detur, & contingat in illo momento hominẽ in peccato mortali constitutum ex hac vita decedere, ille cùm maximè diuino auxilio illi opus esset, tali auxilio fuit à Deo destitutus, & sic non erit illi imputanda impœnitentia.

Respondeo, diuinum auxilium dari per singula momenta, duobus modis intelligi posse. vno modo in actu formali, & hoc pacto non est verum, vt experientia demonstrat: alio modo in actu virtuali, potest enim aliquis actus transire formaliter, & manere virtualiter, vt apparet in actu, quo quis lapidem proiicit, & etiam in generatione naturali, vt cùm generatio perficitur generante iam defũcto, & etiam in moralibus, vt cùm quis accedit ad aliquod sacramentum conficiendum habens formalem actum intentionis conficiendi sacramentum, nam interrupto huiusmodi actu formaliter, si tamen maneat virtualiter, illa virtualis intentio sufficit ad sacramentum perficiendum, & hoc modo certissimum esse debet, auxilium supernaturale ad salutem necessarium omnibus dari per singula momenta. Itaque cùm Deus pulsat cor peccatoris, illi immittendo sanctas cogitationes, offerendo exempla, quibus ad pœnitentiam moueatur, immittendo etiam pias aliquas affectiones, illi impulsus non manent quidem per singula momenta formaliter, sed tamen manent virtualiter, ita vt quotiescunque peccator velit apud se recogitare, non desint illi obiecta illum mouentia, & sanctæ inspirationes, & piæ affectiones: & si aliquod auxilium, etiam quoad actum virtualem defecerit, Deus statim aliud præbet, & illo deficiente præbet aliud, & sic nunquam peccator in tota vita sua destituitur aliquo actuali auxilio, vel formaliter, vel saltem virtualiter. quod tali exemplo potest declarari. Vadit aliquis ad amici sui domũ, pulsat fores, vt qui intus sunt, aperiant. deinde paululum subsistit, expectans, vt intus existentes respondeant. postea replicat ictus, & iterum expectat, vt aperiant: ita Deus, qui, vt ipsemet ait Apocalyp. 3. stat ad ostium cordis, & pulsat, primò cor hominis pulsat, expectans, vt per consensum illi aperiatur ianua. deinde iterum pulsat nunc per vocem concionatoris, nunc per flagella, nunc per propositionem alicuius obiecti metum incutientis, vt est repentinus alicuius amici interitus, aut aliquid simile, & sic nunquam hominem destituit aliquo auxilio, quo si ille benè vellet vti, alia maiora tribueret, & tandem ad vitam immortalem perduceret. ita omnino de abundantia, & præsentia diuinorum auxiliorum, quæ nobis ad salutem necessaria sunt, & de summa Dei erga nos bonitate sentiẽdum esse arbitror, ac de Iesu Christi Domini nostri salutifera passione, qui in hunc mundum venit, vt omnes homines vitam habeant, & abundantiùs habeant: qui cùm de nostra salute sit semper solicitus, tamen tunc maximè solicitus est, cùm de summa rei agitur, nimirum cùm mortis tempus appropinquat, tunc enim qui animarum est creator, & piissimus Pater, abundantiora nobis præbet auxilia, ne pereamus, iuxta illud, quod ipsemet ait per Isaiam in persona Medici alicuius puellam graui ægritudine laborantem custodientis cap. 27. *Ego Dominus, qui seruo eam, repentè propinabo ei, ne forte visitetur contra eam, nocte & die seruo eam.*

Gabr. Pennot. de libert. hum.

CAPVT XXII.

Aduersariorum argumenta proponuntur, & soluuntur.

ETsi pleraque ex argumentis, quibus qui nostrã sententiam impugnant, suas opiniones firmare nituntur, fuerint superiùs soluta; aliis causis id poscentibus, non est tamen hoc etiam in loco illorum solutio penitus omittenda. I.

Primum igitur sumunt argumentum ex autoritatibus diuinæ Scripturæ, quæ indicant, Deum quosdã peccatores deserere, & à se proiicere, ita vt etiamsi velint, non possint pœnitere. Verùm quo sensu huiusmodi testimonia intelligenda sint, declaratum est suprà cap. 19.

Secundum accipiũt ex aliis verbis diuinæ Scripturæ dicentis, Deum quosdam peccatores in pœnam præcedentium delictorum nõ solùm priuare suis auxiliis, sed etiam indurare, & obcæcare, & tradere in reprobum sensum, vt faciant ea, quæ non conueniũt, ita vt nec intelligere possint, quæ ad salutem spectant, nec credere, nec ad Deũ conuerti: quæ verba Augustinus intelligit non solùm secundùm permissionem, sed etiam tali pacto, vt homines per diuinam potentiam dicantur in peccata compelli.

Sed istæ autoritates tum diuinæ Scripturæ, tum D. Augustini lib. 5. cap. 15. & duobus sequentibus legitimè, & catholicè sũt à nobis explicatæ.

Tertium accipiunt ex verbis illis Christi apud Ioan. cap. 6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* ille ergo, qui non venit ad Christum, non trahitur à Patre per suum auxiliũ.

Respõdeo, duplex est tractus diuinus, quemadmodum est duplex vocatio, vt notat Augustinus lib. 1. ad Simplician. q. 2. Alius est tractus efficax: alius inefficax. qui non venit ad Christum, non trahitur efficaciter per auxilium efficax: sed benè trahitur per auxilium sufficiens, quo si benè vteretur, Deus illum traheret etiam auxilio efficaci; sicut non omnes vocati sunt electi, sed illi soli, qui vocantur vocatione congrua. Præter quod nõ ait Saluator ibi non trahi aliquem, qui non veniat, aut omnes, qui trahuntur venire, sed hoc solum, quòd nullus venit, nisi priùs trahatur. quare illud testimonium illorum sententiæ nihil omnino potest suffragari.

Quartũ accipiunt ex verbis Pauli ad Hebræos cap. 6. dicentis. *Est enim impossibile eos, qui semel sunt illuminati, & prolapsi sunt, iterum renouari ad pœnitentiam.* II.

Ad hoc duplex est modus respondendi, alter Lyrani dicentis, accipi impossibile pro eo, quod difficillimum est, est enim in more positum non solùm apud vulgares, sed etiam apud sapientes Philosophos, ac Theologos vocare impossibile illud, quod non nisi cum magna difficultate effici potest. sic igitur ait Apostolus, impossibile esse, eos, qui semel illuminati, id est, baptizati prolapsi sunt, iterum renouari ad pœnitẽtiam, quia res est non quidem absolutè impossibilis, sed valde difficilis. Hunc modum respondendi Andreas Vega lib. 13. de Iustificatione c. 10. non probat: quia magis est difficilis renouatio infideliũ per Baptismũ, quàm fideliũ baptizatorũ per pœnitẽtiam. Nihilominus dici potest, quòd licèt cõparatione facta inter duas personas diuersorum statuũ cõtingere possit, vt baptizatus lapsus in peccatum faciliùs resurgat per pœnitentiam, quàm infidelis per Baptismum: tamẽ comparatione absolutè facta inter Lyranus. Andr. Vega.

ſtatum hominis infidelis, & ſtatum eiuſdem hominis, poſtquam baptizatus eſt, difficilior eſt renouatio vnius, & eiuſdem hominis per pœnitentiam, quàm fuerit prior illius renouatio per Baptiſmum. Nam ad renouationem, quæ fit per Baptiſmum, ſufficit illi aliqualis attritio abſque cõtritione, & confeſſione; at ad ſecundam renouationem non ſufficit attritio, ſed requiritur contritio, aut ſaltem confeſſio, & abſolutio ſacramentalis, virtute cuius homo ſit ex attrito contritus. Deinde peccatum poſt Baptiſmum admiſſum ratione ingratitudinis eſt longè grauius, iuxta illud D. Petri epiſtola 2. cap. 2. *Melius enim erat illis non cognoſcere viam iuſtitiæ, quàm poſt agnitionem retrorſum conuerti ab eo, quod illis traditum eſt, ſancto mandato.* quod etiam Auguſtinus, hunc locum adducens, notat lib. de bono perſeuerantiæ cap. 10. & hic eſt ſenſus parabolæ Euangelicæ apud Lucam cap. 11. immundi ſpiritus, qui cùm exierit ab homine per Baptiſmum, ambulat per loca arida, & inaquoſa, deinde reuerſus ad priorem domum, illam inueniens vacantem, ſcopis mundatam, & ornatam, non ſolus illuc ingredi vult, ſed vadit, & aſſumit ſeptem alios ſpiritus nequiores ſe, & ingreſſi habitant ibi, & fiunt nouiſſima hominis peiora prioribus, vt Commentatores communiter interpretantur. Accedit etiam, quòd per pœnitentiam vix vnquam poteſt homo renouari ad tantam innocentiam, quanta eſt innocentia baptiſmalis: quæ idcirco vocatur noua vita, & regeneratio, & renouatio, & reſurrectio totius hominis.

Auguſt.

III. Secundus modus reſpondendi eſt D. Ambroſij lib. 2. de Pœnitentia cap. 2. & Cyrilli Alexandrini lib. 5. in Ioan. cap. 17. & D. Thom. in illum locum Apoſtoli, & communis omnium Doctorum, quòd nomine renouationis, quam Paulus docet impoſſibilem eſſe iis, qui poſt Baptiſmum ſemel illuminati prolapſi ſunt, intelligenda ſit iteratio ipſius Baptiſmi, vt ſit ſenſus, illos non poſſe recipere ſecundum Baptiſmum ad ablutionem peccatorum, quæ poſt primum ſunt admiſſa. & hanc eſſe mentem Apoſtoli, indicant verba antecedentia, cùm ait, *Quapropter intermittentes inchoationis Chriſti ſermonem ad perfectionem feramur, non rurſum iacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, & fidei ad Deum, baptiſmatum doctrinæ, impoſitionis quoque manuum, ac reſurrectionis mortuorum, & iudicij æterni.* Hanc etiam eſſe mentem Pauli, monſtrat ipſum verbum *renouari.* renouatio namque hominis per antonomaſiam eſt effectus Baptiſmi, non Pœnitentiæ, vt ex Ambroſio, Auguſtino, D. Thoma, & aliis notauit Vega loco proximè citato. & hic ſecundus modus eſt magis conformis textui: licèt etiam primus non ſit improbabilis, quem videtur etiam probare D. Ambroſius relatus in cap. reperiuntur. de Pœnitentia d. 3. dicens, inueniri faciliùs, qui ſeruauerint innocentiam, quàm qui dignam egerint pœnitentiam. Iuxta quem modum poteſt etiam exponi locus ille apud Ioannem cap. 12. *Propterea non poterant credere: quia iterum dixit Iſaias, excæcauit oculos eorum,* &c. Cui teſtimonio ſi dicatur cum D. Auguſtino lib. Quæſtionum Euangelicarum, illos non potuiſſe credere, quia propter alia peccata meruerunt à Deo obcæcari, & priuari diuino lumine, id eſt quod aduerſarij maximè contendunt, hominem propter quædam grauiſſima peccata priuari auxiliis diuinis etiam ſufficientibus. Quare facilior erit ſolutio, ſi dicamus, ibi accipi impoſſibile pro eo, quod non niſi cum maxima difficultate fieri poteſt. Verum enim eſt, quòd etſi nullus etiam grauiſſimus peccator, deſtituatur auxiliis ſaltem ſufficientibus: tamen propter quotidianam reciduationem poteſt homo ad eam mentis cæcitatem, & cordis duritiem deuenire, vt auxilia ordinaria illi non profint, & miraculo ferè opus ſit ad illum conuertendum, quam rem fuſiùs etiam proſequitur Vega dicto lib. 13. cap. 11.

Ambroſ. Cyrillus. D. Thom. Vega. Ambroſ. Auguſt.

Andr. Vega.

IV. Quintum argumentum ſumunt ex quibuſdam infidelibus, ad quos nunquam Euangelij prædicatio peruenit. vnde non ſunt in culpa, quòd illud non audierint, aut quòd non crediderint: quia fides eſt ex auditu, auditus autem per verbum Dei, per prædicationem Euangelij: & nihilominus certum eſt, fidem numerari inter media, quæ ſunt ad ſalutem neceſſaria. non ergo Deus dat omnibus media neceſſaria ad ſalutem. & Maior præter experientiam, probari poteſt autoritate Auguſtini lib. de Natura, & gratia cap. 4. & 8. & D. Thom. 1. 2. quæſt. 10. art. 1. 2. & 3. qui docent, reperiri quoſdam infideles ſolùm negatiuè, non autem contrariè, nec priuatiuè, quorum infidelitas inculpabilis eſt, quanuis ob alia peccata illi damnentur.

Auguſt. D. Thom.

Reſpondetur iuxta ea, quæ præcedenti capite dicta ſunt, ex D. Thom. quòd licèt ſint aliqui infideles ſolùm negatiuè, ad quos prædicatio Euangelij nunquam peruenit; tamen illi non ſunt à Deo deſtituti auxiliis omnibus, quibus ſi bene vterentur, Deus vel per internam inſpirationem, vel mittendo eis verbi ſui præcones, ſicut miſit ad Cornelium Centurionem, & ad Eunuchum illum Reginæ Æthiopum, illos de credendis inſtrueret, & ad fidem perduceret, & ideo iuſtè illi damnantur, non propter infidelitatem, ſed propter alia peccata.

V. Sextum argumentum ſumitur ex paruulis decedentibus ex hac vita in vteris maternis, aut aliis modis, quibus per humanam diligentiam ſacramentum Baptiſmi minimè potuit applicari. illi ſanè fuerunt auxilio ſufficienti, & neceſſario deſtituti, & non ob aliam cauſam, niſi quia fuerunt à Deo reprobati, vt dicit Auguſtinus in epiſtola 107. ad Vitalem, & de Natura & gratia cap. 8. lib. 1. de Peccatorum meritis & remiſſione cap. 21. & aliis in locis.

Auguſt.

Huic argumento Caietanus 3. part. quæſt. 68. art. 11. reſpondet, quòd iſtis paruulis poſſumus hoc modo ſubuenire, vt ſi nondum illi nati ſint, poſſint parentes illorum fideles inuocare Deum pro paruulis, & illos ex fide ipſi Deo offerre: ſi autem nati ſint, & ob penuriam aquæ baptizari non poſſint, parentes ſignent illos ſigno crucis, cum inuocatione ſanctiſſimæ Trinitatis, & vtroque modo illi paruuli ſic decedentes ſine Baptiſmo ſaluabuntur. Hæc tamen reſponſio eſt error de ſe manifeſtus contra autoritatem diuinæ Scripturæ dicentis, apud Ioan. cap. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei.* & contra doctrinam D. Auguſtini communiter receptam ab Eccleſia in epiſtola 28. ad Hieronymum, & in lib. de Baptiſmo paruulorum, & de fide ad Petrum cap. 27. ſi ille eſt liber Auguſtini, & probatam à Gratiano per multos canones de conſecratione d. 4.

Caietan. Auguſt. Gratian.

Secundò reſpondet Gabriel Biel in 4. diſt. 4. q. 2. art. 2. dub. 2. Deum per ſuam omnipotentiam, quæ Sacramentis alligata non eſt, fortaſſe hos paruulos ſine Sacramentis ſaluare. Sed cùm habeamus expreſſam autoritatem diuinæ Scripturæ dicentis: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei,* iſta reſponſio

Gabriel.

sio non est admittenda: non enim debemus diuinare de iis, quæ Deus de potentia absoluta potest efficere: alias licebit opinari plures alios esse mundos, & multa similia, quæ diuinæ omnipotentiæ non repugnant.

Dicendum igitur est, ad hoc, vt Deus verè dicatur voluisse salutem istorum paruulorum, & præparasse illis media ad salutem necessaria, necesse non est, quòd de facto auferat omnia impedimenta, & teneat omnes secundas causas, quæ illorum salutem possunt impedire, alias nullius, qui de facto non saluetur, dicendus erit salutem voluisse, & nulli illorum media ad salutem necessaria præparasse: sed sufficit, quòd Christus verè obtulerit pro illis suam passionem, & affectu saltem simplicis complacentiæ illorum salutem exoptauerit, & præparauerit illis media tali pacto, & modo, quòd nisi contingat impediri, illa eis applicari, per aliquem concursum secundarum causarum contingentium, eiusmodi media per diligentiam humanã eis applicari possint. Neque ex hoc, quòd Deus de facto non tenet ipsas secundas causas contingentes, ne impediant huiusmodi applicationem, sequitur, Deum non contulisse illis talia media saltem secundùm præparationem, sed sequitur solùm, quòd non contulerit illa de facto.

VI. Sed instat Vasquez. ille concursus secundarum causarum impedientium applicationem Sacramenti Baptismi, & illa mors immatura paruulorum in vteris matrum non potest dici non volita à Deo: si autem est ab eo volita; ergo voluit, vt remedia ad salutem necessaria istis paruulis minimè applicarentur.

Respondeo. ille concursus secundarum causarum, & illa mors immatura sunt à Deo volita secundaria tantùm intentione, post inspectum concursum ipsarum secundarum causarum impedientium, & post præuisam mortem immaturam eorundem infantium, suppositò, quòd hæc vellet permittere. quod facile intelligemus, si imaginemur primò, Deum affectu simplicis complacentiæ, & voluntate antecedenti voluisse illorum salutem, & media ad salutem necessaria, dependenter tamen à concursu, & cooperatione secundarum causarum liberarum, & contingentium. Secundò, Deum præuidisse, quòd per concursum, secundarum causarum contingentium esset acceleranda mors ipsorum paruulorum, ita vt nec per humanam diligentiam possent talia media eis applicari. Tertiò voluisse nihilominus ipsas secundas causas finere liberè, & contingenter operari, nec voluisse talem concursum, mortem paruulorum accelerantem, impedire. & hoc est, illud impedimentum, & illam mortem immaturam fuisse à Deo volita, quatenus voluit illa permittere, cùm posset impedire. hoc autem non repugnat cum hoc, quod est, Deum voluntate antecedenti inefficaci voluisse illorum salutem, & media ad salutem necessaria: sicut non repugnat aliquid esse volitum à Deo voluntate antecedenti, quod tamen volitum non est voluntate consequenti.

Septimum argumentum sumitur ex hoc, quòd ad salutem est necessarium auxilium efficax, & donum perseuerantiæ, quod constat non omnibus dari. Verùm suprà dictum est, quòd licèt auxilium efficax, & donum perseuerantiæ non omnibus detur, daretur tamen, si omnes benè vterentur auxiliis sufficientibus, quæ Deus illis tribuit, quibúsque benè vti possent, si vellent.

VII. Postremum argumentum sumitur ex variis autoritatibus sanctorum, præcipuè D. Augustini, qui conceptis verbis ita expressit, esse aliquos à Deo destitutos auxiliis necessariis ad salutem, vt nihil magis. ille nanque primò docet, paruulos, qui moriuntur in vteris maternis, aut eo modo, quo per humanam diligentiam eis subueniri non potuit, tales obiisse, quia tales eos obire voluit, & quia illi non sunt per Dei prædestinationem de massa perditionis discreti. ita in epist. 107. ad Vitalem, & de bono perseuerantiæ cap. 12. & de Natura & gratia cap. 8. & lib. 1. de Peccatorum meritis, & remissione cap. 21. Secundò ait, quòd si Deus voluisset, potuisset Tyrios, & Sidonios vocare vocatione, qua præuidebat, illos esse credituros: & tamen noluisse, quia illi non erant de massa perditionis per diuinam prædestinationem discreti. & idem dicit de omnibus aliis non prædestinatis lib. 1. ad Simplician. quæst. 2. & eadem epist. 107. & lib. 5. contra Iulianum, & de Bono perseuerantiæ cap. 14. & de Correptione & gratia cap. 8. & 9. & alibi passim. Tertiò docet, aliquos à Deo deseri, & obdurari, & tradi in reprobum sensum, & etiam per potentiam in peccata compelli, in expositione quarundam propositionum ex epistola ad Romanos propositione 62. lib. de Gratia, & libero arbitrio cap. 21. & lib. 1. contra Iulianum cap. 3. Quartò Augustinus ait, gratiam Dei non omnibus dari epist. 107. & deterentes Deum, deseri ab illo, vt sæpe dictum est. Aug.

Confirmatur, hanc esse mentem Augustini testimonio D. Thomæ 2. 2. q. 2. art. 5. ad primum dicentis, *hoc auxilium quibuscunque datur, misericorditer datur, quibuscunque autem non datur, ex iustitia non datur, in pœnam peccati præcedentis, saltem originalis, vt dicit sanctus Augustinus lib. de Correptione & gratia cap. 5. & 6.* D. Thom.

Respondeo. Hoc argumentum, in quo potissimum hæretici horum temporum putant firmissimum præsidium illis esse constitutum, si ea mente recolamus, quæ lib. 5. c. 15. 16. & 17. dicta sunt, & hoc libro cum præcedenti ob importunitatem aduersariorum sæpius replicata, facillimo negotio dissoluí. Nam quod primo loco ait, paruulos sic decessisse absque Baptismo, non quia illi noluerunt, sed quia Deus noluit, id contra Pelagianos dixit, qui dicebant, Dei gratiam semper expectare humanas voluntates, & dari volentibus, & non negari, nisi illam nolentibus. quod falsum esse demonstrat in paruulis: nam, quibusdam illorum datur etiam nolentibus, quia Deus vult: aliquibus autem non datur, non quia ipsi nolunt, qui nondum habent aliquem vsum voluntatis, sed quia Deus non vult. Et verbum *non vult* non significat actum voluntatis diuinæ antecedentis, sed actum voluntatis consequentis, quo non voluit tenere secundas causas accelerantes illorum interitum, quas potuisset tenere, si voluisset. & illa etiam verba, *& quia aliter fieri, vel esse non potuit*, non sunt intelligenda secundùm voluntatem Dei, quæ antecedit præscientiam concursus secundarum causarum contingentium, accelerantium necem talium paruulorum, sed suppositâ huiusmodi præscientia, vt sit sensus, quòd aliter fieri non potuit, suppositò, quòd Deus vellet finere secundas causas contingentes contingenter operari circa vitam illorum paruulorum, nec vellet illarum concursum miraculo tenere. Et hunc esse sensum verborum Augustini, apparebit cuiuis legenti epistolam illam 107. ad Vitalem.

Quod autem ait secundo loco, Deum nolle quibusdam dare auxilia, quibus videt, quòd illi conuerterentur, si illa acciperent, ob hoc quia illos

illos per diuinam prædestinationem ex massa perditionis ab æterno minimè discreuit, non sic est intelligendum, quòd omnibus non prædestinatis denegare voluerit omne auxilium sufficiens ad salutem, quo si benè vterentur, vel illud euaderet efficax, vel ad illud sequeretur ipsum auxilium efficax. minimè profectò, aliàs sentiret Augustinus, nulli non prædestinato tribui auxilium sufficiens ad salutem, quod nullus Catholicus neque ad mentem Augustini, neque in se verum esse arbitratur. sed sensus est, Deum noluisse eis, quos per diuinam prædestinationem ex massa perditionis non discreuit, tribuere omne auxilium efficax ex infinitis, quæ tradere illis potuisset, si voluisset. & hoc verissimum. Sed cum hoc stat, quòd voluerit tribuere illis media ad salutem necessaria, etiamsi præuiderit ciusmodi auxilia nihil illis profutura.

Quod autem tertio loco ait, Deum aliquos tradere in reprobum sensum, & etiam in peccata compellere, alibi declaratum est.

Demum, quod inquit, gratiam Dei non omnibus dari, & Deum deserere, deserentes se, de gratia auxilij efficacis est intelligendum. aut si etiam de aliquo auxilio sufficienti, non tamen de omnibus, saltem necessariis.

Hæc sunt quæ de altitudine cõsilij diuini super salutem generis humani, ac de abysso imperscrutabili diuinę prędestinationis, & reprobationis, salua semper Catholicæ fidei veritate, sanctæque Matris nostræ Ecclesiæ censura cum timore, ac tremore proferimus, sicut sentimus, in quibus tractandis Augustini institutum in initio libri de Prędestinatione & gratia, omnino seruandum duximus, vt in abditissimis diuinæ voluntatis arcanis reserandis omnia secundùm regulam pietatis exponeremus.

PROPV

PROPVGNACVLI HVMANÆ LIBERTATIS

LIBER OCTAVVS.

Non excludi humanam libertatem per efficaciam diuinæ cauſalitatis ordinis naturalis.

CVM humani arbitrij libertatem conciliare cum certitudine diuinæ præſcientiæ, & cum immutabilitate diuini decreti omnibus non ſolùm Philoſophis, ſed etiam Theologis viſus ſit labor difficilis, & prouincia durißima, &, vt Boëtius lib. 4. de conſolatione proſa 6. & libro 5. proſa 3. fatetur, res ſit omnium quæſitu maxima, & talis materia, circa quam vna dubitatione ſucciſa aliæ innumerabiles velut hydræ capita ſuccreſcant, neque vllus ſit modus, niſi quis viuaciſſimo illas mentis igne coërceat: tamen longè difficilior, & magis durus labor videtur, eandem arbitrij noſtri libertatem cum efficaciſſima Dei cauſalitate concordare. Nam eſto non ſolùm Deus præſciuiſſet omnes actus humanos liberos, ſed etiam decreto efficaci illos apud ſe prædefiniuiſſet, ſi nihil extra ſe operaretur in ſecundis cauſis, illas mouendo, & ad ipſarum operationes applicando, aut etiam determinando, non omnino videretur difficile, certitudinem diuinæ præſcientiæ, & immobilitatem diuini decreti cum libero rerum euentu conciliare. Et non deſunt etiam Theologi, qui hoc modo iſta adinuicem concilient, meditati in Deo duplicem prædefinitionem, alteram internam, quæ maneat in ipſo Deo, non autem exeat ad humanam voluntatem phyſicè ad proprios actus prædeterminandam: alteram externam, quæ ſcilicet exiens extra Deum humanam voluntatem ad omnes actus quantumuis liberos phyſicè moueat, applicet, inclinet, atque prædeterminet. Priorem vocant immanentem, poſteriorem tranſeuntem, hanc per modum intentionis, illam per modum executionis, hanc vocant prædefinitionem, illam prædeterminationem, & per ſecundam fatentur auferri humani arbitrij libertatem, non autem per primam. atque ita ſentit Suarez lib. 1. de diuinis auxiliis cap. 16. & lib. 2. cap. 7. At ſi ſupponamus, etiam in tempore humanas voluntates ad ſingulos illarũ actus Deum efficaciter præmouere, applicare, inclinare, & prædeterminare, ipsáſque voluntates non ſolùm quoad eſſe, & operari, ſed etiam quoad modum operandi à Deo pendere, & tandem eam eſſe diuinam præmotionem, & cauſalitatem, quam nulla creata vis aut rumpere, aut fruſtrare poſſit, aut impedire, & eſſe cauſalitatem priorem, intimiorem, & fortiorem cauſalitate ipſarum ſecundarum cauſarum, difficile admodum videtur in actibus humanæ voluntatis veram illam arbitrij libertatem à nobis lib. 1. explicatam, quæ ſecundùm diuinas Scripturas in illis conſtituenda eſt, illæſam ſeruare.

Boëtius.

Suarez.

Et eſt hæc difficultas puteus iurgiorum inter Paſtores Iſaac, atque Palæſtinos, & ſcopulus, in quem impingentes multi Philoſophi & hæretici apertiſſimæ veritatis iacturam fecerunt. Quatuor verò ſunt errores præcipui circa præſentem difficultatem, & illius occaſione exorti. Nam aliqui videntes, multa mala fieri in mundo, ne bonum Deum facerent illorum autorem, duo prima rerum principia finxerunt, alterum bonorum, alterum malorum, & duas naturas boni, & mali adinuicem commixtas. Alij verò licèt conceſſerint vnum tantùm primũ omnium rerum principium, negauerunt nihilominus illud humanarum actionum immediatam cauſam eſſe. Alij admittentes vnum Deum non ſolùm omnium rerũ, ſed etiam omnium actionum ſecundarum cauſarum immediatam cauſam eſſe, dixerunt, Deũ æquè omnium malorum, ſicut bonorum cauſam eſſe, cui errori alium errorẽ addiderunt, videlicet per efficaciam diuini concurſus, & diuinæ cauſalitatis omnem arbitrij noſtri libertatem, & omnẽ contingentiam ſecundarum cauſarum funditus euerti. Primi erroris autores extiterũt Pythagorici, Manichæi, & alij ſtatim citandi. Secundum videntur docuiſſe Plato, atque Ariſtoteles. Tertium docuerunt aliquando Lutherus, & Philippus Melanchthon, quibus adhæſerunt Zuinglius, Caluinus & Petrus Martyr. Nouiſſimum autem, quòd ſcilicet per efficaciam diuinæ cauſalitatis euertatur, & tollatur humani arbitrij libertas, conceptis verbis docuit Caluinus lib. 2. Inſtitutionum c. 3 cùm ait: *Voluntatem manet, non qualiter multis ſæculis traditum eſt, & creditum, vt noſtra poſtea ſit electionis, motioni aut obtemperare, aut refragari: ſed illam efficaciter afficiendo.* & ne quis dicat, illum de ſola motione ſpeciali, quæ eſt per diuinam gratiam, non de motione, & concurſu generali loqui, audiat illum c. 4. §. 2. ſeipſum explicantem. *Omitto*, inquit, *hic vniuerſalem Dei motionem, vnde creaturæ omnes vt ſuſtinentur, ita efficaciam quiduis agendi ducunt. De illa ſpeciali actione tantùm loquor, qua in vnoquoque facinore apparet. Idem ergo facimus Deo, Satanæ, homini aſſignari videmus non eſſe abſurdum.* Fateor illum huius erroris non extitiſſe primum autorẽ, ſed ex antiquis tum Philoſophis, tum hæreticis accepiſſe: ea nanque eſt hæreticorum huius temporis conditio, vt facilè omnium priſcorum Camerinas excipiant.

Caluinus.

Ad hos errores euertendos in hoc octauo libro quatuor controuerſias inſtituemus, primã de primo rerum omnium principio. ſecundam de natura, & cauſa mali. tertiam de concurſu, & cooperatione primæ cauſæ cum ſecundis cauſis liberis ad illarum actiones. quartam de qualitate eiuſdem diuini concurſus generalis cum ſecundis cauſis liberis ad illarũ operationes. His verò legitimè explicatis apparebit, Deũ ita eſſe omnium rerũ cauſam, & omnes ſecundas cauſas ita pendere ex ipſo Deo non ſolùm quoad eſſe, ſed etiam quoad illarum operationes, vt neque dicendus ſit autor mali culpæ, neque per efficaciam diuinæ motionis, & cauſalitatis auferatur, aut lædatur vllo modo rerum contingentia, & arbitrij humani libertas.

CAPVT I.

Prima controuerſia proponitur de primo rerum omnium principio, & varij errores Philoſophorum, & hæreticorum referuntur.

I. DE primo rerum principio verba facturi, operæ pretium exiſtimamus priùs veram, & propriam huius nominis *principium*, ſignificationem aperire. Eſt enim principij nomen latiorem habens ſignificationem, quam nomen cauſæ, vt Commentator in prooemio naturalis Philoſophiæ adnotauit, & Damaſcenus in Dialogo contra Manichæos in principio ait, hoc nomen æquiuocum eſſe, multiplicem, & variam habens ſignificationem. de qua multiplici ſignificatione cùm ipſe Damaſcenus, & Philoſophi in initio primi Phyſicorum, & in 5. lib. Metaphyſica diſputent, & diſſerant copioſè, nos hoc ſolùm animaduerſione hîc dignum ducimus, quòd licèt antiqui Philoſophi vſque ad tempora Platonis nomine principiorum intelligerent materialia rerum elementa, vt Ariſtoteles ait lib. 1. Phyſicorum textu 48. tamen poſt Ariſtotelem vſus obtinuit in Scholis, vt nomine principij proprie intelligatur ſola cauſa rei mouens, & efficiens. Ratio eſt, quia de ratione principij eſt, vt ſit primum, vt Philoſophus inquit in quinto Metaphyſicæ: ſola verò cauſa efficiens ſecundùm eſſe reale prior eſt cauſa materiali, formali, & finali, vt idem Philoſophus aduertit in 3. lib. de Anima text. 19. Propterea idem erit nunc quærere, an omnia habeant eſſe ab vno primo principio, & quærere an ſit vna ſola prima cauſa, à qua omnes res pendeant ſecundùm illarum motus, & operationes, & ſecundùm proprium eſſe cuiuſque rei particularis. Dixi autem notanter, *ſecundùm illarum motus, & operationes, & ſecundùm proprium eſſe vnuſcuiuſque rei*, propter nonnullos Philoſophos, qui admittunt, creaturas pendere à Deo, quoad moueri, non autem quoad eſſe, & Deum eſſe cauſam mouentem, non autem efficientem.

Auertoes. Damaſc. Ariſtot.

II. Eſt verò præſens quæſtio tum celeberrima in ſcholis, tum vetuſtiſſima, qua nulla antiquior, nulla maiori opinionum varietate implicata. Circa quam nullus Philoſophus, nullus hæreticus ſectarius comparandi ſibi nominis cauſa aliquem peculiarem non effutiuit errorem. Et licèt tot extiterint errores antiquorum Philoſophorum, & hæreticorum de mundi genitura, & de primo rerum principio, vt vix poſſent ad certum numerum reduci, nitemur hîc illos ad certa quædam capita facilioris doctrinæ gratia reuocare, per viam diuiſionis in hunc modum incedentes. Nam aliqui abſolutè negauerunt mundum, aut ſecundùm totum, aut ſecundùm aliquam illius partem cauſam efficientem habere. Alij conceſſerunt, habere cauſam efficientem, non ſecundùm totum, ſed quoad aliquam illius partem. Alij tandem conceſſerunt habere cauſam efficientem quoad omnes illius partes: & hi inter ſe diuiduntur, nam alij poſuerunt plura prima principia: alij vnum tantùm. Rurſus qui poſuerunt vnum principium tantùm, alij dixerunt omnia pendere ab vno primo principio immediatè: alij verò mediatè. Adhuc qui conceſſerunt omnia pendere ab vno primo principio, alij dixerunt mundum fuiſſe productum ab hoc principio ab æterno: alij verò in tempore. adeò quòd ſingulas opiniones colligendo, ſex errores Philoſophorum, & hæreticorum de prima rerum cauſa, & primo illarum exordio extiterunt. Primus illorum, qui negauerunt, mundum habere cauſam efficientem, ſiue quoad totum, ſiue quoad aliquam illius partem. Secundus illorum, qui admiſerunt, mundum habere cauſam efficientem quoad aliquas partes ſic, quoad aliquas non. Tertius eorum, qui cùm admiſerint mundum habere cauſam efficientem quoad aliquas partes, poſuerunt tamen plura prima principia. Quartus eorum, qui dixerunt omnia eſſe ab vno primo principio, ſed aliqua immediatè, aliqua verò ſolùm mediatè. Quintus eorum, qui poſuerunt vnum primum principium rerum immediatum, ſed dixerunt mundum eſſe æternum. Sextus illorum, qui poſuerunt mundum productum in tempore ab vno primo principio, non tamen conformiter ad veritatem diuinæ Scripturæ.

III. Primi erroris authores fuerunt Xenophanes, Parmenides, Meliſſus, Epicurus, Diagoras, & Strato Lampſacenus. Xenophanes ex Ariſtotele in libello de Xenophane, Zenone, & Gorgia dixit, id quod eſt, eſſe vnum tantùm, illúdque immobile, æternum, & infinitum, nullam eſſendi cauſam habens. Parmenides ex Simplicio in 1. Phyſic. com. 25. dixit, etſi ſecundùm opinionem vulgarium, & ſecundùm apparentiam multæ ſint res: tamen ſecundùm veritatem eſſe vnũ tantùm ens. idem dicebat Meliſſus ex Ariſtotele in eodem 1. Phyſicorum: dicebátque, illud vnum ens eſſe ingenitum, infinitum, & immobile. Epicurus ex Cicerone in libro de fato, & cum illo Democritus, & Leucippus dixerunt, mundum caſu genitum ex concurſu atomorum, ſeu corpuſculorum indiuiſibilium, abſque ſuperiori cauſa efficiente. & cùm ipſe Epicurus Deum aut negauerit, aut monogamum fecerit, vt lib. 5. c. 4. adnotauimus; non potuit conſequenter loquendo vllam cauſam mundi conſtituere. Strato Lampſacenus ex Pererio in Geneſim in principio pagina mihi 13. dixit mundum, qualis nunc eſt, talem ab æterno fuiſſe, neque vllam fuiſſe cauſam efficientem habere. In his deliramentis refutandis non opus eſt nunc tempus conterere, quæ quemadmodum gratis, & ſine vllo fundamento ſunt excogitata: ita gratis contemni poſſunt. quorum rationes, ſi aliquæ ſint, refellit Ariſtoteles in primo Phyſicorum, & in libello citato de Xenophane, Zenone & Gorgia. & quanuis Simplicius non paruam operam impendat in primo Phyſicorum comm. 6. vt oſtendat has opiniones veras eſſe, & inter ſe & cum aliis conſentire, tamen illum laborem in hoc proiecciſſe, apparebit legenti ipſum Ariſtotelem ibid. & Platonem in Thæeteto, Theodoretum libro ſecundo de curandis affectionibus Græcorum, Euſebium Cæſarienſ. lib. 13. Præparationis Euangelicæ, Clementem Alexandrinum, Iuſtinum martyrem, & alios Doctores Chriſtianos.

Ariſtot. Simplic. Cicero. Pererius Simplic. Ariſtot. Plato. Theodor. Euſebius. Clemens Alexand.

IV. Secundum errorem docuerunt ferè omnes antiqui Philoſophi Stoici, Pythagorici, Platonici, & Peripatetici, & quamplures ex antiquis hæreticis. omnes enim antiqui Philoſophi, licèt aliqui illorum dixerint mundum fuiſſe genitũ, primam materiam, ex qua mundus factus eſt, videntur feciſſe ingenitam. ita de Platone ſentiunt Plutarc. lib. 1. de placitis Philoſophorum, & D. Ambroſius lib. 1. Examerón. cap. 1. de Empedocle, & Democrito Plutarchus ibid. & Macrobius in Saturnalibus, & Cenſorinus in ſuo Natali. De Stoicis Tertullianus lib. de Præſcriptionibus & lib. 5. contra Marcionem. De Peripateticis Epiphanius hæreſi

Plutarch. Ambroſ. Macrob. Cenſor. Tertull. Epiphan.

hæresi 7. Pererius in Geneſim pag. 13. vbi hoc probat ex Ariſtotele, qui in 1. lib. de Cælo text. 94. ex eo probat, non poſſe eſſe plures mundos, quia mundus conſtat ex tota ſua materia, quæ probatio ſupponit, materiam non eſſe à Deo productam: nam alioqui potuiſſet aduerſarius dicere, Deum alios mundos, & aliam materiam produxiſſe. Ex hæreticis verò primam materiam non fuiſſe creatam à Deo, ſenſerunt Marcion, referēte Tertulliano lib. 5. contra eundem Marcionem, Theodoreto lib. 1. hæreticarum fabularum cap. de Marcione, & in epitome diuinorum decretorum cap. de materia, & Chryſoſtomo homilia 2. in Geneſim. Hermogenes ex Tert. lib. contra eundem Hermogenem in initio, & lib. de Præſcriptionib. c. 33. Rabbano lib. 2. inſtitutio. Clericorum c. 28. & Iſidoro Hiſpalenſi lib. 8. Etymologiarum c. 5. Sabellius, referente Euſebio lib. 7. Præparation. Euangelicæ c. 8. & 9. Seleucus, & Hermias ex Auguſtin. lib. de hæreſibus c. 59. Valentinus, & Manichæus ex Chryſoſtomo homil. 2. in Gen. & Alphonſo à Caſtro in verbo, *Deus*. hæreſi prima, & Irenæo lib. 3. contra hæreſes c. 4. & poſt illos Albigenſes noui in Galliis Manichæi, vt idem Caſtro refert ibid. & in verbo, *Mundus*, hæreſ. 1.

Tertullian. Theodoret. Chryſoſt. Rabban. Iſidor. Euſebius. Auguſtin. Chryſoſt. Caſtro. Irenæ.

Præter hos hæreticos dicentes, primam materiam non fuiſſe productam à Deo, extiterunt alij dicentes, aquam, & ignem non eſſe creaturas, & non habere cauſam efficientem, quem errorem Auguſtinus hæreſi 75. & Theodoretus lib. 4. hiſtoriæ c. 10. tribuunt hæreticis Audianis, alio modo vocatis Anthropomorphitis. Alij quoque hęretici dixerunt, Angelos non eſſe creaturas, quos Auguſt. hæreſi 39. vocat Angelicos, quos ſecutus eſt Hermannus Riſuuich Hollandinus ex Alphonſo Caſtrenſi loco citato.

Auguſt. Theodoret. Caſtro.

V. Tertij erroris primus author fuiſſe videtur Zoroaſter Battrianorum Rex, & Magicæ author, qui vt Dęmoni diuinum honorem videretur iure impertiri, poſuit duo prima principia rerum, nempe, Deum, & ipſum Dæmonem. Eundem errorem ſecuti ſunt Pythagoras, ponēs & ipſe primum principium bonorum diſtinctum à principio malorū ex Ariſtotele in 1. Metaphyſ. S. Thom. 1. p. q. 49. a. 1. & alibi, & Empedocles ponens duo prima rerum principia, videlicet amicitiam & litem. Ex hæreticis verò eundem errorem docuerunt Simō Magus, Cerdon, Apelles, Carpocrates, & Gnoſtici, referentibus Irenæo lib. 1. c. 18. Epiphanio hæreſi 41. & 44. Tertull. lib. de præſcriptionibus c. 51. Philaſtrio in Catalogo de hæreſibus. Euſebio in Chronica lib. 4. c. 10. Auguſtino hæreſi ſexta, ſeptima, vigeſimaprima & vigeſimatertia, & poſt hos, hæreticos eundē errorem renouauit Manichæus, qui, referentibus Epiphanio hæreſi 66. Theodoreto lib. 1. hæreticarum fabularum c. vltimo, Auguſtino hæreſi 46. & aliis, paſſim illum auxit, & locupletauit. Nam primo loco ille conſtituit duo prima principia ſibi coæterna, alterum bonorum, alterum malorum, quorum alterum vocauit Deū lucis, alterum tenebrarum. Secundò dixit, Deum lucis eſſe autorem naturæ boni, & Deum tenebrarum eſſe autorem naturæ mali. ponebat nanque naturam boni, & naturam mali tanquam duas naturas diſtinctas reales, & ſubſiſtentes. Tertiò dixit ex commixtione naturæ boni cum natura mali adinuicem pugnantium factum eſſe mundum viſibilem forteſſis ad eum modum, quo Philoſophi dixerunt ex pugna, & commixtione elementorum generari corpora mixta. Quartò deduxit bona, & mala opera, quæ homines faciunt, non eſſe tribuēda libero arbitrio, quod ſecundùm ipſum nullum erat, ſed naturæ boni & mali, ex quarum commixtione omnes homines, & animas ipſas conſtare illi dogmatizabant. Hoc Manichæorum dogma ſecutus eſt in Hiſpania Priſcillianus, referente Auguſtino hæreſi 70. & vt colligitur ex Concil. Bracarenſi can. 13. & 14.

Ariſtot. D. Thom. Auguſt. Concil. Bracarenſ.

Præter iſtos hæreticos quidam Valentinus ex Platonico factus Chriſtianus, volens Platonicam Philoſophiam cum Chriſtiana religione commiſcere, finxit duo prima rerum principia, tanquam patrem & matrem, quorum alterum appellauit profundum, alterum ſilentium, ex coniugio verò profundi, & ſilentij dixit proceſſiſſe intellectum & veritatem, & protuliſſe in honorem patris ſæcula octo; & de intellectu, & veritate proceſſiſſe verbum & vitam, & protuliſſe ſæcula decem: & de verbo & vita proceſſiſſe hominem, & Eccleſiam, & protuliſſe ſæcula duodecim. quæ omnia ſimul computata faciunt ſæcula triginta. De ſæculo verò trigeſimo aiebat natum Diabolum, & abeo natos alios, qui hunc mundum viſibilem condiderunt. ita referunt Irenæus lib. 3. cap. 4. & Auguſtinus hæreſi vndecima, qui etiam hæreſi duodecima & 14. eundem errorem tribuit Secūdianis, & Marcianis.

Irenæus. Auguſtin.

Quartum errorem docuerunt Plato, Ariſtoteles, Autor libri de cauſis, Auicenna, & Philo Iudæus. Plato in Timæo dixit, Deum produxiſſe Angelos, & fortaſſe etiam corpus cœleſte: Angelos verò iuſſu Dei produxiſſe iſta inferiora. quare etſi dixerit mundum genitum fuiſſe, non tamen ſenſit, omnes mundi partes Deum immediatè per ſeipſum condidiſſe. Ita etiam de Platone ſenſit Auguſtinus lib. 12. de Ciuitate c. 26. Ariſtoteles aut putauit mundum non pendere à Deo in genere cauſæ efficientis, vt nonnulli opinantur, aut ſaltem non omnes mundi partes ab illo immediatè pendere, ſed inferiora mediantibus ſuperioribus cauſis, quarum lumine, & motu generatio in ſublunaribus perpetuatur. Scotus in 1. diſt. 8. q. 5. litt. D. ait Ariſtotelē ſenſiſſe, Deū immediatè produxiſſe intelligētias, & mediātibus intelligētiis produxiſſe inferiora. Autor libri de cauſis, & Auicenna lib. 9. ſuæ Metaphyſicę c. 4. dixerūt, primam Intelligētiam produxiſſe ſecundam, & ex ſecunda tertiā prodiiſſe vſque ad vltimam, & ab vltima intelligentia effecta eſſe iſta inferiora. Philo Iudæus in lib. de profugis dixit, Deum creauiſſe animam rationalem hominis: vegetatiuam verò, & ſenſitiuam creatam fuiſſe ab Angelis, quos in miniſtros aſſumpſit ad opus creationis. quem errorem ex parte ſecuti ſunt Baſilides, & Cerinthus ex Chryſoſtomo homilia octaua in Geneſim, Theodoreto q. 19. in Geneſim, & Sixto Senenſi annotat. 17. & 95. in Gen.

VI. Plato. Auguſt. Scotus. Liber de cauſis. Auicenna. Philo. Chryſoſt. Theodor. Sixt. Senēſ.

Ex hæreticis hunc errorem docuit Simon Magus, qui referentibus Irenæo lib. 1. c. 20. & 21. Epiphanio hæreſi 21. Tertulliano de præſcriptionibus cap. 46. Auguſtino hæreſi prima, Caſtro in verbo, *Creatura*, & Sandero hæreſi prima dixit, mundum viſibilem productum fuiſſe à quibuſdam Angelis, à ſe genitis ex quadam fœmina nomine Helena: quia ſeipſum Spiritum ſanctum, & Deum eſſe vēditabat. Eundem errorem ſecuti ſunt Menander Simonis Magi diſcipulus, Baſilides diſcipulus Menandri, Saturninus, qui dixit, mundum viſibilem à ſeptem Angelis Deo neſciente factum fuiſſe, vt videri poteſt apud eundem Irenæum lib. 1. c. 22. & 23. Epiphan. hæreſi 24. Tertullianum de præſcript. cap. 46. Auguſtin. hæreſi 4. 3. 4. & 8.

Irenæus.

Quinti

VII. Quinti erroris autores referuntur Plato, Aristoteles, & plures ex antiquis Philosophis. etsi enim illi omnes mundum genitum esse affirmauerint, vt ait Philosophus in primo de Cælo text. 102. non tamen omnes dixerunt, mundum genitum in tempore, quam ob causam Aristoteles in 1. Topicorum cap. 9. ait, problema, vtrùm mundus sit æternus, suo tempore fuisse problema accidentis, quod scilicet ad vtramque partem æquè poterat defendi. Et quidquid sit de aliis Philosophis, de Platone & Aristotele certum est, illos docuisse mundum esse æternum. De Aristotele nullus dubitare potest, qui eius legit libros in 8. Physicorum, & 12. Metaphysicæ: nam sublata motus, & mundi æternitate ruunt omnes rationes, quibus ille existentiam, immaterialitatem, & æternitatem substantiarum separatarum nititur demóstrare. De Platone verò idem sentiunt antiquiores illius interpretes, Plotinus, Porphyrius, Proclus, Iamblicus, Plinius, Crantor, & Apuleius. quanuis alij è contra arbitrentur, illum sensisse, mundum non ab æterno, sed in tempore genitum fuisse. de qua re copiosè, & doctè disputat Pererius lib. 15. de principiis rerum naturalium c. 5.

Aristot. Plato. Pererius.

VIII. Tandem inter illos, qui sextum errorem defendunt, refert idem Pererius in Genesim cap. 1. vers. 1. n. 19. & 30. Marcum Varronem, Ægyptios, & Chaldæos. Marcus Varro tria temporum interstitia distinguebat. primum, quod fuit inter mundi initium, & diluuium. Secundum, quod fuit inter diluuium, & primam Olympiadem. Tertium quod fuit post primam Olympiadem. Et quidem fatetur tertium certo annorum numero notatum fuisse. secundum non ita certa ratione, sed quibusdam coniecturis teneri. primum verò omnino nostram notitiam fugere. Ægyptij, referentibus Laertio, & Pomponio Mela dixerunt, ex quo gẽs illorum extitit, sydera quater suos cursus vertisse: & Solem bis, vbi nunc occidit, ortum fuisse. Quam sententiam de conuersione Solis, & syderum nostro sæculo defendit Hieronymus Fracastorius Veronensis in suo libello de Omocentricis. addiderunt, centum millia annorum præteriisse post compertam ab illis scientiam syderalem, & per annos septuaginta millia ante Cleopatram, in qua regnum illorum finem habuit, continuata serie apud illos Reges sedisse. Chaldæi verò iactabant, se quadringentorum, & septuaginta millium annorum cursu scientiam Astrologicam didicisse, vt omittamus fabellas Chinensium, & Iaponiorum à modernis historicis narratas.

Laertius. Póp. Mela. Fracastor.

IX. Has omnes opiniones, seu veriùs fabellas ad tempus conterendum excogitatas oportuit recensere, propterea quòd, vt Aristoteles ait lib. 1. de cœlo text. 101. *Narratis opinionibus aliorum, vtique credibilia erunt dicenda iis, qui antè audierint dubitationum sermonum iustificationes: nam videri indicta causa condemnare, minus vtique nobis inerit. etenim oportet eos arbitros esse, non aduersarios, qui veritatem sunt iudicaturi sufficienter.* cùm nanque Doctoris Catholici sint partes, veras sententias à falsis, erroneísque secernere, has probare, illas damnare, fieri id minimè potest, nisi priùs vtrasque probè notas ante oculos, & optimè habeat perspectas: præter eas vtilitates, quæ ex notitia variarum opinionum, quæ in vnaquaque re versantur, comparantur, authore eodem Philosopho tum in 1. lib. Topicorum in principio, tum in 5. Metaphysicæ in initio. quarum altera est copia rationum ad differendum de rebus quibuscunque nobis propositis: altera est nosse circa vnamquamque rem propositam benè dubitare. Scire autem de rebus propositis benè dubitare, ad veras solutiones circa dubia proposita inueniendas via certa est, vt Philosophus ait in initio lib. 3. Metaphysicæ. *Est autem opera pretium* (inquit) *aliquid facultatis habere benè dubitare volentibus. Nam posterior facultas solutio eorum est, quæ antè dubitata sunt: illi enim qui quærunt, nisi primò dubitent, similes illis sunt, qui quónam ire oporteat, ignorant, & adhuc neque vtrùm inuenerint, quod quærunt, an non, cognoscere possunt: finis etenim his quidem non est manifestus, illis autem, qui dubitauerint, patescit.* Ad hoc autem, vt circa res propositas sciat quis benè dubitare, optimè conducit varietas opinionum, quæ circa eandem rem versantur. De opinionibus itaque Philosophorum, & hæreticorum, quod ad rem attinet, hæc dicta sufficere videntur. Solùm videtur circa sententiam Aristotelis aliquantulum sistendum, & videndum, an secùndùm ipsum Aristot. mundus pendeat à Deo in genere causæ verè efficientis, an solùm in genere causæ finalis, tum propter autoritatem, quam multis abhinc sæculis ille sibi obtinuit in Scholis Christianorum: tum quia de illius opinione est non leuis controuersia non solùm inter Philosophos, sed etiam inter graues, & eruditos Theologos.

Aristot.

CAPVT II.

Senserintne Aristoteles, & Auerroes, mundum pendere à Deo in genere causæ verè efficientis, an solùm in genere causæ finalis.

I. MVndum ex sententia Philosophi non pendere à Deo in genere causæ verè efficientis, sed finalis tantùm, constanter asseruerũt ex Theologis Ioannes Bacconius in 2. d. 1. q. 1. a. 2. Gregorius Arimin. q. 1. ibidem. Henricus Gandauensis quodlibeto 8. q. 9. quam etiã refert Zimara Theorem. at. 82. Marsilius in 2. q. 1. a. 2. Cardinalis Bessarion. lib. 2. contra calumniatores Platonis c. 6. & ex Philosophis Simplicius lib. 8. Physicorum com. 4. Iandunus in 2. Metaphysicæ q. 5. Alexander Achillinus libro 3. de Orbibus, & quidam alij recentiores, inter quos est Franciscus Picolomineus lib. de mundo c. 6. & lib. 2. de Creatione, per totum.

Baccon. Greg. Arim. Henricus. Zimara. Marsil. Bessarion. Simplic. Iandunus. Achillinus. Francisc. Picolom.

De Auerroe autem D. Thom. lib. 8. Phys. lectio. 21. idem sentit, licèt credat, illum à sententia Aristotelis, & à seipso discordare, quia oppositum docet lib. de substantia Orbis c. 2. Et ita demum de Auerroë ferè omnes sectatores D. Thomæ opinãtur, inter quos videndus est Iauellus lib. 12. Metaphys. q. 28.

D. Thom. Iauell.

Cùm autem prædictis Doctoribus obiiciuntur manifesta loca, & testimonia Auerrois, & etiam Aristotelis, in quibus illi apertè docent, omnibus rebus esse communicatum à Deo ipsum esse, iis quidem clariùs, iis verò obscuriùs, & mundum indigere virtute primi agentis, quæ largiatur illi permanentiam, non solùm secundùm motum, sed etiam secundùm illius substantiam, & esse, & à Deo cœlum, & totam naturam pendere, qui dicẽdi modi sub istis formalibus terminis habentur apud Aristotelem lib. 1. de Cœlo textu 102. & lib. 12. Metaphysicæ textu 38. & apud Auerroem lib. de substantia Orbis cap. 2. Respondent illi per distinctionem de duplici causa efficiente, altera, quæ

Aristot. Auerroes.

Digitized by Google

quæ largitur esse rebus: altera, quæ rerum ipsarum est conseruatrix. contenduntque dicta Aristotelis, & Auerrois testimonia de causa secundo modo, non autem primo modo dicta esse intelligenda, vt scilicet eatenus Deus dicatur causa cœli, & mundi, quia cœlum, & mundum in suo esse iugiter seruat, non quòd verè, & propriè det illi esse per veram, & propriam efficientiam. Atque ita exponenda esse ista, & alia similia loca probant testimonio Alexandri Aphrodisæi magni nominis inter Peripateticos Philosophi, qui ita de opinione Aristotelis arbitratur, teste Simplicio lib. 1. Physicor. comm. vltimo, & lib. 8. comm. vltimo, & lib. 1. de Cœlo comm. 88. quomodo autem mundus pendeat a Deo, vt à conseruante, videtur explicare ipse Alexand. dicens, ideo mundum pẽdere à Deo, vt à prima causa conseruante, quia Deus est prima causa dans motum cœlo, & primus finis, & mediante motu corporis cœlestis conseruans hæc inferiora.

Alexander.

II. Ex altera nihilominus parte alij docti, & graues cum primis Theologi, ac Philosophi sentiunt, mundum de mente Aristotelis, & Auerrois reuera pendere à Deo, non modò in genere causæ finalis & efficientis, mouentis, & conseruantis, verùm etiam dantis esse simpliciter ipsi mundo. ita senserunt ex Theologis D. Thomas in 2. sentent. d. 1. a. 1. & 1. part. q. 44. art. 1. & de potẽ. q. 3. a. 5. & 6. & in 12. Metaph. circa comm. 44. Scotus in 1. d. 8. q. 5. & 2. d. 1. q. 3. quanuis ibi dubius loquatur, & q. 7. quodlibetali, Argentin. in 2. dist. 1. q. 4. Heruæus in tract. de æternitate mundi ex Philosophis Philoponus lib. 1. de generatione text. 107. & 112. Simplicius in 8. Physicor. comm. 79. & commentario vltimo, vbi citat Ammonium in eandem sententiam in 1. de Cœlo comm. 88. & 100. & aliis pleriſque in locis, Zimara in propria q. de triplici genere causalitatis primæ causæ, & theorem. 82. Sõcinus in 12. Metaph q. 16. & nouissime Suarez disputatione 2. Metaph. sectione 1. n. 25. & sequentibus. Videtur autem hanc sententiam ipse Aristoteles docuisse verbis apertis, adeò vt nulla possint responsione in alium sensum detorqueri. In primis nanque illam apertissimè docere videtur in primo libro de Cœlo text. 100. vbi ait, quòd à Deo aliis pendet esse, & viuere, iis quidem exactiùs, iis autem obscuriùs. quem sensum clariorem adhuc reddit lectio Arabica dicens, *Est enim causa omnis esse, & post ipsam primam causam non est alia causa.* Secundus locus est in 1. Metaphysicæ text. 4. vbi dicit, id quod est primum in vnoquoque genere, esse maximè tale, & causam quòd cætera omnia, quæ sunt in eodem genere sint talia. Constat autem, Deum esse primum, & summum ens. Ergo est causa omnibus entibus, quòd ipsa sint. exemplóque rem declarat, ignis enim, qui est primum in genere calidorum, est causa, quòd cætera calida talia sint. vnde non potest hic locus glossari de causa finali, quoniam Aristoteles de efficienti exemplum affert. nec valet refugium, quòd exemplorum non requiritur veritas, sed manifestatio: requiritur enim talis veritas, qua per exemplum res illustretur, nõ autem magis obscuretur, quod contingeret, si ad declarandam causam finalem, ponerentur nobis ob oculos exemplum sumptum ex causa efficienti. Tertius locus videtur esse in 12. Metaph. text. 38. vbi ait: *A tali ergo principio, scilicet Deo, tum cœlum, tum natura dependet.* Quartus in 8. Physic. text. 15. vbi reprehendit antiquos Philosophos dicentes, generationem, & corruptionem alternatiua successione ab æterno sibi inuicem succedere, & nullam successionis huius causam assignantes, propterea quòd æternorum nulla sint causæ. quam rationem reiecit ex eo quoniam non inconuenit, æterna causam habere: si autem non inconuenit æterna causam habere, neque etiam inconuenit mundum habere causam, & illius causa reddenda est, & non alia nisi Deus ipse.

D. Thom. **Scotus.** **Argentin.** **Heruæ.** **Philopo.** **Simplic.** **Zimara.** **Suncinus.** **Suarez.** **Aristot.**

Quòd si quis cum Ariminensi respondeat, Aristotelem loqui de æternis complexis, de quibus ibi ponit exemplum, non de incomplexis, hanc responsionem recentiores quidam reiiciunt, satis quidem apparenter, quia cùm Philosophus redarguat Empedoclem, & Democritum, asserentes, vicissitudinariam rerum generationem, & corruptionem æternam esse, & huius nullam causam assignantes, & ideo eos redarguat, quoniam etiam æternorum effectuum potest reddi causa, procul dubio foret risu dignus, si dum de causa implexorum disputatur, veller ad causas æternorum complexorum diuertere sermonem: dicerent enim illi Philosophi, admittimus dari causas æternorum complexorum, & non admittimus dari causas æternorum incomplexorum, cuiusmodi sunt æterna ipsa generatio, & corruptio.

III. Auerroëm quoque hanc eandem sententiam docuisse, ostenditur quamplurimis testimoniis apertissimis ex illius doctrina petitis. Primum sumitur ex 1. de Cœlo text. 10. vbi ponderans verba Philosophi dicentis, cœlum non esse genitum ex aliquo, inquit, quòd non dixit, cœlum non esse generabile simpliciter, quoniam hæc est differentia inter eos, qui arbitrantur cœlum esse primam causam, & illos, qui opinantur ipsum non esse primam causam, sed esse creatũ à prima causa, quòd illi, qui dicunt, cœlum esse primam causam, dicũt, illud esse ingenerabile simpliciter: qui verò dicunt, illud esse creatum à prima causa, dicunt, quòd non est generabile ab aliquo. & subdit: *Si diceretur esse generabile à nullo, & in nullo tempore, bene posset hoc institui secundùm vocem, & secundùm transmutationem. generabile verò est terminatum tempore, & generabile ab aliquo. & hoc nomen generationis est vulgariter, quod Aristoteles vult remouere à cœlo.* ex quo testimonio duo maximi ponderis colligi videntur, Alterum ex sententia Aristotelis, & Auerrois duplicem esse generationem, alteram in tempore, & ex aliquo scilicet subiecto, & termino: alteram æternam, & ex nullo quam Philosophi vocant simplicem emanationem. Alterum est, mẽtem Philosophi in eo libro, in quo disputat de genitura mundi contra antiquos Philosophos, esse, remouere à cœlo solùm generationem ex tempore, & ex aliquo, non autem æternam, quæ est simplex emanatio. Quæ duo sufficere videntur, nõ solùm ad ostendendum, mundum de mente Philosophi habere causam efficientem, sed etiam ad soluenda omnia, quæ illi in contrarium obici possunt.

Secundum testimonium sumitur ex lib. de Substantia Orbis cap. 2. vbi ait, *Ideo videmus cœlum habere virtutem vnam, nedum mouentem, sed etiam agentem, & seruantem, vt accidit de corpore hominis, & corpore facto propter finem; finis enim significat causam efficientem necessariò, vt motus motorem. At in genere efficientium quoddam est prius tempore re effecta, vt se habet de contentis sub orbe Lunæ: quoddam est prius natura, non tempore, & est orbis, quem sequitur tempus, eique accidit, & efficiens orbem pro assequendo fine. Hoc enim cùm nonnulli ignorauerint, asseruerunt Aristotelem non tribuere vniuerso causam*

Digitized by Google

sam efficientem, sed mouentem tantùm. quod est valde absurdum. Nam proculdubio efficiens cælum est id, quod monet illud: quod enim proprio motu mouet, est illud, quòd ei proprias dispositiones largitur, per quas motum proprium acquirit, quæ virtus illa est, quam laudat frequenter Aristoteles in lib. de cælo, eámque iudicat eminentiorem, præstantiorémque cælo. Ex quo testimonio habetur primò Deum esse causam cœli, & mũdi, non tolùm in genere causæ finalis & mouentis, sed etiam in genere agentis, & conseruantis, distinctæ à mouente. Secundò, quòd si cœlum, & creaturę habent Deum pro causa finali, habent & causam efficientem sui esse: sicut etiam corpus humanum, quia habet causam finalem, habet etiam efficientem. vnde non loquitur de causa efficiente metaphorica, sicut Baconius, & quidam alij dicunt, quia causa efficiens corporis humani non est metaphorica, & quia causa efficiens, quam infert necessariò causa finalis, non est efficiens metaphorica, sed vera, & propria, vt quiuis etiam rudis Philosophus facilè intelligit. Tertiò, quòd istud efficiens, quod infert causa finalis, in aliquibus est prius re effecta tempore & natura, vt in rebus inferioribus: in aliquibus autem est prius natura, & non tempore, vt contingit respectu corporis cœlestis. Quartò quòd ab hoc efficienti habet corpus cœleste non solùm esse, & motum, sed etiam dispositiones necessarias ad finem assequendum. vnde apparet quòd loquitur de efficiente, quod verè dat esse reinam dare dispositiones spectat ad illud, quod dat esse simpliciter, iuxta regulam protritam, dans formam dat consequentia ad formã. Quintò quòd decipiuntur, qui dicunt, Aristotelem non tribuere vniuerso causam efficientem, sed mouentem tantùm, nihil enim clarius videtur dici potuisse.

Tertium testimonium sumitur ex disputatione tertia Metaphysicæ, vbi contra Saracenos disputat de efficientia mundi, & de scientia Dei, & cõuenit cum illis in conclusione, quòd Deus est causa efficiens mundi: sed differt in modo, & in ratione conclusionis. & ad 18. inquit quòd *Deus scit entia, in quantum intelligit suam essentiam, quæ est illorum causa.* Scientiæ enim Dei causa est rerum intellectarum, sicut nostra scientia est causata à rebus. aut igitur Deus non verè aliquid æternum extra se intelligit: aut verè alicuius æterni extra se est causa dans illi esse. Alia plurima afferri possent testimonia, in quibus docet Auerroes æterna habere causam efficientem. Legantur, quæ ille scribit eodem libro de Substantia Orbis c. 5. & disputatione 1. Metaphysicæ, & in Paraphrasi Metaphysic. tract. 1. in 12. Metaph. comm. 44. & suprà com. 36. vt alia omittamus, ne fastidio simus legentibus.

IV. Porrò quænam ex his opinionibus doctrinæ Aristotelis, & Commentatoris sit magis consentanea, peritis in doctrina Peripatetica relinquitur iudicandum. nos enim iuxta documentum Scoti in 1. d. 8. q. 5. §. *De intentione.* istis Philosophis nolumus imponere absurdiora quàm ipsi dicant, vel quàm ex dictis eorum necessariò sequatur, imò ex dictis eorum conabimur rationabiliorem intellectum, quem possumus accipere.

Vnde videtur nobis primò dicendum in hac obscurissima, & ad soluendum difficillima quæstione, nullum esse inconuenies, si dicamus Auerroëm, aut etiam Aristotelem, & si quis fuit præstantior Philosophus supernaturali lumine destitutum à recto tramite veritatis deuiasse, neque cum ipsa veritate, neque cum seipso satis constitisse. quid enim mirum, cùm opus creationis adeò sit humanam intelligentiam excellens, vt nullum sit medium naturale, per quod Philosophus lumine fidei destitutus illud demonstratiuè valeat probare, vt inferiùs ostendemus.

Secundò dico, videri mihi probabiliorem esse opinionem illorum, qui contendunt mundum ex sententia Aristotelis pendere à Deo in genere causæ verè efficientis, non quidem in tempore cum nouitate essendi, sed ab æterno, & sine nouitate mundi. Probatur hæc assertio primò, quia, vt rectè monet Scotus loco proximè citato, debemus ex dictis Aristotelis, immo cuiusuis Doctoris rationabiliorem intellectum, quem possumus accipere: rationabilior autem est intellectus, si dicamus, Deum nullo modo esse causam efficientem mundi, sicut dicebant Epicurei. Licèt enim vtrumque falsum sit, & absurdum, & contra catholicam veritatem, tamen magis absurdum est dicere, Deum nullo modo esse causam mundi, quàm si dicamus esse causam æternam, maximè cùm ex sententia quorundam Theologorum non repugnet mũdo fuisse productum ab æterno, neque repugnet Deo potuisse illum ab æterno producere.

Dicetur, esse quidem hoc rationabilius secundùm se, non autem in doctrina Philosophi, quem non opus est cogere contra se mentiri ad veritatem probandam, quæ mendaciis fulcienda non est. V.

Dico, rationabilius esse, ita sentire, & de ipso Aristotele, primò quia multis in locis tum ipse, tum Auerroës, qui inter illius Commentatores primas obtinet, apertè docent, Deum esse causam mundi verè efficientem, nullibi verò apertè id negant. Secundò, quia responsiones contrarium sentientium ad loca ex Aristotele, & Commentatore pro parte affirmante adducta frigidissimæ sunt, & nullius momenti. Quod enim primo loco aiunt huiusmodi testimonia exponenda esse de causa finali, non autem efficienti, vanum, ac risu dignum est, tum quòd Aristoteles, & Auerroës apertè de efficiente, & agente, & mouente sub his terminis loquantur: tum quia finis necessariò infert causam efficientem, finis enim est ille, propter quem agens agit, & quod est in finem ordinatum, causam efficientem necessariò habet, à qua, & per quam est ordinatum in ipsum finem. & qui aufert causam efficientem, aufert finem. quod præterquam quod Commentator non semel admonuit, & deducitur apertissimè ex his, quæ Aristoteles in 2. Physicorum, & 5. Metaph. scribit de causis, tam manifestum, & conspicuum est, vt non possit niti ab eo, qui, quid sit finis, & quæ illius causalitas prorsus ignorat.

Quod autem secundo loco aiunt, mundum habere causam conseruantem, non autem causam efficientem, verè dantem illi esse, præter quod est apertè contra formalia verba Philosophi, & Commentatoris dicentium, à Deo esse omnibus communicatum esse, & Deum esse causam verè efficiẽtem, & mundum esse genitum, licèt ab æterno, & de nullo subiecto, quæ si glossentur, ita vt dicamus, Deus omnibus communicat esse, id est, omnia conseruat, Deus efficit, id est, conseruat, Deus gignit, id est, conseruat, puto, nullum esse, quem tales glossæ ad risum non moueant, præter hoc, inquam, est etiam contra respõdentes, & hanc nostram sententiam benè inspectã mirificè probat. Si nanque cœlum, & tota natura ita penderet à Deo, quoad conseruationem, vt si per impossibile Deus non

Digitized by Google

non eſſet, nec mundus, neque aliquid præter Deũ eſſe poſſet, quod apertiſſimè tradit idem Philoſophus lib. 9. Metaph. text. 17. neceſſe eſt etiam, mundum à Deo pendere quoad illius eſſe ſimpliciter. quid enim opus habet mundus a Deo conſeruari in eſſe, ſi a Deo eſſe non habet? plus enim habere eſſe ab aliquo, quam ab illo conſeruari in eſſe, & videmus multa ſeipſa conſeruare in eſſe à quo efficiente, quæ tamen à ſeipſis eſſe non habent ſed ab efficiente. Videmus etiam legem naturæ ita cauſas cum ſuis effectibus coniungere, vt ad eam cauſam ſpectet res conſeruare, à qua res eſſe habent. hinc parentes filios alunt, & illorum procurationem natura iubente gerunt: eos verò qui filij ipſorum non ſunt, nec ſeruant, nec alunt. Certè Dei prouidentia in mundo ipſis Ariſtotele, & Auerroë teſtibus in 12. Metaph. textu & comm. 52. eſt ſicut prouidentia Patrisfamilias reſpectu liberorum, & aliorum, qui ſunt de familia. Et ſanè ſi mundus à ſeipſo habet ſuum eſſe, non à Deo, quæ lex naturæ obligat Deum ad neceſſariò mouendum, & agendum, vt conſeruet opus non ſuũ, quod ab illo in eſſe non pendet? & ad gerendam illius procurationem? Ad hæc ſi mundus à ſeipſo habet ſuum eſſe, non à Deo, cur non ſeipſum abſque Deo conſeruat? plus enim eſt habere eſſe à ſeipſo, quàm ſeipſum conſeruare.

VI. Tandem quod alij dicunt, mundum habere cauſam efficientem, non vt æternus eſt, ſine principio, ſed vt continenter. ſiue vt continuo fit, & ſeruatur in eſſe, præter quod in eandem ſecundam reſponſionem manifeſtè recidit, non minus vanum eſt. quia vel per continenter mundum fieri intelligũt, mundum fieri quoad motum, vel quoad eſſe, & quoad eſſe, vel dicunt mundum continenter fieri ratione partium ſublunarium, vel ratione corporũ cœleſtium, & ſubſtantiarum ſeparatarum. Si dicant mundum continenter fieri, quoad motum, hoc verum eſt, ſed non facit ad rem: quia iſti Philoſophi præter cauſam mouentem adſcribunt mũdo cauſam efficientem. Si autem dicant, mundum continenter fieri ratione partium generabilium, hoc ad inſtitutum non facit. Si tandem dicant, mũdum continenter fieri, quoad partes æternas, id vanum eſt, & voluntariè dictum, præter quod ſi cœlum, & intelligentiæ continuò fiunt à Deo ſecundùm illarum eſſe, cur non ab æterno etiam fiunt? Dicetur, quia repugnat æterno habere principium. contrà ergo non continuò fiunt, & oportet aſſignare principium huius continuatæ factionis. Sed iſti decipiuntur, quia putant eſſe idem, habere principium eſſendi, & habere cauſam ſeu principium durationis, cùm tamen in ſententia Philoſophi, & Commentatoris ſit aliquid habens principium eſſendi, quod non habet principium durationis, vt ex Auerroe 1. de cœlo com. 20. & lib. de ſubſtantia Orbis c. 2. monſtratum eſt. Quare hæc reſponſio, quam Franciſcus Picolomineus lib. 2. de creatione c. 5 ex Platonicis acceptam, nimirum ex Tauro in Commentario Timæi ipſius Platonis, & ex Proclo in lib. Obſeruationum eorum, in quibus Platonis Timæo contradixit Ariſtoteles, & in Scholam Peripateticam introductam magni facit, vana eſt, & nullius momenti.

VII. Non me latet, contra hanc doctrinam plura obiici à contrarium ſentientibus, præſertim Baconio, Ariminenſi, & ipſo Picolomineo, quæ in Cõmentario noſtro ad libellum Auerroi de ſubſtantia Orbis c. 2. latiùs proſequimur. primò quia ſi admittenda eſſet iſta mundi efficientia, illa minimè poſſet æterna eſſe, quippe quæ vera eſſet creatio ex nihilo, per quam res tranſit de non eſſe ad eſſe, ita vt habeat primum inſtans ſui eſſe. Secundò, quia qua ratione admittẽda eſſet iſta æterna emanatio, eadem admitti poſſet ex ſententia Ariſtotelis creatio in tempore. Tertiò, quia admiſſa huiuſmodi emanatione rueret totus diſcurſus illius in 8. Phyſic. ad probandam motus, & mundi æternitatem. Quartò, quia ruerent omnes rationes, quibus in 1. de cœlo probat contra antiquos mundum ingenitum eſſe, & illæ, quibus probat materiam eſſe ingenitam, & illæ, quibus probat exiſtẽtiam ſubſtantiarum ſeparatarum, aut ſaltem alia via poſſent ſubſtantiæ ſeparatæ demonſtrari. Quintò, quia malè diffiniiſſet cauſam efficientem per eſſe principium vnde motus, eſſet enim alia cauſa efficiens abſque motu. Sextò, quia periret ratio Commentatoris in 12. Metaph. comm. 44. qua contra Auicennam probat, non potuiſſe primam intelligentiam producere ſecundam, & ſecundam tertiam, quia actio agentis eſt extrahere rem de potentia ad actum. Septimò, quia ex nihilo aliquid fieret, contra communiſſimum illud axioma Philoſophorum, ex nihilo nihil fit.

Verùm hæc leuia ſunt. Primùm enim nullum eſt abſurdum, ſi dicamus Ariſtotelem veram creationem non niſi errorum tenebris, & caligine obuoluram, & valde à longinquo vidiſſe; & cognouiſſe quidem, Deum cauſam eſſe efficientem huius mundi, ſed veram huius emanationis rationem ſuperno lumine deſtitutum perfectè neque vidiſſe, neque videre potuiſſe: atque ob id more eorum qui noctu per viam ad deſtinatum locum pergentes ſæpe in flumina, aut foueas, & præcipitia præter ſpem, & opinionem ruunt, illum in alia abſurda, & in contradictiones inaduertenter lapſum. Neque tamen propter hoc contemnendũ eſſe, ſed excuſandum magis, & gratias non paucas illi eſſe agendas.

Secundò dico, hæc, & alia, quæ obiiciuntur, facillimo negotio diſſolui, ſi ſupponamus tria, quæ licèt in ſe falſa ſint, tamen in doctrina Philoſophi & Commentatoris veriſſima eſſe puto. Primum eſt, duplicem eſſe rerum productionem, alteram temporaneam per motum, & phyſicam mutationem ab agente phyſico, & quod per motum phyſicum agit: alteram æternam per ſimplicem emanationem ab agente ſine motu phyſico, in qua agens præcedit rem, quæ agitur non tempore, ſed ſolùm natura. Hanc duplicem rerum emanationẽ tradit Commentator 1. de Cœlo comm. 20. & de ſubſtantia Orbis cap. 2. Inter hanc duplicem emanationem hoc eſt diſcrimen ſecundùm Philoſophos, quòd res producta per primam emanationem verè tranſit de non eſſe ad eſſe, ita vt habeat primum inſtans ſui eſſe, ante quod illa verè non habuit eſſe. At per ſecundum res producta non ita ſecundùm rem tranſit de non eſſe ad eſſe, vt habeat primum ſui eſſe, ante quod habuerit verè non eſſe, ſed habeat eſſe ſine initio durationis: & eatenus ante ſuum eſſe cõcipitur habere nõ eſſe, quatenus illã cõcipimus ab alio pendere, quòd ſi ſubtraheret ſuã cauſalitatẽ, illa eſſe non haberet. VIII.

Secundò ſupponendum eſt, quemadmodum in mundo ſunt entia alia ſimplicia, alia compoſita: ita duplex eſſe genus productionis, aliud per ſimplicem emanationem ſine motu phyſico, & aliud per verum motum phyſicum: & hæc duo genera productionum eſſe duobus iſtis generibus entium ita propria, vt neque ſimplicia per motum phyſicum, neque compoſita per ſimplicem emanationẽ valeãt produci. cuius differentiæ ratio eſt, IX.

Digitized by Google

quia ſicut res ſe habet ad eſſe,ita ad produci: ſunt autem aliquæ res,quæ ſunt alterationi,& tranſmutationi obnoxiæ ſecundùm ſubſtantiam, vnde huiuſmodi res non niſi per motum phyſicum,qui eſt alteratio, & tranſmutatio ſubſtantialis, generari poſſunt; & ſunt aliæ res, quæ nec alterationi, neque tranſmutationi ſubſtantiali ſubduntur,vt corpora cœleſtia,& Angeli, & iſtæ non niſi per ſimplicem emanationem poſſunt produci.

Tertiò ſupponendum eſt, productioni, quæ eſt per ſimplicem emanationem in via Ariſtotelis,repugnare non eſſe ab æterno,triplicem ob cauſam. Prima ſumitur ex parte rei productæ. nam quod producitur in tempore, tranſit de potentia ad actum, habet enim eſſe, quod priùs non habebat: omne autem tale præſupponit neceſſariò ſubiectum, circa quod agens agit etiam neceſſariò per motum phyſicum. propter hanc cauſam Auerroes reprehendit Auicennam in 12.Metaph. comm.44. quia licèt ille diceret ſecundam intelligentiam fuiſſe ab æterno productam à prima, & tertiam à ſecunda,tamen dicebat, quòd in illarum productione potentia præceſſit actum: productio verò, cuius potentia actum præcedit, eſt productio per motum phyſicum in tempore,nec poteſt eſſe æterna. Secunda ſumitur ex parte ipſius productionis, quia productio per ſimplicem emanationem eſt talis naturæ,vt productum ſolùm natura non tempore ſit poſterius producente, ſicut lumen ſolùm natura eſt poſterius corpore luminoſo,& potentiæ animæ ſunt poſteriores ſubſtantia eiuſdem animæ,& propria paſſio eſt poſterior ſubiecto. Tertia ſumitur ex producente. Deus enim de mente Philoſophi agit ad extra neceſſariò neceſſitate bonitatis,& immutabilitatis,vt lib.4.c.3.adnotauimus, ob quam neceſſarium fuit ab æterno mundum condere ſecundùm omnes partes benè diſpoſitum atque perfectum,legéſque inuiolabiles quibuſque rebus præſcribere, vt benè diſpoſitus æterno tempore conſeruaretur. ob quam cauſam ſi quid ad eſſentialem mundi perfectionem pertinet, tanquam pars eſſentialis, neceſſe fuit ab æterno productum fuiſſe. Si quid autem in tempore ad totũ ſpecies conſeruandas neceſſe eſt produci, id non ſine motu aliquo,& concurſu cauſarum ſecundarum neceſſe eſt produci.

X. His autem ſuppoſitis tanquam veris de mente Philoſophi corruunt omnia obiecta in contrarium. nam

Ad primũ dico,ita rẽ ſe habere, quòd vera creatio æterni eſſe nõ poteſt,vt inferiùs oſtendam: ſed Ariſtotelem hoc non vidiſſe, & hallucinatũ, quia verã rationem creationis nõ eſt perfectè aſſecutus putans aliquid potuiſſe verè produci ab æterno per ſimplicem emanationem.

Ad ſecundũ patet, quòd admiſſa emanatione æterna nõ eſt neceſſe ad mentẽ Philoſophi admittere nouam creationem. Vtrùm autem ipſe nouã creationem agnouerit,dicemus c.5.

Ad tertium dicetur,admiſſa emanatione æterna adhuc validas eſſe rationes cõtra eos, qui dicebãt motum, & mundũ in tempore incepiſſe: quia illi dicebant incepiſſe per veram mutationem Phyſicam ab agente Phyſico,in,& ex ſubiecto, ſubſtantias autem ſeparatas eſſe, alia via oſtendi poteſt, nimirum per viam eſſentialis dependentiæ omniũ rerum ab vna prima cauſa, ſicut oſtendunt Theo-
D.Thom. logi poſt D.Th.1.p.q.2.a.3. At quòd ſint ſubſtantiæ immateriales,& incorporeæ,ac ſimpliciſſimæ, cenſuerunt Philoſophi non poſſe alia via, niſi per viam motus demonſtrari.

Ad quartum dicendũ,Philoſophum definiuiſſe cauſam efficientem in tempore,quæ ſola ſub ſenſu noſtro cadit,non æternam.

Ad quintum dictum eſt, rationẽ Auerrois procedere contra Auicennam,qui licèt productionem intelligentiarum æternam faceret, dicebat tamen eas productas eſſe tali modo, cui æternitas repugnabat.

Ad vltimum dicendum, Philoſophicum illud axioma intelligendum eſſe de factione temporanea,non æterna.

Hæc autem longiori fortè oratione, quàm per XI.
erat ſum proſecutus, propter nonnullos recentiores Philoſophos non parui nominis in ſcholis Peripateticis, qui, vt eorum verbis propriis, & formalibus vtar, aiunt. *Creatio æterna dum exquiſitè cõſideratur,eorum videtur eſſe commentum,qui inter Philoſophos,& Theologos ſe medios conſtituunt, qui abſolutè nec ritè Philoſophi, nec ritè Theologi nuncupari merentur. hi enim cum ex Theologia creationem ſumant, ex Philoſophia, ab æterno nil noui produci poſſe, & mundum eſſe æternum, creationem æternam imaginantur.* quæ ſunt verba Franciſci Picolominei lib.2. de creatione c.3.in principio,quibus & D. Thomã & Scotum latenter videtur notare,illis enim opinionem,quam impugnat ſuprà c.1.tribuerat: & ſic videtur dicere,illos indignos eſſe, qui ritè aut Philoſophi,aut Theologi nuncupari mereantur. hæc eſt nonnullorum autoritas, qui in ſuis opinionibus ſibiipſis admodum placent,& blandiuntur. Omitto autem cauſam D. Th. & Scoti hic agere,an illi ritè Philoſophi, aut ritè Theologi nuncupari mereantur:nam vino per ſe vendibili ſuſpenſa hedera opus non eſt. Illi ſeipſos ritè,& Philoſophos, & Theologos oſtendũt,atque ita profectò,vt plus eruditionis de rebus Philoſophicis, & naturalibus ex vno D.Th. vel Scoto,quàm ex centum Philoſophis excipias,qui multoties integros libros verbis complent ſine ſenſu,& ſine fructu.& cùm oracula ſe fundere arbitrentur, aliud nihil niſi nugas fundunt,quibus tempus conteritur,& nec ſeipſos neque res de quibus loquuntur, ſatis intelligunt,nec Ariſtotelem cuius ſe interpretes conſtituunt.

CAPVT III.

Propoſita controuerſia per concluſiones reſoluitur.

COntra prædictos errores conſtituuntur quatuor aſſertiones veriſſimæ,& ſecundùm Catholicam fidem certiſſimæ. I.

Prima, vnicum tantùm eſſe rerum omnium principium,à quo res omnes tanquam à cauſa efficienti prima non ſolùm quoad motum, & conſeruationem,ſed quoad illarum eſſe pendent.

Secunda,mundum non ab æterno, ſed in tempore ſecũdùm omnes illius partes eſſentiales fuiſſe productum.

Tertia,mundum in tempore non ex præiacente ſubiecto,ſed ex nihilo à Deo creatum.

Quarta,mundum immediatè à Deo,non autem mediantibus Angelis creatum fuiſſe.

Has omnes propoſitiones, tanquam certiſſimæ fidei dogmata definiuit Concilium Lateranenſe his verbis,quæ referuntur in c.firmiter.de ſumma Trinitate & fide Catholica. *Firmiter credimus, & ſimpliciter confitemur, quòd vnus ſolus eſt verus Deus, æternus;* & infrà: *Vnum vniuerſorum principium,creator omnium, viſibilium, & inuiſibilium, ſpiritualium,*

&

& corporalium, qui ſua omnipotenti virtute ſimul ab initio temporis vtramque de nihilo condidit creaturam, ſpiritualem, & corporalem, angelicam videlicet, & mundanam, ac deinde humanam quaſi communem ex ſpiritu & corpore conſtituram. Sunt autem iſtæ propoſitiones non tam concluſiones Theologicæ ex principiis fidei deductæ, quàm fidei principium, & fidei noſtræ primus articulus, quem in ſymbolo quotidie recitamus, cùm dicimus: *Credo in vnum Deum Patrem omnipotentem, factorem cæli, & terræ, viſibilium omnium, & inuiſibilium.*

II. Eſt itaque prima propoſitio, vnicum eſſe rerum omnium principium, à quo res omnes viſibiles, & inuiſibiles, vt à prima cauſa ſecundùm illarum eſſe pendent. In qua propoſitione duo aſſeruntur. Primum, mundum minimè eſſe à caſu, aut à ſeipſo, ſed habere cauſam efficientem. Secundum, primam cauſam, & primum omnium rerum principium vnicum tantùm eſſe, non plura. Et quidem mundum aliquam cauſam habere, neque à ſeipſo, neque à caſu exiſtere, ſicut dicebant Parmenides, Meliſſus, Epicurus, & alij Philoſophi c. primo citati, ſatis rudes profectò, & indigni nomine Philoſophorum, probari poteſt in primis ex mundi ordine, & pulchritudine. Quod enim eſt à caſu, abſque ordine eſt: at mundi ordo pulcherrimus eſt, & conſtans, & ſemper manens. Non ergo mundus eſt à caſu, ſed ab aliqua cauſa ſuperiore, quæ ſua ſapientia mundum diſpoſuit, & regit, ac ſeruat. ordinate nanque ſapientis eſt.

III. Secundò probatur ratione deſumpta ex communi conſenſu omnium ſapientum. Quod enim communi ſententia probatur ab omnibus maximè ſapientibus, & doctis, impoſſibile eſt eſſe falſum, vt lib. 2. c. 15. adnotatum eſt, & docet Philoſophus nimirum in 7. & 10. Ethic. & in lib. de Diuinatione per ſomnium: omnes autem Philoſophi ante Ariſtotelem mundũ generabant, vt ipſemet fatetur in primo de cœlo, textu 102. Ariſtoteles quoque pluribus in locis fateri coactus eſt, mundum habere cauſam efficientem, vt ex præcedenti oſtendimus. Ergo mundum eſſe genitum, eſt propoſitio, quam in aliquo ſenſu impoſſibile eſt veram non eſſe. Si autem mundus eſt genitus, vel ex alio, vel à ſeipſo, vel à nullo. Tertium dici non poteſt, quòd ſit aliquod genitum ſine generãte, ſicut non eſt dicendum eſſe filium ſine patre. Nec etiam ſecundum dici poteſt, quia nihil generat ſeipſum. Si autem dicatur primũ, habemus, quod intendimus, quòd mundus habeat cauſam efficientem.

Ariſtot.

Tertiò probari poteſt ratione D. Thomæ. Omne quod eſt tale per participationem, ſupponit aliquid, quod eſt tale per eſſentiam, quod eſt cauſa omnium aliorum, quæ ſunt talia per participationem. hanc propoſitionem probat Philoſophus in ſecundo primæ Philoſophiæ text. 4. inductione, & exemplo: ſed omnia entia ſunt talia per participationem, id eſt, habent eſſe participatum, & ſolus Deus eſt ſuum eſſe per ſuam eſſentiam. Ergo omnia præter Deum habent eſſe ab ipſo Deo, & ſolus Deus eſt ſuum eſſe per ſuam eſſentiam à nullo dependens. hæc ratio optima quidem eſt, ſed Philoſophum infidelem fortaſſe ſic nudè prolata non ita facilè videtur poſſe conuincere, negaret enim ille ſtatim, omne præter Deum habere eſſe participatum. Immo contenderet, aut mundum totũ, aut ſaltẽ quaſdam illius partes non eſſe entia participata, ſed habere eſſe à ſeipſis: diceréque rationem hanc manifeſtã principij petitioné conti-

nere, ſupponẽdo id, quod probandũ eſt, de quo eſt orta quæſtio. Propterea videtur hæc minor propoſitio poſſe ſic probari. Illud enim, quod eſt ens à ſeipſo, & per ſuã eſſentiã à nullo pẽdens in ſuo eſſe, nullo alio indiget, per quod perficiatur, & à quo in eſſe conſeruetur. Hæc propoſitio videtur per ſe nota ex ipſa terminorum intelligentia. Si enim aliqua res nullo modo ab alio pendet in ſuo eſſe, ſed eſt à ſeipſa, multò minus ab alio pendet quoad ſuam conſeruationẽ, quod enim eget alio, vt conſeruetur in eſſe, & vt perficiatur in eſſe, iam eſt dependens ab alio in eſſe. Hac veritate ſuppoſita, ſubiungitur minor propoſitio; ſed omnes mũdi partes indigent aliqua cauſa, à qua perficiantur, & conſeruentur in eſſe. Inductione id probatur. primò res generabiles, & corruptibiles indigere ſuperiori virtute, à qua conſeruentur, & Ariſtoteles docuit in principio Meteororum, & veritatis magiſtra rerum experiẽtia id ipſum demonſtrat. Ariſtot.

IV. Secundò, materiam primã egere cauſa conſeruante, & perficiente, docent omnes Philoſophi, vt Theologos omittamus poſt D. Th. 1. p. q. 44. a. 2. Et ſanè ſi materia nullo indigeret, à quo perficeretur, eſſet ipſa per ſemetipſam perfecta, quę nullam reciperet perfectionem, & ſic nullã reciperet formã; immo eſſet infinitum pelagus omnis perfectionis, quod enim ita perfectum eſt vt à nullo alio perfectionem recipere valeat, infinito modo perfectum eſt. & ſic rediret error ille ſtultiſſimus Dauidis de Dinanto, cuius meminit D. Thom. 1. part. q. 3. a. 8. dicentis, materiam primam eſſe Deum. quẽ errorẽ magnus Albertus in 1. Phyſic. tract. 3. c. 13. tribuit Alexandro Philoſopho Epicureo. D. Thom. D. Thom.

V. Tertiò, corpora cœleſtia egere cauſa perficiente, & conſeruante, ex eo conuincitur, quia egent cauſa mouente. Intelligentias quoque ipſas aiunt Philoſophi mouere, vt primæ cauſæ aſſimilentur, & ſint in optima diſpoſitione. Ad hæc ipſæ intelligẽtiæ ideo intelligẽtiæ vocãtur, quia intellectu præditæ ſũt. Si intelligũt, vel ſeipſas tãtùm, vel aliquid aliud. Si ſeipſas tantùm, illæ imperfectiſſimæ ſunt, quippe quæ ab homine in hoc vincantur. Si aliquid extra ſe intelligunt, vel per ſcientiam, quę eſt cauſa rei intellectæ, vel per ſcientiam, quæ ſit effectus rei intellectæ Si per ſcientiã, quæ ſit cauſa. Ergo illæ ſunt primæ rerũ cauſæ, & tunc vel vna erit tantùm intelligentia, vel plures. Si vna tãtùm intelligẽtia, illã ego Deum, & primã cauſam appellauerim. Si plures. ergo vel nulla alterã intelliget, quod erit abſurdum; vel omnes erunt ſibi inuicẽ cauſæ, quod ſimiliter eſt abſurdũ. Et ne iſta abſurda ſequantur, oportet dicere, ſicut ſecundùm rei veritatem dicendũ eſt, vnam ſolùm eſſe intelligentiã, cuius ſcientia ſit rerum cauſa. Si autem intelligunt per ſcientiã, quæ ſit effectus, iam ipſæ intelligentiæ cauſam aliquã ſuperiorem habent, à qua perficiuntur, quod nos contendimus.

Dicetur, intelligentias intelligere res alias à ſe per ſcientiam, quæ neque ſit cauſa rerum, neque effectus. nos enim ſuprà diximus, Angelum res inferiores intelligere non per ſpecies à rebus acceptas, neque per ſpecies, quæ ſint cauſæ rerum intellectarum, ſed per ſpecies ipſis à Deo concreatas. Sed hoc non officit, ſatis enim eſt, quòd illæ ſpecies concreatæ ſint effectus cauſæ ſuperioris, licèt non ſint productæ ab obiectis intelligibilibus. hæc ratio fundata eſt in doctrina Commentatoris diſput. 3. Metaphyſica ad dubitationem 18. vt legenti eius verba facilè patere poteſt.

Digitized by Google

VI. Quarta eiusdem veritatis demonstratio sumitur ex fine, propter quem res operantur. Constantissimum enim est, omnia agentia, quæ sunt in mundo, in aliquem finem esse ordinata, & ob aliquem finem se mouere, & operari, iuxta vulgatum axioma: Omne agens agit propter finem. finis verò causam efficientem necessariò infert, vt optimè Commentator cap. 2. de substantia Orbis adnotauit, & in citata disputatione 3. ad 18. vbi ait, quòd illud, quod dat substantiis separatis finem, dat etiam illis esse, quia finis idem est, quod forma, & dans illi finem dat formam, & dans formam dat esse. aut igitur negandum est, res ob aliquem finem agere, & dicendum, omnia casu euenire, quod dicere manifestissimæ dementiæ est argumentum: aut si admittamus, vt admittendum est, omnia entia esse in suos fines ordinata, hoc etiam admittere debemus, omnia entia causam efficientem habere.

VII. Hoc itaque cõstituto, ac optimè firmato, quòd mundus ab aliqua causa pendeat secundùm suum esse, probandum est id, quod in hac prima propositione secundo loco asserimus, primum principium, à quo mundus secundùm suum esse pendet, vnicum tantùm esse, non plura, contra illos Philosophos, & hæreticos, qui plura prima principia introduxerunt. Et quidem contra hæreticos hæc veritas facilè probatur ex diuina Scriptura. nam contra Manichæos, qui vetus Testamentum reiiciunt, tanquam à malo principio traditum sit, potest hæc veritas probari testimonio Diui Ioannis in Euangelio c. primo dicentis, *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* & infrà, *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* & infrà, *Mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognouit.* quibus si iungamus ea, quæ Paulus Timotheo scribit, epistola 1. c. 4. reprehendens quosdam, qui dicebant, esse abstinendum à cibis, dicens illos habere conscientiam cauteriatam prohibentes nubere, & docentes abstinere à cibis, quos Deus creauit ad percipiendum cum gratiarum actione, duo Manichæorum errores conuincuntur, alter est, quòd bonus Deus, quem illi dicunt esse Patrem Christi, non creauerit hunc mundum visibilem, & hos cibos, quibus vescimur: alter est, quòd creatura corporalis sit suapte natura mala, & non liceat vesci cibis corporalibus. Atque tandem reuincitur præcipuus error illorum, quòd sint plura prima rerum principia, quàm vnum, qui est Deus bonus & sanctus, & in sæcula benedictus.

Non me latet, Faustum Manichæum Augustino referente lib. 16. contra eundem Faustum c. 2. dixisse, Euangelium Ioannis varus in locis fuisse vitiatum, & eodem Augustino referente lib. 15. c. 1. idem dixisse de Epistolis Pauli. Verùm neque ille notauit hæc loca Ioannis & Pauli tanquam vitiata, neque si ille adnotasset, foret cum illo contendendum. quia quæcunque alia loca contra illum comportarentur, homo corruptus mente, & reprobus circa fidem, cùm nullus foret alius modus euadendi, similiter diceret, fuisse à Catholicis vitiata. Augustin.

VIII. Est alius locus in D. Paulo ad eundem errorem Manichæorum, & aliorum hæreticorum refutandum, & ad propositæ assertionis veritatem demõstrandam idoneus in epistola ad Colossenses cap. 1. vbi de Christo ait, *quoniam in ipso condita sunt omnia in cœlis, & in terra, visibilia & inuisibilia, siue Throni, siue Dominationes, siue Principatus, siue Potestates, omnia per ipsum, & in ipso creata sunt.* Est itaque vnum omnium principium siue visibilium, siue inuisibilium, idémque est Christus per quem bonus Deus quem Manichæi dicunt esse Patrem Christi, omnia non solùm inuisibilia, sed etiã visibilia, & corporea creauit.

Cõtra alios autem hæreticos, qui diuinas Scripturas veteris Testamenti recipiunt, adesset nobis latissimus campus ad eandem veritatem probandam, ex veteri Testamento, nisi superfluum esset, velle in rebus notissimis abundare testimoniis minimè necessariis.

IX. Nunc probanda est eadem assertio contra hæreticos, & etiam contra Philosophos rationibus ex promptuariis naturalis Philosophiæ depromptis. & primò potest hæc veritas probari omnibus illis demonstrationibus, quibus Theologi, ac Philosophi ipsi probant Dei vnitatem. Qui enim ponunt plura prima principia, vel ita illa constituunt, vt vnum ab altero pendeat, vel non. Si dicatur primum, illud quod ab alio pendet, non erit vltimatè primum principium, sed pendens à primo principio: quod Apelles hæreticus dixit, putans hoc modo turpitudinem sui erroris occultare. Si autem vnum principium non est ex alio, sed omnia sunt æquè primò independentia. Ergo plures sunt dij in mundo: hoc autem absurdissimum esse figmentum, probari potest primò ex ipsis idololatris, qui pluralitatem Deorum introduxerunt. Illi enim etsi plures Deos coluerint, super illos tamen vnum tantùm summum Deum constituerunt, quem omnium Deorum patrem fecerunt, aut eandem diuinitatem sub variis nominibus coluerunt, quemadmodum Maximus ille Medaurensis scribit in epistola ad Augustinum, quæ est n. 43. inter epistolas D. Augustini.

Secundò ex Philosophis, & Sibyllis, quorum testimonia pro Dei vnitate citat copiosè August. Steucus in 3. de perenni Philosophia in principio.

Tertiò ex ipsa Dei perfectione, & potestate, omnes enim Dei nomine id intelligunt, quod summè potẽs, & sũmè perfectũ est: sed illud vnum tãtùm est, nõ plura. Si enim plura sũt, vel sunt inter se inimica, sicut Manichæi, & quidã Philosophi dixerũt, & hoc fingi non potest, quia inimicus inimicum persequitur, & destruit, cùm potest, & cùm non potest, impotens est. Qui igitur duo prima principia inter se pugnantia fingunt, quorum neutrum possit alterum vincere, ab vtroque diuinitatem auferunt, vtrumque enim impotens faciunt, & imbecillum, quo nolente multa eueniant, & permaneant, vt bene Athanasius arguit in oratione contra idola. Vel ista plura principia sunt inter se amica, & tunc vel in vno est quidquid perfectionis, & virtutis requiritur ad causandum quodcunque causabile, quæ in alio reperitur, vel non. Si primum dicatur, cùm vnus Deus sufficiat ad causandum quodcunque causabile, & in eo saluetur omnis ratio diuinæ perfectionis, frustrà, & absque ratione plura nomina finguntur. Si autem dicatur secundum, neuter illorum Deus est, quippe cui multæ perfectiones desint, & indigeat alterius virtute ad multa peragenda, quæ de solo minimè agere potest. Rectè igitur Tertullianus lib. primo contra Marcionem c. 3. concludit. Deus si non vnus est, non est. Tertullian. Aliæ innumeræ rationes pro Dei vnitate videri possũt apud Theologos post D. Th. 1. p. q. 11. a. 3. ad quos remitto. D. Thom.

Secundò

X. Secundò principaliter probari poteſt eadem aſſertio argumento ſuperiùs inſinuato. id enim, quod eſt ens non per participationem, ſed per eſſentiam, vnicum tantùm eſſe neceſſe eſt, nec poteſt vllo modo plurificari. hæc propoſitio intellectis terminis veriſſima videtur, quatuor enim requiruntur ad hoc, vt aliquid dicatur ens per ſuam eſſentiam, & non per participationem. primum vt eſſentia, & eſſe in illo omnino identificentur. ſecundum vt ab alio ſecundùm eſſe nullo modo dependeat, ſed ſit ens à ſeipſo independens. tertium, vt contineat in ſe omnem rationem entis, ſi enim non omnem rationem entitatis contineat, illud habebit eſſe participatum, & limitatum. quartum vt contineat omnem perfectionem, & ex hoc ſequitur tale ens neceſſariò eſſe infinitum, & illimitatum virtute, & perfectione. At primum principium, quod eſt Deus, neceſſariò debet eſſe ens non per participationẽ, ſed per eſſentiã. Ergo impoſſibile eſt plura eſſe prima rerum principia.

D. Thom. hanc rationem tangit D. Thomas 1. part. q. 44. quæ ita explicata, quemadmodum nos eam explicamus, & quidem ex fide, vt arbitramur, validiſſima eſt, & intellectum conuincere videtur, quanuis aliis modis declarata, ſicut nonnulli etiam longa verborũ periodo declarãt, vires amittere videatur.

XI. Demum probatur eadem aſſertio ratione, qua

Ariſtot. Ariſtoteles ad eandem probandam vſus eſt lib. 12. ſuæ Theologiæ. Ea verò ſumitur ex optima mundi diſpoſitione, ac gubernatione. vbi multi principiantur, ibi diſſidia, bella, euerſiones regnorum, & principatuum immutationes contingunt: At mundus in optima ſemper diſpoſitione permanſiſſe viſus eſt, in ſuperioribus iidem ſemper fuerunt ſiderum curſus, eædem corporum cœleſtium reuolutiones, eodem ordine inter ſe ad certum numerum atque proportionem tanquam muſico quodam carmine commenſuratæ, atque concinnatæ, adeò vt dixerit Plato in ſuo Timæo, *vt eſſet quadam velocitatis cœlorum tarditatiſque menſura certiſſima, omniúmque octo motuum prodiret in lucem eborea, ascendit lucem clariſſimam Deus in ſecundo à terra circulo, quam modo Solem vocamus.* & Orpheus cœlum Dei lyram nuncupauerit, & Pythagoras dixerit, ex commenſurata motuum cœleſtium corporum proportione dulciſſimam harmoniam naſci, quã & ipſum Pythagoram, & Apollonium Thianæum audiuiſſe, non pauci fabulantur. ſublunaria quoque eundem ordinem generationis, eundem ſitum inter ſe iugiter obſeruant, eodem modo à ſupernis cœlorum lationibus gubernantur, ac tandem vnus mundi principatus, qua ratione ſemel inſtitutus fuit, eadem vſque in hanc diem perſeuerat, nullam paſſus euerſionem, aut immutationem. Vnus ergo eſt mundi princeps, cuius ſupremo nutu, atque imperio neceſſe eſt cuncta diſponi ac gubernari.

Plato. Orpheus. Pythagoras.

XII. Contra hanc veritatem argumentantur Philoſophi, & hæretici. Primum argumentum Philoſophorum erat, Deo, qui ſummè bonus, & perfectus eſt, non niſi perfectiſſima actio eſt tribuenda: ſed actio tranſiens perfectiſſima non eſt, per quam non perficitur ipſum agens, & ſine qua non minus eſſet perfectum. Ergo Deo tribuenda non eſt: ſed mundi productio non eſt niſi per actionem tranſeuntem. Non igitur Deus mundum

Epicurus. produxit. Hac potiſſimum ratione Epicurus diuinam prouidentiam, & cauſalitatem circa creaturas videtur abſtuliſſe.

Reſpondeo actionem, qua Deus mundum produxit, etſi comparata cum actionibus immanentibus intellectus, & voluntatis non ſit perfectiſſima, eſſe tamen perfectiſſimam abſolutè eo modo, quo actio tranſiens poteſt eſſe actio perfectiſſima. Ad cuius rei intelligentiam ſciendum eſt, duobus modis aliquam actionem poſſe dici perfectiſſimam, vno modo quia per illam ipſum agens maximè perficitur, & hoc modo actio immanens dicitur perfectiſſima: alio modo, quia per illam ipſum agens perficit aliud, & communicat illi ſuam perfectionem, & hoc pacto actio Dei tranſiens, qua mundum produxit, fuit perfectiſſima, quia per illam communicauit mundo ſuam infinitam perfectionem eo modo, quo infinita Dei perfectio creaturæ communicabilis eſt, & fuit etiam perfectiſſima, quia ex infinita Dei perfectione fuit, vt mundum producere poſſet, & de facto produceret. Addi etiã poteſt, actionem Dei, qua mundum produxit, perfectiſſimam eſſe, quia Deus produxit mundum nó per aliam actionem, quàm per intellectum & voluntatem, ſecundùm veriorem opinionem, quam probauimus lib. 3. c. 13. & alibi: actio autem diuini intellectus, & diuinæ volũtatis omniũ conſenſu perfectiſſima eſt.

XIII. Secundum argumentum eſt Auicennæ. Ab vno non prouenit niſi vnum: Deus ſummè vnus eſt, res creatæ multæ ſunt, & variæ. quãnam igitur ratione ab eo, qui ſummè vnus eſt, tam multiplex, & tam varia, & numeroſa rerum turba potuit prodire?

Reſpondeo, non minus laboris manere ipſum Auicennam in hoc argumento diſſoluendo, quàm Theologos, cùm ille ponat vltimam intelligentiam vnam numero exiſtentem, & nihilominus creatricem omnium formarum rerum ſublunarium. Theologos autem in hoc argumento ſoluendo nullus manet labor, neque Philoſophos. Reſpondet nanque optimè Commentator in 3. Auerroës. diſputatione ad 18. vbi argumentum in terminis diſſoluit, quòd ab vno, in quantum vnum eſt, & plures rationes rerum factibilium non habet, non niſi vnum poteſt prodire: ab eo autem, quod in ſe vnum eſt, habens tamen plures rationes rerum factibilium, plura poſſunt produci huiuſmodi autem eſt Deus, qui licèt ſit in ſe vnus, habet tamen plures ideas, ſeu rationes rerum creabilium in ſe: & ideo poteſt vnus exiſtens plura producere. Inquit autem Auerroës ibid. quòd Plato primus fuit eorum, qui hanc ſolutionem tetigerunt, quam quia Auicenna ignorauit, dixit, quòd illud, quod procedit à prima cauſa, eſt tantùm vnum. Hinc habemus non ſolùm optimam ac verè Theologicam huius argumenti ſolutionem, ſed etiam quid Commentator ſenſerit de mundi efficientia, & de diuina cauſalitate.

XIV. Tertium argumentum eſt Manichæorum. Omne quod eſt, vel eſt primum principium, vel à primo principio: malum eſt in rebus, vel igitur eſt primum principium, & ſic datur primum principium malum, quod ipſi contendunt, vel eſt à primo principio, & tunc vel à bono, vel à malo; non à primo principio bono, quia principium bonum malum non facit, ſed deſtruit. Ergo à primo principio malo. ergo velimus, nolimus, oportet admittere primum principium malum, ſicut admittimus primum principium bonum. Atque hoc præcipuum erat fundamentum Manichæorum, propter quod duo principia, & duas naturas boni, & mali illi introduxerunt, & arbitrij libertatem ad bonum, & malum penitus ſuſtulerunt.

Reſpondeo, huius argumenti ſolutionem poſtulare, vt videamus, an malum ſit aliqua natura,

& vndénam malum oriatur in mundo, quod dubium tota controuerſia ſecunda tractandum, ac reſoluendum eſt, non enim cum ſolis Manichæis eſt Catholicis de hac re controuerſia, ſed etiam cum Pelagianis, quos Auguſtinus in eundem errorem Manichæorum non ſemel lapſos fuiſſe, locis infrà citandis euidenter oſtendit. Nunc dicimus cum Auguſt. lib. 1. de Geneſi contra Manichæos, vbi hoc argumentum diſſoluit, quòd ſicut tenebræ non ſunt aliqua natura, ſed ipſa lucis abſentia tenebræ dicuntur, & ſicut ſilentium non eſt aliqua res, ſed vbi ſonus non eſt, ſilentium dicitur, & ſicut nuditas aliquid non eſt, ſed in corpore, vbi tegumentum non eſt, nuditas dicitur, & inanitas aliquid non eſt, ſed locus, vbi corpus non eſt, inanitas dicitur: ita malum non eſt aliqua natura, cuius cauſæ, & principia ſint aſſignanda, ſed ipſa bonitatis abſentia, & priuatio malum vocatur. vnde vana, & inſana eſt illorum argumentatio, cùm dicunt: Malum eſt. Ergo vel eſt primum principium, vel à primo principio: malum enim eſt non tanquam natura aliqua, ſed tanquam bonitatis abſentia, & priuatio, quæ non eſt à principio efficiente, ſed deficiente, quod eſt ipſa creatura, quæ in agendo deficit à rectitudine, & bonitate debita illi ineſſe. ſed notat Auguſtinus dicto lib. 1. cap. 4. cauſam erroris Manichæorum fuiſſe, quia ipſi fabulis ſuis decepti crediderunt, eſſe gentem tenebrarum, in qua & corpora, & formas, & animas in corporibus fuiſſe arbitrabantur: ideo putabant, quòd tenebræ aliquid eſſent. quam dementiam lepidè, & argutè reuincit, quia ſicut illi dicunt gentem tenebrarum contra lucem Dei pugnaſſe, ſic poteſt & alius ſimiliter vanus dicere, gentem ſilentiorum contra vocem Dei pugnaſſe.

Auguſt.

Auguſtin.

XV. Quartum argumentum pro Manichæis ſumi poteſt ex regula illa Philoſophorum, quæ ait, quando ſunt duo contraria in rerum natura, ſi datur vnum, datur & alterum: bonum & malum contraria ſunt, & datur in rerum natura ſummum bonum. Ergo datur in rerum natura ſummum malum; ſed quod ſummum eſt in vnoquoque genere, eſt aliis eiuſdem generis cauſa, vt talia ſint, vt Philoſophus probat lib. 2. Metaphyſicæ text. 4. Ergo ſummum malum eſt cauſa omnium malorum, ſicut ſummum bonum eſt cauſa omnium bonorum.

Ariſtot.

Reſpondeo, regulam illam, ſi vera eſt, intelligendam de contrariis poſitiuis tantùm, non autem de priuatiuis, malum autem bono contrariatur non poſitiuè, ſed priuatiuè. vnde neceſſe non eſt, ſi datur ſummum bonum, dari etiam ſummum malum, aut quòd ſicut ſummum bonum eſt cauſa omnium bonorum, ita ſummum malum ſi daretur, eſſet cauſa omnium malorum, cùm priuationes, & negationes nullam habeant cauſalitatem.

CAPVT IV.

Mundum non ab æterno, ſed in tempore eſſe productum.

I. SEcunda propoſitio erat, mundum non ab æterno, ſed in tempore quoad omnes illius partes productum fuiſſe. Quæ propoſitio ſtatuitur contra Philoſophos Peripateticos, imò & Platonicos, & alios capite primo in quinta claſſe recitatos, quamuis admitterent, mundum à Deo in genere cauſæ efficientis pendere, nihilominus huiuſmodi dependentiam æternam eſſe dixerunt.

Contra hos Philoſophos non poteſt veritas huius propoſitionis autoritate diuinarum Scripturarum demonſtrari, illi namque diuinas Scripturas deriderent. vnde & Galenus lib. 1. de vſu partium cap. 10. Moyſen deridet, quòd dixerit, *In principio creauit Deus cœlum & terram*, quippe quòd multa diceret, & nihil probaret. & Commentator Hebræos, Saracenos, & Chriſtianos per irriſionem ſæpe vocat loquentes, quòd multa loquantur abſque ratione.

Galenus.

Auctroës.

Addo etiam, quod mea eſt ſententia, non poſſe eandem veritatem contra Philoſophos ſola ratione ex principiis naturalis Philoſophiæ abſque ſuperno lumine perita euidenter demonſtrari, cùm nullum ſit medium ſenſibile, quod in notitiam huius veritatis euidenter nos deducat, quòd detur creatio ex nihilo. Nihilominus etſi adſint nobis euidentes demonſtrationes, adſunt tamen validiſſimæ coniecturæ, quibus illa ita euidenter ſuadetur, vt niſi quis oculos lumini claudere velit, facillimè poſſit ab ipſa veritatis luce illuminari.

Prima igitur coniectura ſit talis. Omne quod ſeneſcit, & ad interitum properat, neceſſariò in tempore factum eſt, & habuit initium ſuæ durationis. hanc veritatem Philoſophi omnes nemine penitus contradicente conceſſerunt, etſi enim non defuerint, qui dicerent, cœlum initium quidem habuiſſe, finem tamen non eſſe habiturum, quos Ariſtoteles lib. 1. de cœlo redarguit, quia omne generabile eſt corruptibile, & quod ex ſe poſſibile eſt, ab alio nequit perpetuari, nullus tamen dixit, mundum à parte ante æternum fuiſſe, & à parte poſt eſſe finem habiturum. Verùm experientia veritatis magiſtra euidenter docet, mundum ſeneſcere, & ad interitum properare. ſi namque horum temporum hominum ſtaturas, ætates, complexiones, ac vires cum illis, qui ante nos in ſæculis præteritis extiterunt, conferamus, videbimus profectò, nos ætate breuiores, ſtatura minores, complexione inferiores, & viribus longè debiliores eſſe, non ſecus atque filios à parentibus ſenio confectis progenitos, cum aliis iuuenture floreſcente genitis comparandos. Igitur cùm intra ſpatium vix ſex millium annorum adeò defecerint hominum vires, & imminuta ſit annorum noſtrorum, & corporum ipſorum menſura, ſi mundus non eſt aliquando finem habiturus, in ea deueniemus ſæcula, quando homines nec diu viuere poterunt, nec filios procreare; vnde & neceſſe erit, humanam generationem, & ſpeciem omnino interire, illa verò ſublata aliæ quoque rerum ſpecies interibunt. Hac metaphora ſeneſcentis mundi certò aptiſſima vſus eſt autor lib. 4. Eſdræ cap. 5. ſic dicens: *Conſidera ergo, & tu, quoniam minori ſtatura eſtis præ iis, qui ante vos, & qui poſt vos minori, quàm vos, quaſi iam ſeneſcentes creatura, & fortitudinem iuuentutis pretereuntes.* Imò & Plinius lib. 7. naturalis hiſtoriæ cap. 18. dicens: *In plenum condito mortalium generi, minorem in dies fieri menſuram propemodum obſeruatur, rarôſque patribus proceriores, tanquam conſumente vbertatem ſeminum exuſtione, in cuius vices nunc vergat annus* hæc ille.

Plinius.

II. Secunda coniectura. ſi mundus eſſet æternus; ergo & artes eſſent æternæ: irrationabile namque foret, humanos intellectus per æterna ſæcula ſine habitibus ſcientiarum, & artium ignauos, ac ſtertentes fuiſſe: ſed artes æternæ non ſunt. Ergo & mundus æternus non eſt. Minor probatur. artes enim in duplici ſunt differentia, aliæ, quas liberales, aliæ quas ſeruiles, ſeu mechanicas appellamus. Et quidem ſi de artibus libera

Digitized

liberalibus sit sermo, certum est, illas æternas non esse, cùm primos illarum inuentores etiam iuxta Ethnicorum historias teneamus, vt videre est apud Plinium lib. 7. cap. 56. Polydorum Virgilium integris octo libris de inuentoribus rerum, Sabellicum in proprio opusculo hexametris exarato de rerum, & artium inuentoribus, vt priscos taceamus. Et vt omittamus nunc de aliis loqui, sit nobis exemplo vna Philosophia. certè ante tempora Platonis, & Aristotelis pauci fuerunt, qui Philosophi nomen mererentur, quanuis plures extiterint, qui se mundo pro Philosophis venditauerunt. quis enim eorum placita percurrat, & non videat, quanta obscuritate, & insscitia fuerint obuoluta. De naturalibus pauca admodum, de diuinis verò nihil dignum, & omnia ambagibus, fabulis, figmentisque, grauissimisque errorum tenebris implicata tradiderunt, absque ordine, absque methodo confusa adeò, vt vix ipsi seipsos, nedum alij, illos valuerint intelligere. Ad hæc supra quartum, aut ad summum quintum sæculum ante Platonem, & Aristotelem extitisse aliquem Philosophum ea aliqua historia probari non potest. Et demum ex erat hominum illorum sæculorum non solùm circa res Philosophicas, sed etiam circa alias quascunque artes liberales insscitia, vt occasionem fecerit Platoni in Timæo, Anaximandro Milesio, Democrito Abderitæ, Zenoni Citræo, Ægyptiis, Scythis, Æthiopibus, Virgilio, Ouidio, absque antiquioribus Poëtis fabulandi, priscos homines illorum sæculorum spontanea generatione ex limo solaribus radiis calefacto natos, quemadmodum apud eundem Platonem in Menexeno, & apud alios à Polidoro Virgilio lib. 1. cap. 1. citatos videre licebit. si autem de artibus Mechanicis sit sermo, quis dubitet non solùm antiquitati natos fuisse primos cuiuslibet artis inuentores, sed paucis ab hinc sæculis præclaras artes ad vitam humanam apprimè vtiles adinuentas fuisse, quales sunt, ars polaris lapidis, puluceris sulphurei, bombardarum, libros imprimendi, papyrum lineam condendi, horologia ferrea fabricandi, & sericum texendi.

Plinius. Polidorus Virg.

Plato. Anaxim. Democrit. Zeno.

Polid. Virg.

III. Tertia coniectura. Si mundus esset æternus, quid causæ est, quòd excepta diuina Scriptura nullus historicus aliquid eorum, quæ ante sex aut septem annorum millia gesta sunt, narrauit. Fuerunt primi historiarum Scriptores apud Græcos Cadmus Milesius ex Plinio lib. 7. cap. 56. & inter Philosophos Xenophon ex Laërtio, & apud Syros Pherecides ex Apuleio in floridis, apud Chaldæos Berosus ex Ioseph lib. 1. contra Apionem, apud Latinos autem nullus historiam altius ortus esse visus est, quàm Trogus Pompeius, & Marcus Varro. At vetustissimæ Græcorum, siue Syrorum, siue Latinorum, siue etiam Chaldæorum historiæ Phoronæi, aut Inachi, & Ogigis, & Deucalionis diluuium, & Nini regnum non excedunt. vnum excipio Chaldæum Berosum, qui à diluuio Noëtico suam orditur historiam. Si ergo mundus æternus est, quæ est causa, quòd ante Phoronæum, aut Ninum, quos constat diluuio Noëtico posteriores fuisse, nullus rerum gestarum aliquam contexuit historiam.

Plinius. Laërtius. Apuleius. Ioseph.

IV. Posset huic rationi ex sententia Stoicorum quis respondere, ob diluuium vniuersale, ob naturales causas sæpe factum, & sæpius etiam futurum, id euenisse, ob quæ necesse fuit cum aliis animalibus, & cum hominibus omnium artium vsum, notitiam, & omnium rerum memoriam sæpius interire, & sæpius etiam renouari. Quam sententiam Seneca lib. 3. naturalium quæstionum cap. 27. 28. & 29. longa oratione declarat, & amplificat. Neque soli Stoici huiusmodi responsione se ab hoc argumento tuentur, sed etiam Plato in Atlantico, & in Timæo, & Aristoteles in principio primi libri Meteororum. Verùm quàm sit absurda ista responsio, & Philosopho indigna, facilè monstratur. vel enim isti asserunt, propter vniuersalem cataclysmum, & eluuionem, quæ omne hominum genus perdat, id euenire, vel propter diluuium particulare, quod solùm aliquam prouinciam perdat. Si primum dicant, vel affirmant huiusmodi vniuersale diluuium ex causis supernaturalibus euenire, vel ex causis naturalibus. Si ex causis supernaturalibus, quæro, vndénam id didicerint. Respondebunt ex nostris Scripturis. At cur non etiam nostras Scripturas in aliis recipiunt, præsertim in eo, quod dicunt, mundum in tempore creatum, non autem æternum esse. Si verò ex causis naturalibus dicant euenire, Primò Aristoteles, qui rerum species æternas esse affirmat, id admittere non potest. Deinde periti Astrologi probant, ex constitutionibus corporum cœlestium non posse vniuersale diluuium causari. Ad hæc dato, quòd ex causis naturalibus id posset euenire, oportuisset totum genus humanum semel, aut etiam pluries interiisse. vnde ergo illud fuit reparatum? Dicent spontanea generatione. At istas absurditates quis ferat? nobilissimam naturam, qualis est natura humana, ex putredine generari? cur non etiam nunc aliqui homines sic generantur, sicut generantur ranæ, vermes, serpentes, sicut Diodoro autore in Thebaidis agro mures gignuntur, quos homines aliquando vident priorem partem pectore tenus animatam mouere in limo, posteriori nondum animata, sed necdum formata. At hæc data, & non concessa ista absurditate, vnde scire possunt, qui post diluuium ex putredine orti sunt, fuisse ante diluuium eas artes, quæ post ipsum diluuium sunt excogitatæ, si priorum temporum nulla extitit apud posteros memoria? nónne fabulosa est ista narratio persimilis illi, quam de reditu animarum, & flumine Lethæo Poëtæ fabulantur, dicentes, animam ad corpus venire omnibus ideis rerum plenam, & doctam, & omnibus scientiis ornatam: sed cùm ad corpus accedit, omnium, quæ antè nouerat, statim obliuisci? Si enim omnium, quæ priùs nouerat, obliuiscitur, vnde scire potest, se antequam in corpus dimitteretur, aliquid sciuisse, aut etiam aliquid & aliquando fuisse? si autem dicatur, eluuiones illas non toti orbi terrestri, sed aliquibus tantùm partibus, & prouinciis contigisse, cur non potuerunt apud alias prouincias, & nationes seruari artes, & scientiæ, & rerum gestarum memoria? cur etiam non potuerunt alij earundem rerum gestarum historias conscribere, & sicut memoriæ mandauerunt illas prouinciarum eluuiones, & vrbium euersiones, & Ogigis diluuium, & Deucalionis? An non testatur ipse Aristoteles in 12. primæ Philosophiæ text. 50. sæpius vnaquaque arte, & Philosophia, quoad possibile fuit inuenta, & corrupta, veterum Philosophorum opiniones quasi quasdam reliquias vsque ad eius tempora seruatas fuisse? si autem veterum Philosophorum reliquiæ vsque ad illius tempora seruari potuerunt, cur non etiam rerum gestarum historiæ, & monumenta, quæ seruari longè

Seneca. Plato. Aristot. Diodorus. Aristot.

facilius erat, quàm veterum Philosophorum ineptas illas nugationes? sed neque rerum gestarum ante illa tempora vlla memoria seruata reperitur, neque vllus, qui ante ea tempora historiam scribere sit aggressus.

Recte igitur Lucretius lib. 5. suorum Poëmatum in hunc modum nostram argumentationem concludit.

Præterea si nulla fuit genitalis origo
Terrarum, & cœli semper æterna fuere,
Cur supra bellum Thebanum, & funera Troiæ
Non alias alij quoque res cecinere Poetæ?
Quo tot facta virum, toties cecinere, nec vsquam
Æternis famæ monumentis insita florent.
Verùm, vt opinor, habet nouitatem summa recènsque
Natura est mundi, neque pridem exordia cepit.

V. Quarta coniectura. Id quod naturali quadam præsensione omnes affirmant, omnino impossibile est falsum esse, vox enim multitudinis vox naturæ est, vt lib. 2. diximus, naturæ autem Deus autor est, & natura veritatis magistra est, non erroris: sed Philosophi omnes, Poëtæ, docti, indocti-
Aristot. que mundum generant, vt vel ipse Aristoteles autor est in 1. de cœlo text. 102. Quid? quòd ipsemet nec ausus est apertè negare mundum genitum esse, sed cùm concessisset, illum Dei opificium esse, ne cum aliis sentire videretur, ab æterno illum genitum affirmauit. Hæc autem illius euasio non minori facilitate reiici potest, quàm ille sententias aliorum reiiciat. vel enim asserit, mundum factum à Deo per veram factionem, & motum physicum, & sic ipse in omnes absurditates recurrit, in quas alios impingit: vel per productionem ex nihilo, & sic est necesse ex illius sententia mundum primum initium suæ durationis habuisse, quod enim de nihilo producitur, necessariò transit de non esse ad esse, quod autem transit de non esse ad esse, necesse est, habere primum instans sui esse. His igitur coniecturis si non demonstratiuè, saltem probabiliter ostendi potest, mundum æternù non esse, sed in tempore à Deo conditù fuisse.

VI. Contra hanc veritatem longam argumentorum seriem instruunt Aristoteles, Auerroës, & Proclus in proprio libello de mundi æternitate, quæ hîc recensere magis laboriosum esset, quàm necessarium, & ingeniosum, tum quòd à Philosophis, & Theologis centies repetita, & resoluta sunt: tum quòd quatuor suppositis, quæ verissima sunt, illa omnia facillimo negotio euanescunt.

Supponendum enim est primò, cùm dicimus, mundum à Deo creatum in tempore, sensum non esse, quòd præcesserit mundi creationem aliquod tempus verum, & realè, in cuius aliquo instanti fuerit mundus creatus: sed quòd tempus cum mundo inceperit, ita vt primum instans temporis fuerit primum instans esse ipsius mundi.

Secundum est, mundum non esse factum per factionem Physicam, neque extractum de potentia passiua, neque ex præiacente subiecto, sed solùm transisse de potentia actiua agentis ad esse actualis existentiæ.

Tertium est, per nouâ creationem mundi non accidisse aliquâ Deo mutationem, quia ab æterno decreuit mundum creare, sed pro tali tempore.

Quartum, per mundi creationem nil perfectionis accidisse Deo creanti: sed solùm creaturæ. etsi enim de ratione summi boni sit se aliis communicare, non tamen ita est de ratione summi boni se aliis communicare, vt nisi se communicet, careat aliqua perfectione. quod in 4. lib. c. 2. & duobus sequentibus ostendimus. His suppositis, vt secundùm veritatem catholicam supponenda sunt, corruut duodecim illa argumenta, quæ ex Aristotele affert Pererius lib. 15. de principiis pro mun- Pererius.
di æternitate, & alia duodecim, quæ affert ex Auerroë, & alia viginti quæ similiter profert ex Proclo, & alia duodecim argumenta, quæ ipse ex se affert, quæ omnia ad hæc quatuor fundamenta elisa frangûtur, & facillimè in nihilû rediguntur.

Tantùm superest, vt tria alia argumenta soluamus, quæ suam videntur adhuc solutionem desiderare. Primum sumitur ex autoritate diuinæ Scripturæ, quæ videtur tempus æternum facere. Si autem tempus æternum est; ergo & motus, & mundus, vt bene Aristoteles infert. Antecedens verò probatur ex D. Paulo in initio epistolæ ad Titum vbi ait, *in spem vitæ æternæ, quam promisit, qui non mentitur Deus ante tempora sæcularia.* quod idem est, atque ante tempora æterna, vt Augu- August.
stinus lib. 1. de Genesi contra Manichæos cap. 1. legit, & ex lib. Eccles. in cap. 1. vbi sic legimus: *Arenam maris, & pluuiæ guttas, & dies sæculi quis dinumerauit?*

Respondetur ex Augustino ibidem æternum accipi dupliciter, vno modo pro eo, quod est simpliciter, & absolutè, & omnibus modis æternum, ante quod nihil omnino est, & hoc modo solus Deus æternus est. Alio modo pro longissima duratione, cuius vix sciri potest initium, aut finis, & sic multoties aliquid creatû vocatur æternum; & iuxta hanc acceptionê D. Paulus vocauit tempora huius sæculi tempora æterna. Et quòd iuxta hanc posteriorem, non autem iuxta priorem acceptionem acceperit nomen æterni, coi uincunt verba illius, cùm ait, *quam promisit Deus ante tempora æterna.* Loquitur ergo de temporibus æternis, ante quæ aliquid fuit, non de temporibus æternis, ante quæ nil esse potuit: secundùm autem nostram vulgatam editionem hæc verba nullam habent difficultatem, quia nostra lectio habet, *ante tempora sæcularia*, id est, ante tempora, quæ cum hoc sæculo, & mundo sunt condita.

Ad alium locum ex lib. Eccl. eodem modo respondetur, phrasim esse Scripturæ, vocare innumerabile id, quod magnum numerum excedit, & vix potest cum difficultate numerari, quo pacto populus Hebræus sæpissimè vocatur populus, qui præ multitudine numerari non potest, & comparatur arenæ maris, vt apparebit versatis in diuina Scriptura. Vel secundò dicendum est, quòd dies sæculi dinumerari non possunt à parte pòst: quia nullus scire potest vltimum diem huius sæculi, Domino dicente apud Marc. 13. *De die autem illa nemo scit, neque filius hominis.* Sed prior solutio est magis literalis.

Secundum argumentum sumitur ex spiritualibus creaturis, quas ab æterno, aut saltem per multa annorum millia códitas fuisse ante hunc mundum visibilem, docent antiqui Patres; ex Græcis Origenes, Nazianzenus, Basilius, Diodorus, & Procopius Gazæus, & Damascenus & Cassianus, qui Cassian.
collat. 8. c. 7. dicit, hanc sententiâ suo sæculo fuisse celebrê apud omnes Orientales, & ex Latinis Ambros. Hilar. D. Hier. Beda, & Ansel. Cantuariensis, ex quibus sufficiât nobis vnius Hieronymi verba, Hieron.
is enim in epist. ad Titum c. 1. exponens illa verba, *ante tempora sæcularia.* vel, vt ipse legit, *ante sæcula æterna*, inter alia scribit: *Sex millia necdum nostri orbis implentur anni, & quantæ priùs æternitates, quanta tempora, quantas sæculorum origines fuisse arburandum est, in quibus Angeli, Throni, Dominationes, cæteraque virtutes seruierunt Deo, & absque*

temporum

temporum vicibus, atque mensuris Deo iubente subsistere. Quòd si quis respondeat cum Magistro sententiarum d.2. cap.6. Hieronymum ibi non loqui ex propria sententia, sed more Commentatoris aliorum sententias referre, audiat eundem Hieronym. in epistola ad Damasum n. 142. exponentem illa verba Isaiæ cap.6. *Et duabus alis velabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius, & duabus volabant; velabant* (inquit) *faciem non suam, sed Dei. quis enim eius potest scire principium, qui antequam istum condiderit mundum interim fuerit in æternitate, quando Thronos, Dominationes, Potestates, Angelos, totúmque ministerium cœleste condiderit?*

Magist. Hieron.

IX. Respondeo, esto vera esset illa opinio Patrum asserentium, Angelos ante hunc mundum visibilem conditos fuisse, nihil tamen sequeretur contra nostram assertionem. Primò, quia illi non dicunt, Angelos subsitisse ab æterno, sed habuisse aliquod suæ durationis initium, licèt per multa sæcula ante creationem mundi huius visibilis. Secundò, quia nomine sæculorum, aut temporum, aut æternitatis non verum tempus, neque veram æternitatem accipiunt, sed tempus imaginarium, & æternitatem quandam participatam, quæ dicitur æuum. Quemadmodum enim differentiæ loci nonnunquam accipiuntur pro differentiis loci imaginarij, non realis, vt cùm ait Aristoteles l.b.4.Physic. quòd extra cœlum nihil est: ita differentiæ temporis nonnunquam accipiuntur pro differentiis temporis imaginarij, vt cùm dicunt Patres, ante creationem mundi visibilis multa, & infinita sæcula, & tempora æterna præcessisse certum enim est, illos de tempore vero, & reali intelligi non posse, cùm illud sit mensura motus Physici, & realiter idem cum motu, sola ratione formali ab illo distinctum. Cùm etiam aiunt, Angelos per multas æternitates ante mundum visibilem subsitisse, ac Deo ministrasse, apparet, eos nomine æternitatis non veram æternitatem, quæ omni principio, & fine caret, quæque solius Dei propria est, loqui, illa enim non multiplex, sed vna sola est: sed loqui de æternitate participata, quæ longissima est duratio, quam Theologi æuum appellant.

Aristot.

X. Verum autem illa Patrum sententia, vt probabilis saltem possit defendi, videtur nonnullis Theologis, post decreta Concilij Lateranensis relata in cap. firmiter. de summa Trinitate & fide Catholica, illam non posse absque erroris nota defendi, cùm in eo Concilio fuerit definitum, vtramque creaturam, scilicet Angelicam, & mundanam, simul in initio temporis de nihilo conditam fuisse. Atque ita sentiunt Ferrarien. lib. 4. contra Gentes cap. 83. & alij nonnulli ex recentioribus, inter quos recensetur Melchior Cano. Nihilominus licèt prædicta sententia omnino probanda non sit, tum propter decretum Concilij, tum propter autoritates, diuinæ Scripturæ, quibus illa videtur reprobata, dicitur enim Ecclesiastici 18. quòd qui viuit in æternum, creauit omnia simul, tum propter communem consensum non solùm Scholasticorum, sed etiam maioris partis priscorum Patrum, quorum autoritates videri possunt apud Ascanium nostrum Martinengum in Glossa magna ad primum caput lib. Genes. pag. 191. qui docent, Angelos cum mundo visibili conditos fuisse: non tamen arbitror, illam adeò falsam esse, vt qui illam defenderet, diceret errorem in fide primò propter autoritatem Patrum, qui illam docuerunt, de quibus, vt Hieronymus ait in Danielem lib. 1. cap. 9. difficile admodum est iudicium ferre, & alterum alteri præferre. Secundò, quia post decreta Concilij Lateranensis ita de hac opinione senserunt D. Th. 1. part. quæst. 61. art. 2. & ibi Caietan. Bánes, & Gregorius Valentianus, & alij multi graues, & periti viri, quos non est dubium, decreta eiusdem Concilij optime nouisse, præsertim D. Thom. qui eiusdem decreti meminit in Opusc. vigesimo tertio, quanuis Melchior Cano neget illud esse opusculum D. Thomæ; quod tamen absque ratione cogente facere videtur: non enim illud decretum Concilij Lateranensis adeò viget, vt non possit legitima interpretatio illi adhiberi. Nam, vt inquit Caietanus, non omnia, quæ in Conciliis dicuntur, sunt definitiones, & canones fidei, & pro talibus habenda, sed ea solùm, ad quæ definienda Concilia sunt congregata: Concilium autem Lateranense non intendit ibi definire, an Angeli fuerint creati cum hoc mundo visibili, sed solùm damnare errorem Origenis dicentis, Angelos malos fuisse conditos ante mundum visibilem, & illis peccantibus, Deum quasi per accidens condidisse mundum visibilem, vti carcerem, in quem detruderentur mali spiritus, & in eo pœnas darent suorum peccatorum. aduersùs quem errorem decreuit Concilium, Deum tam principaliter condidisse eam creaturam corpoream, quàm inuisibilem, & incorpoream, vt notauit D. Thomas dicto opusculo 23. intendit etiam damnare errorem Abbatis Ioachimi dicentis, tres diuinas personas non esse verè vnum Deum, & vnum principium creaturarum, sed dici vnum Deum, & vnum principium solùm per quandam collectionem, & vnionem in charitate, ad eum modum, quo multi dicuntur vnus Populus, & vna Ecclesia. Intendit demum reprobare alios nonnullos errores Almarici, ad creationem spectantes, vt videri potest in dicto Concilio, quæ habentur in volumine 4. pagina mihi 212.

Ferrarien. Cano. Ascan. Martin. Hieron. D. Thom. Caietan.

Verùm autem à Moyse vniuersale rerum exordium describente, ipsa Angelorum creatio fuerit omissa, quàm plures, iique graues, & docti autores partem negatiuam tenent, contendúntque eam lucis nomine insinuatam, cùm ait *fiat lux*, & inter eos videri potest Florianus noster Nanius Scalensis Episcopus, meúsque colendæ semper memoriæ amantissimus Præceptor in Catena Argentea ad primum caput Geneseos conclusione 9. vbi assignat nouem rationes, ob quas Scriptura aliqua silet, & probat, ob nullam potuisse Angelorum creationem à Moyse omitti. videri etiam potest Daniel Malonius in 2. sentent. distinctio. 2. de Angelis disp. 4. sectione 2. Hæc verò de isto dubio obiter dicta sint.

Florianus Nanius. Malonius.

XI. Tertium argumentum est, mundo non repugnat esse ab æterno productum, Ergo ab æterno productus est. Sequela videtur manifesta, quia in æternis esse, & posse esse, nullo modo differunt. Antecedens probatur autoritate D. Thomæ 1. part. quæst. 46. art. 2. quem Nominales sequuntur, præsertim Gabriel, Ocham, & Gregor. Ariminens. in 2. d. 1. & saltem quoad spirituales creaturas Durandus eadem d. 1. Secundò probatur rationibus ab eodem D. Thom. & aliis Theologis formatis, nam mundum in tempore incepisse est articulus fidei. Ergo non repugnat, illum ab æterno fuisse. Aliàs posset ratione naturali illius inceptio probari. Deinde producto, vt productum, non repugnat esse ab æterno, nam si Sol esset ab æterno, non repugnaret illi, ab æterno lumen producere, &

D. Thom. Gregor. Ocham. Gabriel. Durand.

& verbum est productum, & tamen est ab æterno.

Respondeo, quod ad vim argumenti attinet, illud nihil concludere. etsi enim vera sit illa propositio Philosophica: In æternis non differunt esse, & posse esse; tamen non admittimus, mundum esse æternum. vnde committitur petitio principij in argumento. quod autem spectat ad dubium, quod tangitur in ipso argumento, an potuerit mundus ab æterno produci, salua reuerentia, quæ Doctoribus debetur, videtur mihi pars negatiua vt verissima omnino tenenda cum Henrico quodlibeto 1.q.7. Alberto part.2. tract. 1. q.4. Marsilio in 2.q.1.art.2. Henricus. Albertus. Marsil.

Ratio est, quia licèt non repugnet producto, sub ea absoluta, & vniuersali ratione, qua productum est, fuisse ab æterno, tamen producto, vt productum est per productionem, quæ est creatio ex nihilo, repugnat omnino esse ab æterno. Est enim creatura, vt Augustinus in lib. contra Felicianum Arrianum definit, ex eo quod adhuc non est, aut aliquando non fuit, rei cuiuslibet corruptibilis, quantum ex se est, Patris omnipotentis Dei voluntate facta substantia. Hinc fit, nullam creaturam ab æterno existere potuisse; quia de ratione creaturæ est, vt habeat esse post non esse, & habeat primum instans sui esse: nihil autem, quod habeat esse post non esse, aut primum instans sui esse, ab æterno potest esse. Hinc D. Ioannes Damascenus 1. libro fidei Orthodoxæ cap. 8. *Natura*, inquit, *minimè comparatum est, vt quod ex nihilo in ortum producitur, eandem cum suo principio æternitatem habeat.* & infrà: *Creatura cùm à voluntate proficiscitur, Deo profectò coæterna non est.* & Augustinus lib. 12. de Ciuitate cap 15 loquens de Angelis: *Quomodo*, inquit, *creati dicendi sunt, si semper fuisse intelliguntur.* & Ambrosius lib. 1. Exameron cap. 3. contra Philosophos, inquit, *Quomodo coæternum Deo mundum asserunt, & creatori omnium sociant, atque æqualem esse disputant creaturam.* & Basilius lib. 2. contra Eunomium ait, eiusdem esse dementiæ, dicere, Deum non esse æternum, & creaturam posse esse Deo coæternam. Ad hæc Basilius ibid. Athanasius in oratione 2. contra Arrianos, Gregorius Nazianz. Hilarius, & alij Patres ex hoc potissimùm probant, Verbum non esse creaturam, quia est Deo Patri coæternum, dicente Ioanne, *In principio erat Verbum.* quæ ratio vires omnes amitteret, si concederetur, non repugnare creaturæ esse ab æterno. Damasc. Augustus. Ambros. Basilius. Athanas. Nazian. Hilarius.

XII. Hinc demum infertur, eos, qui mundum concesserunt esse à Deo productum, & nihilominus fuisse ab æterno productum, latenter contradictoria concessisse, aut saltem veram creationis naturam, & rationem minimè attigisse, sed ad summum aliquam obscuram, & vmbratilem notitiam multis errorum tenebris inuoluram habuisse, ex quorum numero videtur fuisse Aristoteles, vt cap. sequenti statim dicemus. Quod autem dicitur, mundum fuisse creatum in tempore, referri inter articulos fidei.

Respondeo, quòd est articulus fidei, mundum esse creatum de nihilo, id enim minimè demonstrari potest. Supposito verò, quòd esset creatus ex nihilo, non esset articulus fidei, illum fuisse creatum in tempore; hoc enim ex quidditate, & intrinseca ratione creationis posset optimè contra Philosophos demonstrari. sed quia primum probari non potest, & ex sola fide tenemus, etiam secundum demonstrari minimè potest, & ad fidei articulum pertinet non primò, & principaliter, sed secundariò.

CAPVT V.

Mundum non ex præiacente subiecto, sed ex nihilo in tempore à Deo conditum fuisse.

ETsi monstratum sit, mundum æternum non esse, sed in tempore fuisse à Deo productum, non tamen modus productionis, secundùm quem à Deo emanauit, fuit adhuc à nobis reseratus. esto namque fuerit mundus à Deo productus, remanet nihilominus dubium, an ex præiacente subiecto, an ex nihilo. Et quidem licèt Philosophi omnes mundum generent, vt Aristoteles ait, nullus tamen illorum videtur ne per vmbram quidem, aut per somnium suspicatus, illum fuisse ex nihilo productum. cuius rei argumentum est, quòd non solùm omnes antiqui Philosophi, quos suprà cap. 1. in 2. classe recensuimus, sed etiam plurimi ex hæreticis materiam primam ingenitam, ac ipsi Deo coæternam fecerunt, eámque mundi opificio substrauerunt. Vnde mihi veritati maximè consentaneum videtur, nullum ex antiquis Philosophis, sed neque ex hæreticis eodem capite relatis veram creationem ex nihilo agnouisse, etiamsi nonnulli saltem ex antiquis hæreticis dixerint, mundum fuisse creatum aut à Deo, aut ab Angelis: illos enim nomen creationis non iuxta propriam, & strictam nominis significationem accepisse, ex hoc constare potest, quoniam Platonici omnes creaturas, etiam ipsos Angelos ex præiacente materia productos fuisse arbitrati sunt; ob hanc enim causam etiam Angelis, & animabus corpora tribuunt, licèt subtiliora, & longè nobiliora, quàm sint hæc nostra corpora crassa, & opaca, vtpote purissima, impassibilia, & æterna. Et ita docuit Plato in Timæo, teste Ficino lib. 1. de doctrina Platonis cap. 5. & 6. Auicebum apud D. Thom. 1. part. q. 50. art. 2. Apuleius, D. Augustino referente lib. 8. de Ciuitate cap. 16. Porphyrius in lib. de electorum Philosophia apud Theodoretum lib. 3. de curandis affectionibus Græcorum, & Eusebium lib. 4. præparationis Euangelicæ cap. 12. Quam sententiam quamplures ex priscis Patribus, vtpote Platonicorum Philosophia imbuti, secuti sunt. Videlicet Origenes, Tertul. Basilius, Athanas. Philo Iudæus, Lactantius Firmianus, Rupertus, Augustinus & alij, quos refert Daniel Malonius in 2. sententia. d. 8. disput. 1. Immo hæc sententia, quòd omnia ex præiacente materia fuerint à Deo formata, siue visibilia, siue inuisibilia, adeò inualuit, vt non solùm Platonici, & plurimi ex priscis hæreticis, sed etiam multi ex Patribus, & ex Scholasticis nonnulli graues nouæ, & autoritatis tanquam verissimam suis scriptis insecuerint, videlicet D. Augustinus de mirabilibus sacræ Scripturæ cap. 1. de Ecclesiasticis dogmatibus cap. 10. & 11. lib. 65. qq. q. 41. lib. 3. de libero arbitrio cap. 11. lib. 1. de Trinit. cap. 7. & lib. 5. cap. 5. & lib. 4. c. 15. & lib. 8. de Ciuit. cap. 13. & lib. 9. c. 10. & in Psalm. 145. quanuis in 1. retractationum videatur hanc sententiam retractare. D. Bonauentura in 2. d. 3. art. 1. quæst. 1. & 2. Richardus ibidem quæst. 2. Aureol. apud Capreol. ibidem quæst. 1. ar. 2. in argumentis contra primam conclusionem. Caietanus in 2. caput Epistolæ ad Ephes. & Suessa. lib. 3. de Dæmonibus cap. 4. quæ sententia etsi minimè Plato. Ficinus. Auicebum. Apuleius. Porphyrius. Daniel Malon. Augustus. Bonau. Richardus. Aureol. Caietan. Suessanus.

nimè vera cenſenda ſit, ſufficit tamen ad conuincendum, priſcos Philoſophos, quibus etiam addendi ſunt hæretici cap.1.claſſe illa 2. & 4.relati, veram creationem ex nihilo minimè agnouiſſe. Vnum excipio Auicennam, qui creationem ex nihilo & cognouit, & docuit,ſed cum erroris admiſtione,de quo cap.ſequenti dicendum eſt.

II. Omitto etiã Ariſtotelem, de quo non leuis eſt controuerſia inter ſcribentes, an nouam creationem in tempore agnouerit, nonnullis pro certo affirmantibus,aliis è contrario non minùs aſſeueranter id negantibus, ex quibus nouiſſimè inter Fran.Picol. Philoſophos videtur fuiſſe Franciſcus Picolomineus lib. 1.de creatione cap. 6. & Benedictus Pererius lib.5.de principiis cap.7.Et reuera pro vtraque parte sũt validiſſimæ coniecturæ:nã pro parte id negante ſtant omnia principia, quibus nititur Peripatetica philoſophia, nimirum nihil fieri de nouo, niſi per motum & in tempore, & ex præiacente ſubiecto: his enim negatis ruit Peripatetica philoſophia.ex parte verò id affirmante ſtant autoritates illæ,quibus videtur Ariſt.docuiſſe,animam rationalem non educi de potentia materiæ,& nihilominus fieri de nouo,& remanere poſt corpus. Quòd enim deforis adueniat, docuit Ariſtot. in 2.lib. de generat. animal. cap. 3. & 4. vbi etiam vocat illam diuinam portionem, cum qua nihil communicat actio corporis. Quòd autem illa de nouo producatur, & remaneat poſt corpus,docet in 12.Metaphyſ.text.16. idque adeò apertè, vt nullus eorum, qui contra ſentiunt, illi loco adhuc ſciuerit legitimam ſolutionem quietatiuam adhibere. Ait enim,*Cauſa itaque mouentes tanquam antea orta exiſtunt; qua verò,vt ratio, ſimul ſunt.cùm enim ſanus ſit homo,tunc etiam ſanitas eſt, & forma antea ſphæra ſimul atque antea ſphæra. Si autem aliquid poſterius permanet, conſiderandum eſt, in quibuſdam enim nihil prohibet,veluti ſi anima tale ſit, non omnis,ſed intellectus; omne nanque fortaſſis impoſſibile eſt* quod teſtimonium eludi non poteſt, dicendo, Philoſophum non loqui aſſertiuè, ſed opinando, aut dubitando:quia ille non erat locus loquendi opinatiuè, aut dubitatiuè. & eſto opinatiuè loquatur,ſufficit, illum talis opinionis fuiſſe. & ibi nulla eſt dubitationis nota comparatione animæ intellectiuæ, niſi noſter Codex Latinus, & etiam Græcus deprauatus eſt. Neque ſatisfit dicendo, illum loqui ſecundùm opinionem popularium, ille enim non eſt locus ſic loquendi. nec dici poteſt,animam intellectiuam deforis accedere, quia eſt æterna à parte antè, & à parte pòſt, & eſt vna numero in tota ſphæra humana, vt dicunt Auer. & illius ſectatores; quia Ariſt. loquitur de anima, quæ eſt forma corporis, quæque non antecedit ipſum corpus:comparat enim omnes cauſas adinuicem,& ad id,cuius ſunt cauſæ,& quærit, vtrùm aliqua cauſa poſſit eſſe prior ſuo cauſato,& vtrùm poſſit remanere poſt cauſatum,& dicit,quòd non inconuenit, cauſas mouentes tanquam antea ortas exiſtere, formam verò non poſſe antecedere id,cuius eſt forma.itaque forma, de qua ibi Ariſt. loquitur, nullo modo antecedit id, cuius eſt forma. Neque ſatisfacit reſponſio Arcang. Mercenarij. quòd intellectus duobus modis poteſt conſiderari,vno modo vt intellectus,& ſubſtantia quædam eſt:alio modo ſub ea ratione, qua eſt forma hominis. & primo quidem modo antecedit corpus humanum,non autem ſecundo modo.frigida nanque, & ridicula nimis eſt iſta reſponſio: nam Ariſt. docet intellectum non poſſe quidem corpus humanum,cuius eſt forma, antecedere, ſed tamen poſſe remanere poſt ipſum corpus;non ergo loquitur de intellectu ſub ea præciſa ratione, qua forma eſt humani corporis. nam quis tam ſtupidus eſt,qui non intelligat,formam ſub ea ratione,qua forma eſt, dici relatiuè ad id, cuius eſt forma,& ſicut nõ poteſt compoſitum antecedere, ita nec etiam remanere poſt illud, quod tamen de anima intellectiua dicit Ariſtoteles.

Arcang. Mercen.

III. Dicetur, Ariſtotelem induxiſſe animam intellectiuam per modum exempli; exemplorum autem non eſſe quærendam veritatem, ſed manifeſtationem.Hæc reſponſio non minus ridicula eſt, nam Ariſtot. docet conſtanter, eſſe aliquam formam, quæ licèt non antecedat compoſitum, remanet tamen poſt illud, & exemplum affert de anima intellectiua.Itaque ſi anima intellectiua de mente Philoſophi verè talis non eſt,quæ non antecedat ſuum compoſitum, remaneat tamen poſt illud,monſtrent reſpondentes aliam formam, cui hoc conueniat.certè neque in philoſophia Ariſt. neque aliquo alio quouis modo id monſtrabunt: neque Ariſtoteli vnquam venit in mentem, de alia forma dubitare,an remaneat poſt ſuum compoſitum,ſed de ſola anima intellectiua dubitauit, vt notum eſt ex lib. de Anima, & de generatione animalium.

Neque tandem dici poteſt, Ariſt. declinandæ inuidiæ cauſa popularium, & vulgarium, propriam ſententiam occultare voluiſſe, & aliter docuiſſe,quàm ſentiret,quia hac reſponſione admiſſa iam nullibi de mente illius vera nobis poſſet conſtare.Addo,licèt id obſeruauerit Philoſophus in ſermonibus popularibus, non tamen in libris ſcientificis,quorum primas obtinet lib. duodecimus Metaphyſicæ; quod ex eo conſtat, quia ibi vnitatem Dei popularibus maximè inuiſam, & docuit,& probauit.

In hac igitur difficultate,in qua hinc inde ſunt anguſtiæ,duo videntur dicenda. Primò, creationem nouam rerum corpore præditarum Ariſtotelem nunquam docuiſſe, aut agnouiſſe:eiuſmodi nanque res per ſolum motum phyſicum produci poſſe arbitratus eſt,cuius ſi contrarium fieri poſſe credidiſſet,laborem fudiſſet in primo de cælo, probando contra Platonem,& alios Philoſophos, mundum in tempore gigni minimè potuiſſe. Secundò creationem nouam rerum ſpiritualium,videlicet animarum,illum apertè non docuiſſe,quia illam non poterat naturali ratione probare: ſed tamen cum illius principiis minimè repugnare,& argumenta ex ipſomet Ariſtotele deprompta contra creationem animarum eſſe ſolubilia.

IV. Alius fuit error eorum, qui etſi mundum in tempore à Deo conditum fuiſſe crediderunt; tamen creationem ex nihilo abſtulerunt, videlicet illorum,qui dixerunt, mundum ex ipſamet Dei natura, & ſubſtantia factum fuiſſe. ita dixerunt Manichæi,&Priſcillianiſtæ,vt colligitur ex Concil. I. Bracarenſi cap. 1. Eiuſdem erroris meminit D.Bonauentura in 2.d.1. quæſt.1. quem VViclef fus de ſuo penu augens,dixit omnes creaturas eſſe idem,quod Deus,licèt Deus non ſit idem quod creaturæ, vt videri poteſt apud Thomam VValdenſem lib.1.Doctrinalis fidei art.1. Vide quæſo prudens lector, quanta ſit hominum vanitas, & dicendi licentia,& humani ingenij inſcitia,& caligo,vt nihil fingi poſſit tam abſurdum, & inopinabile, & à ratione tam alienum, quod non aliquem habuerit aſſertorem,ac defenſorem.

Conc.Brac. D.Bonau. VViclef. Th.VVald.

Contra hos igitur errores non ſufficiebat oſtẽdiſſe,mundum eſſe à Deo in tempore productum; ſed

ſed illud etiam probandum erat, non ex præiacente materia, neque ex ipſa diuinitatis natura, ſed ex nihilo in tempore diuina virtute conditum fuiſſe; ob quam cauſam D. Thom. Theologorum verè Magiſter 1. part. quæſt. 44. poſtquam oſtendit, omnia, quæ ſunt in mundo, fuiſſe à Deo producta, iterum aggreſſus eſt oſtendere, ipſam materiam fuiſſe ex nihilo creatam.

Atque ob hanc cauſam poſita eſt à nobis tertia propoſitio in ordine, quòd mundus non ex præiacente materia, vt ſubiecto, ſed ex nihilo fuit à Deo in tempore creatus. quæ propoſitio contra hæreticos aſſerẽtes, omnia ex prima materia producta fuiſſe, ipſam verò minimè fuiſſe à Deo creatam, probari poteſt ex diuina Scriptura, cuius primum teſtimonium habemus ex primis illius verbis, quæ ſunt, *In principio creauit Deus cælum, & terram.* quæ verba iuxta ſenſum, quem omnes Hebræi, & Chriſtiani, immo & Philoſophi Ethnici illis tribuerunt, ſignificant, cælum, & terram ex nihilo condita fuiſſe: id enim ſignificat verbum *creare*, pro quo eſt in Hebræo verbum ברא *bara*, atque hanc ſignificationem ex hoc verbo accepiſſe omnes Hebræos, & Chriſtianos nulli dubium eſt. Quòd autem infideles Philoſophi intellexerint eo in loco denotari creationem ex nihilo, colligitur ex Galeno lib. 1. de vſu partium cap. 10. vbi propter hanc cauſam reprehendit Moyſem, quòd dixerit, Deum ſuo imperio omnia de nihilo condidiſſe. Commentatórque non ſemel tres leges loquentium ſubſannat, quòd dicant, Deum in principio temporis cælum, & terram de nihilo creauiſſe.

Galenus. Auct.

Et quanuis iuxta Hebraicam veritatem Scriptura eodem verbo creandi vtatur infrà in eodem capite, cùm de cetorum productione verba facit, ita enim ait, *creauitque Deus cete grandia.* pro quo eſt etiam in Hebræo verbum *Bara*, & infrà, cùm de hominis productione loquitur dicens, *& creauit Deus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem ſuã.* cùm tamen conſter, neque cetos, neque hominem de nihilo creatos, ſed hos de aqua, illum de limo terræ; non tamen ſequitur, quòd verbum, *creauit*, ſecundùm propriam ſignificationem non ſignificet producere rem ex nihilo, vt putat Pererius in illa prima verba lib. Geneſ. Nam, vt notat Auguſtinus lib. 1. de Geneſi contra Manichæos cap. 6. & cete, & corpus humanum, & alia omnia, quorum ſucceſſiua generatio deſcribitur in initio lib. Geneſis, rectè dicuntur creata, quanuis fuerint formata ex illa præiacente materia, quia illa materia fuit ex nihilo creata. præter quod, vt idem Auguſtinus lib. 2. de Geneſi ad literam cap. 11. ait, illa ſucceſſiua rerum productio, quam Moyſes ibi recenſet, non fuit ſecundùm ordinem temporis, vt priùs ex nihilo facta ſit materia informis, deinde ſucceſſu temporis ex prima materia facta ſint animalia, & plantæ: ſed fuit ſolùm ſecundùm ordinem naturæ, & cauſalitatis. neque oppoſitum dicit D. Th. in 2. caput Epiſtolæ ad Epheſ. licèt dicat, nomen creationis ferè ſemper ad magna, eximiáque opera adaptari. non enim negamus, eiuſmodi nomen etiam ad ſignificandam productionem, quæ non ſit ex nihilo, nonnunquã adaptari: ſed contendimus iuxta propriam ſignificationem, ſecundùm quam diuinæ Scripturæ ſunt interpretandæ, ſignificare productionem ex nihilo, quod vel maximè comprobari poteſt, quòd ibi dicitur Deus creaſſe cælum, & terram, & quòd terra erat inanis & vacua, quod iuxta veritatem Hebraicam idem eſt, ac ſi dicamus, terram fuiſſe materiam quamdam informem, aptam tamen formari, quam Græci vocant *ilum*, id eſt, primam materiam, vt Rabbi Moyſes Gerundenſis, & Onkelos Chaldæus interpretantur, quod idem eſt, ac ſi diciſſet, Deum in principio creaſſe primam ipſam materiam, quam cùm non potuerit ex alia materia producere, ne daretur proceſſus in infinitum, neceſſe eſt dicere, fuiſſe de nihilo productam. Secundum teſtimonium habetur ex lib. Sap. cap. 1. vbi ait, quòd creauit, vt eſſent omnia. Tertium ex lib. Eccleſiaſtici cap. 18. cùm inquit, *qui viuit in æternum, creauit omnia ſimul.* Quartum illúdque apertiſſimum, quo ſimul vis creationis exprimitur, eſt in lib. 2. Machabæorum cap. 7. vbi ſanctiſſima illa Machabæorum mater vnum de filiis ſuis ita eſt allocuta. *Peto nate, vt aſpicias ad cælum, & terram, & omnia, quæ in eis ſunt, & intelligas, quia ex nihilo fecit illa Deus:* ſi autem omnia ex nihilo facta ſunt, ergo ipſa materia prima, atque Angeli de nihilo facti ſunt. Quintum eſt apud Ioan. cap. 1. vbi dicitur, quòd omnia per Verbum facta ſunt; ſi omnia, ergo etiam prima materia. Si autem prima materia facta eſt. ergo de nihilo; aliàs procedendum eſſet vſque in infinitum, aut ſiſtendum in aliqua prima materia, quæ minimè eſſet facta, quod eſt contra Euangelium. Vltimum teſtimonium habemus ex epiſtola ad Coloſſ. 1. vbi de Chriſto dicitur: *Quoniã in ipſo condita ſunt vniuerſa in cælis, & in terra, viſibilia, & inuiſibilia, ſiue Throni, ſiue Dominationes, ſiue Principatus, ſiue Poteſtates, omnia per ipſum, & in ipſo creata ſunt.* Ex his teſtimoniis deducitur argumentum tale. Omnia quæ ſunt in mundo, condita ſunt à Deo. Omnia quæ ſunt in mundo vel ſunt ſubſtantiæ immateriales, vel materiales; ſubſtantiæ immateriales non potuerunt condi ex prima materia, quia non eſſent immateriales. ergo ex nihilo. Subſtantiæ verò materiales licet conditæ ſint ex materia, tamen cùm ipſa materia ſit facta à Deo, non potuit fieri ex alia materia, ne detur proceſſus in infinitum, ergo etiam illa ex nihilo facta eſt. Ergo quidquid eſt in mundo, ſaltem ſecundum originariam productionem, ex nihilo creatum eſt.

R. Gerund. R. Onkelos.

Pererius. Auguſt.

D. Thom.

Specialiter autem materiam primam fuiſſe à Deo creatam ex nihilo, probant Tertullianus lib. contra Hermogenẽ, & lib. 5. cõtra Marcionẽ, Niſſenus de opificio hominis c. 23. Athanaſ. lib. de Incarnatione Verbi, Auguſtinus lib. 1. de Geneſ. ad litteram c. 14. contra Fauſtum lib. 10. c. 14. Ambr. lib. 1. Exameron c. 1. & 5. Euſebius lib. 7. præparationis cap. 8. Chryſoſt. homil. 2. in Geneſ. & D. Th. 1. part. q. 44. art. 2. V. Tertullian. Niſſen. Athanaſ. Auguſtin. Ambroſ. Euſebius. Chryſoſt. D. Thom.

Dicetur, Angelos, & primam materiã non quidem de alia materia productos, neque tamen de nihilo, ſed de ipſamet Dei natura; ſed hæc reſponſio eſt error intolerabilis; diuina enim natura non eſſe paſſibilis, neque poteſt in alicuius rei compoſitionem venire, neque diuidi poteſt. quod ita notum eſt, vt qui illud neget, indignus ſit, cum quo ſermonem habeamus, cùm neceſſe ſit illum, quid Dei nomine intelligendum ſit, prorſus ignorare.

Ex his ſatis probata relinquitur tertia propoſitio contra hæreticos. Verùm contra Philoſophos, qui cùm in aliis omnibus, tum in hoc præſertim diuinas Scripturas irrident, non ita facilè poteſt naturali ratione efficaciter probari ſaltẽ directè, & rationib. oſtenſiuis: quia dicit D. Th. in 2. d. 1. q. 1. a. 5. in corpore §. tertia poſitio: *Non credo, quòd à nobis poſſit ſumi ratio demonſtratiua ad hoc, id eſt, quòd mũdus inceperit, ſicut nec ad Trinitatem, quanuis Trinitatem* VI. D. Thom.

tem non esse sit impossibile. & hoc ostendit debilitas rationum, quæ ad hoc inducuntur pro demonstrationibus, &c. Quod repetit in Summa 1. part. quæst. 46. a. 2. Et licèt ibi solùm doceat, quòd sit articulus fidei naturali ratione minimè demonstrabilis, mũdum incepisse, & suprà ead. d. q. 1. a. 2. dicat, quòd creationem non solùm fides tenet, sed ratio demonstrat: eadem tamen videtur esse ratio de creatione; quia si posset naturali ratione monstrari, mundum fuisse creatum ex nihilo, multo magis posset demonstrari, mũdum incepisse, quia hoc est magis remotũ à sensibus, quàm illud. Et multi ex antiquis Philosophis, vel ipso Aristotele attestante, dixerunt, mundum in tempore incepisse, qui tamen omnes dixerũt, ex nihilo nihil fit: & multi ex Patribus suprà citatis putant, repugnare intrinsecè ei, quod creatum est, suo creatori coæternum esse. Et certè cùm naturalis demonstratio ex medio ad sensum per se noto procedat, quódnam est medium sensibile, quod nos ducat in cognitionẽ huius productionis, quæ est ex nihilo? Et huius rei veritas ex eo vel maximè conuincitur, quòd cùm multi creationem attentauerint demõstrare, nullus tamen perfectè hanc rem absoluit, omnésque illorum rationes debiles sunt, quæ ab aduersario possent facillimè dissolui. Et licèt diuinæ Scripturæ dicãt, *quòd à magnitudine speciei, & creaturæ cognoscibiliter poterit horũ creator videri*, Sap. 13. quã ob causam Sapiens ibi, & D. Paulus ad Rom. 1. reddit Idololatras inexcusabiles, quòd cùm cognouissent Deum, non sicut Deũ glorificauerunt, sed lapidi, aut ligno, aut homini corruptibili diuinum honorem impenderunt: non tamen dicũt, quòd à magnitudine creaturæ possit cognoscibiliter videri, illas fuisse in tempore ex nihilo productas: neque propter hoc damnantur & inexcusabiles redduntur, quia non cognouerint, illas ex nihilo creatas. Diuersæ enim res sunt, ex creaturis cognoscere, quòd sit Deus in mundo, à quo vniuersa pendeant, & ex creaturis cognoscere, quòd Deus in tempore cuncta de nihilo creauit. Primũ cognosci potest lumine naturali, idque multi Philosophi gentiles cognouerunt & probauerunt, & Theologi dicunt, Deũ esse, non numerari inter articulos fidei, quia veritas est per se nota lumine naturali, & præambula ad articulos fidei. Et nihilominus iidem Philosophi non agnouerunt creationem, saltem nouam in tempore. Et licèt Deus non sit autor rerum, nisi per creationem; non tamẽ necesse est eũ, qui naturali ratione cognoscit, Deũ esse mũdi auctorem, simul cognoscere, quòd nõ sit illarum autor, nisi per creationẽ, sicut Deus non esset, nisi etiam Trinus esset, & tamen nõ est necesse, quòd qui naturali ratione cognoscit, Deũ esse, cognoscat etiã Trinũ esse, ita vt nõ cognoscat vnũ sine altero. Et ita demũ nobiscũ sentiũt Greg. Ari. & Gab. Biel in 2. d. 1. q. 2. & Bassolis ibi. q. 1. a. 3.

Gregor. Gabriel. Bessolis.

VII. Quanuis autem non possimus creationem in tempore rationibus ostensiuis directè demonstrare, potest tamen demonstrari aliquo modo indirectè, vel demõstrando alias veritates, ad quas hęc veritas necessariò sequitur, vel saltẽ aduersariorũ argumenta dissoluendo, quo genere demõstrationis ostẽdi solẽt à Theologis veritates fidei nostrę contra infideles, cùm ostendunt, omnia illorũ argumenta euidenter solubilia esse, & naturalẽ rationẽ in rebus, quas fides docet, nullã impossibilitatẽ posse monstrare. Et quidem ad creationẽ in tempore indirectè demonstrandã, optimũ semper visum est argumentũ, quod sumitur ab anima intellectiua: illã enim immortalẽ esse, neque cũ hoc corpore interire, ratione naturali optimè demonstrari potest, tũ ex eo, quòd omnis forma, quæ ex materia pendet, & à materia educitur, & cum corpore interit, etiã cũ corpore debilitatur; at intellectus viribus corporis deficientibus viresci magis, & roborari, tũ ex eo, quòd forma, quæ à corpore pẽdet, affectiones corporis sequitur, ad motum corporis mouetur, nec corpus ipsum contra proprias affectiones, & propẽsiones, & inclinationes mouet, vt patet in cæteris animantibus, quæ propriis cupiditatib. nullo modo dominari possunt; at intellectus corpus cõtra proprias inclinationes, & affectiones mouet, illiq; frenã imponit, illi per omnia vsque ad mortem dominatur, cùm multos contra naturalẽ inclinationem ad mortẽ obeundã impellat. Necesse igitur est, illam immistã esse corpori, & ab illo minimè pendere, vt dominari possit, quemadmodũ Anaxagoras ab Arist. in 3. de anima, & in Metaph. relatus, & quoad hoc probatus, & laudatus dicebat. tũ quia animã humanã immortalem esse consensio est omnũ Nationũ & Populorũ, quam falsam esse omnino est impossibile, vt etiã Arist. nõ semel testatus est. Tũ demũ, quia ablata animæ immortalitate, Religio, cultus diuinus, fides, pietas, & omnis virtus è fundamentis necessariò euertitur, vt satis notũ est, & experimento demonstrant ij, quos in pœnã multorũ grauissimorum scelerum præcedentiũ Deus in hanc cæcitatem deplorandã labi permittit, vt animã esse immortalẽ negent. Potest etiã naturali ratione ostendi, animã humani corporis formam esse, & corpus, cuius est forma, minimè duratione antecedere. Quod Arist. in 12. Metaph. & in 3. de anima ostẽdit. Ex his verò indirectè sequitur, animã intellectiuã ex nihilo in tẽpore creari, & dari nouã creationem ex nihilo, & in tempore. quòd si Deus potest ex nihilo nobilissimam substantiam, quæ est anima intellectiua, in tempore creare, cur non alias substantias ignobiliores? in nihilo enim nulla maior esse potest repugnantia, ob quam possit vnam rem creare, & non aliam.

VIII. Quòd verò omnia argumẽta, quæ contra nouã creationẽ fieri possunt, euidenter sint solubilia, ex hoc apparet, quòd si semel supponamus, Deũ liberè agere ad extra, & esse infinitæ, & illimitatę virtutis in agẽdo, illa omnia vno ictu statim ruũt. Ex hoc enim, quod est infinitæ virtutis, potest creaturã ex infinita distãtia, quæ est inter nihil & esse, deducere ad ipsum esse, & potest absque dependẽtia ab vlla alia re, quidquid voluerit operari: & ita absque materia substrata potest res producere, & ex nihilo: alioquin si nõ potest absque materia substrata aliquid producere, iam impotentem, & imbecillum se prodit, neque infinitæ est virtutis in agendo, vt supponimus, vt benè D. Athanasius in lib. de Incarnatione Verbi argumentatur.

Athanas.

Dicetur. Creatio est productio entis. vt ens est: Deus nõ potest producere ens, vt ens est, quia producere posset totũ ens, & sic producere posset seipsũ. Respondeo, ista propositio, creatio est productio entis, vt ens est, duobus modis accipi potest, vno modo reduplicatiuè, quatenus infert propositionẽ vniuersalẽ, & facit sensũ, quòd creatio est productio entis vniuersalissimè concepti, seu per modũ abstractionis, & vniuersalis. Et in hoc sensu falsa est propositio, quòd creatio sit productio entis, vt ens est: ens enim hoc modo cõceptũ est solùm in mente, non in rebus. Alio modo specificatiuè, vt faciat sensũ, quòd creatio est productio rei secũdùm solam illius entitatem. Et in hoc sensu verissima est propositio, neq; ex ea sequitur, quòd qui sic producit ens, vt ens, necessariò producat omne ens cõprehendendo etiã ipsũ Deum.

CAPVT VI.

Mundum visibilem quoad omnes illius partes fuisse immediatè à Deo creatum, non autem mediantibus Angelis.

I. QVarta propositio: Mundus visibilis quoad omnes illius partes essentiales, scilicet quoad omnes species, fuit immediatè ab ipso Deo creatus. Reiicitur per hanc propositionem error asserentium, Deum primò Angelos per se ipsum, deinde ministerio Angelorum mundum hunc visibilem condidisse, aut etiam Angelos Deo, aut nescio, aut nolente res visibiles creauisse, cuius erroris autores sunt cap. 1. in 4. classe recitati. Licèt enim præter vnum Auicennam fortasse nullus illorum veram creationem agnouerit, neque crediderit, Angelos per veram creationem absque præsuppositio subiecto aliquid de nihilo condidisse; quidquid nonnulli de eis sentiant: est tamen illorum sententia etiam hoc modo intellecta, error in fide manifestus, & propositio, quam asserimus, doctrina fidei certissima, definita primùm in Concilio primo Bracarensi cap. 8. vbi ita decernitur: *Si quis credit, quòd aliquantas in mundo creaturas Diabolus fecerit, & tonitrua, & fulgura, & tempestates, & siccitates ipse Diabolus sua auctoritate faciat, sicut Priscillianus dixit, anathema sit.* & cap. 13. vbi ita definitur. *Si quis dicit, creationem vniuersæ carnis non esse opificium Dei, sed malorum esse Angelorum, sicut Manichæus, & Priscillianus dixerunt, anathema sit.* Et ista definitio fuit renouata in Concilio Lateranensi suprà citato, cùm definiuit, Deum simul in initio temporis vtramque naturam condidisse, Angelicam, & mundanam. & D. Cyrillus lib. 2. contra Iulianum dicit, esse os Diaboli eos, qui affirmant Angelos aliquam creaturam condidisse. idem in sensu definitum est in Symbolo fidei Nicenæ in primis illis verbis, *Credo in vnum Deum Patrem omnipotentem, factorem cæli, & terræ, visibilium omnium, & invisibilium*, vt statim ostendemus.

Concil. B. Bracar.

Cyrillus.

II. Probatúrque euidentissimis testimoniis diuinæ Scripturæ. Primò namque probari potest omnibus illis testimoniis, quibus probata est tertia propositio. nã si omnia creata sunt à Deo, & simul sunt creata, non potuit aliquid esse creatũ ab Angelis, aut ab alia causa. quia creatio est actio, quæ non potest esse à pluribus causis saltem principalibus. res etiam creata non potest esse partim ab vna causa, partim ab alia, quia non omnia essent à Deo creata.

Secundò probatur omnibus illis testimoniis, quibus ostenditur, opus creationis esse characterem, & notam diuinitatis, per quam verus Deus distinguitur à falsis Diis. Ita enim colligimus ex Ieremiæ c. 10. in illis verbis, *Dij qui non fecerunt cælum, & terram, disperent de terra, & de sub cælo.* Quẽ locum ad hoc probandum inducit Basil. lib. 4. cõtra Eunomium, & ex Psal. 95. in illis verbis, *Omnes Dij gentium Dæmonia, Dominus autem cælos fecit.* & ex epistola ad Hebræos, ibi, *Qui autem creauit omnia, Deus est.* & Apocalypsis cap. 4. in illis verbis, *Dignus es Domine Deus noster accipere gloriam, & honorem, & virtutem; tu enim creasti omnia, & propter voluntatem tuam erant, & creata sunt.* Consimilia habentur Eccles. cap. 1. Ieremiæ 32. 2. Machab. cap. 7.

Basilius.

Tertiò probatur illis locis diuinæ Scripturæ, quibus illa ait, Deum propriis manibus cælum, & terrã, & etiam minutissima animalia plasmasse. Hoc enim modo loquendi si non indicatur, Deũ immediatè per seipsum, non autem per medios Angelos hunc mundum visibilem condidisse, nescio per quem alium id valeat indicari. Porrò hic modus loquendi habetur expressus in lib. Genes. toto cap. 1. & 2. Eumdem referunt verba illa apud Iob. cap. 10. *Manus tuæ fecerunt me, & plasmauerunt me totum in circuitu.* & cap. 12. *Quis ignorat, quòd omnia hæc manus Domini fecit?* & 26. *Spiritus Domini ornauit cælos, & obstetricante manu eius eductus est coluber tortuosus.* & in Psal. 137. *Opera manuum tuarum ne despicias.* & in Psal. 142. Prouerb. 8. Ecclesiastici 1. Isai. 66. & alia id genus plurima, quæ passim occurrunt in diuina Scriptura.

III. Quartò probatur testimonio sanctorum Patrũ, qui constanter affirmant, opus creationis ita esse proprium opus Dei, vt nullo modo sit opus creaturæ. D. Augustinus lib. 9. de Genesi ad lit. cap. 15. ait, *Creare naturam tam nullus Angelus potest, quàm nec seipsum.* & lib. 12. de Ciuit. cap. 24. 25 & 26. vbi hanc veritatem ex instituto probat, & etiam lib. 3. de Trinitate cap. 8. D. Athanas. serm. 3. contra Arrianos inquit, *Administrare creaturarum, & seruorũ est; condere autem, & creare solius Dei, cuiusque verbi, & sapientiæ.* D. Cyrillus lib. 2. contra Iulianum: *Inaccessa* (inquit) *natura sunt ea, quæ propria sunt solius, & omnium summæ substantiæ, quorum vnum esse dicimus, efficaciter operari posse, vt creatorem*: immo ex hoc fũdamento tum dicti patres in locis citatis, tum D. Ambros. 1. in exaem. c. 3. Basilius lib. 4. contra Eunomium Damas. 2. de fide cap. 3. & alij communiter probant, Verbum non esse creaturam, quia Scriptura dicit, quòd *omnia per illud facta sunt, & sine ipso factum est nihil. Quomodo potest fieri* (arguit Aug. contra Arrianos tract. 1. in Ioan.) *vt Verbum Dei factum sit quando Deus per Verbum fecit omnia?*

Athanas. Cyrillus. Ambros. Basil. Damasc.

Atque isti Patres, vt illorum verba apertè demonstrant, sentiunt, opus creationis ita Dei proprium opus esse, vt non solùm nullus Angelus de facto aliquid creauerit; sed neque Angelus, neque alia creatura saltem de lege Dei ordinaria possit aliquid de nihilo creare. Quam sententiam arbitror verissimam, & de fide: quia dato, quòd creatura posset aliquid creare, opus creationis non esset nota diuinitatis, neque Patres concludere possent contra Arrium, Verbum non esse creaturam ex hoc, quòd omnia per ipsum facta sunt. Dicerẽt enim statim, sicut dicebant in facto Arriani, Verbum esse Dei creaturam præcipuam, quã ab æterno condidit ante omnes alias creaturas, per quã postea cætera omnia creauit. Et ita etiam sentiunt omnes Theologi post D. Th. 1. part. q. 45. a. 5. vno excepto Durando, de quo statim dicemus, licèt eorum rationes, quibus hanc veritatem probant, non videantur omnino insolubiles. Arguit enim Scotus in 4. d. 1. q. 1. in hunc modum. Omnis creatura vel est materialis, vel immaterialis: sed nec creatura materialis, nec immaterialis potest aliquid creare. ergo nulla creatura potest creare. Probatur minor. Quòd enim creatura materialis non possit creare, id videtur manifestũ, quia creatura materialis non agit nisi per motum physicũ, & actionem transeuntem, quæ requirit subiectũ, & forma materialis dependet à subiecto in esse; ergo etiam quoad operari. Quòd autem nec creatura spiritualis possit aliquid de nihilo creare, probat Scotus, quia vel per actionem transeuntẽ, vel per immanentẽ. non per transeuntẽ, quia talis actio eget subiecto, creatio autem non eget subiecto: neque per immanentẽ, quia actio immanẽs Angeli cũ sit accidẽs, nõ potest esse tãtæ efficacitatis,

D. Thom. Scotus.

tis vt per illam possit produci aliquid ex nihilo. Deinde cùm eiusmodi actio sit accidens, illa non poterit separari à subiecto; & sic per illam non poterit produci aliquid non præsuppositio subiecto.

Verùm Auicenna posset fortè respondere, Angelum creare aliquid per actionem transeuntem, quæ eget subiecto, non vt ex quo educatur forma, sed in quod illa inducatur.

Albertus. D Thom. Ricardus. Henricus.

Albertus Magnus in 2.d.1. art.7. D.Th. de potentia.q.2.art.4. in argumentis sed contra. Ricardus in 2.d.1.art.4.q.4.Henricus quodlib.4.q. vltimæ eamdem veritatem sic probant. Ad deducendum aliquid de infinita distantia, requiritur virtus infinita, cuius creatura non est capax: sed inter ens, & nihil est infinita distantia. ergo ad deducendum aliquid de nihilo ad esse, quod est creare, requiritur virtus infinita, cuius creatura non est capax.

Verùm debilem esse hanc rationem, non latuit ipsum D.Thom. in 1.part.q.45.art.3. ad 4. vbi fatetur, inter nihil & ens non esse distantiam infinitam nisi secundùm nostram imaginationem.

Sed licèt hæ rationes non sint demonstrationes, non tamen propter hoc dubitandum est de veritate dictæ propositionis; cuius optima videtur esse ratio, quia vanum omnino est, & præter omnem rationem fingere aliquam potentiã, quæ saltem in aliquo individuo semel ad actum non reducatur: sed nulla creatura vnquam de facto aliquid ex nihilo creauit, aut creabit. Vanum igitur est, fingere in creatura potentiam ad creandum.

IV. Oritur autem hîc dubium, an esto de lege Dei ordinaria nulla creatura possit creare tanquã causa principalis (de hac enim loquimur, quæ effectũ virtute propria sibi inexistente per modum permanentis aliquid producit, non de causa instrumẽtali, quę effectũ virtute propria non attingit, sed solùm virtute causæ principalis, quæ est in instrumento solùm per modum transitus) saltem de potẽtia Dei absoluta, possit virtus creandi ipsi creaturæ communicari, siue, quod idem est, an implicet contradictionem, communicari vim creandi alicui creaturæ: si enim non implicat contradictionem, Deus poterit illam creaturæ participare. Si autem implicat contradictionem, certum erit etiam, illam non posse ipsi creaturæ cõmunicari. Circa quod dubium partem affirmatiuam tenent Durandus in 2.d.1. q.4. & Gabriel ead. d. & q.4. art.3. Negatiuam autem omnes alij Theologi cõmuniter post Magistrum in 4.d.5.& D.Th.1. part. q.45.art.5. Quæ sententia negatiua videtur probabilior, propterea quòd Patres ex eo deducunt, Verbum non esse creaturam, quia omnia per Verbum creata sunt, quæ deductio vires non haberet, si vis creandi aliquo modo esset communicabilis creaturæ. Diceret enim Arrianus, non repugnare creaturæ, posse illi communicari vim creandi, & qua ratione potest illi communicari virtus creandi vnum, eadem posse illi communicari vim creandi centum, & omnia de hac re ad longum disputat Suarez disp.20. tota sect. 2. in Metaphysicis.

Durand. Gabriel. Magister. D.Thom.

Suarez.

V. Contra hanc propositionem est primum argumentum Philonis Hebræi sumptum ex lib. Genes. capite primo cùm Deus hominem condere vellet, dixit: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Hæc verba ad nullum alium dirigi potuerunt, nisi ad Angelos, nulla enim alia creatura ante hominem loquelæ intelligentiam habuit, nulla etiam esse poterat creatura, ad cuius imaginem, & similitudinem homo condi posset præter Angelos. Habuerunt igitur Angeli etiam ipsi suas partes in hominis creatione. hoc argumento vtitur Philo lib. de profugis, scilicet in Commentario capite 16. lib. Geneſis, exponens illa verba; *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*, quo pacto perfidi Iudæi nunc quoque illum locum conantur interpretari. Philo.

Verùm argumentum istud nullius est momenti, vtpote ex verbis in sensu non vero, neque ab autore intento confictum. Illa enim verba non esse dicta ad Angelos, euidentissimè conuincitur, primò ex eo, quia Deus simul hominem, & Angelum creauit, iuxta autoritatem Ecclesiastici capite 18. *Qui viuit in æternum, creauit omnia simul.* Et ordo ille creationis reuera à Moyse narratus, naturæ ordo est, & dignitatis, non temporis. Secundò, quia Deus minimè egebat consilio Angelorum ad hominem creandum. Tertiò, quia Deus ipse corpus humanum, quod est pars vilior, de luto plasmauit, quod nec Hebræi negare possunt, Deus etiam ipse animam intellectiuam, quæ est pars nobilior, creauit. Quid igitur opus habuit ministerio Angelorum ad producendum animam sensitiuam? Neque enim illorum ministerio opus habuit ob impotentiam, quia ipse animam intellectiuam, quæ est pars nobilior, de nihilo creauit: neque ob dignitatem, quia si non viluit illius dignitas in humano corpore ex luto fingendo, multo minus vilescere poterat in producenda anima sensitiua. Quartò, quia Deus eos alloquitur, ad quorum similitudinem homo est effectus, cùm ait, *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*: At verò hominem non ad imaginem Angelorum, sed Dei factum fuisse, diuina Scriptura ad Iudaicam perfidiam confringendam statim subiunxit, dicens: *Et creauit Deus hominem ad imaginem, & similitudinem suam; ad imaginem Dei creauit illum, masculum, & fœminam creauit eos.* Et certè qui veram, ac propriam significationem horum nominum *imago*, & *similitudo*, iuxta vim Hebraicæ linguæ attendit, intelligit statim, hominem non ad imaginem, & similitudinem Angelorum, sed solius Dei creatum fuisse. Voces enim Hebraicæ צֶלֶם & דְּמוּת *tzelem*, & *damutò* pro quibus nostra vulgata æditio legit *imago*, & *similitudo*; non quancunque imaginem, aut similitudinem rei denotant, sed imaginem imperfectam, & obscuram, qualis est imago vmbratilis, id est, quam corpus lumini interiectum in terra describit, & quales noctu corporum imagines à nobis videri solent, & imaginem, ac similitudinem deficientem, & fugientem. Quod colligitur ex verbis illis Psalm. 38. *Verumtamen in imagine pertransit homo.* & in Psalm. 101. *Dies mei sicut vmbra declinauerunt.* & in Psalm. 108. *Sicut vmbra cùm declinat, ablatus sum.* Nam in dictis locis semper habetur dictio *tzelem.* Et hoc ad denotandum, animam quantuncunque perfectam, ob infinitam distantiam inter Deum, & creaturam, nunquam sufficere perfectè Deum repræsentare, plusquam vmbra suum corpus repræsentet. quod non diceretur de anima cum Angelo comparata, cùm illa sit substantia spiritualis, & intellectualis æquè capax gratiæ, & gloriæ sicut Angelus.

VI. Sed dices, cur ergo vtitur Scriptura verbo plurali, ſi Deus ſolus ſecũ loquitur? Reſpondeo, quidquid Hebræi reclament, hoc modo loquendi vti diuinam Scripturam ad pluralitatem diuinarum perſonarum denotandam. Eſt enim locus apertiſſimus, quo hæc veritas indicatur ex veteri Teſtamento. Neque enim dici poteſt, quòd loqueretur cum Angelis, vt oſtendimus; neque quòd more nobilium, & Principum Deus vteretur plurali pro ſingulari, vt dicunt Hebræi, quia nullus cum ſeipſo loquens per modum conſulentis, vtitur ſingulari pro plurali, dicens, Faciemus, aut faciamus. Nullus etiam artifex dicit in præſentia ſuorum inſtrumentorum, faciamus hoc, aut illud. adhuc Principes cùm loquuntur in plurali, faciamus hoc, aut illud, ob humilitatem ita loquuntur, quia totam Rempublicam ſe repræſentare profitentur, non autem ob dignitatem, & maieſtatem.

Sed obiiciunt nobis illud Iſaiæ cap. 6. *Quem mittam, & quis ibit nobis.* vbi apparet acceptũ plurale pro ſingulari. Reſpondetur etiam ex eo loco colligi vnitatem eſſentiæ, & pluralitatem diuinarum perſonarum, ſicut illam colligebant veteres Rabbini, præſertim Rabbi Simeon Ben Iohai, & Rabbi Ionatas in illum locum; quanuis malitia recentiorum Hebræorum hoc fuerit abraſum de libro Rabbi Ionatæ, vt autor eſt Petrus Galatinus lib. 2. de arcanis Catholicæ veritatis cap. 1. Vbi teſtatur, ſe vnum Codicem vetuſtum vidiſſe, in quo exponens illa verba, *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum*, ille ſic exponebat; *Sanctus hic eſt pater, Sanctus hic eſt filius, Sanctus hic eſt Spiritus ſanctus.* Videatur idem Galatinus ibi capite octauo.

R. Simeon ben Iohai. R. Ionatas. Galatinus.

Ex verbis autem illis, *In principio creauit Deus cælum & terram*, pro quo eſt nomen Hebræum, *Eloim*, quod eſt plurale, non poteſt contra Hebræos colligi Trinitas perſonarum, quidquid Magiſter d. 2. 1. lib. in contrarium nitatur. quia nomen, *Eloim*, non eſt nomen proprium Dei, ſed tribuitur etiam hominibus: Et conſtat quòd Scriptura vtitur hoc nomine in plurali pro ſingulari: appellat enim aliquos ſingulares homines hoc nomine, Eloim, quod quanuis ſit plurale, non poteſt in vno homine ſingulari pluralitatem perſonarum demonſtrare. Videantur exempla Geneſis cap. 24. verſic. 9. & Exodi 4. verſ. 16. & cap. 21. verſ. 4. & lib. 1. Regum cap. 28. verſ. 13. vt alia plura omittamus.

Magiſter.

VII. Secundum argumentum ſumitur ex lib. Prouerb. cap. 8. quod erat præcipuum fundamentum Arrianorum, ad probandum, Verbum eſſe creaturam. Ait enim, *Dominus creauit me in initio viarum ſuarum, antequam quidquam faceret à principio.* Infrà verò de Sapientia, quam dicit creatam in initio viarum Dei, antequam quidquam faceret à principio, ſubiungit, *quando præparabat cælos aderam, cum eo cuncta componens.*

Reſpondeo, quanuis ille locus iuxta lectionem LXX. Interpretum aliquam videatur ingerere difficultatem, tamen iuxta lectionem vulgatæ æditionis nihil difficultatis continet: illa namque legit, *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum.* Verbum autem *poſſedit*, in diuina Scriptura aliquando accipitur pro generare, ſicut in lib. Geneſis capite quarto ibi, *poſſedi hominem per Deum.*

Secundò dicitur, illum locum eſſe quidem intelligendum de Chriſto ſecundùm diuinitatem: ſed dici creatum, non quòdſi t verè creatura, ſed quia Verbi generatio adeò eſt ineffabilis, vt non poſſit perfectè explicari ſolo nomine generationis, & propterea explicatur tum nomine generationis, tũ creationis. Sicut enim ait, *Dominus creauit me in initio viarũ ſuarum*, ita paulo infrà ait, *ante omnes colles generauit me Dominus*, vt ex vtroque nomine accepto eo, quod eſt perfectionis, & demptis omnibus imperfectionibus, innoteſcat, qualis ſit æterna Chriſti generatio. Generatio namque dicit perfectionem, quatenus eſt productio rei de ſubſtantia producentis: ſed dicit imperfectionem, quia eſt cum motu: è contrario, creatio dicit perfectionem, quia eſt ſine motu; ſed dicit imperfectionem, quia eſt ex nihilo. Vt igitur intelligamus, Verbi generationem eſſe perfectiſſimam, & de ſubſtantia Patris, & ſine motu, diuina Scriptura vtroque nomine illam exprimit creationis, & generationis. Et ita explicatum fuiſſe in quodam Concilio Orientali illum locum Prouerb. & alium locum ſimilem Eccleſiaſtici capite 24. teſtatur D. Hilarius in lib. de Synodis. quem modum exponendi dicta loca tradit etiam D. Thom. lib. 4. contra Gentes. cap. 8.

Hilarius. D. Thomas.

Vel tertiò quod adhuc eſt veritati magis conſentaneum, dici poteſt cum D. Cyrillo lib. 5. Theſauri cap. 6. Scripturam confundere adinuicem nomina generationis, & creationis, & promiſcuè nónunquam vnũ pro altero vſurpare. Vnde verus illius ſenſus non ſolum accipiendus eſt ex præciſis verbis creare, aut generare, aut facere, ſed ex aliis adiunctis. Et hæc ſolutio videtur colligi ex eodem textu; prius enim dicit, *Dominus creauit me*, & poſtmodum ſubiungit, *ante omnes colles generauit me Dominus.* Eſt itaque indiciũ manifeſtum, quòd promiſcuè accipiuntur verbum, creauit, & generauit. Aliæ eiuſdem loci, & ſimilium interpretationes videri poſſunt apud Auguſtinum libro primo de Trinit. capite 12. & Athanaſ. ſerm. 3. contra Arrianos, & Baſilium lib. 4. contra Eunomium, & D. Bonauenturam in 3. d. prima art. 2. quæſt. 2.

Cyril. Auguſt. Athanaſ. Baſilius. Bonau.

VIII. Tertium argumentum ſumitur ex generatione ſubſtantiali. In omni generatione ſubſtantiali agens naturale producit formam ſubſtantialem; ſed forma ſubſtantialis de nihilo creatur. Ergo in omni generatione ſubſtantiali agens naturale aliquid de nihilo creat. Maior ſupponitur, vt vera. Minor probatur. forma ſubſtantialis non producitur ex præexiſtente ſubiecto; ergo de nihilo. Probo antecedens. Si forma ſubſtantialis fit ex ſubiecto, vel fit ex illo, quia ſubiectum eſt pars formæ, vel quia forma præerat in ſubiecto. non poteſt dici primum, quia forma partes non habet. neque ſecundum, quia vel forma præerat in ſubiecto ſecundùm aliquam partem, & hoc dici non poteſt, quia forma partes non habet: vel ſecundùm totam ſuam entitatem, & hoc etiam dici non poteſt, quia tunc ſequeretur, quòd generatio eſſet ſolùm detectio formarum latentium in materia, ſicut dicebat Anaxagoras, cuius opinio fuit ab omnibus reprobata.

Dicetur, quòd forma præerat in materia, non in actu, ſed in potentia. ſed contrà. Vel forma in potentia præexiſtens in materia erat aliquid, vel nihil. Si nihil, hoc eſt quod contenditur. ſi aliquid, vel ſubſtantia, vel accidens; non accidens, quia nos loquimur de forma, quæ eſt ſubſtantia, non de forma accidentali; neque ſubſtantia, quia vel materia, vel forma, vel compo

compoſitum; ſed iſtud præexiſtens non poteſt eſſe materia, quia tunc ſubſtantia formæ eſſet ſubſtantia materiæ, & ſic ſubſtantia formæ non verè / præexiſteret in materia, nos enim quærimus de ſubſtantia formæ diſtincta à ſubſtantia materiæ. neque poteſt eſſe ſubſtantia, quæ eſt forma, quia ſubſtantia formæ eſt eſſe actum, & ſic forma non præexiſteret in materia in potentia, ſed actu. neque poteſt eſſe ſubſtantia compoſiti, vt patet. Nullo ergo modo forma præfuit in materia.

Dicetur, quòd forma præerat in materia ſecundùm ſuam eſſentiam, & quòd per generationem poſtea accepit exiſtentiam. Contrà, exiſtentia non eſt ſubſtantia, nec accidens, ſed modus intrinſecus, qui eſt vltima rei actualitas. ergo per generationem ſecundùm ſic reſpondentes, non produceretur aliqua noua ſubſtantia. Deinde eſſentia rei ſecundùm Philoſophos, & ſecundùm rei veritatem eſt ipſamet rei ſubſtantia. Si igitur forma erat in materia ſecundùm eſſentiam, præerat etiam ſecundùm ſubſtantiam; & ſic tollitur ipſa generatio ſubſtantialis, non enim erit vera generatio, ſed ſola ſubſtantiæ in materia latentis detectio. Hoc fuit præcipuum, & vnicum Auicenna. fundamentum, & motiuum, ob quod Auicenna arbitratus eſt, formas rerum de nihilo creari, & propter quod inductus eſt, ad ponendam vnam intelligentiam creatricem omnium formarum rerum generabilium, & corruptibilium. Cuius tamen ſententia non minus pugnat cum ſuo autore quàm cum veritate; nam autor in 9. ſuæ Metaph. cap. 4. dicit quòd prima intelligentia, quæ eſt Deus, producit tantùm ſecundam, & ſecunda tantùm tertiam, quia ab vno nõ prouenit niſi vnum. In libro verò de fluxu entis cap. 4. ſui penitus oblitus ponit vltimam intelligentiam ab illo vocatam Colcodeam creatricem plurium formarum, imo omnium formarum ſublunarium: & ſic deſtruit, quod dixit in Metaph. quòd ab vno non prouenit niſi vnum; & maiorem vim tribuit vltimæ intelligentiæ quàm primæ. nam virtus primæ intelligentiæ non niſi ad vnum effectum valet terminari, virtus autem infimæ ad multos.

IX. Ad hoc argumentum negatur minor propoſitio. ad illius probationem dico formam naturalem ante generationem præexiſtere in ſubiecto non in actu, ſed in potentia, & eſſe aliquid, & non purum nihil, ſicut effectus præexiſtens in cauſa materiali non eſt purum nihil, ſed aliquid. Et vt intelligatur, quid ſit, formam præexiſtere in materia in potentia, & educi de potentia materiæ, notandum eſt, quòd forma præexiſtit in materia, vt effectus in cauſa: effectus autem non præexiſtit in cauſa ſecundùm entitatem, & modum proprium, ſed ſecundùm entitatem, & modum cauſæ. Et ideo decipitur arguens, dum ait, entitas formæ eſt eſſe actum: ſi ergo forma præeſt in materia in potentia, actus erit potentia. Nam entitas formæ, quæ eſt eſſe actum, eſt entitas, quam habet forma in ſe extra cauſam, quam non habet forma ante abſolutam generationem. Entitas autem quam habet ante generationem in materia, eſt entitas ipſius materiæ, quæ eſt eſſe potentiale. Vnde formam educi de potentia materiæ, nihil aliud eſt, niſi formam educi de entitate propria ſui ſubiecti ad entitatem propriam eiuſdem formæ. Et ſic patet, quòd datur verè noua generatio ſubſtantialis, non autem ſolùm accidentalis, & quòd generatio non eſt ſola detectio formarum latentium in materia, vt dicebant Parmenides, & Anaxagoras. Et quanuis forma non præexiſtat in materia ſecundùm propriam ipſius formæ entitatem, non tamen ob hoc ſequitur, formam creari; quia adhuc generatio formæ habet quinque conditiones oppoſitas creationi ex nihilo, quas enumerat, & eleganter explicat Pererius lib. 5. de Principiis Pererius. cap. 8. & cap. 12. ad finem, quæ apud illum poſſunt videri.

Alia eiuſdem argumenti ſolutio videri poteſt D.Thom. apud D. Thomam de potentia quæſt. 2. art. quarto ad ſeptimum.

Quartum argumentum eſt; Virtus creandi non X. extrahit creaturam ab ordine ipſius creaturæ. ergo poteſt illi à Deo communicari. Probatur antecedens, quia ad creandum non requiritur virtus infinita: non enim inter ens, & non ens eſt verè diſtantia infinita, ſed ſolùm ſecundùm imaginationem, ſicut etiam D. Thom. ſuprà citatus inquit. Quia quantum vnum oppoſitorũ participat de vno extremo, tantum diſtat ab alio extremo: ſed creatura finitè participat naturam entis. ergo finitè diſtat à non ente. Et dato quòd ad creandum requiratur virtus infinita, illius tamen videtur creatura eſſe capax: quia plus diſtat eſſe à non eſſe, quàm eſſe & eſſe. Sed Deus poteſt facere, quòd virtus creata, quæ non erat, ſit. Ergo poteſt facere, quòd virtus creata finita augeatur in infinitum. Et maioris virtutis videtur, creare aliquid ex nihilo, quàm dare illi virtutem creandi: ſed Deus poteſt creaturam ex nihilo producere. ergo poteſt dare illi virtutem creandi.

Reſpondetur, negando antecedens. Ad probationem reſpondetur cum D. Thom. de poten- D.Thom. tia quæſt. 2. art. 4. inter ens, & non ens non eſſe infinitam diſtantiam poſituam, & hoc voluit dicere in Summa: ſed tamen eſſe infinitam diſtantiam negatiuam, quia plus diſtat ens à non ente, quàm quodlibet ens finitum à quolibet ente. Et ideo ad creandum requiritur virtus infinita. Et quanuis diſtantia entis creati à non ente ex parte vnius extremi, quod eſt ens infinitum finitè participatum, ſit finita, tamen ex parte alterius extremi, quod eſt nihil, infinitè diſtans à quocunque ente, eſt infinita. Diſtantia verò entis infinitiè non ente eſt infinita ex parte vtriuſque extremi. Et creatura non eſt capax virtutis infinitæ non ſolùm propter iſtam infinitam diſtantiam entis creati à non ente; ſed etiam quia virtus creata infinita omnino fieri non poteſt: ſicut non poteſt fieri Deus. Vnde neque verum eſt, quòd maioris ſit virtutis creare aliquid ex nihilo, quàm dare illi virtutem creandi; quia primum fieri poteſt, nec implicat; ſecundum autem fieri non poteſt.

CAPVT VII.

Dubium ex prædictis emergens reſoluitur, an creatura poſſit eſſe inſtrumentum diuinæ virtutis ad creandum.

LIcèt ex dictis conſtet, virtutem aliquid creandi ex nihilo non ſolùm nulli creaturæ fuiſſe vnquam à Deo de facto participatam, ſed nec etiam de lege ordinaria participare potuiſſe, aut poſſe ſaltem tanquam cauſæ principali: Dubium tamen adhuc remanet, illúdque non contemnendum, an poſſit creatura tanquam inſtrumentum in ipſa creatione diuinæ virtuti deſeruire. Hoc enim modo ſaltem videri forſan poterit L

Digitized by Google

alicui, opinionem hæreticorum, & Philonis Hebræi seipsam posse ab argumentis Catholicorum tueri. Et vt intelligatur status difficultatis latentis in hoc dubio, notandum est, duobus modis aliquam causam appellari posse causam instrumentalem. Vno modo, quia licèt agat, & attingat effectum propria virtute, quæ illi inexistit per modum formæ permanentis, operatur tamen cum dependentia à causa superiori: & hoc pacto omnes secundæ causæ vocantur causæ instrumentales comparatione primæ causæ, à qua dependent in esse, & operari. alio modo, quia non agit, neque attingit effectum virtute propria, sed sola virtute causæ superioris, quæ est in ipsa causa instrumentali solùm per modum motionis actualis, & transeuntis, sicut virtus mouendi lapidem dicitur esse in baculo. Distinctionem hanc explicat Scotus in 4. dist. 1. & quæst. 1. ad hoc idem propositum. Non est autem hoc in loco dubium, an creatura possit esse instrumentalis causa creationis primo modo dicta: sed dubium est, an possit esse causa instrumentalis secundo modo accepta ipsa causa instrumentali. Scotus.

In hoc dubio sunt duæ opiniones omnino contrariæ. Prima opinio absolutè negat, vllam creaturam assumi posse à Deo, vt instrumentum ad aliquid creandum. Et hanc opinionem tenent D. Thom. 1. p. quæst. 45. art. 5. vbi Caietanus & Dominicus Bañes, & in 2. d. 1. quæst. 1. artic. 3. vbi Capreolus quæstione tertia, Scotus in 4. d. prima & quæstione prima. vbi Gabriel quæstione prima. idem D. Thom. de potentia quæstione tertia articulo quarto. & secundo contra Gentes cap. 21. vbi Ferrar. Ioann. Rada in secunda parte controuersia secunda articulo tertio, & communiter sectatores D. Thomæ & Scoti. D. Thom. Caietanus. Bañes. Capreolus. Scotus. Gabriel. Ferrar. Rada.

II. Secunda opinio est, creaturam posse à Deo eleuari ad hoc, vt sit instrumentum diuinæ virtutis ad aliquid creandum. Hanc opinionem docuit Magister sententiarum in 4. d. 5. cap. vltimo licèt Theologi communiter ab illius sententia recedant, præter Durandum, & Gabrielem in 2. d. 1. q. 4. & pauciſſimos ex recentioribus, ex quibus est Suarez in commentario ad tertiam partem tom. 1. disputatione 31. sectione 8. §. *ex dictis enim oritur*, & tomo tertio disputatione 61. sect. 1. Indulgebunt autem mihi Theologi, si relicta communi sententia, maximè D. Thomæ, quam hactenus per omnia sum secutus, nunc Petri Lombardi mei non solùm conciuis, sed etiam Concanonici partes susceperò defendendas. Nam illum & patria Nouariensem agnoscunt non solùm antiquissima nostræ ciuitatis monumenta, sed etiam Raphaël Volaterranus lib. 22. Anthropologiæ in Alex. 3. D. Antoninus 3. p. Historiali titulo 18. cap. 6. & Cardinal. Baron. tom. 12. suorum Annal. sub anno 1164. ad finem, & Canonicum D. Augustini institutum suscepisse in Ecclesia S. Genouestæ Parisiensis Ciuitatis, in qua nunc etiam illud viget, testatur Ioannes de Nigraualle Apostolicus Bibliothecarius in suo epilogo Chronicorum epilogo 13. cap. 18. Magister. Durand. Suarez. Volaterranus. Antoninus. Baronius. Ioannes de Nigraualle.

Asserò itaque, probabilissimam mihi videri opinionem Magistri, quòd creatura possit eleuari, vt sit instrumentum diuinæ virtutis ad aliquid creandum. Hæc autem sententia multipliciter potest suaderi; primò, quia illa opinio debet probabilis censeri, per quam optimè explicantur difficillima dubia Theologica ad fidem spectantia, quæ per alias opiniones vix possunt explicari, & ad illam nullũ sequitur absurdum: at data veritate huius sentẽtiæ, quòd creatura possit esse instrumentum diuinæ virtutis ad creandum, facillimè explicantur dubia grauissima, quæ vt dissoluant, ingenia Theologorum non parum desudant, cuiusmodi est illud, quomodo humanitas Christi sit verè causa efficiens miraculorum, & nostræ iustificationis, & illud quomodo Sacramentum nouæ legis sit causa verè efficiens diuinæ gratiæ, & illud quomodo forma Eucharistiæ sit causa verè efficiens transsubstantiationis, & alia id genus plurima: & admissa veritate huius opinionis nullum vel etiam apparens sequitur inconueniens, vt ostendemus, soluendo argumenta, quæ contra illam à Scholasticis fieri solent. Ergo hoc solum sufficere deberet, vt illam omnes vti probabilissimam reciperent.

III. Secundò ostendi potest eiusdem opinionis veritas vno suppositò, quod nonnulli Theologi apertè concedunt, & fatentur, alij verò, etsi verbis negent, & in omne latus se vertant, vt rectè se illud negare ostendant, tamen reipsa negare nullo modo posse videntur, illud autem est, gratiam verè in nobis creari. Hoc apertè concedit Scotus in 2. d. 37. quæst. vni. litera A. & in 4. distinctione 1. quæst. 1. ad Arg. D. Bonauentura in 2. d. 26. art. 1. quæst. 4. numero 31. ad vltimum argumentum, vbi dicit gratiam, quando deficit, annihilari, quod etiam dicit Scotus dicta quæstione prima, litera Q. ergo quando incipit, creatur. & D. Thom. in 4. d. 1. q. 1. art. 4. & prima secundæ quæstione 112. artic. primo, & tertia parte quæst. 62. art. primo dicit, quòd gratia est forma adeò excellens, quòd à solo Deo producibilis est. Et de veritate quæstione 27. articulo tertio, ad 4. 8. & 9. dicit, quòd licet gratia non dicatur propriè creari, sed concreari, quia non est forma per se subsistens: attamen infusio gratiæ accedit ad rationem creationis, in quantum gratia non habet aliquam causam efficientem in subiecto, neque materiam, ex cuius potentia educatur. Imò ex eius dictis videtur colligi ratio ad probandum, ipsam gratiam creari, quia illud potest dici verè creari, quod secundùm se totum producitur ex nihilo, & non educitur de potentia subiecti per aliquam virtutem creatam: sed gratia secundùm se totam producitur ex nihilo, & non educitur per virtutem creatam de potentia subiecti. Neque sufficere videtur, si dicatur, gratiam non creari, sed concreari, quia producitur vt forma inhærens subiecto: quia hæc non videtur differentia quidditatiua, & essentialis faciens distinguere creationem ab aliis productionibus, sed ratio quidditatiua creationis in hoc sita esse videtur, vt terminus à quo sit nihil, & terminus ad quem sit verum ens, & forma producta non sit educta de potentia subiecti; quòd autem forma producatur inhærens subiecto, hoc non videtur impedire, quin illius productio dicenda sit vera creatio. Quod argumento Durandi sic potest probari, quia sicut Deus producit gratiam in anima, ita posset illam producere separatam ab anima: sed tunc nemo negaret gratiam verè creari. ergo neque modò id est negandum. Maior probatur, quia sicut Deus potest sustentare accidens sine subiecto, quando iam est productum, ita potest illud sustentare sine subiecto, dum producitur. Scotus. D. Bonau. D. Thom.

IV. Et reuera hoc argumentum efficaciter intentum probares, vel ex hoc solùm ostendi potest, quòd recentiores in omne latus se vertentes, vt

illud

illud effugerent, neque refugium inuenientes, tandem in eam ſententiam deuenerunt, vt dicerent, gratiam non creari, quia educitur in potentia ſubiecti, quod eſt anima, non quidem de potentia naturali, ſed de potentia obedientiali. Quæ tamen reſponſio illorum pace non minores patitur difficultates, quàm illa, quæ admittit, gratiam verè creari. Primò namque certum eſt, potentiam obedientialem ad ſolam diuinam omnipotentiam relationem habere, non autem ad potentiam actiuam creaturæ. Quare qui dicunt, creaturam poſſe eſſe inſtrumentum diuinæ virtutis ad gratiam producendam, quia gratia non creatur, ſed educitur de potẽtia obedientiali, cùm putent ſe magnum aliquid dicere, nihil dicunt. Non enim potentia obedientialis animæ habet aliquem ordinem ad potentiam actiuam creaturæ, ſed ad ſolam diuinam omnipotentiam, & diuina omnipotentia, æquè poteſt gratiam ex nihilo producere, ſicut poteſt illam educere de potentia obedientiali, cùm etiam ex nihilo eandem potentiam obedientialem condiderit.

Secundò illi qui refugiunt ad hanc potentiam obedientialem, nó euadunt à difficultatibus, quas patitur opinio, quæ concedit gratiam creari, & creaturam poſſe eſſe inſtrumentũ creationis gratiæ. Nam potiſſimæ difficultates, quæ illam premunt, ſunt, quia creatio eſt opus proprium Dei, & fit in inſtanti, neque indiget præuiis diſpoſitionibus afficientibus ſubiectum: at creatura non poteſt agere in inſtanti, neque poteſt concurrere vt inſtrumentum ad aliquem effectũ producendum, niſi quatenus diſpoſitiuè operatur, producendo in ſubiecto aliquam diſpoſitionem præuiam, antecedentémque ipſam productionem effectus. Verùm eædem difficultates manent ſoluendæ ab illis, qui dicunt, gratiam educi de potentia obedientiali.

D. Thom. Nam ex doctrina S. Th. ità propriũ eſt opus ſolius Dei productio gratiæ ſicut creatio ex 4. d. 1. q. 1. a. 4. 1. 2. q. 112. art. 1. 3. p. q. 62. art. 1. & de Verit. q. 27. a. 3. ad 8. & 9. Vnde ſi ex hoc capite repugnat creaturæ aſſumi vt inſtrumentum ad gratiam creandam, repugnat etiam illi aſſumi vt inſtrumentũ ad educendã illam de potentia obediẽtiali. Deinde ex doctrina D. Thomæ ſiue gratia educatur, ſiue non educatur de potentia obedientiali animæ, illa producitur in inſtanti, & non producitur mediantibus aliquibus diſpoſitionibus præuiis productis in anima per actionem creaturæ, tanquam inſtrumenti: nam illam opinionẽ, quæ dicit, Sacramenta conferre gratiam, quia cauſant in anima quandam diſpoſitionem, ad quam neceſſariò ſequitur gratia, quæ diſpoſitio eſt vel character, vel aliquis animæ ornatus, Theologi communiter reiiciunt, etiam illi, qui admittunt potentiam obedientialem, ſicut videri poteſt apud Suarez 3. p. tom. 3. diſput. 9. ſect. 1. paulo poſt initium, qui tamen eadem ſectio. §. *duces gratiam eſſe perfectionem*, & §. *ex his ergo omnibus*, cum aliis conuenit, gratiam educi de potentia obedientiali.

Suarez.

Præterea ad hoc, vt aliqua forma dicatur educi de potentia ſubiecti, quatuor ſaltem conditiones videntur neceſſariò requiri. Prima quòd terminus ſuæ productionis à quo, ſit ens reale, non autem nihil. Secunda quòd producatur mediantibus præuiis diſpoſitionibus factis in ſubiecto. Tertia quòd producatur, vt aliquid intrinſecè pendens à ſubiecto. Quarta quòd ſit eiuſdem ordinis cum ſubiecto. Quæ conditiones videri poſſunt benè à Peretio explicatæ lib. 5. de principiis cap. 8. & cap. 22. ad finem: at productio gratiæ

Peretius.

nec primam, neque ſecundam, neque quartam conditionem habet. Tertia autem non videtur illi intrinſeca, ita quòd per diuinam virtutẽ ſine illa eſſe non poſſit, propter rationẽ Durandi proximè factam. Iſta igitur ſententia dicens, gratiam educi de potentia obedientiali, gratis videtur excogitata ad declinandam vim argumentorũ. Neque ſufficit dicere, quòd illæ ſunt conditiones productionis, per quam aliquid educitur de potentia phyſica ſubiecti, non de potentia obedientiali. Quia ſic reſpondere, videtur eſſe velle illis animalibus, quæ amphibia vocamus, ſimilem eſſe, & cùm iuuat, velle regulas naturalis Philoſophiæ ſequi, & cùm non iuuat, velle ab illis diſcedere, & nouas regulas philoſophandi ex proprio cerebro confingere. Si enim productio gratiæ has conditiones non habet, quæ cauſa eſt, vt illam vocemus eductionem de potentia ſubiecti, & cur vocamus eam eductionem de potentia ſubiecti, niſi ne cogamur vocare illam creationem, ſicut eductionem de potentia ſubiecti Philoſophi negant eſſe veram creationem? Et ſi eductio gratiæ de potentia animæ alterius eſt rationis ab eductione formæ de potentia phyſica ſubiecti, nec illas requirit conditiones, cur volunt ſic reſpondentes ſententiã occultare doctrinis & terminis ex Philoſophia acceptis, ne cogantur confiteri gratiam vere creari? præſertim cùm hic illorum modus dicendi ſit è directo pugnans cum modo dicendi diuinæ Scripturæ: illa enim vocat noſtram inſtificationem creationem in Pſal. 50. *Cor mundum, crea in me Deus.* Secunda ad Corinth. 5. *Si qua ergo in Chriſto noua creatura.* Ad Galatas 6. *Sed noua creatura.* Ad Epheſ. 2. *Creati in Chriſto Ieſu in operibus bonis.* Et cap. 4. *Induite nouum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt.* Quod non alia ratione dicitur, niſi quia gratia, & virtutes, quę animæ infunduntur in ipſa iuſtificatione, de nihilo creantur.

Nec ſufficit dicere, verbum *creare* in diuina Scriptura non ſemper accipi iuxta rigoroſum, & ſtrictum ſignificatum: nam ſi in locis allegatis poteſt accipi, iuxta proprium, & ſtrictum ſignificatum, id fieri debet, non enim ſunt improprianda verba diuinæ Scripturæ nulla cogente neceſſitate. & Lyranus in ſuis Poſtillis omnia loca allegata exponit de vera creatione, & de eadem exponit Gloſſa ordinaria locum ex epiſtola ad Epheſ. 2. quæ accepta eſt ex Auguſt. lib. de Gratia & libero arbitrio cap. 8. Eodem etiam modo exponit alia Gloſſa locum allegatum ex dicta epiſtola ad Epheſios c. 4. dicens, idem eſſe hominem creatum ſecundùm Deum in iuſtitia & ſanctitate, & eſſe creatum ad imaginem, & ſimilitudinem Dei, ſicut dicitur Gen. cap. 1. *Creauit Deus hominem ad imaginem*, &c. qui locus ſine dubio intelligendus eſt de creatione propriè dicta. Vnde apparet, quòd ſententia Magiſtri etiam in modo loquendi eſt conformis diuinæ Scripturæ: oppoſitam verò, quæ docet, gratiam non creari, ſed educi de potentia ſubiecti, in modo loquendi contrariam eſſe diuinæ Scripturæ.

Lyranus. Gloſſ. Ord.

V.

Hoc igitur fundamento iacto, quòd gratia creetur, quod veriſſimum eſſe crediderim, facilè monſtratur veritas noſtræ ſententiæ, quòd nimirũ creatura non ſolùm poſſit aſſumi, vt inſtrumentũ diuinæ virtutis ad creandũ, ſed etiam de facto ad hoc aſſumatur. Eſt nanque doctrina catholica, Sacramenta nouæ legis verè conferre, & cauſare gratiã gratũ facientem in omnibus non ponentibus obicem, vt definiit Concilium Florent. in inſtructione Armenorum, & Concil. Trid. ſeſſ. 7. de Sacram.

Concil. Florent. Concil. Trident.

cap.6. 7. & 8. sed gratia ex suppositione facta verè creatur. ergo Sacramenta verè sunt causæ instrumentales diuinæ virtutis ad creandum. Hoc argumentum adeò efficax est, vt propter illud nonnulli dixerint, gratiam quidem verè creari, sed Sacramenta ipsam gratiæ productionem verè non attingere efficienter: & illi adhuc inter se diuisi sunt. Nam alij dicunt Sacramenta conferre gratiam, sicut vasa continentia spiritualem medicinam. Sed hoc solum non sufficit, quia vas continens medicinam non dicitur sanare infirmum, & vas continens aquam non dicitur sordes abluere: sed Sacramenta dicuntur animam sanare, abluere, & mundare. Addo quòd sanare, abluere, & mundare dicunt causam efficientem, & non materialem.

Alij dicunt, quòd Sacramenta causant gratiam, vt causæ morales ad eum modum, quo aliquis alterum mouet ad aliquid agendum vel prece, vel literis, vel exhortatione, vel alio modo: non tamen physicè in effectum influendo. Sed neque hoc dici potest, quia causa moralis hoc modo mouens non potest dici causa instrumentalis causæ principalis. Quis enim dicat consilium, aut exhortationem Francisci fuisse instrumenta, quibus Petrus Ioannem occidit? Aut lacrymas Monicæ fuisse instrumenta, quibus Deus Augustinum iustificauit? Ad hæc causa instrumentalis non mouetur, nisi priùs mota à causa principali. At causa moralis hoc modo est illa, quæ mouet causam principalem. Ad hæc ista causa moralis non eleuat Sacramentum supra nudam rationem signi.

Propterea alij dixerunt, quòd Sacramenta causant gratiam, quia sunt conditiones, & signa quædam, quibus ritè positis in nobis, ex diuina promissione necessariò, & infallibiliter ponitur gratia. Verùm ista opinio non potest sustineri, quia Concilium Florentinum, & Tridentinum definiunt, Sacramenta nouæ legis esse non solùm signa, sed etiam causas gratiæ. Videatur Canon 6. sess. 7. eiusdem Concil. Trident. Præterea si hoc modo tantùm essent causæ gratiæ, à nullo, nisi in hac parte ignorante dicerentur verè causæ diuinæ gratiæ; sicut nullus, nisi ignarus diceret, quòd annulus, aut chirographum Regis esset causa, quòd acciperet à Rege talentum auri.

Propterea alij dixerunt, quòd Sacramentum est causa gratiæ, non quòd producat gratiam, sed quia producit in homine proximam dispositionem, ad quam infallibiliter sequitur gratia, quæ tamen dispositio nihil aliud est, nisi ipsa Sacramenti susceptio. Sed hæc responsio nullam causalitatem tribuit ipsis Sacramentis, vt patet. Deinde ipsa susceptio exterior Sacramenti non videtur posse dici dispositio ad gratiam, quæ non est in corpore, sed intus in anima. Præterea illud, ad cuius præsentiam Deus decreuit aliquid efficere per solam præsentiam nihil aliud agendo, non dicitur dispositio ad talem effectum: alioqnin & orationes Petri possent dici veræ dispositiones ad Tabitam resuscitandam.

Propterea alij dicunt, Sacramenta producere in anima aliquam dispositionem, ad quam immediatè sequitur infusio gratiæ, quæ dispositio vel est character, vel ornatus quidam in anima existens.

Sed nec ista responsio est admittenda. Nam certum est, characterem non esse dispositionem necessariam, & immediatam ad gratiam, cùm detur sine illa. Deinde illa dispositio, quam Sacramenta producunt, vel est ordinis naturalis, vel supranaturalis. Si primi, non potest esse dispositio immediata ad gratiam, per ea, quæ lib.6. dicta sunt. Si secundi, qua ratione Sacramenta possunt producere istam qualitatem ordinis supranaturalis, eadem poterunt producere gratiam: maximè quòd ista qualitas, & dispositio nihil aliud esse potest, nisi vel virtus supranaturalis, vel gratia, vel donum.

Ideo alij dixerunt, quòd Sacramenta causant VI.
gratiam, quia faciunt hominem Deo gratum obiectiuè, & ad esse gratũ obiectiuè, sequitur postea infusio gratiæ. Dicunt enim, posse hominem fieri gratum Deo obiectiuè, absque eo, quòd infundatur illi gratia, sicut etiam homo fit homini amicus, & gratus absque eo, quòd necessariò producatur in illo aliqua noua qualitas. Quod declarant etiam exemplo. Homo enim dicitur hominem generare, quia attingit vnionem animæ ad corpus, licèt ipsam animam solus Deus creet; ita Sacramentum gratiam confert, quia facit hominem Deo gratum obiectiuè, ad quod sequitur gratiæ infusio, licèt gratiam solus Deus producat.

Verùm neque ista responsio est admittenda, primò quia per hanc sententiam Sacramenta nihil omnino in re efficiunt, cùm hominẽ fieri gratum Deo obiectiuè absque infusione gratiæ etiam per respondentes nihil sit in re, sed solùm in nostra imaginatione: illi enim dicunt, quòd apud Deum non nectitur amicitia, nisi per qualitatem, quæ est gratia. ergo facere hominem Deo gratum obiectiuè sine gratia, nihil est in re extra nostram imaginationem. Et si Sacramenta per hoc dicuntur causæ gratiæ, aut gratiam conferre, nullam veram habent causalitatem, & efficientiam: maximè quia esse hominem Deo gratum obiectiuè tantùm, non ponit aliquid reale in homine, sed solùm extrinsecam denominationem. Exemplum etiam illorum facit contra illos: nam quia homo non attingit veram animæ productionem, non dicitur animam generare, aut creare, aut producere, aut conferre. Ergo cùm à contrario Sacramenta dicantur gratiam causare, & conferre, & tribuere, oportet quòd verè aliquo modo illius productionem attingant.

Ideo alij dixerunt, gratiam causari verè instrumentaliter per Sacramenta, sed illam non verè creari, sed concreari. Verùm hæc euasio non iuuat, quia siue creetur, siue concreetur, quoad hoc nihil refert, vt dictum est.

Ideo tandem alij omnes aditus sibi præclusos videntes eò confugiunt, vt dicant, gratiam non creari, sed educi de potentia obedientiali animæ; & ideo non repugnare Sacramentis assumi à Deo, vt instrumenta ad veram gratiæ productionem.

Quæ tamen euasio non minores patitur difficultates, nam cùm æquè proprium opus Dei sit ista eductio, sicut creatio, vt Scotus & D. Thomas aiunt, si repugnat Sacramento, esse instrumentum ad gratiam creandam, repugnabit etiam esse instrumentum ad gratiam educendam de potentia obedientiali.

Deinde cùm creatura nõ operetur, nisi in tempore, & instrumentum debeat agere producendo præuiam dispositionem ad effectum principalem, secundùm opinionem D. Thomæ & Scoti, & aliorum contrariæ sententiæ, non poterit Sacramentum esse causa instrumentalis ad educendam gratiam de potentia obedientiali animæ, quæ producitur in instanti, & non eget præuiis dispositionibus. Deinde gratia ipsa non educitur de ista

potentia

potentia obedientiali, sed verè creatur. Ergo falsa est ista responsio. Et quidem hæc sola tantarum responsionum varietas sufficere posset ad conuincendum, Scholasticos ab opinione Magistri gratis discessisse, per quam solam videtur posse legitimè explicari, quòd sacramenta sint verè causæ instrumentales effectiuæ ipsius diuinæ gratiæ.

VII. Sed quidquid sit de sacramentis, illud certum est humanitatem Christi esse causam instrumentalem verè efficientem nostræ iustificationis, & gratiæ, id enim docent non solùm Theologi post D.Thom. D.Thom p.2.q.112.art.1. ad primum. Vbi sic ait: *Ad primum argumentum dicendum, quòd humanitas Christi est sicut quoddam organum diuinitatis eius, sicut Damascenus dicit in 2.lib.de fide cap.5. Instrumentum autem non agit actionem agentis principalis propria virtute; sed virtute principalis agentis. Et ideo humanitas Christi nõ causat gratiam propria virtute, sed virtute diuinitatis adiunctæ, ex qua actiones humanitatis Christi sunt salutares.* Sed etiam Concilium Ephesinum Concil. Ephesin. definiuit contra Nestorium in vndecimo anathematismo, in quo damnantur, qui non confitentur, carnem Christi viuificatricem. neque potest dici, quòd definierit carnem Christi viuificatricem esse solùm meritoriè, aut deprecatoriè, seu moraliter. quia Nestorius hoc non negabat, sed immo potiùs hoc solummodo contendebat, carnem Christi viuificatricem esse. Et videri potest Cyrillus. Cyrillus in defensione eiusdem anathematismi, in qua citat etiam autoritatem D. Athanasij, dicentis, Christum per instrumentum assumpti corporis diuino modo operatum fuisse. Quæ defensio habetur in 5.tomo eiusdem Concilij Ephesini in primo volumine Conciliorum.

Nihil autem refert, humanitatem Christi esse instrumentum diuinitati coniunctum, sacramentum verò esse instrumentum separatum. quia quod Deus potest per instrumentum coniunctum, potest etiam per separatum, cùm coniunctio instrumenti non sit naturalis, sed voluntaria.

Aliæ rationes afferri possent ad eamdem sententiam probandam ex opere iustificationis, quod maius est, quàm creare cælum, & terram, ex Augustino tract. 72. in Ioann. Et tamen humanitas Christi est causa verè efficiens instrumentalis iustificationis. Ergo multo magis creationis. & etiam ex autoritate D. Thom. in 2. D.Thom. dist. 1. quæst. 1. art. 3. in corpore, & in 4. d. 5. quæst. 1. art. 3. quæstiuncula 3. qui illam defendit.

Sed omnium optima ratio videtur, quia non debet Catholicus negare, Deum aliquid posse efficere, nisi quod implicat contradictionem: At Deum assumere creaturam vt instrumentum ad creandum, nullam implicat contradictionẽ. Ergo id non est negandum. Minor probatur ex solutione argumentorum, quæ contra hanc sententiam afferuntur à Scholasticis. Illa enim euidenter sunt solubilia, vt statim patefiet.

CAPVT VIII.

Argumenta Scholasticorum contra Magistrum afferuntur, & soluuntur.

I. LIcèt Scholastici cõtra sentẽtiã Magistri multa conferant argumenta, ea tamen ferè omnia vno supposito, quod verissimum esse nullus negabit, statim suas vires amittere videntur. Illud autem est. duplex esse instrumentum, aliud naturale, aliud voluntariũ; Et adhuc instrumentũ naturale duobus modis considerari posse, vno modo, vt est instrumẽtum naturæ, aut etiam diuinæ virtutis agentis modo naturæ: alio modo, vt est instrumentum diuinæ virtutis agentis modo supranaturali, & eleuantis causam instrumentalem supra naturalem facultatem, & ordinem, & modum agendi, quem habet vt instrumentum naturæ, vel Dei agentis modo naturali. Et quidem instrumentalis causa primo modo considerata non videtur operari effectum principalis agentis, nisi per aliquid sibi proprium dispositiue operando ad talem effectum: vnde necesse est, illam operari per motum physicum, & consequenter eget subiecto, in quo illius actio recipiatur. Et cùm talis actio sit accidens, non est ex se tantæ efficacitatis, vt propria virtute producat substantiam, multo minus, vt per illam valeat aliquid creari. De causa instrumentali hoc modo accepta verificantur ferè omnia argumenta, quibus D.Tho.Bonauent. Scotus, & alij probant, creaturam non posse esse instrumentum diuinæ virtutis ad aliquid creandum, nimirum secundùm naturalem illius dispositionem, & virtutem, quod nec Magister sententiarum vllo pacto negaret. Cæterùm si consideretur causa instrumentalis secundo modo, nihil videtur obstare, quo minus illa possit à Deo assumi, vt instrumentum ad aliquid creandum: quoniam vt eleuata à diuina virtute potest non solùm operari dispositiuè ad effectum principalis agentis, sed etiam attingere verè efficienter illius productionem, sicut diximus de humanitate Christi, quæ verè attingit productionem gratiæ. Neque necesse est, quòd operetur per motum physicum, neque etiam quòd agat per aliquam formam sibi propriam, & virtutem in eo permanentem: sed sufficit, quòd agat per diuinam virtutem in illo existentem per modum actualis motionis, quod etiam fatetur D.Th. D.Thom. tum in p.2.q.112. art.1. ad primum vbi loquitur de humanitate Christi, tum in 3.p.q.64.art.5. vbi verba facit de causalitate Sacramentorum in ordine ad gratiam. Et sufficit quòd causa instrumentalis eleuetur supra propriam virtutem à virtute diuina, sicut ignis inferni sine motu physico torquet spiritualem creaturam, quia eleuatur supra vires naturæ suæ à diuina virtute. Neque actio instrumenti, vt sic necessariò eget subiecto materiali, cui inhæreat: & esto egeat tali subiecto, potest actio materialis instrumenti recipi in vno subiecto, & producere effectum in alio, sicut ablutio Baptismi recepta in corpore producit effectum in anima, vt dicit Augustinus relatus in cap. detrahe 1.q.1. *quæ est tanta virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat, nisi faciente verbo?* Neque necesse est ad hoc, vt per talẽ causam producatur effectus, quòd instrumentum tangat subiectum, aut effectum cõtactu quantitatiuo: sed sufficit solus contactus virtualis, alias neque Angelus posset sphæram cælestem mouere, quam non potest contactu quantitatiuo tangere. Et instrumentum sic consideratum potest esse motum vno motu, & mouere alio motu, vt cùm Sacramentum mouetur a Ministro, & mouet conferendo gratiam. Et demum licèt actio instrumenti sit accidens, potest eleuari à diuina virtute ad producendum substantiam, cùm etiam in naturalibus dicant Philosophi, quòd accidens producit substantiam virtute, non propria, sed ipsius substantiæ. Immò non desunt, qui dicãt, etiam virtute propria accidens substantiam producere. Ex quibus est Pererius lib.8. de principiis cap.13. cuius tamen sententia minimè placet: neque

que rationes, quibus hoc probat, aliquid virium habent; ſed circa hoc immorari non vacat. Hoc autem fundamento iacto facile omnia argumenta in contrarium ſolui poſſunt.

II. Primum argumentum eſt. Nulla cauſa inſtrumentalis concurrit cum cauſa principali ad aliquid producendum, niſi per aliquid ſibi proprium operetur diſpoſitiuè ad effectum principalis agẽtis: ſed nulla creatura poteſt diſpoſitiuè operari ad principalem effectum Dei vt creantis. ergo nulla creatura poteſt eſſe inſtrumentum creationis. Maior probatur: quia ſi inſtrumentum non ageret per aliquid ſibi proprium, fruſtrà adhiberetur ad agendum. Secundò, quia niſi ageret per aliquid ſibi proprium, non magis vnum inſtrumentum eſſet determinatum ad agendum vnum effectum, quàm alium. Minor probatur; quia principalis effectus Dei creantis eſt eſſe abſolutè ſumptum: ſed iſte effectus præſupponitur actioni ipſius creaturæ. Secundò, quia creatio non præſupponit ſubiectum, in quod inducantur diſpoſitiones.

Reſpondetur. Si argumentum aliquid probat, tantùm probat de inſtrumento naturali agente modo naturali, non de inſtrumento voluntario eleuato ſupra modum agendi ordinis naturalis, de quo inſtrumento ſic accepto falſa eſt maior propoſitio ex fundamento iacto. Et videmus etiam in inſtrumentis artificialibus illam non habere locum: inſtrumentum enim artificiale verè, & propriè & non ſolùm diſpoſitiuè attingit productionem effectus principalis agentis. immo etiam inſtrumentum naturale aliquando id efficit, vt D. Thom. concedit in 4 d.1.q.1.art.4. quæſtiuncula 1. in corp. Adhuc illa maior propoſitio eſt expreſsè contra D. Thom. 1.2. q.112. art.1. ad primum vbi dicit, quòd actio inſtrumenti attingit effectũ principalis agentis non propria virtute, ſed virtute principalis agentis, quod repetit in 3. p. q. 64. art.5. D.Thom.

Præter quod in argumento multa etiam falſa aſſumuntur, nam ad primam probationem maioris cùm dicitur, quòd inſtrumentum debet per aliquid ſibi proprium diſpoſitiue operari ad effectum cauſæ principalis; vel per aliquid ſibi proprium intelligit propriam formam, & vim agendi ſibi propriam, & in hoc ſenſu non eſt vera, niſi in inſtrumentis naturalibus, neque in omnibus. Vel intelligit illud, quod pertinet ad ſubſtantiam inſtrumenti, & in hoc ſenſu conceſſa maiori negatur minor: Omne enim inſtrumentum, cuiuſcunque ſit ordinis, operatur per aliquid ſibi propriũ, etiam quando operatur per virtutem ſuperadditam, quia illa virtus neceſſariò debet recipi in ipſo inſtrumento, & per illud attingere effectum. Ad ſecundam probationem eodem modo dicendum eſt, præter quòd illa procedit ſolùm de inſtrumentis naturalibus, aut artificialibus, agentibus ſecundùm ordinem naturæ, & virtutis creatæ: nõ autem eleuatis à diuina virtute. Ad primam etiam probationem minoris dicitur, quòd per eſſe, abſolutè ſumptum poteſt intelligi ens vniuerſaliſſimè ſumptum, comprehendens quodcunque eſſe particulare cuiuſlibet rei: Vel poteſt intelligi totum eſſe alicuius rei particularis, quæ per creationem producitur. Si intelligatur primum, minor eſt vera ſed maior falſa. Si ſecundum, eſt vera maior, ſed falſa minor. Ad ſecundam reſpondetur, quòd illa procedit ſolùm de inſtrumento naturali, neque etiam de omni. Deinde ſecundùm opinionem quę dicit, Sacramenta cauſare gratiam diſpoſitiuè, cauſando ſcilicet quamdam diſpoſitionem in anima, ad quam ſequitur gratia, quam opinionem tenuit aliquando D. Thom. in 4. d.1.q.1.a.4. quæſtiuncula 1. & de Veritate q.27.a.4. ad tertium, Paludanus, & Capreolus dicta diſt.1.q.1. & Argentin. ibidem, & in 2.d.19.q.1. art.3. oportet dicere, creaturam operari diſpoſitiue ad effectum principalem Dei creantis, cùm oſtenſum ſit, gratiam verè creari. Hæc volui aduertere, vt videas, quid ſoliditatis contineat iſtud argumentum, quod eſt præcipuum fundamentum, quo ſententia Magiſtri noſtri impugnatur. D. Thom. Paludan. Capreol. Argentin.

III. Secundum argumentum. Cauſa inſtrumentalis non adhibetur ad aliquid cauſandum, niſi per viam motus, ratio enim formalis inſtrumenti eſt, vt ſit mouens motum: ſed creatio non eſt motus, ergo.

Reſpondeo duplex eſt motus, phyſicus, & metaphyſicus. De ratione inſtrumenti naturalis, aut etiam artificialis agentis modo naturali eſt, vt ſit mouens motum motu phyſico. De ratione autem inſtrumenti voluntarij eleuati ſupra ordinem naturæ non eſt, vt ſit mouens motum, niſi motu metaphyſico. Creatio autem motus metaphyſicus eſt. Addo, illam maiorem loquendo de metaphyſico non eſſe etiam veram de omnibus cauſis inſtrumentalibus: Angeli enim non mouent inferiora, niſi moti à Deo, & tamen illa motio nõ eſt phyſica, ſed metaphyſica, accepta motione pro quacunque influentia Dei.

Tertium argumentum. Inſtrumentũ non adhibetur, niſi vt influentia primi agentis per ipſum inſtrumentum perueniat ad cauſatum. Ergo oportet, quòd in ipſo inſtrumento ſit aliquid recipiens talem influentiam: ſed in creatione non præſupponitur aliquid recipiens talem influentiam. ergo non poteſt eſſe aliquid inſtrumentum in creatione.

Reſpondeo. Hoc argumentum poteſt retorqueri ſic. In omni actione requiritur influentia agentis ſuper paſſum. Ergo oportet dare aliquod ſubiectum recipiens talem influentiã; ſed in creatione non datur tale ſubiectum: ergo Deus nihil poteſt creare. Et ſic argumentum æquè procedit de creatione tam ſine cauſa inſtrumentali, quàm cum cauſa inſtrumentali. Reſpondetur itaque in creatione eſſe aliquid recipiens ipſam influentiam primæ cauſæ, aliud per modum motionis tranſeũtis, & hoc eſt cauſa inſtrumentalis, quando Deus ad creandum vtitur tali cauſa: aliud per modum ſubiecti, & iſtud eſt ipſamet res, quę creatur: diuerſimodè nanque conſiderata habet rationem ſubiecti, & termini.

IV. Quartum argumentum. Ad creandũ requiritur virtus infinita: ſed creatura non eſt capax virtutis infinitæ. ergo non poteſt eſſe inſtrumentum creationis.

Reſpondeo, quidquid ſit de veritate maioris propoſitionis, de qua non omnes idem ſentiunt, illam veram eſſe ſolùm de cauſa principali, id eſt, ſi requiritur virtus infinita ad creandum, illa requiritur ſolùm in cauſa principali, non in cauſa inſtrumentali. adhuc creatura non eſt capax virtutis infinitæ per modum permanentis, ſed benè per modum motionis tranſeuntis; omnis enim diuina motio infinita eſt ex parte mouentis, etiãſi recipiatur in creatura.

Quintum argumentum. Quomodo actum agitur, eodem modo agens agit: ſed quod creatura agitur ſecundùm ſe totum. Ergo & quod creat, agit ſecundùm ſe totum: ſed nulla creatura agit ſecundùm

dùm ſe totam.ergo nulla creatura creat.

Reſpondetur primò minorem veritatem habere ſolùm loquendo de cauſa principali, non de caaſa inſtrumentali. Adhuc negandum abſolutè, quòd non poſſit creatura agere ſecundùm ſe totam: Angelus enim agit ſecundùm ſe totum, neque ſequitur,quòd ſit Deus,quia cùm agat ſecundùm ſe totum, agit nihilominus cum dependentia à cauſa ſuperiori. Poteſt etiam dici cum Durando, negando maiorem in ſenſu intento ab arguente. Quæ eſt enim neceſſitas, quòd eodem modo agens agat,quo actum agitur:In hoc ſenſu,quòd ſi actũ agitur ſecundùm ſe totum, etiam agens agat ſecundùm ſe totum? Sufficit enim, quòd agens contineat totum effectum producibilem, ſiue contineat illum ſecundùm ſe totum, ſiue ſecundùm vnam partem ſui. Et ideo ſiue agat ſe toto, ſiue per vnam partem ſui, poterit nihilominus totum effectum producere.& certè argumentum nimis eſt dialecticum, & ex communibus.

V. Sextum argumentum.Omne accidens eget ſubiecto, in quo recipiatur; omnis actio creaturæ eſt accidens. ergo eget ſubiecto, in quo recipiatur. in creatione nullum ſupponitur ſubiectum. ergo.

Reſpondeo primò. Poſſet fortaſſe Deus facere creaturam, cuius actio eſſet ſua ſubſtantia, ſicut Peripatetici dicunt de intelligentiis. & ſi hoc non poſſet facere, poteſt tamen actio creaturæ recipi in vno ſubiecto, & effectus produci in alio, ſicut contingit in actionibus Sacramentorũ, quæ recipiuntur in vno ſubiecto,& tamen gratia producitur in alio.Vel dicendum,quòd actio,quę eſt creatio, recipitur non in alio ſubiecto, ſed in ipſa re creata,quæ diuerſimodè concepta eſt terminus, & ſubiectum eiuſdem actionis.

Septimò. Omnis actio creaturæ eſt modificata à prima cauſa: ſed omnis modificatio actionis creatæ dependet à materia. ergo nulla creatura eſt quæ in ſua actione non præſupponat materiam.

Reſpondetur negando minorem, vt abſolutè falſam.Actio enim Angeli eſt modificata, & non per materiam.

VI. Octauum argumentum.Quando aliqua duo ſic ſunt proportionata adinuicem, quòd quantum vnum minuitur per gradus, tantum aliud augetur per gradus,ſi vnum minuitur vſque ad non gradum, alterum neceſſe eſt augeri vſque in infinitum:ſed potentia actiua & paſſiua ita proportionatæ ſunt adinuicem, quòd quantum paſſiua minuitur, tantum potentia actiua debet augeri: ſed in creatione potentia paſſiua minuitur vſque ad non gradum. Ergo in creatione potentia actiua augeri debet in infinitum. Maiorem illam hypotheticam probant ex Ariſtot. in 4. Phyſic.text.72. Ariſtot. vbi probat, quòd ſi fieret motus in vacuo, fieret in inſtanti: quia quantum minuitur reſiſtentia ſpatij, tantum augetur virtus mouentis:ſed in vacuo reſiſtentia ſpatij minueretur vſque ad non gradum. ergo & virtus mouentis, & ex conſequenti velocitas motus augeretur vſque in infinitum.

Confirmant. Quia ſi ad producendum aliquid ex nihilo ſufficere poſſet virtus finita, ſequeretur, quòd duæ potentiæ,quarum vna poſſet producere aliquid ex nihilo, & altera ſolùm poſſet aliquid producere ex potentia paſſiua,eſſent æqualis perfectionis, quam ſequelam vide probatam à Caie- Caietan. tano 1.p.q.45. a.5.

Reſpondeo, admiſſo toto argumento cum confirmatione, ſufficeret,quòd ad creandum requiratur neceſſariò virtus infinita in cauſa principali, non autem in cauſa inſtrumentali, de qua loquimur, neque aliquid plus probari. Secundò, quia argumentum non eas vires habet,quas aliqui putant. Reſpondeo negando maiorem, cuius falſitatem ſic demonſtro. Accipiamus calorem & frigus quatuor gradnum, minuatur frigus ad tertium, calor augebitur ad quintum. Minuatur frigus ad ſecundum; calor augebitur ad ſextum; minuatur frigus ad primum, calor augebitur ad ſeptimum; minuatur frigus ad non gradum, calor augebitur ad octauum,non autem in infinitum. neque Ariſtot. oppoſitum docuit. Et ſi mille Ariſtot. id docuiſſent,non eſſet recedendum ab experientia; quia relinquere ſenſum propter iſtas rationes, debilitas eſt intellectus. Sed Ariſt. vt dixi,hoc non docuit,ſed arguebat ad hominem cõtra antiquos, qui volebant, omnem ſucceſſionem in motu prouenire ex ſola reſiſtentia ſpatij, non autem ex reſiſtentia mobilis ad virtutem mouentem.Ad quorum opinionem benè ſequebatur,quòd ſi reſiſtentia ſpatij minueretur ad non gradum, velocitas motus augeretur in infinitum, & fieret motus in inſtanti. neque etiam locutus eſt de augmento virtutis in infinitum, ſed de augmento velocitatis motus vſque ad inſtans.

Ad confirmationem negatur, quòd virtus producens aliquid ex nihilo, & virtus ſolùm potens aliquid producere ex ſubiecto,ſint proportionabiles:quia eſto vtraque eſſet finita,non tamen haberent eumdem modum agendi, in quo debet iſta proportio fundari.

Nonum argumẽtum eſt Dominici Bañes. Creatio eſt actio productiua entis vt ens eſt: ſed nulla creatura poteſt eſſe inſtrumentum ad producendum ens, vt ens, quia quod habet virtutem producendi ens,vt ens, habet virtutem ſuprat otum ens.Vnde ſi creatura haberet virtutem producendi ens,vtens,haberet virtutẽ producendi ſeipsã. VII. Bañes.

Reſpondeo, argumentum nugatorium eſſe, quod non minus aufert vim creandi à Deo, quàm à creatura, quod ſic oſtenditur retorquendo argumentum. Creatio eſt productio entis, vt ens: ſed Deus non poteſt producere ens, vt ens, quia quod habet virtutem producendi ens, vt ens, habet virtutem ſupra totum ens. Si ergo Deus poſſet producere totum ens, poſſet producere ſeipsũ. Et iſtud argumentum idem eſt cum argumento Dominici Bañes. Dico igitur, iſtam propoſitionem,creatio eſt productio entis, vt ens eſt, diſtinguendam eſſe; vel enim facit ſenſum, quòd creatio ſit productio entis,vt ens eſt quoddam vniuerſale abſtractum, quod complectitur Deum, & omnes creaturas vel facit ſenſum, quòd creatio ſit productio huius, & illius particularis entis ſecundùm totam illius entitatem,ita,vt eius, quod creatur, nihil præſit ante ipſam creationem, iuxta primum ſenſum. Maior eſt falſa, & commentum ridiculum, iuxta quam arguens aſſerit, quòd creatio eſt productio entis, vt ens: non enim quælibet particularis creatio ſiue ſit à Deo ſine inſtrumento, ſiue cum inſtrumento,eſt productio omnis entitatis producibilis, quis hoc affirmet?

Decimum argumentum eſt eiuſdem. Si Deus aſſumit creaturam, vt inſtrumentum ad creandum, actio Dei non poteſt attingere effectum

creatio

VIII. creationis, qui est ens vt ens, nisi determinata & modificata in instrumento per actionem propriã ipsius instrumenti: sed actio Dei sic determinata non potest attingere principalem effectum, qui est productio entis, vt ens est. Ergo nullo modo potest assumere creaturam, vt instrumentum ad creãdum. Maiorem probat longo discursu ex quibusdam suppositionibus, quarum sensus est, quòd sit proprium instrumenti, vt in ipso actio principalis agentis recipiat quandam determinationem quasi materialem, quam determinationem causat instrumentum per aliquam propriam actionem. Minorem probat, quia actio propria & connaturalis instrumenti non potest supra ens inquantum ens; sed habet determinatam habitudinem ad tale, vel tale ens determinatum, & necessariò præsupponit ens absolutè sumptum.

Respondeo primùm, videri mihi ea, quæ arguës hîc dicit, non satis cohærere cum his, quæ dicit suprà quæst. 19. art. 8. §. *sed antequam nostram sententiam*, quæque infrà monet notanda esse pro materia de gratia & prædestinatione. Vbi dicit actionem causæ primæ non posse vllo modo modificari à causis secundis. Deinde ad argumentum respondetur, negando minorem propositionem, neque probatio aliquid valet, quia non est hîc quæstio de actione instrumenti naturalis, quæque est illi propria, & connaturalis, sed de actione, quæ cõuenit instrumento vt eleuato per diuinã virtutẽ, & quã instrumentum habet, vt motum à superiori causa. Neque est etiam necesse, vt per talem actionem creatura possit supra ens, vt ens est. Et illa propositio, in qua virtualiter illa probatio fundatur, creatio est productio entis, vt ens est, in sensu ab arguente intento est falsa.

IX. Vndecimum argumentum est Scoti. Ad hoc vt instrumentum propriè sit actiuum, necesse est, vt habeat formam aliquam sibi propriam, per quam agat in suo ordine: quia actus secundus necessariò supponit actum primum: sed nulla forma communicata creaturæ potest attingere terminum creationis: quia vel talis forma est materialis, & ista sicut in esse pendet à subiecto, ita etiam in operando; vel est immaterialis, & ista cùm non agat, nisi per actiones immanentes, quæ sunt accidentia, non potest aliquid creare, quia actiones quæ sunt accidentia, non possunt esse tantæ actiuitatis, vt producant substantiam.

Respondeo, maiorem non esse veram, nisi de instrumento naturæ, quod operatur modo naturali, non autem de causa instrumentali voluntaria eleuata à diuina virtute, quæ non agit effectum causę principalis per aliquam formam, & virtutem sibi propriam, sed solùm per virtutem causæ principalis existentem in instrumento per modum actualis motionis, & transeuntis. Quod etiam D. Tho. fatetur locis supra citatis. Immo, & Scotus ipse obiiciens contra rationes D. Thomæ. Similiter ad minorem dici potest, nullam virtutem communicatam creaturæ per modum permanentis esse tantæ efficacitatis, quod solum probat argumẽtum. Et cum hoc non repugnat, virtutem communicatam creaturæ per modum transitus, & actionis posse attingere terminum ipsius creationis. Et ad improbationem dicitur, quòd sicut forma materialis pendet in esse à subiecto, ita etiam in operando, quando agit vt instrumentum naturæ per motum physicum, non autem quando agit vt instrumentum dictæ virtutis per motum metaphysicum. Forma etiam immaterialis licèt agat per actiones immanentes, quæ sunt velle, & intelligere, quæ sunt accidentia, & non sunt tantæ virtutis; quòd possint aliquid de nihilo producere, secundùm quod sunt puræ actiones virtutis creatæ: possunt tamen eædem actiones esse tantæ actiuitatis, vt eleuatæ per diuinam virtutem supra ordinem naturæ. Neque contrarium probatur. Videantur alia, quæ dicit Durandus in hoc argumento dissoluendo 2. d. 1. q. 4. num. 37. 38. & 39. Durand.

X. Duodecimum argumentum. Si creatura potest esse instrumentum creationis, vel hoc potest habere per virtutem propriam, vel per superadditam, vel per solam motionem principalis agentis. Non per virtutem propriam, quia, vt dictum est, neque forma materialis, neque immaterialis potest esse tantæ virtutis, vt per illam producatur aliquid ex nihilo. Neque per superadditam, quia eodem modo dici poterit, vel illa virtus est materialis, vel immaterialis, & sic redibit eadem ratio. Neque tertium, quia motus non est causa actiua. Secundò, quia motio supponit formã, per quã instrumentum moueatur. Alioquin si non habeat formam, per quam moueatur, non dicetur propriè agere aliqua actione.

Respondetur, creaturam posse esse instrumentum creationis per virtutem superadditam, non quòd sit noua forma, sed nouus gradus virtutis superadditæ, sicut ignis torquet spiritum per virtutem superadditam, quæ non est noua forma, sed nouus gradus, vel per diuinam motionem. Neque necesse est, quòd motio sit causa actiua, sed quòd virtus principalis, & causa instrumentalis per talem motionem agat, quod vult agere. Neque necesse est, quòd motio supponat formam, per quam instrumentum mouet, in ipso instrumento: sed sufficit, quòd supponat illam in causa principali. Neque propter hoc negandum est, instrumentum non agere propriè tanquam instrumentum, sicut motio baculi, qua mouet lapidem, non supponit formam, per quam moueat in ipso baculo, sed solùm in manu: neque per hoc, quòd baculus non mouet per formam propriam, sed per formã, id est, virtutem manus, negandum est, baculum propriè mouere lapidem tanquam instrumentum.

Ex solutione verò horum argumentorum non erit difficile æstimare, an sua careat probabilitate Lombardi nostri sententia, qua semel admissa tam facilis aperitur via Theologo ad nodos dutissimos soluendos, quibus per aliorum opiniones vix potest apparens solutio adhiberi, à qua ob rationes tam leues, & quæ tam facilè solui possunt, omnes ferè Theologi gratis discesserunt. Atque ex his absoluta sit hęc prima controuersia.

CAPVT IX.

Secunda controuersia proponitur, vndénam sit malum in rebus.

I. INtentio nostra in hac secunda controuersia, in qua quærimus, vnde nascatur malum in rebus, erit loqui de malo morali, non autem de solo malo naturali. Vt enim autor est Augustinus in lib. de Moribus Manichæorum statim in initio, nulli dubium est, cùm de bonis & malis quæritur, hoc genus quæstionis ad moralem pertinere disciplinam. Esse autem malum non solùm in genere naturæ, sed etiam in genere moris, quod alio nomine vocamus peccatum, & ipsum peccatum primò

mò & principaliter malum appellari, nullus ignorat. Ratio verò dubitandi in præsenti controuersia talis statim sese nobis offert. *quia vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona*, vt Moyses ait. Si ergo vnus solus Deus, verus, optimus, maximus omnium rerum visibilium, & inuisibilium est auctor, & omnia quæ à Deo proficiscuntur non solùm bona sunt, sed valde bona, vnde igitur tot mala nascuntur in rebus? Non est autẽ nobis hoc in loco huius dubij solutio vllo modo dissimulanda, cuius soluendę occasio tres grauissimos peperit errores. Ex quibus duo priores cum humani arbitrij libertate ad actus moraliter bonos, & malos eliciendos pugnant apertissimè. Quidam enim veriti, bonum Deum facere malorum autorem, duo prima principia, alterum summè bonum, alterum summè malum introduxerunt: & sicut bona non nisi à summo bono esse dixerunt, ita mala non à bono, sed à principio summopere malo, quod nonnulli vocauerunt Diabolum, constanter asseruerunt. Hi verò bona & mala, quæ quisque operatur, non à libero arbitrio, sed à natura boni, & mali adinuicem commixtis in nobis oriri fatentur. Quem errorem docuerunt illi omnes Philosophi, & hæretici, qui duo prima rerum principia confinxerunt, alterum summè bonum, alterum summè malum, videlicet Pythagorici, referente Aristot. 1. Metaph. cap. 5. & D. Thom. 1. p. q. 49. art. 1. Empedocles, Magi, Simoniani, Cerdoniani, Carpocratiani, Appellitæ, Gnostici, Manichæi, & Priscillianitæ, & alij ibidem relati: quos non est dubium, cùm primum principium malum facerent primam causam mali, etiam de malo morali, quod est peccatum, locutos fuisse, & ipsius peccati causam in primum illud principium retulisse, quidquid recentiores nonnulli, inter quos

Vasquez. est Vasquez 1. 2. disput. 129. cap. 1. de hac re dubitent. Id nanque constat primò ex communi modo loquendi omnium Patrum, qui cùm aduersùs istos hæreticos docent, Deum non esse causam mali, sed liberum nostrum arbitrium, de malo culpæ, quod est in genere moris, apertissimè loquuntur. Secundò id probatur ex Augu-

Augustin. stino in lib. de hæresibus hæresi 46. Vbi inter errores Manichæi etiam hunc recenset, quòd dixerit, peccata non nasci ex libero arbitrio; sed ex commixtione animæ cum natura mali, quæ est à primo principio. Tertiò id probatur, quia Pelagiani vocabant Augustinum, & Catholicos Manichæos, propterea, quòd docebant, paruulos nasci cum peccato originali, quod non esset à libero illorum arbitrio, sed quodammodo à natura, vt videre est apud eundem Augustinum lib. 2. de nuptiis, & concupiscentia cap. 2. 3. & 4. & 16. & lib. 1. & 2. contra duas Epistolas Pelagianorum cap. 1. & lib. 1. contra Iulianum Pelagianum cap. 1. 2. & 3. Sed quid moror in hac re probanda, cùm ipse Augustinus dicto lib. 1. contra Iulianum cap. 3. ostendat Manichæos nullum maiorem habere sui erroris defensorem, quàm Iulianum; quia ille docebat, quòd malum ex bono nasci non potest, neque per bonum transire. vbi constat, de malo culpæ illum verba facere. Legatur idem Augustinus, vbicunque disputat contra Manichæos, videlicet lib. de moribus Manichæorum cap. 1. vbi dicit, quòd nulli dubium esse arbitratur, cùm de bonis, aut malis quæritur, hoc genus quæstionis ad moralem disciplinam pertinere. Legatur ibidem cap. 2. 6. & 7. & per tres integros libros de libero arbitrio, præcipuè lib. 2. cap. 2. & lib. 3. cap. 1. quos libros in 1. Retractationum cap. 9. dicit, se contra Manichæos conscripsisse, ad ostendendum, quòd mali origo non est nisi liberum arbitrium. Legatur etiam in libro de vera Religione cap. 2. & lib. de Actis cum Fortunato Manich. & lib. de Nat. boni cap. 4. 6. 11. 35. 36. & 37. & lib. 1. Retractat. cap. 16. & lib. 2. cap. 9. Quibus in locis docet, Manichæos sensisse, malum culpæ referendum esse in naturam mali, & in primum principium malum, vt in causam, non autem in liberum hominis arbitrium. quemadmodum è contrario illi docebant, bonum morale in naturam boni, & in primum principium bonum esse referendum, & sic nullum esse liberum hominis arbitrium, siue ad malum, siue ad bonum morale agendum. Et hic fuit primus error de causa mali.

II. Alij verò impudentiores facti in apertam blasphemiam, & contumeliam contra Deum proruperunt dicentes, ipsum bonum Deum peccati esse autorem. Huius autem blasphemiæ omnium turpissimæ, ac grauissimæ quisnam primus fuerit autor, sciri non potest. Videtur enim hic error non solùm ab hæreticis originem traxisse, sed diu ante illos pullulare cœpisse, cùm Plato lib. 2. de Republica de illo ita scribat, Plato. *Malorum alicui causam esse Deum, cùm bonus sit, refellendum est omnino. Nec permittendum quenquam hoc dicere in sua ciuitate, si bonis institutis legibus ciuitas debet. Nec insuper quenquam audiri, siue ille sit iunior, siue senior, siue carminibus hæc inferantur, siue soluta oratione narrentur: tanquam quæ neque dicta sancta sint, neque nobis vtilia, neque inter se consona.* Ex hæreticis hunc errorem apertè docuit Florinus quidam, à quo Florinus. Floriani dicti sunt, qui fuit temporibus Commodi Imperatoris, & Eleutherij Papæ, referentibus Eusebio lib. 5. Historiæ cap. 2. & Alphonso Castrensi aduersùs hæres. verbo *malum*, Eusebius, Castro. hæresi prima, aduersùs quem hæreticum scripsit D. Irenæus librum de Monarchia, & Irenæus. quòd Deus non sit autor malorum, vocans illum plusquam hæreticum, eo quòd ausus fuerit hoc dicere de Deo, quod ante illum nullus alius hæreticus ausus fuerat affirmare. Refert etiam Eusebius, & Castrensis quendam alium, nomine Blastum huius erroris sectatorem, aduersùs quem dicunt Irenæum alium librum scripsisse sub titulo de schismate. Refert etiam Augustinus in lib. de hæ- August. resibus hæresi 59. in eundem errorem Seleucianos, & Hermianos, licèt illi dicerent, malum aliquando esse à Deo, aliquando à materia, & non loquerentur expressè de malo culpæ.

Eundem errorem Massilienses imposuerunt D. Augustino, vt colligitur ex articulis illi falsò impositis art. 5. 8. 9. 10. 11. & 13. à quibus in eo libro ad articulos sibi falsò impositos, ille se vindicat, tanquam à manifestis calumniis, & impostoris. Hæretici vocati Prædestinati sine dubio eundem errorem docuerunt, quia illi dixerunt, homines æquè à Deo prædestinatos ad malum, sicut ad bonum, & omnia mala æquè euenire ex diuina prædestinatione sicut & bona. Contra quos edita est definitio Conc. Arausicani I. can. 23. & can. vlt. Concil. Arausicani.

Concil. Valent. & Concil. Valentini ſub Lothario cap. 3. Nihil enim differt dicere, Deum ab æterno prædefiniuiſſe peccata, vt fierent, & in tempore eſſe illorum cauſam, per ea quæ ex Auguſtino lib. de prædeſtinatione Sanctorum cap. 10. & 17. ſuperiùs lib. 6. dicta ſunt.

Auguſt.

Luther. Ex recentioribus hæreticis eundem errorem docuerunt aliquando Lutherus in defenſione articuli 36. per Leonem X. damnati, vbi probauit, quòd mala opera in impiis Deus operatur, & Philippus Melanchthon in locis communibus editis VVittembergæ anno Domini 1521. loco de viribus humanis, & libero arbitrio, & in Annotationibus ad octauum caput Epiſtolæ ad Romanos. vbi fatetur, ita proprium Dei opus eſſe Dauidis adulterium, & Manlij ſeueritatem, animaduertentis in filium, ſicut eſt proprium Dei opus Pauli vocatio, & reiicit vt frigidum gloſſema, Deum mala operari permiſſiuè tantùm. Verùm & Lutherus, vt lib. 2. & 4. adnotauimus, ſuum errorem retractauit, quoad hoc in lib. de viſitatione Saxonica, & etiam Melanchthon in locis editis poſtea anno 1536. retractauit, quæ dixerat de libero arbitrio in eiſdem locis priùs editis, & reiecit ſententiam Vallæ, quam probauerat priùs, inter Stoicorum abſurditates. Et in Epitome moralis philoſophiæ retractauit etiam, quæ dixerat in Annotationibus ad 8. caput Epiſtolæ ad Romanos. Immo in ſuis operibus editis anno 1541. non eſt paſſus illum errorem remanere; videſque poſſunt illius verba apud Ruardum art. 7. pag. mihi 259. & 260. & apud Lindanum in ſua panoplia lib. 3. cap. 16. & apud Cardin. Bellarminum lib. 4. de lib. arbitr. fideliter relata. Quare cùm ipſimet errorem retractauerint, non ſunt fingendi hoſtes, cum quibus congrediamur, & quos facilè ſuperare poſſimus. Vtinam alia falſa dogmata eadem ingenuitate retractaſſent.

Ruardus. Lindanus. Bellarm.

III. Libertini. Hunc eumdem errorem docuerunt quidam hæretici recentiores vocati Libertini, contra quos ſcripſit Caluinus librum, cui titulus eſt, Inſtructio contra Libertinos, cuius errores ex eodem Caluino certo numero comprehendens recenſet Bellarmin. lib. 2. de Gratiæ amiſſione, & ſtatu peccati cap. 1. Atque tandem Caluinus ipſe poſt magiſtrum ſuum Zuinglium, & cum illo Theodorus Beza hunc eundem errorem etſi verbis deteſtentur ad ſententiam occultandam, reipſa amplectuntur, docent, ac defendunt.

Bellarm. Caluin.

Illi enim quinque ſequentes propoſitiones docent, & defendunt, ad quas per neceſſariam, & ineuitabilem conſequentiam ſequitur, Deum eſſe verè cauſam peccati. Prima propoſitio eſt: Deus non ſolùm permittit, ſed etiam vult fieri, quæcunque fiunt ab hominibus peccata. Secunda, Deus non ſolùm vult fieri, ſed etiam ab æterno decreuit, vt fierent, quæcunque fiunt ab hominibus peccata. Idque non præuiſa determinatione voluntatis humanæ: Deus enim non decernit quidquam, quia præſcit futurum: ſed præſcit futura, quia ipſe decreuit, vt fierent. Tertia, Deus non ſolùm ab æternitate decreuit, vt fierent, quæcunque fiunt ab hominibus peccata, ſed etiam imperat Satanæ, & improbis hominibus, vt concipiant maleficia, eóſque ad hoc inclinat, impellit, & cogit. Quarta, Deus non ſolùm imperat Satanæ, vel eum inclinat, & impellit, vt homines ad peccandum inducat: ſed etiam ipſe operatur in mentibus impiorum, & per eos, vt per ſua inſtrumenta ipſe tanquam prima cauſa facit ea omnia, quæ reſpectu hominum dicuntur, & ſunt verè peccata. Quinta, etſi ea, quæ reſpectu hominum dicuntur, & ſunt verè peccata, fiant Deo volente, definiente, & imperante & operante: tamen reſpectu Dei non poſſunt, nec debent dici, nec ſunt peccata, ſed opera bona, & iuſta: quia homines mala intentione, Deus autem bono conſilio illa omnia operatur. Hæ propoſitiones quomodo deducantur ex verbis Zuinglij, Caluini, & Bezæ, & quomodo ex illis ſequatur, Deum verè eſſe autorem peccati, & Deum verè & propriè peccare, immo ſolum Deum verè peccare, non autem homines, deducit optimè idem Bellarminus dicto lib. 2. de Gratiæ amiſſione, & ſtatu peccati, cap. 3. & quatuor ſequentibus, ad quem remittimus. Nobis nanque huius erroris confutatio eatenus incumbit, quatenus ille habet alium errorem adiunctum, nimirum homines non libera voluntate peccare, ſed ineuitabili quadam neceſſitate compelli ad peccandum. Hos enim duos errores ſimul complicatos prædictos hæreticos docere, conſtat tum ex illorum verbis, tum etiam ex Concilio Tridentino, quod ſeſſ. 6. de iuſtificatione canon. 6. vtrunque errorem ſimul damnauit, dicens: *Si quis dixerit, non eſſe in poteſtate hominis vias ſuas malas facere, ſed mala opera, ita vt bona Deum operari, non permiſſiuè ſolùm, ſed etiam propriè, & per ſe, adeò vt ſit proprium eius opus non minus proditio Iudæ, quàm vocatio Pauli, anathema ſit.*

Concil. Tridenc.

IV. Cùm autem vterque modus dicendi ſit non ſolùm falſus, & erroneus, ſed hæreſis manifeſtiſſima, & turpiſſima, nonnulli Catholici, vt docerent vnum ſolum verum Deum eſſe omnium rerum principium, & contra autores ſecundi erroris defenderent, atque explicarent, Deum nihilominus peccati cauſam non eſſe, talem ſententiam meditati ſunt, vt dicerent, peccatum in actione conſiſtere: Deum verò minimè cauſam eſſe propinquam noſtrarum operationum, ſed remotam tantùm, quatenus ſcilicet eſt cauſa humanæ naturæ, & humanæ voluntatis; non autem quòd actu ſemper concurrat cum ipſa natura, & voluntate, & cum illa cooperetur. & ita ſentit Durandus in 2. d. 1. quæſt. 5. vbi generaliter loquitur de omnibus actionibus ſecundarum cauſarum, & d. 37. quæſt. 1. vbi in ſpecie loquitur de actione moraliter mala: quam ſententiam quod ſpectat ad actionem moraliter malam, probabilem crediderunt Aureolus, referente Gregorio eadem d. 37. quæſt. 1. Antiſiodorenſ. lib. 2. ſuæ ſummæ tract. 17. cap. 3. & quidam alij à Magiſtro citati dicta d. 37. quæ tamen ſententia ſaltem quoad id, quod ait, Deum non eſſe cauſam propinquam, & immediatam alicuius operationis ſecundæ cauſæ, ita vt immediatè concurrat cum voluntate creata ad producendum effectum ipſius voluntatis creatæ, nunc ab omnibus Theologis cenſetur error manifeſtus.

Aureol.

V. Contra præfatos errores probandum nobis eſt, cauſam mali nullo modo in Deū (de malo morali loquimur) ſed in ſolum liberum arbitrium voluntatis creatæ eſſe referendam. Veruntamen, ne dum

dum mali cauſam inquirimus, in abſurdum incedamus illorum, qui quærunt, vnde ſit, quod, quid ſit, ignorant, quod vt in hac re inueſtiganda omnino cuitemus, admonet nos D. Auguſtinus lib. de moribus Manichæorum cap. 2. Prius quærendum nobis erit, quid ſit ipſum malum, cuius cauſam, & originem inquirimus, vt non ignotæ rei (quod abſurdiſſimum eſt) origo à nobis quæratur. Videbimus itaque prius, quid ſit malum. Deinde quæ ſint illius cauſæ. Et quia malum æquiuocum nomen eſt, & æquiuoca prius ſunt diſtinguenda, quàm definienda, ideo aduertendum eſt, duobus modis aliquid dici malum, vno modo ſimpliciter; altero modo ſecundùm quid. malum ſimpliciter dicitur illud, quod eſt ſecundùm ſe, & in ſe malum, id eſt, quod priuatur aliquo bono, quod eſt debitum ſuæ perfectioni. Malum autem ſecundùm quid eſt illud, quod non eſt malum in ſe, ſed eſt malum alteri, id eſt, quod non priuatur aliqua perfectione, quæ ſit illi debita ſecundùm ſe, ſed priuatur tantùm aliqua perfectione quæ eſt debita alicui alteri. Malum ſimpliciter vocatur malum in ſe; malum ſecundùm quid vocatur malum alteri. Adhuc malum ſimpliciter vocatur malum abſolutè, malum autem ſecundùm quid vocatur malum reſpectiuè. Et hæc diſtinctio habetur ex D. Th. de malo q. 2. a. 1. ad primũ quæ eſt diſtinctio vniuerſaliter complectens tã malum de genere moris, quàm malũ de genere naturæ, vt ſtatim videbimus. Vnde nõ rectè Caiet. 1. 2. q. 18. a. 5. & q. 71. a. 6. & q. 72. a. 1. diſtinguit malum in malum ſimpliciter & malum moris: cùm malum moris ſit malum ſimpliciter, & potius dici debeat, & mereatur malum ſimpliciter, quàm malum in genere naturæ. Non me latet, etiam D. Thomam 1. p. q. 48. a. 5. ad ſecundum. accipere malum ſimpliciter pro malo generaliſſimè ſumpto, vt eſt cõmune quoddam ad quodcunque malum ſiue de genere naturæ, ſiue de genere moris, ſiue culpæ, ſiue pœnæ, ſiue quod eſt malũ in ſe, ſiue quod eſt malum alteri. ſed ibi nomine mali ſimpliciter non accipit aliquam ſpeciem mali contra diſtinctam ab alia, ſed pro eodem accipit malum ſimpliciter, & malum generaliſſimè ſumptum.

Auguſtin. D. Thom. Caietan.

Rurſus tam malum ſimpliciter, quàm ſecundùm quid, duplex eſt, aliud de genere naturæ, aliud de genere moris. Malum de genere naturæ eſt illud, quod inuenitur in rebus ratione carentibus, & etiam in rebus ratione vtentibus, quatenus priuari poſſunt aliqua naturali perfectione abſque libera illarum cooperatione, ſicut eſſe cæcum, vel claudum. Malum in genere moris eſt illud, quod ſolùm inuenitur in creatura rationali, quatenus libera eſt, & per liberam operationem vel ſuſpenſionẽ operationis poteſt priuari aliqua perfectione ipſi creaturæ debita in eſſe.

Malum autem ſimpliciter in genere naturæ eſt illud, quod eſt malum in ſe, quod priuatur aliqua perfectione naturali debita ſibi in eſſe, vel quod eſt priuatio naturalis perfectionis debitæ in eſſe rei, quæ denominatur mala: vt eſſe cæcum in oculo eſt malum, quia oculus cæcus caret perfectione naturali debita ſibi in eſſe, & cæcitas eſt malum in ſe: quia eſt carentia talis perfectionis debitæ in eſſe oculo, qui denominatur cæcus. Malum ſecundùm quid eſt illud, quod eſt malum non in ſe, ſed alteri tantùm, ſcilicet quod non priuatur aliqua perfectione naturali debita ineſſe ei, quod malum denominatur, ſed perfectione naturali debita ineſſe alicui alteri, cui illud dicitur eſſe malum. Vel eſt priuatio naturalis perfectionis debitæ ineſſe non quidem rei, quæ denominatur mala, ſed alicui alteri rei, cui illa dicitur eſſe mala, ſicut aqua dicitur mala igni, non quia careat in ſe aliqua perfectione ſibi debita, ſed quia caret perfectione debita ineſſe igni, quæ eſt ficcitas & caliditas, & quia priuat ignem tali perfectione.

Ad cuius rei maiorem intelligentiam adhuc notandum eſt, quòd malum dupliciter accipi poteſt, vno modo formaliter, id eſt, pro forma, à qua aliquid denominatur malum, quæ dicitur malitia. Secundò materialiter pro re, quæ denominatur mala. Adhuc duobus modis aliqua res poteſt denominari mala, vno modo à forma, aut rectiùs à priuatione intrinſeca, & denominatione intrinſeca, & quod denominatur malum hoc modo, dicitur malum in ſe. Alio modo denominatione extrinſeca à forma, ſiue à priuatione exiſtente non in ipſa re, ſed in alia re, cui comparata dicitur mala; & quod hoc modo denominatur malum, dicitur malum ſecundùm quid, & malum alteri. VI.

Eodem modo loquendo de malo in genere moris, illud dicitur malum ſimpliciter, quod eſt malum in ſe abſolutè etiam non comparatum alteri quod propriè eſt malum culpæ. Illud verò dicitur malum ſecundùm quid, quod in ſe nõ eſt malũ, ſed eſt malũ alteri, quatenus priuat illud aliqua bonitate, quod dicitur malum pœnæ. De quo duplici malo infrà dicemus. De hoc igitur duplici malo in genere naturæ, & in genere moris diſtinctè dicendum eſt, & videndũ, quid vtrunque illorum ſit. Et primò dicendum erit de malo in genere naturæ capite ſequenti, deinde de malo in genere moris.

CAPVT X.

Vtrùm malum ſit aliqua natura in rebus.

MAnichæi, referentibus Auguſtino, & aliis Patribus in locis ſupracitatis, dixerunt, malum eſſe naturam poſitiuam in rebus exiſtentem, à primo principio malo productam, & omnibus corporibus commixtam, immo etiam animabus. Quæ natura mali quomodo ab ipſo principio malo fluxerit, & quomodo naturæ boni fuerit commixta, & quomodo electi Manichæorũ ab huiuſmodi commiſtione naturæ mali purgarentur, non opus eſt hic longiùs proſequi. Videatur de hac re Auguſtinus in libro de moribus Manichæorum tomo 1. & in lib. de Hæreſibus ad Quoduult. Deũ hæreſi 46. & lib. de Natura boni contra Manichæos tomo 6. I.

Fundamenta huius erroris nulla ſunt, aut leuiſſima. Arguebat quidam Manichæus apud Auguſtinũ in dicto libr. de moribus Manichæorũ, quia videmus quædam animalia aliis animalibus detrimentũ, & malũ afferre: animalia verò ſubſtantiæ ſunt. ergo aliquæ ſunt ſubſtantiæ malæ. Vnde dicebat ille Manichæus, vellem Scorpionem in manu hominis ponere, ac videre, vtrùm non ſubtraheret manum. Quod ſi faceret, non verbis, ſed reipſa conuinceretur, aliquam ſubſtantiam malum eſſe, quandoquidem illud animal eſſe ſubſtantiam Auguſt.

ſtantiam non negaret.

Confirmari poteſt hæc ratio, quia dolor, quoddam malum eſt: ſed dolor natura quædam eſt poſitiua. ergo natura quædam mala eſt.

Secundò adducebant Manichæi teſtimonium illud D. Matthæi cap. 7. dicentis. *Non poteſt arbor mala fructus bonos facere, neque arbor bona fructus malos facere.* Duplex arbor bona, & mala, duplex eſt natura, mala & bona.

Tertiò poteſt confirmari eadem ſententia, quia contraria opponuntur poſitiuè, & ſunt naturę poſitiuæ: ſed bonum & malum opponuntur contrariè. ergo naturæ poſitiuæ ſunt. Probatur minor, quia bonum corrumpit malum, & è contra. Maior etiam eſt de ſe manifeſta, quia quod contrariatur alteri, agit in illud, & ab eo repatitur: quod autem agit, & patitur, natura poſitiua neceſſariò eſt.

Quartò malum eſt genus quoddam, ſicut & bonum, ex Ariſt. in prædicamentis c. de oppoſitis: ſed genus eſt natura quædam poſitiua. ergo & malum eſt natura poſitiua.

II. Hæc ſententia eſt error inſanus: quia malum ſiue in genere naturæ, ſiue in genere moris, nihil aliud eſt formaliter loquendo, niſi boni alicuius corruptio, & priuatio & amiſſio. ita illud vocant omnes antiqui Patres, Dionyſ. cap. 4. de diuinis nominibus, Baſilius in homil. quòd Deus non eſt
Auguſt. autor malorum. Auguſtinus de moribus Manichæorum cap. 2 3. vſque ad 10. & lib. de Natura boni cap. 4. in Enchiridio cap. 11. & 24. lib. 11. de Ciuit. cap. 9. & aliis pleriſque in locis, Epiphanius, Iuſtinus Martyr, Ambroſ. Damaſcenus, Hiero-
D.Thom. nymus, Fulgentius, Anſelm. Bernardus D. Thom. & Scholaſtici omnes citati à commentatoribus Magiſtri, in 2. d. 36. & 37. & D. Th. 1. p. q. 48. a. 1. vbi Dominicus Bañes; & à Suarez diſput. 11. Metaph. ſectio. 1.

Conuincitur autem hic error manifeſtè ex diuina Scriptura, quia omnis naturæ & ſubſtantiæ Deus eſt autor, vt cap. 3. probauimus: ſed cuncta, quæ Deus fecit, non ſolùm ſunt bona, ſed valdè bona, vt dicitur Geneſ. c. 1. Verùm quia Manichæi non recipiunt vetus Teſtamentum, conuincendus eſt illorum error ex nouo Teſtamento. Dicit enim D. Paulus epiſtola prima ad Timoth. cap. 4. quo in loco Manichæos apertè deſcribit: *Spiritus autem manifeſtè dicit quia in nouiſſimis temporibus diſcedent quidam à fide, attendentes ſpiritibus erroris, & doctrinis Dæmoniorum in hypocriſi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium ſuam conſcientiam; prohibentium nubere, & abſtinere à cibis, quos Deus creauit, ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, & iis, qui cognouerunt veritatem: quia omnis creatura Dei bona eſt; & nihil reiiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur.* Qui vnicus locus ſufficit ad omnes Manichæorum errores conuincendos. Hìc enim habemus, creaturas corporeas, & cibos, quibus veſcimur, eſſe Dei creaturas. Habemus etiam, non eſſe abſtinendum ab illis, ſi ſumantur cum gratiarum actione. Habemus tãdem nullam creaturam malam eſſe, quippe quòd omnes res ſint à
Deo bono creatæ.

Auguſt. D. Auguſtinus in lib. de moribus Manichæorum c. 2. eundem errorem ita conuincit. *Quis enim eſt* (inquit) *ita mente cæcus, qui non videat, id cuique generi malum eſſe, quod contra eius naturam eſt: ſed hoc conſtituto euertitur hæreſis veſtra. Nulla enim natura malum, ſed quod contra naturam eſt, id erit malum.*

Aliam quoque ſubiungit rationem in hunc modum. Illud dicitur contra naturam alicuius rei, quod illi aduerſatur, & illam nititur perimere: ſed quod vult perimere naturam, vult perimere ipſum eſſe; quia natura idem eſt quod ſubſtantia & eſſentia; & eſſentia dicitur ab eſſe. Ergo malum non eſt aliqua natura, aut eſſentia, cùm ſit illud, quod perimit naturam, & eſſentiam.

Arguit deinde. Illa natura mali, quam Manichæi fingebant, vel erat mala ſibi & in ſe, vel erat mala alteri. non ſibi, & in ſe, quia ſi eſſet mala ſibi, iam non eſſet natura, ſed contra propriam naturam. neque alteri, quia eatenus poterat eſſe mala alteri, quatenus corrumpebat aliquod bonum, quod erat in altero, & illo bono priuabat: ſed corruptio, & priuatio non eſt aliqua natura, ſed cõtra naturam. ergo malũ eſſe aliqua natura non poteſt. Hanc argumentationem proſequitur ibi ad longum c. 3. 4. 5. & 6.

Hoc igitur errore confutato, quidam alij, vt III.
modeſtiùs in hac re loquerentur, dixerunt, malum, quod eſt malum ſimpliciter, & in ſe, non poſſe eſſe aliquam naturam poſitiuam: ſed tamen malum, quod eſt malum ſecundùm quid, & alteri, poſſe eſſe naturam poſitiuam. Nam quod dicitur hoc pacto malum, eſt aliqua natura, & forma poſitiua, quæ alteri diſconueniens eſt, & cum illa habet contrarietatem & repugnantiam.

Hæc ſententia non conuenit cum errore Manichæorum, quia non ponit aliquam naturam malam in ſe, ſed ſolùm malam alteri, quæ tamen in ſeipſa bona eſt. Nihilominus ſi ita intelligatur, vt per id ſolum, quod poſitiuum eſt, poſſit habere rationem mali, & denominari mala, eſt contra D. Aug. in dicto libro de moribus Manichæorum c. 3. & 4. & in lib. de Natura boni c. 3. vbi dicit, quòd malum alteri eatenus malum dicitur, quatenus illud corrumpit, & priuat aliqua bonitate, & perfectione. Vnde quod eſt malum alteri, eſto ſit aliqua natura poſitiua, & in ſe bonum, tamen eatenus denominari poteſt malum, quatenus illa natura poſitiua habet adiunctam priuationem Auguſt.
alicuius perfectionis, & bonitatis, quæ debita eſt naturæ eius rei, cui dicitur malum, vel quatenus per aliquid poſitiuum priuat illam rem hac naturali perfectione, & bonitate. Vnde aqua dicitur mala igni, & diſconueniens non præcisè propter ſubſtantiam aquæ, quæ nulli contraria eſt: ſed quia ipſi aquæ ineſt priuatio caliditatis, & ſiccitatis naturaliter debitæ igni: vel quia per ſuam frigiditatem, & humiditatem priuat ipſum ignem naturali caliditate, & ſiccitate. Vnde omne malum ſiue in ſe, ſiue alteri ratione alicuius priuationis denominatur malum: & vbi nulla eſt bonitatis priuatio, ibi nulla ratio mali poteſt inueniri: quod etiam non obſcurè indicant Patres, cùm aiunt, malum nihil aliud eſſe, niſi boni corruptionem, & depranationem, ac priuationem, ſicut tenebræ ſũt priuatio hominis, quo modo loquendi vtuntur Dionyſius loco citato, Gregorius Nyſſenus homil. 2. in Cantica, Damaſcenus lib. 2. de fide c. 4. & Auguſt in locis citatis.

Dicendum itaque cum D. Auguſtino & prædictis Patribus, malum in genere naturæ formaliter acceptum non eſſe aliquam naturam poſitiuam, ſed priuationem bonitatis naturaliter debitæ cuicunque rei. Ita paſſim colligitur ex locis proximè ex Auguſtino & aliis Patribus citatis, & ex D. Thom. 1. p. q. 48. art. 1. Explicatur hæc definitio,

&

Digitized by Google

& primò dicimus, malum formaliter acceptum, ſcilicet pro formali malitia, à qua aliquid denominatur malum. Quia loquendo de malo materialiter accepto pro re, quæ denominatur mala, poteſt ſaltem id, quod eſt malum alteri, eſſe aliqua natura poſitiua. Cæterùm malum formaliter acceptum in ſola priuatione conſiſtit, qua aliquid priuatur aliqua perfectione & bonitate. Vnde dicit D. Auguſtinus lib. 12. de Ciuitate cap. 7. & D. Thom. loco citato, quòd malum non eſt cognoſcibile per ſe, ſicut per propriam ſpeciem: ſed per ſpeciem boni, cuius illud eſt priuatio, ſicut tenebræ cognoſcuntur per lumen, & ſilentium cognoſcitur per ſonum. Secundò dictum eſt, quòd eſt priuatio bonitatis: malum enim & bonum priuatiuè opponuntur. Porrò triplex eſt bonum ex Auguſtino lib. de natura boni cap. 3. videlicet, modi, ſpeciei, & ordinis, & ad hæc tria genera omnia bona reducuntur. Malum itaque non eſt priuatio omnis boni, modi, ſpeciei, & ordinis: quia quod caret omni bono modi, & ſpeciei, & ordinis, nihil omnino eſt, omne enim quod verè eſt, aliquid bonitatis habet, etiamſi malum denominetur. Poteſt enim habere bonitatem modi, & ſpeciei, & carere bonitate ordinis, & ea ratione, qua caret tali bonitate, dicetur malum. Poteſt etiam eſſe corruptum aliqualiter quoad modum, & ſpeciem, ſed non totaliter, & ea ratione, qua corruptum eſt, dicitur malum. Immo aduertit Auguſtinus, nonnullas naturas etiam corruptas, quia modo, & ſpecie naturali excellentiùs ordinatæ ſunt, meliores eſſe aliis naturis, quæ modo, & ſpecie inferiùs ordinatæ ſunt, etiamſi illæ ſint incorruptæ; ſicut aurum corruptum melius eſt argento non corrupto, & argentum corruptum melius eſt plumbo non corrupto; ſicut creatura rationalis per voluntatem corrupta melior eſt creatura irrationali incorrupta. Videatur Auguſtinus ibi c. 5. & 6. Dicitur tertiò quòd malum eſt priuatio bonitatis naturalis, vt diſtinguatur à malo morali, quod eſt priuatio bonitatis moralis. Dicitur autem bonitas naturalis illa, quæ rei ineſt à natura, & non per liberam voluntatem. Dicitur tandem, quod eſt priuatio bonitatis naturaliter debitæ ineſſe rei, quia ad hoc, vt carentia alicuius naturalis perfectionis dicatur mala alicui naturæ, neceſſe eſt, vt in tali natura ex ſua inſtitutione fuerit debitũ habendi huiuſmodi perfectionem. Vnde lapidem non videre non eſt lapidi malum, licèt videre ſit bonum, & naturalis perfectio: quia in lapide natura non conſtituit debitum habendi hanc perfectionem, quæ eſt videre: at in animali non videre eſt malum, quia in oculo natura conſtituit debitum videndi. Et hæc eſt ratio formalis intrinſeca, & quidditatiua ipſius mali naturalis.

Auguſtin. Auguſt. Auguſt.

V. Verùm circa hanc definitionem dubium adhuc occurrit, vtrùm ſit aliquod malũ, cuius ratio formalis non per ſolam priuationem conſtituatur, ſed etiam per aliquam entitatem poſitiuam. Id namque aliquo modo videntur probare aliquæ ex rationibus factis in initio huius capitis; & vt intelligatur nodus huius difficultatis, aduertendum, dum quæritur, vtrùm ſit aliquod malum, cuius ratio formalis conſiſtat in ſola priuatione, quod nomine rationis formalis intelligimus, illud omne, per quod, & à quo aliqua res denominatur mala, vt ſit ſenſus, vtrùm omne quod denominatur malum, denominetur à ſola priuatione alicuius boni, an ſit aliquod malum, quod denominetur tale ab aliqua entitate poſitiua.

Vt hoc dubium ſoluatur, reſoluenda eſt diſtinctio ſuperiùs facta de duplici denominatione, qua aliquid denominatur malum, altera intrinſeca, altera extrinſeca. Si igitur loquamur de malo, quod denominatur tale denominatione intrinſeca, quódque dicitur malum ſimpliciter in ſe & abſolutè, omne malum formaliter in ſola priuatione conſiſtit: oculus enim dicitur cæcus non per aliquam formam poſitiuam, ſed per ſolam priuationem cæcitatis. Si autem loquamur de malo, quod denominatur tale denominatione extrinſeca, quódque in ſe bonum eſt, licèt alteri ſit malum, & ideo dicitur malum alteri, & malum ſecundùm quid, & reſpectiuum, non eſt inconueniens hoc modo aliquid denominari malum non per ſolam priuationem, ſed etiam per aliquam entitatẽ poſitiuam. Et hoc non ſolùm cauſaliter quatenus id, quod dicitur malum, per aliquam entitatem poſitiuam, cauſat in eo, cui dicitur malũ, priuationem alicuius boni conuenientis; ſed etiam formaliter, quatenus illud, quod denominatur malum, denominatur tale ab aliqua entitate poſitiua, quæ formaliter eſt in illo, & eſt diſconueniens naturæ eius, cui dicitur malum. Et in hoc ſenſu dixit Auguſtinus de moribus Manichæorum c. 8. ſubſtantiam aliquam dici malam per accidens, non per ſe, ſcilicet ratione diſconuenientiæ: quia aliqua ſubſtantia eſt alteri diſconueniens, quæ tamẽ non poteſt dici mala per ſe: quia quæ vni diſconueniẽs eſt, alteri conueniens erit. quod illuſtrat ibi multis exemplis, nam venenum quod homini eſt diſconueniens, Scorpioni eſt conueniens, & ſi auferretur venenum à Scorpione, illud animal moreretur: & tamen ſi idem venenum detur homini, illum interficiet. Videatur totũ illud caput, in quo pulcherrima affert exempla ad id probandum, inter quæ memoria dignũ cenſeo illud, quod commemorat de quadam muliere Athenienſe facinoroſa, quæ paulatim venenum bibere aſſueta, demum ad venenũ damnata, illud ſine vitæ periculo hauſit, quo tamen hauſto alij necati ſunt.

In hoc etiã ſenſu dixit Auguſtinus lib. de duabus animabus contra Manichæos, etiam malum, quod eſt, quatenus eſt, bonum eſſe, & eſſe à Deo, licèt ibi de malo morali loquatur. in hoc ſenſu dixit Dionyſius c. 4. de diui. nomi. malum non pugnare contra bonum, niſi ratione alicuius boni, quia ſecundùm ſe eſt impotens, quam doctrinam excepit etiam D. Th. 3. contra Gent. c. 9. & q. 1. de malo per multos articulos, nimirum 1. 2. 3. & 4. Quod tamen bonum per accidens denominatur malum, quatenus habet annexam priuationem, aut diſconuenientiam aliquam cum bono naturali eius, cui comparatum, dicitur malum.

Dionyſ. D. Thom.

VI. Per hæc facilè ſoluuntur argumenta Manichæorum, nam ad primum reſpondet Auguſtinus loco citato, quòd argumentum illud puerile eſt: quia probat ſolũ, quòd aliqua natura aut ſubſtantia ſit mala per accidens, quia eſt alteri diſconueniens. Non autem, quòd ſit aliqua natura mala in ſe, de quo eſt tota controuerſia. formaliter dicitur, quòd argumentum probat, illud, quod denominatur malum denominatione extrinſeca, quódque eſt malum non ſimpliciter, & abſolutè & in ſe, ſed ſecundùm quid, & alteri comparatum, poſſe eſſe aliquam naturam poſitiuam. quòd concedi poteſt, cum hac tamen limitatione, quòd illa natura poſitiua non dicitur mala per ſe, ſed ſolùm per accidens ratione alicuius priuationis, vel diſconuenientiæ ad bonum naturale eius, cui comparata denominatur mala.

Et eodem modo respondetur ad confirmationem. Dolor enim non diceretur malus nisi ratione priuationis illius boni, quo animal priuatur per ipsum dolorem, & ratione disconuenientiæ, quam habet cum bono animalis.

Ad secundum respondetur, Manichæos peruersè exposuisse metaphoram illam arboris bonæ & malæ. Non enim arbor mala, & bona sunt duæ naturæ, quarum altera bona sit, altera mala: nulla enim est natura mala, sed nec esse potest, quia malum non est, nisi quod est contra naturã, & illam corrumpit. Sed sub metaphora bonæ, & malæ arboris intelligendæ sunt, voluntas bona, cuius bonus fructus est opus bonũ, & voluntas mala, cuius fructus est opus malũ. Vtraque verò voluntas, & bona & mala à natura bona oritur, vt dicit Aug.

Ad tertium respondetur, quòd malum opponitur contrariè ipsi bono per accidens, ratione alicuius boni, quod extrinseca denominatione denominatur malum, sicut dictum est ex D. Dionysio, Aug. & D. Thoma, per se verò malum bono opponitur solùm priuatiuè. immò ipsum bonum alteri bono non nisi per accidens opponitur contrariè ratione alicuius priuationis, aut disconuenientiæ, quam habet adiunctam.

Ad quartum respondetur, malum esse genus, sicut etiam ens rationis, aut priuatio, nõ sicut ens reale. Præter quod Aristot. in loco allegato cùm dixit, bonum, & malum non esse in genere, sed esse quædam genera, loquebatur iuxta opinionem Pythagoreorum, ponentium duas naturas contrarias boni, & mali, non autem ad mentem propriam: quia consuetudo Aristot. fuit, maximè in Logicis, ponere exempla secũdùm opiniones Philosophorum, quę tunc temporis probabiles erant, vt dicit D. Thom. 1. p. q. 48. art. 1. ad primum. D. Thom.

CAPVT XI.

Quid sit malum de genere moris, declaratur.

I. QVæ capite præcedenti de malo in genere naturæ dicta sunt, si benè attendantur, viam nobis sternunt ad explicandum, quid sit malum in genere moris. Vt autem in hoc quæsito dissoluendo certa ab incertis separemus, recolendum est, quod superiùs innuimus, quódque omnes Theologi probant, malum de genere moris vniuersaliter diuidi in malum culpæ & malum pœnæ. Malum culpæ, ait D. Thom. 1. p. q. 48. art. 5. consistere in defectu rectitudinis debitæ inesse actui libero, quatenus liber est. Malum autem pœnæ in defectu formæ, & integritatis rei. Et nomine formæ & integritatis rei non intelligitur solùm forma physica, & cæteraq; quæ pertinent ad integritatem naturalem creaturæ: Sed illud omne, quod pertinet ad formam, & integritatem in esse morali, quo pacto honores, dignitates, bona famæ, & fortunæ spectant ad integritatem, & illorum amissio minuit integritatem, ob quam causam nonnunquam taliũ amissio est pœna peccati. D. Thom.

Vlteriùs notandum est, ad hoc, vt aliquod malum dicatur pœna, duas conditiones requiri, quarum altera est, vt illud malum habeat ordinem, & respectum ad culpã, ita vt infligatur propter culpam, vt ait August. lib. 1. Retract. c. 9. & lib. contra Fortunatum Manichæum disp. 1. Et ob hanc causam vapulare asino pœna non est, licèt sit dolor, quia dolor ille nullum habet respectum ad culpam, sed est tantùm malum in genere naturæ. ob eandem causam malum pœnæ formaliter loquendo non est malum nisi in genere moris: quia non potest habere rationem pœnæ nisi per respectum ad culpam, quæ est malum in genere moris. Altera conditio est, quòd illud malum sit aliqualiter contra voluntatem eius cui infligitur, & est malum, vt dicit D. Th. in 2. d. 36. q. 1. a. 4. Dixi autem, vt sit inuoluntarium aliquo modo, & non simpliciter: quia nõ est necesse, omne malum pœnæ esse inuoluntarium simpliciter, imò potest simpliciter esse volitum inspectis omnibus circunstantiis, & non esse volitum secundùm quid, inspectis solùm aliquibus circunstantiis; quo pacto pœna quam sacerdos imponit pœnitenti pro culpis confessis voluntariè, acceptatur voluntate simpliciter, & nihilominus habet verè rationem pœnæ; quia est contra voluntatem inspectis solùm aliquibus circunstantiis: quo pacto Christus volũtariè pertulit crucem, & nihilominus crux fuit illi pœna, quia fuit volita volũtate simpliciter inspectis omnibus circunstantiis, & nolita secundùm quid, inspectis solùm aliquibus circunstantiis. Aduertendum tamen, quòd crux non fuit Christo pœna per ordinem ad aliquam culpam in illo existentem, sed per ordinem ad culpam generis humani in aliis existentem, pro quibus obtulit semetipsum ad satisfaciendum. D. Thom.

Atque his duabus differentiis mali culpæ, & pœnæ diuiditur totum genus mali moralis, & in hoc sensu intelligendus est Augustinus in lib. de Genesi imperfecto c. 1. cùm ait, omne malum aut esse peccatum, aut pœnam peccati. Loquitur enim de malo morali, quod solùm reperitur in creatura rationali, quatenus ratione & libera volũtate vitiatur, quod est malum culpæ, & pœnæ. Ex quibus illud, quod est malum culpæ, est causa moralis, & demeritoria mali pœnæ. Est autẽ ista diuisio accipienda formaliter tantũ, & non materialiter: nam materialiter potest vnum, & idem malũ esse simul culpa, & pœna peccati alicuius præcedentis: sed formaliter, id est, sub eadem ratione formali, minimè. Culpa enim sub ratione formali, qua culpa est, non potest habere rationem pœnæ alterius peccati; quia de intrinseca ratione culpæ est, vt sit à voluntate libera, & non potest, vt sic esse inflicta à Deo: sed sub alia ratione dicitur pœna, quatenus propter peccatum præcedens Deus subtrahit lumen, vel auxilium, & permittit hominem labi in ipsam culpam. August.

His igitur constitutis, difficile non est, scire de II. malo pœnæ, quid illud sit, & an dicat solũ priuationem alicuius bonitatis debitæ inesse creaturæ rationali, an etiam dicat aliquam entitatem positiuam. Cùm enim malum pœnæ non addat supra malum de genere naturæ, quod vocatur malũ alteri, & respectiuum, nisi respectum rationis, & ordinem ad culpam, propter quam infligitur, & ad voluntatem, contra quam infligitur; De malo pœnæ idem omnino dicendum est, quod de malo in genere naturæ, quod non est malum in se, sed solùm respectu alterius. Adeò quòd malum pœnæ non est simpliciter malum in se, sed solùm secundùm quid, & respectu alterius. Imò verò respectu alterius quandoque non est omnibus modis malum, sed habet rationem boni, quale est malum pœnæ, quo Deus electos punit, vt purget à peccatis, ne puniat in æternum, iuxta quod ait Augustinus, *hic ure, hic seca, hic non parcas, vt in æternũ parcas.*

De malo etiam culpæ quoad subiectatũ, & materiale, quod est actio naturalis, cui malitia moralis est annexa, nulla est difficultas in inquirendo, & explicando, quidnam illud sit. Quoniam ex hac parte malum culpæ in se nõ est malũ: sicut nullus

actus

actus naturalis est de se malus. Imò verò peccatum præcise ex hac parte spectatum malum non est, nec peccatum propriè dici potest. Quare tota difficultas remanet de malo culpæ circa id, quod est formale in ipso malo culpæ, scilicet circa ipsam moralem malitiam, quæ inest actui naturali formaliter concepta, an illa sit aliqua entitas positiua, an sola priuatio rectitudinis debitæ inesse ipsi actui: & si est entitas positiua, an sit entitas realis, an solùm rationis. quod sub aliis verbis est quærere, an peccatum formaliter constituatur in genere peccati per aliquam entitatem positiuã realem, aut rationis, aut per solam priuationem. Et loquimur hic de peccato nõ omissionis, sed commissionis: cùm enim peccatũ omissionis aliud sit nihil, nisi carentia, seu omissio actionis liberæ, & debitæ secundùm legem, non potest de hoc genere peccati esse quæstio, an illud intrinsecè, & formaliter constituatur per aliquid positiuum.

III. Clemens. Et autem dubium istud graue, & cũ primis illius solutio difficilis, tum quia Christus vt D. Clemens ait, nos docuit, non quid sit peccatũ, & quæ illius sit natura, sed quomodo peccatum detestemur, & ab illo liberemur; tum propter varias Doctorum opiniones, quibus hæc quæstio indies eo difficilior redditur, quo magis Scholastici illã variis modis explanare nitũtur. Sunt circa hãc quæstionem tot sententiæ, quot capita, quas longũ nimis foret hic sigillatim referre, & refutare. Videntur tamen omnes ad quatuor principales reduci. Prima opinio dicit rationem formalem peccati in sola priuatione consistere, non in aliquo positiuo.

Antisiodor. Alexand. Alens. D. Bonau. Durand. Ricardus. Gabriel. Scotus. Marsilius. Henricus. Okam. Almainus. D. Thom. Suarez

Hæc fuit opinio antiquorum Scholasticorum Antisiod. lib. 2. suæ summæ tract. 7. c. 1. & tract. 14. cap. 1. Alexandri Alens. p. 2. q. 97. in 2. Bonau. in 2. d. 34. a. 2. q. 3. in corp. & ad 1. Durandi ead. d. 34. q. 2. Ricardi ibidem a. 1. q. 7. Gabrielis d. 35. q. 1. a. 1. & 2. Scoti d. 37. §. *iste quæstiones*, & §. *ex ista solutione*. Marsilij in 2. q. 21. art. 1. Henrici quodlib. 1. q. 25. Okami quodlib. 3. q. 15. Almain. tract. 3. morali. c. 17. Ferrar. 3. contra Gentes cap. 9. & sine dubio S. Thomæ 1. 1. q. 48. art. 1. & 1. 2. q. 71. art. 6. & 3. contra Gentes cap. 9. quidquid nonnulli dubitent, & dicant de illius sententia. videtur inclinare Suarez disp. 11. Metaph. sect. 1. & 2. licèt ille loquatur potius de malo in genere naturæ, quam moris.

IV. Caietanus. Vasquez. Barth. Med. D. Thom. Secunda opinio docet, peccatu formaliter constitui in genere, & in determinata specie peccati per aliquid positiuũ & reale. Hanc sententiã probauit Caiet. 1. 2. q. 18. a. 5. & q. 71. a. 6. quã Vasquez eadem q. 71. art. 6. scilicet disput. 95. c. 1. dicit non paucos huius ætatis Theologos, nec indoctos sequi. Eam verò suo modo explicatam sequitur Bartholomæus Medina d. q. 71. a. 6. Ait enim, quòd in peccato, verbi gratia, intemperãtiæ tria reperiuntur. Primum tanquã genericum, scilicet actus voluntarius. Secundum quod est forma contraria temperantiæ, videlicet forma intemperantiæ, quæ contrariatur temperantiæ, sicut albedo nigredini. Tertium quod est priuatio rectitudinis debitę inesse tali actui, & deuiatio à regula temperantiæ. Formale autem peccati non est primum, nec tertium, sed secundum. quod probat auctoritate D. Thom. eadem 1. 2. q. 18. art. 5. ad 2. & 3. contra Gentes c. 9. quæ loca infrà legitimè explicabimus. Cui si obiiciatur, quòd ex hac sententia sequeretur, aut Deum esse auctorem peccati, quatenus peccatum est, aut esse aliquam entitatem realem, cuius Deus nõ sit auctor; respondet ipse Medina, quòd duplex est entitas, alia non deficiens, alia deficiens: & licèt entitatis non deficientis Deus sit causa; tamen non est inconueniens dicere, illum non esse causam entitatis deficientis, quia talis entitas reduci debet in causam defectiuam. Addit secundò quòd peccatum formaliter loquendo includit in se priuationem rectitudinis, specificatur enim ex obiecto non conueniente rationi, cuius priuationis quia Deus non est causa, sed nostra voluntas, ideo Deus non dicitur causa peccati. Tertiò addit quòd cùm peccatum sit quidã effectus, vel potiùs defectus moralis, ad causam moralem reduci debet, quæ est volũtas nostra deficiens. Deus enim non est causa moralis, quia non consulit, nec præcipit peccatum, sed illud prohibet.

V. Tertia opinio docet peccatum formaliter constitui per ens positiuum; sed dicit quòd istud est ens rationis, quod est relatio disconuenientiæ humanæ operationis cũ natura rationali, qua rationalis est. Dicit enim, solam rationem formalem bonitatis, & malitiæ moralis constitutam esse in relatione cõuenientiæ, aut disconuenientiæ actionis cum natura rationali, vt rationalis est. Adeò quòd totum genus moris, quod existit in operatione potentiæ liberæ, quatenus libera est, tanquã accidens in proprio subiecto, in sola relatione conuenientiæ & disconuenientiæ cum ipsa natura rationali quatenus libera est, consistit. Istæ autem relationes rationis consurgunt ex positione circunstantiarum circa ipsam actionem tanquam ex reali fundamento. Hanc sententiã docuit Vasquez 1. 2. disput. 95. cap. 9. & seq. vbi citat in eandem sententiam Magistrum Cano. Et dicit quòd fundamenta præcipua huius opinionis sunt impugnationes aliarum omnium opinionum; quia inde fit manifestum, nullam aliam superesse, cum qua omnia, quæ de peccato dicuntur, constare possint: cum hac autem omnia conueniunt, & disput. 129. cap. 7. vbi citat iterum Magistrum Cano. & Sotum lib. 1. de Natura & gratia cap. 18. in eandem sententiam refertur Melchior Cano à Bartholomæo Medina dicta quæst. 71. art. 6. Vasquez. Cano.

Quarta opinio docet, quòd peccatum consideratum in genere mali absolutè, & secundùm rationem genericam, est priuatio boni. Si autem consideretur in specie, siue secundùm rationem specificam, est quid positiuum, non tamen explicat, quid sic istud positiuum, an sit ens rationis, an ens reale.

VI. De istis opinionibus difficillimum est censere, quæ sit verior, vt rectè Medina loco citato ait. Nihilominus, vt à postrema incipiamus, quarta sententia omnino non probatur; quia non videtur intelligibile, quòd aliquid ratione sui generis sit solùm priuatio, aut ens rationis, & ratione suæ speciei sit ens positiuum, & reale. Speciem enim entis positiui, & realis sub genere priuationis, aut entis rationis contineri, nullus adhuc Logicus, aut Philosophus docuit. Deinde hæc opinio non explicat quódnam sit hoc ens positiuum, aut ens reale, an ens rationis. Quidquid enim dicat, sustinebit easdem difficultates, quas sustinent aliæ opiniones, quæ docent, formale peccati esse aliquam entitatem positiuam, aut realem, aut rationis.

Tertia opinio non videtur vera, aut si quid veritatis habet, videtur recurrere in primam, in quam ne recurrat, tantopere laborat. Et quòd non videatur vera, probatur; quia sequeretur, peccatum nihil esse actu in re præter opus intellectus. Quantum enim capio, respectus rationis actu non est aliquid præter opus intellectus; aut si est aliquid præter opus intellectus,

iam non eſt ſolùm reſpectus rationis. Deinde ſequeretur, virtutes & vitia eſſe entia rationis, non autem habitus intellectuales practicos & de genere qualitatis, cótra Philoſophum in Logica cap. de qualitate, & in poſtprædicamentis, & in Philoſophia morali. Sequela autem euidens eſt: quia genus qualitatis non conſtituitur per relationem, neque relatio eſt in genere qualitatis, ſed vel conſtituit proprium genus, vel ſi ſit reſpectus extrinſecè aduenies, vagatur per ſex poſteriora prædicamenta, non autem pertinet ad qualitatem. Dicetur, quòd iſta relatio rationis, quæ conſtituit genus moris, non pertinet intrinſecè ad qualitatem, ſed aduenit illi vt reſpectus extrinſecus, ſed contrà vel vitium, & virtus, iuſtitia, & iniuſtitia per ſe abſque iſto reſpectu conſtituuntur in prædicamento qualitatis, vel non. Si ſic. ergo eſt genus moris ſine iſto reſpectu. Si non. ergo iſte reſpectus intrinſecè ſpectat ad aliquod genus ſubalternum qualitatis; quia intrinſecè conſtituit vitium, & virtutem.

Tertiò Ariſt. dicit in cap. de qualitate, & cap. de oppoſitis, quòd vitium, & virtus, iuſtitia videlicet, & iniuſtitia opponuntur non ſolùm priuatiuè, ſed etiam contrariè: ſed relationes rationis, imò etiam reales non opponuntur contrariè, vt notum eſt. Reſpondet Vaſquez quòd Ariſtoteles non loquebatur ibi de actibus iuſtitiæ, & iniuſtitiæ, ſed de habitibus, & de his dixit, quòd opponuntur contrariè, quia non loquebatur de bonitate, aut malitia ipſorum habituum, quæ conſiſtit in relatione illa conuenientiæ, & diſconuenientiæ. Hæc reſponſio non videtur vera, quia ſi habitus opponuntur cótrariè, multo magis actus, qui ab illis proficiſcuntur: non enim contrarij eſſent habitus, niſi contrarij eſſent actus. Præterea cùm ait, quòd ideo dixit iuſtitiam, & iniuſtitiam opponi contrariè, quia nó loquebatur de bonitate, aut malitia ipſorum habituũ, non ſatis ſeipſum prodit. Vel enim vult dicere, Ariſtotelem, quando dixit hos habitus opponi contrariè, non conſideraſſe illos, vt habitus morales, ſed vt habitus naturales, quod eſt falſum; quia ſequeretur, quòd in genere moris vitium, & virtus non opponerentur, ſed ſolùm in genere naturæ, quod an verum ſit, relinquo moralibus Theologis iudicandum: vel vult dicere, quòd quatenus ſunt habitus morales, poſſunt conſiderari abſque bonitate & malitia. Et hoc ſimiliter eſt falſum, quia omnis iuſtitia eſt intrinſecè bonum morale, & omnis iniuſtitia eſt intrinſecè malum morale; non enim eſt iuſtitia, niſi ſit conuenientia inter habitum & rectam rationem, neque eſt iniuſtitia, vbi non eſt diſconuenientia cum recta ratione: conuenientia autem & diſconuenientia cum recta ratione, eſt bonitas, & malitia moralis. Dicit ſecundò quòd bonum, & malum non opponuntur actibus in moralibus propriè relatiue, ſed ſicut æquale & inæquale, quæ licèt ſint relatiua, non tamen ſunt relatiuè oppoſita, ſed aſſimilantur magis cótrarijs. Vnde putat quòd ſententia Ariſtotelis illi plurimũ faueat. Verum Ariſtoteles expreſsè fatetur hos habitus contrarios eſſe, quia per contrarios actus ſeſe expellunt à ſubiecto. Hæc autem vera eſt contrarietas, & in ſe, & ad mentem Ariſtotelis: alioquin nulla erit vera contrarietas. Æquale autem & inæquale non ſunt verè contraria, quia non ſe expellunt per aliquam actionem ab eodem ſubiecto.

Præterea hæc ſententia repugnat ſanctis Patribus, qui dicunt, peccatum præter actum naturalem, qui eſt ſubſtratum, & materiale eiuſdem peccati, nihil eſſe; aut eſſe ſolam carentiam, & priuationem, ſicut tenebræ & ſilentium: his nanque exemplis ſæpe vtitur Auguſtinus. neque ſolutiones, & explicationes, quas ille adhibet ſententiis dictorum Patrum, legitimæ ſunt, vt ſtatim oſtendemus.

VII. Quòd autem hæc ſententia recurrat in primam opinionem, probatur, quia hæc diſconuenientia actionis liberæ cum natura rationali, qua rationalis eſt, priuatio quædã eſt, aut ex priuatione neceſſariò conſurgit. Patres enim cùm dicunt, malum conſiſtere formaliter in priuatione, nomine priuationis intelligunt diſconuenientiam, quam habet id quod malum eſt cum eo, cui malum eſt, vel cum natura rei, vel cum recta ratione, quæ diſconuenien ia omnino ſine priuatione eſſe non poteſt. Nam quòd aqua ſit diſconueniens igni, id naſcitur ſolùm, quia in aqua eſt priuatio eius perfectionis, quæ conueniens eſt igni, aut quia aqua priuat ignem propria perfectione conuenienti naturæ ignis. Quòd etiam cæcitas ſit diſconueniens oculo, hoc eſt, quia eſt priuatio viſionis, quæ eſt perfectio oculi; quòd etiã actus, qui eſt peccatum, ſit diſconueniens, hoc ſolùm habet ex eo, quia vel habet adiunctam priuationem rectitudinis, & conformitatis cum regula rectæ rationis, vel priuat hominem habitu, vel actu virtutis oppoſitæ, vel diuina gratia, & conſortio diuino, & tandem ſuo fine ſupernaturali. Quare ſi in omne latus nos vertamus ad inſpiciendum, quid ſit iſta diſconuenientia, inueniemus tandem, illam vel in re eſſe ipſam priuationem, vel ex illa naſci, & cùm Patres aiunt, peccatum in priuatione conſiſtere, nomine priuationis illos intelligere diſconuenientiam. præter quod ratio id demonſtrat, omnis nanque diſconuenientia etiam poſitiua neceſſariò priuationẽ aliquam includit. Teſtatur hoc manifeſtè Dionyſ. 4. capite de diuinis nominibus: Nam cùm dixiſſet, malum priuatione conſtitui, declarans, quid ſit huiuſmodi priuatio, ait, illam eſſe ineptam diſſimilium compoſitionem, & defectum proportionis debitæ, & conuenientis iuxta naturæ inſtitutionem. & D. Auguſtinus lib. de moribus Manichæorum c. 8. vbi explicans, quomodo id, quod eſt malum alteri, ſit malum ratione inconuenientiæ, quam cum illo habet, cui malum eſt, ita ait. *Ergo illi corpori malum eſt amittere, quod noſtro recipere; item illi bonum eſt habere id, quo nobis bonum eſt carere. Eru ergo eadem res & bonum & malum? nullo modo. Sed malum eſt, quod contra naturam eſt: hoc enim & beſtiæ illi, & nobis malum eſt. id eſt, ipſa inconuenientia, quæ ſine dubio non eſt ſubſtantia, imò eſt inimica ſubſtantiæ.* Dixerat autem in capitibus præcedentibus, malum eſſe, quod nocet, & corrumpit naturam, & priuat illam ſua priuatione. Et in lib. de nat. boni cap. 4. Vbi ait, quòd malum eſt corruptio modi vel ſpeciei, vel ordinis: corruptio autem diſconuenientia quædam eſt. Videatur D. Thom. prima parte quæſt. 5. art. 5. ad quartum. Sequitur ergo, peccatum quoad ſuam formalitatem iuxta hanc ſententiam nihil aliud eſſe, niſi ipſam priuationem conuenientiæ modo relatiuo conceptam, & ſic iſta ſententia eadem videtur cum prima.

Auguſtin. D. Thom.

VIII. Quod autem ſpectat ad ſecundam opinionem, videtur ſanè habere magnum fundamentum in doctrina D. Auguſtini. Ille nanque primò videtur diſtinguere duplicem motum creaturæ rationalis, alterum, quẽ poſſumus vocare effectiuũ, quo ipſa creatura

creatura tendit ad esse,& ad melius esse: alterum defectiuum,quo creatura recedit à summo esse,& tendit ad id quod minus est,id est,ad non esse. Et quidem primi motus dicit Augustinus Deum autorem esse:at secundi videtur dicere Deum minimè esse autorem,sed solam creaturam; quia motus deficiens in causam deficientem referri debet, Deus autem non est causa deficiens.Et quia actio peccati motus est deficiens, quo creatura recedens ab eo,quod est, scilicet à Deo, tendit ad id, quod minus est, nempe ad bonum creatum; ideo videtur Augustinus dicere, quòd huius motus Deus minimè autor est, sed sola creatura. Verba illius sunt aperta in lib.2.de lib. Arbitrio cap.20.

Augustin. *Sed tu fortasse*,inquit,*quæsturus es,quoniam mouetur voluntas,cùm se auertit ab incommutabili bono ad mutabile bonum, vnde ei iste motus existat, qui profectò malus est,tametsi voluntas libera, quia sine illa nec rectè vius potest, in bonis numeranda sit. Si enim motus iste,id est, auersio voluntatis à Domino Deo, sine dubitatione peccatum est, num possumus autorem peccati Deum dicere? Non erit ergo iste motus ex Deo. Vnde igitur erit? Ita quærenti tibi,si respondeam, nescire me, fortasse eris tristior, sed tamen vera respondero: sciri enim non potest,quod nihil est. Tu autem pietatem inconcussam tene,vt nullum tibi bonum vel sentienti, vel intelligenti, vel quoquomodo cogitanti occurrat, quod non sit ex Deo.Ita enim nulla natura occurrit, quæ non sit ex Deo.*Et infrà.*Ita detracto penitus omni bono non quidem non nihil, sed omnino nihil remanebit. Omne autem bonum ex Deo,nulla ergo natura est, quæ non sit ex Deo.Motus ergo ille auersionis, quod fatemur esse peccatum, quoniam defectiuus motus est, omnis autem defectus ex nihilo est,vide quò pertineat, & ad Deum non pertinere non dubites. Qui tamen defectus quoniam est voluntarius,in nostra positus est potestate.*& lib.12. Confessio. cap.11. *Item dixisti mihi Domine voce forti in aurem interiorem, quòd omnes naturæ atque substantiæ,quæ non sunt,quod tu es, & tamen sunt, tu fecisti;& hoc solum à te non est,quod non est, motúsque voluntatis àte, qui es ad id,quod minus est, quia talis motus delictum,atque peccatum est.* Videatur in lib. 12.de Ciuitate cap.7.

Secundò dicit Augustinus,quòd Deus est quidem autor omnium natutarum, & potestatum, non tamen est autor omnium voluntatum: quia voluntas mala quædam voluntas est,& tamen illius Deus autor non est. ita in lib. de Spiritu & litera cap.31 *Nusquam enim* (inquit) *legimus,non est voluntas nisi à Deo.Et rectè non scriptum est,quia verum non est:alioquin etiam peccatorum,quod absit, autor est Deus,si non est voluntas nisi ab illo:quoniam mala voluntas iam sola peccatum est,etiamsi desit effectus, id est si non habeat potestatem.*& lib.5.de Ciuit. cap. 9. *Sicut enim omnium naturarum creator est, ita omnium potestatum dator,non voluntatum. Malæ quippe voluntates ab illo non sunt, quoniam contra naturam sunt,quæ ab illo est.*

Tertiò distinguit Augustinus inter naturam, siue substantiam rei, & illius actum & operationem,& inquit,quòd peccatum, cùm sit actus, & non natura, non est à Deo, licèt à Deo sit omnis natura.ita dicit in 1.lib.Hypognosticon ad finem. *Diabolus natura est Angelus,sed quod natura est,opus Dei est.Quod verò Diabolus, vitio suo est,vtendo malè naturæ suæ bono.Opera verò eius mala,quæ vitia dicuntur,actus sunt,non res.*Et lib.4. in princ. *Omne enim malum non est natura, sed actus accidens defectu boni: quapropter quod natura non est, Deus non fecit, quia natura est omne,quod fecit.* Item in lib. de perfectione iustitiæ ratione quarta quærit, quid sit peccatum,quia,inquit,*Si res est,necesse est,habeat autorem, & si autorem habet,iam aliter erit autor quam Deus alicuius rei,quod si hoc impium est,necesse est dicere,peccatum esse actum,non rem.* Videatur idem Augustinus lib.de Natura boni cap.28.§. *cùm autem audimus*,&c.

Hæc Augustini testimonia valde probabilem reddunt illam opinionem, quæ si vt vera admittenda esset,expedita esset ab omni difficultate,facillimúmque foret ostendere,Deum,qui omnium rerum est autor, nihilominus peccati nullo modo esse autorem. Sed nec ipsa sua caret difficultate.primò nanque si cum Scriptura, & Patres docent,Deum autorem esse omnium rerum, intelligendi sunt hoc pacto,quòd sit autor omnium naturarum,non autem operationum, iam vera erit opinio Durandi asserentis, quòd Deus non est causa propinqua,& immediata operationis creaturæ,sed solùm remota, & mediata, quatenus est autor naturæ creatæ,à qua procedit operatio;quæ tamen opinio est contra D. Augustinum & ab omnibus Theologis reputatur error. Dicetur, quòd Augustinus non loquitur de omni actu creaturæ, sed solùm de actu moraliter malo,huius enim solius Deus autor non est;aliorum verò autor est.Sed hæc euasio non constat cum verbis Augustini,ille enim ex eo probat,quòd Deus non sit autor mali actus,quia est quidem autor omnis naturæ,& substantiæ, quæ dicitur res,non autem est autor actus, & operationis. Quæ probatio vt sit legitima, debet niti huic vniuersali. Nullius actus creaturæ Deus autor est; aliàs oportebit vlteriùs progredi,& reddere rationem,quare huius actus Deus sit autor, & non illius. IX.

Deinde ex hac responsione saltem sequitur,veram esse sententiam illam antiquorum,cuius meminit Magister in 2.d. 37. asserentium, actus malos etiam quoad illorum substantiam, & entitatem naturalem non esse à Deo, quam D. Thom. ibi quæst. 2. art.2. reiicit tanquam proximam errori; & dicit quòd suo tempore eam nulli, aut pauci audebant defendere; & illam confutat duplici ratione, quæ apud illum ibi videri potest. Quòd autem hoc sequatur probo. Nam cùm dicit, quòd formale constitutiuũ peccati est entitas realis positiua,vel ista entitas eadem est cum entitate naturali peccati quatenus subsstat priuationi rectitudinis, vel alia entitas.Si eadem, habeo intentum.si alia,explicent quid illa sit.Sed neque Caietan.neque alij,quod viderim,explicant,quid sit ista alia entitas. Neque videtur id posse vllo modo explicari,vix enim fingi potest alia entitas realis positiua in peccato distincta ab ipso actu naturali eiusdem peccati. D.Thom.

Cùm igitur omnes Theologi cõueniant, quòd Deus est autor entitatis naturalis ipsius peccati, & ista entitas realis positiua eadem sit cum entitate naturali,sequeretur,Deum verè esse autorem peccati, quoad illius formale constitutiuum, aut esse aliquam entitatem naturalem, cuius Deus minimè sit autor, & vtrunque reputatur absurdũ. Deinde ista sententia expresè pugnat cum D. Augustino. Nam omnis entitas realis positiua aliquid verè est: omne autem quod est, inquantum est,bonum est, & à Deo est, etiam ipsum peccatum. ita docet Augustinus lib. de duabus animabus contra Manichæos cap.6.vbi toto illo capite probat,quòd etiam malũm,quatenus est, bonum est,& à Deo est. Videantur illius verba in fine capitis dicentis, *Omne quidquid est,quoniam est, inquantum est,à Deo est.* Augustin.

Demum

Demum illa ſententia pugnat, & cum Auguſtino, & cum omnibus Patribus, qui formale peccati in ſola priuatione conſtituunt, vt cap. ſequenti ſtatim oſtendemus. Omitto alias difficultates, quas patitur eadem ſententia eo modo intellecta, ſicut illam intelligit, & explicat Caietanus, quæ apud recentiores videri poſſunt.

CAPVT XII.

Quanam ex ſupradictis opinionibus ſit probabilior, aperitur, & argumenta contra illam afferuntur, & ſoluuntur.

I. OMnibus igitur adinuicem collatis, primam ſententiam, quæ aſſerit formale peccati in ſola priuatione conſiſtere, arbitror cæteris eſſe probabiliorem. Eam verò primò explico, deinde probo euidenti ratione, & auctoritate. Pro illius explicatione notandum eſt, peccatum duobus modis accipi poſſe. vno modo pro actu. Secundo, qui eſt operatio liberæ voluntatis creatæ, quatenus libera eſt, vt carens rectitudine debita illi ineſſe ſecundùm regulam rectæ rationis: & iſte actus propriè, & vere dicitur peccatum. Altero modo pro habitu quodam, qui remanet in anima tranſacta operatione, qui dicitur reatus, & macula, ſeu peccatum in habitu. Itaque Doctores cùm aiunt, rationem formalem peccati in ſola priuatione conſiſtere, loquuntur de peccato actuali, non de habituali. Quòd vtrùm formaliter conſtituatur per ſolam priuationem, an per aliquam entitatem poſitiuam, alia eſt quæſtio, alibi diſputanda.

Secundò notandum eſt, cùm aiunt Patres, peccatum in ſola priuatione conſiſtere, nomine priuationis non intelligere ſolam priuationem formæ debitæ ineſſe ſubiecto, ſed etiam priuationem rectitudinis debitæ ineſſe ipſi actui, vel diſconuenientiam actus cum regula rectæ rationis. Ad cuius rei intelligentiam notandum eſt, quòd actus peccati triplicem habet priuationem adiunctam. Prima eſt priuatio perfectionis actus virtutis oppoſitæ, ob quam priuationem actus peccati eſt diſconueniens actui virtutis, & illum expellit ab eodem ſubiecto, neque poſſunt eſſe ſimul, ſicut forma aquæ non poteſt eſſe ſimul cum forma ignis, ſed aduenientе vna altera expellitur. Secunda eſt priuatio ordinis eiuſdem actus, ſeu diſconuenientia eiuſdem actus cum natura intellectuali. Quæ diſconuenientia eſt priuatio rectitudinis debitæ ineſſe ipſi actui, quatenus eſt actus creaturæ operantis cum libertate, & vſu rationis. Tertia eſt priuatio ordinis eiuſdem creaturæ rationalis ad finem ſuum ſupernaturalem, quæ eſt auerſio à bono incommutabili.

II. Vt autem intelligatur, quomodo eidem actui peccati inſit hæc triplex priuatio, tertio locò recolendum eſt id, quod diximus cap. 10. malum duobus modis accipi poſſe, vno modo formaliter pro ipſa formali malitia, à qua res denominatur mala: alio modo denominatiuè pro re, quæ denominatur mala. Et quod adiecimus ibidem, duobus modis aliquid denominari malum, vno modo in ſe: alio modo reſpectu alterius. Quæ omnia applicantes malo de genere motis, dicimus, malum morale formaliter nihil aliud eſſe, niſi malitiam, & malitiam aliud nihil eſſe, niſi priuationem bonitatis, & rectitudinis & ordinis. Denominatiuè autem dicimus actum naturalem, quatenus ineſt illi talis malitia, denominari malum. Addimus, actum moraliter malum duobus etiam modis ab ipſa malitia denominari malum denominatione intrinſeca, quia eſt actus malus in ſe: actus enim creaturæ rationalis, vt elicitus à creatura agente cum libertate, & iudicio aptus natus eſt fieri ſecundùm rectam regulam rationis, & ita fieri debet, & quando caret ſua rectitudine, caret aliqua perfectione ſibi debita, quatenus eſt actus factus cum libertate, & iudicio. Et ideo talis actus eſt quid in ſe malum, & non ſolùm comparatione alterius: ſicut oculum eſſe cæcum, eſt quid de ſe malum, & tibiam claudicare, eſt quid de ſe malum. Et licèt Theologi communiter dicant, peccatum eſſe de genere malorum, quæ ſunt mala reſpectiua, & alteri comparata, ad alias rationes reſpiciunt, neque iſtam negant. Alio modo denominatur malus denominatione extrinſeca. Et hoc etiam modo dupliciter, quia dicitur malum vel reſpectu actus virtutis oppoſitæ, quia habet adiunctam priuationem illius, & eſt illi diſconueniens, vel reſpectu ſubiecti, cui talis actus ineſt, quia deordinat creaturam ipſam à fine ſupernaturali. Et iuxta hanc triplicem conſiderationem actus moraliter malus triplicem habet priuationem, ſeu deordinationem adiunctam, primam, qua priuatur propria rectitudine, & ordine, ob quam diſconueniens eſt rationali naturæ operanti cum libertate & iudicio. Secundam qua priuatur perfectione actus virtutis oppoſitæ, & eſt illi diſconueniens. Tertiam qua priuat ſuum ſubiectum rectitudine ordinis ad ſuum finem. Et hæc triplex priuatio, ſeu diſconuenientia eſt formalis ratio conſtituens actum humanum in genere peccati.

III. Verùm quoniam ratio conſtitutiua alicuius poteſt eſſe aut ſpecifica, aut generica, & per ea, quæ huc vſque diximus, non apparet quomodo priuatio poſſit eſſe ratio ſpecifica actus moraliter mali, conſtituens eum non ſolùm in determinato genere peccati, ſed etiam in determinata ſpecie talis, & talis peccati: immo videtur hoc aliquibus impoſſibile. Primò, quia diſtinctæ ſpecies poſitiuæ conſtituuntur per diſtinctas differentias poſitiuas, & non per ſolas priuationes: peccata verò ſunt diuerſarum ſpecierum poſitiuarum. Non ergo per ſolas priuationes poſſunt conſtitui in eſſe ſpecifico. tum ſecundò, quia priuationes non diſtinguuntur ſpecie niſi ex actibus, vel habitibus, quibus priuant: ſed poteſt contingere, quòd duo peccata ſpecie differentia priuent eodem actu, & habitu. Prodigalitas enim & auaritia priuant eodem actu & habitu liberalitatis. Non ergo ſola priuatio ſufficit ad conſtituendum peccatum in determinata ſpecie peccati. Tum demum, quia hoc apertè videtur dicere D. Thom. in 1. 2. quæſt. 18. art. 5. ad 2. cùm ait, quòd *dicitur actus malus ſecundum ſuam ſpeciem, non ſecundum quod nullum habet obiectum, ſed quia habet obiectum non conueniens rationi, ſicut tollere aliena. Vnde inquantum obiectum eſt aliquid poſitiuè, poteſt conſtituere ſpeciem mali actus.* D.Thom. & lib. 3. contra Gentes cap. 9. vbi dicit, quòd malum, quod eſt differentia in moralibus, non eſt aliquid, quod in ſe malum ſit, ſed inquantum priuat hominem ordine rationis, qui eſt hominis bonum. Ideo, vt intelligatur, quomodo malum morale per priuationem conſtituatur in determinata ſpecie mali, notandum eſt, quòd malum morale in re eſt ipſe actus naturalis creaturæ rationalis factus cum libertate, & iudicio, quatenus caret debito

ordine:

ordine: actus autem humanus motus quidam eſt animæ, & voluntatis.

IV. Potrò quemadmodum motus ſumit quidem ſuam ſpeciem à termino ad quem, non tamen præcisè, ſed cum ordine ad terminum à quo, aliàs motus ligni à fundo maris ad ſuperficiem aquæ, & motus ligni ab aëre ad eandem ſuperficiem, eſſent motus eiuſdem ſpeciei, quia ſunt ad eundem terminum ad quem; quod tamen patet eſſe abſurdum; ita in moralibus motus voluntatis noſtræ, qui ſunt actus, ſeu affectus humani, ſumunt quidem ſpeciem à termino ad quem, qui eſt obiectum, à quo actus ſpecificantur; ſicut dicitur in ſecũdo de anima: non tamen præcisè, ſed cum ordine ad terminum à quo. Et hoc verum eſſe conuincitur in actibus malis: nam ſi attendamus ſolum terminum ad quem, ſiue obiectum, vnum, & idem obiectum poteſt eſſe terminus actus moraliter boni, & actus, qui ſit ſolum peccatum veniale, & actus, qui ſit peccatum mortale: vt cùm quis appetit pecunias, vt eleemoſynam largiatur, & cùm appetit illas nimio affectu inordinato. Quare ſi attenderemus ſolum obiectum, actus moraliter bonus, & moraliter malus poſſent eſſe eiuſdem ſpeciei. Et ideo vt ex obiecto ſumatur diuerſitas ſpecifica actus, oportet etiam attendere terminum à quo. Terminus autem à quo actus moraliter mali eſt auerſio, & deordinatio à fine, & à regula ſuperiori, quam vocamus priuationem ordinis, & bonitatis debitæ ineſſe ipſi actui.

Dicendum igitur, quòd actus moraliter mali ſortiuntur varias ſpecies per obiecta, & per aliquod poſitiuum, quod ſunt ipſi actus moraliter mali ſecundùm illorum entitatem naturalem. Dicendum ſecundò quòd iſtud poſitiuum non conſtituit actus moraliter malos in determinatis ſpecibus, tanquam ratio formalis conſtitutiua, ſed tanquam ſubiectum, quod denominatur ab ipſa ratione conſtitutiua. Dicendum tertiò quòd illud, per quod actus moraliter mali ſortiuntur varias ſpecies, tanquam per rationem formalem conſtitutiuam, eſt ipſa deordinatio, quæ ineſt actui, quatenus creatura fertur in tale obiectum per talem actum abſque debito ordine deuians à regula rationis, & auertens ſe à bono incommutabili. Et D.Thom. iſta eſt doctrina literalis D.Thom. dicta quæſt. 18. art. 5. ad 2. cùm ait, quòd actus dicitur malus non ex eo, quòd nullum habet obiectum, ſed quia habet obiectum non conueniens rationi, quod perinde eſt, ac ſi diceret, quòd motus creaturæ rationalis in tale obiectum non ex eo eſt malus, quia creatura fertur in tale obiectum, neque præcisè ex ratione termini ad quem, ſed quia fertur in illud deuiando à rectitudine rationis & comparatione termini à quo. Et clariùs ad quartum dum ait, quòd *circunſtantia quandoque ſumitur vt differentia eſſentialis obiecti, ſecundum quod ad rationem comparatur. Et tunc poteſt dare ſpeciem actui morali. Et hoc oportet eſſe, quandocunque circumſtantia tranſmutat actum de bonitate in malitiam. Non enim circumſtantia faceret actum malum, niſi per hoc, quod rationi repugnat.* Ecce quòd hac ſola ratione motus voluntatis in obiectum circunſtantionatum tali circunſtantia habet rationem actus moraliter mali, quia fertur in illud cum deordinatione à recta ratione. Et clariſſimè in tertio contra Gentes cap. 9. dum inquit, quòd malum quod eſt differentia in moralibus, non eſt aliquid, quod in ſe malum ſit, ſed inquantum priuat ordine rationis, qui eſt hominis bonum, quo nihil clarius dici poterat; cùm dicat, quòd malum quod tanquam differentia conſtituit ſpeciem moris, non eſt quid malum in ſe, nimirum quia eſt ipſe actus naturalis: ſed eſt quid bonum, inquantum tamen habet annexam priuationem bonitatis ordinis.

Et demum cùm in omni peccato ſaltem lethali ſit auerſio à bono incommutabili ad bonum commutabile, qui ſunt duo termini, à quo, & ad quem, peccatum non ſumit ſpeciem præcisè per conuerſionem ad bonum commutabile, niſi per reſpectum ad auerſionem à bono incommutabili. Et propter hanc forſaſſe rationẽ dixit D. Thom. de malo quæſt. 1. art. 8. quòd peccatum veniale, & mortale non ſunt eiuſdem generis, & ob id non eſſe aliquam circumſtantiam aggrauantem peccatum in infinitum, quæ non ſimul mutet ſpeciem peccati. Quæ doctrina veriſſima eſt, licèt nonnulli Summiſtæ ob imperitiam veræ Theologiæ oppoſitum doceant. Ratio eſt, quia licèt mortale, & veniale poſſint habere idem obiectum, non tamen habent eundem terminum à quo, qui eſt auerſio ab incommutabili bono; & ideo veniale, quod non eſt auerſio à bono incommutabili, non eſt eiuſdem ſpeciei cum mortali, quod eſt auerſio à bono incommutabili. Sicut neque motus à fundo maris ad ſuperficiem aquæ, eſt eiuſdem ſpeciei cum motu à concauo Lunæ ad eandem ſuperficiem aquæ.

Ex his apparet ſenſus primæ opinionis, quæ V. ait, formalem rationem conſtitutiuam peccati in genere peccati, & mali moralis, immò etiam in determinata ſpecie huius, & illius mali moralis, eſſe priuationem rectitudinis & ordinis debiti ineſſe actioni creaturæ rationalis, quatenus fit cum libertate & iudicio. Nunc eam ſententiam veram eſſe probari poteſt in primis autoritate ſanctorum Patrum. D. Dionyſius cap. 4. de diuinis nominibus ait, quòd malum eſt infirmitas, imbecillitas, ac priuatio, aut ſcientiæ, aut fidei, aut appetitus, aut actionis boni. Iuſtinus Martyr quæſt. 46. & 73. ad Gentes dicit, malum nihil eſſe præter boni corruptionem, deprauationem, ac priuationem. Eaſdem ſententias habent D. Baſil. in homil. quòd Deus non ſit autor malorum, & de Conſtitutionibus Monaſticis cap. 3. Epiphan. hæreſi 24. poſt medium, Athanaſius Orat. contra idola, Gregorius Nazianz. orat. 9. ad finem, & orat. 38. Chryſoſtom. homil. 2. in Acta Apoſtolorum. Ambroſius lib. de Iſaac cap. 7. Hieronymus, Niſſenus, Fulgentius, Anſelmus, Leo Papa, & Damaſcenus. Quas ſententias citant Suarez diſput. 11. Metaph. ſect. 1. & Vaſquez 1. 2. diſput. 95. cap. 4. ſed omnibus aliis prætermiſſis produco D. Auguſtinum, cuius nec dubia, nec obſcura eſt in hoc autoritas. Ille nanque in lib. 3. confeſ. cap. 7. ait, malum non eſſe niſi priuationem boni vſque ad quod omnino non eſt. Et lib. de moribus Manichæorum cap. 2. malum eſt deficere ab eſſentia, & ad id tendere, vt non ſit, & cap. 3. *Peccuncter vos iterum, quid ſit malum; ſi dixeritis, id quod nocet, neque hic mentiemini.* Et cap. 4. inquit, quòd malum non ſecundùm eſſentiam, ſed ſecundùm priuationem rectiſſimè dicitur. Et cap. 5. inquit, quòd malum eſt corruptio. Et in Enchirid. cap. 24. inquit, quòd malum peccati eſt prima priuatio boni. Et lib. 11. de ciuitate cap. 9. mali nulla natura eſt, ſed amiſſio boni mali nomen accepit. Et lib. 12. cap. 7. dicit, non eſſe quærendam cauſam efficientem peccati, aut malæ voluntatis; quia mala voluntas non eſt efficiens, ſed deficiẽs. Et quòd quærere cauſas huius defectionis eſt, ſicut velle videre tenebras & audire

Dionyſ. Iuſtinus. Baſilius. Epiphan. Athanaſ. Nazian. Chryſoſt. Ambroſ. Niſſen. Suarez. Vaſquez. Auguſt.

dire silentium. Et peccatum non posse perfectè intelligi: quia priuatio & defectus est. Et in lib. de Natura boni cap. 4. vbi dicit, quòd malum nihil aliud est, nisi corruptio vel modi, vel speciei, vel ordinis naturalis. Solet etiam Augustinus vocare peccatum nihil, de quo exponit illud Ioan. cap. 1. *Sine ipsô factum est nihil.* Et peccatum nihil aliud esse, nisi priuationem debitæ iustitiæ, rectitudinis, & ordinis frequentissimè docet Augustinus, vt videri potest in libris de libero arbitrio. & lib. 83. qq. q. 7. lib. 1. contra Aduersarium legis & Prophetæ capite quinto, & lib. de vera Religione capite 4. & aliis locis, quæ longum nimis esset recensere.

VI. His testimoniis Patrum, vt satisfaciat multa
Vasquez. fundit Vasquez 1. 2. disput. 95. cap. 11. Primò dicit, Patres in locis allegatis doctrinam Manichæi refutare voluisse, asserentis, esse aliquam substantiam, aut naturam malam: & cùm docent, nullam substantiam, atque naturam malam esse, nomine naturæ non intelligere actiones, & operationes creaturæ, sed solam substantiam, quæ est vnum prædicamentum ab aliis distinctum; & vti nomine naturæ eo modo, quo vtitur Aristoteles, cùm ait, naturam esse vel materiam, vel formam, immo multo magis formam. Et quòd nomine naturæ non intelligant actus, & operationes, probat quibusdam testimoniis D. Augustini, in quibus ille ait, Deum autorem esse omnis naturæ, & non omnis actus, quæ cap. præcedenti sunt allegata ad roborandam secundam opinionem, quorum sensum inferiùs aperiemus.

Verùm esto nonnulli ex Patribus citatis disputent contra Manichæos, & aliquando nomine naturæ intelligant substantiam, quæ est hoc aliquid: tamen negari non potest, pleroſque illorum non solùm de natura, quæ est substantia, in locis allegatis verba facere, sed etiam de actionibus moraliter malis, & dicere, quòd peccatum, siue actus moraliter malus in priuatione boni, & rectitudinis consistat. Quod nec ipse tandem negat in eod. cap. 55. Esset enim hoc negare, velle claritatem lucis negare. Secundò negari etiam nequit, omnem actum, & operationem creaturæ esse à Deo, quatenus ens est, & secundùm illius entitatem naturalem, nisi velimus in errorem Durandi incidere. Et tamen cogitur Vasquez hoc negare, si
August. verba Augustini sic sunt exponenda, sicut ille eadem exponit: Augustinus enim ait in 4. Hypognost. in principio. *Quod natura non est, Deus non fecit: Quia natura est omne, quod facit.* Et in lib. de duabus animabus cap. 6. ad finem, omne quod est, quoniam est, inquantum est, à Deo esse. Vnde tertiò dici non potest Augustinum nomine naturæ & essentiæ, & substantiæ intelligere solam substantiam, quæ est hoc aliquid, non autem operationem: Quia operatio aut non erit, aut à Deo erit, & aliqua natura erit. Sed dicendum, quòd nomine naturæ, & substantiæ, & essentiæ intelligit non solùm substantiam, quæ est hoc aliquid, & prædicamentum ab aliis distinctum, sed omne quod positiuè est in quolibet prædicamento, quo pacto omne quod definitionem habet, dicitur substantiam, & essentiam habere. Et ita dicit D.
D. Thom. Thom. in 2. d. 37. art. 1. disputans, an peccatum sit substantia, vel aliqua natura.

VII. Respondet igitur secundo loco, plures ex prædictis Patribus reuera loqui de operationibus, & actibus moraliter malis, & dicere, peccatum esse priuationem, & declinationem, seu deuiationem à rectitudine, & boni absentiam, & nihil: sed non intendere ex his modis loquendi, quòd formalis ratio peccati in ipsa priuatione consistat: sed peccati naturam, & definitionem nobis explicare voluisse ex eo, quòd cum ipsa formali ratione peccati est coniunctum, quod est ipsa priuatio. Nomine autem priuationis non denotarunt, inquit, Patres negationem rectitudinis actualis debitæ inesse ipsi actioni, sed negationem iustitiæ, & gratiæ coniungentis nos Deo; aut intellexerunt priuationem, quæ inest animæ per modum habitus, quæ est macula remanens in anima transacto peccato. Et quòd non fuerit illorum mens, peccatum per propriam rationem formalem definire, sed solùm per illud, quod est necessariò coniunctum cum ipsa ratione formali, probat, quia illi naturam peccati nobis tradiderunt per recessum à Deo: recessus autem à Deo non est de essentia peccati, quod promittit se probare disputatione immediatè sequenti, in qua non aliter id probat, nisi quia peccatum, quatenus in genere moris peccatum est, cognitum fuit à Philosophis penes oppositionem cum virtute, & cum natura rationali: at verò quatenus est auersio à Deo, cui charitate coniungimur, nullo modo Philosophis innotuit. Integra autem ratio culpæ & peccati moralis in oppositione cum virtute, & natura rationali rectè intelligitur. Quare autem Patres non definierint peccatum per negationem rectitudinis debitæ inesse actui, & definierint illud per priuationem iustitiæ, & gratiæ coniungentis nos Deo, aut per priuationem habitualem, quæ est macula remanens transacto peccati actu, aut per priuationem boni, & recessum à Deo, hæc fuit causa, quia voluerunt definire peccatum per id, quod est nobis notius, & ista omnia magis nota sunt, quàm quòd peccatum sit negatio rectitudinis debitæ inesse actioni: hanc enim Scholastici vix multo labore deprehendere possunt.

Verùm in hac responsione pace illius tot sunt falsa, quot dicta, quæ non minus inter se pugnât, quàm cum veritate. Et primò cùm ex sententia illius Patres definierint peccatum per priuationé, tanquam per rationem formalem, & nullus hactenus alio modo illud definierit, hoc satis esse potest ad probabilem reddendam nostram opinionem. Secundò ait, Patres definiuisse peccatum per priuationem non quidem rectitudinis actualis debitæ inesse, sed per priuationem iustitiæ & gratiæ, & per recessum à Deo, tanquã per id quod est necessariò coniunctum cum ratione formali, non tanquã per rationem formalem: & tamen dicit, quòd recessus à Deo non est de essentia peccati, vt dicit se probare disputatione sequenti, licèt ei sit coniunctus. Quod dictum est falsum. De intrinseca nanque ratione peccati saltẽ mortalis est auersio à Deo; quia in peccato duo tantùm est reperire, conuersionem ad creaturã, & auersionem à creatore, & conuersio ad creaturã sine auersione à creatore peccatum non est. Et certè non potest intelligi per vllum intellectum rectum, quòd motus inter duos terminos cõtrarios sit accessus ad vnum absque recessu ab alio. Quando ergo accessus, & conuersio ad creaturam est contra legem Dei, ita est de ratione peccati recessus, & auersio à Deo, sicut accessus & conuersio ad creaturam.

Quod autem ait disp. 96. c. 2. auersionem à Deo nõ esse de essentia peccati, quia peccatũ quatenus est in genere moris fuit cognitum à Philosophis penes oppositionem cum virtute, & cum natura rationali, qui tamen non cognouerunt, illud esse

auersio

auersionē à Deo,nihil est.quid enim absurdi sequitur,si dicamus, Philosophos infideles perfecta ratione virtutis, & etiā peccati in genere moris minimè intellexisse:Id nanque aperte docet Aug. in libris contra Iulianum Pelagianum.Et etsi agnouerint aliquam rationem peccati,& hanc ignorauerint,an ob illorū ignorantiam dicere debemus, ita non esse, & auersionem à Deo non pertinere intrinsecè ad rationem peccati?Dicamus etiā non pertinere intrinsecè ad Deum esse trinum in personis,infinitum in essentia,& virtute; quia Philosophi gentiles hoc ignorauerūt. Videtur mihi argumentum Theologo non dignum. Quod etiam ait dicto loco, integram rationem peccati & culpæ moralis in oppositione cum virtute,& natura rationali rectè intelligi, si fingamus hominem in puris naturalibus constitutum, neque ad finem supernaturalem ordinatum, neque legi supernaturali subiectum,qualem finxerunt Philosophi infideles, &,vt mihi videtur, etiam Pelagiani, sine distinctione admitti potest.Sed non puto,Doctorem Catholicum ita de fine hominis,& illius statu sētire.Si autem dicamus,hominem ordinatum ad finem supernaturalem,& subditum legi supernaturali; ista propositio distinguenda est. Vel enim facit sensum,quòd integra ratio peccati, & culpæ in oppositione cum virtute ordinis naturalis, & cum natura rationali vtente ratione naturali præcise intelligitur, quem sensum videtur intendere,& hic sensus est erroneus;aut facit sensum,quòd perfectè ratio peccati & culpæ intelligitur in oppositione cum virtute ordinis tum naturalis, tum supernaturalis, & cum natura rationali vtente ratione tum naturali, tum supernaturali,& hoc est verum.Sed qui hoc modo perfectè intelligit,quid sit culpa, necessariò etiam intelligit,illam esse auersionem à Deo. Sed hic Doctor putat per regulas à Philosophis infidelibus traditas perfectè posse cognosci rationem virtutis, & vitij,& culpæ & peccati, prout sunt ex parte rei, in qua re manifestè decipitur, hoc enim esset ad Pelagianismum accedere.

VIII. Tertiò ait, dictos Patres definiuisse peccatum per priuationem iustitiæ & gratiæ coniungentis nos Deo,& recessum à Deo, & per priuationem, quæ est macula habitualis, non autē per negationē rectitudinis actualis debitæ inesse actui, quia priora notiora sūt,hoc autē posterius est ignotius, quod vix Scholastici scire possunt. In qua re toto cælo à veritate abertat.Magis enim notū est, peccatum & culpam in genere moris esse carentiam rectitudinis debitæ inesse actui, quàm quòd sit priuatio iustitiæ,& gratiæ cōiungentis nos Deo, aut recessus à Deo,aut priuatio habitualis.Peccatum enim esse actum non rectum, & moralem malitiam actus humani consistere in negatione rectitudinis debitæ inesse actui, non soli Scholastici cum labore, sed etiā ignari quique & idiotæ etiam infideles,& nescunt, & passim profitentur, qui cùm actionem aliquam vitij arguere volunt, dicunt,hoc non rectè factum esse, hoc non rectè fecisti. Quid enim est aliquid non rectè factum, nisi actus carens rectitudine debita inesse ipsi actui? E contrario verò cùm actionem aliquam à nota peccati purgare volunt, dicere solent, illā rectè factam fuisse.Quòd autem peccatum habeat annexam priuationem diuinæ gratiæ,id quidem sciunt Christiani, at non nisi per diuinam reuelationem.quòd tandem peccatum consequatur priuatio habitualis, quæ est macula positiua inficiens animam, vix periti Theologi intelligere possunt: nec mirum, cùm vix intelligere possint, an gratia gratum faciens sit qualitas inhærens animæ, & ante Magistrum nullus videatur hoc apertè dixisse.

Probatur deinde eadem sententia apertissimo testimonio D.Thomæ.Nam in 1. parte quæst.48. articulo primo apertè docet,mali nomine significari absentiam boni,& malum non posse cognosci,nisi per bonum oppositum, sicut priuatio cognoscitur per habitum,& tenebræ per lucem. Et ad secundum ait *quòd bonum & malum sunt differentiæ specificæ in moralibus, bonum per se, & malum inquantum est remotio debiti finis. Nec tamen remotio debiti finis constituit speciem in moralibus, nisi secundum quod adiungitur fini indebito. Sicut neque in materialibus inuenitur priuatio formæ substantialis, nisi adiuncta formæ contrariæ.*quæ aurea verba notanda sunt, quoniam sola sufficiunt ad soluenda omnia argumenta à recentioribus contra D. Thomam excogitata.& 1.2.quæst.18.articulo quinto ad secundum dicit, quòd malum importat priuationem non absolutam, sed consequentem talem potentiam. Dicitur enim malus actus secundùm suam speciem non ex eo, quòd nullum habet obiectum,sed quia habet obiectum non conueniens rationi.& ad quartum dicit, quòd circumstantia non facit actum malum, nisi per hoc,quòd rationi repugnat.Et quæst.71. art.6. dicit, quòd in definitione peccati ponuntur duo. Vnum, quod est quasi materiale, & illud est dictum, vel factum, vel concupitum: alterum quod est quasi formale,& hoc est esse contra legem Dei. Et tertiò contra Gentes cap.9.ait,malum, quod est differentia in moralibus, non esse aliquid, quod de se malum sit, sed inquantum priuat ordine rationis,quod est hominis bonum. **IX.** D.Thom.

Accedit pro eadem sententia:id, in quo omnes cōueniunt,impossibile est verū nō esse;sed omnes siue docti,siue indocti,cōueniūt in hoc,quòd malitia actus sit carentia,& priuatio rectitudinis debitæ inesse ipsi actui.ergo, &c. Minor probatur. Omnes enim siue indocti, siue etiam docti vocāt actum malum eum,qui non est rectè factus,& pro eodem accipiunt aliquid malè fieri, & non rectè fieri,& malè factum,& non rectè factum.

Demum si malum formaliter acceptum est aliqua natura positiua, ergo oportet illius aliquam causam efficientem assignare; at nulla talis causa assignari potest. Quod probatur primò ex Aug. lib.12.de ciuitate c.7.dicente.*Nemo quærat causam efficientem malæ voluntatis.*Secundò,quia omnis entitatis positiuæ Deus causa efficiens est, ex Aug. lib.de duab.animab.contra Manich.c.6.in fine.Et lib. 4. Hypognost. in princ. Deus autem peccati autor esse non potest.Relinquitur ergo, vt peccatum,si illius præcisam rationem formalem attendamus,in sola priuatione consistat. Quod verum esse magis apparebit ex solutione argumentorum in contrarium.Quorum Augusti.

Primum argumentum est, quod tribuit speciē positiuam habitibus,& actibus vitiosis,positiuum est;sed malum tribuit speciem positiuam habitibus,& actibus vitiosis. Alia enim est species peccati furtum,alia adulterium;ergo. **X.**

Respondetur,quòd tribuere speciem actui stat dupliciter, vno modo denominatiuè, alio modo formaliter; quod tribuit speciem habitibus, & actibus vitiosis formaliter, non est quid positiuū, sed solū priuatio rectitudinis debitæ inesse:quia etiā actus vel habitus vitiosi nō sūt tales per quid positiuum,sed per priuationē. Quod autē tribuit

ſpeciem denominatiuè,eſt quid poſitiuum, & eſt ipſe actus naturalis, nó quatenus actus naturalis eſt, quia vt ſic malus non eſt,ſed quatenus habet adiunctã priuationem ordinis, & rectitudinis debitæ.Decipiũtur autem arguentes, quoniam non aduertunt,quòd malũ in genere moris eſt ens per accidens,ſicut ſimũ & album;& putant quòd tam materiale, quã formale per quod cõſtituitur malum in genere moris,ſit verè in genere mali,quod falſum eſt. Quia ſicut albũ ratione materiæ eſt in vno genere,ratione formæ in alio genere, ob quã cauſam definitio albi eſt definitio per additamentum,vt notum eſt Philoſophis:ita malum ratione materiæ eſt in genere naturæ, & ratione formæ eſt in genere moris.

Sed contra hãc reſponſionem eſt inſtãtia, quia priuationes diſtinguũtur ex actibus vel ex formis, quib. priuãt:ſed poteſt contingere,quòd diſtincta peccata ſecũdùm ſpeciẽ priuent eadem forma,& eodẽ actu,nã prodigalitas,&auaritia ſunt peccata ſpecie diſtincta,& tamen priuãt eadem forma, & eodẽ actu liberalitatis.Ergo ſpecifica diſtinctio actuũ malorũ non eſt ſumenda ex ſola priuatione.

Hęc tamen inſtantia,in qua recentiores magnã vim faciunt, ante ferè quadringentos annos ſoluta fuit virtualiter à D.Thoma.

Dicimus enim iuxta illius doctrinã, quòd licèt priuatio, aut carentia rectitudinis huius peccati, quod eſt prodigalitas, & huius peccati, quod eſt auaritia,ex hoc ſolùm cap.ſpectarę,quòd opponũtur vni,& eidẽ formæ,aut actui liberalitatis,neq; diſtinguãtur, neque diſtinguãt ipſæ peccata:tamẽ ſi ſpectentur ex actibus,ſiue ex formis,quib. ſunt adiunctæ,& diſtinguuntur ipſæ,& diſtinguũt peccatũ prodigalitatis, & peccatum auaritiæ.Et ſub hac ratione priuatio,ſeu carẽtia rectitudinis debitæ ineſſe actui malo cõſtituit illũ in determinata ſpecie,& diſtinguit ab aliis. Priuatio nãque conſtituens,& diſtinguens peccata non conſtituit, & diſtinguit ea ſola ratione,qua excludit formã oppoſitã; ſed ea ratione, qua excludit ab actu rectitudinem debitã ineſſe actui. Vnde plurificatur ad plurificationem actuũ.Et eſt doctrina literalis D. Th.1.p.q.48.a.1.ad 2.cùm ait,quòd malũ eſt differẽtia cõſtitutiua in moralibus, inquantum eſt remotio debiti finis. Nec tamẽ remotio debiti finis conſtituit ſpeciem in moralibus,niſi quatenus adiungitur fini debito. Sicut neque in materialibus inuenitur priuatio formæ ſubſtantialis, niſi adiuncta formæ contrariæ.

D.Thom.

X I. Secundũ argumentũ eſt.Actus moraliter boni, & moraliter mali, & etiam habitus opponuntur contrariè, ſicut dicit Ariſt.in prædicamentis c.de qualitate,& cap.de oppoſitis. & ſicut experientia docet,quia ſe expellunt ab eodem ſubiecto. Ergo ſunt entia poſitiua,neque in ſola priuatione conſiſtunt. Adhuc actus malus generat habitum malum.Ergo non eſt quid purè priuatiuum.

Ariſtot.

Reſpondetur inter hos actus, & habitus eſſe oppoſitionem tũ priuatiuã,tum poſitiuã. Priuatiuã ratione formalis malitiæ,poſitiuã ratione formæ,aut actus,aut habitus,cui talis malitia,quę eſt priuatio,adiũgitur,ſiue ratione eius,quod eſt malũ ſolũ denominatiuè. Doctrina eſt Dionyſij c.4. de diuin.nom. D.Th.3.contra Gent.c.9.& aliis in locis citatis à Suarez diſp.11.Metaph.ſect.1.in fine. Actus etiam malus generat habitum malum ratione eius, cui malitia eſt adiuncta,quod eſt ipſemet actus ſecundùm ſuam naturalem entitatem,non tamen præcisè ſic ſpectatus, ſed quatenus habet adiunctam malitiam.

Dionyſ. D.Thom. Suarez.

Tertium argumẽtum ſumi poteſt ex quibuſdã autoritatib.D.Th.Dicit enim in 1.2.q.18.a.5.ad 2. quòd inquantum obiectũ eſt aliquid poſitiuè,poteſt conſtituere ſpeciẽ mali actus. Sed facilis eſt reſponſio ex verbis antecedentib. Dicitur nãque, quòd inquãtũ obiectum ſiue actus erga obiectum eſt aliquid poſitiuũ,cõſtituit ſpeciẽ mali actus,nõ formaliter,ſed denominatiuè, nõ ſub ea ratione, qua eſt aliquid poſitiuũ,ſed ſub ea ratione,qua habet adiũctã priuationẽ ordinis debitę rectitudinis.

Alia argumenta, quæ contra hanc ſententiam fieri ſolent,leuia ſunt,& ex dictis facilè poterunt ſolui,nec opus eſt illa hîc recenſere.

CAPVT XIII.

Oſtẽditur mali culpa Deũ nullo modo autorẽ eſſe.

I Nuenta mali natura, & eſſentia,nõ eſt difficile illius etiã cauſas inuenire. Et quidẽ ſi de malo in genere naturæ ſit ſermo,certum eſt huius mali Deum eſſe cauſam efficientem eo modo,quo malum habet cauſam efficiẽtem, ſcilicet non per ſe, ſed per accidens. Cùm enim malum non ſit de integritate naturæ,ſed illã potiùs corrumpat,nullus primò,& per ſe,malũ intendẽs producere,aliquid operatur. Et hoc eſt quod ait Dionyſ.4.c.de diuinis nominib.quòd nullus ad malũ intendens operatur. Vnde malũ nõ dicitur habere cauſã per ſe, ſed per accidens, quatenus agens ad bonũ intendens aliquid agit, ad quod malũ ſequitur:vt cùm ignis intẽdens introducere in ligno formã ignis, priuat illud forma ligni.Hoc autem modo Deum eſſe cauſam efficientem mali in genere naturę nõ ſolùm non eſt inconueniens,ſed maximè neceſſariũ. Cùm enim iſtud malũ proueniat naturaliter in rebus per actiones ſecundarum cauſarũ naturaliũ,& Deus operetur cum omni agente,& eadẽ actio,quæ eſt à ſecunda cauſa, ſit immediatè etiã à Deo, eo modo quo malũ de genere naturæ referri poteſt in ſecundam cauſam tanquam efficientem, eodem modo certum eſt illud etiam referri in primam cauſam. I.

Dionyſ.

Aduertẽdum tamen,quòd malum duob.modis poteſt accidere in rebus naturalib.vno modo per efficientiam,ſeu cauſalitatem perfectã cauſæ agẽtis,vt quãdo cauſa agens generans ſibi ſimile,introducẽdo vnã formã, expellit aliã:alio modo per defectum,& imperfectionem cauſæ efficientis,vt quando ibia claudicat, vel quãdo vis generatiua propter ſuã debilitatem nõ poteſt producere animal perfectum.Quãdo itaque malũ accidit in rebus primo modo,non eſt dubiũ illud poſſe reduci in Deum tãquam cauſam efficientẽ. Verùm quãdo malum accidit in rebus ſecundo modo,nõ videtur reduci poſſe in Deũ,ſed in ſolã cauſã ſecũdã imperfectã,& deficientẽ: quia quãdo prima cauſa cõcurrit cũ ſecũda cauſa imperfecta, quæ deficiẽter operatur,defectus qui eſt in actione nõ refunditur in primã cauſam, ſed in ſecundam cauſam deficientem,quod inferiùs magis explicabitur, & probabitur ex D.Aug.& D.Thoma.

Loquẽdo verò de malo in genere moris,diſtinguendum eſt de malo culpæ,& de malo pœnæ,& rurſus de malo pœnæ, quod eſt ſimplex pœna, & nõ culpa,& de malo pœnæ,quod eſt ſimul pœna, & culpa.Eſſe nãque vnum peccatũ aliquãdo pœnã alterius peccati eſt doctrina fidei expreſſa à D. Paulo in epiſt.ad Rom.c.1.& probata àD.Aug.l.5. cõtra Iul.c.3.& lib.de gratia& lib.arb.c.20.& trib. ſequentibus.Hac verò diſtinctione præmiſſa, eſt II. Auguſt.

Prima propoſitio ſecundùm fidem catholicam certa,quòd mali pœnæ,quod eſt tantùm pœna,& non

non culpa, Deus est autor. Quæ propositio statuitur contra quosdam hæreticos vocatos Coluthianos, quorum meminit Aug. hæresi 65 & Castro in verbo *Malum*, hæresi 3. dicentes malu pœnæ à Deo nõ esse. Hæc autem veritas habetur expressa in diuina Scriptura. Dicit enim Deus per Isaiam c. 45. *Ego Dominus faciens pacem, & creans malum.* & per Amos cap. 3. *Si erit malum in ciuitate, quod Dominus non fecerit.* Intelliguntur enim hæc testimonia de malo pœnæ, vt omnes Catholici exponũt. Et alia innumera sunt huius veritatis testimonia in diuina Scriptura. Et sanè cùm malum pœnæ nõ sit quid de se malum, sed bonum, sicut bonum est, Deum iustum esse, & punire impios, & præmio afficere iustos: nullus, qui intelligat ea, de quibus loquitur, negare potest, Deum mali pœnæ esse autorem. Videatur Alphons. à Castro loco citato.

Coluthiani. Augus. Castro.

III. Secunda propositio: Mali culpæ etiam sub ea præcisa ratione, qua est pœna alterius peccati, Deus autor nõ est. Asseritur hæc propositio cõtra Caiet. qui in suis comment. ad lib. 1. Regum c. 12. circa illa verba, *Ecce ego suscito super te malum de domo tua.* & c. 16. circa illa verba, *Dominus præcepit illi, vt malediceret Dauid*, fatetur, quòd Deus nõ est autor peccati, vt sic, sed quatenus pœna est peccati. quam sententiam nititur defendere Melchior Cano lib. 2. de locis Theologicis c. 4. ad 5. & 7. distinguens in peccato, quod est pœna alterius peccati, actionem, & passionem, & dicens, quòd Deus potest esse causa peccati; quod est pœna, & quatenus est pœna, non quidem quatenus peccatũ est actio, sed quatenus infert passionem, vel quatenus est passio: potest enim passio bona esse actione mala existente. quæ sententia etiam sic explicata & limitata, tanquam falsa, & contra diuinam Scripturam ab omnibus reiicitur, & meritò: quia peccatum quoquomodo spectetur, siue vt pœna, siue vt culpa, siue vt actio, siue vt passio, nũquã potest exuere rationem iniuriæ, & offensæ Dei, cuius Deus nullo modo potest fingi autor. Præterea actio, & passio vnus, & idem sunt motus ex parte rei, neque potest inferri passio, nisi per actionem, quomodo ergo fingi potest Deũ esse causam passionis, & nõ esse causã actionis? Tertiò cùm Deus sit agens per intellectum, & volũtatem, si est causa peccati, quatenus est pœna alterius peccati, sequitur, Deum velle illud peccatum. Quartò vnũ peccatum nõ est pœna alterius peccati quoad suam intrinsecã rationem, quia vt sic necessariò procedit à libera volũtate, quæ ita peccat, vt nõ peccare possit, faceretque rem Deo maximè gratam, si non peccaret, neque à Deo necessitari potest ad peccãdum. Illud verò quod de se habet rationem pœnæ, oportet esse contra volũtatem patientis, vt suprà dictũ est. Vnde implicat manifestè, peccatũ secũdùm suam intrinsecam rationem, & entitatẽ esse pœnam. Sed dicitur pœna ratione quorũdam consequentium, quæ sunt subtractio diuini luminis, & diuini auxilij, & diuinæ tutelæ in pœnam peccati præcedentis, ad quam subtractionem sequitur lapsus in nouam culpam.

Caietan. Cano.

IV. Fateor tamẽ illam explicationem adhibitam à Cano nõ esse omnino improbabilẽ, eo modo intellectam, quo ille eam intelligit. Aduertẽdum nãque est, duplicem passionem inferre ipsum actum peccati, alteram in peccãte, quæque eadem re, & etiam subiecto est cum actione peccati, quatenus peccatum est: & ista ita est peccatum, vt nũquam possit habere rationẽ alicuius bonitatis moralis. Et quãuis habeat etiam rationem pœnæ peccati præcedẽtis, nõ tamẽ est effectiuè à Deo, sed solùm permissiuè, quatenus, vt dixi, in pœnam peccati præcedẽtis Deus subtraxit auxilium, & homo labitur in culpam sequẽtem. Altera est passio, quam actio peccati infert in altero, quę licèt physice, seu naturaliter sit eadem cũ actione, moraliter tamẽ eadem nõ est per se, sicut quãdo Tyranni occidebãt Martyres: Actio enim tyrannorum peccatum erat in se, & tamẽ passio Martyrum nõ erat peccatum. Idem dicendum, quãdo Deus punit homines per ministros nequam, per rapinas bonorum, homicidia, & cætera huiusmodi, in quibus casibus actio mala est, & passio bona esse potest. De hac passione loquitur Cano, cũ ait, quòd Deus potest esse causa peccati, quod est pœna alterius, quatenus est pœna, nõ quidem quatenus peccatũ est actio, sed quatenus est passio: quamuis modus iste loquẽdi nõ placeat, nec videatur admittendus. In tali enim casu Deus nõ est causa peccati, sed vtitur peccato alterius ordinans illud in bonũ. Præuidet enim Deus, quòd si permittat Satanã incitare, v.g. Chaldæos in populum Hebræum, & permittat Chaldæos in illum desæuire, illi omnia complebũt homicidiis, rapinis, & sacrilegiis: & tunc permittit Dæmonem, & Chaldæos sæuire, & peccato illorum vtitur ad puniendos Hebræos; & sic Deus est causa passionis: sed non potest dici causa actionis, neque peccati, siue vt peccatum est, siue vt pœna peccati.

V. Tertia propositio: Deus nullo modo est autor mali culpæ quatenus illud habet rationẽ culpæ. Hæc etiam assertio certissima est secũdùm fidem Catholicã cõtra hæreticos c. 9. relatos, qui faciũt Deum autorem nostrorum malorum operũ eque, vt bonorum, quos iure merito nõnulli dicũt longè peiores esse Manichæis, & antiquis hæreticis. Illi enim non audebãt mala opera bono Deo tribuere: & ob hãc causam potius voluerũt ponere duo prima principia, alterum bonum, alterũ malum: at recẽtes Nouatores tribuũt bono Deo omnem impietatem, faciẽtes illum causam omnium peccatorum, & nõ solùm hoc, sed etiam cogẽtem homines ad peccatũ. Immo nõ solùm Manichæis, sed etiã Idololatris, & ipso Diabolo peiores illos possumus appellare. Idololatris quidem, quia etsi illi fecerint suos Deos sacrilegos, adulteros, tyrãnos, homicidas, fures, vt haberẽt vnde ipsi etiã sua sacrilegia, adulteria, homicidia, ac tyrãnides pallio honestatis tegere possent; nõ tamẽ dixerũt, Iouem autorem esse omnis tyrãnidis, Martem omnis homicidij, aut Venerem omnis adulterij; multo minus dixerũt suos Deos illos cogere ad ciusmodi scelera perpetrãda. Diabolo verò peiores sũt, quia, vt Aug. ait in lib. ad Articulos sibi falsò impositos, ad 11. qui erat, quòd quãdo incestãt patres filias, & matres filios, vel quãdo serui dominos occidũt, ita fiat, quia Deus ita prædestinauit, vt fieret. *Si Diabolo obiceretur, quòd taliũ facinorũ ipse autor, ipse esset incentor, puto quòd aliqua ratione exonerare se hac posset inuidia, & talium scelerum patratorem de ipsorum voluntate vinceret: quia etsi delectatus est furore peccantium, probaret tamen se non intulisse vim criminum.* Augustin.

Est autem propositio tam vera, & certa, vt eius veritate sublata ruat veritas totius ferè diuinæ Scripturæ. Nam si Deus peccati autor est, & causa, cur illud prohibet, cur reprehendit, cur minatur peccatores, cur illos plectit, & punit? At tota diuina Scriptura plena est ciusmodi prohibitionibus, reprehensionibus, minis, & terroribus, omnes libri sacri testantur, Deum peccata grauiter punire non solùm in alia, sed etiam

Digitized by Google

etiã in præſenti vita. Eiuſdem quoque animaduerſionis in peccatores referunt ſacræ hiſtoriæ innumera exempla. quæ nam igitur eſt hæc dementia dicere Deum peccati eſſe autorem?

An non Scriptura teſtatur, Deum nolle iniquitatem, & illam odio habere, in Pſal. 5. & 10. & Eccleſiaſtici cap. 15. Si autem odit, quomodo facit, Salomone dicente in lib. Sapientiæ cap. 11. *Nihil odiſti eorum, quæ feciſti.* An non dicitur Deus oculos ita habere mundos, vt malum videre non poſſit? Habacuc cap. 1. *Mundi ſunt oculi tui, ne videant malum, & reſpicere ad iniquitatem non poteris.* quod de viſione approbationis intelligendum eſt. Sed ſi malum videre non ſuffert, quomodo ſuffert illud operari?

Sed reſpondent moderni hæretici, quòd opus peccati, quatenus eſt à Deo autore, non eſt opus malum, nec peccatum, ſed ſolùm quatenus eſt opus hominis; quia defectus actionis in cauſam ſecundam reiiciendus eſt. Verùm ab illis quærendum eſt, quænam ſit cauſa, ob quam vnum, & idé opus adulterij, aut blaſphemiæ, cùm ſit ab homine, & à Deo autore, immo impellente, & cogente, quatenus eſt ab homine, ſit peccatum, quatenus verò eſt a Deo, non ſit peccatum? Reſpondent huius diſcriminis quatuor eſſe cauſas, primam, quia Deus legi ſubiectus non eſt, homo verò eſt legi ſubiectus: ſecundam, quia quod homines mala intentione agunt, id Deus bona intentione facit: tertiam, quia quando cauſa principalis, & inſtrumentalis concurrunt ad eundem effectum cauſandum, defectus, qui reperitur in effectu, referendus eſt in cauſam ſecundam deficientem, non in primam: quartam, quia natura humana peccante Adamo corrupta eſt, nec poteſt niſi malum operari.

Sed hæc refugia nihil iſtos hæreticos iuuant; quia diuinæ Scripturæ non ſolùm negant Deum ipſum peccare, ſed negant etiam ſimpliciter, & abſolute illum peccati eſſe autorem, & peccatum velle. Dato igitur per impoſſibile, quòd hæc duo poſſent ab inuicem ſeparari, peccare, & eſſe autorẽ peccati, ex diuina Scriptura vtrunque conuincitur, & Deum non peccare, & Deum non eſſe autorem peccati, cùm potiùs ex diuina Scriptura habeamus, Deum illud nolle, prohibere, deteſtari, & punire.

Reſpondent, loca diuinæ Scripturæ eſſe exponenda de voluntate Dei, quæ eſt voluntas ſigni, quæ nobis reuelata eſt per diuinam Scripturam: velle tamen alia voluntate, vt homines peccent. Sed ſi ea volũtate, quæ nobis per diuinã Scripturam reuelata eſt, Deus non vult peccata, vnde habent iſti aliam voluntatem, qua Deus vult eadem peccata, cùm diuina volũtas ex diuina reuelatione nobis innoteſcat, diuina autem reuelatio ex ſola diuina Scriptura habeatur?

Ad hæc quando Deus non vult aliquid voluntate ſigni, illud non poteſt eſſe volitum voluntate beneplaciti antecedente, ſed ſolùm voluntate cõſequente, quæ ſecũdum Patres ex noſtro vitio ortum habet, vt lib. 4. monſtratũ eſt. Alioquin Deus idem volet, & non volet, quæ incõſtantia, & contrarietas voluntatum ſine vlla ratione fingitur in Deo. Cùm itaque Deus volũtate ſigni nolit peccatum, & illud prohibeat, non poteſt illud velle, niſi inſpecta voluntate humana, ſe ad peccatum determinante, quod non eſt Deum velle peccata, ſed ſolùm velle illa permittere.

VI. Secundò præcludũtur hæc refugia, refutando omnes *illas* cauſas, ob quas dicunt opus peccati, quatenus eſt à Deo, nõ eſſe peccatum. Prima cauſa eſt, quia Deus legi ſubiectus nõ eſt. Sed hæc ratio vaniſſima eſt. Licèt enim Deus non ſit ſubiectus legi alterius, habet tamẽ legem æternã, quæ ipſemet Deus eſt, quæ ſibi dictat quid rectũ ſit, vt ab eo fiat, & quid turpe, & indignum ab eo fieri; ob quam legem implicat, Deum facere poſſe, quod eſt contra ſummã illius bonitatem. hoc neque ipſi hæretici negabũt, quippe qui ob hãc legem æternã dicunt Deum, licet peccati autor ſit, tamẽ in ſe peccare non poſſe. At cũ lege æterna pugnat, Deũ autorem peccati eſſe: quis enim neget cũ ſumma Dei bonitate pugnare, Deum autorem eſſe blaſphemiæ, mendacij, odij in Deũ, ſacrilegij, & ſimilium? Secũda ratio eſt, quia quod homines mala intentione faciunt, id Deus bona intentione facit. Sed vanitas huius rationis primò conuincitur ex eo, quoniã Deus ex ſententia hæreticorũ eſt autor non ſolùm operis mali, ſed etiam prauæ intẽtionis, qua homo operatur malũ, cùm dicant, hominem Deo impulſore agere, quod ſibi non licet, & cogi ad peccandum, & euadere non poſſe neceſſitatem peccandi: peccatũ verò nõ eſt abſque mala intentione. Quomodo ergo fingere poſſunt, Deũ bona intentione agere opus, quod eſt peccatum, cùm etiam malæ intentionis, per quã habet, vt ſit peccatũ, ipſe ſit autor? Secundò eſto quando opus eſt de ſe indifferens, bona intentio excuſet à peccato: tamen quãdo opus ex intrinſeca natura factum, vt hîc, & nunc, à tali perſona, cum tali b. circunſtantiis, habet malitiam inſeparabiliter adiũctam, bona intentio non poteſt efficere, vt illud non ſit peccatum: ſed ſunt quædã opera humana intrinſecè mala, quę inſeparabilem habent adiunctam malitiam, vt blaſphemiam, Dei odium, & ſimilia. Ergo ſaltem illorum Deus autor eſſe non poterit, aut à peccato non poterit excuſari, quia bona intentione illa operetur.

Tertia ratio, quã ſumũt ex differentia inter cauſam inſtrumentalem, & principalem, non minori facilitate reiicitur, quia licèt quãdo cauſa inſtrumentalis defectiua concurrit cum cauſa principali, ita vt defectus nõ ſit intentus à cauſa principali, ſed præter illius intẽtionem, ipſe defectus in ſolã cauſam ſecundã reiiciendus ſit: attamen quãdo defectus eſt intentus à cauſa principali, immo ab eadẽ cauſa principali prę paratur talis cauſa inſtrumentalis, quæ neceſſariò deficiat, & cogit illã deficere, quis erit tam ſtupidus, vt velit defectũ in effectu in ſolã cauſam inſtrumentalẽ reiicere, & nõ multo magis in cauſã principalẽ? Alioquin, vt quid punitur homicida, qui gladio, aut haſta hominem occidit, & nõ potiùs punitur gladius, & haſta? At verò hæretici dicunt, prouenire ex diuina voluntate, & intentione, & electione, vt cauſa inſtrumentalis ſit deficiens, immo illã neceſſitari ad agendũ cũ defectu. Non poteſt igitur defectus cauſæ ſecundæ inſtrumentalis nõ refundi in cauſam principalem. Quarta etiã ratio ſi locũ haberet, in ſolis hominibus poſt lapſum Adæ locum haberet, non in Adamo exiſtente in ſtatu iuſtitiæ originalis, neque in Angelis: & tamẽ fatentur hæretici nõ minus fuiſſe Deũ autorem primi peccati Adæ, quàm aliorũ. igitur ex hoc capite vitare nequeunt, quin faciant Deum peccati autorem.

VII. Vega. Molina. Bellarm.

Tertiò poſſet eadẽ aſſertio probari infinitis teſtimonijs Conciliorũ, & Sanctorum Patrum, quæ paſſim afferũt, And. Vega lib. 2. de Iuſtific. cap. 15. Molina lib. concordiæ diſp. 30. Bellar. lib. 2. de gratiæ amiſ. c. 9. & Scholaſtici poſt D. Th. 1. p. q. 49. & 1. 2. q. 79. art. 2. Sed quid moramur in hac veritate probanda?

Digitized by Google

probanda? si peccatum aliud nihil est, quàm dictum, vel factum, vel concupitum contra legem Dei, & illius voluntatem, quomodo potest homo peccare illud perficiens, quod Deus illũ vult perficere, aut si id perficit, quod Deus vult, quomodo potest contra Dei legé, & voluntatem agere? quis hæc iungere simul valet, facere quod Deus vult, & quòd non vult, quod prohibet, & ad quod compellit? Et si nullo sapiente homo fit deterior, vt Augustinus ait lib. 83. quæstionum q. 3. quanto minus Deo autore, qui in infinitum sapiens, & bonus est? Et si homines ad peccandum non adiuuantur à Deo, vt idem Augustinus ait lib. 2. de peccatorum meritis, & remiss. cap. 5. quanto minus compelluntur, & coguntur? Videantur quæ diximus lib. 4. cap. 16. & duobus sequentibus. Augustin.

VIII. Quarta propositio: mali culpæ, quatenus tale est, solum liberum arbitriũ creatum est causa. Hæc propositio asseritur tum contra recentiores hæreticos, qui dicunt, mala opera æquè, vt bona Deum in nobis operari, tum contra Manichæos asserentes duo prima principia, & dicétes peccatum non prouenire ex arbitrij nostri libertate, sed ex admistione naturæ mali cum anima rationali. estque assertio ita secundùm fidem catholicam certa, sicut præcedentes. Habetur enim cõceptis verbis expressa in sacris literis, dicente Deo per Oseam c. 13. *Perditio tua ex te Israel, tantum in me auxilium tuum.* Et Eccles. cap. 15. *Deus creauit hominem, & reliquit eum in manu consilij sui. ante hominem vita, & mors, malum & bonum, quodcunque placuerit ei, dabitur illi.* & rursus, *nemini mandauit impiè agere*; & rursus, *ne dicas, ille me implanauit.* in Psal. 72. *Odisti omnes, qui fornicantur abs te.* Ieremiæ 19. *ædificauerunt excelsa, quæ non præcepi eis, nec locutus sum, nec ascenderunt in cor meum.* Iacob. c. 1. *Vnusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus. Deinde concupiscentia cùm conceperit, parit peccatum. Peccatum autem cùm consummatum fuerit, generat mortem.* & rursus, *nemo, cùm tentatur, dicat, quoniam à Deo tentatur; Deus enim intentator malorum est, ipse autem neminem tentat.*

Respondent hæretici, istis testimoniis significari, quòd origo peccati est in homine propter naturæ corruptionem: non tamen negari, quin illorum primus autor sit Deus. Sed hæc responsio est vanissima & falsissima. Primò esto origo peccati sit in homine per naturæ corruptionem, tamen in Adamo in statu innocentiæ, & in Angelis esse non potuit; nisi per arbitrij libertatem. Secundò prædicta testimonia non solum docent, originé peccati esse in homine, sed etiam non esse vllo modo in Deo: hunc enim sensum apertum, & non dubium præseferunt illa verba, *Odisti omnes, qui fornicantur abs te.* & illa, *nemini mandauit impiè agere.* & illa, *ne dicas, ille me implanauit.* & illa, *fecerunt excelsa, quæ nõ præcepi eis, neque locutus sum, neque ascenderunt in cor meum.* & illa, *nemo, cum tentatur, dicat, quoniam à Deo tentatur.* Si enim Deus hominem non tentat, quanto minus compellit ad peccandum, & peccati autor est? Dicent, quòd Deus non tentat hominem ea tentatione, quæ reddat hominem excusabilem. Verùm si homo non redditur excusabilis. ergo tentationem vincere potest. Si autem vincere potest, & non vincit. ergo ex libera illius voluntate est origo peccati. Præter quod si ex hoc solum diceretur Deus non esse tentator malorum, quia sua tentatione non redderet hominem excusabilem, etiam Diabolus dici posset non esse tentator malorum, quia illius tentatio non reddit hominem peccantem excusabilem, vt habemus ex lib. Gen. cap. 2. Ac demum cùm Deus ipsas Diaboli tentationes compescat, ne moderetur, nec patiatur hominem tentari supra id, quod potest, & faciat etiam cum tentatione prouentum, vt possit sustinere, vt Paulus ait in priori ad Corinth. c. 10. quomodo fieri potest, vt ipse homines ad malum tentet?

Secundò probatur eadẽ veritas testimoniis Patrum. Orig. lib. 4. contra Celsum post mediũ ait: *Nam sua cuique ratio causa est existentis in ipso malitiæ, quæ quidem malum est; malæ quoque actiones, quæ ex ea prouenium.* Iustinus Martyr in Dialogo cũ Tryphone: *Illud quoque ante docui, Deum non esse causam, cur ij, quorum peccata antea cognita sunt, siue homines, siue Angeli, improbi efficiantur: sed sua quisque culpa tales sunt.* Clem. Alex. lib. 1. stromat. *Qui non prohibuit liberam animæ electionem, iustè iudicat, vt vel maximè quidem Deus nobis non sit causa vitij.* Et lib. 1. Pædagogiæ c. 8. *Culpa est eius, qui elegit. In Deum autem culpa conferri nequit.* Epiph. hæresi 66. *Iuxta permissionem liberi arbitrij omnibus propria voluntate vti concedit, vt quisque quod voluerit, faciat; quod ipse quidem malorum causa non sit.* D. Ambr. lib. 1. exaëmeron c. 8. *Nunquid malitiam Deus creauit? sed ea ex nobis orta, non a creatore Deo condita morum lenitate generatur.* D. Hier. comm. in c. 7. Eccles. circa illa verba. *Deus creauit hominem rectum*, ait, *ne videretur Deum autorem mali facere arguere præcauit, & ait, bonos nos à Deo creatos: sed quia libero sumus arbitrio derelicti, vitio nostro ad peiora delabi.* Sed loco omniũ sufficiat nobis vnus Augustinus, qui ad hanc veritatem probandam, atque illustrandã tres integros libros de libero arbitrio conscripsit, quorum argumentum est, originem peccati esse liberam voluntatẽ creaturæ. legantur illius verba lib. 1. c. 11. in princip. vbi ex instituto refutat errorem hæreticorum dicentium, Deum cogere voluntatem ad peccandũ. Ait enim Augustinus. *In præsentia enim scire possumus, quæcunque illa natura sit, quam menti virtute pollenti fas est excellere, iniustam esse nullo modo posse. Quare ne ista quidem tametsi habeat potestatem, coget mentem seruire libidini.* Videat hic Caluinus, qui totum se Augustinianum profitetur, Deũ, quia iustus est, non cogere mentem seruire peccato. & paulo infrà: *Ergo relinquitur, vt quoniam regnanti menti compotique virtutis quidquid par, aut prælatum est, non eam facit seruam libidinis. Quidquid autem inferius est, non possit hoc facere propter infirmitatem, sicut ea, quæ inter nos constituerunt, docent, nulla res alia mentem cupiditatis comitem faciat, quàm propria voluntas, & liberum arbitrium.* Hæc ille. ex quibus habemus etiam rationem optimam ad eandem veritatem probandam. legantur alia eius verba lib. 2. cap. 20. vbi dicit motum auersionis à Deo, quia peccatum est, à Deo non esse, neque ad Deum pertinere, sed ad solam voluntatem creatam. Et lib. 3. c. 1. vbi dicit, *Propterea quid opus est quærere, vnde iste motus existat, quo voluntas auertitur ab incommutabili bono ad commutabile bonum: cùm eum non nisi animi, & voluntarius, & ob hoc culpabilem esse fateamur?* Et ne dicãt hæretici, Augustino illos libros scribenti, cùm adhuc iuuenis esset, hæc per imperitiam excidisse, legant easdem sententias in lib. 1. Retract. c. 9. Legantur item, quæ scribit lib. de nat. boni cap. 33. & seq. & in lib. 2. de nuptiis, & concupiscentia c. 26. & seq. vbi ostendit, ex libera voluntate creata trahere originem omne peccatũ, & lib. 4. contra Iul. c. 3. exponit metaphoram illam arboris malæ, & bonæ de voluntate bona, & mala, quarũ vtraque prouenit ex natura bona; sed voluntas mala de se fit mala absque ope alterius: bona verò nõ fit, nisi supernaturali Dei auxilio suffulta. Adhuc legantur eius verba lib. 5. de ciuit. c. 8. & 9. & de spiritu

IX. Origen. Iustinus. Clem. Alex. Epiphan. Ambrosius. Hieron. August.

& litera c.31. & lib.2. de peccatorum meritis, & remiſ.c.18. quibus in locis, & aliis ſuprà c.11.citatis fatetur, Deum malæ voluntatis nullo modo eſſe autorem.

X. Tertiò probatur hęc veritas omnibus illis argumẽtis,quibus lib.2.c.11.probauimus,liberũ hominis arbitriũ ex ipſa natura peccati. Si enim peccatũ ex libera hominis voluntate nõ naſceretur, ſed voluntas compelleretur à Deo ad peccandũ, iam peccatum nullo modo eſſet peccatum.præter hæc qui aliquem excitat, & inducit ad peccandũ,peccat, multo magis qui compellit, quia non minus hoc repugnat diuinæ legi,quàm actu peccare.Sed reſpondet Caluinus lib.1.inſtit.c.17.§.5 etiam radios Solis excitare fœtorem in cadauere, ipſos tamen non fœtere: & ſic poſſe Deum homines excitare ad peccatum, abſque eo, quòd peccet. Sed craſſities Caluinum decepit, quia radij Solis non ſunt cauſa proxima, & per ſe fœtoris, ſed ſolùm per accidens,quatenus aperiendo poros,aut calefaciendo cadauer,ſunt cauſa, quòd exhalet à corpore vapores, non ſecus, ac ſi quis aperiendo camerinam,diceretur cauſa fœtoris. Caluinus.

Et tandem niſi prima peccati origo eſſet liberum arbitriũ,ſed Deus ipſe hominem compelleret ad peccatum,ſequeretur, non ſolùm hominẽ non peccare,ſed Deũ ipſum maximè peccare, & ipſum ſolum peccati eſſe autorem. Et quidem quòd ſequatur,hominem ſic compulſum minimè peccare, oſtenditur ex eo,quia,vt Auguſt.dicto lib.2. citatus ſæpe inculcat,nullus peccat in eo,quod vitare non poteſt. Quòd autem ſequatur, ſolum Deum maximè peccare, probatur, quia ex ſententia hæreticorũ in ſolo Deo reperiuntur omnes cõditiones neceſſariò requiſitæ ad conſtituendam actionem peccaminoſam; quæ ſunt tres,vt actio ſit de ſe mala,& contra legem Dei,vt cum libertate eliciatur, & vt agens ſit cauſa actionis particularis ſecundùm omnes illius circunſtãtias particulares. Quando igitur homo compellitur à Deo ad peccandum, vt Caluinus ait,ille compellit ad actionem de ſe malam, & contra legem Dei, quatenus talis eſt, vt illemet concedit lib.1.Inſt.c.18.§.4.& lib.2.c.4 §.2.& compellit liberè,& eſt cauſa particularis talis actionis ſecundùm particulares illius circunſtantias. Nihil igitur illi deeſt, quominus dicendus ſit verè, & propriiſſimè peccare. Quod ne dicamus,dicendũ eſt,Deum nullo modo compellere homines ad peccandũ; ſed peccati cauſam in ſolam voluntatem creatam referendam eſſe.

CAPVT XIV.

Soluuntur obiectiones aduerſariorum contra duas poſtremas aſſertiones capitis præcedentis.

I. QVi ea memoria retineat,quæ lib.4.c.19.& li.5.c.13.& quatuor ſequentibus, & lib.7.c.4. à nobis dicta ſũt,facilè,ac ſine labore occurret argumentis,quæ ex diuinis Scripturis, & Patribus, præcipuè ex D. Auguſtino congerunt recentiores hæretici ad probandum,quòd Deus peccati autor ſit, & homines compellat ad peccandũ. Quam ob cauſam de argumentis ex autoritate diuinæ Scripturæ,& D.Aug.petitis, nihil amplius reſtat nobis dicendum. Oſtendimus enim ex ipſamet diuina Scriptura,& D.Aug.illa omnia teſtimonia,quæ innuere videntur,Deum autorẽ eſſe peccati,quippe qui opus aliquod malum vel præcipiat, vt alij faciant, vel ipſe facere dicatur,& immittere errores,homines decipere,tradere in reprobũ ſenſum, in paſſiones ignominiæ, aut eſſe intelligenda ſecundùm permiſſionem: aut quia non ipſe noſtras voluntates malas facit, ſed à ſeipſis malis factis vtitur in bonum, & illas ordinat in finem conuenientem: aut aliquo alio ex modis traditis in dictis locis. Præter quæ videri etiam poterunt,quæ ſcribunt Melchior Cano lib.2.de locis Theologicis præcipuè c.4. Molina in lib.cõcordiæ diſp.35. & Card.Bellar. lib.2. de gratiæ amiſſ.c.11.&ſeqq. Cano. Molina. Bellarm.

Nunc vnicum tantùm argum. ſoluendum eſt, quod Theologis non leuẽ difficultatem faceſſere videtur,quódque ſuperiùs fuit non ſemel inſinuatum,ſed illius ſolutio prætermiſſa,vtpote quæ peculiarem diſcuſſionem videretur poſtulare. Illud autẽ tale eſt. Qui autor eſt operis, ſaltẽ cui inſeparabiliter coniuncta eſt moralis malitia, videtur eſſe eiuſdẽ malitiæ autor: non enim homines alio modo dicuntur autores peccatorum,niſi,quia autores ſunt operum, quibus adiuncta eſt moralis malitia, neque neceſſe eſt ad hoc vt peccent verè, illos moralem malitiam intendere,quæ opus conſequitur, vt ſatis conſtat, dummodo opus intendant,quod abſque malitia hîc,& nunc ab homine, qui ratione,& libertate vtitur,fieri non poteſt: ſed Deus autor eſt operis,cui eſt annexa malitia,quoad omnem illius entitatem realem poſitiuam. Ergo videtur etiam peccati autor eſſe.

Ad hoc argum.nonnulli relati à Magiſtro in 2. d.37.dixerũt,actus moraliter malos, etiam quoad illorum poſitiuam, & naturalem entitatem, non eſſe ex Deo. Quibus cùm opponebatur autoritas Auguſt.dicentis, omne quod eſt, in quantum eſt, bonum eſſe,& à Deo eſſe.Reſpondebant de naturis,& ſubſtantiis rerum, nõ de illarum actionibus id eſſe intelligendum,quod nonnullis eiuſdẽ Auguſt.teſtimonijs ibidẽ à Magiſtro citatis,quæ nos etiam ſuprà c.11.notauimus,& infrà expendemus, nitebantur probare. Hæc tamẽ ſententia,licèt Magiſter de illa nihil cẽſere videatur, à D.Th.ibid.& ab omnibus Theologis falſa,& erronea reputatur, & meritò,vt ſequenti controuerſia oſtendemus. II. Magiſter.

Durandus in 2.d.1.q.5.& d.37.q.1.vt huius difficultatis vim declinaret dixit,Deum nõ eſſe cauſam propinquam,& immediatã actus peccati, ſed ſolùm cauſam remotam,& mediatã, quatenus eſt cauſa prima vniuerſalis dans eſſe homini, & dans ipſi liberum arbitrium, & conſeruans illud in eſſe: quod liberum arbitriũ quatenus eſt à Deo, indifferens eſt ad bonum,& malum,& ipſum per ſeipſum determinat ſe ad actũ peccati,Deo ad eiuſmodi actum minimè concurrente, aut cooperãte. Vnde non poteſt peccatũ in Deum vti in cauſam referri,ſed in ſolũ liberum arbitrium creatũ. Quã ſententiam quoad actus moraliter malos,ſequitur etiam Aureolus apud Greg.Arim.eadem d.37.q.1. cámque probabilẽ reputant Antiſiod.li.2. ſummæ tract. 27 c.3. & ipſe Arim. quanuis oppoſitam ſequatur.Hæc tamẽ ſententia non minus quã prima ab omnib.Scholaſticis reputatur error manifeſtus. III. Aureol. Antiſiodor. Gregor.

Gregorius Ariminenſis diſt.34.art.3. triplicem adhibet reſponſionem. Prima eſt, Deum non eſſe autorem peccati, quia peccatum eſt nihil, & non habet cauſam efficientem. Hæc reſponſio non ſatisfacit:quia ob hanc cauſam neque etiam homo erit autor peccati.Secunda eſt,Deum non eſſe autorem peccati,quia peccati actũ homo facit contra regulam rectæ rationis, & Deus illum non facit contra regulam rectæ rationis. Hæc reſponſio non ſatisfacit.Non enim declarat,quomodo actũ, qui eſt de ſe malus,Deus facere poſſit non contra regulam rectæ rationis.licèt enim Deus legi alterius ſubiectus non ſit,habet tamen legẽ æternam, quæ eſt ipſemet Deus,& ſua infinita bonitas,contra quam aliquid agere non poteſt; ob quam cauſam dicimus,Deum nec peccare poſſe,nec mẽtiri, IV.

neque

neque decipere, neque præcipere aliquid, quod sit peccatum, aut illud suadere, aut ad illud inclinare, quandiu illud est peccatum: neque posse dispensare circa præcepta Decalogi dispensatione propriè dicta, reddendo licitum, quod cadit sub aliquo præcepto, quandiu illud cadit sub tali præcepto; quamuis possit apponere illi circunstantiam, ob quam illud non cadet sub præcepto.

Tertia responsio est, Deum non esse autorem peccati, quia non est causa, vt homo exerceat talem actum, quia solùm præbet illi liberum arbitrium, indifferens ad bonum, & malum. Hæc responsio est falsa, quia incidit in errorem Durandi.

V. Gulielmus Okam, referente Bartholomæo Medina 1.2.q.79.art.2. dicit, quòd in rigore, & proprietate locutionis Deus est autor peccati: sed dicit, quòd ista propositio, Deus est causa peccati, habet duplicem sensum. Primus est, quòd Deus sit causa actus mali, & hic est verus. Secundus quòd Deus peccet, & hic est falsus. Hæc responsio est erronea, & coincidit cum errore Caluini, & aliorum hæreticorum, nam & illi dicunt, quòd Deus est causa peccati, sed tamen non peccat. quæ sententia est contra diuinam Scripturam. Illa enim docet, non solùm Deum non peccare, sed etiam non esse causam peccati, vt probauimus. Præter quod si Deus est verè causa peccati quatenus peccatum est, velint, nolint, sequitur, Deum peccare. Non enim aliâ ratione etiam homo dicitur peccare, nisi quia est causa proxima peccati, quatenus peccatum est: neque secundùm modum loquendi hactenus apud homines vsu receptum, aliquis dicitur verè aliquid facere, nisi quia est verè causa illius, secundùm quod tale est, saltem loquendo de causa proxima, & particulari. Vide si concedatur, quòd Deus sit causa proxima, & particularis peccati, quatenus peccatú est, negari non potest, quin Deus ipse peccet. Subiungit hic autor, quòd homo peccat operando actum malum, & non Deus, concurrendo ad eundē actum: quia homo tenetur illum actum vitare, & non Deus. Hoc dictum est etiam erroneum, quia licèt Deus non teneatur lege alterius, tenetur tamen lege æterna suæ bonitatis cauere actum intrinsecè malum.

VI. Ricardus in 2.d.37.art.3.q.1. & Gabriel ibidem art.3. dicunt, Deum, etsi concurrat ad actum peccati, non tamen esse causam malitiæ, quæ illum consequitur, quia ipse actus peccati potest esse sine vlla malitia.

Hæc responsio non satisfacit. quia licèt actus peccati aliquo modo fieri possit sine malitia, saltem propter defectum libertatis: tamen supposito, quòd fiat ab agente libero, hic, & nunc, cum tali, & tali circunstantia, malitia est ab illo inseparabilis etiam per diuinam potentiam.

Scotus d.37.q.vnica dicit, quòd Deus concurrens cum homine ad actum malum non est causa malitiæ, quia in actu malo sunt duo, actus naturalis habens causam effectiuam, & huius Deus est causa; & defectus rectitudinis, propter quem actus est peccatum, & huius Deus non est causa, sed sola voluntas creata, quæ tenebatur ponere rectitudinem, & non posuit. Primò, quia Deus non tenetur ponere talem rectitudinem. Secundò, quia ipse eam apponeret, nisi per voluntatem creatam staret.

Hic etiam modus dicendi non satisfacit. Primò, quia licèt Deus non teneatur lege alterius apponere rectitudinem suo actui; tenetur tamen lege suæ bonitatis. Secundò, quia sunt nonnulli actus, quibus repugnat intrinsecè, quòd illis apponatur rectitudo, quatenus fiunt ab agente libero hîc, & nunc, cum tali, & tali circunstantia.

Caietanus 1.2.q.71. a.6. & alibi dicit, Deú esse autorem entitatis naturalis actus peccati, & etiam positiuæ cõuersionis voluntatis ad bonũ creatum contra virtutem, in qua specifica, & formalis ratio peccati sita est: & tamen non esse causam peccati, quia præter hoc reperitur in peccato auersio à Deo, seu à regula diuina, cuius Deus non est causa, quia huiusmodi auersio defectus est, & non habet causam efficientem, sed deficientem. Quare eadem actio quoad omnem entitatem positiuam potest, & debet referri in Deum, vt in causam: sed quatenus est actio deficiens, non potest nisi in causam deficientem referri. VII.

Hic tamen modus dicendi ad omnibus improbatur, quia concedit, Deum esse positiuam causam conuersionis voluntatis creatæ ad bonum commutabile contra virtutem, quod est contra diuinam bonitatem. Concedit etiam, quòd Deus sit causa eius, in quo ratio specifica, & essentialis malitiæ moralis consistit, quod non minus est absurdum. Admittit etiam, rationem formalem peccati, seu mali moralis in entitate positiua, & reali consistere, quod suprà improbauimus. Dicit etiam quòd Deus est causa cõuersionis voluntatis creatæ ad bonũ commutabile contra virtutem, & non est causa auersionis à bono incommutabili; quod implicat: quia talis accessus esse non potest sine recessu à bono incommutabili, sicut accessus mobilis ad terminum ad quem, intelligi nequit sine recessu à termino à quo opposito: & sicut qui est causa accessus ad terminum ad quem, est causa recessus à termino à quo.

Dominicus Soto lib.1.de nat. & gratia c.17.& 18. Melchior Cano lib.2.de locis Theolog. c.4.& in relectione de sacram. p.4. post 5.conclus. quos sequitur Vasquez 1.2.disput. 129.c.7. & seq. licèt aliquid de suo addat, dicunt, quòd Deus non est causa peccati, licèt præbeat suum concursum ad eundem actum peccati: quia non concurrit ad illum per modũ causæ moralis, sed solùm per modum causæ naturalis: peccatum autem est effectus moralis, vnde oportet illum reducere in causam moralem, quæ est voluntas creata. Addunt Cano, & Vasquez, quòd peccatum quoad entitatem moralem est purum ens rationis: & ideo non est necesse, vt referatur in Deum tanquam in causam: quia Deus non est causa entitatis positiuæ rationis, sed solùm positiuæ realis. VIII. Cano. Vasquez.

Hæc responsio non est probabilis. Nam quod primo loco aiunt, Deum non esse causam peccati, quia non est causa moralis, sed naturalis tantùm, explicatione indiget, & declarandum est quid intelligant nomine causæ naturalis. Quatuor enim modis dicere possunt Deum esse causam naturalem peccati. Primò, quia producit solam illius entitatem naturalem, non autem moralem. Sed hoc modo dicere Deum non esse causam peccati, quia est causa naturalis tantùm, & non moralis, est dicere idem per idem, & nihil dicere. Secundò, quia producit verè physicè actum, qui est peccatum, & non solùm moraliter. Sed hoc dicere non est dubium soluere, sed magis augere. Tertiò, quia non agit per intellectum, & cum libera voluntate, sed modo naturæ. Et hoc dici non potest, Deus enim operatur liberè, & cum perfectissimo iudicio, quidquid operatur ad extra. Quartò, quia licèt ipse liberè concurrat ad actum peccati, non tamen hominem impellit, aut suadet, aut hortatur ad actum malum. Et ex hoc etiam capite non soluitur difficultas,

nam,vt aliquis dicatur verè autor peccati,& operis mali, non eſt neceſſe, vt alios ſuadeat ad peccandum; ſed ſufficit quòd ipſe liberè,& cum pleno iudicio,& iponte cooperetur aliis ad opus, quod ſit de ſe malum, & peccatum. Neque enim magis excuſatur à furto, qui caſu offendens aliquos euntes ad furandum, vltrò ſe illis adiungit, non vocatus,aut non vocans ipſe alios, quàm qui aliis furtum ſuader.

Quod autẽ aiunt,non eſſe cauſam peccati,quia non eſt cauſa moralis malitiæ,eo quòd illa in ſola relatione rationis diſconuenientiæ conſiſtat,cuius Deus autor nõ eſt,nihil illos iuuat. Nam relationes ſiue rationis,ſiue etiam reales,nõ habent cauſam per ſe, ſed conſequuntur ad poſitionem fundamenti.Vnde qui eſt cauſa ponens fundamentũ, eſt etiam cauſa relationis, quæ conſurgit ex tali fundamento:ſed Deus eſt cauſa cõcurrens ad ponendum totum fundamentum, ex quo conſurgit talis relatio. ergo eſt cauſa talis reſpectus eo modo,quo ille causã habere poteſt. Et poteſt ſic formari ratio. ille qui eſt cauſa rei eo modo, quo res cauſam habere poteſt, dicitur verè cauſa eiuſdem rei: ſed per reſpondentes Deus eſt cauſa iſtius reſpectus diſcõuenientiæ,in quo ſecundùm illos tota ratio malitiæ moralis conſiſtit, eo modo, quo talis reſpectus cauſam habere poteſt.Ergo poterit dici verè cauſa malitiæ moralis. Minor probatur, quia Deus concurrit verè ad omnem entitatẽ naturalem actus,prout ſit hic,& nunc à tali perſona agente cum libertate, & iudicio cum talibus, & talibus circunſtantiis. Ergo eſt verè cauſa reſpectus qui conſurgit ex tali fundamento.

IX. Medina. Bartholomæus Medina dicta q.79.art.2. vt hũc nodũ ſoluat, dicit primò,quòd quando duo principia concurrunt ad aliquem effectum producendum,vt effectus ſit perfectus,neceſſe eſt vtrunque principium eſſe perfectum; quòd ſi alterũ principium fuerit imperfectum, etiam effectus erit imperfectus. Secundò quòd quando Deus eſt cauſa alicuius actus,eſt eiã cauſa priuationis,quæ conſequitur ex natura talis actus:& tamen nõ eſt cauſa deformitatis actus peccati, quia talis deformitas non conſequitur ad talem actũ, niſi quatenus talis actus procedit à libero arbitrio creato deficiente.Tertiò dicit quòd in peccato ſunt duo,materiale,& formale, & quòd malitia, ſeu inordinatio nõ eſt de intrinſeca ratione actus peccati quatenus eſt actus,id eſt, quoad materiale, ſed ſolùm quoad ſuum formale,quia poteſt eſſe actus peccati ſine tali inordinatione.Et ideò poteſt Deus velle actum peccati, abſque eo, quòd velit talẽ inordinationem. Tandem dicit, quòd licèt Deus ſit cauſa actus peccati,non tamen eſt cauſa deformitatis,quæ cõſequitur ex peccato, quia deformitas non conſequitur ex modo operandi Dei,ſed creaturæ.Nam Deus quando concurrit ad actum peccati,facit hoc conformiter ad regulam, nõ ſolùm quia ipſe eſt regula, quæ non habet ſuperiorem: ſed quia operatur ſecundùm dictamen rectæ rationis. Dictat enim ratio, quòd primum agens permittat, & non tollat liberum arbitrium, & det ei neceſſaria ad operandum.

Hic modus dicendi præter id quod ſuprà c.11. tetigimus,nimirum, cùm ait, entitatem moralem actus mali eſſe entitatem realem poſitiuam, & tamen illam non eſſe à Deo, in qua re neſcio quid diſſtet à ſententia Durandi, quam vel ipſe reprobat,præter hoc,inquam,in eo,quod ait,Deum non eſſe cauſam deformitatis peccati, quia illa non conſequitur ex natura rei ad actum peccati, niſi quatenus talis actus procedit ex libero arbitrio, non ſatisfacit quæſito, & dicit idem per idem. Nam de hoc eſt quæſtio, cur cùm Deus concurrat ad omnem entitatem poſitiuam peccati ſecundùm omnes illius circunſtantias, & concurrat liberè, & cum plenissimo iudicio, ſicut libetum arbitrium creatum: nihilominus deformitas, quæ eſt in actu peccati, tribuatur libero arbitrio creato,& non diuino. Rurſus quod ait, poſſe Deum velle actum peccati, abſque eo quòd velit inordinationem; quia inordinatio non eſt naturaliter connexa actui peccati, & poteſt ipſe actus eſſe ſine tali deordinatione, videtur recurrere in opinionem Ricardi, & Gabrielis ſuprà confutatam;nec ſufficit ad difficultatem ſoluendam. nam licet inordinatio nõ ſit naturaliter connexa actui peccati, quatenus eſt actus naturalis ſecundùm ſe conſideratus: tamen ſi conſideretur idem actus, vt factus à creatura rationali cum pleno iudicio, & perfecta deliberatione cum tali,& tali circunſtantia,impoſſibile eſt, ab huiuſmodi actu ſeparari deformitatem, & inordinationem. Et de hoc actu ſic conſiderato eſt quæſtio, cur cùm Deus concurrat ad illum, quatenus eſt actus talis creaturæ factus cum perfecto iudicio, & plena deliberatione, cum iſtis,aut illis circunſtantiis, cum quibus non poteſt nõ eſſe actus moraliter malus, nihilominus ſola creatura ſit cauſa moralis malitiæ,& non Deus.Tandem in eo,quod vltimo loco ait, Deum non eſſe cauſam deformitatis peccati, quia deformitas non conſequitur ex modo operandi Dei, ſed ex modo operandi creaturæ, quia Deus operatur ſecundùm dictamen rectæ rationis,quæ dictat,vt primum agens permittat,& non tollat liberum arbitrium, & det ei neceſſaria ad operandum,videtur quidem verã huius difficultatis ſolutionẽ tangere,ſed illã nõ perfectè declarat.

X. D.Thom. D.Thom. duobus modis videtur hanc difficultatem ſoluiſſe,ſi tamen iſti duo modi in re non in vnum conueniunt. Primus modus eſt, quẽ tradit in 1.2.q.80.art.1.ad 3.dicens, quòd Deus eſt vniuerſale principiũ omnis interioris motus humani: ſed quòd determinetur ad malum conſilium voluntas humana, hoc directè quidem eſt ex voluntate humana, & à Diabolo per modũ perſuadentis,vel appetibilia proponentis.& ſupra q.9.a.6.ad 3.ait, quòd Deus mouet voluntatẽ hominis, ſicut vniuerſalis motor ad vniuerſale obiectũ voluntatis, quod eſt bonum; & ſine hac vniuerſali motione homo nõ poteſt aliquid velle.Sed homo per rationẽ determinat ſe ad volendũ hoc, vel illud,quod eſt verè bonũ, vel apparens bonum. ſed tamen interdum ſpecialiter Deus mouet aliquos ad aliquid determinatè volendũ,quod eſt bonum ſicut in his,quos mouet per gratiã.Secundus modus traditur in q.3.de malo art.2. in corp. vbi ait: *Cùm Deus ſit primum principium motionis omnium, quædam ſic mouentur ab ipſo, quòd etiam ipſa ſe ipſa mouent, ſicut quæ habent liberũ arbitrium, quæ ſi fuerint in débita diſpoſitione ad recipiendam motionem, quæ mouentur à Deo ſequuntur bonæ motiones, quæ totaliter reducuntur in Deum, ſicut in cauſam. Si autem deficiant à debito ordine, ſequitur actio inordinata, quæ eſt actio peccati. Et ſic id, quod eſt ibi de actione, reducitur in Deum ſicut in cauſam. Quod autem eſt ibi de inordinatione, vel deformitate non habet Deum cauſam, ſed ſolum liberum arbitrium.* Idem habet ad 2.argumentum. & clarius in 1.2. quæſt. 79. artic. 2. vbi dicit, quòd Deus eſt cauſa omnis actionis, inquantum eſt actio: ſed peccatum nominat ens, & actionem, cum quodam defectu. Defectus autem iſte eſt ex cauſa creata, ſcilicet libero arbitrio, inquantum deficit ab ordine primi agentis.

Vnde

Vnde defectus iſte non reducitur in Deum, ſicut in cauſam, ſed in liberum arbitrium, ſicut defectus claudicationis reducitur in tibiam curuam, ſicut in cauſam, non autem in virtutem motiuam, à qua tamen claudicatur quidquid eſt motionis in claudicatione.

XI. Hæc doctrina veriſſima eſt, & ex D. Auguſtino non vno in loco accepta, vt videre eſt in 2. de lib. arbitr. cap. 2. & lib. 3. cap. 1. & lib. 12. de Ciuitate cap. 7. & alibi. Non eſt tamen intellectu facilis, nec facilè ab eius ſectatoribus explicata. Pro cuius intelligentia, & propoſitæ difficultatis ſolutione notandum eſt, laborem, qui Doctores manet in hoc dubio ſoluendo, quíque illos in tot ſententias ire cogit, quantum videre poſſum, ex eo naſci, quoniam in eorum ſolutionibus ipſius difficultatis, & dubitationis radicem non attigerunt. Ea verò in hoc ſita eſſe videtur, quia duobus modis imaginari poſſumus, Deum exhibere homini ſuum concurſum ad actionem peccati. Vno modo, vt determinatum in particulari ad talem actum cum talibus circumſtantiis ex intentione efficaci, vt ſequatur talis actus, & hoc ante præuiſam quamcunque determinationem liberam voluntatis creatæ ad talem actum: immo exhibere talem concurſum non ſolùm in ſe determinatum ad hanc particularem actionem, ſed phyſicè, & efficaciter determinantem voluntatem creatam ad hanc actionem, quoad omnem illius entitatem naturalem, & quoad omnes illius circunſtantias poſitiuas: & ita efficaciter determinantem, vt præmoueat ad talem actionem præmotione, cui ob illius energiam voluntas creata, vt ſubſtans illi motioni non poſſit non apponere ſuum conſenſum, & concurſum in actum ſecundum, quem conſequitur moralis malitia. Alio modo poſſumus imaginari, Deum exhibere homini ſuum concurſum ad actum peccati, non quidem ex ſe determinatum potiùs ad hunc actum particularem, quem conſequitur malitia peccati, quàm ad actum oppoſitæ virtutis, neque ex intẽtione, vt talis actus ſequatur: neque quòd ab æterno prædefinierit talem actum in particulari, prædefinitione antecedenti, etiam quatenus actus naturalis eſt: neque quòd in tempore phyſicè prædeterminet voluntatem creatam ad talem actum in particulari eum talibus circunſtantiis: ſed ſolum quia cùm libertatem voluntatis creatæ omnino illæſam ſeruare decreuerit, non poteſt non exhibere illi omnem concurſum neceſſarium ad omnem operationem, ad quam ipſa voluntas ſeipſam voluerit pro ſua libertate determinare, ſiue ad bonum, ſiue ad malum; licèt quod ex ſe eſt, eo fine ſuum concurſum voluntati exhibeat, vt voluntas eo vtatur in bonum, & voluntas ipſa diuino concurſu contra Dei voluntatem non abutatur.

Auguſtin.

Et quidem ſi primo modo concipiamus, Deum concurrere ad actum peccati, impoſſibile videtur, Deu eſſe cauſã actus peccati quoad materiale, ſiue etiam quoad naturalem eius entitatem, & non eſſe etiam cauſam peccati, quatenus peccatum eſt. Atque iſtud eſt præcipuum fundamentum erroris Caluiniani in aſſerendo, Deum eſſe autorem, & cauſam omnis malæ operationis, ſicut eſt cauſa boni operis, & in enertendo humanam libertatem tum in actu peccati, cum in aliis omnibus actionibus. Quoniam arbitratur, diuinam prædefinitionem, & diuinæ motionis energiam (vt eius vocabulo vtar) tum omnes alias cauſas, tum præcipuè humanas voluntates ad quoduis opus ita efficaciter promouere, vt aliter facere non poſſint, quam quod reipſa faciunt. ita indicant illius verba, cum ait, lib. 2. Inſtitut. cap. 4. §. 2. *Omitto hic vniuerſalem Dei motionem, vnde creatura omnes, vt ſuſtinentur, ita efficaciam quidquid agendi accipiunt. de illa ſpeciali actione tantum loquor, quæ in vnoquoque facinore apparet. Idem ergo facimus Deo, Satanæ, hominis aſſignari, videmus non eſſe abſurdum.* Quibus verbis conſimilia ſunt in ſenſu, quæ habet Beza in reſponſione ad Caſtalionem de æterna prædeſtinatione in refutatione ſecundæ calumniæ, cùm ait: *Quærenda eſt vitiorum origo in inſtrumentorum ſpontaneo motu, quo fit, vt Deus iuſſe decreuerit, quod illi iniuſtè fecerunt. Etenim dices, non potuerunt reſiſtere Dei voluntati, id eſt, decreto. fateor: ſed ſicut non potuerunt, ita etiam noluerunt. Verum non poterant aliter velle, fateor, quoad euentum, & energiam, ſed voluntas tamen Adami coacta non fuit.* Energia verò idem ſignificat, quod efficacitatem cauſæ alicuius ad alias cauſas mouendas.

Caluin.

Beza.

XII. Si autem ſecundo modo concipiamus, Deum concurrere cum voluntate creata ad actum peccati, facilè intelligimus, illum ad omnem entitatem poſitiuam, & naturalem, quæ reperitur in peccato concurrentem, ipſius tamen malitiæ moralis, atque peccati minimè cauſam eſſe. Quia nanque ſicut ad decorem, & perfectionem vniuerſi creaturam liberè agentem condere voluit, ita eiuſdem creaturæ libertatem vult ſeruare; ideo licèt ad eandem libertatem ſeruandam velit illi ſuum concurſum præbere, quoties ipſa illo vti voluerit: tamen concurſus, quem illi effert, eſt de ſe indifferens ad actionem moraliter bonam, aut ad eius oppoſitum; neque ex tali concurſu humanæ actiones habent malitiam adiunctam, neque per talem concurſum Deus voluntatem ad actum, cui adiuncta eſt malitia, inclinat, neque ad eum dirigit, immo quod ex ſe eſt, potiùs vellet, talem actum non eſſe, ſi & homo pro ſua libertate ita vellet, quam ob cauſam illum prohibet, & deteſtatur. Sed quòd à voluntate creata proueniat hic actus moraliter malus potius quàm oppoſitus, id prouenit ex libero arbitrio creato, quod in agendo ſua libertate, & diuino concurſu contra Dei voluntatem abutitur ad malũ opus, ad quod non ſunt illi à Deo iſta collata. Atque inde fit, vt cùm Deus ſit cauſa operis, cui eſt adiuncta malitia, non tamen ſit cauſa malitiæ, neque ille eam operi adiungit, ſed voluntas creata, quæ diuino concurſu abutitur contra Dei voluntatem.

XII.

Hoc itaque pacto propoſitam difficultatem arbitramur planè, & plenè diſſolui poſſe. cùm dicitur, qui autor eſt operis, cui inſeparabiliter adiuncta eſt materia, videtur autor eiuſdem malitiæ. Reſpondemus, hanc propoſitionem ſic eſſe limitandam. Qui autor eſt operis, cui annexa eſt malitia, quatenus tali operi annexa eſt malitia, vel quatenus tale opus ſecundùm ſuam ſpeciem eſt moraliter malum, eſt etiam autor malitiæ: Cæterùm Deus concurrens ad actum peccati, eſt quidem autor operis, cui annexa eſt malitia, non tamen eſt autor talis operis, quatenus habet annexam moralem malitiam, vel quatenus eſt opus malum in tali ſpecie determinata. Quia diuinus concurſus, quatenus offertur, & exhibetur à Deo, offertur & exhibetur indifferenter ad actum moraliter malum, & ad eius oppoſitum. Sed autor talis operis quatenus habet malitiam adiunctam, & eſt opus moraliter malum in tali ſpecie determinata, eſt ſola voluntas creata, quæ pro ſua libertate determinat diuinum concurſum

Digitized by Google

cursum ad opus malum, potius quàm ad bonum. Vnde licèt Deus autor sit operis, quatenus naturalis actus est: tamen tota moralis malitia in solam voluntatem creatam abutentem diuino concursu est refundenda; sicut cùm quis abutitur gladio ad hominem occidendum, homicidium non debet imputari artifici, qui gladium fabricauit, quia artifex rem fabricauit, cuius vsus indifferens est ad bonum, & malum. Hanc responsionem non dubito prorsus esse ad mentem D. Thom. sicut videri potest in locis hoc capite allegatis: eam namque manifestè præseferunt illa eius verba: *Deus est vniuersale principium omnis interioris motus humani: sed quod voluntas determinetur ad malum consilium, hoc directè habet à seipsa, & à Diabolo, vt suadente, vel proponente obiectum.* & illa. *Deus mouet voluntatem hominis, vt vniuersalis motor, ad vniuersale obiectum voluntatis, quod est bonum: sed homo per rationem determinat se ad volendum hoc vel illud, quod est verè bonum, id est, ad obiectum moraliter bonum, vel apparens bonum, id est, ad actum moraliter malum.* & alia eius verba citata ex q. 3. de malo art. 2. & 1. 2. q. 79. a. 1. Hanc eandem responsionem fortasse intenderunt Scotus, & Melchior Cano, cùm dixerunt, Deum non esse causam malitiæ moralis, quæ inest actui humano: quia concurrit ad eumdem actum, non vt causa moralis, sed vt causa naturalis: quia scilicet causa moralis est illa, quæ determinat concursum causæ superioris ad determinatam speciem talis actus, Deus verò exhibet suum concursum non determinatum potiùs ad hunc actum, quàm ad oppositum, sed indifferentem, sicut causæ superiores naturales exhibent suum concursum inferioribus indifferentem, & determinandum ab ipsis causis inferioribus, vt patet de concursu Solis ad generationem sublunarium. Eandem responsionem videtur indicare Bartholomæus Medina loco citato, cùm inquit in §. *Vltimò obseruandum: Nam Deus cùm concurrit ad actum peccati, facit hoc conformiter ad regulam, non solùm quia ipse est regula, quæ non habet superiorem, sed quia operatur secundùm dictamen rectæ rationis: dictat enim recta ratio, quòd primum agens permittat, & non tollat liberum arbitrium, & dei ei necessaria ad operandum. Itaque quamuis Deus concurrat ad actum peccati, & defectum, non tamen concurrit defectuosè, & peccando.* Eandem responsionem probat Nazarius 1. p. q. 22. a. 4. contr. 3. §. *Quinto explicandum est.* & conclus. 5. & 6. cùm docet, Deum non determinatè voluntatem creatam ad actum naturalem peccati, priusquam voluntas seipsam determinet ad speciem mali moralis: sed è contrario voluntatem creatam primò seipsam determinare ad speciem mali moralis, & post dictam voluntatis determinationem, Deum illam determinare ad actum secundùm speciem eius naturalem. Et eadem ratione præuisa dicta voluntatis determinatione ad speciem actus moralem, prædefiniuisse actum illius secundùm speciem naturalem; quia quod Deus operatur in tempore, prædefiniuit ab æterno se facturum. Omitto Cardinalem Bellarminum, Franciscum Suarez, Ludouicum Molinam, & alios viros doctos, de quorum mente in hoc nullus dubitat. Huius autem responsionis veritas ex dicendis tota controuersia sequenti magis ac magis apparebit.

D. Thom.

Medina.

Nazarius.

CAPVT XV.

Proponitur tertia controuersia principalis de diuina cooperatione cum secundis causis.

I. SOlutio proximè adhibita argumento adducto pro sententia hæreticorum, contendentium, Deum peccatorum nostrorum causam esse, statim aliam grauissimam excitat controuersiam non solùm inter Catholicos, & hæreticos, sed inter ipsosmet Catholicos de concursu, & cooperatione Dei cum secundis causis, præcipuè cum voluntate creata ad illarum operationes, quæ à nobis hoc in loco suam postulat solutionem. Et est controuersia tum de re, tum de modo. De re, an Deus verè cooperetur secundis causis ad illarum actiones, & ad effectus, quos ipsæ secundæ causæ per suas actiones producunt concursu, & cooperatione immediata immediatione tum virtutis, tum suppositi: an verò sola cooperatione mediata, & remota, quatenus tribuit esse, & vim agendi secundis causis, & illas in esse conseruat. De modo, an concursus diuinus sit per modum principij, an solùm per modum actionis, siue sub aliis terminis, an sit influxus in secundas causas, & in illarum effectus, an solùm sit influxus cum secundis causis in effectus, non autem in ipsas secundas causas. Esse verò hanc controuersiam grauissimam, neque posse vllo modo absque præiudicio manifesto, & graui huius causæ, quam cum hæreticis agimus, dissimulari, ex hoc euidenter apparet, quòd Caluinus, & eius sectatores ad humani arbitrij libertatem euertendam non solùm quoad actus moraliter malos, de quibus in præcedentibus dictum est, sed etiam quoad alias quascunque actiones, arbitrantur efficax argumentum sumere se posse ex efficacitate, & (vt aiunt) ex energia diuinæ motionis, sicut illa Caluini verba ex 2. Institutionum cap. 4. §. 2. citata ostendunt. *Omitto hic vniuersalem Dei motionem, vnde creaturæ omnes, vt sustinentur, ita efficaciam quidquæ agendi ducunt.* Disputandum est igitur primò de re, secundò de modo. Caluin.

II. Et quidem de re, an Deus per seipsum immediatè concurrat ad actiones secundarum causarum præsertim humanæ voluntatis, ita vt cooperetur ipsis secundis causis cooperatione, quæ immediatè attingat effectus ipsarum causarum secundarum, & eorundem effectuum productionem, duo referuntur errores extremi. Alter eorum, qui negant Deum per se immediatè cooperari actioni secundarum causarum cooperatione, quæ immediatè attingat illarum effectus, & eorum productionem. Alter eorum, qui in aliud extremum incidentes, dixerunt, Deum ita cooperari cuilibet actioni cuiuscunque secundæ causæ, vt secundæ causæ verè & propriè nihil operentur, sed solus Deus in illis, & per illas verè cooperetur. Primus error hoc capite, secundus sequentibus refutandus est.

Primi erroris autor communiter asseritur Durandus in 2. d. 1. q. 1. & d. 37. q. 1. Nam distinctione 1. vniuersaliter contendit, Deum conferre quidem esse, & virtutem agendi secundis causis, & eandem virtutem conseruare: non tamen per seipsum immediatè concurrere cum illis ad earum actiones, neque immediatè cùm illis cooperari ad productionem effectuum illarum. Distinctione verò 37. specialiter loquitur de actione moraliter mala,

mala, quæ habet moralem malitiam annexam, & ait, Deum non esse causam propinquam talis actionis, sed solùm remotam, nimirum, quia naturam humanam cum libero arbitrio condidit, non quòd cum illa immediatè concurrat, & cooperetur ad talem actionem. Huius tamen erroris Durandus non fuit primus autor: nam quod primo loco negat absolutè, & vniuersaliter Deum immediatè cooperari ad actiones secundarum causarum, id quoque negauerunt olim nonnulli ab Augustino relati lib.5. de Genesi ad literam c. 20. *Sunt* (inquit) *qui arbitrantur tantummodo mundum ipsum factum à Deo, cætera iam fieri ab ipso mundo, sicut ille ordinauit, & iussit; Deum autem ipsum nihil operari.* Eiusdem etiam opinionis ante Durandum meminit Albertus Magnus, d.35. a.7. licèt tacito nomine autoris. Quod etiam secundo loco ait, Deum non concurrere immediatè ad actionem, cui est annexa moralis malitia, sed illam immediatè produci à sola voluntate creata, docuerunt ante illum nonnulli relati à Magistro dicta distinct.37. illámque conati sunt probare apparentibus autoritatibus D. Augustini. Quorum sententiam non solùm Magister ibi non confutat, sed etiam post Magistrum præter Durandum probabilem crediderunt Antisiodor. lib. 2. summæ tract.17.c.3.& Greg. Arim. & Autcolus ab eo relatus eadem d.37.q.1.

Albertus.

Antisiodor. Gregor. Autcol.

III. Hæc nihilominus sententia cuiuscunque fuerit autoris tanquam error in fide ab omnibus Catholicis reiicitur,& meritò. Pugnat enim non solùm cum ratione,& communi sensu Scholasticorum,& Patrum, sed cum euidenti autoritate diuinæ Scripturæ. Et quòd pugnet cum diuina Scriptura probatur: quia diuina Scriptura docet, Deũ suis manibus plasmare, & formare hominem in vtero matris, cuius tamen generatio sit etiam per secundas causas. Iob cap.10. *Manus tuæ fecerunt me, & plasmauerunt me totum in circuitu.* Et ne quis dicat, hæc ad animam esse referenda, quæ à solo Deo creatur, subiungit, *nónne sicut lac mulsisti me, & sicut caseum me coagulasti? pelle, & carnibus vestisti me, ossibus, & neruis compegisti me, vitam & misericordiam, &c.*& Ierem.c.1. *Priusquam te formarem in vtero noui te.* Et in Psalm.138. *Non est occultatum os meum a te, quod fecisti in occulto, & substantia mea in inferioribus terræ.* Quo in loco omittenda non est vis lectionis Hebraicæ, quæ hanc veritatem appositissima translatione mirabiliter declarat. Pro eo namque quod nos legimus, *& substantia mea in inferioribus terræ*, Hebraicus textus habet רקמתי בתח תחתי ארץ *Ruchamethi bethac thiod aretz.* Quod ad literam sonat, *acu pictus fui in inferioribus terræ.* Sumptaque est metaphora ab iis, qui vestes acu pingunt, quod voce etiam ex Hebræis accepta dicimus, recamare, quòd scilicet corpus humanum tanquam speciosissimam animæ vestem admirabili sapientia Deus suis manibus acu pingere voluerit. Neque solùm humana corpora dicitur Deus suis manibus pingere,& formare ex seminibus creatis, sed alia etiam infima,& vilissima apud eumdem Iob cap.26. ibi, *& obstetricante manu eius eductus est coluber tortuosus.* apud Lucam c.12. *Si fœnum agri, quod hodie est,& cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit?* Apud D.Paul.1. ad Corinth. cap.15. *Quod seminas, non corpus, quod futurum est seminas, sed nudum granum, vtputa tritici, aut alicuius cæterorum. Deus autem dat illi corpus, sicut vult, & vnicuique seminum proprium corpus.* & sup. c.3. *Neque qui plantat, neque qui rigat, est aliquid, sed qui incrementum dat Deus.*

Deinde eadem Scriptura conceptis verbis docet, Deũ operari in nobis opera nostra,& nos dũ operamur, Dei cooperatione indigere, & sine illa nihil posse operari. Isaiæ 26. *Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine.* Apud Ioan.c.5. *Pater meus vsque modò operatur, & ego operor.* Et c.15. *Sine me nihil potestis facere.* Et in Actis Apostolorum 17. *In ipso viuimus, & mouemur, & sumus.* Et ad Philippenses 2. *Deus est, qui operatur in nobis velle, & perficere.* & cap.1. *Qui cœpit in vobis opus bonum, ipse perficiet.* & 1. ad Corinth.15. *Abundantiùs omnibus laboraui, non ego autem, sed gratia Dei mecum.*

Ad hæc, dicuntur aliquando homines esse in manu Dei, sicut gladij, & virgæ, & ferræ, Isaiæ cap. 10. isti autem modi loquendi si non indicant, Deum cooperari intimè ad quamlibet actionem cuiuslibet creaturæ, neque per alium quenuis modum id poterit euidentiùs demonstrari.

IV. Quod etiam pugnet cum autoritate sanctorum Patrum probatur. Eam nanque ex instituto impugnat D. Augustinus lib.5.de Genesi ad lit. cap. 20. dicens, *Sunt, qui arbitrantur, tantummodo mundum ipsum factum à Deo, cætera iam fieri ab ipso mundo, sicut ille ordinauit, & iussit, Deum ipsum autem nihil operari. Contra quos profertur illa sententia Domini: Pater meus vsque modò operatur.* & ad eandem sententiam refutandam adducit testimonium Apostoli proximè citatum ex epistola prima ad Corinth. cap.15. & tandem concludit in hæc verba. *Monet itaque occulta potentia vniuersam creaturam suam: eóque motu illa versata, dum Angeli iussa perficiunt, dum circumeunt sidera, dum alternant venti, dum abyssus aquarum lapsibus, & diuersis etiam per aerem conglobationibus agitatur, dum vireta pullulant, suaque semina euoluunt, dum animalia gignuntur, varióque appetitu proprias vires agunt, dum iniqui iustos exercere permittuntur, explicat sæcula, qua illis cùm primùm condita sunt, tanquam implicita indiderat, qua tamen in suos cursus non explicarentur, si ea ille, qui condidit prouido motu administrare cessaret.*

Augustin.

Et suprà lib.4. toto cap.12. probat necessitatem diuinæ cooperationis, sine qua creaturæ dilaberentur, & præter testimonium ex Euangelio Ioan. cap.5. & aliud testimonium ex Actis Apostolorum cap.17. suprà allegata adducit autoritatem illam ex lib. Sap.8. *Attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter.* Et verba illa Genes. cap.2. *& requieuit Deus die septimo ab omni opere, quod patrarat.* exponit sic, *quia vltrà non condidit noua genera rerum.* & lib.9.cap.15. ad idem probandum adducit testimonium allegatum ex priori ad Corinth. cap.3. & lib.22. de Ciuitate cap.24. ait, *Efficacem quippe potentiam suam si rebus subtrahat, nec progredi poterunt, & suis dimensis motibus peragere tempora: nec prorsus in eo, quòd creata sunt, aliquatenus permanebunt.* Et lib.3.de Trinitat. dicit, quòd voluntas Dei est prima, & summa causa omnium corporalium specierum, atque motuum. Legatur idem Aug.in epistola 146.ad Consentium.

D. Gregorius Nazianz. orat.4. de Theologia. Cyrill.Alex. lib.2. in Ioan.cap.133. Chrysostom. homil.37. in Ioan. exponentes illa verba apud Ioan.5. *Pater meus vsque modò operatur.* dicunt, sic esse intelligenda, quòd Deus Pater operatur etiã in Sabbato propter rerum gubernationem, conseruationem, & productionem, & generationem etiam in Sabbato.

D.Greg

D.Greg. Roman. lib.16. Moral. cap.18.inquit, *omnia, quæ creata sunt, per se nec subsistere prævalent, nec moueri: sed in tantum subsistunt, inquantum vt esse debeant, acceperunt, in tantum mouentur, in quantum occulto instinctu disponuntur.*

D. Prosper in lib. sententiarum ex Augustino excerptarum sententia 281, per totam illam sententiam,probat eandem veritatem,vt patet legenti.

D.Anselm. lib.de casu Angeli c.20.& lib. concordiæ c.2. docet, Deum esse causam efficientem omnium actuum humanorum,etiam illorum, qui mali sunt, quoad illorum entitatem excepta malitia.

V. Tertiò quòd sit contra communem consensum omnium Scholasticorum, non est difficile probare. Omnes enim præter Durandum,& vnum, aut alterum non magnæ autoritatis sententiam Durandi reiiciunt tanquam errorem in fide. Legantur D.Thom. Scot. Bonauent. Ricardus,Gabriel, Maior in 2.d.37. Item D. Thom. 1. p.q.105. art.5. vbi Caietan.& Bañes. & 1.2.q.79. art.2.vbi Medina, & Corradus,& Vasquez, & 3. contra Gentes cap.7. vbi Ferrar.& Bonauent. in 1.d.45.art.2.q.2. & in 2.d.35. art.1.q.1. Capreol. in 2.d.1. q.2. art. 3. Ad argumenta contra secundam conclus. Suarez disput.22. Metaph. sect.1. Pererius lib.8. de Principiis c.8. Iul.Sirenius lib.8.de fato c.12. Albertus Magnus,Heruæus, Alex.Alens.& alij, quos citant Suarez loco allegato,& Vasquez 1.2. disp. 129.c.3. & vt vnico verbo omnia complectamur, quotquot reperiri possunt de hac re inter Catholicos scribentes.

D.Thom. Caietan. Bañez. Medina. Conradus. Vasquez. Ferrariens. Bonau. Capreol. Suarez. Pererius. Sirenius. Vasquez.

VI. Demum quòd eadem sententia Durandi sit contra euidentem rationem deductam ex principiis veræ Theologiæ, sic ostenditur. Quilibet effectus cuiuscunque causæ creatæ pendet à Deo quoad hoc, vt conseruetur. ergo pendet à Deo quoad suum esse. Ergo quoad suum fieri. & loquor de dependentia immediata. Antecedens est de fide,quia habetur expressum in sacra Scriptura Sapientiæ cap.11. Inquit nanque: *Quomodo autem posset aliquid permanere, nisi tu voluisses, aut quod à te vocatum non esset conseruaretur?* Et videri possunt quæ ad illud probandum scribunt D. Augustinus lib 4.de Genes. ad lit. c.12. & aliis in locis proximè citatis,& D.Gregor.suprà citatus,& D.Thom. cum commentatoribus 1.2.q.104.art.1. Prima verò sequela est necessaria, quia nulla ratione ostendi poterit, quòd res, quæ à se habet esse independens, neque ab alio pendet quoad hoc, vt sit,pendeat ab illo, quoad hoc, vt conseruetur in esse ab illo. Quid enim necesse est conseruari ab eo, sine quo res potest esse? Si igitur res pendet à Deo, vt conseruetur; multo magis pendet ab eo quoad hoc, vt sit. Si autem pendet à Deo quoad esse, multo magis quoad fieri. Videtur enim aliquid ab alio pendere quoad fieri,quod tamen non pendet ab illo, postquam factum est: nihil autem pendet ab alio quoad esse, quod non pendeat ab illo, quoad fieri.Idem autem sunt, effectus secundarum causarum pendere à Deo quoad fieri, & Deum cooperari illorum effectioni.Ergo qua certitudine certum est,omnes effectus productos per actiones secundarum causarum pendere à Deo quoad illorum esse, & conseruationem, eadem prorsus certitudine tenendum est, Deum cooperari secundis causis ad illorum effectionem.

Augustin. Greg.Mag. D.Thom.

VII. Secundò probatur falsitas eiusdem opinionis sic. Deus per solam subtractionem, aut negationem sui concursus, & suæ cooperationis priuat secundam causam sua operatione. Ergo ad hoc,vt secunda causa operetur, necessaria est diuina cooperatio. Antecedens habemus ex lib. Danielis cap.3. Ignis nanque fornacis Babylonicæ manente propria substantia, priuatus est propria operatione combustiua erga tres illos pueros in fornacem iniectos, quam tamen operationem exercuit in carnifices illos, qui pueros in fornacem iniecerunt. Quod cùm non effecerit per aliquod impedimentum extrinsecùs obiectum ipsi igni,nulla alia ratione videtur factum,nisi per subtractionem diuinæ cooperationis: quod videtur innuere lib. Sap.c.16.in illis verbis,*Hoc autem iterum, vt nutrirentur iusti,ignis etiam suæ virtutis oblitus est.Creatura enim tibi factori deseruiens exardescit in tormentum aduersus iniustos,& fit lenior ad benefaciendum iis, qui in te confidunt.* Atque hoc pacto fortasse intelligendum est id,quod ait Dauid in Psal.28. *Vox Domini intercidentis flammam ignis.* quod Basilius homil.5. in illum Psalm. & alij sic intelligunt, vt cùm in flamma ignis duo reperiantur, vis combustiua, & illuminatiua, Deus pro sua voluntate hæc duo abinuicem seiungat, ita vt nonnunquam ignis habeat vim combustiuam sine illuminatione,qualis est ignis inferni: aliquando verò illuminet absque adustione, qualis fuit ignis fornacis Babylonis, & ignis multis Martyribus admotus. Quæ omnia efficit Deus per solam sui concursus subtractionem. Quando enim concursum suum subtrahit ad illuminandum, & illum præbet solùm ad comburendum, ignis comburit, & non illuminat. Quando verò præbet concursum ad illuminandum, & non ad comburendum, ignis illuminat,nec vrit.

Basilius.

VIII. D.Thom.2. d.37. q.2. art.1. præter prædictas rationes, quæ etiam ab illo virtualiter ibi tanguntur,alia ratione probat falsitatem prædictæ opinionis, quam dicit proximam errori. Quia data illius veritate videtur, quòd sint admittenda plura prima principia. Consequentia probatur: quia de ratione primi principij est, vt possit agere sine auxilio,& influentia prioris agentis. Verùm Durandus non dicit,quòd voluntas,aut alia creatura possit agere sine auxilio, & influentia Dei in ipsâ causam,quo auxilio, & influentia dat virtutem agendi ipsi causæ creatæ,& illam conseruat: sed dicit solùm, quòd talis influentia sistit se in causa, & non progreditur immediatè in effectum. Et posset etiam dicere Durandus, quòd actio creaturæ reducitur in primum principium agens, quod est Deus, non immediatè, sed mediatè.

Scotus argumentatur.Si Deus non concurreret immediatè ad actionem cuiuslibet causæ creatæ, non esset omnipotens.Verùm Durandus,aut alius contrarium sentiens fortasse responderet,non cõcurrere Deum ad ipsas actiones immediatè, non ob impotentiam, sed quia superflueret talis concursus, cùm causa creata habeat vim sufficientem ad producendos effectus sibi proportionatos; Deus autem sicut non deficit in necessariis,ita non abundat in superfluis.Adderet etiam repugnare,& contradictionem implicare,eundem effectum produci à duabus causis perfectis,& immediatis eiusdem ordinis.

IX. Suarez disput.22. Metaph.sect.1.n.8.dicit,hanc veritatem probari posse ratione naturali, affértque ad idem probãdum multas rationes, quæ exceptæ sunt ex D.Thoma loco proximè citato, & 3.contra Gentes c.66. & 67. Addit etiam autoritatem Aristotelis lib.7. Physic.c.1. & lib.8. c.5. & lib.2.Metaph.c.2. vbi dicit,quòd in agentibus per

se

ſe ſubordinatis inferiùs non poteſt agere ſine influxu ſuperioris, & Platonis, qui, referente Damaſceno in lib. ſuæ Philoſ. cap. 9. dixit, ſecundas cauſas eſſe inſtrumenta primæ cauſæ, & Mercurij Triſmegiſti in quodam Dialogo nomine, Crater, dicentis, Deum vbique præſentem ſemper agere omnia, & Philonis Alexandrin lib. quòd mundus ſit incorruptibilis.

Verùm etſi rationes optimæ ſint, poſſet tamen vnica reſponſione illarum vis declinari, dicendo ſufficere, quòd cauſæ inferiores pendeant à ſuperiori, & in eſſendo, & in agendo; & quòd ipſæ ſecundæ cauſæ, & etiam illarum operationes pendeant à diuino influxu, non quidem immediato, ſed mediato, ſicut videntur dixiſſe Philoſophi.

X. De autoritate etiam Philoſophorum curandum non eſt, nec debet Theologus in ea vim facere ad veritatem hanc probandam: Quia autoritas Ariſtotelis, & Platonis in hoc potius obeſt Catholicæ veritati, quàm proſit. Primò nanque incertum eſt, an Deus hæc inferiora, materialia ſaltem, cognoſcat, & intelligat notitia particulari, & diſtincta, & probabilius eſt ex iſtorum Philoſophorum ſententia illa diſtinctè non cognoſcere, vt dictum eſt lib. 3. cap. 2. Secundò dubium eſt, an ſit cauſa efficiens mundi per veram efficiétiam Et licèt veriùs crediderim de mente illorum mundum pendere à Deo in genere cauſæ non ſolùm conſeruantis, ſed etiam efficientis, vt hoc eodem lib. oſtendi, tamen probabilius eſt, non omnia pendere immediatè à Deo, ſed inferiora mediantibus ſuperioribus, vt c. 1. oſtendimus. Tertiò dubium eſt, an Deus moueat mundum in genere cauſæ efficientis, an ſolùm in genere cauſæ finalis. Et licèt probabilius ſit, mouere etiam in genere cauſæ efficientis, eſt tamen ſententia conſtans Ariſtotelis, primam cauſam non mouere hæc inferiora niſi mediante motu, & lumine corporis cæleſtis. Quare ſententia Ariſtot. & Platonis mihi ſemper viſa eſt cum hac veritate directè, & apertè pugnare. Non enim eſt hic quæſtio de concurſu, & cooperatione Dei ad actionem ſecundæ cauſæ mediata, ſed de immediata. Vnde cùm Philoſophi concedant, Deum concurrere cum ſecundis cauſis ad illarum actiones, & ſecundas cauſas non mouere, niſi quatenus ſunt motæ à prima cauſa, & nihilominus conſtet, illos loqui de concurſu non immediato, ſed mediato, poſſet aduerſarius ipſos Philoſophos in ſuas copias traducere, & illorum autoritate ſuas reſponſiones fulcire. Et quamuis licitum ſit mulierem alienigenam amputatis vnguibus, & capillis ſumere in vxorem ad filios procreãdos, & Ægyptiorum ſupellectilé in vſum Tabernaculi conuertere, & Theologum mundanam philoſophiam in famulam aſſumere, vt Auguſtin. & Hieronymus docent: non tamen oportet mentiri, & Philoſophis imponere, quod illi non dixerunt ad veritates catholicas probandas. Quia Deus, & veritas non indigent noſtris mendaciis: Obéſtque plurimum ipſi veritati apud infideles, velle eam ementitis Philoſophorum teſtimoniis comprobare, propter cauſas ab Auguſtino in 1. & 2. de Geneſi ad liter. aſſignatas. *Auguſt.*

XI. Dicendum igitur ſecundum fidem Catholicam, Deum concurſu, & cooperatione immediata cooperari cuilibet actioni cuiuſcunque cauſæ creatæ, ita vt eadem numero actio ſit immediatè à Deo, & ab ipſa ſecunda cauſa quoad totam & integram illius entitatem naturalem, & realem; atque hanc veritatem, ſiue ratione naturali ſufficienter valeat demonſtrari, ſiue nõ, ſiue Philoſophi agnouerint, ſiue non: neque enim neceſſe eſt Platonem, & Ariſtotelem omnes veritates lumine naturæ cognoſcibiles agnouiſſe, aut omnem veritatem naturaliter demonſtrabilem actu eſſe demonſtratam) ita certam eſſe, vt oppoſitum ſit error manifeſtus in fide, propter autoritates diuinæ Scripturæ apertas, & interpretationem, atque conſenſum Sanctorum Patrum, & omnium Scholaſticorum.

Gabr. Pennot. libert. de hum.

CAPVT XVI.

Argumenta Durandi afferuntur, & ſoluuntur.

I. PRimum, ac præcipuum argumentum, quo Durandus nititur ſuam ſententiam probare, eſt huiuſmodi. Si Deus immediatè cõcurrit ad actionem cauſæ ſecundæ, & ad producendum effectum cauſæ ſecundæ, vel concurrit eadem actione qua cauſa ſecunda producit ſuum effectum, vel diuerſa. Non eadem actione. Primò, quia ſecunda cauſa per ſuam virtutem ſufficiens eſt ad eliciendam talem actionem ſine ſpeciali influxu Dei. Ergo ſuperfluum eſt, ponere aliud principium immediatum eliciens talem actionem. Secundò, quia impoſſibile eſt vnam, & eandem numero actionem elici à duobus agentibus immediatis, & perfectis, niſi ſit vna virtus in vtroque: videmus enim quòd quando eadem actio eſt à duobus agentibus, vel vnum eſt immediatum, & alterum mediatum, vt quando idem effectus eſt à cauſa particulari, & à cauſa vniuerſali, vt generatio eiuſdem hominis ab homine, & à ſole: vel ſi vtrunque eſt immediatum, vtrunque eſt imperfectum, vt quando duo ferunt vnum pondus, vel duæ candelæ illuminant vnam aulam. Eadem autem ſpiratio actiua eſt perfectè à Patre, & à Filio; quia eadem numero virtus ſpiratiua eſt in vtroque. modò neque in Deo, & creatura eſt eadem numero virtus actiua, neque Deus eſt agens imperfectum. Ergo reſtat, vt non concurrat immediatè ad actiones ſecundarum cauſarum. Quòd autem non concurrat actione diuerſa, probat etiam. Quia vel vna attingit totum effectum, vel partem. Si partem, ergo eſt aliqua pars effectus ad quam producendam Deus non concurrit. Si totum effectum, ergo redundat vna actio, & hic eſt totus diſcurſus Durandi. In quo duplex ratio videtur inſinuata: altera, quia cùm cauſa ſecunda de ſe habeat ſufficientem virtutem per ſuam propriam formam ad producendos effectus adæquatos ſuæ virtuti, videtur ſuperfluus, & redundans iſte concurſus immediatus primæ cauſæ cum ſecunda ad eoſdem effectus producendos. Altera, quia cùm videatur impoſſibile, eundem numero effectum pendere totum à duabus cauſis perfectis, & immediatis eiuſdem generis, & ordinis, videtur etiam impoſſibile, Deum actione immediata concurrere ad producendum effectum productum à cauſa ſecunda.

II. Reſpondetur nihilominus, Deum concurrere ad producendum quoſcunque effectus cuiuſcunque ſecundæ cauſæ concurſu immediato, & eadem numero actione, ita vt tota actio ſit à Deo, & à creatura. Et ad primam improbationem negatur, ſecundam cauſam per ſuam virtutem ſufficere ad eliciendam actionem,

ſine concurſu cauſæ ſuperioris, & conſequenter concurſum cauſæ ſuperioris eſſe ſuperfluum. Ratio negationis eſt, quia licèt cauſa ſecunda habeat propriam formam, & vim agendi ſibi permanentem, & ſufficientem ad producendos effectus ſibi adæquatos per negationem concurſus alterius ſecundæ cauſæ particularis: tamen ipſa ſecũda cauſa, vt cauſa creata intrinſecè pendet & in eſſendo, & in agendo à prima cauſa. Vnde ſicut ſublato influxu primæ cauſæ in eſſe ipſius ſecundæ cauſæ, ſecunda cauſa non eſſet; ita ablato influxu illius in actionem ſecundæ cauſæ, ſecunda cauſa nihil agere poſſet. Et ideo in tantum ab eſt, vt talis influxus ſit ſuperfluus, vt immo ſit maximè neceſſarius propter dependentiam ſecundatum cauſarum à prima in eſſendo, & in agendo.

Ad ſecundam dicitur, quòd cauſa prima, & ſecunda non ſunt cauſæ eiuſdem ordinis, quia ſecunda eſt ſubordinata primæ, & ab illa eſſentialiter pendet in eſſendo, & in agendo. Et ideo negatur, quòd idem numero effectus non poſſit eſſe totus à duabus cauſis integris, perfectis, & immediatis, quando illæ ſunt ſubordinatæ. Argumentum verò ſolùm procedit de cauſis non ſubordinatis, quarum vna non pendet ex altera.

III. Verùm contra hanc reſponſionem ſtatim videtur inſurgere inſtantia. Si cauſa, prima, & ſecunda non ſunt eiuſdem ordinis, ſed ſecunda eſt ſubordinata primæ, & ab illa pendet, & prima ſubordinat ſibi ſecundam in agendo. Ergo prima non agit effectum immediatè, ſed mediante ſecunda: & hoc eſt quod ſolùm contendit Durandus. Et declaratur vis huius inſtantiæ. Si prima & ſecunda cauſa concurrunt ad eundem effectũ, vel vna agit per alteram, vel non. Si non, ergo vna non eſt alteri ſubordinata in agendo, quod nos aſſerimus. Si ſic. ergo vna agit mediante altera, quod Durandus contendit. Adhuc magis explicatur vis rationis. Negari enim non poteſt, Deum conferre vim agendi ſecundis cauſis, & illas tenere in agendo, & earum vim conſeruare. Ergo negari non poteſt, quin agat effectus ſecundatum cauſarum, mediantibus ipſis ſecundis cauſis.

Propter hanc inſtantiam nonnulli diſtinguunt de duplici immediatione virtutis & ſuppoſiti, & dicunt, quòd Deus agit cum quolibet agente, & cooperatur ad quamlibet actionem cauſæ ſecundę immediatè immediatione virtutis, non autem immediatione ſuppoſiti. Atque ita ſentiunt Ferrar. 3. contra Gent. c. 70. & alij nonnulli. Alij contendũt agere immediatè immediatione non ſolùm virtutis, ſed etiã ſuppoſiti, vt Bañes 1. p. q. 8. a. 1. & Suarez diſp. 22. Metaphyſ. ſect. 1. n. 18. & ſequentibus, Hæc tamen potius eſt diuerſitas in modo loquẽdi, quàm in reipſa, quod patet ſuppoſitis duobus. Primum eſt, tunc cauſam agere immediatè immediatione virtutis, quando inter virtutem cauſæ, & actionem non mediat alia virtus, & tunc agere immediatè immediatione ſuppoſiti, quando inter ſuppoſitum agens, & ipſam actionem, & effectum per actionem productum nõ intercedit aliud ſuppoſitum, ſed ſeipſo immediatè vnitur effectui. Secundum eſt, Deum agere effectum cauſæ ſecundæ tum per virtutem communicatam, & participatam cauſæ ſecundæ exiſtentem in cauſa ſecunda, quæ eſt virtus creata, tum per virtutem propriã, & increatã exiſtentem in ipſo Deo, & actionem immediatè procedentem ab ipſa virtute: & ſimiliter per ſuppoſitum creatum, à quo procedit virtus creata, & actio creata, & per proprium ſuppoſitum, cum quo idem eſt ſua virtus increata, & à quo immediatè procedit ipſa actio. Hinc verò ſequitur verã eſſe hanc propoſitionem, Deus agit cum omni agente immediatè immediatione virtutis, & etiam ſuppoſiti. Et Deus agit mediatè cum omni agente mediatione virtutis, & ſuppoſiti, habito reſpectu ad diuerſa. Et hoc voluit innuere D. Thom. 3. contra Gentes c. 70. ad primam. quanuis abſolutè dicendum ſit, Deum cooperari ad actionem cauſæ creatæ immediatè immediatione tum virtutis, tũ ſuppoſiti, ne videamur ſentire cum Philoſophis dicentibus, Deum eſſe cauſam horum inferiorum ſolùm mediante lumine, & motu corporis cęleſtis; aut cum Durando, qui abſolutè negat, Deum cooperari immediatè ad actionem cauſæ creatæ.

Vnde ad inſtantiam factam formaliter reſpondendo negamus ſequelam, ratio enim ſolùm probat, Deum agere mediatè, quatenus eſt cauſa dans eſſe, & vim agendi ſecundæ cauſæ, quæ ab illo pẽdet; non autem probat non eſſe etiam neceſſarium concurſum immediatum, & influxum Dei in eãdem actionem. Neque per hoc, quòd virtus vnius cauſæ pendet ex alia, impeditur quin vtraque cauſa poſſit concurrere ad eundem effectum immediatè immediatione ſuppoſiti: quia eſſe causã immediatã alicuius effectus nõ excludit, quòd talis cauſa ſubordinet, & ſubiiciat ſibi alias cauſas cõcurrentes ad talem effectum, ſicut videtur imaginati arguens, cuius imaginatio falſa eſt: nam aliud eſt cauſam ſecundam cooperari primæ, aliud eſt mediare inter primam cauſam, & illius effectum.

IV. Secundum argumentum pro eadem ſententia Durandi ſumebant nonnulli ex quibuſdam autoritatibus D. Auguſtini in quibus videtur apertè, & abſque vlla hæſitatione dicere, actus moraliter malos etiam, vt actus ſunt, non eſſe à Deo, & eſſe quidem à Deo omnes ſubſtantias, non item omnes actus, nimirum actus malos, & eſſe à Deo omnem poteſtatem, non autem omnem voluntatem: quia malæ voluntates ſunt voluntates, & tamen à Deo non ſunt. Referuntur eiuſmodi autoritates Auguſtini à Magiſtro in 2. d. 37. & nos ſuprà c. 11. illas retulimus, videlicet ex lib. 2. de lib. arbitr. c. 20. & lib. 3. c. 1. lib. 12. Confeſſ. c. 11. de Spiritu, & lit. cap. 31. lib. 5. de ciuitate cap. 8. & 9. 1. Hypognoſt. in fine, & 4. in principio, & lib. de perfect. iuſtit. ratiocinatione 4. & lib. de Natura boni c. 28.

His Auguſtini autoritatibus Magiſter nullam adhibet explicationem, ſed illarum iudicium prudentis lectoris arbitrio relinquit, dicta diſtinct. cap. 4. in fine. Vaſquez verò 1. 2. diſputat. 129. c. 2. dicit, Auguſtinum ſententiæ Durandi apertè adſtipulari, & reiicit illorum reſponſionem, qui dicunt Auguſtinum in dictis locis loqui de peccato non quoad ſubſtratum, ſiue quoad naturam actus, ſed quoad moralem malitiam; contendens, illum loqui de peccato etiam quoad naturam, & entitatem actus. & c. 3. nititur reſpondere ad quædam teſtimonia eiuſdem Auguſtini, quibus videtur probari, illum in hac re catholicum ſenſum tenuiſſe, & ſenſiſſe etiam actum peccati, quatenus actus naturalis eſt, eſſe à Deo, & demum concludit ex Auguſtino nihil nos habere contra Durandum de actu peccati.

Sed

Ferrarienſ. Bañes. Suarez. D. Thom. Auguſt. Vaſquez.

Sed decipitur Vasquez, dum putat Augustinum in re ad fidem spectante tam turpiter lapsum non erat adeò rudis, aut nouitius Augustinus qui ignoraret non solùm substantiam, quæ est hoc aliquid, & genus prædicamentale ab aliis distinctum, sed etiam accidentia, nimirum, quantitatem, qualitatem, actionem, passionem, ac cætera prædicamenta suas proprias, veras, ac reales habere entitates. Non ignorauit etiam, non minus repugnare, esse aliquam entitatem accidentalem, quæ non sit à Deo: quoniam si est aliqua entitas realis, quæ à Deo non sit, siue illa sit substantialis, siue accidentalis, aut erit ipsa à se, & sic erit Deus: aut ab alio principio, & sic plura prima principia, & plures Dij. Quis credat Augustinum hanc ratiocinationem latuisse, qui non semel illa vsus est contra Manichæos, & Pelagianos. Sanè sensisse Augustinum, omnem entitatem realem, & naturalem etiam actionem ipsam peccati, quatenus actus naturalis est, colligitur euidentissimè ex loco citato

Augustin. ex lib. 2. de liber. arbitr. c. 20. cùm ait, *Tu autem pietatem inconcussam tene, vt nullum tibi bonum vel sentienti, vel intelligenti, vel cogitanti quoquomodo occurrat, quod non sit ex Deo. Ita enim nulla natura occurrit, quæ non sit ex Deo* & infrà: *Ita detracto penitus omni bono non quidem non nihil, sed omnino nihil remanebit. Omne autem bonum ex Deo. Nulla ergo natura est, quæ non sit ex Deo. Motus ergo ille auersionis, quod fatemur esse peccatum, quoniam defectiuus motus est: omnis autem defectus ex nihilo est, vide quò pertineat, & ad Deum non pertinere ne dubites.* In his verbis Augustinus indicat sentire, se nomine naturæ intelligere omne id, quod est extra nihil, quod habet aliquam veram entitatem, & omne tale dicit esse bonum, & omne bonum esse à Deo: & detracto penitus omni bono, nihil penitus remanere: & ideo non esse causam peccati referendam in Deum, quia detracto omni eo, quod bonum est, cuius Deus est causa, nihil remanet, & nihil ex nihilo est, scilicet defectus, qui est in peccato, ex causa deficiente est, & illa deficit, quia ex nihilo est. Et in verbis paulo præcedentibus proposita q. Vnde sit motus euersionis à Deo, qui est sine dubio peccatum, illum enim constat à Deo esse non posse; respondet: *Itaque quærenti tibi, si respondeam, nescire me, fortasse erit tristior: sed tamen verè responderim. Scire enim non potest, quod nihil est.* Loquitur ergo Augustinus de motu, quem dicit esse nihil, id est, non habere veram, & realem entitatem, & omne quod in peccato est, præter istud nihil, dicit naturam esse, & bonum esse, & à Deo esse. Quis est igitur iste actus, aut motus realis in peccato, quem Augustinus distinguit à re, aut à natura, & dicit, non esse à Deo? eandem fuisse mentem Augustini constat ex verbis illius in lib. de duabus animabus contra Manichæos cap. 6. vbi proposita quæstione, cur omnes conueniant, lucem Deo, vt autori esse tribuendam. Nullus autem tribuat Deo vitia animi, nisi ille sacrilegus sit. Respondet toto illo capite, non posse vitia tribui Deo, quia nihil aliud sunt, nisi priuationes, & negationes virtutis, sicut tenebræ nihil sunt, nisi priuatio, & negatio lucis. Et in fine illius capitis concludit, quòd omne quidquid est quoniam est, inquantum est, à Deo esse. Videant Vasquez antes hęc loca, & desinant has absurditates imponere Doctori tam præclaro contra tam aperta testimonia. Videant etiam, frigida esse glossemata illa à Vasquez excogitata ad autoritatem Augustini in lib. 5. de Genesi ad literam cap. 20. dicentis, mouere Deum occulta potentia vniuersam creaturam, eóque motu explicare sæcula, quæ illi, cùm primùm condita sunt tanquam implicata condiderat, & lib. 3. de Trinit. c. 4. vbi ait, quòd voluntas Dei est prima, & summa causa omnium corporalium specierum, atque motuum.

Ad omnes itaque autoritates ex Augustino ci- V.
tatas vnica responsione dicendum est, illas esse intelligendas in sensu formali, non autem materiali, nimirum malas voluntates, & motus siue actus malos earumdem voluntatum, quatenus mali sunt, non esse à Deo, & hanc fuisse mentem Augustini in omnibus prædictis locis satis apparebit cuiuis animaduertenti, Augustinum ideo dixisse, motum auersionis à Deo ad creaturam non esse à Deo, quia defectus quidam est, & priuatio, & nihil, cuius non oportet inquirere causam efficientem, sed deficientem. Hoc enim dicere non potuit de actu peccati, quatenus actus est. Vnde restat, vt locutus sit de actu peccati sub ea præcisa ratione, qua est peccatum, vt distinguendus sit ipse motus auersionis à Deo ad bonum commutabile per duplicem considerationem, qua consideratur sub ea ratione, qua motus positiuus est, & sub ea ratione, qua deficiens est, & hoc posteriori modo solùm non dicatur esse à Deo.

Sed instat Vasquez, Augustinus in lib. de Perfectione iustitiæ ratione quarta distinguit motum illum peccati à natura, siue à substantia, & dicit, omnem naturam esse à Deo, illum autem motum minimè esse à Deo, sed solùm à libero arbitrio creaturæ. Verba illius sunt. *Quid est peccatum? actus ne, an res? Si res est, necesse est, vt habeat autorem; & si autorem habere dicitur, iam alter præter Deum rei alicuius autor induci videbitur. At si hoc dici impium est, & confiteri, necesse est peccatum omne actum esse, non rem. Si igitur actus est, immo quia verè actus est, vitari potest.* Ex istis verbis infert quòd si ex sententia D. Augustini Deus esset etiam autor actus peccati, non posset inferre, quòd peccatum sit actus, & non res, ex eo, quia rei, siue substantiæ nullus præter Deum est autor. Nam eodem modo dici posset etiam peccati, quatenus actus est, nullum præter Deum esse autorem; & si creatura est causa cum Deo talis actus, est etiam cum Deo causa substantiæ, quæ per creaturæ actionem generatur.

Respondeo, arguentem manifestè hallucinatum in luce meridiana, dum putans se addúcere testimonium, & rationem Augustini ad mentem Augustini declarandam, adducit testimonium, & argumẽtum Celestis hæretici contra Catholicos, cui Augustinus in verbis sequentibus statim respondet. Illa enim ratiocinatio quarta non est Augustini, sed illius hæretici, qua ille nitebatur probare, quòd peccatum, quia actus est, pendet ex libero arbitrio. & ideo vitari potest per vires liberi arbitrij absque auxilio diuinæ gratiæ. Et licèt huic ratiocinationi ipse Augustinus respondẽs concedat, peccatum dici, & esse actum, & non rẽ: declarat tamen quis, & qualis sit actus, & in quo sensu dicatur actus, & non res, ita subiungens, *Respondemus peccatum quidem actum dici, & esse, & non rem; sed etiam in corpore claudicatio eadem ratione actus est non res. Quoniam res per ipse vel corpus, vel homo est, qui pede vitiato claudicat; nec tamen vitiare potest homo claudicatio*

dicationem, niſi habeat ſanatum pedem. Eſt itaque peccatum actus ſicut claudicatio, videlicet actus deficiens; & eſt actus, & non res, accepto nomine rei pro ſola ſubſtantia, quæ eſt prædicamentum ab aliis diſtinctum, & pro primo analogato: non autem prout dicitur de omni eo, quod verè eſt ens, & conuertitur cum ipſo ente. Hæc neceſſariò erant dicenda, vt D. Pater Auguſtinus à manifeſti erroris nota vindicatus manerer, quem nonnulli verba tanti Doctoris ne in ſuperficie quidem attendentes, illi gratis impoſuerunt.

Alia argumenta fieri poſſunt pro ſententia Durandi ex libertate arbitrij noſtri deprompta, necnon ex imperfectione cauſalitatis plurium cauſarum ad eundem effectum ſimul concurrentium. Verùm illa in ſequentibus opportuniori loco ſoluenda ſunt.

CAPVT XVII.

Secundas cauſas verè, & propriè operari ad ſuos effectus producendos, non autem ſolum Deum in illis, & per illas.

1. REfutato igitur errore illorum, qui dixerunt Deum ſecundis cauſis minimè cooperari immediatè ad illarum actiones, atque effectus, nunc alius error extremus è regione oppoſitus reiiciẽdus nobis eſt; illorum videlicet, qui dixerunt, ſolum Deum in ſecundis cauſis, & per ſecundas cauſas verè, & propriè operari. Ipſas autem ſecundas cauſas ſolo nomine cauſas, & non re appellari, quippe quòd nihil verè, & propriè operentur, & efficiant. Eſt verò hic error tripartitus. Nam aliqui abſolutè, & vniuerſaliter dixerunt, nullam creaturam verè aliquid operari, ſed ſolum Deum operari omnia in omnibus, quanuis decreuerit nõ producere certos effectus, niſi ad præſentiam certarum creaturarum, v. g: non calefacere niſi ad præſentiam ſolis, aut ignis; non madefacere niſi ad præſentiam aquæ. itaque ſecundùm hanc opinionem ignis non calefacit, ſed Deus per ignem, & in igne. Hunc errorem docuerunt Saraceni, ex quorum ſecta erat Auerroes, teſte eodem Au[illegible] lib.9. Meraph. com.7. vbi pulchra digreſſione illum confutat, & lib. 12.com. 18. Ex hæreticis eundem errorem videtur ſecutus Caluin. in libris contra Pighium, referente Camerario lib.1. de lib. arbitr. cap.5. Et vt colligitur ex verbis eiuſdem Caluini lib.2. contra ipſum Pighium pag.241. §. *ſed videte.* Immo ex Catholicis referuntur in eandem ſententiam Petrus Aliacenſis in 4.d.1.q.1.art. 1.in fine, & Gabriel Biel ead. d.1.q.3. art.3. Nam reputat illam probabilem, & ad illam probandam adducit verba Apoſtoli dicentis, Deum omnia in omnibus operari, & nos non eſſe ſufficientes cogitare aliquid ex nobis, quaſi ex nobis, ſed omnem noſtram ſufficientiam ex Deo eſſe. Huius erroris meminit D.Th.de pot.q.3.a.7.& 3.cõtra Gentes c. 69.& 1.p.q.105.a.5. Albertus Magnus lib.2. Phyſ. tract.2.c.3.

Saraceni. Caluin. Gabriel. D.Thom. Albertus.

Secundò alij negauerunt, agentia naturalia producere verè formas ſubſtantiales; ſed ſolùm conceſſerunt poſſe producere formas accidentales, tanquam diſpoſitiones materiales neceſſarias ad recipiendas formas ſubſtantiales, quas dicebant creari, vel ab ideis ſeparatis, vel à quadam intelligentia creatrice omnium formarum. Hanc ſententiam tenuerunt Plato, & Auicenna, referentibus Auer. loco cit. ex 12. Metaph. com. 18. & D. Tho. 3. contra Gentes c. 69. eam verò docuit Auicenna lib. 9. Metaphyſ. c. 4. & 5. & etiam in ſua ſufficientia cap. 10. Plato. Auer. Auicenna. D. Thom.

Tertiò alij dixerunt, creaturas corporales nihil prorſus efficere, ſed tamen creaturas ſpirituales habere aliquam actiuitatem. Hunc errorẽ docuit Auicebron in lib. de materia, & forma, ſiue in lib. fontis vitæ, referente Alberto agno lib. 1. Phyſ. tract. 3. c. 11. & D. Thom. loco citato ex 3. contra Gent. c. 69. D. Thom.

II. Hæc verò ſententia licèt in ſe diuiſa, non minus eſt erronea, & contra diuinam Scripturam, & naturalem rationem, quam ſententia oppoſita illorum, qui dixerunt Deum non cooperari immediatè ad actionem creaturæ: immo multo magis. & quòd ſit contra expreſſa teſtimonia diuinæ Scripturæ, facillimum erit monſtrare. Ipſa nanque diuina Scriptura tribuit creaturis nedum ſpiritualibus, ſed etiam corporalibus, veram actiuitatem, & productionem, nedum formarum accidentalium, ſed etiam ſubſtantialium, quæ eſt per veram generationem ſubſtantialem. Id verò conſtat ex 1. capite lib. Geneſis per totum. Cùm enim deſcribitur primum omnium rerum exordium, ſtatim admonemur, Deum ita creaturas corporales inſtituiſſe, vt ſingulis proprias vires tribuerit, & proprias operationes, & modos operandi, præcipiendo terræ, vt germinaret plantas, & herbas, plantis quoque, & herbis, vt producerent fructus, & ſemina, Soli, & Lunæ & ſtellis, vt mundum ſuperium, ac infernum illuminarent, aquis, vt producerẽt volatilia, & reptilia; & demum homini, ac cæteris animalibus, vt filios procrearent, & multiplicarentur ſuper terram.

Conſtat etiam ex tota ſerie diuinæ Scripturæ quę varias hominum, animalium, & elementorum actiones, & productiones narrat, quas ſi nec homines, nec animalia, nec elementa verè effecerunt, ſed ſolus Deus ad illorum præſentiam, iam nihil eſt in diuina Scriptura, cui certam fidem adhibere poſſimus. Nam ſi pro certo non eſt credendum, quod ſenſus ipſe demonſtrat, ignem combuſſiſſe ſacrilegos, leones voraſſe pueros Hierico, Indæos proſtrauiſſe gladio Chananęos, & alia huiuſmodi, multo minus credemus vera eſſe, quę ſenſu deprehendi non poſſunt, vt quòd ſint Angeli, & quòd ſit Deus, qui hæc omnia ad præſentiam creaturarum operetur.

Demum ſi Deus eſt, qui omnia in omnibus operatur, & creaturę ipſæ nihil operantur, non ſunt merita, neque demerita, nec virtutes, nec vitia, nec bona opera, nec peccata hominibus imputanda; quippe qui nihil boni agunt, aut mali, ſed ſolus Deus eſt, qui omnia mala æquè vt bona operatur in nobis. Quod licèt Caluinus concedat, propter quam cauſam hic error non iniuria illi tribuitur, eſt tamen adeò abſurdum, vt indignum ſit homini Chriſtiano velle hoc in diſputationem reuocare. Si enim ipſe Deus omnia opera ſiue bona, ſiue mala in homine operatur, homine nihil verè, & liberè, & propriè cooperante, non queratur de homine, cùm malè agit, ſed de ſeipſo: non exerceat in hominem ſuam ſeueritatem, & vltionem, ſed in ſeipſum: non dicat Caluinus Deum in reprobis puniendis ſuam gloriam per modum iuſtitiæ vindicatiuæ oſtendere: eſto enim oſtenderet ſuam potentiam, at certè iuſtitiam non oſtenderet,

derer, quippe qui non hominis, sed sua malefacta in homine puniret.

III. Esset autem vanus labor, velle hunc errorem ex consensu sanctorum Patrum, aut Scholasticorum, & etiam Philosophorum convincere, non secus atque tentare demonstrare naturam esse, vt est apud Philosophum in 2. Physicorum text. 6. Quis enim nisi prorsus rationis expers, & sensus, de hac re potuit dubitare? Legantur D. Basilius, & D. Ambrosius in exaëmeron. Augustinus in libris de Genesi ad literam, & lib. 3. de Trinit. cap. 7. 8. & 9. Quibus in locis differunt de viribus rerum, & de virtutibus naturalibus inditis plantis, seminibus, & animalibus. & alij quos refert Suarez disput. 18. Metaph. sect. 1.

Basilius. Ambrosius. Augustin. Suarez.

Sed refutatur idem error naturali ratione. Primò quia, vt optimè Auer. argumentatur, qui aufert proprias operationes à rebus, aufert proprias illarum essentias, & naturas. Essentiæ namque rerum sunt propter illarum operationes, & non diuersificantur, nisi secundùm operationes. ergo qui dicunt, res non habere proprias operationes, sed Deum omnia in omnibus operari, omnia confundunt, coguntúrque dicere, hominem non differre essentia ab asino, aut lapide. Verè ipsi digni cum asinis numerari, aut, vt verius dicamus, cum lapidibus: fortassis enim asinus cùm vapulat, hanc veritatem agnoscit, quòd dominus verè eum verberat, ob quam causam rectè dicit Auerroës istam opinionem, quæ denegat rebus proprias actiones, esse valdè extraneam à natura hominis, & qui recipiunt eam, non habere cerebrum habilitatum naturaliter ad bonum.

Auerroës.

Secundò Deus, & natura nihil frustrà operantur: sed si entia creata non agerent verè, sed solus Deus ad illorum præsentiam, frustrà esset varietas, & multitudo in rebus, & in causis, æquè enim posset omnia operari ad præsentiam vnius creaturæ, sicut ad præsentiam multarum, cùm eadem sit virtus in Deo semper manens, nec augeatur ob præsentiam multarum creaturarum, nec minuatur ob præsentiam paucarum.

Tertiò nulla ratio reddi posset, ob quam ignis ignem generaret magis quàm aquam, aut homo semper hominem generaret, & equus equum, non autem equus hominem, aut homo equum; neque reddi posset ratio, ob quam ad bilem ducendam potius applicandum sit Rhabarbarum, aut Polypodium, quàm toxicum, & alia infinita sequerentur absurda, quæ cuique aduertenti sunt peruia, & sunt in promptu.

IV. Quartò probatur specialiter, agentia naturalia vim habere ad formas naturales producendas. Aut enim non est generatio substantialis, sed accidentalis tantùm; aut formæ substantiales producuntur ab agentibus naturalibus, aut ab agentibus separatis à materia. Primum dici non potest. Constat enim generationem substantialem esse; quia constat generari multa, quæ substantiæ sunt, non sola accidentia: neque illi, cum quibus agimus, hoc negant, esto non defuerint olim quidam Philosophi, qui id negauerint: sed illorum opinio extra aulam Philosophiæ ante annos bis mille iam fuit eiecta. Neque dicendum est tertium: nam vel formæ naturales producuntur ab agentibus separatis creatis, vel à Deo. non ab agentibus separatis, & creatis, sicut dicebant Plato, & Auicenna, quia generatio naturalis est à similibus in specie, id patet inductione facta in omni generatione: sed ista agentia separata non sunt similia genitis in specie. Deinde quæ generantur per generationem substantialem, non sunt res abstractæ, sed composita ex materia, & forma. Ergo etiam quòd generat aliquid generatione substantiali; est ens compositum ex materia & forma. Neque potest dici, quòd omnes formæ substantiales producuntur immediatè à Deo; quia licèt Deus possit hoc facere, & faciat etiam, quando formæ creantur ex nihilo: tamen hic non agimus de creatione ex nihilo, sed de generatione substantiali, per quam formæ educuntur de materia: hoc autem modo ipsas formas non fieri à solo Deo, sed produci ab agente corporeo, probatur eisdem rationibus, quia generatio substantialis est à simili in specie, & cùm res genita sit corpus compositum ex materia, & forma, etiam generans debet esse compositum ex materia & forma.

Tandem sicut pertinet ad diuinam omnipotentiam, & sapientiam, & bonitatem communicare suum esse ad extra per creationem, per quam creaturæ participant diuinum esse, ita ad eandem omnipotentiam, sapientiam, & bonitatem spectat communicare illis suam vim agendi, si alioquin nulla implicetur contradictio: sed nullam implicat contradictionem, quòd Deus contulerit creaturis proprias vires agendi effectus illis adæquatos, vt statim ex solutionibus argumentorum in contrarium patebit. Ergo hoc non est illi denegandum. Et confirmatur ratio, omnes enim fatentur, ex infinitate diuinæ perfectionis, & bonitatis processisse, quòd Deus mundum condiderit, & tam multiplicem, ac varium essendi modum in rebus distinxerit. Cur igitur non eodem modo ad diuinam perfectionem spectat, indidisse rebus multiplicem virtutem, & varios agendi modos? Maius enim est esse, quàm operari. Qui igitur dedit rebus esse, cur non etiam vim operandi illis tribuit?

Dicendum igitur iuxta sanam doctrinam, & Catholicam fidem, Deum ita omnibus creaturis cooperari ad illarum actiones, atque effectus, vt etiam illæ verè & propriè ipsi Deo cooperentur; non autem solus Deus in illis. Videantur de hac re Theologi post D. Thom. 1. p. q. 105. art. 5. & 3. contra Gentes c. 69. vbi Ferrariens. & Capreolus in 2. d. 1. q. 2. ad argumenta contra 6. concluf. Dominicus Soto lib. 2. Physic. q. 4. Suarez disputat. 18. Metaphys. sect. 1.

D. Thom. Ferrar. Capreol. Dominic. Soto.

CAPVT XVIII.

Afferuntur, & soluuntur argumenta contra veritatem capite superiori confirmatam.

I. ETsi nullum viderim argumentum, quod errori capite præcedenti refutato vel in speciem fauere possit; nihilominus, vt veritas assertionis contra illum constitutæ magis illustretur, arguitur contra illam argumento sumpto ex natura causarum instrumentalium. Instrumentum quatenus instrumentum nullam habet propriam vim agendi in ipso permanente (de hac enim nunc est quæstio) nullámque propriam actiuitatem: sed omnes creaturæ sunt causæ instrumentales diuinæ virtutis, & potentiæ. nó ergo habent aliquam propriam vim agendi, neque propriam actionem, sed solus Deus est, qui per illas, atque in illis operatur. Minor probatur testimoniis sapientum. In primis Platonici omnes fatentur, hæc agentia naturalia, & particularia non esse causas principales, sed tantùm instrumentales causarum superiorum vniuersalium, quæ sunt Deus, & intelligentiæ,

Platonici.

gentiæ, & ita dixit Plato, referente Damasceno in sua Philosoph. cap. 9. Theologi etiam vocant secundas causas creatas instrumenta diuinæ virtutis, vt videri potest apud D. Thom. 1. p. q. 2. art. 3. & q. 105. art. 5. & de potentia q. 3. art. 7. & opusc. de Regimine princip. lib. 3. cap. 8. & Scotum in 4. d. 1. q. 1. Immo verò assimilare solent secundas causas comparatas diuinæ virtuti instrumentis artificialibus, vtpote ferris, gladiis, & securibus comparatis artifici. Qua metaphora vtitur non solùm D. Thom. locis citat. sed etiam diuina Scriptura Isaiæ cap. 10. Et hoc videtur esse vnum ex præcipuis fundamentis Caluini, vt colligitur ex lib. 2. illius contra Pighium, citato §. *sed videte.*

D. Thom.

Scotus.

Respondetur ex doctrina Scoti loco proximè citato, duobus modis causam dici principalem. Vno modo, quia nullam causam habet superiorem, à qua illa pendeat. Alio modo, quia licèt pendeat à causa superiori, agit tamen effectum sibi proportionatum per propriam virtutem in ipsa permanentem. Et eadem proportione duobus modis aliquam causam dici instrumentalem, vno modo, quia licèt propria virtute ipsi immanente producat effectum, pendet tamen à causa superiori tum in essendo, tum in agendo. Alio modo, quia non solùm pendet à causa superiori in essendo, & in agendo: sed nec etiam operatur effectum propria virtute in ipsa manente; sed solùm virtute causæ superioris recepta in ipsa causa instrumentali per modum motionis transeuntis.

Addo etiam duplex esse genus effectuum secundatum causarũ, aliqui enim sunt effectus, ad quos producendos sufficit naturalis vis secundarum causarum cum generali Dei concursu, cuiusmodi effectus est calor respectu ignis. Alij verò sunt, ad quos producendos non sufficit vis naturalis secundarum causarum cum solo Dei concursu naturali, sed requiritur concursus, & motio specialis Dei elcuantis causam creatam supra vires naturæ.

II. His suppositis respondetur, si nomine instrumenti accipiatur causa instrumentalis secundo modo dicta, maior est vera, sed minor est distinguenda. Nam comparatione effectuum primi generis est absolutè falsa, non enim creaturæ in hoc sensu dicuntur causæ instrumentales diuinę virtutis respectu effectuum ordinis naturalis, eo, quòd non habeant propriam vim in ipsis permanentem ad producendos huiusmodi effectus: sed solùm in hoc sensu, quia & in essendo, & in agendo pendent à superiori virtute, & ab illa diriguntur ad agendum, sicut instrumentum ab artifice. Et in hoc sensu ferè semper accipiunt nomen causæ instrumentalis Theologi, & Philosophi, immo, & diuinæ Scripturæ. Quamobrem vanus est strepitus, quem istis nominibus ferræ, gladij, mallei, limæ, virgæ, freni, & instrumenti aduersùs humanæ libertatis defensores excitare nituntur Zuinglius in serm. de Prouidentia cap. 6. & Caluinus tum loco proximè citato contra Pighium, tum lib. 1. Institut. cap. 17. §. 11. & lib. 2. cap. 4. §. 2.

Zuinglius. Galuin.

Etsi enim creaturæ dirigantur à Deo, vt instrumenta ab artifice, diriguntur tamen fortiter, & suauiter, ita vt etiam illas suos motus agere permittat, vt Augustinus notauit lib. 7. de ciuitate cap. 30. comparatione verò effectuum secundi generis admitti potest, Creaturam ita esse causam instrumentalem diuinæ virtutis, vt nõ attingat effectum causæ principalis propria virtutẽ in ipsa creatura permanente, sed virtute superioris causæ in instrumento recepta per modum motionis transeuntis, quo pacto dicimus sanctos miracula effecisse, & Sacramenta gratiam iustificantem conferre. sed etiam si daremus, hoc solum modo creaturas esse causas instrumentales diuinæ virtutis, verum esset illas aliquo modo cooperari diuinæ virtuti, sicut serra verè secat, & securis verè lignum cædit.

August.

Secundum argumentum sumebat Auicenna ad probandum, quòd agentia naturalia nõ verè producant formas substantiales rerum, quæ hic generantur ex genitis sponte naturæ, ex putri materia. Illa enim non habent proximas causas naturales, per quarum actionem eorum formæ vel inducantur, vel educantur de potentia materiæ. ergo illarum productio in aliquam causam superiorem necessariò referri debet. III.

Huic argumento Commentator pluribus in locis videtur respondere dicendo, in animalibus genitis ex putri materia id, quod est educens formas de potentia materiæ, esse calorem Solis diffusum per varias aquæ, & terræ partes. Et ita respondet in 12. Metaph. comm. 13. 18. & 40. Hæc tamen responsio nisi aliud addatur, dubium non soluit. Quia calor Solis est causa vniuersalis, quæ à causis particularibus determinatur ad varios effectus: vnde cum homino hominem gignit, & equum cum equo. Oportet igitur ad hoc, vt calor Solis ex hac materia potius generet murẽ, quàm vermem, esse aliquam causam particularem illius virtutem determinantem potius ad hunc effectum, quàm ad illum. Quæ verò illa sit, vix possibile videtur explicare. Propterea dicendum cum eodem in 7. Metaphys. com. 31. quòd in materia, ex qua talia animalia gignuntur, virtute Solis duæ partes secernuntur, altera terrestrior, ac crassior, altera subtilior, & magis purgata, quæ in tali generatione vim seminis masculini, & causæ agentis obtinet, per quam ipsa generatio talium animalium expletur.

Auerroës.

Tertium argumentum sumi videtur ex D. Augustino lib. 5. de Ciuitate c. 9. vbi de diuersis causarum generibus verba faciens, inter alia inquit: *Corporales autem causæ quæ magis fiunt, quam faciunt, non sunt inter causas efficientes annumeranda, quoniam hoc possunt, quòd ex ipsis faciunt spirituum voluntates.* Quo dicendi modo corporales creaturas ab ordine causarum penitus excludere videtur. IV. August.

Sed facilis est respõsio, si quis quid Augustinus intelligat nomine causarum, attendat. Intelligit enim ibi per causas, non illas omnes, quæ aliquid efficiendi vim habent, sed illas, quę ita agunt, vt in proprias actiones liberum habeant imperium, & dominium, quas vocat causas voluntarias. Quod illa eius verba præcedentia planè indicant, *ac per hoc colligitur, non esse causas efficientes omnium, quæ fiunt, nisi voluntarias illius naturæ, quæ scilicet spiritus, & vita est.*

Quartum argumentum. Deus, & natura nihil superfluè operantur: sed cooperatio creaturæ cum Deo omnino superflua videtur. ergo ponẽda non est. Probatur minor. Diuina enim cooperatio necessaria est ad producendũ omnem effectum, qui producitur in rerum natura, vt ex dictis constat: sed diuina operatio per se solam sufficiens est ad producendum omnem effectum producibilẽ absque concursu creaturæ. Ergo redundat cooperatio creaturæ. Explicatur vis huius argumenti. Vel diuina operatio requirit concursum, & cooperationem creaturæ ob suam perfectionem, vel ob imperfectionem, non ob perfectionem, quia talis V.

concursus

concursus nullam arguit perfectionem in Deo; neque ob imperfectionem, quia sequeretur, diuinam operationem ex se esse imperfectam, egereque auxilio, & cooperatione creaturæ. Adhuc magis idem argumentū explicatur. Nam si dicamus, Deum se solo omnia operari sine secundis causis, magis commendamus diuinam omnipotentiam, quam si dicamus, Deum cooperari secundis causis ad effectus illarum producendos.

Respondetur, negandam esse minorem, & vt intelligamus, eam rationabiliter negari, aduertere oportet, quòd quemadmodum Deus contulit esse creaturis nulla necessitate ductus, aut quòd illis indigeret, aut ex illarum creatione aliqua dignitas, aut perfectio illi accederet, sed solùm ob suam immensam bonitatem; ita licèt posset se solo omnes & singulos effectus producere, quos mediantibus secundis causis producit, illis duntaxat exceptis, qui ad creaturam dicunt habitudinem, vt ad principium vitale: contulit tamen vim agendi ipsis creaturis, nó vt perficeretur ipse in sua operatione, sed potiùs vt ipsas creaturas dignificaret, & perficeret. Atque ob hanc causam tanquam Rex in suo regno singulis creaturis propria officia dispensauit, propriásque vires ad iniunctum sibi officium persoluendum contulit, & ita illas dignificauit, ac nobilitauit, quemadmodum quem Princeps ad aliquod officium promouet, nobilem creat, vt ait textus in lege quicunque. Cod. de Procuratoribus.

Hinc apparet ex infinita perfectione diuinæ virtutis oriri, vt non solùm ipse Deus agat, sed etiam creaturis vim agendi contulerit; sicut ex infinita perfectione diuinæ essentiæ oritur, vt non solùm Deus ipse sit, sed etiam creaturis esse communicauerit, & magis commendatur diuina potentia, quòd Deus non solùm potens sit ipse agere, sed etiam aliis vim agendi impartiri.

VI. Quintum argumentum. Vel Deus est causa totalis effectuum producibilium, vel partialis. Si totalis. ergo intelligi nequit, secundas causas ad illorum productionem aliquid conferre. Quomodo enim solus Deus est causa totalis effectus, ad quem producendum alia causa præter Deum concurrit? Si autem est causa partialis. ergo imperfecta. quod de Deo non est vllo modo sentiendum.

Solutio huius argumenti postulat solutionem illius quæsiti, an respectu effectuum, quos Deus non producit se solo, sed cum secundis causis, debeat dici causa totalis, an partialis. Nam sunt, qui contendant nullo modo posse dici causam partialem propter defectum, quem intrinsecè videtur denotare causa partialis. Alij verò concedunt, posse vocari causam partialem, quia ita etiam locuti sunt antiqui Doctores Ecclesiæ. Diuus enim
D.Bonau. Bonauentura in primo dist. 40. articulo secundo quæstione prima inquit, quòd prædestinatio inquantum dicit rationem causæ, non necessariò ponit effectum; quia non est causa per necessitatem, sed per voluntatem, & iterum non est tota causa, sed cum alia causa contingente, scilicet cum libero arbitrio. Idem dicit Scotus in
Scotus. secundo dist. 37. quæstione vnic. §. *ad solutionem istorum.* Capreolus in secundo dist. 28. quæstione
Capreol. prima articulo tertio ad 12. contra primam conclusionem dicit, quòd *Deus iuuat nos immediatè ipsum actum efficiendo, & quòd non ipse solus efficit actum, sed voluntas coefficit. Sed vt iam tetigi, non solùm iuuat Deus ad bonum velle particulare coefficiendo, qui est modus communis, quo concurrit ad cuiuslibet agentis creati effectum quemlibet, vt in argumento dicebatur: sed etiam quodam modo speciali, videlicet faciendo ipsam voluntatem partialiter concurrere, ita quòd voluntas ipsa partialiter concausæ applicata, & quasi instrumentaliter mota à Deo ad sic partialiter concausandum. In qua tamen motione ipsa voluntas non necessitatur, sed instrumentum liberum existens, in cuius potestate est sequi motionem agentis, iuuatur ita, vt sic adiuta agat ea, quæ non sic adiuta nequaquam agere potuisset.* Iulius Sirenius lib. 8. de facto cap. 12. ita Sirenius. inquit. *Verùm etsi in huiusmodi operationibus magis quam faciant secundæ causæ influat, & magis efficiat Deus Maximus: hoc tamen constantissimum esse debet, quòd non est, vt diximus, de communi semper lege loquendo, earum operationum Deus tota causa, sed tantùm, ita nunc dixerimus pars causæ, sine vt in Scholis dicitur, partialis causa.* Ruardus Taper art. Ruard.Tap. 7. propositi. 10. ad finem, multa dicit, quæ huic sententiæ plurimum fauent, vt videri potest. Eandem sententiam habent Gregorius Ariminensis à Capreolo citatus. Gabriel Biel in secun- Gregor. Gabriel. do dist. prima quæstione secunda, articulo primo. Olkoth eadem distinct. prima quæstione tertia, Olkoth. Lychetus in secundo dist. 37. quæstione secunda, Lychetus. §. *ad solutionem.* Raphaël Venustus lib. secundo de Raphael Venustus. prædestinatione & libero arbitrio. Ludouicus Molina, Lessius, & illi, qui dicunt, concursum Molina. Lessius. Dei cum secundis causis, non esse influxum in ipsas causas, sed in effectus.

Circa hoc quæsitum aduertendum est, quædam esse, in quibus autores vtriusque sententiæ necessariò debent conuenire, & quædam in quibus dissentiunt. Primò namque debent conuenire in hoc, quòd Deus non dicatur causa totalis per negationem cōsortij causarum secundarum comparatione effectuum ipsarum causarum secundarum; aliàs qui sic diceret, Deum esse causam totalem, recurreret in errorem, quem modò impugnamus, illorum, qui negabant secundas causas aliquid verè operari. Secundò conuenire debent in hoc, quòd Deus non dicatur causa partialis partialitate effectus in hoc sensu, quòd vna pars effectus producatur à Deo, altera à causa creata: quia sic dicentes inciderent in errorem Durandi cap. 15. refutatum. Vt verò intelligatur illud, in quo differunt, sciendum est, ex hoc capite oriri discordiam opinionum, quoniam nonnulli arbitrantur, concursum primæ causæ cum secunda ad producendum effectum secundæ causæ, esse solum influxum in actionem, & effectum secundæ causæ, non autem in ipsam secundam causam. Alij verò censent, esse influxum etiam in ipsam secundam causam. Et ideo primi dicunt, primam, & secundam causam esse duas causas partiales vnius, & eiusdem effectus, non quidem partialitate effectus, sed partialitate causæ, sicut duo portantes vnum pondus. Quorum neuter per se sufficit ad illud portandum, & sicut duo trahentes vnam nauem, quorum neuter solus illam trahit; licèt tractus nauis totus sit à quolibet trahente totalitate effectus.

VII. Secundi verò dicunt, primam causam esse causam totalem, non quidem per exclusionem consortij causæ secundæ; sed quia est causa totalis in suo ordine subordinans, & subiiciens sibi causam secundam, sicut etiam secunda est causa totalis in suo ordine licèt subiecta

primæ cauſæ, & ab illa dependens. Quæ verò ſententia probabilior ſit dicemus in ſequentibus.

Nunc quod ſpectat ad argumentum propoſitum reſpondetur, æquè facile illud poſſe diſſolui ſequendo primam ſententiam, ſicut ſequendo ſecundam. Nam ſi admittamus, concurſum diuinum eſſe ſolum influxum in actionem aut in effectum, concedendum eſt conſequenter, eſſe etiam cauſam partialem, demptis tamen imperfectionibus, quas adiunctas habet cauſa partialis. Et ad improbationem reſpondetur, duplicem eſſe cauſam partialem, alteram ex impotentia, & hæc neceſſariò eſt imperfecta: alteram non ex impotentia, ſed ex electione, quæ licèt poſſet ſe ſola totum effectum producere, tamen eligit conſortium alterius cauſæ, vt illam dignificet, & hæc non ſemper eſt imperfecta: & hoc modo dici poſſet, Deum eſſe cauſam partialem, & nihilominus non eſſe cauſam imperfectam; quia ſicut non arguit imperfectionem, quòd in cauſando admittat conſortium ſecundæ cauſæ, quia tale conſortium non eſt ex impotentia, ſed ex electione ipſius Dei volentis dignificare ſecundas cauſas; ita non arguit imperfectionem, quòd Deus concurrat ad aliquem effectum, vt cauſa partialis cum alia cauſa partiali, quia talis concurſus non eſt ex impotentia, ſed ex electione ad dignificandam ſecundam cauſam, maximè quando ſecunda cauſa eſt agens per intellectum, & liberam voluntatem.

Si autem admittamus, concurſum diuinum eſſe influxum in ipſas ſecundas cauſas, conſequenter dicendum erit, primam cauſam eſſe cauſam totalem, non quidem per excluſionem ſecundarum cauſarum, ſed eſſe totalem in ſuo ordine ſubordinantem ſibi ſecundas cauſas inferioris ordinis.

VIII. Sed contra primum modum dicendi inſtant nonnulli autoritatibus D. Auguſtini, & aliorum Sanctorum, qui contra Pelagianos docent, opus bonum non eſſe partim à libero arbitrio, partim à Deo, ſed totum à Deo: quia Deus præparat, & mouet voluntatem noſtram ad bonum, & facit, vt faciamus: Reiiciúntque ex profeſſo ſententiam Pelagij dicentis, bonum opus hominis partim eſſe ex Deo, partim ex homine. Illorum autoritates videri poſſunt apud Aluarez diſput. 85. de diuinis Auxilijs. Aluarez.

Reſpondeo primò, illos ſolùm docere, totum opus Deo tribuendum eſſe totalitate effectus, non totalitate cauſæ, vt illorum verba manifeſtè præſeferunt. Secundò dico illas autoritates extra propoſitum allegari in ſenſu à patribus minimè intento. Controuerſia enim inter Catholicos, & Pelagianos, non erat, an Deus poſſit dici cauſa partialis, eo modo, quo nunc de cauſa partiali diſputamus; ſed in eo ſenſu, vt opus noſtræ iuſtificationis eſſet partim ex libero arbitrio, partim ex gratia, quatenus initium noſtræ iuſtificationis eſſet ex nobis, illius verò conſummatio ex gratia. in hoc ſenſu Patres reiciunt ſententiam Pelagianorum, & docent, opus iuſtificationis totum eſſe Deo tribuendum; quia ex illo eſt non ſolùm conſummatio, ſed etiam initium noſtræ iuſtificationis: quia Deus prænenit nos ſua gratia in omni bono opere, & præparat voluntatem, & non ſolùm adiuuat volentem, ſed & facit, vt velit.

CAPVT XIX.

Quarta controuerſia proponitur, an concurſus Dei cum ſecundis cauſis ſit influxus in ipſas cauſas, an ſolùm in illarum actiones, & effectus. & opiniones Doctorum referuntur.

COnſtito de re, nunc de modo, quo Deus ſecundis cauſis ad illarum actiones, atque effectus cooperatur, agendum eſt. Hoc enim legitimè explicato, argumentum Caluinianum ex efficacia diuinæ motionis aduersùs arbitrij libertatem inſtructum ſtatim euanefcit. Omiſſis autem multis, quæ de diuino concurſu cum ſecundis cauſis inter recentiores controuertuntur, nos, quibus animus non eſt, velle de illorum controuerſijs arbitrari, ſed viam facilem, & tutam ad veram arbitrij libertatem ab hæreticorum moleſtijs tuendam aperire, tria tantùm dubia breuiter attingemus, & ſoluemus. Primum erit, an concurſus Dei cum ſecundis cauſis liberis ſit ſolùm influxus in illarum actiones, an in ſecundas cauſas, illas præparando, aut applicando, aut complendo, & potentes vltimatè reddendo ad ſuas operationes edendas. Secundum an per diuinam præmotionem ſecundæ cauſæ liberæ prædeterminentur phyſicè ad ſuas actiones. Tertium an eiuſmodi concurſus ſit de ſe indifferens, & quoad vtum ſubiaceat libertati ipſarum ſecundarum cauſarum. Aduertamus tamen ante omnia, non eſſe noſtri inſtituti agere vniuerſaliter de concurſu diuino cum omnibus ſecundis cauſis, ſed ſolùm cum ſecundis cauſis liberis, & præcipuè cum voluntate humana, de qua præſens tractatio principaliter eſt inſtituta. Quidquid enim ſit de aliis ſecundis cauſis, nihil noſtra intereſt. Aduertimus ſecundò nos non loqui de concurſu diuino ad quoſcunque actus, ſiue ſint ordinis ſupernaturalis, ſiue naturalis. Nam de concurſu ad actus ordinis ſupernaturalis libro ſequenti agendum erit: nunc verò, ſolùm agendum eſt de concurſu ad actus ordinis naturalis, ſiue moraliter bonos, ſiue indifferentes, ſiue etiam moraliter malos. Aduertimus tertiò non intendere nos diſputare de concurſu ſpeciali, quem Deus exhibet nonnunquam ad aliquos ſpeciales actus ordinis naturalis, qui licèt quoad ſubſtantiam ſint ordinis naturalis, ſunt tamen per diuinam prouidentiam ſpecialiter intenti, & voliti; ſed hîc ſolùm intendimus loqui de concurſu, & influxu Dei generali, quo, vt autor naturæ concurrit ad omnes actiones voluntatis creatæ, ad quas illa ſe per ſuam libertatem determinare voluerit, vt naturas rerum conſeruet tum in eſſendo, tum in agendo iuxta modum vnicuique rei proprium, & conuenientem. I.

Primum itaque dubium eſt, an concurſus diuinus cum humana voluntate ſit ſolùm influxus cum eadem voluntate in illius operationem, & effectum, qui propriè dici debet diuina cooperatio, an verò præter hunc influxum in actionem voluntatis ſit neceſſarius alius influxus in ipſam voluntatem prævius ad operationem, & complens voluntatem per modum actus primi, ſiue talis influxus re diſtinguatur ab influxu, qui eſt in operationem, ſicut priùs diſtinguitur à poſteriori, & ſicut illud, quod ſe tenet ex parte actus primi, diſtinguitur ab actu ſecundo: II.

ſiue

siue secundùm rem sint vnus influxus, qui primò recipiatur in voluntate inclinando illam ad actionem,deinde voluntate in actum secundum exeunte sese illi adiungat,& vt adiunctus voluntati ad influendum in actionem dicatur cooperatio.Hoc enim siue vno, siue altero modo dicatur, quantum ad id,quod modo quærimus,nihil refert.

Circa hoc dubium sunt duæ opiniones extremæ recentum Theologorum. Prima affirmat diuinum concursum generalem cum secundis causis ordinis naturalis, præcipuè cum voluntate libera,quatenus libera est; esse solum influxum in actionem,& effectum voluntatis creatæ,qui propriè dicitur cooperatio,& concursus. Nam concursus,si vocis significationem spectemus, significat cursum,seu operationem cum alio currente, & operante: non autem esse influxum præmium in ipsam voluntatem,antequam illa exeat actu in operationem: quod sub aliis terminis declarando dicunt,diuinum concursum cum secunda causa,quæ est voluntas, non esse aliquid per modum principij, sed solùm per modum actionis. Cùm enim voluntas creata,immo quælibet alia secunda causa respectu actionum, & effectuum ordinis naturalis,qui sunt sibi proportionati, & adæquati,habeat in sua creatione propriam formam; & vim agendi secundùm esse firmum,ratum, & permanens,superfluum existimant; quòd illa adhuc, vt actu operetur, semper indigeat noua motione primæ causæ,per quam inclinetur,aut moueatur, aut applicetur de nouo ad hanc, aut illam actionem circa hoc, vel illud obiectum; ita vt nisi de nouo à Deo præmoueatur,& inclinetur,& applicetur ad hanc numero actionem,& circa hoc obiectum hoc tempore, & loco, cum istis circumstantiis, ipsa voluntas non possit exire in actum secundum volitionis, aut contrarium nolitionis circa idem obiectum. Sed putant sufficere vim agendi & inclinationem à Deo inditam ipsi voluntati in sua creatione; & quòd habeat semper paratum diuinum concursum, & sibi applicatum per modum actus primi,vt possit, quotiescunque voluerit, cum illo exire in operationem: aut si eget alio præmouente, ad summum indigere aliquo proponente illi nouum obiectum, aut nouas rationes circa idem obiectum, ob quas ipsa voluntas moueatur ad obiectum volendum, aut respuendum.quod fieri potest vel per sensus exteriores offerentes ipsum obiectum intellectui, & mediante intellectu ipsi voluntati;vel per nouam cogitationem ipsius intellectus, vel etiam excitationem,qua intellectus excitatur,vel à Dæmone, vel ab Angelo bono,vel etiam à Deo, absque tamen vlla vera motione physicè recepta in ipsa voluntate. Quod declarari potest exemplo desumpto ab agentibus naturalibus; (eadem enim ratio est quantum ad hoc de vtrisque.) Ad hoc,vt ignis de nouo combuat hanc stuppam, vel lignum,non est necesse,vt Deus nunc de nouo moueat ignem, illum inclinando, & applicando ad hanc numero actionem, quæ est combustio stuppæ, sed sufficit vis combustiua, & inclinatio à natura ipsi indita; qua ille vim habet, & naturaliter inclinatur ad comburendum quodcunque combustibile sibi appositum.Vel si requiritur aliqua noua motio,illa non requiritur ex parte ignis ad hoc,vt applicetur, siue inclinetur ad comburendum: sed solùm ad hoc, vt obiectum fiat illi approximatum in debita distantia, & medium fiat bene dispositum,& auferantur impedimenta, absque alia noua inclinatione indita ipsi igni ad comburendum, quippe qui de se sufficienter est inclinatus ad comburendum quodcunque combustibile.Ita proportionabiliter dicendum de voluntate. Licèt enim in hoc sit diuersitas inter causas naturaliter agentes,v.g.ignem,& voluntatem, quòd ignis est naturaliter inclinatus ad comburendum omne combustibile sibi approximatum,voluntas autem non est naturaliter inclinata ad volendum omne obiectum sibi propositum, tamen in hoc est eadem ratio vtriusque, quòd sicut ignis absque noua inclinatione sibi indita à Deo,potest exire in actum combustionis; ita voluntas per suam libertatem proposito sibi quocunque obiecto creato ordinis naturalis, potest exire in actum volitionis, aut nolitionis, aut actum suspendere absque noua inclinatione à Deo sibi indita. Quod nos quoque lib.1.cap.28. probauimus.Atque istam contendunt esse sententiam non solùm communem apud Theologos Scholasticos, etiam apud D.Thom.verùm etiam apud Philosophos, in quorum scholis ante paucos annos istæ nouæ præmotiones seu applicationes, & inclinationes causatum naturalium ad singulos effectus,quos successu temporis causant in mundo, fuerunt penitus inauditæ, & ne per somnium quidem visæ,aut excogitatæ.

Secunda verò opinio constanter affirmat, ad III. hoc vt voluntas, & quælibet alia secunda causa creata exeat in actum secundum operationis,præter concursum diuinum simultaneum,qui est influxus cum ipsa voluntate in operationem,comparatione cuius operationis voluntas se habet actiuè, necessarium esse nouum influxum primæ causæ in ipsam voluntatem, respectu cuius voluntas se habet solùm passiuè,non autem actiuè. Est enim influxus præuius ad actionem ipsius voluntatis, per quem voluntas applicatur à Deo ad hanc particularem actionem,& ad illam inclinatur, & mouetur non secus atque securis ab artifice mouetur, & inclinatur, & applicatur ad scindendum: Ob quam causam alij vocant hunc influxum præuium applicationem,alij inclinationem,alij præmotionem,alij prædeterminationem physicam voluntatis ad operationem, quamuis quid in re illa sit, nondum satis apud illos constet.

Hanc sententiam constanter affirmant non solùm esse ipsissimam mentem Aristotelis, D. Augustini & D.Thom.sed verissimam,in tantum, vt quidam illorum dicant,certa,& immobili fide tenendum esse, quòd non solùm Deus paratus est ad concurrendum cum omnibus causis, verùm etiam quòd mouet,& applicat vniuersas causas ad operandum.Sic enim ait Bartholom.Medina 1.2. quæst.10.art.4.§.*Hæc ratio defendendi*. Multa hinc inde afferunt hi autores, vt suas quique partes tueantur, quæ si omnia hic forent recensenda, rem ageremus non necessariam, & fortasse non opportunam.Quare omissis partium studiis, breuiter aperiemus,quid de hac re senserint Aristot. D. Augustinus & D. Thom. & quæ sententia videatur nobis veritati magis consentanea. Barthol. Medina.

In primis quod ad sententiam Aristotelis spe- IV.
ctat,arbitror,illum hunc nouum influxum immediatum primæ causæ in actionem voluntatis creatæ, aut in ipsam voluntatem creatam, siue ille concipiatur per modum actionis, siue per modum principij,minimè agnouisse,& nulla euidenti autoritate Aristotelis illum probari posse. Primò nanque dubium est apud Philosophos, & Theologos,necnon apud priscos Patres, an Deus ex

Digitized by Google

ex sententia Aristotelis cognoscat futura contingentia, quæ ex libera hominum voluntate pendent, cognitione certa, & distincta; & an humanæ actiones subiectæ sint prouidentiæ Dei certæ, atque distinctæ. Et licèt D. Thomas pro ea, quæ fuit summa eius pietas, conatus fuerit mentem Aristotelis Catholicè interpretari: tamen communior sensus Scholasticorum, & Patrum, & Philosophorum, qui ipsum Aristotelem interpretantur, est, illum minimè credidisse, Deum habere actuũ humanorum certam, atque distinctam notitiam, & prouidentiam, vt ostendimus lib. 3. cap. 2. & lib. 5. cap. 4. & 6. Secundò dubium est inter viros doctos, an Deus de mente Aristotelis sit causa efficiens mundi, an finalis tantùm; nec desunt, qui censeant illum arbitratum fuisse, primam causam mouere secundas causas tantùm in genere causæ finalis, & non efficientis, aut ad summum esse efficientem conseruantem, non autem largientem verè esse creaturis. Et licèt communior sit sententia mundum ex mente Aristotelis pendere à Deo in genere causæ efficientis: omnes tamen, paucissimis exceptis, fatentur ex mente illius, Deum non esse causam rerum sublunarium immediatam, sed mediatam, vt hoc eodem lib. cap. 2. probatum est. Tertiò consentiunt ferè omnes expositores Aristotelis, Deum non agere in hæc inferiora, nisi mediante motu, & lumine corporis cælestis; de qua re inter nouissimè scribentes videri potest Franciscus Picolommeus in suo lib. de cælo cap. 39. 40. & sequentibus. Motus autem, & lumen corporis cælestis in humanas voluntates directè nihil influere, puto rem esse Theologis ita manifestam, vt non opus sit illam probare. Quartò sentiunt etiam plerique Theologorum, Patrum, & Philosophorum, Deum ex mẽte Aristot. agere ad extra ex necessitate naturæ, vt visum est lib. 4. cap. 2. & 3. Dicere verò Deum humanas actiones minimè nosse notitia distincta, & actuum humanorum minimè habere distinctam prouidentiam, neque esse causam rerum sublunarium, nisi mediantibus causis superioribus, neque agere in hæc inferiora, nisi per motum, & lumen corporis cælestis, & agere ad extra ex necessitate naturæ: & nihilominus non solùm influere immediatè in mediatione virtutis, & supposíti tum in actiones liberas humanæ voluntatis, quatenus liberè, & distinctè, & successiuè fiunt in tempore, tum in ipsam voluntatem de nouo distinctè, & successiuè illam applicando, & inclinando, & præmouendo ad hanc, & illam actionem hoc tempore, & loco cum his, aut illis circumstantiis, videtur omnino simile esse, ac, vt Horatius ait,

Franciſ. Picol.

Horatius.

Humano capiti cervicem pictor equinam
Iungere si velit, & varias inducere plumas,
Vndique collatis membris, vt turpiter atrum
Desinat in piscem mulier formosa superne,
Spectatum admissi risum teneatis amici.

Quamobrem ne Philosophis risum excitemus, & veritati manifestum præiudicium inferamus; si probanda sit illa sententia, qua quidam contendunt, Deum influere immediatè in humanas voluntates, illas de nouo præmouendo ad singulos actus secundùm hîc, & nunc, omittendum erit in hac re testimonium Aristotelis, quod illis nihil prodesse, multum autem poterit obesse.

V. Sed dicetur statim, esse axioma Aristotelis in 7. Physicorum cap. 1. & lib. 8. cap. 5. communiter ab omnibus receptum, omne quod mouetur, ab alio moueri. Ex quo principio in dictis locis ille concludit, deueniendum esse ad vnum primum mouens, quod omnia agentia moueat, & ipsum non moueatur, ne detur processus in infinitum. Et specialiter in 8. phys. text. 53. expressè docet, primum mouens mouere magis, quam inferiora mouentia, tum quia primum mouet inferiora, at inferiora non mouent primum: tum secundò, quia primum mouet sine inferioribus: inferiora verò non mouent sine primo. Et sunt hæc illius verba. *Vtraque igitur mouere dicimus, & primum, & vltimum mouentium; sed magis primum. Illud enim mouet vltimum: sed non hoc primum: & sine primo quidem vltimum non mouebit: illud autem sine hoc, vt baculus non mouebit, nisi moueatur ab homine.*

Verùm hæc autoritas nihil ad rem facit. Primò, quia constat, Aristotelem loqui de motu locali, aut de motu alterationis, generationis, & corruptionis, qui pendet à motu locali corporis cælestis. Vnde siue sit verum, quòd primum mouens moueat omnia mouentia inferiora, siue non, totus ille Aristot. discursus extra propositum ad hãc rem applicatur, hîc enim non agimus, nisi de motu voluntatis, qui non pendet à motu locali, nec est motus localis, sed metaphoricus.

Secundò, quia illud axioma, omne, quod mouetur, ab alio mouetur, si sic intelligatur, vt moueatur ab alio re, & subiecto distincto, nullibi reperitur apud Aristot. vt Medina adnotauit. 1. 2. q. 9. art. 4. §. *Vt hoc argumentum confutetur.* vbi specialiter aduertit, hoc non esse verum in motibus spiritualibus, quales sunt motus intellectus, & voluntatis. Immo neque loquendo de motu locali id est vniuersaliter verum, Angelus enim localiter mouetur, & à seipso mouetur. Videatur Scotus in 2. d. 25. q. vnica lit. B. C. D. E.

Barthol. Medina. Scotus.

Tertiò, quia per primum mouens, à quo omnes motus mouentium inferiorum pendent, non intelligit Deum, sed corpus cæleste. Aut si demus intelligere Deum, non dicit, quòd motus agentium inferiorum sublunarium pendeãt immediatè à Deo: sed ad summum colligi potest, quòd motus agentium inferiorum pendent à primo mouente immobili mediante motu primi mobilis. De influxu verò immediato in hoc, aut illud agens particulare, in hanc, & illam voluntatem, ad hanc, & illam actionem, de quo nunc est tota difficultas, nec verbum quidem.

Quartò, quia esto dicat, omne agens inferius esse monens motum à causa prima, ad hoc verificandum sufficere videtur, quòd agens inferius sit motum aliquo motu, quo vel producatur in esse, vel conseruetur, vel approximetur suo mobili. Non autem necesse est, vt moueatur isto influxu immediatè de nouo à Deo causato, quem Aristoteles videtur omnino ignorasse.

VI. Omitto hîc celebrem illam quæstionem non solùm inter Philosophos, sed etiam inter Scholasticos de dependentia motus corporum sublunarium à motu corporis cælestis, an & quomodo motus omnium corporum inferiorum pendeant à motu primi mobilis. An cessante motu cæli cessaret statim omnis motus, ac transmutatio in sublunaribus. v. g. An cessante motu cæli, si apponeretur stuppa igni, illam comburerer. Vanum enim videtur dicere, statim ignem fore amissurum vim suam comburendi, neque combusturum stuppam sibi appositam. Et Durandus in 2. d. 15. quæst. 3. n. 11. dicit, quòd iste articulus fuit damnatus per facultatem Parisiens. quòd ignis cessante motu cæli non combureret stuppam sibi appositam. De qua re videri potest Durand. ibidem,

Durand.

&

Scotus. Francis. Picolo.

& Scotus d.14.in fine, & Francis. Picolomin. lib. de cælo cap.42.

Est itaque discursus Arist. omnes motus rerum inferiorum reducendos esse in vnum primum motum,qui est motus corporis cælestis ; & illum motum reducendum esse in vnum primum mouens immobile,quod est intelligentia separata, & istud primum esse magis mouens quàm inferiora mouentia,quia mouet inferiora,& mouet sine illis : (intellige syncategorematicè.) Illa autem non mouent primum , neque mouent sine illo. Sed ex hoc discursu nullo modo videtur intelligi , Deum mouere immediatè humanas voluntates siue per influxum illum prævium in ipsás voluntates,siue etiam per influxum in illarum actiones, quem , vt dictum est,Arist. visus est omnino ignorasse.

Aristot.

Dicetur,Aristotelem in lib.7.moral. Eudemiorum cap.18.quem citat D.Thom.in 1.2. q.9.art.4. in corp.& q.109. art. 2. ad primum docere , quòd primi motus voluntatis sunt ex instinctu diuino.

Respondeo , Philosophum ibi loqui de bona fortuna secundùm ea , quæ de illa dicebantur à popularibus. Neque tamen dixisse omnes primos motus voluntatis fieri ab existente in nobis numine,sed aliquos tantùm : neque an fiant per influxum prævium in ipsam voluntatem,aut simultaneum cum voluntate,aut excitando mentem,& proponendo obiectum eidem voluntati, & vt semel dicamus , hæc autoritas debile nimis est fundamentum ad hanc rem adstruendam.Hæc de autoritate Aristotelis.

VII. Augusti.

De sententia D. Augustini maior videtur esse difficultas. In primis nanque docet Augustinus lib.5.de Genes.ad literam cap. 20. & lib.22. de ciuitate cap. 24. Deum occulta potentia mouere omnes creaturas , & si efficacem potentiam suam rebus subtrahat , illas nec progredi posse,nec suis motibus peragere tempora , nec prorsus in eo, quòd creata sũt, aliquatenus permanere.& lib.3. de Trinitate cap. 4. ait , Dei voluntatem esse primam , & summam causam omnium corporalium specierum,atque motuum.

Secundò docet Augustinus Deum agere homines,vt agant,& facere,vt faciant, & facere , vt velint , & sine nobis operari , vt velimus : & nobiscum cooperari cùm volumus. Qui modus loquendi est frequens in Augustino vt in lib. 1. de Gratia Christi contra Pelagium , & Celestium cap.25. lib. de corrept , & gratia cap. 2. in lib.de Gratia, & lib.arbitr.capite 16. lib.3. Hypognost. serm. 13. de verbis Apostoli , & aliis multis in locis.

Tertiò,quod magis hanc rem vrget,docet Augustinus, Deum operari intus in cordibus hominum motum voluntatis ad inclinandas eorum voluntates,siue in bonum,siue in malum. Neque hoc facere solùm permittendo, sed etiam per potentiam compellendo ; & voluntates hominum magis esse in potestate Dei,vt ex illis faciat quidquid voluerit , & illas conuertat,& inclinet quocunque voluerit , quàm sint in potestate ipsorum hominum. Ita enim conceptis verbis testatur lib. 5. contra Iulianum capite tertio & lib. de Gratia & libero arbitrio capite 20. & 21. quæ loca suprà libro quarto adduximus , & explicauimus.

Nihilominus dicendum videtur,ex Augustino certò colligi non posse,vtrùm Deus id faciat,voluntatem mouendo physicè , an solùm moraliter. Et esto id faciat mouendo illam physicè , an talis motus sit influxus in ipsam voluntatem prævius ad actionem , an solùm influxus cum voluntate in actionem ; & an loquatur de influxu generali ad omnes actiones ordinis naturalis,an solùm de influxu speciali ad aliquas actiones speciales,quæ sunt ordinis supernaturalis, aut etiam ad aliquas, quæ licèt sint quoad substantiam ordinis naturalis,sunt tamen ex speciali Dei intentione. Et demum an loquatur de motu , qui est nouus influxus,an de motu,quo res producit in esse,& dat illis vires ad agendum , & illas conseruat. Primò nanque in illis locis citatis ex lib.5.de Genesi ad literam cap.20.& lib.3.de Trinit. cap.4. & lib.22. de ciuitate cap. 24. videtur Augustinus loqui de motione efficaci,qua res producit in esse , & illarum vires vegetat,& seruat,& iuuat in agendo,sicut patebit legenti. Ad hæc in dictis locis ait, Deum omnia in omnibus operari,non tamen eodem modo, sed aliqua faciendo,& iubendo , aliqua verò solùm permittendo , quod ait etiam in Enchiridion.cap.96.

Secundò,quia constat, Deum non omnia facere , quæ potest ; Augustinus verò multis in locis loquitur de iis , quæ Deus facere potest , non de iis,quæ actu facit. Tertiò, quia cùm ait,filios Dei agi ita , vt etiam ipsi agant , & Deum operari in nobis velle,& facere,vt velimus,loquitur de concursu , siue de influxu diuino ad speciales actus, qui sunt ordinis supernaturalis. Et nihilominus in lib.de gratia & lib.arbitr. cap.16. ipsemet subiungit , quánam ratione dicatur Deus facere vt faciamus,& vt velimus,dicens,*Certum est nos facere,cùm faciamus , sed ille facit,vt faciamus , præbendo vires efficacissimas voluntati.* Dicitur autem præbere vires ad agendum non solùm , qui influit potentiæ operanti vires ad agendum, sed etiam qui ipsi potentiæ operanti se adiungit ad opus perficiendum , & diuina gratia ob hanc causam vocatur auxilium , & gratia adiuuans. Et tandem quod hanc rem planè conuincit,illa eadem loca,in quibus Augustinus apertè videtur dicere,Deum operari intus in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates,& agere motum voluntatis, & hominum voluntates per potentiam compellere, necesse est aliter exponere, & interpretari , nimirum vt operetur Deus motum voluntatis , & illam inclinet,& compellat per potentiam nõ quidem positiuè influendo in illam motum,& inclinationem,sed solùm permittendo,aut ordinando, & dirigendo motum eiusdem volũtatis, & vnam viam illi aperiendo,alias interim claudendo. Aliàs enim si verba Augustini sic nudè forent intelligenda,prout iacent,oporteret fateri, illum in eo errore fuisse , quem ex eius verbis malè intellectis acceptum illi imposuerunt Massilienſ.nempe Deum æquè omnia mala , sicut bona in nobis operari , & homines in peccata compellere per suam potentiam.

Nam ipse Augustinus in lib.5. cõtra Iulianum cap.3.loquitur de motu voluntatis ad malum. Ait enim. *Quid autem est quod dicit,cùm desideriis suis traditi dicuntur,relicti per diuinam patientiam intelligendi sunt ; non per potentiam in peccata compulsi? quasi non simul posuerit hæc duo idem Apostolus,& patientiam,& potentiam.* Et in lib.de Gratia, & libero arbitrio cap.20. indistinctè loquitur de motu , & inclinatione , qua mouentur , & inclinantur humanæ voluntates ad bonum , & ad malum , sic enim ait. *Scriptura diuina si diligenter inspiciatur, ostendit , non solum bonas hominum voluntates , quas*

ipse

ipſe facit ex malis, & à ſe factis bonas in actus bonos, & in æternam dirigit viam: verum etiam illas, quæ conſeruant ſæculi creaturam, ita eſſe in Dei poteſtate, vt eas, quo voluerit, quando voluerit, faciat inclinari, vel ad beneficia quibuſdam præſtanda, vel ad pœnas quibuſdam ingerendas. Et eodem modo loquitur cap. 21. dicens, *Quia non iſta iudicia diuina contremiſcat, quibus agit Deus in cordibus etiam malorum hominum quidquid vult, reddens eis tamen ſecundùm merita eorum.* & infrà: *Agit enim omnipotens in cordibus hominum etiam motum voluntatis eorum, vt per eos agat quod per eos agere ipſe voluerit, quis iniuſte aliquid velle non nouit.* Quare nec cum Caluino dicamus ſenſiſſe Auguſtinum Deum mouere hominum voluntates ad malum, neceſſe eſt hæc Auguſtini teſtimonia exponere. Quomodo verò illa ſint exponenda, oſtendimus ſuprà lib. 4.

Ex his apparet neque ex Ariſt. neque ex D. Auguſtino certi aliquid haberi poſſe ad oſtendendum, quòd influxus diuini concurſus cum humana voluntate ſit non ſolùm influxus in actionem, ſed etiam in ipſam voluntatem. Quid verò de hac re ſenſerit D. Thom. ſequenti capite aperiemus.

CAPVT XX.

Sententia D. Thom. circa dubium capite præcedenti propoſitum aperitur, ac defenditur.

1. MAior adhuc videtur ſupereſſe difficultas circa ſententiam D. Thom. Nam quòd influxus diuini concurſus cum humana voluntate ad actus liberos ſit non ſolùm influxus in actionem, & per modum actionis, qui dicitur cooperatio, ſiue influxus cooperans, ſed etiam in ipſam voluntatem, & per modum principij, qui dicitur influxus operans, & præmouens voluntatem, res videtur tam certa, & conſtans, vt illam negare nihil aliud ſit, niſi mentem huius Doctoris penitus ignorare. Nullus enim eſt eius liber Theologicus, vt de Philoſophicis taceamus, in quo non pluribus vicibus hanc ſuam mentem expreſſerit. in 2. ſentent. d. 25. quæſt. 1. art 2. ad primum ſic ait: *Deus operatur in voluntate,* & in libero arbitrio. *Secundum eius exigentiam. Vnde etiam ſi voluntatem hominis in aliud mutet, nihilominus tamen hoc ſua omnipotentia facit, vt illud, in quod mutatur, voluntariè velit, & ita coactionis ratio tollitur.* Et d. 37. quæſt. 2. art. 2. ad 2. dicit, quòd Deus eſt cauſa actionis, in qua malum conſiſtit ſecundùm quod influit agéti eſſe, poſſe, & agere, & quidquid perfectionis in agente eſt. De potentia quæſt. 3. art. 7. in corpore ait, quòd Deus operatur omnes actiones naturæ. Primò, quia dedit rebus naturalibus virtutem ad agendum. Secundò, quia eandem virtutem ſemper conſeruat. Tertiò, quia virtutes ipſarum rerum mouet, & applicat ad actionem, ſicut homo eſt cauſa inciſionis cultelli, ex hoc ipſo, quòd applicat acumen cultelli ad incidendum, mouendo ipſum. Quartò, quia creaturæ ſunt inſtrumenta diuinæ virtutis, & inſtrumentum non agit virtute propria, ſed virtute principalis agentis ſibi participata; & ita creaturæ non attingunt effectum cauſæ principalis, qui eſt eſſe, niſi quatenus virtus cauſæ principalis eſt in ipſis creaturis. Et ad tertium ait, quòd in operatione, qua Deus operatur, mouendo naturam, non operatur ipſa natura: ſed ipſa naturæ operatio, eſt etiam operatio virtutis diuinæ, ſicut operatio inſtrumenti eſt per virtutem agentis principalis. nec impeditur, quin natura, & Deus ad idem operetur propter ordinem, qui eſt inter Deum, & naturam. Et ad ſeptimum ait, quòd virtus naturalis, quæ eſt in rebus naturalibus in ſua inſtitutione collata, ineſt eis, vt quædam forma habens eſſe ratum, & firmum in natura: ſed id quod à Deo fit in re naturali, quo actualiter agat, eſt vt intentio ſola habens eſſe incompletum per modum, quo colores ſunt in aëre, & virtus artis in inſtrumento artificis. Sicut ergo ſecuri dari potuit acumen, vt eſſet forma in ea permanens, non autem dari ei potuit, quòd vis artis eſſet in ea quaſi quædam forma permanens, niſi haberet intellectum; ita rei naturali potuit conferri vis propria, vt forma in ipſa permanens, non autem vis, qua agit ad eſſe, vt inſtrumentum primæ cauſæ, niſi daretur ei, quòd eſſet vniuerſale eſſendi principium; nec iterum rei naturali conferri potuit, vt moueret ſeipſam, nec vt conſeruaret ſe in eſſe. Vnde ſicut patet, quòd inſtrumento artificis conferri non potuit, quòd operaretur abſque motu artis; ita rei naturali conferri non potuit, quòd operaretur abſque operatione diuina. Et ad trigeſimum ait, quòd voluntas dicitur habere dominium ſui actus non per excluſionem cauſæ primæ; ſed quia cauſa prima non ita agit in voluntate, vt eam de neceſſitate ad vnum determinet, ſicut determinat naturam. Et ideo determinatio actus relinquitur in poteſtate rationis, & voluntatis. Et de malo quæſt. 3. art. 2. inquit, quòd neceſſe eſt, omnes motus ſecundarum cauſarum cauſari à primo mouente, ſicut omnes motus inferiorum corporum cauſantur à motu cæli. Deus autem eſt primum mouens reſpectu omnium motuum, & ſpiritualium, & corporalium, ſicut corpus cæleſte eſt principium omnium motuum inferiorum corporum. Et ad quartum dicit, quòd cùm aliquid mouet alterum, non ex hoc ipſo, quòd eſt mouens, ponitur, quòd eſt primum mouens: vnde non excluditur quòd ab altero moueatur, & ab altero habeat ſimiliter hoc ipſum, quòd mouet. Similiter cùm aliquid mouet ſeipſum, non excluditur, quin ab alio moueatur, à quo habet hoc ipſum, quòd ſeipſum mouet; & ſic non repugnat libertati, quòd Deus eſt cauſa actus liberi arbitrij. Et art. 3. inquit. ſic ergo motus voluntatis directè procedit à voluntate, & à Deo, qui eſt voluntatis cauſa, qui ſolus in voluntate operatur, & voluntatem inclinare poteſt in quodcunque voluerit. Et de Veritate quæſt. 24. art. 14. dicit, quòd nulla res poteſt in naturalem operationem exire, niſi virtute diuina; quia cauſa ſecunda non agit, niſi per virtutem cauſæ primæ, vt dicitur in libro de cauſis, & infrà. Sed voluntas hominis non eſt determinata ad aliquam vnam operationem, ſed ſe habet indifferenter ad multas, & ſic quodammodo eſt in potentia, niſi mota per aliquod actiuum, vel quod ei exteriùs repræſentatur, ſicut eſt bonum apprehenſum, vel quod in ea interiùs operatur, ſicut eſt ipſe Deus, vt Auguſtinus dicit in lib. de gratia, & lib. arbitr. & quæſt. 22. art. 8. dicit, quòd Deus poteſt voluntatem immutare ex hoc, quòd Deus in voluntate operatur, ſicut in natura. Vnde ſicut omnis actio naturalis eſt à Deo, ita omnis actio voluntatis inquantum actio non ſolùm eſt à voluntate, vt immediatè agente, ſed à Deo, vt à primo agente, qui vehementiùs imprimit. Vnde ſicut voluntas poteſt immutare actum ſuum in aliud, vt ex dictis patet; ita & multo ampliùs Deus. Immutat autem voluntatem dupliciter, vno modo mouendo tantùm,

tùm, quando ſcilicet voluntatem mouet ad aliquid volendum, tunc hoc quòd aliquam formam imprimat voluntati, ſicut nunc appoſitione alicuius habitus, quandoque facit, vt homo velit hoc, quod prius non volebat. Alio modo imprimendo aliquam formam in ipſa voluntate. Et articulo 9. ait, quòd ex parte voluntatis mutare actum voluntatis non poteſt, niſi quòd operatur intra voluntatem, & hoc eſt ipſa voluntas, & id quod eſt cauſa eſſe voluntatis, quòd ſecundùm fidem ſolus Deus eſt. Vnde ſolus Deus poteſt inclinationem voluntatis, quam ei dedit, transferre de vno in aliud, ſecundùm quod vult. Et libro primo contra Gentes cap. 68. in fine ait, quòd dominium, quod habet voluntas ſupra ſuos actus, per quod in eius eſt poteſtate velle, & non velle, excludit determinationem virtutis ad vnũ, & violentiam cauſæ exterùs agentis: non autem excludit influentiam ſuperioris cauſæ, à qua eſt ei eſſe, & operari. Et ſic remanet cauſalitas in cauſa prima, quæ eſt Deus reſpectu motuum voluntatis, vt ſic Deus ſeipſum cognoſcendo huiuſmodi cognoſcere poſſit. Et libro tertio capite 66. ratioc. 4. ait, quòd complementũ virtutis agentis ſecundi eſt ex virtute agentis primi. Et cap. 70. ait, quòd virtus inferioris agentis dependet à virtute ſuperioris agentis in quantum ſuperius agens dat virtutem ipſam inferiori agenti, per quam agit, vel conſeruat eam, ut etiam applicat eam ad agendum ſicut artifex applicat inſtrumentum ad proprium effectum. Et dicit etiam quòd inferiora agentia non agunt niſi in virtute primi agentis, quæ virtus eſt in ipſis agentibus inferioribus. Et capite 88 ratioc. tertia dicit quòd inclinationes naturales dare non eſt niſi eius, qui naturam inſtituit. Ergo & voluntatem inclinare in aliquid non eſt niſi eius, qui eſt naturæ intellectualis cauſa. Hoc autem ſolius Dei eſt. Ipſe igitur ſolus voluntatem noſtram in aliquid inclinare poteſt. Et prima parte quæſt. ſecunda art. 3. dicit, quòd mouentia ſecunda non mouent, niſi per hoc quòd ſunt mota à primo mouente, ſicut baculus non mouet, niſi per hoc, quòd eſt motus à manu. Et quæſt. 19. art. 5. ad 5. ait, quòd cauſa, quæ eſt ex ſe contingens, oportet, quòd determinetur ab aliquo exteriori ad effectum. Et quæſt. 83. art. 1. ad 3. dicit, quòd liberum arbitrium eſt cauſa ſui motus, quia homo per liberum arbitrium ſe mouet ad agendum. Non tamen hoc eſt de neceſſitate libertatis, quòd ſit prima cauſa ſui id quod liberum eſt. Sicut nec ad hoc, quòd aliquid ſit cauſa alterius, requiritur, quòd ſit prima cauſa ſui. Deus igitur eſt prima cauſa mouens & naturales, & voluntarias. Et ſicut naturalibus cauſis mouendo eas non aufert, quin actus earum ſint naturales; ita mouendo cauſas voluntarias non aufert, quin actiones earum ſint voluntariæ: ſed potiùs hoc in eis facit. Operatur enim in vnoquoque ſecundùm eius proprietatem. Et quæſtione 105. articulo quarto ad ſecundum dicit, quòd moueri voluntariè eſt moueri ex ſe, id eſt, à principio intrinſeco: ſed illud principiũ intrinſecũ poteſt eſſe ab alio principio extrinſeco: & ſic moueri ex ſe non repugnat ei, quod mouetur ab alio. Idem in ſenſu repetit ad tertium, & articulo quinto in corp. dicit, quòd omnia agentia ſecundaria agunt in virtute Dei, & ita diuina virtus eſt cauſa omnium actionum agentium. Et quòd Deus mouet non ſolùm res ad operandum quaſi applicando formas rerum ad operandum, ſicut etiam artifex applicat ſecurim ad ſcindendum, qui tamen interdum formam ſecuri non tribuit, ſed etiam dat formam creaturis agentibus, & eas tenet in eſſe. Et ad tertium ait, quòd Deus non ſolùm dat formas rebus, ſed etiam conſeruat eas in eſſe, & applicat eas ad agendum, & eſt finis omnium actionum. Et quæſtione 106. articulo ſecundo ait, quòd ex parte potentiæ voluntas nullo modo poteſt moueri niſi à Deo, operatio enim voluntatis eſt inclinatio quædam volentis inuolitum. hanc autem inclinationem ſolus ille immutare poteſt, qui virtutem volendi creaturæ contulit. Idem ferè eiidem verbis dicit quæſtione 111. articulo ſecundo, & in prima ſecundæ quæſtione 9. articulo quarto. Vnde neceſſe eſt ponere, quòd in primum motum voluntatis voluntas prodeat ex inſtinctu alicuius exterioris mouentis, ſicut Ariſtoteles concludit in quodam capite Ethicæ Eudimicæ. Et ad primum ait. *Vnde motus voluntarius, etſi habeat principium proximum intrinſecum, tamen principium primum eſt ab extra, ſicut primum principium motus naturalis eſt ab extra, quod ſcilicet mouet naturam.* Idem ad ſecundum & ad tertium in fine ait. *Vnde voluntas indiget moueri ab alio, ſicut à primo mouente.* Idem articulo ſexto in corp. & ad tertium. Vbi ait, quòd Deus mouet voluntatem hominis ſicut vniuerſalis motor ad vniuerſale obiectum voluntatis, quod eſt bonum, & ſine hac vniuerſali motione homo non poteſt aliquid velle: ſed homo per rationem determinat ſe ad volendum hoc, vel illud, quod eſt verè bonum, vel apparens bonum. Sed tamen interdum ſpecialiter Deus mouet aliquos ad aliquid determinatè volendum, quod eſt bonum, ſicut in his, quos mouet per gratiam. Et quæſtione 109. articulo primo inquit, quòd ſicut motus omnes corporales reducuntur in motum cæleſtis corporis, ſicut in primum mouens corporale, ita omnes motus tam corporales, quàm ſpirituales reducuntur in primum mouens ſimpliciter quod eſt Deus. Et ideo quantuncunque natura aliqua corporalis, vel ſpiritualis ponatur perfecta, non poteſt in ſuum actum procedere, niſi moueatur à Deo. & infrà: *Sic igitur actio intellectus, & cuiuſcunque agentis creati dependet à Deo quoad duo, vno modo inquantum ab ipſo habet perfectionem ſiue formam, per quam agit: alio modo, inquantum ab ipſo mouetur ad agendum.* Et articulo ſecundo ad primum inquit, quòd homo eſt dominus ſuorum actuum volendi, & non volendi propter deliberationem rationis, quæ poteſt flecti ad vnam partem, vel ad aliam ſed quòd deliberet, vel non deliberet, & ſi huiuſmodi etiam ſit dominus, oportet quòd hoc ſit per deliberationem præcedentem: & cùm hoc non procedat in infinitum, oportet, quòd finaliter deueniatur ad hoc, quòd liberum arbitrium hominis moueatur ab aliquo exteriori principio, quod eſt ſupra mentem humanã, ſcilicet à Deo, vt etiã Philoſophus probat in capitulo de bona fortuna. Vnde mens hominis etiam ſani, non ita habet dominium ſui actus, quin indigeat moueri à Deo. Et art. 9. inquit, quòd nulla res creata poteſt in quencunque actum prodire, niſi virtute motionis diuinæ. Et demũ lib. 3. de Regimine Princip. cap. 8. ait, quòd ſic ſe habet virtus hominis dominantis ad Deum, ſicut virtus baculi ad percutientem, & ſicut virtus ferræ ad artificem. Hæc D. Thom. ad verbum, quæ ita apertè illius mentem declarant, vt nullus circa illam dubitationi locus relictus eſſe videatur.

Et non deſunt nihilominus, qui contendãt, vel D. Th. non ſenſiſſe influxum primæ cauſæ cum libero.

libero arbitrio ad eius liberas actiones esse influxum in ipsam voluntatem prævium ad liberam actionem, sed simultaneum cum influxu voluntatis creatæ in ipsam actionem tantùm; vel si aliquando id senſit, tamen in Summa, quam veluti vltimam voluntatem ſuam nobis reliquit, priorem ſententiam ſaltem tacite retractaſſe. Id verò ex eo probare nituntur, quia vel D. Thom. in Summa omiſit præcipuum modum, quo Deus concurrit cum ſecundis cauſis, vel per motionem, & applicationem, qua ſecundæ cauſæ præmouentur, & applicantur à prima ad agendum, intelligit influxum non prævium, ſed ſimultaneum cum ſecundis cauſis in illarum operationes. Primum dici non poteſt, cum D. Thom. data opera inueſtiget, & recenſeat omnes modos, quibus Deus operatur in ſecundis cauſis, vt colligitur ex 1. part. quæſt. 105. art. 5. Quod autem ex hoc ſequatur, dicendum eſſe, illum nomine motionis, & applicationis, ſiue inclinationis ad agendum intellexiſſe influxum ſimultaneum in actionem ſecundæ cauſæ, qui eſt diuina cooperatio. Probant, quia hic modus concurrendi cum ſecundis cauſis eſt præcipuus, & ſummopere neceſſarius, vt ſecundæ cauſæ operentur, vt omnes Theologi ſine exceptione fatentur: & tamen nullus eſt locus in D. Thom. in quo ſub alia verborum forma illius meminerit. Aut igitur illum ignorauit, & omiſit, aut nomine præmotionis, applicationis, & inclinationis ſecundarum cauſarum intelligit influxum ſimultaneum, qui eſt cooperatio, non autem influxum prævium in ipſas cauſas. Secundò id probant, quia ſic D. Thomam interpretati ſunt antiqui illius Interpretes, Capreolus in 2. d. 28. q. 1. art. 3. ad 12. contra primam concluſionem. Licèt enim loquendo de actibus bonis ordinis ſupernaturalis, doceat Deum non ſolùm concurrere cum voluntate creata ad illorum productionem, ſed etiam mouere ipſam voluntatem tanquam inſtrumentum ad concauſandum: tamen loquendo de actibus ordinis naturalis, ad quos Deus concurrit ſolo concurſu, & influxu vniuerſali, & generali, aperte docet diuinum concurſum non eſſe prævium ad actionem. ſed ſimultaneum cum influxu cauſæ creatæ ad eandem actionem. Sic enim ait: *Sic ergo ad argumentum dico, quòd Deus inuat nos immediatè ipſum actum efficiendo, & quòd non ipſe ſolus efficit actum, ſed etiam voluntas coefficit: ſed, vt iam tetigi, non ſolum inuat Deus ad bonum velle partialiter coefficiendo, qui eſt modus communis, quo concurrit ad cuiuſlibet agentis creati effectum quemlibet, vt in argumento dicebatur; ſed etiam quodam modo ſpeciali, videlicet faciendo ipſam voluntatem partialiter concurrere, ita quòd ipſa voluntas partialiter concauſata applicata, & quaſi inſtrumentaliter mota à Deo ad ſic partialiter concauſandum.* Ecce ſentit Capreolus modum concurrendi per influxum prævium in voluntatem applicando illam, & faciendo illam partialiter concauſare, eſſe modum ſpecialem, quo Deus concurrit cum voluntate ad ſolos actus ordinis ſupernaturalis: cæterùm modum concurrendi ad actus ordinis naturalis per ſi fluxum generalem, eſſe ſolum concurſum, & influxum cum voluntate in ipſam actionem. Caietanus quoque ſic mentem D. Thom. videtur interpretari, vt cùm ait, ſecundas cauſas non mouere, niſi quatenus motas à prima cauſa, intelligendus ſit de motione non prævia ad actionem ſecundarum cauſarum, ſed de motione cooperante. Nam prima parte quæſt. 14. art. 13. §. *Nec ſuſtinendum*, ſoluens primum argumentum Scoti contra D. Th. quod erat cauſa quæ mouet, inquantum mota, ſi neceſſariò mouetur, neceſſariò mouet: ſed omnis cauſa ſecunda mouet, ſeu agit, inquantum mota à prima. &c. Primò diſtinguit illam particulam, *inquantum mota ab alia.* Aut enim oſtendit cauſam præciſam, & ſic falſa minor; aut concauſam, & ſic falſa maior. Stat enim cauſam primam mouere neceſſariò ſecundam, & tamen ſecundam non neceſſariò mouere, quia motio cauſæ primæ modificatur in cauſa ſecunda. Secundò diſtinguit de cauſa mota ab alia, aut motione prævia, aut motione cooperante intrinſecè ad propriam actionem, & inquit.

Capreol.

Caietan.

Primo modo, dato quòd eſſet vera, & ſuſtentabilis, ſecundo tamen modo ſuſtineri non poteſt dicta propoſitio. Quoniam cauſa cooperans intrinſecè cooperatur vnicuique ſecundum modum eius, cui cooperatur: talis eſt autem cooperatio prima cauſæ, de qua ſcriptum eſt, quòd attingit à fine vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter, iuxta ſcilicet modum cuiuſque cooperantis vnicuique. Et clariùs in quæſtione 19. art. 8. vbi propoſito eodem argumento Scotico, reſpondet. *Ad primum argumentum Scoti multipliciter reſponderi poteſt. Primò diſtinguendo ly mota, ſeu ly mouetur. Dupliciter enim contingit ſecundam cauſam moueri à prima, vno modo motione prævia propria actioni, ſicut baculus mouet lapidem motus a manu: alio modo motione cooperatiua intrinſecè propria actioni. Et quidquid ſit de maiori in primo ſenſu, in ſecundo tamen eſt falſa, in quo tantum verificatur minor: non enim oportet cùm aliquis vult aliquid, ſeu cùm ſol illuminat, primam cauſam prævia motione cooperari talis electionis, vel illuminationis, & hoc quia cooperatio in vnoquoque eſt ſecundum naturam vnius cuiuſque, ſic enim diſponit omnia ſuauiter.* nil clariùs dici potuit. Corradus quoque in prima ſecundæ quæſtione 79. articulo primo ſoluens idem argumentum Scoti, ait. *Quare in propoſito intelligas iuxta Doctoris ſancti mentem, Deum primo concurrere ad actum peccati, quia videlicet voluntas non agit niſi in virtute Dei, qua tamen ſolum habet motionem cooperatiuam, & prius attingit cooperando, quia intimius attingit. Et non imagineris modo Stoico, quaſi ſit aliqua diuiſio naturæ, in cuius primo inſtanti Deus attingat actum peccati, & in ſecundo creatura.* fatetur etiam Capreolus loco proximè citato Gregorium Ariminen. in hac re per omnia concordare cum D. Thom. At Gregor. Ariminen. in ſecundo diſt. 38. quæſtione ſecunda articulo ſecundo apertè negat diuinum concurſum eſſe influxum prævium in ſecundas cauſas, & concedit eſſe ſolum influxum cum ſecunda cauſa in actionem, & in effectum.

Corradus.

Greg. Arimi

III. Ita expoſitionum varietas ſenſum verum, & legitimum D. Thom. aliqualiter obſcurare, & abſcondere videtur. Nihilominus dicendum eſt primò, D. Thom. non in omnibus locis allegatis locutum fuiſſe de hac motione prævia, quæ eſt influxus nouus, & realis in ſecundam cauſam prævius ad actionem applicans, & inclinans ipſam ſecundam cauſam ad actionem, vt vult prima opinio. Probatur, quia in plerisque locis nomine motionis, inclinationis, & applicationis intelligit ſolùm naturalem illam inclinationem, & pondus, & propenſionem ſemel traditam formæ, & virtuti ſecundæ cauſæ ad agendum, quatenus talis inclinatio cùm ſit motus quidam fluens ab ipſa forma, & virtute ſecundæ cauſæ ſemper concipitur, vt

vt in fieri,& vt indigens cauſa mouente, & inclinante,& ob hanc cauſam dicitur Deus præmouere omnes ſecundas cauſas ad ſingulas earu actiones, quatenus conferuat in eis inclinationem, & propenſionem illis ſemel inditam ad agendum. Quod facile intelligemus, ſi concipiamus formam agentem,& inclinationem ad agendum non eſſe vnum,& idem,ſed duo quædam diſtincta, & abinuicem ſeparabilia. Quod licèt in agentibus naturalibus non niſi miraculo eueniat; conſtat tamen aliquãdo euenire. Verbi gratia in igne eſt calor,qui eſt forma permanés habens eſſe ratum, & firmum:Eſt etiam in igne inclinatio ad calefaciendum.Et licèt videatur difficile intelligere calorem eſſe, & non eſſe inclinationem ad calefaciendum,aut comburendum: conuincitur tamẽ, hanc inclinationem eſſe aliquid ſuperadditum ipſiformę caloris.Quia diuinavirtute factũ eſt aliquando,vt manente forma ignis cum ſuo calore, nihilominus nõ combureret rem ſibi appoſitam, ſed nec calefaceret quidem. In artificialibus verò faciliùs id cernere licet,ſecuris enim habere poteſt ab vno agente formam & vim incidendi, & ab alio applicationẽm,& inclinationem, & poteſt habere formam, & vim ad incidendum ſine applicatione, & inclinatione. Quia igitur ſecundæ cauſę nõ ſolùm accipiũt à Deo formas,& vires ad agendum, ſed etiam inclinationem ad actu agendum, naturales naturaliter, & voluntariæ ſecundùm modum conuenientem ipſi voluntati,& huiuſmodi inclinatio motus quidam eſt, cuius eſſe eſt illius fieri,& neceſſe eſt, talem inclinationem ſemper à Deo conſeruari in eſſe:ideo dicuntur ſecundæ cauſæ ſemper indigere diuina applicatione,& præmotione ad hoc vt operentur. Et ita ſeipſum videtur explicate D. Thom. de potentia quæſt.3.art.7.& de malo quæſt.3.art.2.de veritat. quæſt.24. art. 14. 3.contra Gent. cap. 70. 1. part. quæſt. 105. art.5. & 1.2. quæſt.9. art.4. ad ſecundum. D.Thom.

Secundò ait nonnunquam D. Thom. Deum præmouere omnes ſecundas cauſas ad agendum, ſiue ſecundas cauſas non agere,niſi motas, & applicatas à prima cauſa, quia Deus dat illis virtutem agendi,& ſeipſas mouendi.Et hæc explicatio ad literam colligitur ex eodem D. Thom. quæſt. tertia de malo art. ſecundo ad quartum.& quæſt. 24.de veritate art.14.& 1.part. quæſt. 105. art.4. ad 1.

Tertiò cùm dicit,voluntatem indigere moueri à principio extrinſeco, maximè à primo mouẽte, loquitur vel de motu, quo voluntas mouetur ab obiecto ſibi propoſito,vel de motibus primò primis,qui ſunt rationes conſulendi, & deliberandi, vel ad ſummum dicit, Deum præmouere voluntatem ad vniuerſale obiectum,quod eſt bonum in cõmuni.Non autẽ loquitur de ratione,& applicatione ad hoc & illud obiectũ particulare, de qua nunc eſt controuerſia.Et iuxta hunc modum non eſt dubium explicandum eſſe D.Thom.in 1.2.q.9. art.4.ad 3.& q.109.art.2.ad 1.& aliis in locis,quę paſſim occurrunt.

Quartò ait D. Thom. voluntatem ad hoc, vt exeat in actum ſecundum,indigere noua inclinatione, aut applicatione, aut motione diuina, loquendo de concurſu, & influxu Dei ſpeciali ad actus ſupernaturales, ad quos eliciendos non habet ſufficiens principium in ipſa voluntate exiſtens per modum permanentis, neque naturalem propenſionem,ſed opus eſt,vt per formam ſuperadditam de nouo ſemper inclinetur, quæ forma eſt diuina gratia. De hoc concurſu loquitur de veritate q.22.art.8.& 1.2.q.109.ferè per totum.

Secundo principaliter dicendum videtur, ex ſentẽtia D.Thomæ concurſum primæ cauſæ cum ſecundis ad illarum actiones etiam generalem, non eſſe ſolum influxum in actiones ipſarum ſecundarum cauſarum, ſed etiam in ipſas ſecundas cauſas.Hoc enim apertiſſimè innuere videntur illi modi loquendi frequentes apud D.Thom.Deus operatur in voluntate,Deus immutat volũtatem, applicat,inclinat,auſert inclinationem vnam, & aliam tribuit. Deus mouet voluntatem, voluntas non mouet niſi priùs mota; & in operatione qua Deus mouet naturam, non operatur ipſa natura, & alij ſimiles. Nam ſi per hos modos loquendi non ſufficienter declaratur mens D. Thom. iam nihil amplius certum,& conſtãs ex eius doctrina videtur haberi, quod quiſque pro libito non valeat inficiari. Tota verò difficultas ſita eſt in explicando,quidnam ſit iſte influxus,& hæc motio, qua Deus mouet ſecundas cauſas, præcipuè liberas ad illarum operationes, de qua re capite ſequenti dicemus. IV.

CAPVT XXI.

Propoſita difficultas per concluſiones reſoluitur.

IN hoc dubio reſoluendo duplici diſtinctione opus eſſe arbitror. Primò nanque aut eſt ſermo de concurſu primæ cauſæ ad actiones voluntatis creatæ,quæ illius vires naturales excedunt, quales ſunt operationes ordinis ſupernaturalis, aut etiam ad actiones quaſdam ordinis naturalis,quę tamen ſunt ſpecialiter à Deo volitæ,& intẽtæ ob aliquam illius peculiarẽ finem. Aut eſt ſermo de concurſu primæ cauſæ ad operationes liberæ voluntatis creatæ, quæ neque vires naturales ipſius voluntatis creatæ excedunt, neque ſunt ob aliquem finem peculiarem à Deo ſpecialiter volitæ, aut intentæ. I.

Secundò influxus primæ cauſæ in ſecundam, maximè in voluntatem creatam duobus modis cõcipi poteſt, vno modo quòd ſit motus quidam realis receptus in voluntate præuius ad actionem eiuſdem voluntatis, ac realiter ipſi voluntati inhærẽs,ſicut cùm manus applicat ſecurim ad ſcindẽdum lignum, motus primò recipitur in ſecuri, & poſtea ſecuris operatur ſciſſionem ligni: alio modo quòd eiuſmodi influxus in ſecundam cauſam liberam non ſit aliquis motus realis receptus in ipſa voluntate præuius ad illius actionem,ipſique voluntati realiter inhærens, ſed ſit ſola directio,& intentio primæ cauſæ,vt agentis principalis exiſtens in creatura, vt in inſtrumento, & habens in illa ſolùm eſſe quoddam intentionale, & incompletum eo modo, quo directio & intentio cauſæ principalis agentis per intellectum, & ars artificis dicitur eſſe in inſtrumento, quod tamen cùm intellectu careat, artis aut intentionis propriæ capax non eſt:quia vt creatura attingat effectum primi artificis agentis per intellectum, & artem, neceſſe eſt illam in ſua operatione taliter, & taliter dirigi. Quæ diſtinctio, vt intelligatur, poteſt exemplo ſic illuſtrari. Sit Alchimiſta, qui per ſuam artem velit ex argento viuo aurum conficere, & vtatur igne tanquam inſtrumento ſuæ artis, quem duobus modis poſſumus concipere, applicare hoc inſtrumentum ad hunc effectum

producendum; vno modo imprimendo ipſi igni aliquam realem inclinationem, aut pondus, aut motum ad calefaciendum, comburendum, ſoluendum, aut liſtendum mercurium, ſulphur, &c. Alio modo nihil tale igni imprimendo, ſed ſolùm eius actionem dirigendo, & applicando, vt proportione quadam agat circa ea, quibus applicatur. Ita duobus modis concipere poſſumus, Deum ſecundas cauſas maximè liberas mouere, & applicare ad agendum, vno modo de modo imprimendo illis vim, pondus, inclinationem, & motum aliquem realem ad agendum circa hoc, aut illud obiectum: alio modo vim, pondus, & inclinationem à natura inditam dirigendo, vt illud ſolùm efficiant, quod ipſe ſapientiſſimus rerum omnium artifex ad ſuam gloriam manifeſtandam, & ad decorem, & pulchritudinem vniuerſi illas vult efficere, aut ipſe faciendo, aut vt efficiant, permittendo.

II. His diſtinctionibus ſuppoſitis, ſi ſermo ſit de concurſu primæ cauſæ cum libera volùtate creata ad actiones ordinis ſupernaturalis, probabile eſt eiuſmodi concurſum eſſe influxum verum, & realem, non ſolùm ſimultaneum cum voluntate creata in illius actiones, ſed etiam præuium in ipſam voluntatem, ipſam mouentem, applicantem, & inclinantem ad agendum. Idem dici poteſt de influxu, quo Deus influit ad aliquas actiones etiam ordinis naturalis, quæ tamen ſunt ex ſpeciali intentione ipſius Dei, & in aliquem peculiarem finem ordinatæ. Hæc propoſitio lib. ſequenti, vbi de concurſu Dei ad actus ſupernaturales verba faciemus, ex inſtituto probanda eſt. Iuxta ſenſum huius propoſitionis intelligendus eſt D. Thom. in nonnullis locis cap. præcedenti allegatis, iuxta quem veram eſſe arbitramur ſecundam opinionem ex duabus capite 19. recitatis.

Secunda propoſitio: Si ſit ſermo de concurſu primæ cauſæ cum ſecundis cauſis liberis ad actus ordinis naturalis, qui non ſunt ex ſpeciali intentione Dei, neque in aliquem peculiarem finem ſpecialiter ordinati, eiuſmodi influxus non eſt aliquid de nouo realiter receptum in voluntate illum applicans, inclinans, & mouens ad agendum, præuium ad ipſam actionem, ſed eſt influxus realis in ſolam actionem eiuſdem voluntatis ſimultaneus cum influxu eiuſdem voluntatis in eãdem actionem. Hæc propoſitio defenditur à nobis nõ propter hoc, quòd arbitremur, rationes, quas nonnulli recentiores cõtra eiuſmodi influxum in voluntatem præuium ad illius actionem adducunt, aliquid virium habere: neque quòd cenſeamus, talem influxum in voluntatem præuium ad illius actionem, non poſſe conſiſtere cum libertate eiuſdem voluntatis, vt illi ſimiliter arbitrantur; hæc enim leuia eſſe, & nullum impedimentũ humanæ libertati inferre, facile conſtabit ex dicendis libro ſequenti cap. 15. & 16. ſed illam idcirco aſſerimus, quia influxus ille realis in voluntatẽ præuius ad actionem nulla neceſſitate, nulla ſolida autoritate, nulla ratione cogente videtur excogitatus.

Et in primis, quòd nulla neceſſitas cogat, huiuſmodi influxum præuium admittere, probatur. Quia ad hoc vt ſecunda cauſa creata etiam volũtas libera exeat in actionem ſibi cõnaturalem, & adæquatã, ſufficit quòd ex parte potentiæ habeat vires ſufficiẽtes ſibi naturaliter inditas, nõ læſas, aut vllo modo impeditas, & ex parte obiecti, quòd ipſum obiectum ſit conuenienter propoſitũ volũtati, aut alteri cauſæ creatæ, & in debita diſtantia approximatum, & quòd medium ſit diſpoſitũ, & ex parte primæ cauſæ propter eſſentialem dependentiam, quam habet tum ipſa cauſa creata in eſſendo, & in agendo, tum illius actio, & effectus, quatenus etiam ipſa eſt entitas quædam creata, quòd virtus ſecundæ cauſæ conſeruetur, & vegetetur à prima in agendo, & in eſſendo, & quòd ſecunda cauſa paratum habeat diuinum cõcurſum ad influendum operationem, quotieſcunque illa velit operari. Præter hæc nihil amplius neceſſariũ videtur. Quare cùm Deus, & natura nihil fruſtrà faciãt, ille influxus nouus in ſecundas cauſas prę-uius ad actionem tanquam ſuperfluus, & redundans reiiciendus videtur.

Et quòd iſte influxus ſit redundans ad actionẽ ſecundæ cauſæ etiam liberæ, ex hoc apertè conuincitur, quia nullus Philoſophorum, qui de naturis rerum, & de illarum operationibus diſſeruerunt, illius meminit, neque vllus, quod videre potuerim, vnquam dixit, ad hoc vt ignis nunc calefaciat, aut comburat hanc ſtuppam, egere iſto nouo influxu reali illum de nouo mouente, inclinãte, & applicante ad hanc combuſtionem: ſed omnes crediderunt, illum à natura ſufficienter eſſe inclinatum ad comburendum quodcunque combuſtibile ſibi debitè approximatum; cuius rei ſignum euidens eſt, illum quantum eſt ex ſe, æquè vrere omnia æquè diſpoſita, & ſibi æquè approximata; niſi fortè ſermo ſit de motu, quo trãsfertur ignis de loco ad locum, & huic combuſtibili potius quàm illi de nouo applicatur, aut de motu, quo quis ipſum combuſtibile approximat igni in debita diſtãtia, ita vt vis ignis ad illud pertingere poſſit. Sed de hoc motu ſermo hic nõ eſt; nõ enim talis motus eſt influxus ille præuius, de quo nunc diſputamus; quia cauſari poteſt non ſolùm à Deo, ſed etiam ab homine. Influxus autem ille, de quo eſt controuerſia, à ſolo Deo deriuare poteſt. III.

Dicetur, Philoſophos iſtius influxus meminiſſe, cùm dixerunt, ſecundas cauſas non agere niſi in virtute primæ cauſæ, & primam cauſam plus influere in cauſatum, quam ſecundas, & ſecundas cauſas eſſe mouentia mota à prima cauſa, & omnes motus rerum inferiorum tãdem reducendos eſſe ad vnum primum mouens immobile. Hos modos loquendi apud ipſos Philoſophos alium ſenſum continere longe diuerſum oſtendemus, reſpondendo argumentis partis aduerſæ. Dicetur rurſus, eſto cauſæ naturales non egeãt præmoueri, & applicari de nouo ad proprias naturales operationes, quippe quæ à natura ſufficienter manent applicatæ, & determinatæ: tamen voluntas creata, cùm ſit de ſe indifferens, & indeterminata ad hoc, & ad illud obiectum, ad hãc, & illam numero actionem, niſi ab aliquo exteriori mouente applicetur, & præmoueatur, & determinetur potius ad hanc, quàm ad illam actionem, nunquam exibit in hanc determinatam actionem, ſicut expreſsè videtur dicere D. Thom. in locis ſuprà citatis ex q. 24. de veritate art. 14. & 1. part. q. 19. art. 3. ad 5. & 1. 2. q. 9. art. 4. in corp. & ad 2. art. 6. ad 3. & q. 109. art. 2. ad 1. D. Thom.

Reſpondeo ad hoc, vt voluntas de nouo prodeat in hanc determinatam actionem, ſufficere, vt moueatur à Deo tanquam vniuerſali motore ad vniuerſale obiectum, quod eſt bonum, & moueatur ab hoc obiecto determinato ſibi propoſito, vel per internã illuſtrationem mentis, vel per aliquid ſimile. Tunc enim voluntas pro dominio, quod habet in ſuas operationes, poteſt exire

exire in actum determinatum, & seipsam determinare ad hunc actum, aut ad hoc obiectum, potius quàm ad illud absque nouo influxu, aut motione Dei in ipsam voluntatem. sicut lib. 1. c. 28. ostendimus, neque aliquid plus requirit D. Thom. in locis allegatis, vt legenti patebit.

IV. Quòd verò nulla autoritas Doctorum, nullaue ratio cogat nos, hunc realem influxum in ipsam voluntatem creatam præuium ad liberam eius actionem admittere, apparebit infrà ex solutione argumentorum in contrarium. Nunc breuiter monstranda nobis est veritas dictæ propositionis, & in primis illa probari potest testimoniis Scholasticorum, qui illam apertè docuerunt. D. Bonauentura in 2. d. 37. q. 1. ad vltimum illam docet expressè sic scribens. *Ad illud quod obiicitur, quòd Deus est principale mouens in tali actione, dicendum, quod verum est. Attamen non sequitur ex hoc, quòd excitet liberum arbitrium ad faciendam illam operationem: excitatio enim dicit aliquem effectum gratiæ præuenientis ipsam voluntatem, hæc autem requiritur in bonis meritoriis. In aliis verò operibus indifferentibus, vel etiam malis non est nisi sola cooperatio diuinæ virtutis, quæ existens in creatura potentialiter, essentialiter, & præsentialiter, sicut conseruat eam in essendo, sic adiuuat in operando; præter quod conceditur ibi esse cooperatio, non præuentio, vel subsecutio.*

Bonauentur.

Scotus in 4. d. 1. quæst. 1. ad vltimum declarans, quid sit, causam secundam agere in virtute primæ, & differentiam, quæ est inter causam instrumentalem, & causam principalem. Primùm docet, eam solam propriè appellari causam instrumentalem, quæ non agit per formam propriam, & virtutem sibi immanentem, sed solùm per motionem causæ principalis. Deinde subiungit, *Causam etiã secundam, id est, qua habet formam actiuam in esse quieto, agere in virtute alterius, non est recipere tunc aliquid ab illo altero: sed tantùm habere ordinem inferiorem ad illud alterum agens in suo ordine simul. Sed instrumentum, id est, recipiens formam actiuam in motione agere in virtute alterius, est tunc actualem recipere formam ab eo, per quam agit. Et ex hoc patet, quòd causa prima in causam secundam propriè dictam, quando simul agunt, non est influentia noua, quæ sit creatio alicuius inhærentis causæ secundæ, sed influentia ibi est determinatus ordo causarum.* Et quanuis Scot. in 4. d. 49. q. 6. §. *Dico ergo.* affirmet, non esse contra naturam voluntatis creatæ, determinari à causa superiori: tamen non loquitur de determinatione, quæ fit per influxum realem, & præuium in ipsam voluntatem, sed solùm de determinatione, quæ fit secundùm Scotum ab æterno per diuinum decretum, quo determinauit omnia futura contingentia, etiam quæ procedunt à libera voluntate creata, in quo decreto vult Scotus, diuinum intellectum cognoscere ipsa futura contingentia, vt dictum est lib. 3. c. 21. Immo in dicto loco d. 49. expressè fatetur, determinationem voluntatis per habitum inhærentem ipsi voluntati, illius libertati omnino repugnare.

Henricus Gandau. quolib. 9. q. 5. ait. *Cùm voluntas sit libera, & domina suorum actuum, impossibile est, vt ab alio procedat ad actum volendi. Hoc enim repugnat voluntati. Nam non minus ageretur voluntas, quàm appetitus sensitiuus. Vnde si à Deo agente fieret de non volente volens, non esset ille actus liber, nec laudabilis: nam actus libera debet esse in potestate agentis, ita vt ab alio non moueatur, licèt aliquo assistente, & cooperante, vt Spiritu sancto, vel per se, & immediatè, vel per aliqua dona sua, vel vtroque modo.*

Gabr. Pennot. de libert. hum.

Et quanuis, quod dicit, non sit omnino verum, quòd actio debet esse ita libera, vt ab alio voluntas non moueatur, maximè loquendo de actione supernaturali: tamen sufficit, quòd ille nostram sententiam probet. Omitto hic Alexand. Alensem, Gregorium Arim. Gabrielem, Andream de Castro nouo, Almainum, Hieronymum ab Hangesto, Gulielmum Okam, Dionysium Cisterciensem, & alios, quos refert, & sequitur Suarez lib. 1. de Auxiliis cap. 14. §. *Nunc Scholasticorum.* Solùm hîc repetenda sunt testimonia cap. præcedenti allegata ex Capreolo, & Caietano; quoniam recentiores quidam illos nituntur trahere in contrariam sententiam.

Suarez.

Certè Capreolus in dicto loco, 2. sentent. d. 28. q. 1. art. 3. ad 12. expressè distinguit inter concursum Dei generalem ad actus ordinis naturalis, & concursum specialé ad actus ordinis supernaturalis. Et docet, primum esse solùm cooperationem, seu, vt eius terminis vtamur, coëfficientiam illius cum voluntate creata. Secundum verò esse tum cooperationem, & coëfficientiam cum voluntate, tum etiam motionem præuiam, qua Deus voluntatem tanquam instrumentum præmouet, & applicat ad actum volitionis, & facit eam velle. Et adducit testimonium Gregorij Arim. & dicit, illum in hoc per omnia concordare cum D. Thom. Et Solis luce clariùs constat, ex sententia Greg. concursum Dei saltem generalem cum voluntate ad actus ordinis naturalis esse solùm cooperationem cum ipsa voluntate, non autem motionem præuiam ad operationem. Vnde quod ait in 2. d. 1. quæst. 2. art. 1. concluf. vlt. Deum esse causam cuiuslibet actionis creaturæ quatuor modis numeratis à D. Thom. de potentia q. 3. art. 7. & aliis in locis ibi citatis, nullam ingerit difficultatem: quia ex ipsomet autore habemus interpretationem verborum illius, secundum quam necesse est dicere, illum nomine motionis, aut applicationis respectu actuum, qui non excedunt ordinem naturæ, intellexisse non motionem præuiam, sed cooperationem & coëfficientiam Dei cum ipsa voluntate creata.

Capreolus. V.

Caietanus quoque in locis citatis ex 1. p. q. 14. art. 13. §. *Nec sustinendus.* & q. 19. art. 8. ad 1. rationem Scoti, huic sententiæ ita apertè subscribit, vt nihil ei officiat, quòd in eadem 1. p. quæst. 45. art. 5. §. *Ad Durandum.* dixerit, *Quod ait D. Thom. de potentia quæst. 3. art. 7. Angelus, & omnis causa secunda non agit, nisi agatur a Deo multipliciter, vt diffusè ibi ostenditur, & quod causa secunda non agit nisi in virtute primæ, vt dicitur in 3. contra Gent. cap. 64. & 65.* Quia mens huius autoris ex ipsomet accipienda est, non ex aliorum commentis. Ipse verò, qui loca allegata ex D. Thom. bene viderat, nihilominus ait, quòd ista propositio, omnis causa secunda est mouens inquantum mota, est vera tantùm loquendo de motione cooperatiua intrinsecè propriæ actioni, non autem de motione præuia ad actionem, quod vt magis euidens fiat non erit superfluum verba illius repetere ex quæst. 19. art. 8. *Ad primam autem* (inquit) *rationem Scoti multipliciter responderi potest, primò distinguendo ly mota, seu ly mouetur. Dupliciter enim contingit secundam causam moueri à prima, vno modo motione præuia propriæ actioni, sicut baculus mouet lapidem nullum à se motu: alio modo motione cooperatiua intrinsecè propriæ actioni. Et quidquid sit de maiori in primo sensu, in secundo tamen est falsa, in quo tantùm verificatur minor. Non enim oportet, cùm aliquis vult aliquid, seu, cùm sol illuminat, primam causam præuia motione cooperari,*

perari, ſed ſufficit, & exigitur eam intrinſecè cooperari, tali actioni, vel illuminationi, &c. Hæc ille. Nota ſingula verba, primò exemplum, quo declarat motionem præuiam, ſicut baculus mouet lapidem motus à manu. Secundò nota, minorem propoſitionem, ſcilicet, *ſed omnis ſecunda cauſa eſt mouens inquantum mota à prima*. Hæc enim erat minor argumenti Scotici, eſſe veram tantùm in ſecundo ſenſu, ſcilicet de motione cooperante, non de motione præuia. Tertiò quòd cùm aliquis vult aliquid, aut cùm ſol illuminat, non oportet primam cauſam præuia motione cooperari. Ex his percipies, verum non eſſe, quod nonnulli aiunt, Caietanum ſolùm intendere docere, cauſam primam non cooperari præuia motione attingente in aliquo priori temporis, vel naturæ effectum cauſæ ſecundæ antecedenter ad influxum cauſæ ſecundæ. Nam eſto hoc etiam doceat reſpondendo ad aliud argumentum Scoti, & gloſſando quandam aliam propoſitionem aſſumptam à Scoto, quæ ibi eſt videnda; non tamen negari poteſt ab aliquo, niſi aut penitus ignaro, aut obſtinato, quin dicat, iſtam propoſitionem, omnis cauſa ſecunda eſt mouens inquantum mota à prima, eſſe veram tantùm in ſecundo ſenſu, ſcilicet loquendo tantùm de motione cooperante, & non de motione præuia. Neque etiam affirmari poteſt, Caietanum loqui ſolùm de motione præuia, qua agens primum attingit effectum in aliquo priori temporis, aut naturæ antecedenter ad influxum cauſæ ſecundæ: eſt enim vana, & ridicula prorſus hæc fuga, cùm Caietanus declarans, quid nomine præuiæ motionis ipſe intelligat, exemplificet de motu, quo baculus mouet lapidem motus à manu. Quis namque ita deſipiat, vt dicat, manum in aliquo ſigno naturæ, vel temporis attingere motum lapidis antecedenter ad influxum baculi in eundem effectum?

Ruard. Tap. Prædictis autoribus addi poſſunt Ruardus Taper art. 7. pag. 228. vbi citat quoſdam alios Scholaſticos ex ſupracitatis, & inter illos Caietanum.

Bellarm. Card. n. Bellarmin. lib. 4. de Gratia & libero arbitrio cap. 14. quanuis cap. 15. probabiliorem cenſeat ſententiam oppoſitam, quoad actus ſupernaturales, quod nos quoque affirmamus.

Suarez. Suarez diſput. 22. Metaphyſ. ſect. 2. & lib. 1. de Auxiliis cap. 6. Molina, & alij viri non mediocris eruditionis.

VI. Probatur ſecundò eadem propoſitio. Nam ſi concurſus Dei cum voluntate creata ad actionem liberam eſt influxus præuius in ipſam voluntatem, illam inclinans, & applicans ad agendum, ſequitur, quòd quando voluntas actu non operatur, non habeat principium ſufficiens ad operandum; nec poſſit re vera operari circa obiectum ſuis viribus proportionatum. Conſequens verò eſt abſurdum: quia non eſſet omiſſio alicuius actus etiam cadentis ſub præcepto, veſè culpabilis. Sequela probatur. Nam quando voluntas actu non operatur, non habet illum præuium Dei influxum neceſſarium ad hoc, vt operetur, neque eſt in eius poteſtate illum habere.

Reſpondetur, quòd aliud eſt, poſſe operari, aliud eſt actu operari; præuius ille influxus non eſt neceſſarius, vt voluntas poſſit operari actus ſibi proportionatos, ſed vt actu operetur. Vnde ex eo quòd voluntas non habet præuium illum influxum Dei, non ſequitur, quòd non poſſit operari: ſed ſolùm, quòd non ſit operatura de facto, vt optimè explicat Ferrar. Et hanc doctrinam nonnulli confidenter dicunt eſſe D. Auguſtini in lib. contra duas epiſtolas Pelagianorum (neſcio quo libro ex quatuor illis ab Auguſtino conſcriptis) cap. 5. & lib. 4. contra Iulian. cap. 8. & lib. de correp. & gratia cap. 7. & D. Thom. 2. 2. quæſtione ſecunda articulo quinto ad primum, & 1. 2. quæſt. 109. art. 8. ad primum, & de veritate quæſt. 14. art. 11. ad ſecundum.

Auguſt. D. Thom.

VII. Verùm vt ab autoritate Auguſtini & D. Thom. hanc reſponſionem redarguere incipiamus, D. Auguſtinus & D. Thom. in locis allegatis non ſolùm id non docent, ſed oppoſitum aperte innuunt. D. Auguſtinus lib. 2. contra duas epiſtolas Pelag. c. 5. ſolùm oſtendit, Catholicos non inducere fatum, vt Pelagiani illis impouebant, quia prædicant neceſſitatem gratiæ diuinæ. Eandem calumniam Pelagianorum reiicit lib. 4. contra Iulian. cap. 8. oſtendens neceſſitatem diuinæ gratiæ ad hoc, vt homo benè operetur. Non tamen docet, ſine Dei gratia poſſe benè operari, imò id negat, & impugnat, tú ibi, tum in omnibus libris contra Pelagianos. In libro verò de corrept. & gratia c. 7. docet, quòd homo non poteſt ſeipſum coram Deo excuſare, quòd non perſeuerauerit in bono, ex eo, quoniam donum perſeuerantiæ non accepit; neque excuſari eos, qui non audiunt Euangelium, & non credunt, quia audire non potuerunt. Verùm in capitibus præcedentibus, quæ reſpondens legere debebat, dixerat, eos non excuſari, quia licèt neque credere poſſint, neque perſeuerare ſine dono ſupernaturali gratiæ, charitatis, & perſeuerantiæ: tamen, qui hoc dono priuantur, ſua culpa priuantur, ſaltem in pœnam peccati originalis. Quo modo ſolebat frequenter reſpondere argumentis Pelagianorum contra neceſſitatem diuinæ gratiæ, cùm illi obiiciebant, non eſſe homini imputandum, quòd benè non agat, ſi abſque auxilio ſupernaturali bonum agere non poteſt, quod auxilium Deus gratis dat, quibus vult. Reſpondet enim Auguſtinus, quòd licèt homo non poſſit ſine ſupernaturali auxilio diuinæ gratiæ benè operari, eſt tamen culpandus, quòd benè non operetur; quia licèt non poſſit bonum operari abſque auxilio ſupernaturali; poteſt tamen cum huiuſmodi auxilio, quod Deus paratus eſt omnibus dare: & qui non accipiunt illud, propria culpa non accipiunt, aut ſaltem eo priuantur in pœnam peccati originalis. Legatur ipſe Auguſtinus lib. de corrept. & gratia cap. 6.

Auguſt.

Et hæc eſt ipſiſſima doctrina D. Thom. in locis allegatis, vt patet legenti. Docet enim in dictis locis, quòd licèt non ſit in poteſtate liberi arbitrij cognoſcere ea, quæ ſunt fidei, & omnia peccata vitare, & legis præcepta ſeruare, Deum & proximum ſicut oportet, diligere; non tamen excuſatur, quòd non credit, & legem non ſeruat, & bonum non operatur. Quia licèt hæc non poſſit efficere abſque Dei gratia, tamen ſi efficiat, quod in ſe eſt, non ponendo obicem diuinæ gratiæ, Deus paratus eſt tribuere illi auxilium ſupernaturale neceſſarium ad hæc omnia peragenda. Et qui eiuſmodi auxilio priuantur, ſola ipſorum culpa illo priuantur. Vnde in d. quæſt. 14. de veritate art. 11. ad 2. ait: *quamuis non ſit in poteſtate noſtra cognoſcere ea, quæ ſunt fidei ex nobis ipſis; tamen ſi nos fecerimus, quod in nobis eſt, vt ſcilicet ductum naturalis rationis ſequamur, Deus non deficiet nobis ab eo, quod eſt neceſſarium.* & lib. 3. contra Gent. cap. 159. ait, quòd homini eſt imputandum, quòd ad Deum non conuertitur, etiam ſi abſque Dei gratia hoc efficere non poſſit: quia licèt

D. Thom.

licèt homo per motum liberi arbitrij diuinam gratiam nec promereri, nec acquirere possit: potest tamen seipsum impedire, ne eam recipiat. Et illi soli gratia priuantur, qui in seipsis gratiæ impedimentum præstant. Et 2.2. quæst.2.art.5. ad primum ait, quòd *si in potestate hominis esse dicatur aliquid excluso auxilio gratiæ, sic ad multa tenetur homo, ad quæ non potest sine gratia præparante, sicut ad diligendum Deum, & proximum, similiter ad credendum articulos fidei. Sed tamen hoc potest cum auxilio gratiæ, quod quidem auxilium quibuscunque datur, misericorditer datur: quibus autem non datur, ex iustitia non datur in pœnam præcedentis peccati saltem originalis, vt dicit Augustinus in lib. de corrept. & gratia.*

VIII. Ex qua doctrina manifestè reuincitur responsio allata argumento. Nam influxus ille diuinæ gratiæ, de quo Augustinus & D. Thom. in locis allegatis loquuntur, est necessarius non solùm ad hoc, vt homo actu operetur, sed etiam ad hoc, vt possit verè operari: & qui huiusmodi influxu caret, non potest verè operari. Ergo si D. Augustinus & D.Thom.loquuntur de isto concursu, concursus diuinus est necessarius non solùm ad hoc, vt homo actu operetur, sed etiam ad hoc, vt possit verè operari. Et qui caret tali concursu, non est dicendus posse verè operari, & cùm non operatur, non est illi imputandum ad culpam, quia non agit, quod agere minimè potest. Et declaratur magis ratio. si iste influxus prævius est necessarius solùm ad hoc, vt homo actu operetur, non autem ad hoc, vt possit operari, & hoc volunt dicere Augustinus & D. Thom. sequitur, quòd auxilium diuinæ gratiæ, de quo constat illos loqui in locis allegatis, non sit necessarium ad hoc, vt homo dicatur posse benè operari, sed solùm ad hoc, vt benè operetur. & hanc propositionem esse Catholicam. Homo absque Dei gratia potest credere, diligere, sperare, præcepta legis implere, & bonum agere, sicut oportet, quam tamen constat esse Pelagianismum pluries ab Ecclesia damnatum. Et sequela est necessaria, quia per respondentes influxus diuinæ gratiæ non erit necessarius ad hoc vt homo dicatur posse verè operari, sed solùm vt verè operetur. Neque refert quòd aliud sit loqui de actibus supernaturalibus, aliud loqui de actibus naturalibus proportionatis viribus liberi arbitrij. Quia sicut ad actus supernaturales est necessarius influxus supernaturalis; ita ad actus ordinis naturalis per respondentem est necessarius influxus naturalis; & ipse illos quoad hoc æquiparat. aliàs quorsum responsionem probat testimoniis D.Augustini & D.Thom. quos constat non loqui de actibus ordinis naturalis, sed supernaturalis. Est igitur abusus autoritatum D. Augustini, nec ferendus.

IX. Accedit quòd iste influxus, vel est necessarius voluntati ad hoc, vt operetur per modum principij, vel per modum actionis tantùm. Si per modum actionis tantùm, non est influxus in potentiam, sed in actionem. Si per modum principij, quidquid necessarium per modum principij est ad hoc, vt quis actu operetur, multo magis necessarium est ad hoc, vt possit verè operari. nam actu operari supponit posse operari, & operari non est sine posse operari. Econtrario verò est posse operari absque eo, quod est actu operari. Cùm igitur respondens contendat istum influxum esse necessarium ad actionem per modum principij, non videtur intelligibile, quòd tribuat voluntati solum actu operari, non etiam posse verè operari.

Accedit, quòd nihil dicitur posse verè operari saltem potentia proxima, & immediata ad actionem, de qua loquimur, nisi quando illa est vltimatè completa, & omnibus numeris absoluta in actu primo ad agendum: vt bene declarat Scotus in 4.dist.49. quæst.6. §. *Dico ergo.* versic. *nota quòd potentia.* Vbi ait quòd *posse simpliciter operari, & non solum secundum quid, requirit, quòd ex parte omnium aliorum concurrentium sit possibilitas, vt scilicet requisita possint concurrere, & impedimenta cessare. Sed vltra istam possibilitatem potentia, vel magis possibilitas propinqua requirit, quòd conuenientia adsint, & impedimenta cessent. Sicut enim nihil est in potentia propinqua passiua, 9. Metaph. cap.6. nisi quando nihil prohibet, nec oportet aliquid aut remouere, aut permutare, intelligendo aliquid aliud vt forma inducenda; sic operatiuum non est in potentia propinqua ad operandum, nisi quando nihil extrinsecum deficit ad operandum.* Sed per respondentē iste influxus prævius est necessariò requisitus tanquam vltimum complementum potentiæ operantis ad agendum. Et hoc in aliquo signo naturæ priori ad signum, in quo est actualis operatio potentiæ; ergo absque illo, non solùm potentia actu non operatur, sed nec etiam potest verè & propriè operari potentia propinqua, & immediata ad actionem. Istud igitur refugium nihil videtur iuuare: esto enim verum sit, aliud esse operari, aliud posse operari, non tamen verum est, quòd id, quod est necessarium ad hoc vt homo operetur se tenens ex parte principij actionis, non sit etiam necessarium ad hoc, vt possit operar

Scotus.

X. Omitto, quòd ponentes istum influxum prævium, nondum verum videntur modum inuenisse ad explicandum, quid ille sit, an qualitas, an motus, an actus primus, an secundus. Et aliqui tandem nescientes, quorsum se verterent, concesserunt esse quid medium inter actum primum, & secundum, tanquam inter principium operans, & operationem detur aliquid medium, quod an verum sit, iudicent Philosophi.

Sed dicitur, licèt non sit in facultate nostra talis motio tanquam in causa efficiente, quia est à solo Deo effectiuè, tamen illa supposita, eius terminus est in nostra potestate, videlicet operatio libera, ad quam datur talis motio. Secundò dicitur, quòd est in potestate voluntatis seipsam impedire, ne habeat talem motionem. Vnde si non operatur actum, qui est in præcepto, imputatur illi ad culpam; quia sua culpa se impediuit, ne daretur illi auxilium efficax, quod necessarium erat, vt actualiter operaretur actum virtutis, qui est in præcepto. Sed primum dictum non satisfacit. Esto enim posita in voluntate ista motione, esset in hominis potestate illius terminus, qui est operatio libera, ad quam datur talis motio: tamen non est in hominis potestate habere talem motionem, sine qua nequit liberè operari; vnde non est in hominis potestate, cùm vult, operari. Secundum verò videtur cum seipso pugnare. nam si est in potestate voluntatis seipsum impedire ne habeat talem motionem; ergo sine influxu prævio poterit aliquem actum elicere, quo talem influxum, seu illius receptionem impediat. & tunc de illo actu iterum redibit quæstio, an indigeat aliquo influxu prævio, donec sistamus, vel in aliquo influxu, qui non possit impediri, vel in aliquo actu, qui non indigeat influxu prævio.

Et cùm non ſit maior ratio de vno, quàm de altero, nullus actus ſaltem proportionatus, & adæquatus liberæ voluntatis indigebit iſto influxu prævio.

XI. Tertiò principaliter probatur veritas eiuſdem propoſitionis. Quia ſi iſte concurſus diuinus cum libera voluntate per modum influxus & motionis prævix eſt neceſſarius ad liberam actionem voluntatis creatæ, quatenus talis, ergo erit neceſſarius ad omnem actionem liberam. Ergo etiam ad actionem liberam, quæ intrinſecè eſt peccatum, vti eſt actus odij Dei, blaſphemiæ, & peccati contra naturam. Iſtud verò vltimum conſequens nimis abſurdum videtur; nimirum dicere, quòd Deus voluntatem creatam præmoueat, & inclinet ad actionẽ intrinſecè malam ad odium Dei, & ad blaſphemiam. Nam, vt rectè Nazarius Nazarius. ait 1.p.quæſt.22.art.4. controuerſ. 3. §. *Quintò explicandum.* Minus dignè videtur de diuina bonitate ſentire, quiſquis exiſtimat, Deum ab æterno præfiniuiſſe, & in tempore phyſicè prædeterminare voluntatem Petri ad actum fornicationis ſecundùm ſpeciem eius naturalem, & omne poſitiuum, cùm in rerum natura talis actus eſſe, aut fieri nullo modo poſſit abſque deformitate morali.

Huic argumento quidam, vt reſpondeant, quatuor dicunt. Primò hoc idem argumentum obiecíſſe olim Auguſtino Iulianum cùm de peccato Auguſtin. originali ageretur, vt habetur ex ipſo Auguſtino lib.3.contra Iulian.cap.9. Sed hoc non eſt verum, quia nec ibi, nec alibi vnquam dixit Auguſtinus Deum phyſicè per influxum prævium inclinare, & præmouere, & determinare voluntates coniugatorum ad contrahendas nuptias, aut ad actum coniugalem, quo filij procreantur, de quo ſolùm influxu prævio eſt tota quæſtio: neque Iulianus aut Pelagiani ex hoc capite vnquam Auguſtinum impugnauerunt. Deinde neque nuptiæ, neque actus coniugalis, neque creatio animæ eſt aliquid intrinſecè malum, neque ad huiuſmodi actum ſequitur per ſe intrinſecè malitia moralis, ſed per accidens, & ab extrinſeco. Ergo non eſt par ratio de concurſu Dei per influxum prævium ad actum intrinſecè malum, ad quem intrinſecè ſequitur moralis malitia, & de concurſu ad actum coniugalem & generationem humanam, ad quam ſequitur peccatum ab extrinſeco, & ex accidenti. Secundò reſpondent, in peccato conſiderari duo, entitatem naturalem peccati, & illius malitiam moralem. Primo modo actio peccati eſt à Deo. Secundo autem modo ex ſola voluntate creata. & hoc modo reſpondiſſe Auguſtinum argumento Iuliani ibidem, & lib.2. de lib.arbit. cap.19. & 20. & lib.5. contra Iulianum cap. 3. & D. Thom. quæſt.3. de malo, art.2.& 1.2. quæſt.79. art.2. & in 2.diſt.37. quæſt.2. art.2. Hæc doctrina eſt in ſe vera, ſed neque Auguſtinus in locis allegatis eam tradit, vt patet legenti, neque nodum difficultatis ſoluit. Quia difficultas non eſt ſita in hoc, an quando Deus & voluntas creata cooperantur, ad actum, cui intrinſecè adiuncta eſt malitia, ipſa malitia ſit reducenda ſolùm in ſecundam cauſam, ſcilicet in voluntatem creatam, quæ voluit deficienter operari: ſed in hoc ſtat difficultas, vtrùm voluntas humana inclinata à Deo, & mota, immo & applicata, & determinata ad hunc numero actum, qui vt elicitus à voluntate libera hîc & nunc, non poteſt non eſſe peccatum, & hoc per influxum prævium ante omnem liberam cooperationem ipſius voluntatis, nihilominus poſſit talem actum omittere, aut abſque defectu operari. Si enim non poteſt illum operari ſine defectu, videtur non peccare illum eliciendo, & videtur Deus eſſe autor peccati etiam quoad malitiam moralem. Tertiò dicunt hanc reſponſionem eſſe doctrinam Ferrarienſ. D. Thom. Capreoli, Soti, Magiſtri, Cano, Bañes, & Medinæ. Verùm quid illi de hac re cenſuerint, & an rectè ſenſerint, diximus ſuprà cap. 14. Quartò dicunt, quòd idem argumentum æquè militat etiam contra illos, qui ponunt, diuinum concurſum ad actum peccati eſſe influxum ſolum ſimultaneum cum influxu voluntatis creatæ in illius actionem. Sed decipiuntur manifeſtè. Nam concurſus ſimultaneus ſubeſt quoad vſum poteſtati ipſius liberæ voluntatis creatæ, & quod eſt ex parte Dei, non offertur determinatè ad iſtum actum, qui eſt intrinſecè malus, ſed ad omnem actum, ad quam voluntas ſe voluerit determinare: cùm nihilominus foret Deo gratiſſimum, vt ſe ad bonum actum determinaret. Cæterùm concurſus prævius non eſt in poteſtate voluntatis, neque ab illa determinatur: ſed potiùs voluntatem inclinat, mouet, applicat & determinat ad hanc numero actionem cum iſtis circunſtantiis, cum quibus non poteſt non eſſe peccatum. Vnde voluntas ſic determinata non poteſt non apponere malitiam, & videtur neceſſitari à Deo ad illam ponendam.

Et ob hanc cauſam dicit D. Thom. in 1.2. q.9. D.Thom. artic. 6. ad 3. quòd Deus mouet voluntatem, vt vniuerſalis motor ad vniuerſale obiectum, quod eſt bonum. Sed homo per rationem determinat ſe ad volendum hoc, vel illud, quod eſt verè bonum, vel apparens bonum, & quæſt.80. artic.1. ad tertium, inquit, quòd *Deus eſt vniuerſale principium omnis interioris motus humani: ſed quòd determinetur ad malum conſilium voluntas humana, hoc directè eſt ex ipſa voluntate humana.* Et de veritate quæſt. 22. art. 8. in fine dicit, quòd voluntas inclinatur in bonum per appoſitionem gratiæ, in malum verò dicitur inclinari ſolùm per ſubtractionem. Hæc & alia quæ tum breuitatis gratia, tum quòd apud nuper de hac re ſcribentes copioſè videri poſſunt, hîc conſultò omittuntur, probabilem reddunt hanc ſecundam propoſitionem, in qua aſſerimus, concurſum Dei generalem cum cauſis ſecundis non eſſe realem influxum in ipſas cauſas prævium in aliquo ſigno naturæ ad illarum operationes.

CAPVT XXII.

Tertia propoſitio circa eandem difficultatem.

HActenus oſtendimus concurſum primæ cauſæ generalem cum ſecundis cauſis liberis non eſſe realem influxum receptum in ipſis cauſis, & illis realiter inhærentem. Nunc adiicimus, ſi concipiatur idem concurſus per modum cuiuſdam intentionis, & directionis primæ cauſæ tanquam vniuerſalis artificis receptæ in ſecundis cauſis veluti in inſtrumentis, & habentis eſſe quoddam intentionale, & incompletum, ſicut intentio artificis, & ars illius dicitur habere quoddam eſſe in inſtrumento, quatenus inſtrumentum ab artifice dirigitur ad hoc, vt attingat productionem effectus princi- I.

principaliter intenti ab agente, nullum eſt inconueniens dicere, generalem Dei concurſum eſſe influxum non ſolùm in operationes ſecundarum cauſarum, ſed etiam in ipſas ſecundas cauſas. Vt intelligatur id, quod in hac propoſitione aſſerimus, recolenda ſunt, quæ lib. 4. diximus de diuinis præfinitionibus, & lib. 5. de diuina prouidentia. Quibus in locis illud ſtatuimus, omnes creaturas per Dei prouidentiam eſſe aliquo modo in aliquem finem efficaciter ordinatas, & nihil in mundo præter Dei voluntatem caſu euenire: licèt non eodem modo omnes creaturas, & illarum operationes, neque ad eundem finem ordinauerit efficaciter, ſed aliquas ad finem particularem, aliquas ad finem vniuerſalem, aliquas primaria intentione, aliquas ſecundaria, aliquas voluntate poſitiua, aliquas voluntate permiſſiua. Illud itaque quod in hac propoſitione aſſerimus, eſt, Deum certiſſima ſua ſapientia, & prouidentia omnes, & ſingulas creaturas, & omnes & ſingulas earum operationes in aliquem finem optimum, & honeſtiſſimum dirigere, ita vt nulla creatura quãtumuis libera, aliquid temerè operetur comparatione diuinæ prouidentiæ: & tanquam vniuerſaliſſimum artificem omnes creaturas tanquam inſtrumenta diuinæ ſapientiæ ad aliquem certum finem dirigere, & applicare, modo tamen cuique creaturæ conuenienti, ita vt quemadmodum in inſtrumento duplex motus reperitur, alter per modũ propenſionis naturalis, & naturaliter fluentis ab ipſo inſtrumento, ſicut eſt motus ignis ad comburendum: Alter per modum artis, ſeu intellectus, ſicut eſt motus quo ab Alchimiſta applicatur ad faciendum aurum, & ſicut in ſecuri duplex eſt motus alter inciſionis, alter artis faciendi ſcãnum: ita in ſingulis creaturis duplex motus concipi valeat, alter quo mouentur à propria forma intrinſeca, vel ab obiecto, à quo inclinantur, vt motus ignis ad comburendum corpus Martyris, & motus Tyranni, quo monetur ex ira ad infligendum pœnas eidem Martyri: alter quo mouentur, & diriguntur à Deo ad præparandum, & promerendam coronam eidem Martyri: Et hic ſecundus motus, quo vniuerſæ creaturæ tanquam inſtrumenta diuinæ ſapientiæ, & prouidentiæ ab illo diriguntur, & mouentur in ſuos fines, eſt ille influxus per modum interuentionis, & artis receptus in ipſis ſecundis cauſis, quem aſſerimus in hac tertia propoſitione, quæ ſic intellecta habet euidentiſſimum fundamentum non ſolùm in doctrina D. Thom. & D. Auguſtini, ſed etiam in diuina Scriptura.

II. Nam in primis ex diuina Scriptura probatur omnibus illis teſtimoniis, quibus lib. 5. oſtendimus omnia, quæ in mundo eueniunt, ſiue bona, ſiue mala, certiſſimæ Dei prouidentiæ eſſe ſubiecta; & hoc ſolum fieri in mundo, & eo modo, & ad eũ finem, quod, & quomodo, & ad quem finem Deus vult illud fieri. Huc etiam tendunt metaphoræ illæ, quibus Scriptura aſſimilat Deum artifici cuidam ſapientiſſimo, Prouerb. 8. Sapientiæ cap. 7. & 13. & creaturas comparatione Dei aſſimilat inſtrumentis artificialibus in manu artificis, Iſai. 10. Huc etiam tendunt auctoritates illæ, quibus docemur nec minimum paſſerculum, nec capillum capitis, nec folium arboris in terram cadere ſine Dei prouidentia, Matthæi cap. 10. Lucæ cap. 12. & 21. & aliæ ſimiles, quæ paſſim occurrunt.

III. Secundò probatur autoritate D. Auguſtini in Enchirid. cap. 95. & 96. dicentis. *Non ergo fit aliquid, niſi Omnipotens fieri velit, vel ſinendo, vt fiat, vel ipſe faciendo. Nec dubitandum eſt, Deum facere bene etiam ſinendo fieri, quæcunque fiunt mala. Non enim hoc niſi iuſto iudicio ſinit.* Et lib. 3. de Trinitate cap. 4. vbi ait: *Inde ſe* (ſcilicet Dei voluntas) *quibuſdam ordinatiſſimis creaturæ motibus primo ſpiritualibus, deinde corporalibus per cuncta diffundit; & vtitur omnibus ad incommutabile arbitrium ſemetipſa ſuæ ſine incorporeis ſine corporeis rebus, ſine rationabilibus, ſine irrationabilibus ſpiritibus, ſiue per eius gratiã, ſiue malis per propriã voluntatem. Sed quemadmodum corpora craſſiora, & inferiora per ſubtiliora, & potentiora quodam ordine reguntur; ita omnia corpora per ſpiritum vitæ, & ſpiritus vita irrationalis per ſpiritum vitæ rationalem, & ſpiritus vita rationalis deſertor, atque peccator per ſpiritum vitæ rationalem pium, & iuſtum, & ille per ipſum Deum, ac ſic vniuerſa creatura per ſuum Creatorem, ex quo, & per quem, & in quo etiam condita atque inſtituta eſt; ac per hoc voluntas Dei eſt prima, & ſumma cauſa omnium corporalium ſpecierum, atque motionum. Nihil enim ſit viſibiliter, & ſenſibiliter, quod non de interiore inuiſibili atque intelligibili aula ſummi Imperatoris, aut iubeatur, aut permittatur, ſecundùm ineffabilem iuſtitiam præmiorum, atque pœnarum, gratiarum, & retributionum, in iſta totius creaturæ ampliſſima quadam immenſaque republica.* Eandem ſententiam explicãs Auguſtinus lib. 5. de Geneſi ad lit. cap. 20. ait in illis verbis ſuprà citatis. *Monet itaque occulta potentia vniuerſam creaturam, eoque motu illa verſata dum Angeli iuſſa perficiunt, dum circumeunt ſydera, dum alternant venti, dum abyſſus aquarum lapſibus, & diuerſis etiam per aërem conglobationibus agitatur, dum vireta pullulant, ſuáque ſemina euoluunt, dum animalia gignuntur, variſque appetitu proprias vitas agunt, dum impijs iuſtos exercere permittuntur, explicat ſæcula, quæ illi cùm primum condita ſunt, indiderat: quæ tamen in ſuos curſus non explicarentur, ſi ea ille, qui condidit, proinde motu adminiſtrare ceſſaret.* Non enim credidit Auguſtinus præter vim agendi omnibus rebus à propria natura indita ad naturales motus perficiendos egere nouo influxu reali, quo iterum præmoueantur ſiue ad generandum, ſiue ad vitam tranſigendam, ſuperfluus enim videtur talis influxus: ſed per diuinam motionem intellexit æternam, & inſuperabilem diuinæ voluntatis directionem, & artem ſummi artificis, & infallibilis Dei prouidentiæ executionem, qua omnia tenet, & in deſtinatos fines dirigit infallibiliter, & certiſſimè. Et hanc eſſe germanam intelligentiam verborum Auguſtini indicant alia eius verba in lib. de Gratia & lib. arbitr. cap. 20. cùm ait, *Scriptura diuina ſi diligenter inſpiciatur, oſtendit non ſolùm bonas hominum voluntates, quas ipſe facit ex malis, & factas bonas in actus bonos, & in æternam dirigit vitam; Verùm etiam illas, quæ conſeruant ſæculi creaturam, ita eſſe in Dei poteſtate, vt eas, quò voluerit & quando voluerit, faciat inclinari, vel ad beneficia quibuſdã præſtanda, vel ad pœnas quibuſdam ingrendas, ſicut ipſe iudicat, occultiſſimo quidem iudicio, ſed ſine dubitatione iuſtiſſimo.* & cap. 21. cùm ait, *Quis non iſta iudicia diuina contremiſcat, quibus agit Deus in cordibus etiam malorum hominum, quidquid vult, reddens eis tamen ſecundùm merita eorum.* Et ponit ibi duplex exemplum. Alterum defectionis Iſraël à domo Dauid: Alterum depopulationis Iudææ per Philiſtiim, & Arabes; quos diuina Scriptura à Deo excitatos fuiſſe affirmat

Auguſt. lib. 3.

lib.3.Regum c.12.& 2. Paralip.c.21. Deinde subiungit: *Nunquid tamen Philistiim, & Arabes in terram Iudæam dissipandam sine sua voluntate venerunt, aut sic venerunt sua voluntate, vt mendaciter scriptum sit, quod Dominus ad hoc faciendum eorum spiritum suscitauit? Immo vtrunque verum est: quia & sua voluntate venerunt, & tamen spiritum eorum Dominus suscitauit. Quod etiam sic dici potest. Et eorum spiritus Dominus suscitauit: & tamen sua voluntate venerunt. Agit enim Omnipotens in cordibus hominum etiam motum voluntatis eorum, vt per eos agat, quod per eos agere ipse voluerit, qui omnino inutile aliquid velle non nouit.* Quæ verba, & alia similia, quæ habet lib.5. contra Iuli. cap.3. & alibi, cùm non possint intelligi sic, quòd Deus per realem influxum in voluntatem operetur motum eiusdem voluntatis in malum, vt lib.4. 5. c. 6. ex ipsomet Augustino monstratum est, necessariò sic videntur exponenda, vt per hunc motum intelligatur diuina directio, qua Deus omnes motus humanæ voluntatis in certos fines sibi notos infallibiliter dirigit. Hoc enim est, quod solum in dictis locis contendit Augustinus.

IV. Tertiò probatur eadem assertio testimonio D. Thomæ. Frequens enim est apud D. Thomam metaphora artificis, & instrumentorum, qua scilicet omnes creaturas Dei instrumenta cõsueuit appellare, & Deum ipsum comparat artifici vtenti instrumentis, & inquit, quòd sicut instrumenta non agunt nisi mota ab artifice; ita creaturæ non mouent, nisi motæ à Deo. Verùm non est credendum D. Thomam hoc modo loquendi: sensisse, quòd creaturæ ita sint instrumenta diuinę virtutis, sicut serra, aut securis est instrumentum artificis, vt non agant propria virtute, aut per proprias formas sibi immanentes, quis hoc credat d. tanto Doctore?

Sed non ignorauit D. Thom. secundas causas esse verè causas principales comparatione effectuum, qui sunt illis proportionati, & adæquati: sed ob hanc causam vocauit illas instrumenta diuinæ virtutis, quia ars summi artificis, & intentio Dei dirigentis, semper est in illis, & per illam semper diriguntur in certos fines ipsi Deo notos, etiamsi secundę causæ tales fines non cognoscant, & talem directionem non aduertant. Hanc autem fuisse mentem D. Thom. indicant eius verba in citata quæst.3. de potentia art.7. ad septimum cùm ait: *Sed id, quod à Deo fit in re naturali, quo actualiter agat, est vt intentio sola habens esse quoddam incompletum per modum, quo colores sunt in aere, & virtus artis in instrumento artificis. Sicut ergo securi potuit dari acumen, vt esset forma in ea permanens, non autem dari ei potuit, quod vis artis esset in ea quasi quædam forma permanens, nisi haberet intellectum: ita res naturalis conferre potuit virtus propria, vt forma in ipsa permanens; non autem vis, qua agit adesse, vt instrumentum prima causæ.* Hoc eodem modo exponit D. Thomam Ferrariensis 3.contra Gentes c.70. dicens, quòd ex mente D.Th. duplex vis ad agendum reperitur in instrumentis, dum agũt, vna est forma habens esse firmum, & ratum in natura, per quam agunt tanquam propria & naturali virtute: alia est vis, quæ est intentio sola virtutis diuinæ habens esse incompletum per modum, quo colores sunt in aere, & virtus artis in instrumento: & ista vis non conuenit rebus, nisi quando actualiter operantur, & agunt tanquam diuinæ virtutis instrumenta, sicut & virtus artis non remanet in instrumento, nisi quando ipso vtitur ad operationem artis. Hîc habes creaturas duobus modis agere, vno modo per proprias formas tãquam res naturæ præditas: Alio modo tanquam instrumenta diuinæ artis, ad agendum. Primo modo habent vim permanentem firmam, & ratam ad agẽdũ. Secundo modo nõ inest illis vis firma, & permanens, sed solùm in esse quodam incompleto, & diminuto per modum intentionis, sicut colores sunt in aere per vim permanentem, quæ est propria forma, agunt vt res naturales, per illam vim, quæ est sola intentio, & virtus artis, agunt solùm, vt instrumenta diuinæ virtutis, quando Deus vtitur illis tanquam instrumentis artis. Et sicut licèt possit manere forma instrumenti, etiam quando artifex illo non vtitur, & eadem forma quis possit etiam vti non secundùm artem: tamen virtus, & intentio artis non manet in instrumento, nisi quando artifex vtitur illo secundùm artem; ita ista motio, & intentio Dei nõ est in creaturis nisi sub ea ratione, qua vtitur illis, vt instrumentis diuinæ artis ad aliquem finem. Quæ res, vt adhuc magis explicetur, & sciatur, quid addat ista intentio artis supra virtutem propriam cuiuscunque creaturæ,

V. Notandum est, quòd instrumento artis duobus modis vti possumus, vno modo non secundùm artem: alio modo secundùm artem. Verbi gratia, artifex duobus modis vtitur securi; vno modo non secundùm artem, vt ad scindendum lignum, non tamen ex intentione faciendi scamnum, aut lectum; sed ad comburendum, aut aliquid simile: alio modo secundùm artem ad formandum lectum, seu scamnum. Cùm vtitur primo modo, non est in instrumento ars, & intentio artificis, sed solùm inest illi motus physicè causatus à manu mouente: at cùm secundo modo vtitur, præter motum physicè à manu causatum in instrumento ineſt etiam instrumentò alius motus per modum artis, & intentionis, quo sic illud instrumentum physicè mouetur, & applicatur ad lignum scindendum, vt per talem scissionem introducatur forma artis, scilicet forma lecti, vel scamni. Ista autem motio per modum intentionis, & artis, quæ est ipsa intentio, & ars artificis recepta in instrumento, addit nè alium influxum, aut motum realem realiter distinctum à motu physicè causato à manu in instrumento, receptum de nouo in eodem instrumento, cùm artifex secundùm artem operatur? minimè profectò. Quia intentio & ars artificis in instrumento non est aliquid reale distinctum à motu non secũdùm artem. Addit ergo solam directionem artificis, qua illum motum instrumenti sic dirigit, vt lignum scindat non quomodocunque, sed taliter, vt inducatur forma lecti, vel scamni. Ita in creaturis duplex motus concipi potest, vnus non secundùm artem, qualis est motus, quo mouentur creaturæ, & mouent per proprias vires, vt cùm ignis calefacit, lapis fertur deorsum, spectatus præcisè vt fluit à propria virtute creaturæ, non autem spectatus, quatenus dirigitur à Deo in certum finem. Alter secundùm artem, & iste est motus diuinæ directionis, quo omnes operationes cuiuslibet virtutis creatæ sapientissimè diriguntur in fines conuenientes, etiãsi ipsæ creaturæ dũ mouentur, & seipsas mouent, non deprehendãt, se dirigi à causa superiori. Iste autem motus creaturarũ secundùm artem diuinæ prouidentiæ supra motũ naturalẽ, qui fluit à forma & propria virtute vniuscuiusque creaturæ, & supra concursum

D.Thom.

Ferrarien.

ſum ſimultaneũ, & influxum diuinum cum ipſa creatura in actionem, nõ addit nouũ influxũ realem receptum in creatura præuium ad actionem eiuſdem creaturæ: ſed addit ſolum motum metaphoricum habentem eſſe quoddam incompletum in ipſa creatura per modum intentionis, ſicut eſſe coloris in aëre, non eſt eſſe reale, ſed intentionale: quia intellectus, & ars artificis, & eius intentio non eſt in inſtrumento ſecundùm eſſe reale completum, ſed ſolum ſecundùm eſſe intentionale; nec addit ſupra realem motum phyſicum inſtrumenti nouam realitatem, ſed ſolùm nouam intentionem. De hoc motu creaturarum, qui eſt intentio, & directio primæ cauſæ, locutus eſt etiam Commentator in 2.Phyſ. com.75. cùm ait, *Quod niſi Philoſophus naturalis conceſſerit, Deum habere ſolicitudinem eorum, quæ ſunt hic, non poterit demonſtrare, quod natura agat propter finem, quia natura in multis finem non agnoſcit. Vnde oportet res naturales dirigi in ſuis motibus a cauſa ſuperiori ipſum finem cognoſcente.* Auct.

VI. Dicetur. Quamuis ars artificis, & eius intentio in inſtrumento non addat nouum realem influxum in ipſum inſtrumentum diſtinctum ab influxu phyſico, qué cauſaret manus etiã ſine arte: tamé ſatis eſt, quod artifex nõ poſſit inſtrumentũ applicare ſecundùm artẽ, & quòd intentio illius nõ poſſit verè eſſe in inſtrumento abſque vero, & reali influxu phyſico recepto in inſtrumento, & præuio ad actionem. Nam hoc ſolum eſt, quod cõtendunt, qui dicunt concurſum diuinum cum ſecundis cauſis eſſe influxum verum, & realem in ipſas ſecundas cauſas, quo præmouentur, & applicantur ad agendum: quia ſine tali influxu agere minimè poſſent.

Reſpondeo. Quando inſtrumentum non agit per formam, & virtutem propriam in ipſo manentem, ſed ſolùm per actualem motionem tranſeuntem, quo pacto agunt illa, quæ proprie dicuntur inſtrumenta artis, non poſſe intentionẽ, & artem artificis eſſe in inſtrumento niſi per phyſicũ motum cauſatũ, & realiter receptũ in inſtrumento, qui quatenus recipitur in inſtrumento, eſt prior actione eiuſdẽ inſtrumenti. Cæterùm quando inſtrumentum agit per propriam formam, & virtutem permanentem, poteſt intentio, & ars artificis eſſe in inſtrumento per ſolam directionem actionis, quæ fluit à propria virtute, & forma inſtrumenti; ſicut cùm Alchimiſta dirigit vim ignis & quorundam mineralium ad conficiendum aurum fictitium. Ita Deus dicitur vti creaturis, vt inſtrumentis dirigendo earum vires naturales, & motus, & operationes, eſto nõ influat in eas nouũ motum realem præuiu ad illarum operationes. Sed imaginatio multos decipit in hoc, quòd dum audiunt, Deũ vti omnibus creaturis tãquam inſtrumentis diuinæ virtutis, imaginãtur omnes creaturas in manu Dei eſſe inſtrumẽta inanimata, nihil cõgentia per proprias vires naturales, ſed per ſolam Dei motionem tranſeuntem in illis receptã, quod vniuerſaliter nõ eſt verum, licèt hoc videatur affirmare Calumus. Habent enim etiam ipſæ creaturæ ſuas vires, quibus agunt, vt ſuprà dictũ eſt, non autem ſolus Deus in illis, & per illas operatur. Neque tamẽ negandum eſt abſolutè, vti etiam Deum creaturis, tanquam inſtrumentis artis, in quibus virtus agẽdi eſt ſolùm per modum motionis tráſeuntis receptę à cauſa principali, quãdo ſcilicet vtitur illis ad quoſdam effectus, qui illarum virtutes excedũt. Et tunc non negamus, præter diuinam directionem, & intentionem, requiri etiam influxum præuium, & realem in ipſas ſecũdas cauſas, in quo ſenſu loquitur D. Tho. lib.3.de Regim.princip.c.8. D.Thom.

VII. Dicetur, ſi ad omnes actiones ſecũdarum cauſarum etiam libere agentium neceſſarius eſt iſte influxus præuius in ſecundas cauſas per modum actis, & intentionis, & diuinę directionis, ſequitur primò, omnes effectus ſecundarum cauſarum etiã liberarum fuiſſe antecedenter ab æterno prædefinitos à Deo contra id, quod lib.4. diximus, & ſequela euidens eſt. Nam iſta intentio, & directio diuina nihil aliud eſt, niſi executio prouidentiæ, ordinis, & prædefinitionis æternæ. Ergo ſi hæc eſt antecedens, etiam illa eſt antecedens: & ſi per hanc ſecundæ cauſæ dirigũtur antecedenter, etiam ab æterno fuerunt prædefiniti omnes effectus ſecundarum cauſarum antecedenter.

Secundò ſequitur Deum dirigere humanas voluntates ad actus malos, quoniam diximus, omnes motus ſecundarum cauſarum ſiue ad bonum, ſiue ad malum, eſſe ex diuina directione.

Ad primum reſpondetur negando ſequelam. Ad probationem dicitur, quòd eo modo Deus in tempore ipſas creaturas dirigit in ſuos fines per proprias illarum operationes, quo modo ab æterno prædefiniuit dirigere: ſed non eodem modo ab æterno omnes creaturas præordinauit, neque eadem intẽtione, neque ad cũdem finem ſaltem efficaciter, neque eodem modo illarum operationes prædefiniuit. Neque eodem modo omnia ſubſunt diuinæ prouidentiæ, ſed quædam præordinauit in fines naturales, ita vt deficere non poſſent, vt corpora cæleſtia, quædam ita, vt deficere poſſent à fine particulari naturali, non tamé à fine vniuerſali, vt generabilia, & corruptibilia, quę-dã ordinauit ad finẽ ſupernaturalẽ efficaciter, ita vt licèt poſſent deficere, nõ tamen de facto deficerent, vt prædeſtinatos: quædam ordinauit ad eũdem finem, ita vt poſſent deficere, & ſinerentur deficere, vt reprobos. Rurſus quaſdam operationes prædefiniuit antecedẽter ad determinationẽ ſecũdarum cauſarum, ſicut actiones, ad quas res ſunt à natura determinatæ: quaſdam operationes prædefiniuit ſimul cum præſcientia determinationis ſecundarum cauſarum, vt actiones liberas. Rurſus aliquas actiones prædefiniuit fieri, vt bonas: quaſdam ſolùm permittere, vt malas; & ſic aliquas præordinauit per prouidentiam approbationis, vt bonas; quaſdam ſolùm per prouidẽtiam conceſſionis, vt malas, quas ipſe nõ ordinauit, vt fierent, ſed ſolùm permiſit, vt fierent, & factas ordinauit in aliquem honeſtũ finẽ. Eodẽ modo propo. ionabiliter loquẽdũ eſt de diuina directione, qua ſecundas cauſas in tempore dirigit in ſuos fines, nam aliquas dirigit efficaciter, prædeterminãdo illas phyſicè ad determinatum finem per determinatas operationes, vt agentia naturaliã. Alias ita dirigit in finem, vt finat illas liberè circa alſecutionem ipſius finis operari, vt creaturas liberas. Alias dirigit ad agẽdum inclinando ad operationem. Alias ſolùm permittendo, neque ſuum concurſum illis denegãdo. Alias dirigit in finem principaliter intẽtum. Alias in finem intẽtum ſola ſecũdaria intentione. Et ſic apparet, quòd licèt iſta ſit directio antecedẽs, quatenus Deus dirigit non ſolùm actiones, ſed multo magis ipſas creaturas agẽtes; non eſt tamẽ influxus antecedẽs prædeterminãs efficaciter volũtaté ad hanc numero actionẽ, ſed ſinẽs in eius poteſtate illius

illius determinationem,& ita iſta directio antecedens non infert æternam prædefinitionem antecedentem omnium actuum liberorum, de qua ſolùm eſt controuerſia.

Ad ſecundum negatur ſimiliter conſequentia, quia ſicut duplex eſt prouidentia, alia approbationis, alia conceſſionis, ita duplex eſt directio, alia qua Deus dirigit voluntatem ad operationem vt fiat: alia qua non dirigit, neque inclinat voluntatem ad actionem, vt fiat, ſed ſolùm permittit fieri, ne lædat eius libertatem, & factam ordinat in bonum. Et hoc modo tanquam ſapientiſſimus artifex dicitur Deus vti voluntate mala,& eam dirigere & ordinare in bonum,non inclinando illam ad malum, ſcil. vtendo illius malitia in bonum, ſicut dicit Auguſt. in Auguſtin. Enchirid.c.100. videantur quæ diximus lib.5.c.8. & 9.

CAPVT XXIII.

Soluuntur obiectiones aduerſariorum contra ſecundam propoſitionem.

I. COntra ſecundam propoſitionẽ inſurgit multiplex argumentum. Primum ſumitur ex autoritate Catechiſmi Romani ex decreto ſacri Concilij Tridentini iuſſu Pij V. editi part.1. de primo Symboli art.n.12 Quo in loco videtur oppoſita ſententia fuiſſe definita,ſcilicet,quòd concurſus diuinus cum ſecundis cauſis ſit inſluxus in ipſas cauſas prævius ad actionem. Sic namque ait. *Non ſolùm autem Deus vniuerſa, quæ ſunt, prouidentia ſua tuetur,atque adminiſtrat. Verùm etiam qua mouentur, & agunt aliquid, intima virtute ad motum atque actionem ita impellit,vt quamuis ſecũdarum cauſarum efficientiam non impediat,præueniat tamen, cùm eius occultiſſima vis ad ſingula pertineat: Et quemadmodum ſapiens teſtatur, attingat à fine vſque ad finem fortiter,& diſponat omnia ſuauiter. Quare ab Apoſtolo dictum eſt, cùm apud Athenienſes annunciaret Deum, quem ignorantes colebant, non longè eſt ab vnoquoque noſtrùm. In ipſo enim viuimus, mouemur, & ſumus.*

Reſpondetur ſatis conſtare ex antecedentibus, & conſequẽtibus, quæ ſit mens Catechiſmi, in illo loco. Non enim fuit definire, an concurſus Dei generalis cum ſecundis cauſis ſit influxus ſimultaneus,an prævius ad actionem in ipſam cauſam ſecundam. Quis enim credat in eo libello, qui ad catechizandos,& inſtruendos rudiores de rebus ad fidem ſpectantibus editus eſt, voluiſſe ſummum Pontificem decernere iſtam controuerſiam, neque vllo pacto ad fidem ſpectantem, neque fortaſſe tempore Pij V. ſatis examinatam,cuius ſtatus vix à peritiſſimis Theologis intelligitur? Sed mens Pontificis fuit, fideles inſtruere, Deum ſua gubernatione ſecundarum cauſarum vim non euertere, & omnes ſecundas cauſas intima virtute ad motum impellere, vt & illarum efficientiam præueniat, & tamen illam non impediat, quod omnibus certum eſſe debet ex fide, vt ſuprà diximus contra Saracenos,& alios quoſdam. Id autem,vt verum ſit,neceſſe non eſt,quòd Deus ad quamlibet actionem creaturæ concurrat per nouum realem influxum in cauſam creatam prævium ad illius actionem:ſed ſufficit, quòd det eſſe ſecundis cauſis,& virtutem agendi,& iugiter influat in illas,conſeruando eas in eſſe,& illarum virtutẽ in agendo.præmoueat etiã,& inclinet voluntates,& impellat tanquam vniuerſalis motor ad vniuerſale obiectum,vt dicit D.Th. 1.2.q.9.a.6 ad tertium. Quod facit non per nouum illum influxum in ſecundam cauſam, ſed per influxum, ſeu D.Thom. inclinationem, & applicationem inditam vnicuique agenti à natura. Hæc enim eſt inclinatio illa,& applicatio ſecundæ cauſæ à prima, de qua ſæpe loquitur D.Thom. vt colligitur ex ipſomet in q.3.de malo a.2. Vbi explicans,quid ſit iſta inclinatio voluntatis, dicit quòd eſt pondus quoddam in bonum inditum illi à Deo, vt autore voluntatis,ſicut inclinatio, quæ eſt indita graui à generante,vt moueatur deorſum. Et demum requiritur, quòd exhibeat illi ſuum concurſum ſimultaneum paratum, & expeditum, vt quotieſcunque voluntas voluerit, eo vti poſſit. Præter hæc ex parte primæ cauſæ nihil aliud neceſſarium videtur. Et quòd iſte influxus nouus,& particularis ad hanc, aut illam determinatam actionem per ſe neceſſarius non ſit, probatur ex D. Thom. loco proximè citato. Inquit enim, quòd *Deus mouet voluntatem hominis ſicut vniuerſalis motor ad vniuerſale obiectum voluntatis, quod eſt bonum; & ſine hac vniuerſali motione homo non poteſt aliquid velle:ſed homo per rationem determinat ſe ad volendum hoc,vel illud, quod eſt verè bonũ, vel apparens bonum. Sed tamen interdum Deus ſpecialiter mouet aliquos ad aliquid determinatè volendum, quod eſt bonum, ſicut ſanctos, quos mouet per gratiam.* Si interdum mouet aliquos ad aliquid determinatè volendum. ergo generaliter diuinus impulſus, & diuina motio non eſt nouus,& determinatus influxus in voluntatem ad hanc, vel illam determinatam actionem.

Secundum argumentum ſumitur ex autoritate II. Philoſophi lib.7.phyſic. cap.1. & lib.8. cap.5. dicentis, ſecundas cauſas eſſe mouentia mota à prima cauſa, & non mouere, niſi quatenus mouentur ab ipſa prima cauſa, & omnes motus inferiorum pendere à motu primi mobilis, & illum pendere à primo mouente immobili. Sentit igitur Philoſophus, quòd ſicut baculus non mouebit lapidem,niſi moueatur à manu;ita ſecundæ cauſæ non mouebunt, neque producent aliquam actionem niſi moueatur à prima.

Reſpondeo,cùm Ariſtoteles loquatur de motu reali,& materiali,non autem de motu voluntatis, etiamſi admitteremus totum argumentum, nihil noſtræ ſententiæ officeret. Secundò dico etiam loquendo de motu materiali, motus inferiorum pendere à motu primi mobilis non per ſe, neque ob aliquam dependentiam eſſentialem,ſed ſolùm per accidens, quatenus motus primi mobilis, quod eſt corpus cæleſte, adducendo aſtra, & abducendo, eſt cauſa alterationis,& miſtionis in rebus ſublunaribus. Tertiò dico illam propoſitionem,omne quod mouetur ab alio moueri,non eſſe vniuerſaliter veram, neque inueniri apud Ariſtot. vt ſuprà cap.19. adnotauimus ex Medina. Quartò dico ex doctrina Scoti in 4. d.1. q.1. ad vltimum,& Caietan. in 1.1.q.14. a.13.& q.19.a. Scotus. Caietan. 8. iſtas propoſitiones, ſecundæ cauſæ non mouent,niſi vt ſunt motæ à prima, vel ſecundæ cauſæ non agunt,niſi in virtute primæ, & alias ſimiles, poſſe duplicem ſenſum habere: vnus eſt, quòd non agant, niſi priùs recipiendo in ſe nouum influxum realem prævium ad nouam actionem:& hic ſenſus neque eſt vniuerſaliter verus, neque à Philoſophis intentus, maximè loquendo de

de cauſis liberis, quarum motus ſpirituales ſunt, non materiales. Alter eſt, quòd in agendo habeát eſſentialem dependentiam,& ſubordinationem ad primam cauſam,indigeántque influxu primæ cauſæ conſeruante illas in eſſe, & earum virtutem in agendo & cooperatione,& adiutorio eiuſdem primæ cauſæ influentis in illarum actiones, vt ſuprà dictum eſt. Et hic eſt ſenſus verus, & in hoc ſenſu neceſſe eſt,omnes ſecundas cauſas præmoueri à prima. Indigent autem cauſæ liberæ multoties ad hoc,vt exeant in operationem, aliqua applicatione locali,aut aliqua excitatione obiectiua,quæ ſit vel à ſecundis cauſis,vel nonnunquam ab ipſo Deo immediatè,ſed de hac non eſt hic ſermo.Atque ex hac doctrina ſolui poteſt tertium argumẽtum quod tale eſt.

III. Tertium argumentum. Omnes ſecundæ cauſæ comparatione primæ ſunt,ſicut inſtrumenta artis comparatione artificis,ſicut dicit diuina Scriptura Iſai. 10.& D.Tho. ſæpiſſimè in locis ſuprà c.20. allegatis.Et 1.2.q 6. art.1. ad 3.ſed inſtrumentum non agit niſi priùs moueatur ab artifice recipiendo in ſe præuium influxum;ergo. D.Thom.

Reſpondeo ſecundas cauſas reſpectu effectuũ, & actionum,ad quas non concurrunt per propriã formam, & virtutem ſibi immanentem, ſed ſolùm per virtutem cauſæ ſuperioris in illis receptam per modum actualis motionis tranſeuntis, poſſe verè, & propriè appellari inſtrumẽta,& non ſolùm metaphoricè,& reſpectu talium effectuũ,& actionum indigere non ſolùm concurſu ſimultaneo,ſed etiam concurſu, qui ſit influxus præuius in ipſas cauſas : ſicut baculus ad hoc, vt moueat lapidem, indiget influxu motionis præuiæ receptæ in ipſo baculo.Cæterùm reſpectu effectuũ,& actionum, ad quas concurrunt per proprias formas, atque virtutes in illis permanentes, neque propriè dici inſtrumenta,ſed ſolùm metaphoricè, ſunt enim cauſæ principales in ſuo ordine, ſicut ſuprà c.7.oſtendimus,& tradit etiam D.Thom.de verit. q.24.art.1.ad quartum & quintum. Neque egere concurſu, qui ſit influxus realis præuius in ipſas ſecundas cauſas. Quæ verò ſit ratio, ob quã licèt agant per proprias virtutes in ipſis manẽtes, vocentur nihilominus inſtrumenta, dici poteſt, ob hanc cauſam vocari inſtrumẽta diuinæ virtutis,tũ quia illarũ virtus eſt illis participata à prima cauſa, & ipſi ſubordinatur eſſentialiter in eſſendo,& in agendo. Tum quia ſicut inſtrumẽta ab artifice applicãtur,& dirigũtur ad opus,& ars, & intentio artificis eſt in ipſis inſtrumẽtis in eſſe quodam intentionali incompleto ; ita etiam omnes ſecundæ cauſæ diriguntur à Deo,& ars ſummi artificis eſt in illis ad faciendum ex illis,& per illas quidquid iuſtiſſimo iudicio licèt nobis occulto ipſe decreuerit : & ob hanc cauſam omnes ſecundæ cauſæ vocantur inſtrumenta virtus diuinæ. D. Thom.

IV. Quartum argumentum.Secũdæ cauſæ non ſolùm producunt ſuas operationes, & ſuos effectus ſecundùm ſpeciẽ, ſed tribuunt illis vltimã actualitatẽ,& eſſe:ſed hoc efficere non poſſunt niſi cõpleantur in ſua virtute actiua per motionẽ primi agentis.Ergo oportet,vt præuia motione moueãtur à primo agente,vt producãt illã vltimã actualitatem.Probatur minor,nã quoad vltimã actualitatẽ, cùm virtus operatiua cuiuſcunque creaturæ ſit actus admixtus potentiæ,nõ poteſt ex ſe habere tantã,& tã perfectam actualitatem, quanta eſt actualitas operationis,quę eſt actus ſecũdus.Similiter quoad eſſe,cùm ſit actus vniuerſaliſſimus, & proprius effectus ſolius Dei,ſicut dicitur in lib.de cauſis, quòd intelligentia nõ dat eſſe, niſi quatenus eſt diuina,ſecundæ cauſæ non poſſunt attingere eſſe ſuorum effectuum, niſi quatenus ſunt inſtrumenta virtutis diuinæ, & præmouentur à Deo.

Reſpondetur, quidquid ſit de admixtione potẽtiæ cũ virtute creata,de vltima actualitate operationis, & de vniuerſalitate huius effectus, qui eſt eſſe,ad hoc vt virtus creata tribuat vltimam actualitatem,& eſſe ſuo effectui,ſufficere,quòd ipſa habeat eſſe participatum à prima cauſa, & virtutem ſimiliter participatam,& in eſſendo,& agẽdo cõſeruetur per diuinã virtutẽ,& ab illa dirigatur, & Deus influxu ſimultaneo influat in actionem ſecundæ cauſæ,& in eius effectũ, ita vt tota actio ſecũdæ cauſæ, & totus eius effectus ſecũdùm eſſe ſit immediatè à Deo tanquã à cauſa efficiẽte,neq; aliquid plus requiri. Et hoc eſt,quod aiũt Philoſophi, quòd intelligentia non dat eſſe niſi vt eſt diuina. præter quod libellus ille de cauſis multos continet errores cõtra fidẽ, qualis inter alios eſt iſte,quòd ſecunda intelligentia det eſſe tertiæ, & tertia quartę,& hoc per creationem.Vnde autoritas libri de cauſis,in qua nonnulli potiſſimũ fundant iſtos influxus pręuios,nõ eſt magni facienda.

V. Quintum argumentũ. Ab eo quod eſt ad vtrũlibet,non procedit actio determinata, niſi ab aliquo moueatur, & inclinetur ad vnum : ſed cauſa libera,& contingens eſt ad vtrumlibet, & indifferens ad oppoſita. Ergo ab illa non exibit actio, niſi determinetur ab aliquo agente ad vnam partem,ſiue ad vnam particularem operationem.

Confirmatur ratio, quia quod eſt quandoque in actu, quandoque in potentia, indiget moueri ab aliquo mouente, quòd ſit purus actus:ſed voluntas creata eſt agens quandoque actu, quandoque in potentia.ergo,&c.

Reſpondetur, quod eſt indifferens ad oppoſita paſſiue,eget determinari ab aliquo mouente, & agente extrinſeco:ſed quod eſt indifferens ad oppoſita per potentiã actiuã, poteſt ſeipſum ad vnã partem determinare,ſicut dicit D.Th.1.2.q.9.a.6. ad tertium & q.80.a.1.ad tertium. D.Thom.

Ad confirmationem reſpõdetur, illud,quod eſt quãdoque agens in actu, & quãdoq; in potentia, indiget moueri ab aliquo, quod ſit purus actus, nõ quidem per nouum influxũ realem receptũ in ipſo agente,ſed vel per propoſitionem obiecti,vel per aliquos motus primò primos,qui ſunt agenti per intellectum, & voluntatem rationes conſulendi, & deliberandi de agendis, vel per motum quo primum agens, vt vniuerſalis motor mouet voluntatem ad vniuerſale obiectũ volũtatis, ſicut dicit D.Thom.ibid.& q.9.art.4.& 6.& q.109. art. 2. ad primum. Videantur, quæ dicta ſunt lib.1. c.28.

VI. Sextum argumentum.Niſi admittamus iſtũ influxũ pręuiũ in voluntatem creatã ad hoc,vt operetur, ſequitur, quòd ſint plura prima principia, quod eſt hęreſis Manichęorũ. Sequela probatur: quia de ratione primi principij eſt,vt agere poſſit ſine auxilio prioris agẽtis, & ſine influẽtia illius. Ergo ſi volũtas creata aliquã actionẽ produceret ſine præuia motione primi agẽtis, comparatione talis actionis illa eſſet primum principium. Neque ſufficit, quòd voluntas creata habeat eſſe ab alio ; & quòd Deus cooperetur illius actioni, quia, vt dicit D. Thom. in 2. diſt. 37. quæſt. 2. art. 2. quamuis per hanc reſponſionem euitaretur, quòd voluntas humana, D.Thom.

& quæcunque alia cauſa ſecunda eſſet primum eius ſimpliciter: non tamen videtur poſſe euitari quin eſſet primum agens, ſi eius actio in aliquod prius agens non reduceretur.

Reſpondetur. Errorem Manichæorum ponentium plura prima principia notum fuiſſe Philoſophis præſertim Ariſtoteli; & Ariſtotelem contra illum docuiſſe vnum tantùm eſſe primum agens, & vnicum primum principium: & nihilominus nunquam docuiſſe, neceſſarium eſſe iſtum influxum immediatum in omnes ſecundas cauſas, maximè in voluntatem humanã; neq; hæſitaſſe an abſque tali influxu neceſſe eſſet plura prima principia admittere. Vnde ad argumẽtũ negãda eſt ſequela. Et ad probationẽ reſpõdemus, ex hoc, quòd volũtas operatur ſine iſto nouo influxu prævio, non ſequi, quòd operetur ſine auxilio prioris agẽtis, & ſine illius influentia: eget enim auxilio, & influentia Dei dantis eſſe, & virtutem ad agendum, & vtrunque conſeruantis, & mouentis etiam voluntatem ad vniuerſale obiectum, quod eſt bonum, & dirigentis eandem voluntatem, & cooperantis actioni. Vnde actio voluntaris creatæ reducitur in aliquod prius agens, à quo eſſentialiter dependet, & in cuius virtute agit, & nihil contra hanc reſponſionem facit autoritas D. Thom. allegata.

Præter quòd voluntas creata non diceretur primum agens, etiamſi Deus non influeret immediatè in illius actionem, ſed ſolùm influeret voluntati virtutem ad agendum. Quia actio voluntatis creatæ non poſſet non eſſe mediatè à Deo, & Deus non poſſet non eſſe primum principium ſaltem mediatum eiuſdem actionis. Quod neceſſariò debent dicere Caietanus, & alli, qui reſpondentes cuidam argumento Scotico, dicunt quòd ſi Spiritus ſanctus procederet à ſolo Filio, & non à Patre, adhuc diſtingueretur realiter à Patre; quia licèt inter Spiritum ſanctum & Patrem non foret oppoſitio originis immediata, foret tamen mediata, quatenus Filius, qui eſſet principiũ Spiritus ſancti, eſſet à Patre tanquam à principio.

VII. Septimum argumentum. Id quod non habet à ſe eſſe, nõ habet à ſe operari, aut influere, ſed totum hoc accipit ab alio, à quo habet eſſe: ſed voluntas creata non habet eſſe à ſeipſa, ſed à Deo. ergo non habet, quod actualiter influat in ſuam operationem à ſeipſa, ſed à Deo. Ergo Deus influit in voluntatem motione prævia, qua voluntas mouetur, & applicatur ad actualem operationem.

Reſpondetur, admiſſo toto argumento, eſſe negandam vltimam conſequentiam, ſi intelligatur de influxu per motionem prævium de nouo receptam in voluntate ad ſingulas operationes.

VIII. Octauum argumentum. Fieri non poteſt etiam per potentiam Dei abſolutam, vt Deus immediatè producat actionem vitalem creatam, niſi mediante potentia vitali creata. Ergo impoſſibile eſt, quòd diuinus concurſus influat in actionem vitalem potentiæ creatæ, niſi priùs influat in ipſam potentiam creatam.

Reſpondeo, latere æquiuocationem in antecedenti. Nam Deum non poſſe producere actionem vitalem potentiæ creatæ, niſi mediante potentia creata, duplicẽ ſenſum poteſt habere, alter eſt, quòd Deus immediatè attingere non poſſit productionem ipſius actionis vitalis, ſed ſolùm mediatè, quatenus influit vim potentiæ creatæ, & hic ſenſus, qui ab arguente intenditur, falſus eſt & reiiciendus, Deus enim attingit immediatè ipſam productionem actionis vitalis cuiuſcunque creaturæ tum immediatione virtutis, tum etiam ſuppoſiti, vt ſupra dictum eſt: Alter eſt, quòd Deus nõ poteſt ita attingere actionem vitalem potentiæ creatæ, vt ab illa recipiat formalem denominationem, verbi gratia, vt poſſit dici formaliter videns, intelligens, volens volitione, intellectione, aut viſione creata. Et hic ſenſus verus eſt, non ob hoc, quòd non poſſit attingere productionem talis actionis immediatè abſque influxu prævio in potentiam, ſed quia non poteſt vniri creaturæ per modum formæ, ſed ſolùm per modum cauſæ efficientis.

IX. Nonum argumentum. Diuina Scriptura docet, Deum omnia in omnibus operari, & quòd in ipſo viuimus, & mouemur, & ſumus, & quòd abſque illo nihil facere poſſumus, Iſai. 26. Ioan. 15. Act. 17. & alibi.

Auguſtinus quoque, & alij Patres docent, Deũ eſſe cauſam omnium rerum corporalium, & omnium illarum actionum, & ſua potentia omnes creaturas mouere.

Reſpondetur. Quomodo Deus omnia in omnibus operetur, & ſit cauſa omnium rerum, & omnium motionum, & omnes creaturas moueat, ſatis in ſuperioribus declaratum eſſe.

X. Decimum argumentum. Qui negat influxum prævium primæ cauſæ in ſecundas cauſas, negat axiomata communi conſenſu probata à Philoſophis. Vt quòd cauſæ ſecundæ non agant niſi in virtute primæ cauſæ, & quòd non moueant niſi motæ à prima cauſa, & quòd prima cauſa priùs influat in cauſatum, quàm ſecunda.

Reſpõdetur, nõ negari axiomata à Philoſophis cõmuni cõſenſu probata, ſed negari ſenſum non legitimum, neque intentum à Philoſophis, quem nonnulli ex illis eliciunt. Nã ſecundas cauſas non agere niſi in virtute primæ cauſæ, non eſt, illas nõ agere, niſi aliquo prævio influxu de nouo in ipſas recepto: ſed agere cũ eſſentiali depẽdentia, & ſubordinatione ad primã cauſam per virtutẽ participatã, & receptam à prima cauſa dante eſſe ſecũdis cauſis, & cõſeruante, & adiuuante, vt ait Scotus in 4. d. 1. q. 1. ad vltimum, & etiã D. Th. 3. contra Gẽt. c. 70. Similiter ſecũdas cauſas nõ mouere niſi motas à prima, nõ eſt, illas ſemper indigere nouo influxu prævio, quẽ ſãltẽ quoad volũtatem humanã Ariſtoteles fortaſſe omnino ignorauit: ſed ſimiliter in ſuis operationibus illas pendere eſſentialiter à prima cauſa, & illi ſubordinari, vt dictũ eſt. Tãdem primã cauſam magis, & priùs influere in cauſatum, quàm ſecũdam, nõ eſt primam cauſã in aliquo priori temporis, aut naturæ priùs attingere productionem effectus, quàm ſecundam: hoc enim falſum eſt, vt Caietanus aduertit 1. p. q. 14. a. 13. §. *Nec ſuſtinendus*. ad ſecundum argumentum Scoti, quia hoc admiſſo ſequeretur vnum ex duobus inconuenientibus, aut quòd effectus cauſę ſecundæ, verbi gratia, voluntatis ſemel productus à Deo iterum produceretur à voluntate creata, aut quòd volũtas creata verè nõ produceret actũ volitionis, ſed ſolùm Deus illum verè produceret in volũtate, illa merè paſſiuè ſe habente ad talem actum. Sed ſenſus illius eſt, quòd prima cauſa independẽtiùs, & immediatiùs immediatione virtutis attingit ipſũ effectũ, quàm ſecũda, vt Caiet. ibi notat, quẽ ſequitur Ruard. Taper 2. 7. prop. 10. in fine. Adeò quòd prima cauſa dicitur influere prius, quàm ſecunda. Primò, quia influit ſine dependentia à ſecunda, ſecunda verò non influit niſi dependenter à prima ſecundum eſſe, & virtutem operandi, & actualem operationem. Secundò, quia influentia primæ cauſæ eſt vniuerſalis,

Scotus. D. Thom.

salis, secundæ verò est particularis, & id quod vniuersale est, dicitur prius eo, quod particulare est. Hæc sunt præcipua argumenta, quibus nonnulli contendunt, concursum primæ causæ cum secundis etiam generalem esse influxum præuium in ipsas causas, de nouo receptum, & necessarium ad singulas determinatas actiones; quæ vel sola eorum debilitate ostendunt huiusmodi sententiam parũ habere probabilitatis. Vnicũ restat argumẽtum soluendum ex physicis prædeterminationibus petitum, quod quia longiorem postulat discussionem, capite sequenti ex instituto proponendum erit, ac resoluendum.

CAPVT XXIV.

Voluntatem creatam non prædeterminari physicè per diuinum concursum generalem ad liberas operationes in particulari, & quoad exercitium.

I. QVæ capitibus proximè antecedentibus de generali concursu primæ causæ cum voluntate creata ad liberas illius actiones eliciendas tradita sunt, faciliorem aperiunt nobis viam ad resoluendum secundum dubium c. 19. propositũ, an diuinus concursus generalis cum voluntate creata illam physicè prædeterminet in particulari ad singulos actus liberos quoad omnes, & singulas illorum circunstantias positiuas. Circa quod dubium longa disputatione à Scholasticis hisce temporibus controuersum, his omissis quæ ad terminos explicandos, & statum difficultatis & controuersiæ aperiendum ab illis dicuntur (iam enim satis hæc nota esse arbitror) vt ea solùm attingamus, quæ argumento in fine capitis antecedentis proximè insinuato dissoluendo necessaria videntur: Tria quàm breuissimè efficiemus. Primò referemus opiniones, ex quibus Secundò illam probabimus, quæ veritati magis consentanea, & ad arbitrij libertatẽ tuendam magis videbitur apta. Tertiò obiectiones in contrarium soluemus.

Caluinus. Ex hæreticis Caluinus lib. 2. contra Pighium, & lib. 2. Instit. c. 4. fatetur, humanam voluntatem ad quiduis agendum siue bonum, siue malum, ita efficaciter præmoueri à Deo, vt physicè prædeterminetur ad singulos actus prædeterminatione, quæ euertat penitus arbitrij nostri libertatem. Quem errorem ante illum docuisse Platonem, & Stoicos, & Ioannem VVicleffum, & aliquando Lutherum, ostendimus lib. 2. c. 3. sed hic error lib. 2. sufficienter fuit confutatus.

Inter Catholicos nonnulli affirmant, Deum ab æterno prædefiniuisse efficaciter omnes actus liberos volũtatis creatæ antecedẽter ad præscientiam liberæ determinationis eiusdem volũtatis creatæ ad ipsos actus, & in tempore voluntatem ad eosdem actus antecedenter præmouere, & applicare, ita vt efficaciter illam ad eosdem actus prædeterminet secundùm hîc, & nunc quoad illorum omnes circunstantias positiuas. Fatentur tamen per eiusmodi prædeterminationem nullo modo lædi arbitrij nostri libertatem, quin ipsa quoque voluntas creata sese ad tales actus secundùm omnes, & singulas illorum circunstantias liberè determinet. Quoniam sicut ex efficacia diuinæ voluntatis prouenit, vt nõn solùm eueniant infallibiliter omnia, quæ Deus vult euenire, sed etiam eueniant eo modo, quo Deus vult illa euenire; ita ex efficacia diuinæ motionis, qua voluntatem creatam præmouet, & determinat ad actus liberos, euenit, vt non solum voluntas creata infallibiliter sese ad eosdem actus determinet, sed etiam, vt liberè se ad illos determinet. Est tamen inter autores huius sententiæ nonnihil, in quo illi dissentiunt; nam aliqui vniuersaliter, & indistinctè affirmant, voluntatem creatam per influxum præuium, & antecedentem in ipsa receptum prædeterminari physicè ad omnes actus liberos siue bonos, siue etiam moraliter malos, quoad naturalem illorum entitatem, & circunstantias positiuas, excepta malitia. Alij verò non audent admittere, voluntatem prædeterminari ad actus moraliter malos, sed solùm ad moraliter bonos, aut ad summum indifferentes. Porrò voluntatẽ physicè prædeterminari per diuinum influxum ad actus liberos, non est voluntatem prædeterminari ad illos per modum naturæ, vt videtur sonare hoc aduerbium, *physicè*, implicat nanque voluntatem sic ad actus liberos, quatenus liberi sunt, prædeterminari; sed est, voluntatem realiter, & verè efficiẽter præmoueri & prædeterminari à Deo ad tales actus, & non solùm moraliter per suasionem, aut propositionem obiecti, ita vt ly *physicè* contradistinguat à morali, non autem à libero. Hæc sententia nullum continet errorem, & extremè distat à sententia hæreticorum. Esto nanque dicat, voluntatem physicè, & non solùm moraliter à Deo præmoueri ad actus liberos, & ad illos prædeterminari in particulari secundùm omnes, & singulas illorum circunstantias; fatentur tamen eius autores, illam ita prædeterminari, vt per huiusmodi prædeterminationem nullo pacto lædatur arbitrij nostri libertas. Quidquid autem habet difficultatis ista sententia, in hoc solùm consistit, videlicet in declarando, quónam pacto cum ista physica prædeterminatione ipsa arbitrij libertas valeat consistere: id nanque si illius autores semel legitimè explicabunt, omnes Theologi facilè in eandem sententiam abibunt, quippe, quæ in reliquis modo loquendi diuinæ Scripturæ, & Sanctorum Patrum, maximè D. Augustini, satis videatur esse conformis.

II. Alij verò Scholastici sicut fatentur, concursum Dei generalem cum voluntate creata ad illius actiones liberas, non esse influxum realem præuium in ipsam voluntatem, sed simultaneum dũtaxat, & in actionem, & effectum eiusdem voluntatis; ita consequenter negant, voluntatem creatam physicè à Deo prædeterminari ad vllum actũ liberum. Quam sententiam coguntur defendere illi, qui negant humanos actus liberos fuisse ab æterno efficaciter prædefinitos antecedẽter ad omnem præscientiam liberæ determinationis voluntatis creatæ ad eosdem actus liberos, si consequẽter loqui volunt. Et hæc sententia probabilior videtur, & ad humani arbitrij libertatem explicandam, & tuendam magis apta, quæ tum autoritate, tum ratione breuiter sic probatur.

III. Primò probari potest omnibus autoritatibus Patrum, Scholasticorum, & rationibus, quibus lib. 4. ostenditur, actus humanos liberos non fuisse ab æterno efficaciter prædefinitos antecedenter ad præsciẽtiã liberæ determinationis volũtatis creatæ: illę nanque nõ minùs efficaciter probãt, eosdẽ actus in tempore nõ prædeterminari à Deo efficaciter, neque voluntatem prædeterminari ad illos,

antequam illa ſeipſam ad eoſdem actus liberos determinet.

Secundò probatur ex conſenſu communi omnium Scholaſticorum, qui illam conceptis verbis in ſuis ſcriptis docuerunt. Hi autem ſunt Alexãd. Alenſ. Scotus, D. Bonauentura, Capreolus, Gregorius Arim. Ægidius, Henricus, Gabriel Biel, Marſilius, Adamus, Gulielmus Okam, Andreas de Caſtronouo, Almainus, Hieronymus ab Hangenſto, Dionyſius Ciſtercienſis, Armachanus, Adrianus, Caietanus, Conradus, Durandus, Heruæus, Silueſter, Soncinus, & alij. Quorum teſtimonia referunt Suarez lib.1. de Auxil. cap.14. & lib.2.c.2.§. *Quid Scholaſtici ſenſerint de concurſu Dei ad actum malum.* & lib.3. cap.13. §. *Ex Scholaſticis.* & Leſſius diſputat. Apologet.c.5.& 8. Ad quos remitto, ne ſim prolixior. Omiſſis autem omnibus aliis, vnum D. Thomam operæpretium arbitror in huius ſententiæ patrocinium in medium aduocare, illam enim apertiſſimè non vno in loco videtur docuiſſe. In primis enim in q.5. de veritate art.9.ad 10. non ſolùm illam apertè tradit; ſed ſoluit etiam præcipuum fundamentum contrariæ opinionis, quod apertè videbit, qui cum reſponſione conferet prius argumentum ad quod ibi reſpondet. Reſponſio talis eſt. *Ad 10. dicendum, quod cauſa primaria plus dicitur influere, quàm ſecunda, in quantum eius effectus eſt intimior, & permanentior in cauſato, quàm effectus cauſa ſecunda. Tamẽ magis aſſimilatur cauſa ſecũda, quia per eã determinatur quodámodo actus prime cauſe ad hunc effectũ.* Et q.12.art.10.docet quòd ea, quæ Deus non operatur ſe ſolo, ſed cum libero arbitrio, non ſunt prædeſtinata, ſiue prædeterminata, id eſt, determinata ante determinationem eiuſdem liberi arbitrij. Vnde ad quartũ infert, quòd opus noſtrum etiam meritorium non ſubeſt diuinæ prædeſtinationi per ſe, ſed ſolùm per accidens, quatenus eſt ex gratia. Idem autem eſt non ſubeſſe prædeſtinationi, & non ſubeſſe prædeterminationi, ſi quis ſignificationem terminorum intelligat. Et lib.3. contra Gentes cap.66. ratio.quinta inquit. *Secunda autem agentia, quæ ſunt quaſi particulantes & determinantes actionem primi agentis, agunt ſicut proprios effectus alias perfectiones, qua determinant eſſe.* Vbi Ferrar. inquit: *Circa iſtam propoſitionem, ſecunda agentia determinant actionem primi agentis, aduertendum, quod hoc non eſt ſic intelligendum, quaſi ſecundaria agentia aliquid ergà diuinam actionem, vt in ſe eſt, operentur, cùm ſua actio ſit ſua ſubſtantia: ſed intelligitur, vt ex ſuperioribus conſtat, ſecundum quod ipſe mediantibus cauſis ſecundis ad effectum aliquem terminatur. Sic enim virtus diuina & actio ſecundum quod in ſecunda cauſa recipitur, accipit limitationem & determinationem ex conditione cauſæ ſecundæ tanquam ex ſuſceptiui conditione, quia vnumquodque recipitur in alio per modum recipientis.* Quæ declaratio ad literam colligitur ex ipſomet D.Th. q.3.de malo a.2. in corp.& in 1.ſent.d.38. q.1.a.5. in corp.& in 2.d.1.q.1.a.4. Et idem D.Thom. 1.2. q.9.a.6.ad tertium dicit, quòd homo per rationem determinat ſe ad volendum hoc, aut illud, quod eſt verè bonum aut apparens bonum, & q.80. a.1. ad tertium dicit, quòd Deus eſt vniuerſale principium omnis interioris motus humani. Sed quòd determinetur ad malum conſilium voluntas humana, hoc directè eſt ex ipſa voluntate humana, & ex diabolo ſuadente. Et q.10.art.4. dicit, quòd Deus voluntatem ita mouet, quòd non ex neceſſitate ad vnum determinat, ſed remanet motus eius contingens, & non neceſſarius, niſi in iis, ad quæ naturaliter mouetur. Neque verum eſt, quod à quibuſdam dicitur, quòd D.Tho. negat ſolùm, Deum prædeterminare voluntatem prædeterminatione, quæ eſt ad vnum ex neceſſitate naturæ; quia ipſe reddens cauſam, cur Deus in mouendo voluntatem illam non determinet ad vnum ex neceſſitate, ſed maneat motus eius contingens. Inquit, quòd *quia voluntas eſt principium actuum non determinatum ad vnum, ſed indifferenter ſe habens ad multa, ſic Deus ipſam mouet, quod non ex neceſſitate ad vnum determinat, ſed remanet motus,* &c. Reddit igitur D. Thomas hanc rationem, quòd Deus mouendo voluntatem, non determinat illam ad vnum, quia etiam ipſa eſt principiũ actuum de ſe non determinatum ad vnum. Ergo voluntas creata exiſtens ſub dicta motione eodem modo eſt indeterminata ad vnum comparatione ipſius diuinæ motionis, quomodo eſt indeterminata ad vnum in ſe, & ſecundùm ſe. Sed in ſe, & ſecundùm ſe eſt indifferens, & indeterminata ad multa, non ſolùm per negationem determinationis ad vnum ex neceſſitate naturæ, ſed per quamcunque aliam determinationem. Ergo, vt ſtat ſub diuina motione, repugnat illi non ſolùm determinatio ad vnum ex neceſſitate naturę, ſed quæuis alia determinatio ad vnum, aliàs D. Th. committit defectum in ſua ratione, aſſignans non cauſam pro cauſa.

Suarez. Leſſius. D.Thom. D. Thom.

Sed dicetur, D.Thom. 1.p.q.19.a.3.ad quintum inquit, quòd cauſa, quæ eſt ex ſe contingens, oportet, quòd determinetur ab aliquo exteriori, & quæſt. 105. art. 1. ad tertium dicit hoc ipſum, quòd cauſæ ſecundæ determinantur ad determinatos effectus, eſt illis à Deo. immo in dicta 1.2.quæſt. 10. art.4. in eo, quod ait, Deus ſic voluntatem mouet, quòd non ex neceſſitate ad vnum determinat, ſatis videtur indicare, quòd aliquo modo determinat, ita vt negatio nõ reſpiciat determinationem, ſed modum determinationis. Et 1.p.q.23.a.1.ad primum. Et de veritate q.5.a.5.ad primum, & 3. contra Gent.cap.90.in fine, exponens vulgatum illud dictum Damaſceni, Deus omnia quidem præcognoſcit, non autem omnia prædeterminat. Inquit, quòd Damaſcenus nominat prædeterminationem impoſitionem neceſſitatis. Vnde non negat quamcunque prædeterminationem actuũ noſtrorum, ſed illam ſolam quæ eſt cum impoſitione neceſſitatis. I V. D.Thom.

Reſpondetur primò quòd multiplex eſt prædeterminatio, alia ab extrinſeco per modum proponentis obiectum, & de hac loquitur D.Thom. 1.p. q.19.a.3.ad quintum. Alia quoad ſpecificationem actus, vel etiam ad exercitium ex neceſſitate naturæ, & de hac loquitur prima p.q.105. a.1. ad 3. Alia, quę eſt prędefinitio æterna exiſtens in mente diuina, & de hac loquitur exponens dictum Damaſceni: Alia eſt per influxum realem præuiũ in volũtatem non ſolùm quoad ſpecificationem actus, ſed quoad exercitiũ, & de hac modò loquimur. Et hæc eſt quam D.Thom. negat quoad actus liberos.

Secũdò reſpondetur, vtrunque verum eſſe, & voluntatem creatam determinare diuinum concurſum, & diuinum concurſum determinare volũtatem creatam. & Deum determinare volũtatem, & voluntatem determinare ſeipſam. Neque enim hoc negari poteſt, quia Deus & voluntas creata ſunt cõcauſæ determinationis eiuſdem voluntatis, quæ ſimul in eodem inſtanti naturæ coëfficiunt V.

Digitized by Google

ciunt illam,& quoad hoc mutuò abinuicem pendent quodammodo,ſicut ſuperiùs declaratum eſt; neque vna ſine altera talem determinationem efficit. Sed illud quod negamus, eſt, voluntatem creatam in aliquo ſigno naturæ prius à Deo, & à diuino concurſu determinari efficaciter, quàm ipſa ſeipſam determinet, aut ita determinari, vt non poſſit non apponere ſuam determinationem, ſi velit: hoc enim arbitramur eſſe falſum & in ſe, & ad mentem D. Thom. Nam quòd falſum ſit in ſe, facilè probatur, ſi quis aduertat, determinationem voluntatis ad actum liberum neceſſariò concipiendam eſſe aut per modum actus primi, aut per modum actus ſecundi. Concepta igitur determinatione voluntatis per modum actus primi, ſi dicamus voluntatem prædeterminari efficaciter à Deo ad omnes actus liberos, & antequam exeat in actum ſecundum, requirere neceſſariò iſtam præuiam prædeterminationem, ſequitur, voluntatem antequam actu operetur, iam eſſe ita determinatam ad illum actum, quem debet elicere, vt neque contrarium actum ſtante tali determinatione poſſit elicere, neque illum poſſit non elicere, & ſic tollitur omnis libertas à voluntate, & quoad ſpecificationem actus & quoad exercitium; neque magis erit libera voluntas ad eliciendum ſuum actum, quàm lapis ad ferri deorſum. Sed de hoc infrà. Concepta autem eadem prædeterminatione per modum actus ſecundi, implicat contradictionem, quòd voluntas prædeterminetur in aliquo ſigno naturæ, antequam illa ſeipſam determinet, quia determinatio voluntatis in actu ſecundo nihil aliud eſt, niſi ipſa volitio. Vnde dicere voluntatem prædeterminari in actu ſecundo, antequam illa ſe determinet, eſt dicere voluntatem velle, antequam velit, & eſt dicere, volitionem, quæ eſt actus vitalis, eſſe productam à ſolo Deo in aliquo ſigno naturæ, antequam producatur à voluntate creata, quod etiam eſt impoſſibile. Adhuc eſt dicere, eandem volitionem bis produci, ſemel à ſolo Deo, & ſemel vel à voluntate creata, vel à Deo, & ipſa voluntate.

VI. Quòd verò hoc ſit etiam contra mentem D. Thom. præter loca adducta, & præter quod nullum eſt teſtimonium in contrarium, ex hoc oſtenditur, quia omnes antiquiores D. Thom. Interpretes ita D. Thomam interpretantur, vt cum illo negent hanc præuiam voluntatis determinationem. Ferrarienſ. loco proximè citato & 3. contra Gent. cap. 66. circa quintam rationem expreſsè docet, ſecundas cauſas potius determinare, & modificare concurſum cauſæ primæ, quàm è contra, idque de mente D. Thom. quod dicit, ſe ſuperiùs declaraſſe. Capreolus in 2. diſt. 28. quæſt. 1. art. 3. ad 12. contra primam concluſionem non ſolùm docet, concurſum generalem eſſe ſolum influxum ſimultaneum cum cauſa, non præuium in cauſam ſecundam; ſed etiam ſi dicat, quòd concurſus ſpecialis ad actus ſupernaturales ſit influxus præuius applicans voluntatem ad agendum, ſubiungit tamen: *In qua tamen motione ipſa non neceſſitatur, ſed inſtrumentum liberum exiſtens, in cuius poteſtate eſt ſequi motionem iuuatur, ita vt agat ea, quæ non ſic adiuta nequaquam agere potuiſſet.* Dicetur. Quis affirmat voluntatem ſic motam neceſſitari, & non manere liberam? Reſpondeo, illos hoc dicere, qui dicunt, ſuppoſita prædeterminatione phyſica voluntatem non poſſe non elicere actum, & neceſſitari ad eliciendum. Hoc enim ſolum eſt, de quo controuertitur, non de voluntate ſecundùm ſe inſpecta, & quando nondùm ſubſtat diuinæ prædeterminationi. Et cum dicat ibi Capreolus, Gregorium Ariminenſem & D. Th. in hoc puncto concordare, & ex verbis Gregorij in 2. d. 35. q. 1. art. 3. plus certo certius ſit, Deum voluntatē non prædeterminare ad actum liberum, antequam illa ſe determinet. Hoc ſatis eſſe debet ad mentem Capreoli, & D. Thomæ declarandam. Paulus Suncinus lib. 9. Metaphyſ. quæſt. 17. docet, poſitis quibuſcunque in voluntate creata etiam in eodem inſtanti, quo vult aliquid determinatè, ſi tamen conſideretur, vt natura prior ipſa volitione, quatenus actus primus natura prior eſt actu ſecundo, eſſe omnino indeterminatam, & nihil eſſe, quod illam neceſſariò determinet ad velle, alioquin eius velle liberum non eſſet, ſed neceſſarium. Et hic fuit acerrimus doctrinæ D. Thomæ propugnator. Suncinus.

Dominicus Soto lib. 1. de natura, & gratia c. 6. reſpondens hæreticis auferentibus liberum arbitrium voluntatis creatæ per efficaciam diuinæ voluntatis, & diuinæ motionis maximè ordinis ſupernaturalis, docet, quòd quando Deus cum libero hominis arbitrio concurrit, vult, vt quod facimus, fiat ſalua libertate voluntatis, quæ idcirco Deo reſiſtere poteſt. Et quòd ea, quæ Deus in nobis liberè agentibus exercet, ita exercet, ſi tamen nos aſſenſum præbeamus. Et ſubiungit, quòd propter hoc quidam voluerunt illum taxare, quòd nimium libero arbitrio tribuiſſet in iuſtificationis cauſa. Et tandem exponens illud apud Ioan. cap. 6. *Nemo venit ad me niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum.* addit quòd in noſtra poteſtate eſt, trahenti aſſentire, aut diſſentire. Idem autem eſt, voluntatem Deo mouenti reſiſtere poſſe: & Deum ſua opera in nobis exercere, ſi nos aſſenſum noſtrum præbeamus, & hominem, quando trahitur etiam efficaciter à Deo, poſſe pro ſua libertate aſſentire, aut diſſentire, & voluntatem per diuinam motionem minimè prædeterminari phyſicè, ita vt ſtante illa motione non poſſit non operari.

VII. Ioan. Paul. Nazar. in 1. p. q. 14. art. 13. controu. 2. ad 1. argumentum Suarez contra 4. concluſionem inquit. *Reſpondetur falſam eſſe minorem propoſitionem. Ad probationem reſpondetur, definitionem illam eſſe intelligendam de requiſitis ante inſtans operationis, non autem in ipſo inſtanti, in quo voluntas operatur.* Præcipuum autem inter requiſita ad operandum eſt influxus in cauſam, & phyſica motio, ſeu applicatio cauſæ ad agendum, quæ applicatio ſimul eſt in eodem inſtanti cum actuali operatione, vt ſuprà diximus. Igitur ex ſententia huius autoris quanuis concurſus diuinus ſit influxus non ſolùm in effectum, & actionem, ſed etiam in cauſam: non eſt tamen in aliquo ſigno naturæ prior determinatione ipſius voluntatis. Vnde non poteſt eſſe prædeterminatio, ſed eſt ſolùm condeterminatio cum voluntate.

Caietanus locis ſæpe citatis ex 1. p. q. 14. art. 13. §. *Nec ſuſtinendus.* & q. 19. art. 8. ad 1. argumentum Scoti contra D. Thom. dicit, hanc propoſitionem, *Omnis ſecunda cauſa mouet inquantum mota à prima*, eſſe veram ſolùm de motione cooperante, non de motione præuia ad actionem, & ideo diuinam motionem eſſe in vnoquoque ſecundùm naturam illius, & creaturam liberam liberè vti diuina cooperatione. Et ad ſecundum dicit, quòd operatio primæ cauſæ non attingit effectum ſecundæ cauſæ, niſi vt modificata à cooperatione ſecundæ cauſæ. Et quòd iſta ſit germana verborum Caietani intelligentia, contra

Ferrar.

Capreolus.

quod recentiores quidam adnituntur, probatur ex
Bañes. doctissimo Magistro Dominico Bañez 1.p. q.19. art.8.§. *sed antequam nostram sententiam.* vbi ait, displicere sibi, quod ait Caietanus, virtutem primæ causæ modificari per causam secundam, non tamen impediri. Quod ipse Bañes reputat falsum, loquendo de prima causa vniuersalissima, quæ est diuina voluntas. Quia actio diuinæ voluntatis & diuinus cõcursus, vt se tenet ex parte agentis, impossibile est, vt modificetur ab aliqua causa inferiori, quin potiùs omnes causas inferiores sibi subiicit, & modificat. Et hoc est, quod ait Apostolus ad Ephes. primo, Deum operari omnia secundùm consilium voluntatis suæ. Quibus in verbis tangit quidem totam huius controuersiæ radicem. Non enim controuersia ista de physicis prædeterminationibus sita est in hoc, an concursus primæ causæ possit esse influxus etiam in liberam voluntatem physicè illam mouendo absque eo, quòd lædatur arbitrij nostri libertas; quia hoc arbitramur possibile, immo etiam necessarium loquendo de influxu ad actus supernaturales, neque ob hanc causam negamus istas prædeterminationes, vt lib. sequenti dicemus. Sed in hoc sita est tota controuersia, an concursus, & influxus primæ causæ in secundam, illam omnino sibi subiiciat, neque ab illa, & in illa modificetur, sed illam modificet solùm. At in hoc non probatur. quia dicit, concursum primæ causæ non modificari per actionem secundæ, sed illam sibi subiicere, & determinare ad hanc numero actionem cum omnibus circumstantiis positiuis, quod est non solùm contra Caietanum, sed contra Ferrar. immo & contra D. Thom. locis proximè allegatis.

Thomas VValdensis lib.1.doctrin.fidei.c.28. reprehendit nonnullos, concedentes aliquam necessitatem antecedentem in actibus liberis humanæ voluntatis prouenientem ex diuina scientia, & diuina voluntate, dicens, hoc esse contra expressam sententiam D. Ansel. & D. Thom.

VIII. Didacus Aluarez nouissimus ex his, quos de hac re scripsisse mihi compertum est, disput.18.de Auxiliis n.20. inquit, quòd licèt motio Dei præuia non sit in potestate voluntatis tanquam in causa efficiente, cùm talis motio præuia sit effectiuè à solo Deo, tamen supposita illa motione, terminus illius motionis est in nostra potestate, videlicet operatio libera, ad quam datur talis motio. Item est in facultate nostræ voluntatis seipsam impedire, ne recipiat illam motionem. Si autem est in potestate nostræ voluntatis, seipsam impedire, ne recipiat talem motionem, quomodo diuina motio efficaciter voluntatem prædeterminat? Et si est in potestate nostræ voluntatis libera operatio, quomodo per diuinam motionem physicè determinatur voluntas ad operationem, antequam illa seipsam determinet? Nam esse operationem in potestate voluntatis, non est voluntatem posse influere in operationem, quia etiam bellua habet potestatem influendi in suam operationem, & sic etiam bellua haberet ex hoc capite liberum arbitrium: sed est, voluntatem posse influere, & non influere, operari, & non operari: hoc enim est voluntatem habere dominium & potestatem in suos actus, vt ex communi sententia Doctorum, ostendimus lib. 1. cap. 12. Ex his facilè apparebit, an verum sit quod quidam aiunt. de mente D. Thomæ Deum sua motione præuia voluntatem creatam physicè determinare ad singulos actus in particulari cum omnibus illorum circumstantiis positiuis. Affirmántque hanc esse certissimam illius sententiam, nec non etiam D. Augustini. Nunc probanda est eadem sententia rationibus Theologicis.

CAPVT XXV.

Humanam voluntatem non prædeterminari physicè per diuinum concursum generalem ad actus liberos, rationibus Theologicis probatur.

PRæcipua ratio ad ostendendum, voluntatem creatam per diuinum concursum non prædeterminari physicè ad suas actiones liberas, ea videtur esse, quæ capite præcedenti in explicanda sententia D. Thomæ fuit insinuata. Nam si necessaria est ista physica prædeterminatio voluntatis ad actus liberos, aut est necessaria per modum actus secundi, aut per modum actus primi. At necessaria non est per modum actus secundi, primò, quia prædeterminatio voluntatis per modum actus secundi est ipsum velle. Ergo si voluntas prædeterminatur in actu secundo, antequam ipsa se determinet, illa volet antequam velit, quod est contradictoria implicare. Secundò, quia sequeretur, ipsum velle produci prius à Deo, quàm à voluntate, quod est impossibile, cùm sit actus vitalis. Tertiò, quia sequeretur, aut voluntatem merè passiuè se habere ad suum velle, quod est error damnatus in Conc. Trid. sess.6. c. 4. aut vnum numero actum semel à Deo productum iterum produci à voluntate creata, quod est impossibile. Neque est necessaria, immo nec possibilis per modum actus primi, primò, quia sequeretur, voluntatem creatam non esse verè dominam suorum actuum, & non habere potestatem in illos, vt possit verè operari, & non operari, quod intrinsecè spectare ad veram libertatem, ostendimus suprà lib.1.cap.12. Probatur sequela, nam quando voluntas nondum est prædeterminata, nõ potest verè operari: quando verò est determinata, non potest non operari; & sic nunquam dabitur instans, in quo verificetur, voluntas potest operari, & non operari. Secundò, quia sequeretur, nunquam hominem peccare peccatum omissionis, non implendo diuinum præceptum. Quia quando homo physicè non est prædeterminatus ad implendum præceptum, non potest illud implere, cùm absque physica prædeterminatione non possit exire in actum secundum: quando verò est physicè prædeterminatus, non potest non implere præceptum. Igitur nunquam dabitur instans in quo homo peccet peccatum omissionis. I. Concil. Tridens.

Respondetur, hanc prædeterminationem necessariam esse per modum actus primi tanquam illius complementum. Et ad primam impugnationem negatur sequela: quia ista physica prædeterminatio non est necessaria, vt voluntas possit operari, sed solùm, vt de facto operetur. Vnde non sequitur, quòd quando voluntas non est physicè prædeterminata, non possit operari, si velit, sed solùm, quòd de facto non operabitur. Similiter quando est physicè prædeterminata, non sequitur, quòd non possit non operari, sed solùm, quòd de facto non deficiet ab actuali operatione. Ad secundam similiter negant consequentiam; quia physica prædeterminatio non est necessaria ad hoc, vt possit homo implere præcepta, sed solùm, vt illa de facto impleat. Vnde non sequitur, quòd sine physica prædeterminatione II.

non

Digitized by Google

non possit præceptum implere, si velit; sed solùm, quòd non implebit. Similiter non sequitur, quòd voluntas prædeterminata non possit non implere præcepta, si velit, sed solùm quòd de facto nunquam non implebit.

Hæc responsio videtur esse ludus verborum ad vim argumenti declinandam. Nam cùm dicitur, quòd ista physica prædeterminatio non est necessaria ad hoc, vt voluntas possit operari, sed solùm ad hoc, vt actu operetur, videtur seipsam euertere. Illud enim, quod non est necessarium, vt potentia reddatur potens ad operandum, non est necessarium ad complendum potentiam per modum actus primi, sed solùm est necessarium in actu secundo. Aut igitur ista physica prædeterminatio, non est quid præuium ad actualem operationem, vt complementum actus primi, & non est determinatio in actu primo, vt respondens dicit, sed est actus secundus, vel aliquid se tenens ex parte actus secundi, & prædeterminatio in actu secundo. Aut tribuit voluntati non solùm de facto operari, sed etiam verum posse operari. Et certè vanum, & incredibile videtur dicere, aliquid necessarium esse ad actionem tanquam vltimum complementum actus primi, & non esse necessarium ad hoc, vt potentia possit operari: omne enim complementum potentiæ vel est habitus, vel actualis operatio, & primum tribuit posse operari.

III. Præterea falsum esse videtur, potentiam sine vltimo complemento posse operari: vel enim loquimur de potentia ad operandum remota, & de hac non est quæstio, impertinens enim nimis esset dicere, quòd sine ista prædeterminatione posset voluntas operari, propter potentiam remotam, non secus, ac si quis diceret, quòd cæcus potest videre propter potentiam remotam radicatam in anima sensitiua, quæ etiam læso oculo non aufertur. Vel loquimur de potentia proxima, & omnibus numeris absoluta, de qua sine dubio loquuntur Theologi, cùm dicunt, illam potentiam esse dominam suorum actuum, quæ potest operari, & non operari: sed talis potentia requirit, vt omnia necessaria ad agendum in actu primo adsint, & omnia impedimenta cessant, vt suprà diximus, ex Scoto in 4. distinct. 49. quæst. 6. §. *Dico ergo*. & suprà lib. primo cap. 29. ergo implicat, quòd physica prædeterminatio sit voluntati necessaria ad agendum per modum vltimi complementi in actu primo, & tamen absque illa voluntas verè possit aliquid operari.

Confirmatur ratio ex ipsismet respondentibus. Illi enim dicunt, esse quidem in potestate hominis credere, supposito tamen ex parte Dei concursu generali eiusdem ordinis, sine quo liberum arbitrium quantumuis habitum perfectum fidei habeat, nunquam operabitur. ita ait Aluarez disput. 20. ad quartum. Si igitur concursus Dei generalis est influxus in voluntatem, & illam determinat physicè, vt illi dicunt, & non est in potestate hominis credere, nisi supposito hoc concursu generali, sequitur, non habere hominem verum posse credere sine physica prædeterminatione.

Aluarez.

IV. Præterea cum dicitur, non sequi, quòd quando voluntas est physicè prædeterminata, non possit non agere, si velit, sed solùm, quòd de facto infallibiliter operabitur. Quæro, an volùtas, vt substans ipsi prædeterminationi possit velle non agere, an non. Si sic; ergo non est necesse etiam, vt substat ipsi prædeterminationi, illam agere. Ergo possibile est non agere, quia non necesse esse, & possibile non esse, æquipollent. Si dicatur, quòd non potest velle non agere, vt substans prædeterminationi. ergo ista responsio videtur in terminis eadem esse cũ responsione Ioannis VVicleffi, quam impugnat VValdens. lib. 1. doctrinalis fidei c. 15. Dicebat VVicleff, Deum non posse plura facere, quàm faciat. Opponebatur illi testimonium Christi dicentis apud Matth. cap. 26. *An putas quòd non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò plusquam duodecim legiones Angelorum.* Quod tamen non legimus factum. Respondebat, quòd Deus potest hæc & similia facere, si velit: sed dicebat postea, quòd velle non potest, nisi quod actu facit. Hanc responsionem meritò irridet, & impugnat tanquam erroneam. Quia quando Scriptura dicit, Deum aliquid posse facere, si vult, supponit posse velle, alioquin & musca potest esse Deus, si vult. Ita à pari, cùm dicitur, voluntas prædeterminata potest non operari, si vult, necessariò supponitur, illam posse velle non operari: alioquin eodem modo dici poterit de animali bruto à natura determinato ad aliquid appetendum, quòd potest illud non appetere, si vult: sed non potest velle non appetere. Et sic cùm Concilia, & Theologi docent, hominem à Deo motum, & excitatum liberè cooperari, quia potest dissentire, si velit, non maiorem libertatem tribuerent homini consentienti Deo mouenti, quàm tribuant bruto sequenti hominem, quando illud ducit.

Thom. VValdens.

V. Eodem modo reiicienda est responsio ad secundum. Quando enim dicitur, quòd physica prædeterminatio necessaria non est, vt homo possit adimplere diuina præcepta, sed solùm, vt de facto adimpleat, constat euidenter id falsum esse. Quia si prædeterminatio physica est vltimum complementum potentiæ in actu primo, sine illa voluntas nunquam erit vltimatè potens in actu primo ad implenda diuina præcepta, & absque illa semper deficiet voluntati aliquid, sine quo tandem vltimatè non erit potens præcepta implere. Et præterea quænam est ista potentia, quæ nunquam in actum secundum reducitur? Quærendum enim est, an vel vnus sine hac physica prædeterminatione præcepta impleuerit. Si dicatur, quòd sic, eadem erit ratio de aliis. si non quis deprehendit, quòd homini, qui non est prædeterminatus, insit ista potentia ad præcepta implenda, cùm potentiæ non alia via innotescant nobis, nisi per illarum actus? Dicamus etiam esse in pede potentiam visiuam, aut in asino discursiuam, esto nunquam pes viderit, aut asinus benè syllogizauerit. Sed superfluum est hanc responsionem refutare. Sed dicunt, quòd etiamsi non possit sine hac præuia motione implere præcepta, tamen sua culpa illam non accipit, quia seipsum impedit, ne accipiat auxilium efficax. Hæc responsio est quidem vera in se, sed illi non consequenter loquuntur, cùm dicant, quòd quoad receptionem talis auxilij voluntas se habet merè passiuè, & nihil agit. Si hoc verum est, quomodo potest seipsam impedire, ne tale auxilium recipiat?

VI. Secunda ratio sumitur ex definitione potentiæ liberæ. Nam potentia libera est illa, quæ positis omnibus necessariò requisitis ad agendum in actu primo, potest operari, & non operari. Ergo cùm physica prædeterminatio sit per modum actus primi, & se teneat ex parte potentiæ libe-

ræ tanquam illius complementum, posita quacunque physica prædeterminatione adhuc voluntas poterit non operari. Huic rationi multis modis solet responderi, sed illi omnes sublati sunt tum lib. 1. cap. 29. & 30. tum lib. 4. cap. 12. ad quæ loca remitto.

Tertia ratio. Omnis necessitas antecedens arbitrij libertatem euertit, vt eodem libro 1.c.19. ostendimus: sed physica prædeterminatio necessitatem antecedentem imponit humanæ voluntati. Ergo libertatem illius euertit. Quòd imponat ei necessitatem, colligitur ex verbis eorum, qui ipsas physicas determinationes defendunt. Illi enim dicunt, quòd motio ista prævia, & efficax efficienter, & efficaciter facit, vt liberum arbitrium de actu primo exeat ad actum secundum; & Deum per decretum antecedens, cui nullus resistere potest, voluntatem humanam prædeterminare ad volendum; & adiutorium gratiæ in actibus prædeterminatis non subiacere quoad vsum potestati nostri arbitrij. Et supposita ista prædeterminatione, impossibile esse in sensu composito, quòd voluntas velit aliud obiectum, aut possit non operari actum, ad quem determinatur: & quòd stante huiusmodi motione, voluntas non operetur. Et tandem constituunt sibi hanc propositionem in terminis. *Hæc duo sunt simul incompossibilia, quòd auxilium prædeterminans sit in libero arbitrio, & liberum arbitrium non operetur actum illum, ad quem mouetur: quamuis semper possit eundem actum non operari, si velit.* Quòd autem hæc necessitas sit antecedens, probatur, quia ex illorum sententia illa est necessitas proueniens ex causa priori, & superiori quatenus prior est, & superior, & ista physica prædeterminatio antecedit omnem actum positiuum voluntatis, & voluntas ad illam recipiendam se habet solùm passiuè, quamuis nonnulli eorum dicant etiam, quòd potest voluntas seipsam impedire, ne hanc motionem recipiat, quæ, quomodo ad inuicem cohæreant, ipsi viderint. Hæc omnia videri possunt apud Aluarez disput. 18. & sex sequentibus de auxiliis, præcipuè disput. 22. & 23. concluf. 6.

Respondetur, necessitatem, quam infert physica ista prædeterminatio, non esse necessitatem absolutam, sed solùm ex suppositione, & secundùm quid, & in sensu composito, quæ non repugnat libertati, sicut non semel docet D. Thomas. Sed hæc responsio pugnat cum D. Thoma, & cum veritate. Cum D. Thoma, quia necessitas ex suppositione, & in sensu composito, & secundùm quid, quæ secundùm D. Thom. stat cum arbitrij libertate, non est necessitas ex aliquo priori, quod non subiaceat voluntati: sed est necessitas ex aliquo, quod subiacet potestati nostræ voluntatis, & verba illius sunt clarissima in lib. 2. Physic. lectio. 15. vbi ait, *Sciendum est, quòd necessitas, quæ pendet ex causis prioribus, est necessitas absoluta.* Et iterum: *Et similiter, quod habet necessitatem ex causa efficiente, est necessarium absolutè. Quod autem habet necessitatem ex eo, quod est posterius in esse, est necessarium ex conditione, vel ex suppositione.* & q.6. de malo art. 1. in corp. vbi ait: *Si ergo dispositio, per quam videtur alicui aliquid bonum, & conueniens, fuerit naturalis, & non subiacens voluntati, ex necessitate naturali voluntas præeligit illud, sicut omnes homines naturaliter desiderant esse, viuere, & intelligere. Si autem sit talis dispositio, quòd non sit naturalis, sed subiacens voluntati, non ex necessitate mouetur voluntas: quia poterit hanc dispositionem remouere.* Hîc apertè docet, omnem dispositionem, quæ nó subiacet voluntati, ita vt possit eam remouere, inferre necessitatem repugnantem libertati.

D. Thom.

Quòd autem responsio sit contra veritatem, ostendimus li. 1. c. 19. & li. 4. vbi probauimus, omnem necessitatem prouenientem ex quacunque causa antecedenti, etiam ex prima causa vniuersalissima pugnare cũ arbitrij libertate. Neque enim Caluinus, neque VVicleffus aliam necessitatẽ inferebant humanæ voluntati, præter illã, quæ prouenichat secundùm illos ex prima causa vniuersalissima, quæ est diuina præscientia, & diuina voluntas, vt ibi deduximus. Vnde nullo modo videtur probanda responsio Aluarez disput. 22. ad 8. & multo minùs probanda est doctrina Medinæ 1. 2. q. 10. a. 4. §. *Sed iam tempus est.* cùm ait, *Nam si disputo, necessarium est quòd loquar: verùm non necessariò loquor, quoniam non necessariò disputo. Ad eundem modum stante Dei concursu, & motione non possum non moueri, sed non necessariò moueor, quia Deus liberè me mouet: hæc enim est necessitas conditionalis, non absoluta.* Non est, inquam, probanda ista doctrina, quia homo non ob hoc solùm liberè mouetur, quia Deus liberè illum mouet; aliàs etiam brutum, & lapis diceretur liberè moueri: sed dicitur liberè moueri respectu causæ vltimæ, & proximæ, quæ est ipsa hominis voluntas, quæ nisi liberè cõcurrat ad effectum, ita vt non possit non concurrere, non dicitur libera propter libertatem diuinæ voluntatis.

Aluarez. Medina.

VII.

Quarta ratio. Posita in voluntate quacunque motione diuina, illa potest eã abiicere, & non consentire. Hoc enim expresè definitũ est in Conc. Trid. sess. 6. de iustific. c. 5. & Cano. 4. Immo ex hoc probant Patres, quòd liberũ arbitrium verè concurrat actiuè, & liberè cũ diuina gratia ad actum iustificationis: quia illam abiicere potest, & dissentire, si velit. Et Conciliũ loquitur de motione efficaci, qua homo iustificatur de facto, vt constat. Ergo per nullam motionem diuinam voluntas creata ita physicè prædeterminatur, quin possit dissentire, & non operari stante illius libertate.

Concil. Trident.

Respondetur, quòd posita quacunque motione etiam efficaci in voluntate, illa potest dissentire, si velit: quia motio non facit, quòd stante illa non maneat semper in voluntate potentia ad dissentiendum; sed facit solùm, quòd actu nó dissentiat. Quod sub aliis verbis ita explicatur. Stante diuina motione voluntatem posse dissentire, si velit, potest duobus modis intelligi, vno modo secundùm se absolutè. & in sensu diuiso: alio modo ex suppositione, & in sensu composito. Primo modo propositio est vera, & intenta à Patribus Concilij, non autem secundo modo.

Hæc responsio explicatione indiget, & oportet, vt declaretur, quid sit, voluntatẽ motam à Deo, & excitatam posse diuinam motionem abiicere, aut illi dissentire si velit. Nam vel hoc est, voluntatem, quando subsstat diuinæ motioni, cõsideratam secundùm se absolutè, & vt diuisam ab ipsa motione posse dissentire, si velit, eo modo, quo dicimus, quòd paries albus potest esse niger, etiam quando subsstat albedini, quia si consideretur secundùm se absolutè, ipsa natura parietis, etiam quando subsstat albedini, illi non repugnat nigredo. Vel hoc est voluntatem consideratam etiam sub ea ratione, qua illa subsstat diuinæ motioni, & cum illa componit, nihilominus pro sua libertate posse illi assentire, & dissentire. Et quidem si velint illam intelligi in secundo sensu, verum dicunt, & Deo gratias, quòd nulla manet inter Catholicos de istis prædeterminationibus controuersia. Si autem velint, illam

Digitized by Google

illam intelligi tantùm in primo ſenſu, ita vt ſenſus ſit, voluntas mota à Deo per auxilium gratiæ efficacis ſpectata ſecundùm ſe, & vt per cogitationem diuiſa ab actuali motione, poteſt illi diſſentire, non autem in ſenſu compoſito, & ex ſuppoſitione, id eſt, quatenus componit cum ipſa actuali motione, & quatenus illi ſupponitur, quod in hac reſponſione videtur intendi, vt monſtrant illi modi loquendi proximè ex reſpondentibus citati, iſta reſponſio videtur expreſsè contra Concilium. Quia inter Catholicos, & Caluinitas in dicto Concilio non fuit vnquam controuerſia, an voluntas humana etiam quando mouetur, & excitatur à Deo, ſi conſideretur ſecundùm ſe abſolutè, & vt per cogitationem diuiſa ab ipſa motione, poſſit diſſentire, vel non diſſentire: erat enim hæc quæſtio impertinens, & ſimilis omnino illi, an paries albus ſecundùm ſe in ſenſu diuiſo poſſit eſſe niger, de qua re nunquam cum Caluino, aut cum vllo hæretico fuit Catholicis controuerſia, ſed tota controuerſia fuit, an quando voluntas actu à Deo mouetur, & excitatur, ſub ea ratione, qua mouetur, & excitatur, & quatenus ſubſtat ipſi actuali motioni, poſſit non conſentire, aut diſſentire, quod eſt ipſam motionem abijcere. Et cùm Concilium dicat, voluntatem à Deo motam, & excitatam poſſe diſſentire, videtur hæc illorum reſponſio omnino ſubuerti. Vnde falſum eſſe conuincitur, quod nonnulli aiunt, Concilium Tridentinum definiuiſſe contra hæreticos, quòd etiam quando motio efficax eſt in homine, poſſit illi diſſentire abſolutè loquendo, & in ſenſu diuiſo; non tamen definiuiſſe, quòd poſſit illi diſſentire in ſenſu compoſito. Nam, vt omittamus quæ illi dicunt de vera acceptione, & intelligentia ſenſus diuiſi, & compoſiti, quam nuper ſe putant inuenisse, cùm eſſet antea multis Theologis non ſatis nota, nos hîc ſenſum compoſitum vocamus, quando voluntas componit actu cum diuina motione, & quatenus illi ſubſtat: & diuiſum, quando voluntas etiam ſubſtans ipſi motioni, non tamen conſideratur, vt illi ſubſtans, & cum ea componens, & de hac ſola acceptione ſenſus diuiſi, & compoſiti diſputamus, ſiue iſta ſit vera illius acceptio, ſiue non. Reſpondeatur nobis, an voluntas quatenus actu ſubſtans diuinæ motioni, & quatenus cum illa actu componit, poſſit non conſentire, & illam abijcere, an non. Et verùm Concilium definiuerit, quòd ſic concepta poſſit diſſentire Deo mouenti, & excitanti, an non; quidquid ſit de aliis acceptionibus ſenſus diuiſi, & compoſiti, certè non poteſt dici, Caluin. Concilium hoc non definiuiſſe, cùm Caluinus ipſe intellexerit, quòd Patres hoc contra ſe definierunt, quibus in Antidoto ita ſuccenſens, ait. *Sexto capite aſſerunt (SS. Patres) gratia Dei nos præparari ad percipiendam iuſtitiam, ſed huic gratiæ partes aſſignant excitandi, & adiuuandi, vt ipſi liberè cooperemur; nempe putidas nenias hic audimus, quas in Scholis debilitare Sophiſtæ ſolent.* & rurſus: *Sed in quo hominem Deo ſocium adiungunt? Quia gratiam Dei, quam repudiare poſſet, libere recipit, & Spiritus ſancti illuminationem. Quantum ex Dei virtute detrahunt, quæ a Prophetis deſcribitur. Dabo, inquit, legem meam in corde veſtro, faciamque, vt in præceptis meis ambuletis?* Et rurſus: *In eo hallucinantur, quòd motum nobis offerri ſomniant, qui mediam electionem nobis relinquat. Nihil autem de efficacia illa cogitant, qua cor hominis renouatur, vt ex prauo fiat rectum.* Et quòd controuerſia, quæ fuit Catholicis cum Caluino de efficaci Dei motione, & de arbitrij noſtri libertate comparatione eiuſdem motionis, fuerit de libertate arbitrij ad conſentiendum, vel diſſentiendum diuinæ gratiæ, quatenus actu voluntas à Deo mouetur, & conſiderata ſub hac ratione, quatenus illa ſubſtat diuinæ motioni, indicant aperte ipſa verba Caluini lib. 2. Inſtit. c. 3. cùm ait, *Voluntatem mouet gratia non qualiter multis ſæculis traditum eſt, & creditum, vt noſtræ poſtea ſit electionis, motioni aut obtemperare, aut refragari; ſed illam efficaciter afficiendo.* Ex his apparet, quis fuerit ſtatus controuerſiæ inter Catholicos, & Caluinum, ſcilicet an ſtante Dei motione voluntas quatenus actu illi ſubſtans, & cum illa componens, poſſit diſſentire: Catholicis affirmantibus, Caluino negante. Vnde quod putant nonnulli ſe poſſe facilem viam aperire, qua Lutherani, & Caluiniani ad Eccleſiam Catholicam redeant, per diſtinctionem illam ſenſus diuiſi, & compoſiti ab ipſis nuper legitimè explicatam, ad hanc cauſam videtur parum conferre, integra adhuc manente tota, quæ nobis eſt cum illis, controuerſia.

VIII. Quinta ratio. Si concurſu Dei generali voluntas creata prædeterminaretur phyſicè ad ſingulos actus in particulari cum omnibus circunſtantiis poſitiuis. Ergo prædeterminaretur etiam ad actus moraliter malos. Sequela probatur: quia tota ratio, ob quam aſſeruntur iſtæ prædeterminationes, videtur eſſe neceſſitas diuinæ præmotionis, ſine qua ſecundæ cauſæ nihil agere poſſe videntur, & indifferentia, ſeu indeterminatio voluntatis creatæ, quæ non videtur poſſe exire in aliquem determinatum actum, niſi priùs à Deo determinetur, & eſſentialis dependentia omnis ſubſtantiæ, & omnis illius operationis à Deo in eſſendo, ne ſi voluntas ſeipſam determinaret ſine Deo, eſſet aliqua entitas, nempe determinatio ipſa voluntatis, quæ non eſſet à Deo. Hæc autem ratio æquè militat tam in actibus moraliter malis, quam in moraliter bonis. Falſitas verò conſequentis præter quòd eſt ita manifeſta, vt etiam nonnulli ex his, qui phyſicas prædeterminationes admittũt quoad actus bonos, & indifferentes, negent tamen voluntatem prædeterminari ad actus malos phyſicè, antequam illa ſe determinet moraliter ad eoſdem actus: ſed dicant illam priùs moraliter à ſe determinatam, poſtmodum phyſicè determinare à Deo ad ſubſtantiam actus peccati, & ita dicit Nazarius 1. 1. quæſt. 22. art. 4. controuerſia 3. §. *Quamò explicandum*, & concluſ. 5. & 6. quod vtrùm verum eſſe poſſit, cùm moralitas actus ſupponat eius naturalem entitatem, vt accidens ſubiectum, nec poſſit illam antecedere, nunc non diſputo. Probatur etiam tali pacto. Si Deus phyſicè, & efficaciter prædeterminat volũtatem ad hũc actum particularem cum omnibus illius circunſtantiis poſitiuis, cui actui, vt ſic inſeparabiliter eſt coniuncta intrinſecè moralis malitia, negari non poteſt, quin Deus prædeterminet voluntatem ad actum peccati, vt peccatum eſt. Quod dicere eſſet impium, & hæreticum. Probatur ſequela, quia qui eſt cauſa ſubiecti, ad quod intrinſecè ſequitur propria paſſio, ita vt non poſſit non ſequi, videtur etiam eſſe cauſa paſſionis. Deinde Caluinus non alia ratione dicit, Deum autorem eſſe peccati, niſi quia Deus phyſicè prædeterminat, & efficaciter mouet voluntatem ad actum, cui intrinſecè eſt adiuncta malitia, etiam ſi malitiam ille nolit, ſed neque velle poſſit. Nazarius.

IX. Reſpondent ad primum quòd non ſequitur, Deum eſſe autorem peccati. Quia Deus eſt autor ſolùm entitatis poſitiuæ, & quòd defectus moralis

lis malitiæ refundendus est in solam causam deficientem, quæ est voluntas creata; & quòd simile argumentum fuit obiectum D. Augustino à Pelagianis de peccato originali, & Augustinus illud soluit: & quòd error Caluini fuit in hoc, quod dixit, Deum esse causam non solùm efficientem peccati, sed etiam moralem, quòd homo, vel Angelus peccet, licèt Deus non peccet, quia legi non est subiectus.

Cæterùm quod spectat ad Augustinum, falsum est, hoc argumentum fuisse illi obiectum à Pelagianis, aut vnquam illud soluisse: neque vllus potest ita dicere, nisi qui nesciat de quibus fuerit Augustino cum Pelagianis controuersia: peccatum nanque originale non sequitur intrinsecè, & ex propria natura ad actum humanæ generationis. Nos autem hîc loquimur de actu, qui intrinsecè, & inseparabiliter habet malitiam adiunctam. Quod spectat ad Caluinum, ille nulla alia ratione dixit, Deum esse causam efficientem, aut moralem, quòd homo peccet, nisi quia illum efficaciter mouet ad actum, cui inseparabiliter adiuncta est malitia. Cæterùm quòd Deus suadeat, aut hortetur ad actum peccati sub ea ratione, qua peccatum est, & est offensa ipsius Dei, Caluinus non docuit, sed oppositum; & certè nullus nisi omnino demens, dicet Deum hortari, aut mouere ad malitiam peccati.

Tandem, quod aiunt, Deum esse causam entitatis naturalis peccati, & illius malitiam in solam voluntatem creatam esse referendam, quia Deus non est causa, vt homo deficienter velit obiectum, ad quod volendum prædeterminat sed talis deficientia in voluntatem creatam est referenda, non soluit difficultatem. Difficultas enim est, an voluntas prædeterminata à Deo ad actum, qui factus cum talibus circunstantiis est intrinsecè malus, possit operari eundem actum sine defectu: hoc enim est impossibile etiam per potentiam Dei absolutam. Si autem est impossibile, voluntatem sic prædeterminatam non operari deficienter, cur debet ille defectus in liberam voluntatem reduci, quæ illum omnino non potuit vitare?

X. Immò hinc deducitur secunda probatio efficacissima eiusdem falsitatis. Si Deus efficaciter prædeterminat voluntatem ad actum intrinsecè malum, non est in potestate hominis vias suas malas facere, sequiturque error Caluinitarum, & Lutheranorum à Concilio Tridentino sess. 6. can. 6. damnatus, videlicet non esse in potestate hominis vias suas malas facere, sed mala opera æquè vt bona Deum in nobis operari. Sequela euidens est. Homo enim prædeterminatus à Deo ad actũ, qui habet intrinsecè annexam malitiam, vt substans diuinæ prædeterminationi, non potest illum actum non operari; homo talem actum agens non potest non deficienter, & cum malitia morali illum operari. Ergo non est in potestate hominis, vias suas malas facere, & non peccare. Sed de hac re satis dictum est lib. 4. cap. 17. & hoc lib. cap. 14.

Cõcil. Trid.

Tertiò probant alij falsitatem eiusdem consequentis, quoniam Deus non solùm peccatum nõ vult fieri, sed etiam ab æterno voluit non fieri, & in tempore prohibuit per suam legem, & non solùm prohibuit malitiam peccati, sed etiam actum, cui annexa est inseparabiliter malitia. Non enim solùm dixit, cane, ne occidendo peccatum admittas, sed etiam simpliciter, & absolutè, non occides.

Respondent quidam recentiores, quòd Deus non vult fieri peccata voluntate antecedente, quę est voluntas signi, cum qua tamen stat, vt ab æterno prædeterminauerit quosdam ad actum peccati, inquantum actus est. Istam responsionem adhibebant etiam Caluinus, & Petrus Martyr argumento Catholicorum, quo probatur, Deum peccati autorem non esse, quia illud prohibet. Quam optimè confutat Card. Bellarm. lib. 2. de Amissione gratiæ cap. 8. & nos suprà cap. 13. illam confutauimus. Bellarm.

Sexta ratio ad eandem sententiam probandam sumitur ex absurdis, quæ ex contraria opinione sequuntur, quorum primum est, quòd vera esset ista propositio: Iudas vendidit Christum, quia Deus voluit, vt illum venderet, & ita præfiniuit, vt faceret, non autem è contra. quod licèt quidam concedant de actu venditionis, excepta malitia, tamen cùm ab actu ipsa malitia sit inseparabilis, nullo modo videtur concedendum. Secundum, quòd ei, qui blasphemat, Deus tribuat maius auxilium, quàm ei, qui non blasphemat. Nam ei, qui non blasphemat, tribuit solum auxilium, vt non blasphemet; ei verò, qui blasphemat, tribuit auxilium, quo possit non blasphemare, si velit, hoc enim auxilio neminem destitui in hac vita, est de fide: & præter hoc auxilium tribuit aliud, quo ipsum prædeterminat ad actum blasphemiæ, saltem quatenus actus est. Tertium, quòd Deus induraret, & traderet in reprobum sensum, & in peccata non solùm priuatiuè sed etiam positiuè: prædeterminaret enim ad actum, cui voluntas humana non posset malitiam non opponere, quod tamen est contra communem modum loquendi sanctorum Patrum. Quartum est, neminem plura facere posse, quàm actu aut faciat, qui erat vnus de articulis VVicleff refutatus à VValdensi lib. 1. doctrinalis fidei cap. 10. Et sequela probatur, quia sine concursu Dei generali nemo potest aliquid operari, siue ille sit influxus in operationem, siue in causam, vt suprà mõstratũm est contra Durandum: sed per hunc concursum generalem homo physicè prædeterminatur ad omnia, ad quæ datur talis concursus, & illa de facto operatur. Ergo homo nihil operari potest, nisi quod de facto operatur. Vnde etiam sequitur falsum esse, quòd quidam dicunt, istud auxilium prædeterminans non esse necessarium ad hoc, vt homo possit operari, sed vt de facto operetur: nam concursus generalis secundùm illos est physicè prædeterminans voluntatem, & tamen tribuit homini posse operari. Ergo auxilium physicè prædeterminans tribuit homini posse operari. Confirmatur ratio. Theologi propter hoc dicunt, auxilium diuinæ gratiæ necessariò dividendum esse in auxilium sufficiẽs, & efficax, quia nisi admitteretur ista distinctio, sequeretur, quòd nullus posset conuerti, nisi qui de facto conuertitur: modò omnis concursus prædeterminans voluntatem est de se efficax, siue sit supernaturalis, siue naturalis. Ergo si concursus Dei generalis prædeterminat volũtatem, nullus potest aliquid operari, nisi quod de facto operatur, & sic vera erit sententia Caluini, & VVicleffi. Declaratur adhuc magis vis rationis. homo nihil velle potest sine diuina prædeterminatione. sed omne ad quod volendum prædeterminatur, actu vult. Ergo nihil potest velle, nisi quod vult. Respõdent quidã, quòd ista propositio, homo nihil velle potest sine diuina prædeterminatione, duplicem sensum potest habere, primus vt istud complexum, sine diuina prædeterminatione, ca-

XI.

dat

dat ſuper verbum *poteſt*,& ſit ſenſus,quòd ſine diuina prædeterminatione homo non habet verum poſſe comparatione actus volendi. Et hic ſenſus eſt falſus. Secundus vt iſtud complexum,ſine diuina determinatione, feratur ſuper verbum *velle*, & illud modificet, & eſt ſenſus,quòd per nullam potentiam fieri poteſt, vt homo velit aliquid ſine diuina prædeterminatione,& hic ſenſus eſt verus. Sed cùm prędeterminatio ſit concurſus generalis, & ſine concurſu generali homo non habeat verum poſſe comparatione alicuius actus, videtur propoſitio veriſſima, non ſolùm in ſecundo ſenſu,ſed etiam in primo.

XII. Quintum inconueniens eſt, quia contraria ſententia gratis ,& nulla neceſſitate cogente videtur conuenire cum hæreticis negantibus arbitrij libertatem, & dicentibus, efficaciam diuinæ motionis imponere omnibus euentibus ineuitabilem neceſſitatem, & Deum mala opera ita vt bona operari.Nam omnibus argumentis, quibus iſti vtuntur ad probandas phyſicas prædeterminationes,& omnibus reſponſionibus, quibus nituntur aliorum argumentis occurrere,etiam Caluinus, & recentes hæretici vtuntur ad probandum, quòd Deus per æternum decretum, & efficaciam, aut energiam diuinæ motionis imponat omnibus humanis actibus abſolutam neceſſitatem,& omnia mala, ita vt bona operetur. Cuius rei aliud ſatis apparens eſt argumentum, quòd recentiores Doctores, qui pro arbitrij libertate contra hæreticos pugnauerunt, in diſſoluendis eorum cauillis,profitentur, concurſum,ſeu influxum Dei generalem cum noſtra voluntate ad actus naturales, immo & concurſum ſpecialem ad actus ſupernaturales poſitum eſſe quoad illius vſum in libera poteſtate noſtræ voluntatis. Hi ſunt Thomas VValdenſis contra VVieleffum, Roſenſis contra Lutherum, Alphonſ. à Caſtro, Ioan. Driedo, Ruardus Taper, Didacus Paiua, Thomas Stapleton us, Andreas Vega, Dominicus Soto,quos citat Suarez lib.3. de Auxiliis cap. 13.in fine, quibus addere poſſumus Cardinalem Bellarmin.lib.1.de Gratia,& lib.arbitr. cap.13. & lib.4.cap.14,ad longum diſſerentem.

Sextum inconueniens eſt, quoniam qui has prædeterminationes phyſicas defendunt,vt ſatisfaciant rationibus contrariis, videntur deſtruere principia Philoſophiæ à ſapientibus communi conſenſu probata, vt quòd non detur medium inter potentiam operantem, & illius operationem,& inter actum primum & ſecũdum. & quòd non ſit ponenda in rerum natura aliqua potentia actiua,cui nunquam correſpondeat aliquis actus, & quòd poſſibili poſito in eſſe non ſequatur impoſſibile. Nam illi dicunt,phyſicam prædeterminationem eſſe medium quid inter actum primum,& ſecundum, & quòd ſine phyſica prædeterminatione homo poteſt aliquid operari, quod tamen nunquam operabitur. Et ſic erit impoſſibile ponere in eſſe illud, quod ipſi affirmant eſſe poſſibile. Hæc & alia,quæ à ſcribentibus deducuntur in hac cauſa, ſatis videntur ſuadere, iſtas phyſicas prædeterminationes nulla autoritate, aut ratione cogente eſſe introductas. Vnde cùm ex alia parte non leues ſuſtineant difficultates, & illis admiſſis difficile admodum ſit arbitrij libertatem cum efficacia diuinæ motionis conciliare, mihi etiam videntur reiiciendæ.

CAPVT XXVI.

Obiectiones aduerſariorum adducuntur, & ſoluuntur.

PRo contraria ſententia eorum, qui aſſerunt I. concurſum generalem prædeterminare phyſicè voluntatem creatam ad ſingulos actus ſecundùm omnes illorum poſitiuas circunſtantias, pleraque fiunt argumenta.Quæ etſi ex dictis in præcedentibus & toto progreſſu huius operis ſufficienter, & abundanter maneant ſoluta:nihilominus quædam, quæ potiora videntur, breuiter adducemus,& ſoluemus.

Primò argumentantur teſtimonio Ariſtotelis, D.Auguſtini, & D.Thom.loca verò ex D.Thom. ſolita allegari,ſuprà citauimus, nec oportet iterum repetere.

Reſpondeo, quod attinet ad autoritatem Ariſtotelis,ex hoc capite maximè ſuaderi, iſtam ſententiam parum habere probabilitatis,quod vnum ex præcipuis fundamentis, quibus nititur, ſit iſtud,nimirum quòd illius defenſores contendant eſſe expreſſam ſententiam Ariſtotelis, quod prorſus alienum eſt à veritate,& ita alienum, vt fortè de hac re nunquam cogitauerit. Aut enim negauit, Deum eſſe cauſam efficientem ad extra, aut rerum ſublunarium non agnouit eſſe cauſam efficientem,niſi mediatam, & mediante ſolùm motu,& lumine corporis cæleſtis,quæ nihil actiuitatis in humanas voluntates habent. & communior eſt ſententia Patrum,& etiam Theologorũ,Deum ex ſententia Ariſtotelis rerum ſublunarium neque habere certam,& diſtinctam notitiam,neque particularem prouidentiam.Iam videas,quantum valeat teſtimonium Ariſtotelis ad illorum ſententiam probandam. De D.Auguſtino aliquid libro ſequenti dicendum erit,ille nanque loquitur de auxiliis gratiæ præuenientis, quibus Deus humanas voluntates ad bonum mouet, & inclinat. De D.Thom. etſi ille pluribus in locis dicat, Deum ſecundas cauſas etiam voluntates mouere, applicare, & inclinare; addo etiam aliquando determinare ad operandum : non tamen docuit, Deum ita mouere humanas voluntates, vt illas efficaciter, & phyſicè prædeterminet ad vllum actum liberum:ſed nomine motionis, inclinationis, & applicationis, & etiam determinationis vel intelligit ipſam ſimultaneam Dei cooperationem, ſicut exponunt Capreol. & Caietanus, & alij ſuprà citati, per quam dicitur etiam priùs influere in effectum ſecundæ cauſæ,& illum operari, quatenus eius influxus eſt immediatior, independentior,& eſt vniuerſalis comparatione influxus ſecundæ cauſæ, qui eſt particularis, & dependens. In quo ſenſu intelligendus eſt etiam Capreol.in 2.d.37.q.vnica art.3. ad 2.quando ait, quòd *quantum ad omne poſitiuum, quod eſt in actu voluntatis,actio voluntatis creata eſt poſterior actione Dei in producendo quodlibet tale : quia nulla creatura agit niſi mota à Deo.* Aut nomine motionis, inclinationis, &c. intelligit inclinationem naturaliter inditam voluntati ad obiectum, quod eſt bonum, ſecundùm quam dicitur ſemper mouere voluntatem ad quoſcunque actus, vt vniuerſalis motor ad vniuerſale obiectum, quatenus ſemper talem inclinationem in voluntate conſeruando, ſemper dicitur illam producere,ſicut motus dum conſeruatur producitur, & dum producitur conſeruatur,& quatenus voluntas humana niſi priùs Capreol.

mouetur

moueatur hoc pacto à Deo illam ad bonum inclinante, nihil velle poteſt, qui a nullus ad malum
Dionyſ. intendens operatur, vt ait Dionyſ. cap. 4. de diuin. nom. Et de hac motione Dei præuia in voluntate ad omnes illius actiones certiſſimum eſt loqui D. Thom. pluribus in locis ex ſuperiùs allegatis. Aut tertiò nomine motionis præuiæ intelligit ſolam directionem, & artem ſummi artificis exiſtentem in creaturis, vt in inſtrumentis per modum intentionis, ſicut ars eſt in inſtrumento. Aut quartò loquitur de motione voluntatis per propoſitionem obiecti. Aut quintò dici poteſt, cum
Ruardus. Ruardo Taper art. 7. pag. 217. quòd loquitur de primis motibus intellectus, & voluntatis, qui licèt ſint actus elicti ab intellectu, & voluntate, fiunt tamen in nobis à Deo, vt autore naturæ, & etiam gratiæ, vt ſanctæ cogitationes, & piæ affectiones nobis à Deo immiſſæ, quæ ſunt poſtea rationes conſulendi, & deliberandi, & eligendi; per quam doctrinam veriſſimam exponi poſſunt plura teſtimonia D. Auguſtini & D. Thom. ſicut ille ibi exponit. Et hoc pacto abſque vlla violenta extorſione declarari poteſt, quomodo cum præuia Dei motione ſtet arbitrij noſtri libertas. Aut ſextò loquitur D. Thom. de influxu diuino ad actus ſupernaturales, quem concedimus, nec negari poteſt, eſſe non ſolùm in actionem voluntatis, ſed etiam in ipſam voluntatem, illámque præmouere antecedenter, non tamen prædeterminare: quia aliud eſt voluntatem mouere, aliud voluntatem efficaciter prædeterminare. Et in hoc decipiuntur arguentes: certum enim eſt, Deum voluntatem noſtram per auxilium diuinæ gratiæ præmouere ad conſenſum, non tamen prædeterminare, vt illa etiam ſic mota, & prout ſtat ſub actuali Dei motione, non poſſit diſſentire, vt libro ſequenti dicemus. Et quanuis Deus voluntatem determinet ad bonum, & cùm voluntas ſe determinat, hæc determinatio ſit illi à Deo, non tamen prædeterminat illam, ſed ſimul conderminat, ita vt ſimul fiat determinatio à Deo, & voluntate creata; aut ſi voluntas eget prædeterminatione, illa ſola erit per propoſitionem obiecti; aut prædeterminatio naturalis, quæ eſt ad obiectum voluntatis vniuerſale, ſcilicet ad bonum in commune. Et hoc pacto exponuntur omnia loca D. Thomæ, & D. Auguſtini & aliorum Doctorum planè ſincerè, & abſque vlla violentia.

II. Secundò argumentatur, virtus, quæ reſpicit finem, mouet, & applicat cæteras potentias ad ſuas operationes, ſicut videmus, quòd voluntas mouet, & applicat alias potentias ad operandum: ſed virtus Dei reſpicit finem omnium cauſarum ſecundarum etiam humanæ voluntatis. Ergo mouet, & applicat humanam voluntatem ad ſuas operationes. Confirmatur ratio. Deus ipſe eſt cauſa finalis applicationis omnium cauſarum etiam voluntatis. Ergo eſt cauſa efficiens. Sequela probatur: nam Deus eſt prima cauſa efficiens omnium eorum, quorum eſt vltimus finis, iuxta illud Apocalyp. 1. *Ego ſum principium, & finis.*

Reſpondeo. Hoc argumentum non probat, Deum debere phyſicè de nouo applicare ſecundas cauſas ad agendum per aliquem influxum præuium, ſicut etiam voluntas non applicat alias potentias per aliquem talem influxum: ſed ſufficit, vt talis applicatio fiat per diuinam directionem, & imperium, quod habet in creaturas, quæ propter eſſentialem dependentiam, & ſubiectionem ad Deum, volente Deo; vt aliquid operentur, ſtatim exeunt in operationem. Secundò dico comodo, quo Deus reſpicit finem creaturarum, & illum vult, & eas ordinat ad finem, eodem modo illas etiam applicat ad operandum, vt aſſequantur finem. Cæterum neque vnicus tantùm eſt finis creaturarum, neque vno tantùm modo Deus creaturas ordinat in finem, ſed aliquas ita ordinat in finem particularem, vt ab illius aſſecutione non deficiant; alias ita ordinat, vt deficiant à fine particulari, non tamen ab vniuerſali: aliquas ordinat efficaciter ſecundùm primariam intentionem, aliquas ſolùm iuxta ſecundariam intentionem: Immo & ipſe Deus licèt ſit vniuerſaliſſimus, & vltimus finis omnium creaturarum, tamen non eodem modo, & ſub eadem ratione eſt finis omnium creaturarum, ſed aliarum per modum glorificantis, aliarum per modum punientis. Ita licèt Deus omnes creaturas applicet ad agendum, vt finem aſſequantur, non tamen eodem modo applicat, ſed aliquas ita applicat, vt naturaliter determinet illas ad vnum, alias ita applicat, vt ſinat illas liberè operari, tribuendo illis inclinationem naturalem ad bonum vniuerſale, & offerendo illis ſuum concurſum ſemper paratum; & relinquendo in illorum poteſtate determinationem ad hoc, vel illud bonum: & ex illis aliquas ita applicat, vt præmoueat etiam ad bonum particulare, eo modo quo ſcit, illas ſe ad tale bonum determinaturas, non tamen illas phyſicè prædeterminando: alias ita applicat, vt ſimiliter præmoueat ad bonum, ſciés tamen, quòd pro ipſarum libertate ad bonum ſe non determinabunt; & ita omnes creaturas applicat, & dirigit in finem abſque eo quòd phyſicè illas ad agendum prædeterminet. Et

Ad confirmationem eodem modo reſpondetur, quòd ſicut non eodem modo Deus eſt cauſa finalis omnium creaturarum, & omnium actionum illarum; ita non eodem modo eſt illarum cauſa efficiens, ſed aliquarum eſt cauſa præmouendo etiam creaturas, & prædeterminando ad agendum, aliquarum præmouendo, ſed non prædeterminando; aliquarum verò neque prædeterminando, neque præmouendo, ſed ſolùm concurrendo cum voluntate creata, & permittendo, & ordinando in finem, ſicut contingit de actionibus moraliter malis.

Tertiò arguunt, Deus eſt dominus creaturarũ etiam voluntatis. Ergo vtitur illis quando vult, & quomodo vult. Ergo applicat illas ad operandum quando vult, & quomodo vult. Probatur illa vltima conſequentia, quia, vt ait D. Thom. 1. 2. q. 16. art. 1. vſus rei nihil aliud eſt, quàm applicatio illius ad aliquam operationem: vnde & operatio, ad quam applicamus rem aliquam, dicitur vſus illius, ſicut equitare eſt vſus equi, & percutere eſt vſus baculi. III. D. Thom.

Reſpondeo, concedendum eſſe totum argumentum. Deus enim applicat omnes creaturas ad agendum quando vult, & quomodo vult; neque hoc poteſt ab homine cordato negari. Sed negandum eſt, hanc applicationem fieri per phyſicam prædeterminationem. Sicut enim non eodem modo vtitur omnibus creaturis, aut etiam humanis voluntatibus; ita non eodem modo omnes applicat, ſed aliquas prædeterminando, vt operentur, aliquas ſinendo liberè quod volunt eligere, ita tamen vt ſi malè agant, eorum malitia vtatur etiam in bonum: non enim permitteret malitiam, niſi ſciret etiam de malis bona facere, vt non ſemel dicit Auguſtinus, & tamen omnes creaturæ diuinæ voluntati deſeruiunt: quia etiam

de

de his qui faciunt, quod Deus non vult, facit ipse quod vult, vt ait idem Augustinus in Enchiridion cap. 180. Augustin.

IV. Quartò argumentatur. Ipsa actualis applicatio, & determinatio, qua voluntas in particulari se determinat ad hanc, vel illam actionem, est aliquod ens reale, & creatum. Ergo illius Deus est causa, aliàs esset aliquod ens reale, cuius Deus non esset causa, & comparatione cuius non esset primum principium, quod est erroneum.

Respondeo. Ipsa actualis applicatio, & determinatio voluntatis ad hanc actionem particularem est realiter vnum & idem cũ actione fluẽte à volũtate. Neq; enim est aliud determinatio voluntatis ad volendũ, quàm ipsum velle, vt determinatè fluens à voluntate. Et ideo cùm totius entitatis actionis voluntatis Deus sit causa non solùm, quia dat esse, & vires voluntati ad agendum, & illam conseruat, & vegetat, sed etiam quia simul influit cum voluntate in actionem, Deus est etiam causa eiusdem applicationis, & determinationis, non tamen prius applicando, & determinando voluntatem, quàm illa se applicet, & determinet. Quia è contrario sequeretur, quòd Deus esset totalis causa actionis voluntatis absque ipsa voluntate, cùm talis determinatio nihil aliud sit, quàm ipsummet velle. Neque verum est, quòd determinatio, qua Deus efficit, quòd voluntas seipsam determinet, sit realiter distincta ab actione voluntatis, per quam illa seipsam determinat. Hoc enim gratis asseritur, & gratis negatur, loquendo de applicatione ad actus liberos ordinis naturalis. Hoc etiam admittimus, quòd determinatio voluntatis creatæ licèt realiter sit tota à Deo, tamen sub ea ratione, qua est ab ipsa voluntate creata, non est à Deo: Nam dicere, quòd sub ea ratione, qua est à voluntate creata, sit à Deo, esset secundarum causarum vim, & causalitatem euertere, vt benè notauit Caietanus prima parte quæstione 14. art. 13. §. *Nec sustinendus.* ad primum Scoti, & quæstione 19. articulo 8. ad primum Scoti, & nimis religiosum velle esse, & ab vno errore recedendo in alterum recurrere. Caietan.

Quintò arguunt. Cùm voluntas non sit primum mouens, necesse est illã à Deo præmoueri.

Respondeo sufficere, quòd præmoueatur, vel per naturalem inclinationem ad bonũ, qua Deus illam mouet, vt vniuersalis motor ad vniuersale obiectum, vel per actus primò primos, qui sunt rationes consulendi, & eligendi, vel per nouam cogitationem, aut propositionem obiecti, aut aliis modis superiùs explicatis.

V. Sextò argumentantur. Aut diuinus concursus determinat voluntatem ad actionem, aut voluntas determinat diuinum concursum, aut à casu concurrunt ad eandem actionem. Tertium dici non debet. Secundum etiam dici non potest, quia non potest dici, quòd Deus cooperetur, quia voluntas operatur, sed è contrario dicendum est, quòd voluntas operatur, quia Deus operatur. Ergo dicendum est primum.

Respondeo, & diuinum concursum determinare voluntatem, & voluntatem determinare quodammodo diuinum concursum, & in eodem instanti esse determinationem vtriusque. Neque à casu diuinum concursum, & voluntatem coniungi ad influendum in actionem; neque sequi aliquod aliud inconueniens, & hoc argumentum lib. 4. satis superque solutum esse. ostẽdimus enim ibi cap. 10. quomodo ista duo se adinuicem con-

determinent. Ostendimus etiam suprà hoc lib. cap. 24. ex sententia D. Thom. & Caiet. voluntatem creatam determinare diuinum concursum. Ista etiam propositio sensu aliquo bono, & legitimo potest admitti, Deus cooperatur, quia homo operatur, sicut illam admittunt viri docti, & non spernendæ autoritatis. Inter quos est Cardinalis Bellarmin. lib. 4. de Gratia, & lib. arbitr. cap. 15. ad 2. Neque enim hoc est, diuinam voluntatem ab humana determinari, aut ab illa pendere, sed à seipsa, & à suo æterno decreto, quo decreuit sic, & non aliter cum libera voluntate concurrere, vt non cooperetur, nisi voluntas creata operetur. Neque timenda est ista nimia scrupulositas; immo potiùs cauenda est ista locutio. Homo operatur, quia Deus vult illum operari, saltem loquendo de operationibus moraliter malis, aliàs dicendum erit, Iudas Christum vendidit, quia Deus voluit, vt venderet, quem tamen modum loquendi arguentes probant. Bellarm.

Septimò probant, Deum prædeterminare voluntatem ad actus moraliter malos, excepta tamen morali malitia. Id verò probant nonnullis autoritatibus diuinæ Scripturæ apud Isai. 10. & 14. & Matthæi 10. & aliis similibus. Verùm istæ autoritates sunt legitimè explicatæ lib. 4. cap. 19. soluendo argumenta hæreticorum. Sunt enim autoritates, quibus Caluinus potissimùm nititur probare, Deum esse autorem peccati, & actus malos esse efficaciter ab æterno prædestinatos. VI.

Octauò idem probant nonnullis autoritatibus D. Augustini & D. Thom. Diuus enim Augustinus videtur dicere, motum voluntatis, qui est ad malum, esse à Deo, & Deum operari motum voluntatis, inclinando illã ad bonum, & ad malum, prout voluerit. ita videtur dicere lib. 2. de lib. arbitr. cap. 20. & lib. 3. cap. 1. & lib. 5. contra Iul. cap. 3. & lib. de Gratia, & lib. arbitr. cap. 20. & 21. Et D. Thomas sæpe dicit, actum peccati esse à Deo quantum ad illud omne, quod habet entitatis naturalis, excepta malitia. Augustin.

Respondeo, quod attinet ad D. Augustinum superiùs ostensum est, quomodo Deus operetur motum voluntatis ad malum non intrinsecè præmouendo voluntatem ad malum, hoc enim Augustinus nunquam dixit, sed permittendo liberè operari, & non negando illi suum concursum, & ordinando, & vtẽdo hominum malitia in bonum, aut permittendo Dæmonem sæuire in hominem, & prævalere, non ferendo homini auxilium in pœnam alicuius peccati præcedentis. Illud interim admoneo, Augustinum in lib. 2. de lib. arbitr. cap. 20. & lib. 3. cap. 1. non distinguere in actu peccati illos duos motus, alterum physicum, alterum moralem, & deficientem, neque dicere primum motum esse à Deo, secundum verò à sola voluntate creata. Nam esto hoc sit verum, tamen hoc non dicit ibi, sed absolutè negat, motum voluntatis ad bonum commutabile, qui est auersio à bono incommutabili, esse à Deo. In quo sensu dicit, malas voluntates non esse à Deo, nulla interim facta mentione de motu physico. Sed nonnulli ita autoritates Doctorum citant, tanquam si homines cæci essent, nec possent eorum libros videre. Quod attinet ad D. Thomam, ille docet, actum peccati quoad totam illius entitatem naturalẽ esse à Deo, & defectũ, qui in actu est, referẽdũ in solã volũtatem creatã, sicut in claudicatione progressio est à virtute progressiua, & obliquitas, seu defectus rectitudinis est à curuitate tibiæ.

Vbi autem docuerit, Deum physicè præmouere, & prædeterminare voluntatem ad ipsum actum peccati, etiam quatenus actus est, neque illi indicant, neque vnquam potuimus inuenire.

VII. Demum argumentatur ex perfectione diuinæ præscientiæ, & diuinæ prouidentiæ, quæ sine istis physicis prædeterminationibus perfecta esse non potest. Sed lib. 3. & 5. ostendimus, Deum sine illis perfectissimam, distinctissimã, & certissimam notitiam, ac prouidentiam habere de omnibus humanis actibus quantuncunque liberis, siue bonis, siue malis. Immo verò si ea attendamus, quæ D. Thomas tradit de scientia, quam Deus habet de futuris contingentibus, euidéter colligitur, illum minimè credidisse, Deum suo concursu prædeterminare secundas causas contingentes. Nam vbicunque de hac re loquitur, fatetur expresse, futurum contingens, quandiu est in suis causis contingentibus, nõ posse ab vllo intellectu etiam increato, certò, & infallibiliter cognosci: quia antequam effectus intelligatur actu productus in rerum natura, nunquam habet esse determinatum, & solùm habet esse determinatum, & certò cognoscibile, quando est actu productus extra suas causas. Quod minimè dixisset, si sentiret, secundas causas contingentes physicè, & antecedenter, & efficaciter à Deo prædeterminari ad singulos effectus contingentes; quia possent ipsi effectus contingentes infallibiliter cognosci non solùm secundùm esse, quod habent in seipsis extra suas causas, sed etiam secundùm esse, quod habent in causis sic determinatis. quod licèt nonnulli ab argumento victi concedant, tamen toto cælo distat à sententia D. Thom. vt facilè patebit legenti illius verba prima parte quæst. 14. art. 13. in corp. & secunda secundæ quæst. 171. art. 6. ad primum & de veritate quæst. 2. art. 12. ad 1. & ad 10. & quæst. 12. art. 10. in corp. & ad tertium & alia deducta à nobis lib. 3. cap. 20. vbi hanc rem fusè tractauimus.

CAPVT XXVII.

Concursum Dei generalem cum voluntate creata ad liberas actiones ex se indifferentem esse, & per concursum eiusdem voluntatis creatæ determinari.

I. DEducitur ex hactenus dictis solutio tertij dubij cap. 19. propositi, an concursus Dei generalis cum secundis causis maximè liberis sit de se indifferens, ita vt per ipsarum secundarum causarum concursum modificetur, determinetúrque ad determinatos effectus, non solùm in esse moris, sed in esse naturæ. De generali concursu nunc loquimur, non de speciali, quem exhibet ad speciales effectus per diuinam prouidentiam specialiter intentos. ad quod dubium tribus sequentibus propositionibus breuiter sic respondemus.

Prima propositio: Concursus Dei generalis cum humana voluntate ad actus liberos est de se indifferens ad producendum hunc, aut illum effectum iuxta diuersitatem cooperationis secundæ causæ creatæ.

Secunda propositio: Diuino concursu generali voluntas humana liberè vtitur, & ille quoad vsum libertati eiusdem voluntatis creatæ subiacet.

Tertia propositio: Diuinus concursus generalis modificatur per secundam causam quæ est voluntas creata, & ab illa determinatur ad determinatum actum in specie non solùm moris, sed etiam naturæ.

Concipiamus itaque iuxta ea, quæ lib. 4. de prædefinitione actuum liberorũ dicta sunt, Deum primò per suam eminentissimam sapientiam naturalem, seu simplicis intelligentiæ cognouisse omnes & singulas operationes, quas voluntas creata elicere potuisset, si diuinum concursum paratum haberet, & omnes concursus ad singulas operationes eliciendas aptos, atque idoneos. Secundò Deum decreuisse offerre voluntati creatæ omnes concursus necessarios, & aptos ad eliciendas quascunque operationes ipsa voluntas pro sua libertate elicere vellet, relinquendo in potestate voluntatis suam determinationem, vt scilicet in quam vellet partem, posset seipsam inclinare. Hoc enim decreto suppositio, diuina potentia executiua manet voluntati creatæ in actu primo ita applicata, quemadmodum causa vniuersalis naturalis manet applicata causæ particulari, & liberæ ad causandum omnem effectum, ad quem causa libera seipsam determinat: éstque de se indifferens ad cooperandum potius ad hunc effectum, quàm ad effectum oppositum, hoc excepto, quòd ista applicatio non prouenit ex necessitate naturæ, qualis est applicatio Solis ad causas inferiores contingentes, & liberas, sed prouenit solùm ex vi liberi decreti diuini. Hinc verò sequitur, quòd quemadmodum concursus causæ vniuersalis naturalis est in potestate causæ liberæ particularis: sita voluntas creata habeat in sua potestate concursum Dei generalem ad omnes, & singulos actus, ad quos illa seipsam liberè voluerit determinare. Et quemadmodum causa libera particularis determinat concursum causæ naturalis vniuersalis ad hunc actum in tali specie non solùm naturæ, sed etiam moris: ita determinet concursum Dei generalem. Et quemadmodum determinatio concursus causæ vniuersalis à causa particulari non est per aliquem influxum causæ inferioris particularis in causam vniuersalem, sed ex sola naturali connexione causarum sequitur, vt vna operante, altera statim trahatur ad operandum; ita etiam dicendum de voluntate creata comparatione diuini concursus generalis. Et sicut causa inferiori agente causa superior in eodem instanti excitatur ad cooperandum, neque prior est influxus vnius causæ, quàm alterius; ita dicendum de voluntate creata, qua operante in eodem instanti potentia Dei executiua quasi excitatur ad operandum, ita vt nec altera prius nec posteriùs suum concursum exhibeat, sed ambæ in eodem prorsus instanti temporis atque naturæ. Quam rem nonnulli explicant exemplo non incongruo speciei intelligibilis, quæ in eodem instanti naturæ, in quo potentia intellectiua producit intellectionem, trahitur, & concurrit ad comproducendum ipsam intellectionem, & idem dici potest de habitibus intellectualibus: & tamen intellectus nihil operatur, nihil influit circa ipsam speciem intelligibilem, aut circa habitus intellectuales, vt concurrant ad comproducendum intellectionem. Et quod dicitur de habitib. naturalibus, dici potest de supernaturalib. fidei, spei, & charitatis, qui, cùm voluntas se determinat

ad

ad eliciendum actum fidei, aut spei, aut charitatis, statim trahuntur ad influendum, & concurrendum in eodem instanti in eosdem actus absque eo, quòd voluntas aliquid de nouo influat, vel ponat circa eosdem habitus. Atque alij aliis modis hanc eandem rem explicare niruntur. Et esto lateret adhuc modus legitimus hanc doctrinam explicandi, non tamen videretur neganda, quippe quæ diuinis Scripturis, & sanctis Patribus, & Scholasticis omnibus, tribus, aut quatuor recentioribus exceptis, omnino conformis est, & consentanea. Multa enim sunt fidei mysteria, quorum si est, certissima fide tenemus, modum autem non eadem certitudine tenemus, & fortasse adhuc ignoramus: quia Deus in diuina Scriptura minimè reuelauit. Et quòd ista doctrina Scripturis, Patribus, & Theologis Scholasticis sit valdè consentanea, facilè ostendi potest.

II. Hic enim videtur esse sensus verborum illorum Genes.4. *Sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius.* & Deuteron. 30. *Testes inuoco hodie cælum, & terram, quòd proposuerim vobis vitam & mortem, benedictionem, & maledictionem. Elige ergo vitam,* &c. & Ecclesiastici 15. *Deus creauit hominem, & reliquit eum in manu consilij sui, ante hominem vita, & mors, bonum, & malum, quodcunque placuerit ei, dabitur illi.*

Dionys. Huc tendit, quod ait Dionys. Pauli Apostoli discipulus cap.4. de Diuin. nomin. *Sicut sol visibilis non ratiocinans, neque præligens, omnia illuminat, & omnia secundùm proprias rationes illius lumine participant; ita Deum participare omnibus existentibus proportionabiliter radios suæ bonitatis.* & cap.8. *Scire,* inquit, *opus est diuinam iustitiam ex hoc maximè veram esse iustitiam, quòd singulis pro dignitate cuiusque rei propria quædam distribuat, singularémque naturam in ordine suo, & virtute propria conseruet.*

Clemens Rom. Huc etiam tendunt verba illa D. Clementis epistola tertia ante medium. *Si quis sanè audiens sermonem veri Prophetæ, velit, aut nolit recipere, & amplecti omnia eius, id est, mandata vita, habet in sua potestate: liberi enim sumus arbitrij. Nam si hoc esset, vt videntes ea, iam non haberent in potestate aliud facere, quàm audierant, vis erat quædam naturæ, per quam liberum non esset ad aliam migrare sententiam: aut si rursus ex audientibus, nullus omnino reciperet, & hoc naturæ vis erat, qua vnum aliquid fieri cogeret, & alteri parti non daret locum. Nunc autem quia liberum est animo, in quam velit partem declinare iudicium suum, & quam probauerit eligere viam, constat euidenter inesse hominibus arbitrij libertatem.* quibus in verbis primò ostendit, in hoc consistere arbitrij libertatem, vt etiam à Deo motum, & excitatum habeat in potestate aliud facere. Secundò ad arbitrij libertatem spectare indifferentiam iudicij rationis. Tertiò non sufficere istam indifferentiam iudicij, sed etiam requiri indifferentiam voluntatis in eligendo. Quartò concursum diuinum necessarium ad actum iudicij, & electionis necessariò oportere indifferentem esse, & vt talem, offerri voluntati; aliàs quomodo cum concursu determinato ad vnum maneret ista indifferentia iudicij, & electionis?

III. D. Augustinus libro 7. de ciuitate capite 30. *Sic* (inquit) *administrat omnia, quæ creauit, vt etiam ipsa proprios exercere, & agere motus sinat.* sinere verò agere proprios motus, non est ad vnum per concursum suum res omnes determinare. Alij etiam Patres dicunt, actus humanos liberos non ideo futuros, quia præsciti: sed ideo præscitos à Deo, quia futuri, & non esse prædefinitos, neque ex prouidentia, vt in præcedentibus libris ostendimus. Quæ omnia cum concursu Dei ad vnum determinato, & liberum arbitrium antecedenter determinante nullo modo consistere possunt.

Scholastici verò hanc rem sententiis apertis, & sine ambiguitate verborum docent. D. Thomas D.Thom. locis capite 24. adductis. In quibus apertè tradit, motionem Dei vniuersalem esse, & determinari per concursum voluntatis creatæ ad hunc, aut illum effectum. quibus addi potest etiam testimonium ex primo sentent. d.47. quæstione prima articulo secundo vbi dicit, quòd peccati permissio neque est contra voluntatem beneplaciti, neque secundùm illam, sed præter illam: quia permissio respicit potentiam causæ ad vtrunque oppositorum se habentem. Et supra dist.38. quæstione prima articulo quinto in corp. & de malo quæstione tertia articulo secundo in corpore, vbi assimilat diuinam motionem & concursum Dei generalem lumini Solis, & motui corporis cælestis respectu rerum generabilium. Eandem sententiam probant Capreol. in primo dist. 38. quæstione prima arti- Capreol. culo primo ad secundum Scoti contra quartam conclusionem. Vbi adducit testimonium D. Tho. ex quæstione quinta de veritate articulo nono ad decimum dicentis, actionem primæ causæ quodammodo determinari à causa secunda ad hunc effectum. Et Caietan. sæpe citata quæstione 19. Caietan. articulo octauo dicens, quòd voluntas creata liberè vtitur diuina cooperatione, & Ferrar. in ter- Ferrar. tio contra Gentes capite 66. ration. quinta dicens, actionem primæ causæ non attingere effectum secundæ causæ contingentis, nisi vt modificatam per ipsam secundam causam. Et Corradus Corradus. in prima secundæ quæstione 79. articulo primo dicit, quòd concursus diuinus cum secundis causis non est motio præuia, sed sola cooperatio cum ipsis secundis causis: vnde non attingit operationem voluntatis, nisi modificatus iuxta conditionem voluntatis, & multa alia ibi dicit, quæ sunt videnda.

Marsilius in primo quæstione 40. articulo se- IV. cundo 1.p. concluſ.4. inquit, *Sicut effectus depen-* Marsil. *dens à causa libera, ab ea liberè dependet; ita disposuit Deus æternaliter ad omne id, quod illa voluntas elegerit, siue voluerit, se liberè concursurum præsciendo æternaliter, ad quam partem voluntas inclinabitur.*

Gregorius Arimin. in secundo d.35. quæstione prima articulo tertio. *Deus sequitur determinationem voluntatis, non quòd determinatio voluntatis sit aliqua entitas distincta à voluntate, & eius actu, quæ primò fiat à voluntate sicut imaginari videtur argumentum; nec etiam intelligendum, quòd prius natura voluntas agat actum illum, quàm Deus proprie loquendo de priori natura. Quoniam sequeretur, quod posset illum agere Deo non cooperante: sed ad hunc sensum dico, Deum sequi determinationem voluntatis, quoniam ideo Deus agit actum illum, quia eum voluntas agit, & non ideo quia Deus agit, voluntas agit.*

Ioannes Roffensis art.36. contra Lutherum dicentem, *Periit itaque hic etiam generalis illa influentia, qua garriunt esse in potestate nostra naturales operationes operari.* Respondet: *Quis enim non compertissimum habet, se posse per influentiam illam generalem, cùm voluerit, stare, vel sedere, silere vel loqui.* Vbi videas sententiam, quæ negat influxum Dei generalem subiacere libertæ hominis potestati, esse sententiam Lutheri, & sententiam

Digitized by Google

quæ hoc affirmat esse sententiam Doctoris Catholici. Sed longum nimis esset, omnes Scholasticorum sententias hic scribere, legantur autores
Suarez. citati apud Suarez dicto lib. 1. de Auxil. cap. 14. lib. 2. cap 3. & lib. 3. cap. 13.

V. Neque ad hanc sententiã sequitur aliquod ex inconuenientibus, ad quæ illam nonnulli deducunt. Neque enim per hoc dicimus, quòd Deus de facto, & in actu secundo non exhibeat suum concursum determinatum ad hunc, aut illum numero effectum, ad quem voluntas se determinat: sed quod in hac sententia affirmatur, solum est, diuinum concursum in actu primo non determinari à Deo antecedenter ad determinationem humanæ voluntatis ad hunc vel ad illum actum; sed determinari in eo instanti, in quo voluntas seipsam determinat, & ad illum actum, ad quem voluntas se determinat, sicut lib. 4. dictum est, eundem concursum diuinum non fuisse ab æterno efficaciter prædefinitum ad hunc, vel ad illum determinatum actum liberum, antecedenter ad præuisam determinationem liberam voluntatis creatæ; & nihilominus Deum ab æterno prædefiniuisse omnes concursus etiam in particulari in eodem instanti, in quo præuisa est libera determinatio voluntatis creatæ ad eosdem actus. Neque sequitur, causam secundam propriè determinate primam, aut primam causam non determinate seipsam ad influendum, quando actu influit, & in actum secundum exit.

Neque ista indifferentia diuini concursus dicit aliquam imperfectionem; quia non prouenit ex potentialitate (vertus ex impotentia) causæ primæ concurrentis cum secunda, eo quòd illa non valeat seipsum, si velit, ad determinatum effectum absque causa secunda determinare: sed prouenit primò ex intrinseca natura, & conditione libertatis diuinæ, ob quam diuina voluntas de se indifferens est ad producendum hunc effectum, aut illius oppositum, prouenit etiam ex libero Dei decreto, quo liberè decreuit suum concursum secundis causis liberis ita applicare, vt relinqueret in potestate eiusdem voluntatis specificam illius determinationem in actu secundo ad hunc actum, aut ad illum. Neque ista est indifferentia passiua, sed actiua, quæ nullam dicit imperfectionem. Adeò quòd quemadmodum voluntas libera in eo instanti, in quo concipitur prior sua operatione, est indifferens ad hunc actum, aut ad illius oppositum, & etiam ad velle, & non velle, & hoc verum est etiam loquendo de voluntate increata comparatione obiecti creati, & nihilominus ista indifferentia nullam arguit imperfectionem; ita etiam diuinus concursus, vt exhibitus voluntati creatæ in actu primo, & vt prior seipso exhibito in actu secundo, est indifferens ad hunc actum, aut ad actum oppositum: & nihilominus ista indifferentia nullã arguit imperfectionem ex parte eiusdem concursus.

VI. Neque verò dicimus, Deum exhibere suum concursum voluntati creatæ indifferentem ad actum moraliter bonum, & ad actum moraliter malum sub ea ratione formali, qua est moraliter bonus, aut malus, ita vt cum voluntate creata se determinante ad actum moraliter malum, etiam Deus suum concursum determinet ad actum moraliter malum, quatenus malus est. Hoc enim nefas est dicere; sed dicimus, Deum exhibere suum concursum ad actum, qui est moraliter bonus exoptando, vt fiat, si voluntas creata etiam velit concurrere, & ad actum, qui est moraliter malus, non quidem volendo malitiam, quam odit, neque etiam exoptando, vt fiat talis actus, cui moralis malitia est adiuncta, quam similiter prohibet, & punit, & nollet fieri, sed vt seruet illam libertatem voluntatis creatæ, quã illæsam non seruaret, si suum concursum ad actus solummodo moraliter bonos, non autem ad moraliter malos offerret.

Neque tandem ex hoc, quòd iste concursus generalis Dei est indifferens, subtrahitur vllo pacto à diuina prouidentia. neque perfectio eiusdem diuinæ prouidentiæ requirit, vt idem concursus sit efficaciter determinatus antecedenter, & efficaciter determinans humanam voluntatem ad hunc aut illum actum, immo illius perfectioni non parum videtur repugnare, si ea, quæ lib. 4. de diuinis decretis, & lib. 5. de diuina prouidentia à nobis dicta sunt, attentè perpendantur; neque absolutè, & vniuersaliter est verum, quod nonnulli contendunt, ad ea solùm se extendere diuinam prouidentiam, ad quæ se extendit diuina causalitas; neque D. Thomas id dixit, quippe qui duplicem prouidentiam in Deo agnoscit, alteram approbationis, alteram concessionis, sub qua continetur malum moris, ad quod diuina causalitas nullo pactò se extendit.

CAPVT XXVIII.

Libri conclusio, & argumenti Caluiniani confutatio, ex efficacia diuinæ motionis contra arbitrij libertatem desumpti.

I. DVplex argumentum contra humani arbitrij libertatem videtur Caluinus, (nec ille primus) ex efficacia diuinæ motionis deduxisse. Primum est, Voluntas Dei est prima, ac summa omnium rerum causa efficacissima, cui nullus valeat resistere: at quidquid successiu temporis euenit in mundo, per æternam Dei voluntatem efficaciter decretum est, & per eandem voluntatem efficaciter in tempore causatur. Ergo nulla est in rebus contingentia, neque vlla in homine arbitrij libertas.

Secundum, Deus vtitur humanis voluntatibus tanquam instrumentis, eas ad opus applicando, mouendo, ac dirigendo, non secus ac faber malleum & ferram, & miles lanceam, & gladium, sùntque hominum voluntates in manu Dei non aliter, quàm lutum in manibus figuli: sed in potestate instrumenti non est aliquid agere, nisi priùs ab artifice moueatur, aut moueri, aut non moueri, neque dum mouetur, efficere potest, vt non moueatur, neque dicit figmentum ei, qui se finxit, quare me feciſti sic. nulla igitur videtur humanæ voluntati libertas reseruata comparatione cuiuscunque actionis, sed omnia necessariò eueniunt propter efficaciam diuinæ motionis.

II. Sed euanescent statim hæ Caluinianæ argumentationes non secus ac nebulæ nihil habentes soliditatis, si cum iis, quæ tum quarto libro, tum in hoc octauo dicta sunt, illas conferamus. Est sanè voluntas Dei efficacissima, cui nullus resistere potest, quis ambiget? possétque voluntatem creatam, quam de nihilo condidit, etiam

etiam necessariò, in quod vellet obiectum excepta malitia inclinare, nullus Catholicorũ ignorat, omnes fatentur. Eueniunt infallibiliter, ac certissimè, quæ Deus decreuit euenire, siue ab agentibus naturalibus, siue ab humana voluntate. At neque Deus voluit, omnia eodem modo euenire, neque omnes rerum euentus eodem modo decreuit. Constituit in mundo agentia naturalia, constituit & libera: decreuit quædam se solo operari, quædam adiuncto sibi secundarum causarum famulitio, non ob impotentiam, aut indigentiam, sed vt eas sic sibi adiungendo dignificaret. Quæ se solo absque libero concursu creaturæ operatur, absque determinationis alterius causæ præuisione decreuit: quæ verò non nisi per liberum concursum secundarum causarum operatur, non nisi præuisa earum libera determinatione ad concurrendum decreuit similiter operari. Quid igitur officit æternum, & efficax Dei decretum arbitrij nostri libertati?

III. Est ipse vnus, solus, verus Deus, vnicum omnium rerum principium, visibilium, & inuisibilium. verùm quemadmodum distinctas voluit esse creaturas; ita & distinctas voluit esse naturas ipsarum rerum, & distinctas voluit esse illarum operationes, distinctósque modos operandi, vt esset mundus ipsa rerum, & operationum varietate perfectus. Agunt quidem necessariò, agunt alia contingenter, sunt agentia naturalia, sunt & libera.

Mouet Deus omnes creaturas, operatúrque in omni operante non solùm quatenus tribuit secundis causis esse, & vim agendi, & illas in esse conseruat, sed cum illis coëfficiendo illarum effectus, immò, & in illarum actiones immediatè influendo in quamlibet cuiuscunque agentis operationem immediatione non solùm virtutis, sed etiam suppositi. Verùm non solus ipse omnia in omnibus operatur: sed ita mundanam rempublicam administrat, vt singulas creaturas suos agere motus sinat: attingit à fine vsque ad finem fortiter, sed disponit omnia suauiter.

Vtitur secundis causis tanquam instrumentis ad opus æternæ sapientiæ perficiendum: omnium est enim artifex, omnem habens virtutem, omnia prospiciens. At non sunt omnia diuinæ virtutis instrumenta eiusdem naturæ, & virtutis. Sunt alia mota, non mouentia, alia mota, & mouentia: alia sine ratione, alia cum ratione, & libertate agentia: neque omnes creaturas eodem modo applicat ad illarum operationes, sed quasdam necessariò, quasdam liberè; agitque (vt Theologicum axioma licèt Caluino inuisum ait,) cum naturalibus naturaliter, cum liberis liberè, & cum contingentibus contingenter: omnes tamen certà lege in suos fines ordinat, ac dirigit.

IV. Cùm verò concurrit cum secundis causis liberis concursu, & motione vniuersali, seu influentia generali, non ita hoc facit, vt influxu, & motu reali præuio ad actiones secundarum causarum ipsas causas realiter, & efficaciter ita ad vnum determinet, quin stante eiusmodi influxu, illæ diuinæ motioni non valeant dissentire; sed influxu, & cooperatione simultanea cum ipsis secundis causis liberis influit in illarum actiones, & effectus, ita vt sit totus effectus, & tota operatio secundæ causæ liberæ non solùm ab illa, sed à diuina virtute immediatè coëfficiente, & cooperante. Quæ cum voluntate creata ita cooperatur, vt sese in eodem instanti naturæ adinuicem determinent ad agendum. Et nihilominus ipsa prima causa plus, & prius influit in omne causatũ, quàm secunda; quia independentiùs, quia intimiùs, quia vniuersaliùs, quia secunda causa non agit, nisi mota à prima, quatenus à prima habet esse, & virtutem agendi, & inclinationem ad agendum, & directionem in agendo, & ipsum agere per simultaneam cooperationem, & essentialem subordinationem atque dependentiam ad eandem primam causam.

Vnde fit, vt generalis Dei concursus, quo Deus voluntatem humanam præmouet, sit de se indifferens, eóque humana voluntas liberè vtatur, illum pro sua libertate modificet, ac determinet. Hæc si saperent Caluinitæ, intelligerent facilè, per efficaciam diuinæ motionis, & influentiam Dei generalem, nullam imponi humanis voluntatibus necessitatem. intelligerent etiam, humanas voluntates instrumenta esse ratione, & libertate prædita. Sed quid mirum, quòd hæc non intelligant illi, quorum Deus huius sæculi mentes excæcauit, vt non fulgeat eis lumen Euangelij in tantum, vt discernere non valeant inter hominem, & inanime instrumentum, & ad suas turpitudines tegendas optimum velamen se nactos arbitrentur, si Deum ipsum non solùm ad sua ipsorum scelera perpetranda socium adiungant, sed eorundem primum & omnimodum faciant autorem.

Dicamus igitur ad primum Caluini argumentum, efficax Dei decretum, & efficacem operationem non inferre vllam vim humanæ libertati; quia neque Deus decreuit actus liberos voluntatis creatæ ante præuisam illius liberam determinationem, neque in tempore voluntatem ita mouet ad vllum actum liberum, vt illam determinet antecedenter ad liberam illius determinationem, neque ita vt non possit ipsa voluntas seipsam non determinare. V.

Similiter ad secundum dicamus, Deum humanis voluntatibus vti, vt instrumentis animatis, & liberè coagentibus; & illas mouere non per influxum præuium determinantem ad hunc, aut illum actum particularem, sed per motionem generalem, qua mouet, vt vniuersalis motor ad vniuersale obiectum, quod est bonum, relinquendo in potestate eiusdem voluntatis, vt se per rationem determinet ad hoc, vel illud bonum, quod est verum bonum, vel apparens bonum. Atque de motione, & concursu Dei cum humana voluntate ad actus liberos, qui sunt ordinis naturalis hæc dicta sint. nunc de eadem motione ad actus supernaturales nobis restat dicendum.

PROPVGNACVLI HVMANÆ LIBERTATIS

LIBER NONVS.

Non prohiberi humani arbitrij libertatem per motionem Dei efficacem ordinis ſupernaturalis.

I. CVM de motione, & concurſu efficaci diuinæ gratiæ cum libera hominis voluntate ad opera pietatis conciliando res agitur, quæſtio ſtatim oritur grauis ac difficilis adeò, vt dixerint nonnulli Theologi cumprimis docti, ac præclari, de quorum numero videntur Ruardus Taper, & Caietanus ab eo relatus art.7. pag. 218. illius ſolutionem in hac vita deſiderari. Et ſanè D. Auguſtinus lib. 1. de gratia Chriſti contra Pelagium cap.47.ita ſcribit: *Iſta quæſtio, vbi de arbitrio voluntatis, & Dei gratia diſputatur, ita eſt ad diſcernendum difficilis, vt quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur: quando autem aſſeritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri.* Quæ verba repetit non ſemel, nec vno in loco, vt videri apud illum poteſt lib.4. contra Iulianum c.8. in libro de Gratia, & libero arbitrio. cap. 1. in duabus Epiſtolis ad Valentinum, & aliis in locis. Et videmus omnes hæreticos tum antiquos, tum recentiores, qui de concurſu eiuſdem gratiæ cum humana voluntate diſſeruerunt, ob eandem difficultatem in alterum ex duobus erroribus extremis turpiter lapſos, aut ſpecie libertatis humanæ defendendæ, gratiæ neceſſitatem abnegantes: aut, vt eiuſdem gratiæ neceſſitatem tuerentur,& efficacitatem commendarent, ipſum hominis arbitrium euertentes. Pelagius, vt tueretur arbitrij libertatem, diuinæ gratiæ hoſtem ſe prodidit manifeſtum, contra quam, & contra beneficium Chriſti Redemptoris eas euomit impietates, quas recenſuimus lib.1. cap.8. Econtrario autem Iulianus, ac cæteri Pelagiani D.Auguſtino gratiæ propugnatori imponebant, quòd gratiæ neceſſitatem defendendo, & prædicando induceret humanæ voluntati quandam fatalem, duriſſimam, & ineuitabilem neceſſitatem. Immo Iouinianus, Lutherus, Caluinus, Kemnitius, ac cæteri illorum ſectatores eiuſdem gratiæ vim, & energiam ita extollunt, & commendant, vt omnem humanæ voluntatis libertatem ad opera pietatis agenda funditus euertant.

Ruard. Tap. Caietanus. Auguſt. Pelagius.

II. Iouinianus Monachus Romanus Monachatũ reiecto veluti canis ad vomitum reuerſus referente Alphonſo Caſtrenſi contra hæreſes in verbo gratia hæreſi ſecunda dixit eum, qui verè per Baptiſmum renatus eſt,ampliùs peccare non poſſe. Quem errorem complexus Lutherus apud Ioannem Eckium in Catalogo errorum Lutheri ita ait: *Prorſus non dubitamus, nos eſſe ſaluos, poſtquam baptizati ſumus: quia promiſſio ibi facta non eſt mutabilis vllis verbis. Vnde baptizatus etiam volens non poteſt perdere ſalutem, quia nulla peccata poſſunt eum damnare, niſi incredulitas.*

Caſtro. Lutherus.

Ipſe verò Lutherus in lib. cui titulus eſt, Operatio in Pſalmos, in errorem grauiorem lapſus, ità ſcribit: *Error eſt, quòd liberum arbitrium habeat aliquam actiuitatem in bono opere, quando de interno opere loquimur. Velle enim illud, quod credere, ſperare, diligere tam diximus, motus, raptus, ductus, Verbi Dei, & quadam continua purgatio, & renouatio mentis, & ſenſus de die in diem in agnitionem Dei, licèt non ſemper æquè intenſa ſit illa paſſio, tamen ſemper eſt paſſio. Ecce ſicut lutum in manu figuli, ita & Domus Iſrael in manu mea. Quid obſecro actiuitatis habet lutum, quando figulus formam ei affingit, nónne mera paſſio ibi cernitur?*

III. Caluinus etſi Lutheranam craſſitiem vtcunque imminuere, & attenuare ſit conatus, dum conceſſit, voluntatem ad opera pietatis concurrere non ſolùm paſſiuè, ſed etiam actiuè; negauit tamen abſolutè, illam liberè aliquid operari. Hæc enim illius ſunt verba in 2. lib. Inſtitutio. cap. 3. §. 7. *Erunt fortè, qui concedent, voluntatem à bono ſuopte ingenio auerſam ſola Domini virtute converti, ſic tamen, vt præparatas ſuas deinde in agendo partes habeat, quemadmodum docet B. Auguſtinus, omne bonum opus gratiam præcedere, & id comitante, non ducente, pediſſequa, non præuia voluntate.* Et infrà hanc ſententiam improbando in hunc modum ſcribit: *Sed quia reformata opus eſt Domini, hoc perperam homini tribuitur, quòd gratia præuenienti pediſſequa voluntate obſequatur.* Et infrà §. 10. *Voluntatem*, inquit, *mouet gratia non qualiter multis ſæculis traditum eſt, & creditum, vt noſtra poſtea ſit electionis motioni aut obtemperare, aut refragari; ſed illam efficaciter afficiendo: illud ergo toties à Chryſoſtomo repetitum repudiari neceſſe eſt, quem trahit, volentem trahit.* Et in Antidoto ad 6. caput ſextæ ſeſſionis Concilij Tridentini de iuſtificatione. *Sexto*, inquit, *capite aſſerunt gratia Dei nos præparari ad percipiendam iuſtitiam: ſed huic gratiæ partes aſſignant excitandi, & adiuuandi, vt ipſi liberè cooperemur. Nempe putidas nanias hic audimus, quas in Scholis deblaterare Sophiſta ſolent.* Et infrà: *In eo hallucinantur, quòd motum nobis offerri ſomniant, qui mediam electionem nobis relinquat. Nihil autem de efficacia illa cogitant, qua cor hominis renouatur, & ex prauo fit rectum.* Videri poſſunt hæc verba apud Ruardum art. 7. pag. 274. & ſequentib. & apud Card. Bellarm. lib.6. de gratia, & lib.arbitr. c. 9. Cuius ſententiæ grataner ſubſcribit Kemnitius in examine eiuſdem Conc.Trident. circa eandem ſeſſionem,vt eſt in prouerbio. *Muli mulos ſcabunt, & ſcabies ſcabiem fricat.*

Ruardus. Bellarm. Kemnitius.

IV. Ita videmus quatuor errores manifeſtos circa efficacem concurſum diuinæ gratiæ cum humana voluntate verſari. Primum illorum, qui rati, eſſe impoſſibile eandem gratiæ efficaciam cum arbitrij libertate conciliare, vt arbitrij libertatem tueantur,

tueantur, gratiæ efficacitatem, & necessitatem negant. Secundum eorum, qui docent, per vim, & efficaciam diuinæ gratiæ non relinqui in homine etiam viatore potentiam ad peccandum. Tertium eorum, qui fatentur, humanam voluntatem ad opera pietatis cum ipsa gratia nihil actiuè operari, sed velut instrumentum inanime merè passiuè ipsi gratiæ deseruire. Quartum illorum, qui etsi admittant, voluntatem ad opera pietatis cum gratia actiuè, & sponte cooperari, non tamen admittunt, illam liberè cooperari. Et quidem primum errorem hîc refutare non oportet. Secundus lib. 6. cap. 35. sufficienter est à nobis confutatus. Tertius sua crassitie seipsum satis conuincit. Nunc solùm in vltimo errore confutando insistemus, & ostendemus cum efficacitate diuinæ gratiæ quam secundùm Catholicam fidem ad omne opus bonum supernaturale non solùm perficiendum, sed etiam inchoandum, immo & cogitandum, tanquam necessariam hîc supponimus, optimè consistere arbitrij humani libertatem; & ipsam gratiam, vt Augustinus inquit, arbitrij libertatem non minuere, sed perficere præbendo vires efficacissimas voluntati, quæ non libertate gratiam, sed gratia consequitur veram libertatem. Id autem, vt præstemus, duo nobis in hoc libro principaliter agenda erunt, scilicet explicandum erit, quid sit gratia. Deinde in quoniam ipsius gratiæ vis, & efficacitas potissimum consistat.

CAPVT I.

Prima controuersia proponitur, & multiplex gratiæ acceptio & diuisio explicatur.

1. DIcturi de essentia, & quidditate gratiæ, & de illius efficacia ad humanas voluntates mouendas, & dirigendas, priùs variam nominis gratiæ acceptionem operæpretiũ ducimus explicandam. Habet enim hoc nomen apud sacros, & prophanos autores multiplicem significationem, qua ignorata facilè nos labi in errores contingit, sicut eiusdem nominis æquiuocatione olim Pelagius Catholicos decipiebat, ac deludebat. Etsi verò multæ sunt huius nominis acceptiones, præcipua tamen, à qua aliæ omnes videntur deriuare, videtur esse, vt nomine gratiæ accipiatur internus ille animi effectus, quem beneuolentiæ, aut amicitiæ, aut gratitudinis nomine consueuimus explicare. iuxta hanc acceptionem, qui Dei, aut Principis beneuolentiam, & amicitiam sibi conciliant, dicuntur coram illis gratiam inuenire, aut esse in illorum gratia, aut in eorum gratiam redire: quæ dicendi phrases sunt vsu receptissimæ tum in diuina Scriptura, tum apud Ethnicos autores. Ab ista primaria acceptione, & significatione videtur secundo loco deductum nomen gratiæ, ad significandum id, ex quo ipsa beneuolentia erga alterum animis innascitur. Vnde quia corporis venustas, morum compositio, & his similia vim habent ad beneuolentiam, & amicitiam aliorum comparandam, hinc fit, vt non semel in diuina Scriptura ipsa corporis venustas, & morum compositio, & dicendi facundia, & virtutum ornatus nomine gratiæ vocentur. Esthet 15. *Et facies tua plena est gratiarum.* in Psal. 44. *Diffusa est gratia in labiis tuis.* Prouerb. 22. *Qui diligit cordis munditiam, propter gratiam labiorum suorum habebit amicum Regem.* & cap. 31. *Fallax gratia, & vana est pulchritudo.* Et Ecclesiastici cap. 7. *Gratia enim verecundiæ illius* (scilicet mulieris sensatæ) *super aurum.* Et cap. 26. *Gratia mulieris fidelis delectabit virum suum.* Et quoniam quos beneuolentia prosequimur, donis, fauoribus, & beneficiis prosequimur: Hinc tertiò deductum est nomẽ ad gratiæ significandũ donũ, fauorem, & beneficiũ alteri ab aliquo ex mera beneuolentia, non autem intuitu alicuius meriti impensum, & collatum. Atque ista est acceptio magis frequens, & vsu recepta huius nominis gratia in diuina Scriptura, maximè apud D. Paulum, & etiam apud Ethnicos Scriptores. iuxta hanc acceptionem eleemosynarum elargitio vocatur gratia à D. Paulo in illis verbis prioris Epist. ad Cor. cap. 16. *Cùm autem præsens fuero, quos probaueritis per epistolas, hos mittam perferre gratiam vestram in Ierusalem.* Et quoniam beneficium impenditur non solùm tribuendo, quod quis non meretur; sed etiam non tribuendo id, quod quis malè meretur, hinc vsus obtinuit, vt cùm Princeps reo pœnam debitam remittit, facere illi gratiam dicatur, vt illa Liuij verba lib. 3. Titus Liu. ostendunt, *Omnium, qua impiè, nefariéque per biennium alia super alia es ausus, gratiam tibi facio.* Et multo magis cùm Deus impio remittat gratis pœnam iuste illi debitam pro peccatis. Rursus, quia cùm homines vident se beneficiis, & fauoribus cumulari, ex animi gratitudine verbis, & factis benefactoribus vices rependere student, ipsa beneficij accepti recompensatio, siue per verba, siue per quiduis aliud exhibita, gratia consueuit appellari. Hoc pacto dicimus aliquem pro beneficiis acceptis alteri gratias agere, aut etiam referre. Consueuit tamen nonnunquam apud Ethnicos nomine gratiæ accipi recompensatio non solùm beneficij sed etiã maleficij: vt est illud Ciceronis Cicero. in Salustium: *Non speraſti mutuam me tibi gratiam relaturum?* Sed ista rarissima est. omitto accipi nomen gratiæ in ablatiuo pro causa iuxta illud Pauli ad Ephes. 3. *Huius rei gratia flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Iesu Christi.*

II. Hinc apparet, quinque esse huius nominis gratiæ significationes, & acceptiones. Nam primò accipitur gratia pro beneuolentia, seu dilectione, qua quis ab altero diligitur. Secundò pro eo, ex quo ipsa dilectio, & beneuolentia nascitur. Tertiò pro dono, & beneficio, quod ex dilectione, & beneuolentia alteri confertur. Quartò pro compensatione eiusdem beneficij. Quintò pro causa mouente ad aliquid agendum. De prima, tertia, & quarta acceptione videndus est D. Thom. cum D. Thom. commentatoribus in prima secundæ quæst. 110. articulo primo. Ex quibus sola tertia acceptio huic nostro instituto inseruit, quatenus scilicet significat aliquod donum, siue beneficium ex sola Dei beneuolentia, & non ex nostris meritis nobis ab ipso Deo collatum. Nam gratia primo modo accepta non tam est gratia, quàm gratiæ origo, & fons, & præparatio. Secundo autem modo accepta in Deo locum non videtur habere, illius enim dilectio non ex his, quæ sunt in nobis, nascitur, sed ideo bona nobis confert, quia nos diligit. iuxta illud Augustini in August. inchoata expositione Epistolæ ad Romanos prope initium. *Prior enim dilexit nos Deus ante omnia merita, vt & nos eum dilecti diligeremus.* & illud, *Vniuersas creaturas non ideo diligit Deus, quia bona sunt; sed ideo bona sunt, quia illas diligit Deus.* Quartò etiam modo accepta rationem meriti non excludit. Adhuc quinto modo ad rem non facit. Vnde reliquum est, vt nomine gratiæ hîc vtamur solùm quatenus significat gratuitum Dei beneficium, & donum

absque vllis nostris meritis nobis collatum. Secundùm quam acceptionem nomine gratiæ vtuntur Patres,& Scholastici,cùm de diuina gratia disputationes aduersùs hæreticos instituunt. Quam ob causam generalissima quadam definitione ipsam gratiam describentes,aiunt, *Gratia est quodcunque donum à Deo nobis liberaliter collatum*,vt colligitur ex D.Bonauentura in 2.d.4.art.1.q.2.§. *Ad autoritates in contrarium*. & ex Ricardo ibidem art. 2.& quæst.2.

Bonauent. Ricardus.

III. Verùm aduertere oportet,gratiam sic acceptam pro dono à Deo nobis liberaliter,& sine vllis nostris meritis collato, tribus adhuc modis accipi posse, vno modo pro quouis dono, & beneficio nobis à Deo liberaliter, & omnino gratis collato, siue illud sit ordinis naturalis, siue excedens ordinem naturæ, quo pacto nomine gratiæ venit ipsa rerum creatio, & conseruatio, qua nobis esse donauit, & in esse iugiter seruat, de qua loquitur Salomon in lib. Sapientiæ c.16. cùm ait, *Propter hoc & tunc omnia transfigurata omnium nutrici gratia tua deseruiebant*. De qua intelligi etiam potest illud Pauli, *Gratia Dei sum id quod sum*. Hoc genus gratiæ confitebatur Pelagius cùm in Concilio Palæstino coactus esset suam hæresim retractare, & cùm anathematizauit omnes, qui gratiam non confitentur, scilicet nomine gratiæ intelligebat donum creationis & conseruationis,& possibilitatem naturaliter inditam humanæ voluntati ad bonum volendum,vt colligitur ex August. in epist.105. & in lib. de Nat. & gratia c.51. & lib.1. de gratia Christi contra Pelagium c.3.4. & aliis infinitis in locis tomo 7. ferè per totum, & ex Hieronymo in Dialogis contra ipsos Pelagianos, & ex Concilio Mileuitano in epistola ad Innocentium primum quæ est 95. inter epistolas eiusdem Augustini.in quo Concilio detecta fraude eiusdem Pelagij iterum illius errores contra Dei gratiam fuerunt damnati. Altero modo accipitur gratia pro quocunque dono, quod non est naturæ debitum, sed supra ordinem naturæ liberaliter nobis à Deo ad rectè, ac piè viuendum nullis nostris meritis præcedentibus collatum. Quod donum adhuc distinguendum est: nam vel est simpliciter collatum creaturæ nullis eius præcedentibus meritis bonis, neque malis, cuiusmodi fuit donum gratiæ collatum Angelis, & homini in statu iustitiæ originalis, & animæ Christi: vel est donum collatum creaturæ, in qua mala merita præcedunt, quale est donum gratiæ, quæ nobis confertur per merita Christi, illa enim est gratia Redemptoris, & hominis redempti; vt dictum est lib.6. cap.6.28. & 29. Prima igitur gratiæ acceptio ad institutum non facit,tum quia illam gratiam, qua creati sumus homines, etiamsi ita appellandam non immeritò intelligimus (vt verbis Episcoporum Concilij Mileuitani in dicta Epistola 95. vtar) mirum est tamen, si ita appellatam in vllis legitimis, propheticis, Euangelicis, Apostolicisque literis legimus. Tum etiam quia, quando Catholici disputant, aut contra Pelagianos de necessitate gratiæ ad piè viuendum, aut de illius efficacitate contra Caluinistas, & Lutheranos, nomine gratiæ non intelligunt donum creationis, quo nobis naturam, & voluntatem gratis donauit, neque etiam influxum,seu concursum illum generalem naturæ aliquo modo debitum, quo nos conseruat, & nobiscum ad singulas operationes quodammodo naturaliter concurrit: sed intelligunt aliquod donum, & auxilium naturæ superadditum eleuans homines supra vires naturales ad bonum supernaturale specialiter volendum, & operandum. Rursus non de quouis dono supernaturali est hîc nobis sermo, sed solùm de dono supernaturali, quod ex meritis Christi Redemptoris nobis tanquam indignis,& peccatoribus confertur ad hoc, vt à peccatis purgemur, & Diaboli, mundi, ac propriæ concupiscentiæ tentationes multipliciter oblatas superando, iustè ac piè viuentes, quod bonum est, & placitum in oculis Dei operemur.

Augustin.

Hieron. Concil. Mileuit.

IV. Hoc igitur modo accepto nomine gratiæ, quo solùm modo eodem nomine hîc nos vtemur, diuiditur ipsa gratia prima, ac generalissima sui diuisione in gratiam gratum facientem, & gratiam gratis datam. Gratia gratum faciens est donum supernaturale specialiter à Deo collatum ad propriam salutem eius, cui confertur principaliter ordinatum. Gratia gratis data est donum supernaturale gratis à Deo collatum ad aliorum ab eo, cui confertur salutem, principaliter ordinatum. Hinc apparet, hæc duo genera gratiarum in aliquo conuenire, & in aliquo distingui: conueniunt enim in hoc, quòd vtrunque est donum supernaturale gratis, & absque vllis meritis homini collatum. Vnde gratia gratis data non ideo dicitur gratia gratis data, quòd ipsa sola gratis detur, gratia verò gratum faciens ex meritis conferatur, esset enim sensus falsus, & erroneus, quia vtraque absque vllis prorsus meritis nobis confertur. Si enim gratia esset ex meritis, iam non esset gratia; sed ideo vocatur gratis data, quia proprium, & specificum illius nomen ignorantes, nomine generis illam nuncupamus, sicut appellamus tertiam personam in diuinis Spiritum sanctum, cùm tamen & Pater, & Filius sit Spiritus, & sit sanctus. Differunt verò,quia gratia gratum faciens principaliter ordinatur à Deo ad salutem eius, cui confertur, licèt minus principaliter ordinetur etiam ad salutem aliorum, quatenus homo per Dei gratiam iustificatus, & sanctificatus vitæ exemplo est aliis causa salutis. Hic enim est sensus literalis verborum illorum Apostoli ad Ephes.5. *Omnia autem, quæ arguuntur à lumine manifestantur, omne enim, quod manifestatur,lumen est. Propter quod dicit, Surge qui dormis,& exurge à mortuis, & illuminabit te Christus*. Quæ non satis aptè intelligi possunt de illuminatione, qua peccatores auxilio gratiæ excitantis, & præuenientis à Deo illuminantur, vt peccatorum suorum turpedinem videntes, exurgant à somno vitiorum, & à morte æterna per gratiam iustificantem, illa enim illuminatio antecedit, non sequitur spiritualem resurrectionem ex mortuis, vt Paulus hîc dicere videtur. Loquitur ergo de homine per Dei gratiam sanctificato, & iustificato, cuius vita per sanctam conuersationem sit aliis lumen ad propria peccata intelligenda & arguenda, quemadmodum Luna à Sole illuminata illuminat noctem; Iusti nanque in diuinis Scripturis appellantur lux mundi, Isaiæ cap.49. *Dedi te in lucem gentium*. & Matthæi 25. *Vos estis lux mundi*. Econtrario gratia gratis data principaliter tribuitur à Deo, & ordinatur ad salutem non eius, cui confertur, sed aliorum: quanuis minus principaliter ordinetur etiam ad propriam salutem, quatenus homo alienæ saluti solerter incumbendo Deum propitium sibi reddit, & si id faciat in gratia constitutus, plurimum apud Deum meretur iuxta aureum illud dictum Cypriani, *Omnium*

Cyprian.

Digitized by Google

Omnium diuinarum actionum præcipua est Deo cooperari ad salutem animarum. Est etiam alia differentia inter hæc duo genera gratiarum, quòd gratia gratum faciens omnem culpam lethalem expellit, neque illam secum esse patitur in eodem subiecto: quia, vt D. Thomas notat 1.2. q.111. art.1. illa nobis tribuitur, vt per ipsam Deo coniungamur. At gratia gratis data potest esse cum peccato mortali in eo, cui confertur. Nam prophetia enumeratur inter gratias gratis datas, & tamen Caiphas homo perditissimus verè prophetauit. Ioannis 11. Et gratia virtutum similiter est gratia gratis data, & tamen multi erunt, qui in die Iudicij dicent Christo: *Domine nónne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo Dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc Christus confitebitur illis, quia nunquam noui vos, discedite à me, qui operamini iniquitatem.* vt est apud Matthæum c.7. Et huius rei est ratio, quia gratia gratis data non datur ad hoc, vt homo illam recipiens per eam iustificetur, sed vt ipse potiùs ad alterius iustificationem cooperetur, vt D. Thomas ibi subiungit. D.Thom.

V. Gratias gratis datas enumerat D. Paul. in priori ad Corinth. cap.12. videlicet sermonem sapientiæ, sermonem scientiæ, fidem, gratiam sanitatum, operationem virtutũ, prophetiam, discretionem spirituum, genera linguarum, interpretationem sermonum. *Hæc autem omnia* (inquit) *operatur vnus atque idem spiritus diuidens singulis prout vult.* Circa hanc enumerationem aduertendum, Apostolum in eo loco præcipuas gratias gratis datas enumerasse, non tamen omnes: multæ nanque sunt gratiæ gratis datæ præter ibi enumeratas, sicut ex eodem Apostolo colligitur in Epistola ad Ephesios cap.4. cùm ait, *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem Pastores & Doctores, ad consummationem Sanctorum in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi.* Immo verò numerum gratiarum gratis datarum solus ipse Deus, qui est illarum autor, scire potest: quia ipse diuidit singulis, prout vult, vt idem Paulus ait. Vlteriùs notandum est, gratias gratis datas aliquas conferri per modum habitus, vt sunt sermo scientiæ, sermo sapientiæ, non tamen omnes. Nam donum prophetiæ non habebant Prophetæ per modum permanentis, sed solùm in actu secundo, & per modum actualis cuiusdam illuminationis, & motionis, excepta anima Christi, in qua fuerunt gratiæ gratis datæ per modum habitus, & permanentis, vt Theologi docent post D. Tho.3. p.q.7.a.7.& 8. De gratiis gratis datis, & multiplici illarum diuisione videatur idem D. Thomas 1.2. q.111.a.4. Nam hîc fusiùs de illis tractare res est minimè necessaria. D.Thom.

VI. Tandem circa hanc primam diuisionem gratiæ in gratum facientem, & gratis datam aduertere oportet, quòd quemadmodũ nomine gratiæ gratis datæ intelligitur omne donum supernaturale gratis homini collatum, ordinatum, principaliter ad alterius salutem: ita nomine gratiæ gratum facientis intelligitur omne donum supernaturale principaliter ordinatum ad illius salutem cui cõfertur. Vnde sub gratia gratum faciente comprehenditur non solùm gratia præueniens, & gratia habitualis, qua homo formaliter fit iustus, sed omne augmentum eiusdem gratiæ, & omne auxilium actuale, quod specialiter homini confertur à Deo siue vt mundetur à peccato, siue vt iustitia illi augeatur, siue vt in bono perseueret, siue vt fructus iustitiæ operetur, & operà æternæ vitæ condigna, & meritoria efficiat, hæc enim omnia sub nomine gratiæ gratum facientis recte comprehenduntur. Vnde apparet hanc primam diuisionem esse generalissimam, diuidentem adæquate totum genus gratiæ, quidquid contra sentiat Vasquez 1.2.q.111. a. 1. licet enim ibi D. Thom. ad primum nomine gratiæ gratum facientis videatur intelligere gratiam sanantem, & iustificantem per modum habitus: non tamen negat, quin etiam speciale auxilium, quo Deus præparat voluntatem ad sanctitatem recipiẽdam, & illam actu in animam inducit per liberum hominis consensum, & introductam iugiter seruat, & auget, non possit gratia gratum faciens legitimè appellari. Immo verò cùm dicat, gratiam gratum facientem illam esse, per quã homo Deo coniungitur, & gratiam gratis datam esse illam, per quam homo cooperatur alteri, vt ad Deum reducatur, & omnis gratia homini collata à Deo, vel sit ordinata in propriam salutem eius, cui confertur, vel in salutem alterius, cui Deus vult hominem cooperari, & præter hæc duo genera nullum aliud genus gratiæ demonstrari possit, apparet, hanc esse adæquatam, & generalissimam gratiæ diuisionem. Qua constituta ad assignandas, & explicandas alias gratiæ diuisiones pergamus. Vasquez.

CAPVT II.

Secunda diuisio gratiæ gratum facientis in actualem, & habitualem.

I. PRætermissa gratia gratis data, diuiditur gratia gratum faciens in actualem, & habitualem. Gratia actualis est speciale Dei auxilium supra vires & ordinem naturæ per modum actualis motionis homini collatum, quo ad opus iustificationis consummãdũ præparatur, & adiuuatur. Dicitur speciale auxilium ad differentiam generalis auxilij, & concursus, quo Deus vt autor naturæ concurrit cum voluntate creata, & qualibet secunda causa ad quamlibet illius operationem, de quo dictum est lib. præcedenti controu. 3. & 4. per totum. Quam ob causam additur in definitione, *supra vires, & ordinem naturæ*; quia auxilium Dei generale datur creaturæ ad perficiendas operationes, quæ illius vires naturales non excedunt. Cæterùm istud auxilium speciale gratiæ gratum facientis datur homini ad eliciendas illas operationes, quæ naturales vires excedunt, quod multipliciter contingere potest. Nam potest aliqua operatio excedere vires naturæ quoad substantiam eiusdem operationis, quo pacto actus fidei, spei, & charitatis dicuntur actus supernaturales, id est, supra vires naturæ, & totum opus iustificationis dicitur opus supernaturale, quia ad hoc opus vires totius naturæ creatæ non sufficiunt; ob quam causam dixit Augustinus tract.72. in Ioann. opus iustificationis esse maximum opus Dei, & maius opus, quàm creare cœlum & terram. Secundò potest aliqua operatio excedere vires naturæ non integræ, sed sauciatæ, ac deprauatæ, sicut mouere ingentem aliquam molem excedit vires hominis ægri, quod non excedit vires eiusdem hominis quando est sanus. In hoc sensu dixit Augustinus lib. de bono perseuerantiæ c.7. & lib. de Corrept. & gratia c.10. & 11. quòd poterat Adam in statu innocentiæ propriis viribus, omnes Diaboli tentationes superare, & in ea rectitudine, in qua conditus August.

Digitized by Google

conditus est, permanere, si voluisset. Nunc autem sauciatus,& viribus debilitatus,sine speciali, & supernaturali Dei auxilio id efficere non potest. *Vt non discedamus*, inquit, *à Deo, non ostendit dandum nisi a Deo,cùm poscendum ostendit à Deo.Qui enim non infertur in tentationem, non discedit a Deo. Non est hoc omnino in viribus liberi arbitrij, quales nunc sunt: fuerat in homine antequam caderet.* Quod tamen non ita est intelligendum, vt etiam in illo statu non egeret homo auxilio gratiæ adiuuantis ad vincendas tentationes; sed quòd maiori auxilio indiget nunc, quàm tunc, vtpote per peccatum sauciatus, ac debilitatus. Tertiò potest aliqua operatio excedere vires naturæ ob circunstãtias loci,temporis, personæ, & aliorum concurrentium, ob quam causam id opus, quod ex sui natura vires naturæ non excedit, potest illud excedere ratione circunstantiarum concurrentium. Verbi gratia potest homo ex viribus naturæ aliquod præceptum legis obseruare saltem quoad substantiam operis, si non adsit diabolica tentatio, quod tamen absque speciali auxilio supernaturali efficere non poterit,si graui tentatione diabolica vexetur. Secundò dicitur istud auxilium speciale homini collatum per modum actualis motionis, & per hoc distinguitur à gratia iustificante, quæ animæ inhæret per modum habitus: quia auxilium actuale non confertur, vt habitus permanens,sed vt actus secundus,& motio actualis habens esse transiens, & in fieri. Tertiò dicitur, quòd per huiusmodi auxilium homo præparatur, & adiuuatur ad opus iustificationis consummandum: Multiplex enim est auxilium speciale quod Deus nobis confert, vt à peccatis iustificemur, aliud quo voluntates nostras præuenit, excitat, præparat, & disponit ad gratiam iustificationis suscipiendam: aliud quo adiuuat,cooperatúrque nobiscum,& nos comitatur, tum ad actum liberi consensus eliciendum,tum vt in bono semel cæpto perseueremus vsque in finem; & hæc omnia sub nomine gratiæ gratum facientis actualis comprehenduntur, vt ex Augustino & aliis statim ostendemus. Gratia gratum faciens per modum habitus, & permanentis est qualitas supernaturaliter nobis infusa per modum habitus, & permanentis, per quam formaliter denominamur Deo grati, sicut paries denominatur formaliter albus non ab actione artificis, quæ est albificatio, sed à forma & albedine ipsi parieti inhærente per modum permanentis.

II. Circa hæc duo genera gratiæ gratum facientis animaduertendum est. Primò nomine gratiæ gratum facientis, iustificantis,& sanantis sanctos Patres non intelligere solùm gratiam, quæ animã sanat, iustificat,& gratam Deo reddit formaliter, vt forma,& habitus,& qualitas permanenter animæ inhærens,sed etiam gratiam, qua homo sanatur,iustificatur, & fit Deo gratus per modum motionis actualis, & causæ efficientis. Quemadmodum enim secundùm corpus homo duobus modis fit sanus, vno modo per motionem actualem, quæ est medicamentorum applicatio, & per modum causæ efficientis:Alio modo per acquisitionem formæ, quæ est sanitas, & per modum causæ formalis:Ita quoad animam duobus modis dicitur à Deo sanari, & iustificari, vno modo per actualem motionem gratiæ præuenientis, comitantis,excitantis, adiuuantis, operantis, & cooperantis: alio modo per infusionem gratiæ habitualis. Vnde nomine gratiæ iustificantis, sanantis,& gratum facientis sancti Patres contra Pelagium de gratia disputantes non intelligebant solam gratiam gratum facientem, & sanantem per modum habitus & permanentis, sed etiam auxilium actuale gratiæ præuenientis,& subsequentis operantis, & cooperantis, vt euidenter colligitur ex Concil. Mileuitano, in quo errores Pelagij iterum fuerunt damnati c.3.Hæc enim illius sunt verba. *Item placuit, vt quicunque dixerit gratiam Dei,in qua iustificamur per Iesum Christum Dominum nostrum, ad solam remissionem peccatorum valere, quæ iam commissa sunt, non etiam ad adiutorium, vt non committamur,anathema sit.* Et can.4.& 5.apertè vocat gratiam iustificationis auxilium actuale, quo nobis Deus præstat, vt facienda intelligamus, & facere velimus,& faciamus, & Dei præcepta impleamus. Eadem verba referuntur etiam in Concilio Africano sub Bonifacio Papa centũ & quinque Episcoporum c. 78. cuius verba referuntur à Gratiano in decreto c. placuit, vt quicunque.de consecrat.d.4. Immo verò cùm Patres contra Pelagium de gratia sanante, & iustificante disseruerunt,de sola gratia, quæ est auxilium actuale, nũquam verò de gratia habituali videntur locuti. Nam gratiam iustificãtem, quæ consistit in remissione peccatorum, quæ scilicet est ipsa formalis peccatorum remissio, & ablutio, quam propter hãc causam Augustinus consueuit appellare gratiam remissionis peccatorum,vt patet in eius epistola 105. Pelagius non negabat, sed illius necessitatem vltrò confitebatur, sicut ipsemet Augustinus fatetur in lib. de natura & gratia c.25. & lib. de gratia, & lib. arbitr. c.13. & lib.6. contra Iulianum c.11. Negabat verò necẽssitatem gratiæ, quæ est speciale auxilium actuale adiuuans hominem ad bonum inchoãdum, & perficiendum: & de necessitate gratiæ hoc modo acceptæ fuit tota concertatio inter Catholicos, & Pelagianos.

Concil. Mileuitan. Concil. African. Augustin.

III. Secundò aduertendum est, non leuem extitisse, & esse nunc etiam controuersiam non solùm inter Catholicos, & hæreticos, sed etiam inter Catholicos ipsos circa gratiam habitualem,an sit certum,dari gratiam gratum facientem, quæ sit qualitas, & habitus creatus formaliter animæ nostræ inhærens per modum permanentis, & qua certitudine hoc sit credendum: nam recentiores hæretici quemadmodum negãt hominem iustificari, aut iustum esse per iustitiam ipsi formaliter inhærentem, contendúntque sola Christi iustitia nobis imputata nos iustificari; ita negant, vllam iustitiæ partem in aliquo habitu seu qualitate nobis inhærente sitam esse, sed in sola gratuita Dei acceptione consistere affirmant. Caluinus in Antiodoro ad c.7. Sessionis 6.Concil. Trident. ita ait. *Falsum esse contendo, vllam iustitiæ partem in qualitate sitam esse, vel habitu, qui nobis resideat,sed gratuita acceptione nos esse iustos.* Kemnitius in 1.p.examinis Concilij Tridentini reprehendit Concilium quòd in qualitatibus, & virtutibus infusis gratiam iustificationis constituerit, Tilmannus Heshusius, referente Card. Bellarmin. lib.1.de Gratia,& lib.arbitr. c.3. reprehendit Catechismum Conc. Trid. quòd definierit gratiam gratum facientem esse qualitatem animæ inhærentem.

Caluinus. Kemnitius. Heshusius.

Ex Catholicis Magister sententiarum in 1.d. 17 dixit charitatem, qua Deum & proximum diligimus,non esse donum creatum, & habitum infusum,sed ipsummet Spiritum sanctum specialiter nobis inhabitantem, & ad actus charitatis per seipsum immediatè absque vllo habitu nobiscum concurrentem; quam ob causam ille in hoc

Magister.

ab

ab omnibus Theologis relinquitur. Immo inter errores per facultatem Parisiensem damnatos capite 33. quod est de articulis in quibus Magister sententiarum communiter non tenetur. Primus articulus talis est, quòd *charitas, qua diligimus Deum, & proximum, est Spiritus sanctus.* Vel quòd *charitas, quæ est amor Dei, & proximi, non est aliquid creatum.* Verùm circa hanc sententiam Magistri primò aduertendum est, illum non negare actum dilectionis, quo nos diligimus Deum, & proximum, esse actum creatum. hoc enim planè docet: sed solùm affirmare, Spiritum sanctum ad hunc actum eliciendum cum voluntate creata immediatè concurrere per seipsum absque intermedio habitu creato, vel per influxum simultaneum in ipsam actionem, quæ est dilectio, vel etiam per influxum prævium in ipsam voluntatem, illam ad dilectionem accendendo. quod illa eius verba in c.6. eiusdem distinctionis demonstrant, cùm inquit, *Deus Spiritus sanctus cùm datus fuerit homini, accendit eum ad diligendum Deum, & proximum, & ipsa dilectio est. Non enim habet homo, unde diligat Deum, nisi ex Deo.* Quæ sunt verba Augustini lib.15. de Trinit. cap. 17. Secundò aduertendum est, licèt Magister dixerit, Spiritum sanctum immediatè per seipsum concurrere cum nostra voluntate ad producendum actum dilectionis, nullibi tamen docuisse Spiritum sanctum immediatè per seipsum hominem iustificare absque vllo habitu infuso, aut aliqua qualitate creata homini inhærente. Immò oppositum non semel, neque obscurè docuit: nam in eodem primo lib. d. 37. c.5. docet, Deum non solùm habitare in adultis per actum cognitionis, & dilectionis, quo illi Deum cognoscunt, & diligunt, sed etiam in paruulis per Baptismum sanctificatis, illum nondum cognoscentibus, & diligentibus: in quibus cùm non possit inhabitare per aliquem actum cognitionis, aut dilectionis, necesse est dicere, Magistrum sentire, Deum in illis paruulis habitare per aliquem habitum illis infusum. Adhuc in 2. d.27. docet, gratiam esse virtutem, quam definit, esse bonam qualitatem mentis, & c.5. deducit, quòd si gratia, quæ sanat & liberat voluntatem hominis, virtus est, cùm ipsa gratia non sit ex libero arbitrio, sed potiùs voluntatem sanet, & præparet, consequens est, vt etiam virtus non sit ex libero arbitrio. Et ob hãc causam concludit, veram esse sententiam illorum, qui aiunt, gratiã virtutem esse, quæ est bona qualitas mentis, illam informans, qua liberum arbitrium ad bonum iuuatur, mouetur, & erigitur, & sunt hæc illius verba inter alia: *Propterea quidam non inerudite tradunt, virtutem esse bonam mentis qualitatem, siue formam, qua animam informat, & ipsa non est motus, vel affectus animi, sed ea liberum arbitrium iuuatur, vt ad bonum moueatur, & erigatur, & ita ex virtute & libero arbitrio nascitur bonus motus vel affectus animi. Et exinde bonum opus procedit exterius, sicut pluuia rigatur terra, vt germinet, & fructum faciat, nec pluuia est terra, nec germen, nec fructus, nec terra germen, vel fructus, nec germen fructus; ita gratis terra nostra, id est, arbitrio voluntatis infunditur pluuia diuinæ benedictionis, id est, inspiratur gratia, quod solus Deus facit, non homo, cum eo, quia rigatur voluntas hominis vt germinet, & fructificet, id est, sanatur, & præparatur, vt bonum velit secundum quod dicitur operans, vt bonum faciat; secundùm quod dicitur cooperans; & illa gratia virtus non incongruè nominatur, quia voluntatem hominis infirmam sanat, & adiuuat.* Ecce vocat gratiam virtutem, qualitatem & formam animam ipsam informantem, nihil clarius dici poterat. Sed adhuc clarius in 4. sententiarum, vt ostenderet ex vna parte sacramenta vere gratiam causare, & ex altera animaduerteret, gratiam creari in anima d.5. c.vlt. in eã deuenit sententiam, vt probaret sacramenta esse causas instrumentales diuinæ virtutis ad creãdam ipsam gratiam.

Art. Par.

Ex his satis euidenter, si non fallor, apparet sententiam Magistri nostri vindicatam manere ab errore, quem nonnulli Scholastici gratis illi imponunt, quòd scilicet negauerit gratiam esse qualitatem creatã animæ inhærentem, sicut illam vindicat Scotus in 1. d.17.q.1.art.3. & post illum venerabilis P. Andreas Vega lib.7. de iustif. at. c.24. & Card. Bellarmin. lib.1. de Gratia & lib. arbitr. c.3.

Scotus. Andr. Vega. Bellarm.

Post Magistrum sententiarum Thomas VValdensis acerrimus impugnator errorum Ioannis VVicleffi tomo 3. tit.1. cap.1.n.9. quædam habet, quæ videntur hãc sententiam redolere, quòd gratia non sit aliquod donum creatum, sed ipsemet Deus specialiter in hominibus iustis inhabitans. Sic enim ait: *Si tamen velit Pelagius errorem suum sustinere, quem vocat metaphysicam de essentia accidentis, quòd scilicet nihil sit gratia præter spiritum Deo gratum, non autem aliquid potens per se esse spiritum collinitum. O Redemptorem damnati Pelagy! ô Saluatorem sæculi! Origenes si sic sensit de essentia gratiæ, vt tu dicis forte sensisse, iam Catholicus est, etiam sine causa damnatus est.*

III. Th. VVald.

Albertus Pighius vir alioquin Catholicus & doctus lib. 5. de libero arbitrio dicit, opinionem, quæ asserit, gratiam esse qualitatem animæ nostræ concreatam, vel eandem cum habitu charitatis, vel distinctam ab illo, commentitiam esse, nullúnque habere fundamentum in diuina Scriptura.

Bartholomæus Medina in Comment. 1. 2. D. Thom. quæst.110. art. 2. conclus. prima fatetur quidem dogma temerarium esse, negare gratiam, & charitatem esse qualitates diuinitus infusas animæ inhærentes, sed tamen subiungit hanc secundam conclusionem, quòd non est certum secundùm doctrinam fidei, quòd gratia sit habitus infusus in anima inhærens, quia hoc neque colligitur ex sacris literis, neque ex traditione Ecclesiæ, neque ex definitionibus Conciliorum. Et quia definitio Concilij Tridentini illius sententiæ officere videtur, nititur illam sic exponere, vt mens Concilij non fuerit definire, nisi quòd hominis iustificatio fit per interiorem hominis renouationem, & non per solam externam acceptationem, aut non imputationem peccati, vt Lutherani contendebant. Cæterùm quòd interior hominis renouatio, quæ dicitur iustificatio, fiat per infusionem alicuius qualitatis, siue habitus inhærentis, aut per solam diuinam motionem actualis auxilij, hoc indecisum reliquisse. Citátque in hanc sententiam Dominicum Sotum in secundo libro de natura & gratia c.18.

IV.

In hac difficultate duo videntur dicenda. Primum, Gratiam iustificantem, qua formaliter efficimur, & denominamur iusti, ac Deo grati, & accepti, esse qualitatem creatam à Deo animæ infusam, illíque inhærentem per modum habitus, & permanentis, siue illa sit verè habitus, siue non, siue sit idem habitus cum charitate, siue distin

distinctus. Secundum hanc doctrinam post definitionem Concilij Tridentini esse doctrinâ fidei, ita vt oppositum affirmare non solùm sit dogma erroneum, sed manifestus error.

Concil. Trident. Probatur hoc postremum assertum ex definitione ipsius Concil. Trident. Nam sess. 6. c. 7. enumerans causas nostræ iustificationis, de causa formali sic ait: *Quanquam enim nemo possit esse iustus nisi cui merita passionis Christi Iesu Domini nostri communicantur: id tamen in hac impij iustificatione fit, dum eiusdem sanctissima passionis merito per Spiritum sanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui iustificantur, atque ipsis inhæret. Vnde in ipsa iustificatione cum remissione peccatorum, hæc omnia simul infusa accipit homo, fidem, spem, & charitatem.* & infrà: *Itaque veram, & Christianam iustitiam accipientes, eam ceu primam stolam pro ea quam Adam sua inobedientia sibi & nobis perdidit, per Christum Iesum illis donatam, candidam, & immaculatam, subeuntes statim renati conservare, vt eam perferant ante Tribunal Domini nostri Iesu Christi, & habeant vitam æternam.* Notanda sunt verba, diffundi charitatem in cordibus nostris, nobis inhærere, hominem in iustificatione accipere hæc omnia simul infusa, fidem, spem, charitatem; iustitiam esse stolam, id est, vestem, seu habitum (id enim significat ista metaphora) & hanc stolam custodiendam esse candidam, & immaculatam. Et vt omnis tergiuersandi licentia amputaretur in canone 2. sic ait: *Si quis dixerit, homines iustificari, vel sola imputatione iustitiæ Christi, vel sola peccatorum remissione exclusa gratia, & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum sanctum diffundatur, atque illis inhæreat; aut etiam gratiam, qua iustificamur, esse tantùm fauorem Dei, anathema sit.* Vbi apparet non solùm damnari eos, qui dicunt iustificationem fieri per solam externam imputationem, & fauorem, sed etiam eos, qui dicunt, fieri per remissionem peccatorum sine infusione gratiæ, & charitatis, quæ diffundatur in cordibus nostris, & illis permanenter inhæreat. Vnde non potest dici, quòd non fuerit mens Concilij definire, an remissio peccatorum & hominis renouatio fiat per infusionem alicuius qualitatis permanentis in anima, an per solam actualem motionẽ diuini auxilij: impropriissimè nanque diceretur actualis motio diffundi in cordibus nostris, & nobis inhærere, adhuc magis impropriè illa denotaretur per metaphoram stolæ aut vestis candidæ, cuius candorem iubemur omni diligentia custodire. Quis enim ita proiectè suos conceptus proferret, quis tã prodigè metaphoris abuteretur in re seria? adhuc ineptè in fusio gratiæ iungeretur cum infusione fidei, spei & charitatis: nam saltem constat, fidem manere habitu cessante actu credendi, & tamen Concilium eodem modo loquitur de infusione gratiæ & fidei: vnde si liceret reuocare in dubium, an gratia iustificans sit habitus, liceret etiam reuocare in dubium, an fides sit habitus, & an homo dum nõ actu credit, aut infans dum nondum habet vsum rationis, sit fidelis, & habeat verè fidem; quid enim prohiberet? nam vbi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus, vt iureconsultus docet.

V. Et quòd nostra interpretatio sit germana illius canonis intelligentia, conuincunt verba illa Catechismi eiusdem Concilij in cap. de Baptismo n. 5. *Est autem gratia, quemadmodum Tridentina Synodus ab omnibus credendum pœna anathematis proposita decreuit, non solùm per quam peccatorum fit remissio, sed diuina qualitas in anima inhærens, ac veluti splendor quidam, & lux, quæ animarum nostrarum maculas omnes delet, ipsasque animas pulchriores, & splendidiores reddit, atque id ex sacris literis apertè colligitur, cùm gratiam effundi dicant, eámque Spiritus sanctis pignus soleant appellare.* & n. 51. *Huic autem additur nobilissimus omnium virtutum comitatus, quæ in animam cum gratia diuinitus infunduntur.* Quæ verba indicant, ex sententia Concilij gratiam esse qualitatem infusam, & inhærentem animæ, sicut reliquos habitus virtutum, idque Concilium proponere omnibus credendum sub pœna anathematis.

Neque ista sententia Concilij, quæ docet gratiam esse qualitatem infusam animæ, & illi inhærentem, sicut cæteros habitus, est commentitia, & nullum habens fundamentum in diuina Scriptura. Colligitur enim ex sacris literis, & ex antiquissima Ecclesiæ traditione, ex quibus illam optimè, & euidenter deducunt Andreas Vega lib. 7. de iustificatione cap. 24. & Card. Bellarmin. lib. 1. de Gratia & lib. arb. cap. 4. Dicitur enim ipsa gratia diffundi in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis, ad Romanos cap. 5. Et pignus Spiritus sancti, quem Deus dat in cordibus nostris, & vnctio eiusdem Sancti Spiritus, secunda Corinth. cap. 1. & 1. Ioannis cap. 2. Vocatur etiam semen diuinum iugiter in nobis manens, & germinans, & fructificans, prima Ioannis c. 5. & lumen quoddam animam illuminans, eadem Epistola 1. c. 2. & in Psalmo 4. Ipsa nanque est lumen, de quo dicitur, *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine, tu dedisti lætitiam in corde meo.* vt Cassiodorus, & alij non pauci exponunt. Dicitur enim gratia consignatio quædam luminis diuini vultus, quia per illam potissimùm anima configuratur ad imaginem, & similitudinem Dei, quæ multo magis attenditur secundùm donum gratiæ, quàm secundùm donum naturale, vt non pauci Doctores circa primum caput libri Geneseos adnotarunt, exponentes verba illa: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* & gratiam metaphora lucis, & hominis denotari in diuina Scriptura, colligitur ex verbis Psalm. 42. *Emitte lucem tuam, & veritatem tuam.* & 126. *Vanum est vobis ante lucem surgere.* Lucæ 16. vbi filij gratiæ appellantur filij lucis. Et ad Rom. 13. vbi arma iustitiæ vocantur arma lucis. Et ad Ephes. 5. vbi fructus gratiæ appellatur fructus lucis. Immò verò gratia & peccatum opponuntur, sicut lumen, & tenebræ, vt patet legenti diuinam Scripturam, quibus tropis indicat ipsa Scriptura, diuinam gratiam non esse solùm actualem motionem diuini auxilij, sed aliquid inhærens, & permanens in anima per modum qualitatis, & habitus.

VI. Et hanc esse germanam intelligentiam diuinarum Scripturarum, non commentum gratis confictum, probat communis interpretatio, consensus, & autoritas priscorum Patrum, qui fuerunt longè ante tempora Magistri sententiarum. Nam in primis multi ex priscis Patribus exponentes illa verba Geneseos c. 1. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*: dicunt hanc imaginem, & similitudinem Dei animis nostris impressam, esse imaginem diuinæ gratiæ, & virtutem supernaturaliter nobis infusam, ita Ambrosius lib. 6. exaëmeron c. 8. Rupertus lib. 2. in Genesim cap. 5. & alij apud nostrum Ascanium Martinengum in Glossa Magna ad illum locum; quanuis alij referant ad alia rationem imaginis, atque similitudinis. Neque ista expositio est extranea à legitimo

Ambros.

mo ſenſu diuinæ Scripturæ, ſicut illa verba D. Pauli demonſtrant ad Roman. 8. *Quos præſciuit, & prædeſtinauit conformes fieri imaginis filij eius, quæ eſt conformitas per gratiam, & iuſtitiam.* Et clarius in priori ad Corinth.c.15. *Sicut portauimus imaginem terreni, portemus imaginem cælestis.* Et ad Coloſſ. 3. *Expoliantes vos veterem hominem cum actibus ſuis, & inducentes nouum eum, qui renouatur in agnitionem ſecundum imaginem eius, qui creauit illum.* Quam ex-
Irenæus. plicationem D.Irenæus apertis verbis notauit lib. 5.contra hæreſes c.5. dicens, *Cùm autem ſpiritus cõmixtus anima vnitur plaſmati, propter effuſionem Spiritus, ſpiritalis & perfectus homo factus eſt. Et hoc eſt, qui ſecundùm imaginem, & ſimilitudinem factus eſt Dei.* Diuus quoque Cyprianus lib.2. Epi-
Cyprian. ſtola 2.vocat gratiam lumen deſuper nobis infuſum, & vitam virtutum,& mortem criminum.D.
Ambroſ. Ambroſius lib.6.in Exæmeron c.8.expendens illa verba.*Faciamus hominem ad imaginem,& ſimilitudinem noſtram*, inquit, *Vtrùm iuſtificatio ſecundum corpus, an ſecundùm animam tibi conferri videatur, quæſo reſpondeas. Sed dubitare non potes, cùm iuſtitia, vnde iuſtificatio derivata eſt, mentis tuæ vtique, non corporis ſit. Pictus es ergo ô homo, & pictus à Domino Deo tuo; bonum habes artificem, atque pictorem, noli bonam delere picturam, non fuco, ſed veritate fulgẽtem, non cera expreſſam, ſed gratia.* Quibus in verbis non ſolùm docet, hominem factum eſſe ad imaginem Dei per gratiam inhabitantem: ſed etiam gratiam eſſe formam animæ immanentem,& inhærentem, veluti picturam, donec per peccatum deleatur.D.
Baſil. Baſilius lib. de Spiritu ſancto c.26. vocat gratiam virtutem ſpiritualem videndi, in oculo mentis exiſtentem,& artem, & ait: *Quemadmodum ars eſt in eo, qui actus eſt illam: ita gratia ſpiritus in eo, qui recipit ſemper quidem præſens, at non perpetuò operans.* Ecce ſecundùm Baſilium, Gratia ita eſt in anima per modum habitus, vt quandoque careat operatione,& maneat ſolùm in actu primo. Hieron. in
Hieron. præfatione in Threnos Ieremiæ vocat gratiam ornamentum animæ, & veſtem, quo ornamento illa expoliatur per peccatum, quod innuit parabola hominis deſcendentis ab Ieruſalem in Hiericho, qui incidit in latrones, qui ſpoliauerunt eum, videlicet gratia, & ornamentis ſpiritualibus, vt exponunt Aug. lib.3. Hypognoſticon, & Beda
Auguſt. Beda. in c.10. Lucæ, & ipſe Auguſtinus apertè fatetur charitatem eſſe virtutem infuſam,& formam ani-
Cyrillus. mæ & virtutum, vt ex illo notat Vega. Cyrillus Alexandrinus lib.1. in Ioann.c.15. & lib.2.c.3. & clariſſimè lib.4.in Iſai. circa c.44. vocat gratiam lumen infuſum, & ornatum animæ illi inhærentem, & inſidentem, & formam, & characterem animam noſtram reformantem.

Ad hæc Innocentius tertius in c.maiores.de Baptiſmo, & eius effectu, probat illam ſententiam, quæ docet gratiam, & virtutes eſſe habitus infuſos tanquam communem, & veram, quam poſt Innocentium probauit Clemens Quintus in Cõ-
Conc.Vien. cilio Viennenſi tanquam veriorem, & conformẽ non ſolùm Scholaſticis, ſed etiam dictis Sanctorum Patrum. Ex quibus habemus, vnde refutare poſſimus illorum ſententiam, qui dicunt, hanc doctrinam vſque ad tempora Magiſtri ſententiarum ſemper dubiam fuiſſe in Eccleſia.

VII. Eandem aſſertionem præter autoritates diuinę Scripturæ,& antiquam Eccleſiæ traditionem poſſumus optimis rationibus confirmare.Primò,quia niſi admittamus,gratiam,& iuſtitiam habitus eſſe infuſos,& in nobis permanentes, neceſſariò co-

gemur admittere, paruulos, & dormientes non poſſe dici verè iuſtos, quia in illis nulla fingi poteſt actualis motio diuini auxilij, aut iuſtitiæ operatio. Conſequentia probatur, quia ſicut nullus dicitur iniuſtus, niſi vel propter habitum, vel propter actum iniuſtitiæ in illo exiſtentem; ita nullus dici poteſt iuſtus, niſi ob actum, vel habitum iuſtitiæ. Et ſanè cùm baptizatur paruulus,ſi ille nullum recipit habitum iuſtitiæ infuſum,quomodo verè poteſt dici iuſtus, aut iuſtificatus?

Secundò fides,ſpes, & charitas ſunt habitus in nobis manentes etiam tranſacta ipſa operatione, aliàs Chriſtianus dormiens, & puer etiam baptizatus non eſſet verè fidelis.& Paul.ad Cor.1.c.12. dicit: *Nunc autem manent hæc tria, fides, ſpes, charitas.* Ergo etiam gratia eſt habitus permanens, quæ nanque maior eſt ratio de hac, quàm de virtutibus?

Tertiò eſt dogma fidei certum,Sacramenta nouæ legis gratiam cauſare.Sed ſi ponamus gratiam in ſola actuali motione diuini auxilij conſiſtere, vix,ac ne vix quidem poterit declarari, quomodo Sacramenta gratiam conferant, & cauſent. Propter has,& alias rationes, quæ videri poſſunt apud Vegam loco citato, & multo magis propter definitionem Eccleſiæ, & autoritatem diuinæ Scripturæ, arbitror ſecundùm fidem Catholicam dicendum,dari gratiam non ſolùm actualem, ſed etiam habitualem,ſiue illa ſit habitus verè,& propriè dictus, ſiue non, ſiue ſit idem habitus cum habitu charitatis, ſiue ab illo diſtinctus. De hoc enim non curo, & parum refert vtrumuis ſententiam ſequamur, dummodo inconcuſſa fide teneamus,gratiam eſſe qualitatẽ à Deo infuſam animæ illi inhærentem,ac in illa permanentem. Iã conſequens eſt,vt ad alias gratiæ diuiſiones aſſignandas,& explicandas accedamus.

CAPVT III.

De partitionibus gratiæ in excitantem, & adiuuantem, præuenientem & ſubſequentem.

I. TErtia diuiſio gratiæ eſt in excitantem, & adiuuantem.hac generali,& vniuerſali diuiſione videtur diuidere, & complecti totum genus gratiæ iuſtificantis actualis Concilium Tridentinum ſeſſ.6.de iuſtific.c.5.cùm inquit:*Declarat præterea ipſius iuſtificationis exordium in adultis à Dei per Chriſtũ Ieſum præueniente gratia ſumendum eſſe, hoc eſt,ab eius vocatione, qua nullis eorum exiſtentibus meritis vocantur,vt qui per peccata à Deo auerſi erãt,per eius excitantem, atque adiuuantem gratiam ad conuertendum ſe ad ſuam ipſorum iuſtificationem eidem gratiæ liberè aſſentiendo diſponantur.* & cap.6. cùm ait: *Diſponuntur autem ad ipſam iuſtitiam, dum excitati diuina gratia, & adiuti, fidem ex auditu concipientes, libere mouentur in Deum,* &c. Ex quibus verbis apparet, Concilium nomine gratiæ excitantis intelligere gratiam,quæ hominẽ præuenit,vt à peccatis iuſtificetur, & nomine adiuuãtis intelligere auxiliũ,quo hominẽ adiuuat, vt liberè moueatur in Deũ per cõſẽſũ,& deteſtationẽ peccati. Et ſub hoc duplici mẽbro gratiæ excitãtis, & adiuuantis videtur tota illa ſeſſione cõprehẽdere omnia auxilia actualia, quibus Deus mouet liberũ arbitriũ

ad actum iustificationis, & opus ipsius iustificationis absoluit, quibuscunque aliis nomimbus à Doctoribus sint appellata.

Et colligitur hæc diuisio auxiliorum diuinæ gratiæ in gratiam excitantem, & adiuuantem, nõ solùm ex Patribus, sed etiam ex diuina Scriptura. Nam de vtraque simul loquitur liber Apocalyps. c.3.cùm inquit Deus. *Ego sto ad ostium,& pulso*(scilicet per gratiam excitantem) *si quis aperuerit mihi* (per liberum consensum) *introibo, & cœnabo cum illo, & ipse mecum*, per gratiam adiuuantem, quæ secum fert gratiam iustificantem, per quam opus iustificationis expletur. De sola excitante exponunt quidam illud Pauli ad Ephes. 5. *Surge, qui dormis,& exurge à mortuis, & illuminabit te Christus.* Sed vtrùm sit legitima expositio ipsi viderint. De gratia excitante absque dubio loquitur Psalmus 58. cùm ait, *Et misericordia eius præueniet me.* Eadem enim est gratia præueniens, & excitans, vt Concilium ibi fatetur. De adiuuante D. Paul. ad Rom.8. inquit, *Quoniam spiritus adiuuat infirmitatem nostram.*

Eiusdem diuisionis diuinæ gratiæ in excitantem, & adiuuantem sub eisdem terminis meminerunt D.Augustinus 2.de peccatorum meritis & remissione c.18.dicens, *Quòd à Deo nos auertimus, nostrum est, & hæc est voluntas mala. Quòd verò ad Deum nos conuertimus, nisi ipso excitante, atque adiuuante non possumus. Et hæc est voluntas bona.* Et D. Bernardus in lib. de Gratia & libero arbitr.dicés, *Conatus nostri & cassi sunt, si non adiuuentur,& nulli, si non excitentur.* Eiusdem diuisionis sub terminis gratiæ præuenientis,& comitantis, vel subsequẽtis meminit etiam D.Aug. de natura, & gratia c. 32.& lib.4.contra duas Epistolas Pelagianorum c. 6.& 11.& alibi.

Augustin.

August.

II. Circa hanc diuisionem primò obseruandum est,immediatum diuisum per gratiam excitantem, & adiuuantem non esse gratiam habitualem,contra nonnullos recentiores, qui dicunt hæc præcisa,& formalia verba: *Gratia siue accipiatur pro habituali dono, siue pro auxilio actuali, conuenienter diuiditur in gratiam excitantem, & adiuuantem.* sed esse solum auxilium gratiæ actualis. Id nanque conuincitur primò ex Concilio Tridentino, quod constat loqui de auxilio actuali, quo homo excitatur,& mouetur ad præstandum consensum diuinæ vocationi: ob quam causam vocat gratiam excitantem inspirationem,motionem, vocationé, tactum,& illuminationem. Qui termini non significant donum habituale, sed actuale auxilium. Secundò,quia donum habituale non præcedit iustificationem, sed est vltimus illius terminus formalis: Sed gratia excitans, de qua Concilium loquitur,iustificationem præcedit, & adiuuans comitatur actualem ipsam iustificationem. Tertiò, quia excitare,illuminare, inspirare, tangere, mouere,non est effectus habitus,aut formæ,qua talis est. Ac demum,quia ista diuisio gratiæ in excitantem,& adiuuantem,ex Patribus contra Pelagianos de necessitate gratiæ disputantibus est accepta, præsertim ex D.Aug.in lib.de natura, & gratia,& lib.1. de gratia Christi contra Pelagium, & libris contra duas epistolas Pelagianorum: Patres verò cùm de necessitate gratiæ excitantis,& adiuuantis contra Pelagianos disseruerunt, sine dubio de auxilio actuali locuti sunt, quia de gratia habituali, quæ est formalis peccatorum remissio,non erat illis cum Pelagianis controuersia,sed solùm de necessitate auxilij actualis ad bonum opus inchoandum,& perficiendum.

III. Secundò obseruandum est,gratiam excitantem non solùm appellari à Conciliis, & Patribus gratiam prœuenientem,sed aliis etiam nomimbus,nimirum vocationem, diuinam motionem, tactum diuinum, inspirationem, illuminationem, seu illustrationem, sanctam cogitationem, piam affectionem,siue immissionem sanctæ cogitationis,& piæ affectionis,tractum diuinum,instinctum Spiritus sancti,& præparationé voluntatis. His enim nominibus illam appellant Concilium Mileuitanum in Epistola ad Innocentium n.95. inter epistolas Augustini,Conc. II. Arausicanum,c.4.& 4. sequentib. Conc.Trid. sess.6. c.5. & 6.& Can.3.& 4.D.Augustin. in locis proximè allegatis,& lib.1.ad Simplic.q.2.de spiritu,& litera c.33.& 34. & de prædestinatione Sanctorum c.16. & alibi passim tom.7.ferè per totum.

Concil. Mileuitan. Concil. African. Concil. Trident. August.

Tertiò notandum, duobus modis gratiam dici excitantem,& adiuuantem. Vno modo in ordine ad opus iustificationis impij, ita vt illa dicatur excitans, quæ voluntatem impij præuenit, excitat, illuminat eius intellectum,immittit pias affectiones,& mouet ad peccata intelligenda, detestanda, & ad actum conuersionis in Deum eliciendum, & dicatur adiuuans, quæ adiuuat voluntatem ad hæc omnia efficienda. Alio modo in ordine ad quoduis pium opus non solùm ipsius iustificationis,sed etiam hominis iam iustificati, & in gratia existentis, ita vt dicatur gratia excitans, motio, & inspiratio,qua Deus voluntatem, aut intellectum mouet,& excitat ad quoduis pium opus cogitandum, & volendum,& illa dicatur adiuuans, qua voluntatem adiuuat ad volendum, & perficiendũ idem pium opus. Et licèt vtroque modo conuenienter accipi possit hæc diuisio gratiæ excitantis,& adiuuantis,tamen D. Augustinus & Concilia citata potissimum vtuntur hac diuisione iuxta primam acceptionem per cõparationem ad opus iustificationis. Et hoc diligenter aduertere oportet,quia Doctores nonnunquam confundunt gratiam excitantem cum prœueniente,& operante,& adiuuantem cum comitante, & cooperante. Nonnunquam verò diuidunt ipsam gratiam adiuuantem in prœuenientem,& comitantem,operantem,& cooperantem, & ingenia minùs cauta cõfundunt. Quod vt clariùs adhuc explicetur notãdum, nomen gratiæ adiuuantis dupliciter accipi à Doctoribus, nam aliquando sumitur vt nomen specificum significans certam speciem auxilij actualis contradistinctam à gratia excitãte, & prœueniente. Aliquando verò accipiunt hoc nomen tanquam nomen genericum significans quodcũque diuinum auxilium,siue illud prœueniat volũtatem,siue comitetur. Nã auxilium dicitur, quod adiuuat, & omne auxilium potest vocari gratia adiuuans. Vnde aliquãdo Patres confundunt gratiam excitantem cum adiuuante, vt fecit August. epistola 106.dicens, *In iis, qui per electionem gratiæ salui fiunt, adiutor Deus operatur & velle & operari.*

August.

IV. Quartò notandum,quòd gratia excitãs non vna,sed multiplex est. Nam primò illa diuiditur in gratiam excitantem externam, & internam. Externa est quælibet propositio cuiuscũque obiecti, per quam potest intensiùs excitari intellectus, & affectus hominis ad aliquod bonum cogitandũ,& volendum, siue talis propositio fiat per prædicationem, siue per visionem miraculorum. Interna verò duplex est, altera quæ vocatur sancta cogitatio, siue qua mouetur, illuminatur, & excitatur mens ad intelligendum, & cogitandum, quod

IV.

Digitized by Google

quod bonum, & honeſtum eſt. hanc enim eſſe ſpeciale Dei auxilium gratiæ præuenientis aperte docet D.Paulus,cùm ait. *Nõ ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis, quaſi ex nobis, ſed omnis noſtra ſufficientia ex Deo eſt.* Altera eſt pia voluntatis affectio,ſiue ſupernaturalis Dei motio, qua voluntas hominis præmouetur, accenditurque,& inclinatur ad appetendum quod bonum,& honeſtum eſt. Hanc enim gratiam excitantem neceſſariam eſſe ad voluntatem hominis præparandã ad opus iuſtificationis,conſtat tum ex Concilio Tridentino, quod vocat gratiam excitantem non ſolùm illuſtrationem, & illuminationem mentis,ſed etiam inſpirationem, & tactum cordis, & motum liberi arbitrij, ſeu voluntatis. Tum etiam ex eo, quia per peccatum originale non ſolùm eſt obtenebrata ratio, facta indiga ſupernaturalis auxilij ad intelligendum, & cogitandum quod iuſtum,& bonum eſt, ſed etiam voluntas eſt ſauciata, & ad malum inclinata, quæ niſi per Dei gratiam prius erigatur,& roboretur, bonum velle, & appetere non poteſt: hanc enim ob cauſam auxilia gratiæ præuenientis dicuntur animam ſanare, cauſaliter ſcilicet non formaliter, qui modus dicendi eſt vſitatus ab Auguſtino. De hac duplici gratia excitante interna, & externa loquitur Auguſtinus de ſpiritu, & litera c.34.dicens: Viſorum ſuaſionibus agit Deus,vt velimus,& vt credamus,ſiue extrinſecus per Euangelicas exhortationes,vbi & mandata legis aliquid agunt, ſi ad hoc admonent hominem infirmitatis ſuæ, vt ad gratiam iuſtificantem credendo confugiat,ſiue intrinſecus, vbi nemo habet in poteſtate, quid ei veniat in mentem. & lib.83.quæſtionum q.68. vbi ait. *Quoniam nec velle quiſquam poteſt, niſi admonitus,& vocatus ſiue intrinſecus, vbi nullus hominum videt, ſiue extrinſecus per ſermonem ſonantem, aut per aliqua ſigna viſibilia, efficitur, vt etiam ipſum velle Deus operetur in nobis.* Et D. Proſper lib.2. de vocat. Gentium cap.26. *Gratia quidem Dei in omnibus iuſtificationibus principaliter præeminet ſuadendo exhortationibus, mouendo exemplis, terrendo periculis, incitando miraculis, dando intellectum, inſpirando conſilium, cõque ipſum illuminando,& fidei affectionibus imbuendo.* De hac gratia excitante, & de multis modis, quibus Deus hominis mentem, & voluntatem excitat interiùs, & exteriùs mouendo, eleganter differunt Auguſtinus lib.1.ad Simplician.q.2.§. *Videmus alios aliter eiſdem rebus demonſtratis*, &c. & tractatu 26. in Ioan. circa illa verba, *Nemo venit ad me niſi Pater, qui miſit me*,&c.Et Proſper lib.contra Collatorem c.14. Gratiam excitantem externam videtur admiſiſſe Pelagius ex eodem Auguſtino lib.1. de gratia Chriſti c.3.7.33.34.35.& ferè per totum illum librum,in Epiſtola 107.& lib.de gratia,& lib. arbitr. c.13. Admittebat enim illam gratiam,qua proponuntur, & ſuadentur exteriùs credenda, & agenda. Vnde & dicebat, hanc gratiam conſiſtere in propoſitione legis, & Euangelij, & doctrinæ. Addit Aluarez diſput.1. Pelagium admiſiſſe non ſolùm neceſſitatem gratiæ excitantis externæ,ſed etiam aliquam gratiam excitantem, & præueniẽtem internam ad poſſe,videlicet internam illuminationem intellectus, & excitationem ſtupentis voluntatis; quanuis ſemper negauerit gratiã, qua Deus efficit, vt velimus, & etiam gratiam illam interiorem, quam admiſit ad poſſe, dixerit, non eſſe neceſſariam ſimpliciter,ſed ſolùm,vt per eam poſſet homo faciliùs diuina implere mandata: Addit quoque, poſt Pelagium Cæleſtium eius diſcipulum admiſiſſe, gratiam internam eſſe abſolutè neceſſariam non ad incipiendum, ſed ad perficiẽdum opus bonum, & opera virtutum. Verùm ſi legamus Auguſtinum lib.1. de gratia Chriſti c.7. ille nunquam aliam gratiam ſiue externam, ſiue internam agnouit,præter eam,quę conſiſtit in lege, & doctrina. Vnde propoſitis verbis Pelagij, quibus Catholicos deludebat,ſubiungit Auguſtinus. *In his omnibus non receſſit à commendatione legis, & doctrina, hanc eſſe gratiam adiuuantem diligenter inculcans.* Et in fine capitis: *Hoc eſt ergo, gratiam Dei ponere in lege atque doctrina.* Siue igitur Pelagius admiſerit gratiam internam, ſiue non, non potuit aliquam gratiam internam mouentem, & excitãtem voluntatem efficienter per piam affectionem, aut inclinationem, ſed ſolùm obiectiuè per propoſitionem legis,& doctrinæ. Vnde illa excitatio ſtupentis voluntatis ad ſummum poteſt eſſe obiectiua,non efficiens: quanuis fortaſſe nec etiam admiſerit Pelagius hanc excitationem ſtupentis voluntatis, quam ille nunquam ſtupentem appellauit. Et ideo excitationem illam Pelagianam Auguſtinus eod. lib.c.24. vocat excitationem legis, & doctrinæ forinſecus inſonantem, non intrinſecus operantem. Et reuera, quòd Pelagiani nullum agnouerint auxilium diuinæ gratiæ intrinſecus operantis,& mouentis ad opus ſupernaturale,etiam adiuuando poſſibilitatem, magnum argumentum eſſe videtur, quod non ſolùm ipſe Pelagius,ſed illius ſectatores longè poſt illum dixerunt,quantum quiſque poteſtatis habeat ad malum, tantum habere etiam ad bonum, vt apparet ex illorum aſſertionibus lib.6.c.8.recitatis.

Auguſtin.

Proſper.

V.

Auguſt.

Auguſt.

Demum circa gratiam excitantem dubium oritur, quid illa ſit,& in quo illius formalis effectus conſiſtat,præſertim loquendo de excitante interna, de qua ſolùm eſt hoc dubium, nam de excitante externa dubium eſſe non poteſt. Quidam igitur fatentur gratiam excitantem internam formaliter, & propriè nihil aliud eſſe, niſi actiones vitales ſanctæ cogitationis,& pię affectionis quas Deus in nobis ſine nobis operatur. Non quòd illæ, cùm ſint actiones vitales, poſſint produci à ſolo Deo,& ab illo ſolo eliciantur, intellectu, & voluntate hominis verè actiuè illas non eliciente, ſed ſolùm paſſiuè ad illas ſe habente,hoc enim eſt impoſſibile: ſed quia non eliciuntur à voluntate agente liberè per præuiam deliberationem, ſed agente, vt natura, & ſine deliberatione: eſt enim modus dicendi vſu receptus apud Theologos, vt ad illos ſolos actus voluntas dicatur agere, & actiuè ſe mouere,quos elicit præcedente conſilio, & deliberatione.In quo ſenſu dixit D.Thom.1.2. q.9.voluntatem non mouere ſeipſam erga finem, ſed ſolùm erga media ad finem: quia appetitus finis non eſt ex deliberatione præcedente,ſed è cõtrario ex appetitu finis voluntas mouetur ad conſulendum,& deliberandum de mediis.ita videtur docuiſſe Ruardus Taper art.7. pag.217. & 218. Quanuis enim dicat, gratiam præuenientem, qua Deus voluntatem præparat, & mouet, eſſe actualem motionem internam, & applicationem Dei applicantis, & mouentis ipſum intellectum, & voluntatem, & facientis, vt faciamus,vt ſæpe Auguſtinus ait; tamen hanc motionem, & applicationem non obſcurè indicat conſiſtere in ſancta cogitatione, & pia affectione,qui ſunt primi motus intellectus,& voluntatis,quos Deus operatur in nobis ſine nobis,qui ſunt ſemina,& rationes deliberãdi,& eligendi bonũ ſupernaturale.

VI.

Eandem ſententiam ſequuntur multi ex recentioribus, eámque late declarat, & probat Vaſquez 1. 1. diſput. 88. c. 6. & ſequentibus, dicens gratiam operantẽ, quã Aug. dicit Deum facere in nobis ſine nobis, eſſe ſanctam cogitationem, quæ antecedit conſenſum, & motum ſubitum voluntatis ex ipſa cogitatione ortum. Accipit verò pro eodem gratiam operantem, & excitantem, & præuenientem, vt c. 2. eiuſdem diſputationis adnotauerat. Vaſquez.

VII. Alij verò etſi concedant, primos motus intellectus, & voluntatis, qui ſunt ſancta cogitatio, & pia affectio præcedens conſenſum, & deliberationem voluntatis, poſſe aliqua ratione appellari gratiam excitantem, quatenus excitant voluntatem ad præſtandum liberum conſenſum diuinæ vocationi; tamen gratiam primò excitantem, quæ primò mouet intellectum, & voluntatem ad ſanctam cogitationem, & piam ipſam affectionem antecedentem liberum conſenſum, dicunt non eſſe formaliter aliquam actionem vitalem, aut intellectus, aut voluntatis, ſed cauſaliter tantùm. Quid autem illa ſit, fatentur hi autores, eſſe motionem quandam præuiam ad actus vitales intellectus, & voluntatis, qua iſtæ potentiæ eleuantur, & complentur ad eliciendos actus ſupernaturales. Cùm enim ſancta cogitatio, & pia affectio ſint actus ſupernaturales, licèt imperfecti, quatenus nõ procedunt ex deliberatione, à ſola natura produci nõ poſſunt: vnde neceſſe eſt, intellectum, & voluntatem præueniri, & eleuari per diuinam gratiam ad hoc, vt valeant hos actus elicere. Vnde prius eſt, hominem moueri, præparari, & excitari per gratiam Dei, quàm hos actus licèt imperfectos producere. Et ſic prima gratia excitans, & præueniens non eſt formaliter aliquis actus vitalis; ſed aliquid præuium ad illam, nempe motio quædam actualis, & virtuoſa quæ per modum compleméti eleuat hominem ſupra vires naturæ ad eliciendos hos actus, & ita ſentit ex recentioribus Aluarez diſp. 74. & 75. de Auxil. Aluarez.

Licet verò parum retuleritvtrauuis ſententiã ſequamur, & fortè ſit valde difficile explicare, quænam ſit motio actualis, qua intellectus, & voluntas mouentur ad hos motus indeliberatos, diſtincta ab ipſis motibus, cùm motio intellectus aliud nihil eſſe videatur, niſi cogitatio, & motus voluntatis aliud nihil quàm affectio, & cùm motio mouentis re non ſit diſtincta à motu paſſiuè recepto in mobili, nihilominus videtur ſecunda ſententia magis conformis modo loquendi Scripturæ, Conciliorum & Patrũ, præſertim Auguſtini, qui gratiam præuenientem, & excitantem vocant pulſationem, tactum cordis, vocationem, ſuaſionem, & excitationem. Hæc autem nomina ſatis indicant, gratiam excitantem eſſe motionem præuiam ad actus vitales: quia quod pulſatur & tangitur, & vocatur, recipit ictum pulſationis, tactus, & ſonum vocationis, antequam vt pulſatus, & tactus & vocatus aliquid agat, & reſpondeat. Et eodem modo prius eſt hominem excitari, quàm ſe excitare, & moueri, quàm ſe mouere.

VIII. Secundò Auguſtinus de hac gratia loquens ſæpe dicit, per illam Deum operari in nobis ſine nobis, & multa facere in homine, quæ non facit homo; licèt nullum bonum faciat homo, quod non faciat Deus. Ergo ſaltem in modo loquendi hæc ſententia habet fundamentum in doctrina D. Auguſtini.

Tertiò ſi gratia excitans eſt actio ipſa vitalis intellectus, & voluntatis, ſequitur, poſſe hominem elicere aliquem actum ſupernaturalem abſque auxilio gratiæ præuenientis, cum ſola gratia adiuuante, & cooperãte, & auxilium gratiæ præueniẽtis ſolùm eſſe neceſſarium ad actus ſupernaturales perfectos, & conſummatos, non ad imperfectos, & inchoatos, quod non videtur admittendum. Probatur ſequela. Nam iſti actus primi indeliberati ſunt actus ſupernaturales, licèt indeliberati; ſed ad hos actus non eſt neceſſaria gratia præueniens, & excitans, cùm ipſa gratia excitans, & præueniẽs conſiſtat in his actibus, & ſit ſola diuina cooperatio cum intellectu, & voluntate creata ad eoldem actus, alias ſi ad hos actus requiritur gratia præueniens, iam erit aliqua gratia primò excitans ad ipſos actus vitales, quæ non erit actus vitalis, aut dabitur proceſſus in infinitum.

Dicetur, nónne ipſa ſancta cogitatio, & pia cordis affectio eſt hominis excitatio? Reſpondeo, formaliter eſt excitatio, non cauſaliter, niſi in ordine ad actum vlteriorem, qui eſt conſenſus deliberatus. Addo etiam nunquam ſeparari excitationem formalem à cauſali, ſed eſſe inter illas ſolam prioritatem naturæ, non temporis: ſed de hac re inferiùs redibit ſermo, cùm loquemur de gratia operante, & cooperante.

Quarta diuiſio gratiæ gratum facientis eſt in præuenientem, comitãtem, & ſubſequentem. hãc diuiſionem inſinuauit Concilium Tridentinum ſeſſ. 6. de iuſtificatione cap. 16. cùm ait: *Cùm enim ille ipſe Chriſtus Ieſus tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites, in ipſos iuſtificatos ingiter virtutem influat, quæ virtus bona eorum opera ſemper antecedit, & comitatur, & ſubſequitur, & ſine qua nullo pacto Deo grata, & meritoria eſſe poſſunt.* Fateor tamen Concilium non de omni gratia præueniẽte ibi loqui, ſed de ea ſola, quæ opera meritoria præuenit, & comitatur, & ſubſequitur. Vnde generalis diuiſio gratiæ quatenus complectitur etiam præuenientem ipſam impij iuſtificationem, apertiùs colligi videtur ex Auguſtino lib. de natura, & gratia c. 31. vbi ait: *Præuenit, vt ſanemur, & ſubſequitur, vt ſanati vegetemur: præuenit, vt vocemur, ſubſequitur, vt glorificemur; præuenit vt piè viuamus, ſubſequitur, vt cum illo ſemper viuamus.* Hæc diuiſio comprehendit gratiam præuenientem actum iuſtificationis, cùm ait, *præuenit, vt ſanemur*, & præuenientem actum meritorium hominis iam iuſtificati, cùm ait, *præuenit, vt piè viuamus.* IX. Cõcil. Trid. Auguſt.

Eadem diuiſio habetur ex D. Fulgentio lib. 1. ad Monimum, vbi ait, *Præuenit impium, vt fiat iuſtus, ſubſequitur iuſtum, ne fiat impius. Præuenit eluſum, vt ſurgat, ſubſequitur eleuatum, ne cadat. Præuenit hominis donans bonam voluntatem, ſubſequitur bene volentem operando in illo operis facultatem.* Idem dixerat ſup. c. 9. & D. Gregorius lib. 1. moral. c. 10. ita ait: *Qui & præueniendo dedit eis bonum velle, quod nolnerant, & ſubſequendo dedit bonum poſſe, quod voluerant*, & homil. 9. in Ezechielem: *Nos præuenit, vt velimus, & volentes ſubſequitur, ne inaniter velimus.* Quæ ſententia eſt etiam apud Auguſtinum in Enchir. c. 32. *Nolentem* (inquit) *præuenit, vt velit, volentem ſubſequitur, ne fruſtrà velit.* Gratia præueniens habetur ex diuina Scriptura in Pſalmo 58. *Et miſericordia eius præueniet me.* Gratia ſubſequẽs ex Pſalm. 22. *Et miſericordia eius ſubſequetur me.* vtriuſque meminit Eccleſia in collecta Dominicæ 16. poſt Pentecoſtem dicens, *Tua nos quæſumus Domine gratia ſemper præueniat, & ſequatur.* Dices, Greg. Arim.

nullibi

Digitized by Google

nullibi fieri mentionem gratiæ comitantis. Dico etiam illius meminiſſe Eccleſiam in alia collecta, cùm ait, *Actiones noſtras quæſumus Domine aſpirando præueni, & adiuuando proſequere.* Et in alia collecta pro iter agentibus, dicendo, *& viam illorum præcedente gratia tua dirigas, & ſubſequente comitari digneris.* Eiuſdem etiam triplicis gratiæ meminit D. Bernardus in lib. de modo bene viuendi.

X. Sed manet aliqua difficultas in explicando, quid ſit gratia præueniens, quid comitans, quid ſubſequens. Pro cuius explicatione operæpretium eſt videre, quidnam ſit illud, quod Doctores diuidunt per hanc triplicis gratiæ diuiſionem, an ſit donum gratiæ actuale, an habituale, & cuius comparatione gratia dicatur præueniens, aut comitans, aut ſubſequens. Non enim deſunt, qui dicant, diuiſum huius triplicis gratiæ eſſe donum habituale gratiæ gratum facientis, quod dicitur gratia præueniens, & ſubſequens comparatione diuerſorum effectuum eiuſdem gratiæ. Dicunt enim, eſſe quinque effectus gratiæ in nobis. Primus eſt, vt anima ſanetur. Secundus vt bonum velit. Tertius vt bonum, quod vult, efficaciter operetur. Quartus eſt, vt in bono perſeueret. Quintus vt ad gloriam perueniat. Gratia igitur, vt cauſat primum effectum vocatur præueniens comparatione ſecundi, & vt cauſat ſecundum dicitur præueniens comparatione tertij. & ſic deinceps. E contrario verò, quatenus cauſat tertium dicitur ſubſequens reſpectu ſecundi, & quatenus cauſat ſecundum dicitur ſubſequens comparatione primi. Hæc doctrina eſt in ſe vera, ſed cùm Eccleſia, Patres, & Concil. Trid. diuidunt gratiam in præuenientem, & ſubſequentem, non loquuntur de gratia habituali, ſed de auxilio actuali. Nam, vt omittamus, hanc veritatem per ſeipſam ſatis patere, ſi quis verba proximè ex illis citata, vel in ſuperficie ſola conſideret, controuerſia, quæ fuit Patribus cum Pelagianis de neceſſitate gratiæ præuenientis, non fuit de gratia habituali, ſed de dono gratiæ actualis auxilij, ſicut diximus de gratia excitante; nam gratia præueniens eadem eſt cu excitante, vt colligitur ex Conc. Trid. ſeſſ. 6. c. 5.

Concil. Trident.

Dicendum itaque, gratiam non appellari præuenientem, aut comitantẽ, & ſubſequentem comparatione diuerſorum effectuum ipſius gratiæ, ſed comparatione noſtri conſenſus. Neque per hæc membra diuidi gratiam habitualem, ad gratiam actualis auxilij. Vnde gratia præueniens dicitur, quæ præuenit per ſingula noſtrum conſenſum, maximè illa, quæ præuenit conſenſum ad actum iuſtificationis. Concomitans verò dicitur, quæ comitatur ipſum conſenſum quæ eadem eſt cum gratia cooperante, & adiuuante; & demum ſubſequens illa eſt, quæ ſubſequitur conſenſum præbendo opportunitatem boni operis, & facultatem exequendi bonas voluntates, ſicut videntur dicere Patres citati, cùm aiunt, quòd gratia nolentem præuenit, vt velit, & volentem ſubſequitur, ne fruſtrà velit, dando bonum poſſe, quod vult, aut operando in illo operis facultatem. Non enim ſola voluntas bene agendi eſt effectus diuinæ gratiæ, ſed etiam opportunitas, & occaſio, ſeu facultas executioni demandandi ipſam voluntatem bene agendi.

CAPVT IV.

De partitione gratiæ in ſufficientem, & efficacem.

I. QVinta diuiſio gratiæ actualis auxilij eſt, in auxilium ſufficiens, & efficax. Quæ verò circa hanc diuiſionem inter explicandum, quid ſit auxilium ſufficiens, quid efficax, & vnde dicatur tum ſufficiens, tum efficax, à recentioribus præſertim Theologis dicuntur, tam multa ſunt, vt ſi vellemus hic omnia recenſere, oporteret nos multum laboris impendendo, longiùs diſcedere ab operis inſtituto. Quare in hac diuiſione explicanda tria quàm breuiſſimè efficiemus. Primò videbimus, quid ſit immediatum diuiſum per hanc diuiſionem auxilij ſufficientis, & efficacis. Secundò probabimus, eſſe aliquod auxilium ſufficiens, quod non ſit efficax, & ſic admittendam eſſe iſtam diuiſionem gratiæ ſpecialis auxilij in ſufficientem, & efficacem. Tertiò ſatisfaciemus nonnullis obiectionibus quorundam recentiorum Doctorum.

Præmittimus autem nomine auxilij ſufficientis, omnes Doctores communiter intelligere illud auxilium, quod tribuit homini poſſe operari, & efficere illam actionem, comparatione cuius dicitur accipere auxilium ſufficiens, non autem tribuit eidem homini actu efficere eandem operationem: nomine verò auxilij efficacis intelligere illud quod tribuit homini non ſolùm poſſe operari, ſed etiam actu efficere, & operari actionem, comparatione cuius, & in ordine ad quam homo dicitur accipere auxilium efficax. Vnde quod nonnulli dicunt, auxilium ſufficiens non dari homini, vt operetur, ſed ſolùm, vt poſſit operari, non ſic eſt intelligendum, quod auxilium ſufficiens detur homini, vt habeat ſufficientia ad poſſe operari, non autem ad actu operari, ſi velit. Quia auxilium ſufficiens dicitur ſufficiens non ſolùm ad poſſe operari, ſed etiam ad verè operari, ſi homo velit, adeò quòd per auxilium ſufficiens homo conſtituatur in actu primo vltimatè completo ad hoc, vt potens ſit exire in actum ſecundum. Neque auxilium efficax addit aliquid reale neceſſarium ad actu operandum, ſe tenens ex parte actus primi, quod non ponat in homine auxilium ſufficiens. Si enim deeſſet aliquid reale neceſſarium ad agendum ſe tenens ex parte actus primi, iam auxilium ſufficiens non eſſet ſufficiens. Sed ſic eſt intelligendum, quòd auxilium ſufficiens dat poſſe operari, & omnia requiſita ad agendum in actu primo, non tamen dat actu operari, faciens actum primum exire in actum ſecundum. Quod nonnulli ſic declarant, vt dicant, duobus modis poſſe intelligi, dari nobis poſſe operari per ipſum auxilium ſufficiens, vno modo, vt poſſe operari ſit effectus formalis ipſius auxilij ſufficientis: alio modo, vt ſit illius terminus. & primo modo verum eſt, non autem ſecundo modo. I.

Potrò cùm dicimus, auxilium ſufficiens eſſe illud, quod dat poſſe operari, non autem actu operari; e contrario illud eſſe auxilium efficax, quod dat actu operari, non intendimus affirmare, differentiam auxilij ſufficientis ab efficaci deſumendam eſſe ſolùm ex effectu, vt inter hæc auxilia nulla alia differentia ſit conſtituenda, niſi quòd diuinum auxilium, vt ponit effectum, dicitur efficax, vt caret effectu, dicitur ſufficiens, de hac enim quæſtione inferiùs agendum eſt: ſed nunc ſolùm explicamus, quid iſtis nominibus veniat accipiendum, interim abſtinendo à quæſtione de differentia intrinſeca inter hæc auxilia. II.

Secundò præmittendum eſt, quemadmodum inter effectus, ad quos datur nobis diuinum auxilium, præcipuus, & præclariſſimus eſt perſeuerantia in bono vſque in finem, & adoptio æternæ ſaluris, III.

ſalutis ; ita per antonomaſiam ſolere nonnunquam Patres, præcipuè D. Auguſtinum nomine auxilij efficacis intelligere peculiare illud, & præclariſſimum donum perſeuerantiæ vſque ad terminum vitæ. Abſolutè verò loquendo illud dicitur auxilium efficax, quod tribuitur à Deo ad aliquem effectum ſupernaturalem cauſandum in nobis, ita vt talem effectum ponat in nobis liberè concurrentibus, ſiue ille ſit perſeuerantia vſque in finem, ſiue ſola conuerſio, & iuſtificatio, ſiue aliud opus bonum factum ab exiſtente in gratia, etiam non habens coniunctam finalem perſeuerantiam, qualia ſunt bona opera facta in gratia à non prædeſtinato. Vnde ſequitur, aliquod auxilium poſſe dici efficax comparatione vnius effectus, & ſolùm ſufficiens comparatione alterius effectus poſterioris, ad quem tribuit quidem poſſe operari, non autem tribuit actu operari.

IV. His ſuppoſitis primò videndum eſt, quódnam auxilium ſit immediatum diuiſum huius diuiſionis. Quidam enim non ſatis videntur explicare, quid illud ſit: nam dicunt primò, quòd ſicut gratia operans, & cooperans ſunt idem, quod gratia
D. Thom. præueniens, & ſubſequens, vt docet S. Thom. de veritate quæſt. 27. art. 5. ad 6. ita gratia excitans & adiuuans non differt ab ipſa gratia præueniente, & ſubſequente (formalibus eorum verbis vtor.) Deinde diſputantes de veritate huius diuiſionis, dicunt, quòd ſi de reipſa loquamur, nullus Catholicus poteſt dubitare de illa diuiſione, cùm gratia ſufficiens ſit eadem cum excitante, & gratia efficax ab adiuuante realiter non diſtinguatur. Et rurſus diſputantes de immediato diuiſo huius diuiſionis dicunt, gratiam quam Concilium diuiſit in excitantem, & adiuuantem, eſſe gratiam præuenientem. Quæ tria dicta non videntur poſſe adinuicem cohærere: nam ex hoc tertio dicto habemus, immediatum diuiſum gratiæ in ſufficientem, & efficacem, eſſe gratiam præuenientem. Si autem iſtud immediatum diuiſum eſt gratia præueniens; ergo non videtur poſſe conſiſtere primum dictum, quòd gratia præueniens, & ſubſequens, ſit idem cum gratia excitante, & adiuuante. Rurſus ſequitur gratiam efficacem eſſe non ſolùm adiuuantem, ſed etiam excitantem contra ſecundum dictum, quia gratia excitans, & præueniens idem ſunt per primum dictum, & aliqua gratia præueniens eſt efficax per tertium dictum. Diuiditur enim gratia præueniens in ſufficientem, & efficacé, vt illi fatentur. Ergo ſequitur, aliquod auxilium gratiæ excitantis eſſe non ſolùm ſufficiens, ſed efficax. Si dicant, nomine gratiæ excitantis ſe intelligere ſolùm excitantem externam, & obiectiuam, non autem internam, & efficientem. Primò non rectè id dici poteſt, cùm nomine gratiæ excitantis intelligatur etiam gratia interna, & multo magis. Secundò, quia ſola gratia excitans externa non eſt ſufficiens ad voluntatem excitandam ad actus ſupernaturales, immò neque ſola gratia excitans interna obiectiua, vt vel ipſi fatentur, & rectè; huius enim gratiæ excitantis internæ neceſſitatem etiam Pelagius videtur vtcunque ſecundùm illos admiſiſſe. Aut igitur non rectè accipiunt immediatum diuiſum huius diuiſionis, aut non rectè explicant. Videtur igitur dicendum immediatum diuiſum gratiæ ſufficientis, & efficacis eſſe ipſam gratiam excitantem internam, & externam, quæ excitat non ſolùm intellectum, ſed voluntatem, & etiam adiuuantem, ita vt gratia excitans, & adiuuans ſufficiens dicatur illa, quæ ita confertur homini, vt ſufficiat ad eliciendum actum conſenſus, ſi velit; gratia verò efficax excitans & adiuuans ſit illa, quæ ita hominem excitat, & adiuuat, vt de facto eliciat actum liberi conſenſus. Quæ res magis explicabitur, cùm dicemus, in quo primo ſita ſit efficacia ipſius diuini auxilij, de qua re infrà cap. 8. & 9.

V. Vtrùm verò admittenda ſit hæc diſtinctio diuini auxilij in auxilium ſufficiens & auxilium efficax, Pelagiani, & recentiores hæretici, præſertim Caluinitæ, partem negatiuam omnino veram eſſe contendunt, licèt ex diuerſo capite. Nam Pelagiani nullum auxilium diuinæ gratiæ agnoſcebant, quo Deus faciat, vt faciamus, voluntatem noſtram efficaciter ad bonum mouendo, & inclinando: immo affirmabant, liberum arbitrium ſibi ſoli ſufficere ad bonum volendum, & operandum, neque indigere aliquo auxilio diuinæ gratiæ, niſi nomine gratiæ intelligatur ipſa liberi arbitrij facultas, vt gratis à Deo nobis collata, aut auxilium legis, & doctrinæ: & ſi neceſſarium eſt aliquod gratiæ auxilium, fatebantur, illud neceſſarium eſſe non ad opus inchoandum, ſed ſolùm perficiendum. Vnde ſecundùm illos nulla erat diſtinctio diuini auxilij in ſufficiens, & efficax, quippe qui vix vllum diuinum auxilium ſupernaturale homini neceſſarium eſſe admittebant.

Recentiores verò hæretici ex alio capite eandem diuiſionem reiiciunt, quia putant, omne auxilium diuinæ gratiæ eſſe de ſe efficax, ita vt, qui mouentur per tale auxilium, non poſſint diſſentire, neque vllo modo diuinam gratiam abiicere. Vnde & reiiciunt definitionem illam Concilij Tridentini ſeſſ. 6. cap. 5. & Can. 4. in qua dicitur, quòd homo diuinam inſpirationem recipiens, illam abiicere poteſt, & liberum arbitrium à Deo motum, & excitatum poteſt diſſentire, ſi velit, vt in initio huius libri dictum eſt.

Ex Catholicis quoque non defuerunt, qui dicerent, hanc diuiſionem gratiæ in ſufficientem, & efficacem eſſe inſufficientem, inutilem, à ſacris literis, Conciliis, Patribus, & ratione alienam. Citatúrque in hanc ſententiam Oſorius Oſorius. lib. 9. de iuſtitia, in initio: quanuis fortaſſe non ipſam diuiſionem abſolutè negauerint, quæ Catholicè non videtur negari poſſe, ſed modum, ſecundùm quem illa à nonnullis Catholicis explicatur, quod ex illorum argumentis, quibus hanc diuiſionem impugnant, non obſcurè deduci videtur.

Siue autem de re, ſiue de modo illi loquantur, ſecundùm fidem Catholicam hæc partitio diuini auxilij in auxilium ſufficiens, & auxilium efficax videtur omnino eſſe admittenda, ita vt ſit aliquod auxilium ſufficiens, per quod homo poſſet, ſi vellet, operari, & ſaluari, & nihilominus de facto nec ſaluetur, nec operetur; & ſit auxilium, per quod homo non ſolùm poteſt operari, & ſaluari, ſed de facto operatur, & ſaluatur, quorum primum vocatur nomine generico ſufficiens, quia proprium nomen ſpecificum non habemus, ſiue auxilium inefficax: alterum verò appellatur auxilium efficax. Eſſe verò admittendam hanc partitionem diuini auxilij in ſufficiens, & efficax contra quàm ſentiant hæretici, & etiam Catholici proximè nominati, ſic breuiter monſtratur. Et primò quòd Deus conferat homini auxilium de ſe ſufficiens ad ſalutem, per quod homo poſſet, ſi veller, operari,

operari, & ſaluari, probatur autoritate diuinæ Scripturæ. Salomon in Prouerbijs cap. primo peccatores obteſtatur, & minatur his verbis: *Quia vocaui, & renuiſtis, extendi manum meam, & non fuit, qui aſpiceret, deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis; ego quoque in interitu veſtro ridebo.* Hæc comminatio nonne ſupponit, Deum contuliſſe illis peccatoribus ſufficiens auxilium, quo ad Deum conuerti poſſent, ſi vellent? Aliàs enim iuſtam excuſationem prætendere poſſent, qui vocati renuerunt, & diuina conſilia, & inuitationes contempſerunt. Iſaias etiam cap. 5. in perſona Dei iudicium aduersùs Ieruſalem ſic obteſtatur. *Nunc ergo habitatores Ieruſalem, & viri Iuda iudicate inter me, & vineam meam. Quid eſt, quod debui vltrà facere vineæ meæ, & non feci, an quia expectaui vt faceret vuas, & fecit labruſcas?* Sanè abſque ratione expectaret Dominus vuas bonorum operum ex vinea, cui non contuliſſet omnia neceſſariò requiſita & ſufficientia, vt vuas producere poſſet, ſi vellet, quæ tamen non vuas produxit, ſed labruſcas. Saluator ipſe apud Matthæum cap. 11. increpans Iudæorum obſtinationem, ait, *Væ tibi Corozain, væ tibi Bethſaida, quia ſi facta fuiſſent in Tyro, & Sidone virtutes, quæ factæ ſunt in te, olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egiſſent.* Præbuit ergo Deus Iudæis auxilia ad illos conuertendum ſufficientiſſima, & nihilominus per talia auxilia illi de facto non ſunt conuerſi. & cap. 23. eandem Iudæorum duritiem exaggerans inquit, *Ieruſalem, Ieruſalem, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti? Ideo relinquetur vobis domus veſtra deſerta.* Iſta exaggeratio irrationabilis videretur, niſi Deus contuliſſet Iudæis ſufficientiſſima auxilia ad illos ſaluandos, quibus tamen illi abutentes ſemper in ſua duritie, & obſtinatione perſtiterunt.

VI. Secundò probatur, dari auxilium de ſe ſufficiens ad ſalutem, quod tamen non ſit efficax, omnibus illis argumentis, & autoritatibus, quibus lib. 7. cap. 19. & ſequentibus oſtendimus, & quidem copioſè, ni fallor, nullum reprobum eſſe à Deo deſtitutum auxilijs ad ſalutem ſufficientibus, & neceſſarijs, quandiu eſt in hac vita conſtitutus: nam huiuſmodi auxilia in reprobis ſunt quidem ſufficientia, non tamen efficacia.

Tertiò probatur omnibus diuinæ Scripturæ autoritatibus, quibus lib. 5. cap. 10. 12. & 13. oſtendimus, Deum ex ſe omnes homines ad finem æternæ ſalutis ordinaſſe, & omnium ſalutem exoptaſſe, & præparare, & conferre omnibus media opportuna ad ſalutem. Hinc enim ſequitur, reſpectu eorum, qui non ſaluantur, eſſe quidem media ſufficientia ad ſalutem, ſed non eſſe efficacia. Huc tendunt obteſtationes illæ quibus Deus impios obteſtatur, per ipſum non ſtare, quin omnes ſaluentur, in Pſalm. 80. *Ego ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, dilata os tuum, & implebo illud.* Et in Pſalm. 94. *Hodie ſi vocem Domini audieritis, nolite obdurare corda veſtra.* Quam in hunc ſenſum adducit, & exponit Paulus ad Hebræos cap. 3. & in Actis Apoſtolorum cap. 7. *Dura ceruice, & incircumciſis cordibus, vos ſemper Spiritui ſancto reſtitiſtis.* Et ad Roman. 2. *An diuitias bonitatis eius, patientiæ, & longanimitatis contemnis, ignorans quia benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit. Tu autem ſecundùm duritiam tuam, & impœnitens cor tuum theſaurizas tibi iram.* Huc tendunt verba D. Ioann. Apocalypſis 3. *Ego ſto ad oſtium, & pulſo. Si quis aperuerit mihi, introibo ad eum, & cœnabo cum illo.* Sed videantur loca citata lib. 5. & 7. quæ hanc veritatem abundanter probant.

Quartò probatur teſtimonijs apertiſſimis D. P. Auguſtini. Nam lib. 1. ad Simplici. quæſt. 2. inquit, *Noluit ergo Eſau, & non cucurrit, ſed & ſi voluiſſet, & cucurriſſet, Dei adiutorio peruenijſſet, qui etiam velle, & currere vocando præſtaret, niſi vocationi contempta reprobus fieret.* Et lib. 83. quæſtionum quæſt. 68. *Ad illam* (inquit) *cœnam, quam Dominus dicit in Euangelio præparatam, nec omnes, qui vocati ſunt, venire voluerunt, neque illi, qui venerunt, venire poſſent, niſi vocarentur. Itaque nec illi debent ſibi tribuere, qui venerunt, quia vocati venerunt: nec illi, qui noluerunt venire, debent alteri tribuere, ſed tantùm ſibi, quoniam vt venirent vocati, erat in eorum libera voluntate.* Et in lib. de Corrept. & gratia cap. 11. *Tale quippe erat adiutorium, quod deſereret, cùm vellet, & in quo permaneret, ſi vellet, non quo fieret, vt vellet: hæc eſt prima gratia, quæ data eſt primo Adam.* Et cap. 12. *Ipſa adiutoria diſtinguenda ſunt. Aliud eſt adiutorium, ſine quo aliquid non fit: aliud eſt adiutorium, quo aliquid fit.* Ex his locis habemus, eſſe aliquod Dei adiutorium ſufficiens ad actum conuerſionis in Deum eliciendum; & ſtandum in Dei amicitia, ſi homo vellet, quod tamen non ponit in homine ſuum effectum. Videatur D. Proſper lib. 2. de vocatione Gent. cap. 15. vbi expreſsè diſtinguit iſtud duplex auxilium diuinæ gratiæ, cùm ait: *Adhibita ſemper eſt*, &c. Poſſet hæc veritas confirmari teſtimonijs Scholaſticorum, præſertim D. Thom. in tertio diſt. 13. quæſt. 2. articulo ſecundo quæſtiuncula 2. ad quintum, & diſt. 19. quæſt. 1. artic. 1. quæſtiuncula 2. ad tertium, & tertia parte quæſt. 79. art. 7. ad ſecundum. vbi dicit Chriſti redemptionem eſſe pro omnibus ſufficientem, ſed ſolùm pro aliquibus efficacem, ſiue (vt ipſe ait) efficientem. Verùm hæretici autoritates Scholaſticorum paruipendunt.

VII. Auguſt. Proſper. D. Thom.

Demum hæc veritas videtur definita in Concilio Arauſicano II. cap. 25. vbi ait. *Denique ſecundùm fidem Catholicam credimus, quòd accepta per Baptiſmum gratia omnes baptizati Chriſto auxiliante, quæ ad ſalutem pertinent, poſſint, & debeant, ſi fideliter laborare voluerint, adimplere.* Et in Concilio Tridentino ſeſſ. 6. de iuſtifi. cap. 11. dum inquit, Deum non præcipere nobis impoſſibilia, & homines non excuſari, Dei mandata non ſeruantes: quia ipſe Deus illos adiuuat, vt poſſint diuina mandata ſeruare, & quòd cum diuino auxilio hoc ſeruare poſſunt. *Nemo*, inquit, *temeraria illa & à Patribus ſub anathemate prohibita voce debet vti, Dei præcepta eſſe homini iuſtificato ad obſeruandum impoſſibilia; nam Deus impoſſibilia non iubet, ſed iubendo monet & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adiuuat, vt poſſis, cuius mandata grauia non ſunt, cuius iugum ſuaue, & onus leue. Qui enim ſunt filij Dei, Chriſtum diligunt. Qui autem diligunt eum, vt ipſemet teſtatur, ſeruant ſermones eius, quod vtique cum diuino auxilio præſtare poſſunt.* Et infrà inquit, quòd iuſti liberati à peccato, ſerui autem facti Deo ſobriè, iuſtè, & piè viuentes proficere poſſunt per Ieſum Chriſtum, per quem acceſſum habuerunt in gratiam iſtam.

VIII. Concil. Arauſic. Concil. Trident.

Deus nanque ſua gratia ſemel iuſtificatos non deſerit, niſi ab eis priùs deſeratur. Et cap. 13. dum inquit, donum perſeuerantiæ aliunde haberi non poſſe, niſi à Deo, & neminem ſibi de ſua perſeuerantia aliquid certi promittere debere: tametſi in Dei auxilio firmiſſimam ſpem collocare omnes debeant: Deus enim niſi ipſi illius gratiæ defuerint, ſicut cœpit opus bonum, ſtá perficiet operans velle, & perficere. Hæc verba indicant, iuſtos, qui non perſeuerant, ſed in peccata relabuntur, habere ſufficiens auxilium ad perſeuerandum, & ad proficiendum, & tamen illud auxilium in eis efficax non eſt. Certum igitur eſt ex fide, eſſe aliquod auxilium Dei ſufficiens diſtinctum ab auxilio efficaci.

IX. Iam conſtito, quòd detur auxilium ſufficiens, quòd tamen non ſit efficax, oſtendendum eſt, dari auxilium de ſe efficax, per quod Deus tribuit nobis non ſolùm poſſe benè operari, ſed etiam operatur in nobis, vt velimus, quod bonum eſt, & quod volumus opere compleamus. quod probatur primò ex diuina Scriptura Ezechielis c. 36. *Spiritum meum* (inquit Deus) *ponam in medio veſtri, & faciam, vt in præceptis meis ambuletis.* Ioan. cap. 6. & cap. 10. *Oues mea vocem meam audiunt, & non rapiet eas quiſquam de manu mea, & non peribunt in æternum.* Ad Roman. 9. *Non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei. & non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt ei, quia maior ſeruiet minori.* Et cap. 11. *Sine pœnitentia ſunt dona, & vocatio Dei.* Quibus teſtimoniis ad probandam efficaciam diuinæ gratiæ vtitur Auguſtinus in locis ſtatim citandis.

Secundò probatur ex D. Auguſtino, qui eiuſdem efficacis auxilij tam frequens, & conſtans eſt aſſertor, vt Semi-Pelagiani illi impoſuerint (licèt immeritò) quòd per efficaciam diuinæ gratiæ tolleret arbitrij libertatem. In primis ipſe in locis proximè citatis ex lib. 1. ad Simplicianum quæſt. 2. & lib. de Correptione & gratia cap. 11. & 12. diſtinguit duplicem vocationem, alteram ſecundùm propoſitum, altam, & ſecretam, ſecundùm quam omnes vocati ad Chriſtum veniunt; alteram non ſecundùm propoſitum, de qua exponit illud: *Multi ſunt vocati, pauci verò electi.* Diſtinguit etiam duplex auxilium, alterum quod tribuit poſſe bene operari, & perſeuerare, non autem actu operari, & perſeuerare; alterum quod tribuit operari, & perſeuerare. Ad hæc in lib. de Gratia, & lib. arbitr. cap. 5. ait: *Vt Paulus de cœlo vocaretur, & tam magna, & efficaciſſima vocatione conuerteretur, gratia Dei erat ſola, quia eius merita erant magna, ſed mala.* Et ne quis dicat gratiam illam ex priuilegio fuiſſe conceſſam D. Paulo; in cod. lib. cap. 16. generaliter loquens ait: *Certum eſt nos facere, cùm facimus, ſed ille facit, vt faciamus, prabendo vires efficaciſſimas voluntati, qui dixit, faciam, vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea obſeruetis & faciatis.* & cap. 17. inquit, *Quis illam etſi paruam, dare cœperat charitatem, niſi ille, qui præparat voluntatem, & cooperando perficit, quod operando inceperit? Quoniam ipſe, vt velimus, operatur incipiens, qui volentibus cooperatur, perficiens. Vt ergo velimus ſine nobis operatur: cùm autem volumus, & ſic volumus, vt faciamus, nobiſcum operatur.* Et lib. de Corrept. & gratia cap. 8. exponens illa verba: *Ego rogaui pro te Petre,* & c. ait: *Quando rogauit ergo, ne fides eius deficeret, quid aliud rogauit, niſi vt haberet in fide liberrimam, fortiſſimam, inuictiſſimam, & perſeuerantiſſimam voluntatem.* Et cap. 21. comparando adiutorium collatum Adæ in ſtatu innocentiæ, cum illo, quod modò confertur prædeſtinatis, inquit: *Tale quippe erat adiutorium, quod deſereret, cum vellet, & in quo permaneret, ſi vellet, non quo fieret, vt vellet. Hæc eſt prima gratia, qua data eſt primo Adam: ſed hæc potentior eſt in ſecundo Adamo. Prima enim eſt, qua fit, vt habeat homo iuſtitiam, ſi velit. Secunda ergo plus poteſt, quia etiam fit, vt velit, & tantum velit, tantoque ardere diligat, vt carnis voluntatem contraria concupiſcentem voluntate ſpiritus vincat.* Et cap. 12. *Subnectum eſt igitur infirmitati voluntatis humanæ, vt diuina gratia indeclinabiliter & inſuperabiliter ageretur. Et ideò quamuis infirma, non tamen deficeret, neque aduerſitate aliqua vinceretur.* Et epiſtola 107. reprehendit Vitalem dicentem, *operatur quippe ille* (ſcilicet Deus) *quantum in ipſo eſt, vt velimus, cùm nobis nota fiunt eius eloquia; ſed ſi eis acquieſcere nolumus, nos, vt operatio eius nihil in nobis profit, efficimus.* Et ait Auguſtinus, *Quæ ſi dicis, noſtris orationibus contradicis.* Sed longum nimis foret, omnia Auguſtini teſtimonia pro gratia efficaci huc afferre. Legatur lib. 1. de gratia Chriſti contra Pelagium cap. 23. lib. 1. contra duas epiſtolas Pelagian. cap. 20. & lib. 2. cap. 9. lib. de Prædeſt. ſanctorum c. 3. 19. 20. lib. de peccatorum meritis, & remiſſ. cap. 19. in dicta epiſtola 107. & dicta quæſt. 2. primi lib. ad Simplician. Quibus in locis vocat auxilium efficax vocationem congruam, & ſecundùm diuinum propoſitum, altam & ſecretam, & ſine pœnitentia, & certam ſcientiam, & victricem delectationem, vt alia penè innumera omittamus.

Auguſt.

Tertiò probatur, præter auxilium ſufficiens, dandum eſſe auxilium efficax: quia niſi illud admittamus, tollitur diuina prædeſtinatio, & illius certitudo. Prædeſtinatio enim eſt præparatio gratiæ, qua prædeſtinati infallibiliter ſaluantur: ſed ablato auxilio gratiæ efficacis, nulla eſt præparatio gratiæ, per quam aliquis infallibiliter ſaluetur. Adhuc prædeſtinatio non adderet ſupra prouidentiam aliquam certitudinem ordinis, & cauſalitatis, ſed ſolam certitudinem præſcientiæ, quod tamen eſt contra diuinam Scripturam, & dicta Sanctorum, vt D. Thomas ait de veritate q. 6. art. 3. & nos lib. 6. probauimus.

CAPVT V.

Argumenta contra doctrinam capitis præcedentis afferuntur, & ſoluuntur.

COntra diſtinctionem hanc diuini auxilij in ſufficiens, & efficax, obiiciunt quidam, quòd illa nullum ſub his terminis habeat fundamentum in diuina Scriptura, aut Patribus, aut Conciliis, aut etiam antiquioribus Scholaſticis: immo cùm Concilium Trident. inter alia accuratiùs, & copioſiùs de gratia, & libero arbitrio contra antiquos, & modernos hæreticos tractanerit, huius tamen partitionis gratiæ in ſufficientem, & efficacem non meminerit, videtur illa nouum eſſe commentum à recentioribus ad contradicendum excogitatum. I.

Reſpondetur, hanc partitionem auxilij diuini in ſufficiens, & efficax legitimè explicatâ habere fundamentũ euidens in diuina Scriptura per verba æquiualentia, vt viſum eſt, & in D. Auguſt. ſub eiſdem terminis, vt itidem oſtendimus, & illam comprehendi à Tridentino ſub generali diuiſione auxilij in excitans, & adiuuans, vt non obſcurè colligitur ex eodem Concil. c. 11. & 13. allegatis.

Secundò

II. Secundò obiciunt, quia neceſſe eſt dari aliquod auxilium gratiæ, quod nec ſit ſufficiens, nec efficax. Nam auxilium, cum quo reprobi operantur, cùm ſint in gratia, nó eſt ſufficiẽs, quia auxilium ſufficiens dat ſolùm poſſe operari, nó autem dat actu operari, neque eſt efficax, quia auxilium efficax eſt ſolùm conceſſum prædeſtinatis, ex ſententia Auguſtini.

Reſpondetur, auxilium efficax per antonomaſiam ſic dictum eſt ſolùm prædeſtinatorum: cæterùm auxilium ſimpliciter, & abſolutè efficax eſt illud omne, cum quo homo de facto operatur effectum, ad quem illud datur, ſiue ſit prædeſtinatus, ſiue non.

III. Tertiò ſi datur auxilium efficax diſtinctum ab auxilio ſufficienti, vel illud eſt de antecedenter prærequiſitis ad operandum, & ſic deſtruit auxilium ſufficiens, illud enim non verè dicitur auxilium ſufficiens, vltra quod ad operandum requiritur antecedenter aliud auxiliũ ad operandũ. Vel ideo dicitur efficax, quia confertur à Deo cõgruo tempore, & in certis circũſtantiis accõmodatis, in quibus Deus præſcit, hominem eſſe conſenſurum: ſicut è contrario illud dicitur inefficax, & ſolùm ſufficiens, quod confertur à Deo in tempore non congruo, & in certis circunſtantiis, in quibus Deus præſcit, hominem non eſſe conſenſurum. Et tunc etiam auxilium, quod dicitur ſufficiens, non eſt verè ſufficiens. Si enim Medicus tribuat ægroto medicinã, quæ ſit de ſe optima, ſed in tempore non congruo, nec opportuno, vt cùm humor nondum eſt ſatis decoctus, ſed ſua crudi-tate reſiſtit, aut in ipſo febris acceſſu, ille non dicitur verè Medicinam ſufficientem propinaſſe: ita ſi Deus conferat auxilium, quod de ſe non ſit congruum, & attemperatum homini, cui applicatur, aut ſi conferatur ei tempore non opportuno, videlicet quando Deus ſcit, illum non eſſe conſenſurum, non dicitur tribuere illi auxilium verè ſufficiens.

Reſpondetur, admittendo auxilium efficax eſſe de prærequiſitis, & tunc negatur, quòd admittendo auxilium efficax, deſtruatur auxilium verè ſufficiens. Et ad probationem reſpondetur, vltra auxilium ſufficiens requiri aliquid præuium ad hoc, vt homo operetur, duobus modis intelligi poteſt, vno modo vt illud præuium ſit aliquid phyſicum inhærens realiter voluntati humanæ realiter in illa receptum, & eſſentialiter diſtinctum ab auxilio ſufficienti, & ſic dicimus auxilium efficax non addere ſuper auxilium ſufficiens aliquid præuium antecedenter prærequiſitum ad operandum, ſic enim videtur deſtrui auxilium ſufficiens; nam diximus auxilium ſufficiens illud eſſe, quod ſufficit non ſolùm ad poſſe operari, ſed etiam ad operari, ſi homo velit, non autem ſufficit aliquod auxilium ad operandum, ſi vltra illud requiritur aliud auxilium realiter ab illo diſtinctum, & realiter receptum in potentia operante antecedenter ad ipſam operationem. Alio modo, vt illud præuium ſit ſola Dei intentio, cum qua confertur illud auxilium ad hoc, vt per illud homo de facto operetur, & hoc modo admittitur, auxilium efficax eſſe aliquid præter auxilium ſufficiens antecedenter requiſitum ad operandum: quia auxilium efficax confertur à Deo ex intentione, vt voluntatem infallibiliter moueat, & inclinet ad eliciendum conſenſum, & in hoc videtur D. Thom. ponere efficaciam auxilij antecedentis; vt indicant illa eius verba in 3. 2. q. 111. art. 3. *Intentio Dei deficere non poteſt. Vnde ſi ex intentione Dei mouentis eſt, quòd homo, cuius cor mouet, conſentiat, & conſequatur gratiam, infallibiliter eam conſequitur.* Quæ eſt doctrina D. Auguſtini de corrept. & gratia capite 14. de ſpiritu, & litera capite 32. In Enchirid. capite 95. & 96. & aliis in locis. Hæc autem intentio non tollit, quin auxilium etiam ſine illa collatum non ſit de ſe ſufficiens.

D. Thom.

IV. Dicetur, ſine intentione Dei nihil fieri omnino poteſt. Ergo ſi auxilium ſufficiens eſt homini collatum, & non ex intentione, vt ille operetur cum tali auxilio, ipſe nihil poterit operari. Ergo non erit ſufficiens.

Reſpondeo, duplex eſt Dei intentio efficax, & inefficax auxilium collatum homini ſine aliqua intentione ſaltem inefficaci, non eſſet verè ſufficiens ad operandum. Sed nullum tale auxilium Deus confert hominibus, quia ipſe voluntate ſaltem antecedente, & inefficaci vult omnium ſalutem, & ideo omnibus confert auxilia ſufficientia ad ipſam ſalutem. Auxilium autem collatum ſine intentione efficaci, ſed tamen cum intentione inefficaci tribuit homini poſſe operari, licèt non tribuat homini operari. Verùm hæc reſpõſio magis elucidabitur infrà, cùm aperiemus differentiam inter auxilium efficax, & inefficax, quod vocamus ſufficiens.

Secundò reſpondetur, & in idem recidit, diuinum auxilium dici efficax, quia confertur à Deo congruo tempore, & in circunſtantiis accommodatis, in quibus Deus videt hominem fore conſenſurum, & ex intentione, vt conſentiat: & cùm vltrà infertur, quòd tunc auxilium ſufficiens non erit verè ſufficiens, quia confertur à Deo in tempore non congruo, & in circunſtantiis non accommodatis, in quibus Deus præſcit, hominem non eſſe conſenſurum, negatur iſta illatio.

Et ad probationem reſpondetur, auxilium ſufficiens eſſe illud, quod confertur in tempore non congruo, & in circunſtantiis, in quibus Deus videt, quòd homo non præbebit conſenſum, duobus modis intelligi poſſe, vno modo quòd conferatur tali tempore, & in talibus circunſtantiis, in quibus Deus videt, quòd homo non ſolùm non eſt conſenſurus, ſed nec etiam poteſt conſentire, eſto in aliis circunſtantiis, & alio tempore cum tali auxilio poſſet conſentire, & hoc ex intentione, vt non conuertatur, nec conſentiat. & hoc modo neque Auguſtinus neque alius Catholicus Doctor tale auxilium taliter collatum appellauit auxilium ſufficiens. Alio modo, quòd conferatur tali tempore, & in talibus circunſtantiis, in quibus Deus videt, quòd homo, ſi vellet, poſſet conſentire, & foret etiam illi gratum, vt conſentiret, ſed tamen videt illum pro ſua libertate minimè conſenſurum, & nihilominus non denegat illi ſuum auxilium, ob iuſtiſſimas cauſas ſibi notas; & in hoc ſenſu dicit Auguſtinus, auxilium ſufficiẽs eſſe illud, quod confert Deus in tempore non congruo, & in circunſtantiis non accommodatis ad præſtandum conſenſum. Quæ res poteſt declarari exemplo ſumpto ex medicina corporali, quo arguens vtitur. Si enim Medicus tribuat ægrotanti medicinam, quæ tali tempore, & in talibus circunſtantiis hauſta morbum ſuperare, & expellere non valeat, ille non dicitur ſufficientem medicinam præbuiſſe, eſto alio tempore, & in aliis circunſtantiis eſſet ſufficiens. Cæterùm ſi medicinam propinet eo tempore, & in illis circunſtantiis, in quibus, ſi æger velit, medicina ſufficiat

Digitized by Google

ficiat ad vincendum morbum, & conferendam ſanitatem, & nihilominus per liberam ægrotantis voluntatem ſtet, quin illa morbum depellat, illa dicitur verè ſufficiens, & Medicus dicitur medicinam verè ſufficientem tribuiſſe, eſto illa actu ſanitatem non conferat ob impedimentum, quod ei liberè oppoſuit infirmus: ita de medicina ſpirituali proportionabiliter philoſophandum eſt; ſed arguens hallucinatur, quia putat, auxilium non eſſe ſufficiens, niſi quod actu ponit ſuum effectum, quæ imaginatio eſt erronea: nam ſequeretur, Deum non conferre alicui auxilium ſufficiens ad ſalutem, niſi illis, qui de facto ſaluantur.

V. Verùm contra hanc reſponſionem vrgere videtur autoritas D. Auguſtini lib. 1. ad Simplicianum quæſt. 2. vbi diſtinguens vocationem congruam à non congrua ſic ait: *Ad alios autem vocatio quidem peruenit, ſed quia talis fuit, quæ moueri non poſſent, nec eam capere apti eſſent, vocati quidem dici potuerunt, ſed non electi.* Videtur igitur ſentire Auguſtinus vocationem non congruam illam eſſe, qua Deus vocat in tempore, & in talibus circunſtantiis, in quibus homo ſic vocatus non ſolùm non mouetur, nec capit, ſed nec etiam capere, nec moueri poteſt. Ergo hoc auxilium, quod nos ponimus ſufficiens, ſolo nomine eſt ſufficiens, non autem ſecundùm rei veritatem.

Auguſt.

Propter hoc teſtimonium, & alia nonnulla lib. 5. & 7. allegata, quæ videntur primo aſpectu ſatis dura, quidam liberè fatentur, Auguſtinum ſenſiſſe, reprobos deſtitui à Deo auxilio ſufficienti, & ideo indurari, quia non vocantur vocatione, cui valeant reſpondere. Verùm lib. 5. cap. 16. & 17. & lib. 7. ad finem D. Auguſtinum ab hoc errore ſufficienter vindicauimus. Nùc reſpondetur, illa Auguſtini verba eodem modo eſſe exponenda, ſicut exponuntur iſtæ propoſitiones: Prædeſtinatus non poteſt damnari, & reprobus non poteſt ſaluari, ſcilicet de impoſſibilitate non antecedente, quæ naſcitur ex defectu eorum, quæ neceſſariò antecedenter requiruntur ad operationem: ſed de impoſſibilitate conſequente, quæ oritur ex certitudine diuinæ præſcientiæ. Suppoſito nanque quòd Deus præuiderit hominem tali tempore, & in talibus circunſtantiis conſtitutum diuinæ vocationi non eſſe conſenſurum, idque non ex inſufficientia auxilij, ſed ex ſua libertate, impoſſibile eſt in ſenſu compoſito, & impoſſibilitate conſequente illum tali vocatione vocatum moueri; & nihilominus cum hac impoſſibilitate ſtat, diuinum auxilium eſſe ex ſe ſufficiens, & poſſibilitate antecedente poſſe conuerti. Sic exponenda ſunt alia ſimilia Auguſtini teſtimonia, quæ illius libros euoluentibus fortaſſis occurrent.

VI. Quartò obiiciunt. Poteſt euenire caſus, quòd vno, & eodem concionatore multis peccatoribus de pœnis inferni, aut gaudiis Paradiſi ſermonem habente, & eodem Spiritu ſancto æqualiter omnes excitante, ac interiùs eorum corda mouente, vnus conuertatur, alter non conuertatur. Idque colligitur euidenter ex Euangelio Matthæi cap. 11. vbi apertè dicitur, quòd ſi Tyrij, & Sidonij vidiſſent ſigna, quæ facta ſunt coram Iudæis, illi pœnitentiam egiſſent, & quòd eiſdem auxiliis quibus iſti reſtiterunt, Tyrij, & Sidonij conuerſi fuiſſent. Hinc vlteriùs inferunt. Ergo gratia illa Iudæis collata non erat tantùm ſufficiens, quia per illam nullus de facto conuerſus fuiſſet: neque erat efficax, aliàs omnes per illam eſſent conuerſi. Ergo datur aliquod genus gratiæ præter efficacem, & ſufficientem, quod erit genus gratiæ indifferentis.

Reſpondetur. Quando duo vel plures præueniuntur eiſdem auxiliis gratiæ omnibus modis æqualibus tum quoad intenſionem, tum etiam quoad diuinam intentionem, impoſſibile eſt, quòd vnus conuertatur, & alter non conuertatur: quia, vt ait D. Thom. ſi ex intentione Dei eſt, vt quem per gratiam mouet, conſentiat, & conuertatur, ille non poteſt non conuerti: non quòd intentio diuina vim inferat humanæ libertati, ſed quia ſi ex intentione Dei efficaci eſt, vt homo conuertatur, illum mouet tali modo, quo ſcit, aptum eſſe, vt ſic motus conuertatur. Vnde omnes, quos mouet per auxilium gratiæ ex intentione efficaci, vt conuertantur, infallibiliter conuertuntur, non autem quidam ſic, quidam non.

Ad teſtimonium allegatum ex Euangelio Matthæi cap. 11. quo arguentes vim facinut, reſpondetur. Si in Tyro, & Sidone factæ fuiſſent virtutes, quæ factæ ſunt in Iudæa, illi ſine dubio pœnitentiam egiſſent, vt ait D. Auguſtinus lib. de bono perſeuerantiæ cap. 9. ſed illi maius auxilium accepiſſent in ratione doni, & auxilij, quàm ipſi Iudæi, quia fuiſſent ſic vocati, quomodo Deus præuidebat, quòd vocati conuerterentur, quo pacto Iudæi vocati non ſunt. Sed dices ſtatim, reſponſionem ſententiæ Chriſti aduerſari: nam ſi Tyrij & Sidonij maius auxilium recepiſſent, non poterant Iudæi iuſtè reprehendi. Aut ergo ſupponitur æquale auxilium vtriſque collatum, aliis reuera, aliis ex hypotheſi: aut iniuſta eſt iſta exaggeratio, & vana comminatio.

Reſpondeo, vnum auxilium eſſe maius altero duobus modis contingere poſſe, vno modo ratione maioris intenſionis gradualis eiuſdem auxilij: alio modo ratione circunſtantiarum temporis, loci, & diſpoſitionis perſonæ recipientis, quæ minora præbet impedimenta ipſi diuinæ gratiæ. Auxilium igitur collatum Iudæis, ſi fuiſſet etiam collatum Tyriis, & Sidoniis ratione intenſionis gradualis non fuiſſet maius; ſed tamen fuiſſet maius ratione circunſtantiarum loci, temporis, & perſonarum, quæ minus obſtinatæ fuiſſent, & minora appoſuiſſent impedimenta. Et hoc eſt ſolum, quod Saluator prætendit ex illa exaggeratione, ſcilicet oſtendere duritiem cordis Iudæorum, quam frangere non poterant auxilia, quæ duritiem Tyriorum, & Sidoniorum fregiſſent. Vnde & iuſtiſſima eſt Saluatoris noſtri reprehenſio, & comminatio, quia Iudæi longè maiora impedimenta diuinæ gratiæ appoſuerunt, quàm Tyrij, & Sidonij, & ideo remiſſiùs (inquit) erit Tyro, & Sidoni in die Iudicij.

CAPVT VI.

De partitione Gratiæ in operantem, & cooperantem variæ opiniones Doctorum recenſentur.

SExta diuiſio Gratiæ eſt in operantem, & cooperantem. Hæc diuiſio licèt ſub iſtis formalibus terminis non reperiatur in diuina Scriptura, neque apud antiquos Patres, habetur tamen ſub aliis verbis idem ſignificantibus. Nam gratiam operantem monſtrat Paulus ad Philippenſes 1. cùm ait, *Certus ſum, quoniam qui operatur in vobis opus bonum, perficiet vſque in diem Chriſti Ieſu.* & cap. 2. cùm inquit, *Deus eſt enim, qui operatur in vo-* 1.

bis

bis velle,& perficere pro bona voluntate. Gratiam verò cooperantem monstrat idem Paulus in 1. ad Corinth.cap.15.dum ait, *Gratia autem Dei sum id, quod sum, & gratia eius in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboraui:non ego autem, sed gratia Dei mecum.* Licèt hunc locum nitatur peruertere Caluinus apud Bellarmin.lib.6. de libero arbitrio cap.10. in fine. Eandem gratiam cooperantem euidentiùs monstrant illa verba eiusdem Pauli in 1.ad Corinth.cap.3. *Dei enim sumus coadiutores.* pro quo est in textu Græco vox significans cooperatores,& ad Roman.cap.8. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.*

Bellarm.

Vtriusque gratiæ operantis, & cooperantis meminit Augustinus lib.de Gratia,& libero arbitrio cap.17.cùm inquit: *Qui præparat voluntatem, & cooperando perficit, quod operando incepit:quoniam ipse vt velimus,operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens. Propter quod ait Apostolus: Certus sum,quoniam qui operatur in vobis opus bonum, perficiet vsque in diem Christi Iesu. Vt ergo velimus, sine nobis operatur:cùm autem volumus & sic volumus, vt faciamus, nobiscum cooperatur. Tamen sine illo vel operante,vt velimus,vel cooperante,cùm volumus,ad bona pietatis opera nihil valemus.De operante illo,vt velimus,dictum est,Deus est,qui operatur in nobis & velle,de cooperante illo,cùm volumus, & volendo facimus, scimus, inquit, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Concilium quoque Arausicanum secundum can.9.inquit: *Quoties enim bona operamur, Deus in nobis, atque nobiscum vt operemur, operatur.* Eiusdem diuisionis sub nomine gratiæ excitantis, & adiuuantis seu cooperantis meminit Concil. Tridentinum sess. 6. de Iustificatione cap.5.

Augustin.

Concil. Arausic.

Concil. Trident.

II. Circa immediatum diuisum gratiæ operantis, & cooperantis non est vna sententia Theologorum,neque eodem modo omnes explicant, quid sit gratia operans, & quid cooperans. est enim prima opinio, quòd immediatum diuisim huius diuisionis sit non solùm gratia gratum faciens actualis, sed etiam habitualis, quam videtur docuisse D.Thom. in 2.d.26. quæst. 1. art. 4. & 1.2. quæst.111.art.2. vbi ait, quòd gratia operans habituàlis est ipsa gratia gratum faciens, quatenus est quædam forma sanans animam, & illam iustificans, & dans illi quoddam esse supernaturale: gratia verò habitualis cooperans est eadem gratia habitualis, quatenus est principium operis meritorij supernaturalis.Similiter gratia actualis operans est speciale auxilium Dei supernaturale,quo voluntas mouetur tantùm, & non mouet: gratia verò actualis cooperans est illud auxilium speciale, quo voluntas & mouetur, & mouet. Rursum addit, quòd gratia operans est auxilium speciale, quo Deus operatur in nobis effectum internum, scilicet actum internum volitionis: gratia verò cooperans est auxilium,quo operatur in nobis,& nobiscum actus internos, qui sunt actus imperati à voluntate.

D.Thom.

Hæc sententia quatenus ait, gratiam gratum facientem habitualem posse diuidi in operantem, & cooperantem ratione duplicis illius effectus, quem causat in nobis, verissima est: neque enim negari potest, gratiam gratum facientem dare animæ nostræ quoddam esse supernaturale, & simul esse principium radicale omnis nostræ operationis supernaturalis,cùm hoc sit proprium cuiuslibet formæ siue supernaturalis, siue naturalis. Verùm neque D.Paulus, neque Augustinus, neque Concilia cùm diuidunt gratiam in operantem, & cooperantem, ad habitualem respiciunt, sed ad actualem tantùm: considerant enim gratiam,non quatenus dat homini esse supernaturale,sed quatenus est principium operationis supernaturalis, idque præsertim colligitur ex D.Augustino, quem non est dubium locutum fuisse de illa gratia, de qua erat illi controuersia cum Pelagianis,& cum illorum reliquiis, quæ controuersia non fuit de gratia habituali, sed solùm de actuali.

III. Illud etiam, quod subiungit ista sententia, auxilium actuale dici gratiam operantem,quatenus causat internum effectum, seu actum voluntatis, & dici gratiam cooperantem, quatenus adiuuat ad perficiendum actum externum, qui est actus à voluntate imperatus, etsi habeat aliquod fundamentum in verbis Augustini suprà citatis ex lib. de Gratia & libero arbitrio cap.17.non tamen est vniuersaliter verum. quia gratia cooperans non dicitur cooperans solùm in ordine ad actum externum à voluntate imperatum, sed etiam in ordine ad actum internum ab eadem voluntate elicitum, & multo magis. Hoc enim colligitur ex Concil.Tridentino sess.6.cap.5.cùm docet, adultos per gratiam excitantem,atque adiuuantem ad conuertendum se ad suam iustificationem disponi eidem gratiæ liberè assentiendo, & cooperando.& can.4.cùm ait:*Si quis dixerit,liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti, & vocanti,*&c. Nam voluntatem cooperari dicitur relatiuè ad cooperari diuinæ gratiæ,vt ipsa verba sonant.

Cõcil.Trid.

Dicendum itaque, immediatum diuisum gratiæ operantis,& cooperantis, quatenus hac diuisione vruntur D.Paulus,& D.Augustinus, & Cõcil.Tridentinum,immò & antiqui Patres, qui de gratiæ necessitate contra Pelagianos disseruerũt, non esse gratiam habitualem, sed speciale Dei auxilium actuale, & istud auxilium dici gratiam cooperantem non solùm in ordine ad actum externum à voluntate imperatum,sed etiam in ordine ad actum internum à voluntate elicitum, & multo magis.

IV. Hoc ita constito est secunda opinio affirmans, gratiam operantem dici speciale auxilium supernaturale, quatenus causat in nobis intentionem, seu volitionem finis: gratiam verò cooperantem dici speciale auxilium supernaturale, quatenus causat in nobis voluntatem mediorum ad finem. Hanc sententiam Vasquez 1. part. disp.88. cap.3. tribuit Durando,Conrado,D.Antonino, Driedoni,& Ruardo Taper in locis ab eo ibidem allegatis.Eadem sententia tribuitur Caietano in 1.2. q. 111.art.2.& Dominico Soto in 1.lib.de Natura & gratia cap. 16.

Vasquez.

Caietan. Domin. Soto.

Hæc tamen illorum explicatio non videtur legitima,quia cùm Paulus,& Augustinus, & Cõcilia dicunt, illam esse gratiam operantem, qua Deus operatur in nobis velle,& facit,vt velimus, non de solo actu voluntatis, qui est volitio, aut intentio finis, sed de omni actu supernaturali ipsius voluntatis loquuntur, quo illa vult aliquid spectans ad æternam salutem, siue illud sit finis, siue sit medium ordinatum ad finem.

V. Tertia sententia est aliorum dicentium, gratiam operantem esse motum quendam subitaneum intellectus,& voluntatis, per quem homo à Deo excitatur, & mouetur ad bonum per sanctam cogitationem,& piam affectionem:arbitrãtur enim autores huius opinionis,Deum sine nobis operari in nobis hos primos motus intellectus,

ctus, & voluntatis intellectu, & voluntate merè passiuè ad illos se habentibus: gratiam verò cooperantem esse motum voluntatis ad bonum, quem voluntas nostra efficienter producit simul concurrens cum diuina gratia, videlicet liberum consensum supernaturalem ipsius voluntatis. Ita diuisionem, & acceptionem gratiæ operantis, & Andr. Vega. cooperantis videtur explicare Andreas Vega lib. 6. de Iustificatione cap. 8. licèt sub aliis terminis, nimirum gratiæ excitantis & adiuuantis. Docet nanque, primos motus indeliberatos causari in nobis à solo Deo, vel ab Angelo, nobis merè passiuè ad illos nos habentibus: & reprobat opinionem illorum, qui dicunt intellectum non posse intelligere nisi per intellectionem ab ipso productam, tanquam contrariam communi sententiæ Philosophorum, & Theologorum.

Hæc sententia quatenus constituit gratiam operantem in primis motibus indeliberatis intellectus, & voluntatis, qui sunt sancta cogitatio, & pia affectio, alios etiam habet defensores: sed in eo, quod ait, istos actus non elici efficienter ab intellectu, & voluntate hominis, sed hominem ad illos se habere tantùm passiuè, non est communis sententia Philosophorum, & Theologorum, sed cum illis apertè pugnans, vt videri potest a- D. Thom. Bartholom. Medina. pud Commentatores D. Thomæ in 1.2. quæst. 3. & 9. vt omittam censuram, qua illam notat Bartholomæus Medina 1.2. quæst. 111. art. 2. §. *in confutationem*, &c. Neque illam aliquid iuuant autoritates Concilij secundi Arausicani, & Gennadij, & diuinæ Scripturæ, quas ille adducit. Nam licèt dicant, Deum multa bona in nobis sine nobis operari, non tamen dicunt, hæc opera esse motus primos intellectus, & voluntatis, quos appellamus sanctam cogitationem, & piam affectionem. Et esto loquantur etiam de istis motibus, non est illorum mens, negare, hos motus verè efficienter elici ab intellectu, & voluntate hominis, cùm sint actus vitales, quos implicat non produci efficienter ab intellectu & voluntate: sed dicunt, illos produci in nobis, sine nobis, quia non fiunt à nobis per præuiam deliberationem, & electionem eo modo, quo D. Thom. in 1.2. quæst. 9. D. Thom. dicit, voluntatem in primo motu non mouere seipsam.

Et reuera hæc sententia absque vlla causa videtur errori antiquorum Lutheranorum ansam præbere. nam si admittimus, esse in nobis aliquem actum intellectus, & voluntatis, cuiusmodi sunt sancta cogitatio, & pia affectio, ad quos homo merè passiuè se habeat, nihil verè efficiendo, & nihilominus ratione horum actuum hominem dici verè cogitantem, & volentem, satis erit difficile probare, quòd liberum arbitrium à Deo motum, & excitatum non se habeat merè passiuè, sed verè actiuè, & efficienter cooperetur diuinæ gratiæ in actu iustificationis.

VI. Quarta sententia docet, gratiâ dici operátem, quatenus producit in nobis hos primos motus indeliberatos intellectus & volũtatis, qui tamẽ producuntur etiam efficienter ab intellectu, & voluntate, quanuis non ex deliberatione, & electione: dici verò cooperantem, quatenus producit in nobis liberam electionem supernaturalem. Hic tamen modus dicendi non probatur, quia cùm Paulus, & Augustinus docent, Deum operari in nobis velle, & perficere, non loquuntur de solo actu voluntatis indeliberato, sed multo magis de velle perfecto, & deliberato. Idcirco alij rectiùs eandem sententiam ita explicant, vt dicant, gratiam operantem esse ipsos primos motus indeliberatos intellectus, & voluntatis, quos Deus causat in nobis, qui sunt sancta cogitatio, & pia affectio, quatenus per hos motus Deus infallibiliter disponit voluntatem ad liberum consensum, & facit illam infallibiliter velle, vocando scilicet eo modo, quo certissimè præuidet, illam pro sua libertate infallibiliter præstituram liberum consensum ipsi diuinæ gratiæ. Quæ sententia sic explicata multos non obscuri nominis habet defensores, & videtur fundata in doctrina D. Augustini. Nam ex sententia Augustini gratia operans est illa, qua Deus voluntatem præueniendo operatur in ea velle, & facit, vt illa liberè velit, & infallibiliter velit bonum supernaturale: sed gratiam, qua operatur in nobis velle, & facit, vt velimus, vbique ille constituit in vocatione congrua, quæ consistit in sancta cogitatione, & pia affectione. quod ex variis illius testimoniis probant. Nam Augusti. in lib. 1. ad Simplician. quæst. 2. declarans, quomodo Deus operetur in nobis velle, ita ait: *Ad eandem quippe misericordiam pertinet, vt velimus: Deus enim est, qui operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate. Nam si quæramus, vtrum donum Dei sit voluntas bona, mirum si negare quispiam audeat. Ateniam quia non præcedit voluntas bona vocationem, sed vocatio bonam voluntatem, propterea vocanti Deo rectè tribuitur, quod bene volumus: nobis verò tribui non potest, quòd vocamur.* & in epistola 107. ad Vitalem ait: *Si ergo ita præpararet, atque operaretur Deus hominis voluntatem, vt tantummodo legem suam, atque doctrinam libero eius adhiberet arbitrio, nec vocatione illa alta, atque secreta sic eius ageret sensum, vt eidem legi accommodaret assensum, proculdubio ea legere, vel intelligere legendo, vel etiam exponere, ac prædicare sufficeret, nec opus esset orare.* & in libro de Prædestinatione Sanctorum capite 19. *Nec omnia credimus: sed vt credamus, vocamur, atque vocatione illa, quæ sine pœnitentia est, id prorsus agitur, & peragitur, vt credamus.* & infrà: *Deus igitur operatur in cordibus hominum vocatione illa secundum propositum suum, de qua multa locuti sumus, vt non inaniter audiant Euangelium, sed eo audito conuertantur.* Autor etiam libri de Ecclesiasticis dogmatibus, quem nonnulli putant fuisse ipsum Augustinum capite 21. sic ait: *Manet ad quærendam salutem arbitrij libertas, sed admonente prius Deo, & inuitante ad salutem, vt vel eligat, vel sequatur, & initium salutis nostræ Deo miserante habemus; vt acquiescamus salutifera inspirationi, nostræ libertatis est.* Accedit, quòd auxilium efficax gratiæ præuenientis Augustinus semper solet vocare congruam vocationem, secundùm propositum, & sine pœnitentia, altam, & secretam, vt suprà adnotauimus: auxilium autem efficax gratiæ præuenientis idem est cum gratia operante. & in lib. de Prædestinatione sanctorum c. 8. exponẽs illa verba apud D. Ioannem, *Nemo venit ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum*, videtur hunc tractum constituere in quadam interna mentis illuminatione alta, & secreta; ait enim, *valde remota est à sensibus carnis hæc schola, in qua Pater auditur, & docet, vt veniatur ad Filium.* & infrà: *Valde, inquam, remota est à sensibus carnis hæc schola, in qua Deus auditur, & docet: multos enim videmus venire ad Filium, quia multos credere videmus in Christum, sed vbi, & quomodo à Patre didicerint, non videmus: numium gratia ista secreta est, gratiam verò esse quis ambigit. Hæc itaque gratia, quæ occultè humanis cordibus diuina largitate tribuitur, à nullo duro corde respuitur, ideo*

quippe

Digitized by Google

quippe tribuitur, vt cordis duritia primitus auferatur. Quando ergo Pater intus audiuit, & docet, vt veniatur ad Filium, aufert cor lapideum. & lib. de Gratia & libero arbitrio cap. 5. loquens de gratia efficaci, qua Deus conuertit Paulum ait: *Vt Paulus de cœlo vocaretur, & tam magna, & efficacissima vocatione conuerteretur gratia Dei erat sola: quia eius merita erant magna, sed mala.* Hæc, & alia Augustini testimonia ostendunt, illum constituere gratiam operantem in interna illustratione, & sancta cogitatione, & pia affectione, & sufficiunt ad exponenda alia eiusdem Augustini loca, in quibus dicit, Deum operari intus in cordibus hominum ad inclinãdas illorum voluntates, & illas agere, mouere, & inclinare quocunque voluerit: Videntur enim sic posse legitimè interpretari, vt hæc fiant à Deo per immissionem sanctæ cogitationis, & piæ affectionis antecedentis liberum consensum, quas vnico nomine Augustinus vocat congruam vocationem.

VII. Quinta sententia de gratia operante ab illius autoribus istis propositionibus sic explicatur *Prima propositio: Gratia operans moraliter eadem est cum gratia excitante. Secunda propositio: Gratia operans physicè, id est, efficienter, distinguitur realiter à gratia excitante. Tertia propositio: Ad quancunque piam operationem siue illa sit intentio finis, siue mediorum siue interior, siue exterior, semper concurrit gratia operans.*

Vt intelligãtur istæ propositiones, & ea, in quibus ista sententia differt à præcedenti, notãdũ est, differre has duas sententias in hoc, quia prior sententia inter motum indeliberatum voluntatis, & sanctam cogitationem, in quibus illa constituit gratiam operantem, & inter liberum consensum voluntatis illa non constituit aliquem motum, & influxum physicum in ipsam voluntatem, per quã Deus illam præmoueat, & applicet ad eliciendum liberum consensum. At posterior sententia inter diuinam excitationem, quæ fit per immissionem sanctæ cogitationis, & piæ affectionis indeliberatæ, & liberum consensum constituit quendã physicum motum, & influxum ordinis supernaturalis in ipsam voluntatem, per quem Deus voluntatem præmouet, & applicat ad consensum, & in isto influxu, & motu physico constituit gratiam operantem, vnde aiunt quidam, differre has duas sententias, quòd prior constituit gratiam operantem in sola motione morali, posterior verò illam constituit etiam in motione physica. & hoc est quod autores posterioris opinionis aiunt, gratiam operantem non consistere in motione morali, siue non esse gratiam excitantem: quia nomine gratiæ excitantis illi intelligunt gratiam, quæ mouet solùm moraliter, & non physicè.

Greg. Arim. Capreol. Tribuitur hæc sententia Gregorio Ariminensi in 2. d. 28. q. 1. art. 3. ad 12. quam Capreol. ibid. probat, & dicit per omnia concordare cum doctrina D. Thomæ. & reuera negari nequit, D. Thomam constituere gratiam operantem non in sola motione morali, sed etiam in motione physica, vt ex dicendis patebit. Eandem sententiam defendunt ferè omnes discipuli eiusdem D. Thomæ.

VIII. Vltima sententia docet, gratiam operantem esse illam, qua Deus operatur in nobis non solùm velle imperfectum, sed etiam velle perfectum, & liberum consensum supernaturalem voluntatis. sed duo addit, per quæ ab opinionibus præcedentibus differt, alterum est, gratiam operantem consistere in sola motione morali, gratiam verò cooperantem consistere in motione physica, & per modum causæ verè efficientis: & in hoc differt hæc sententia à proximè præcedenti. Alterum est, quia hæc sententia docet, gratiam dici operãtem, quatenus operatur in nobis primum actum deliberatum voluntatis, qualis est conuersio infidelis ab infidelitate, & conuersio eius, qui in peccato exiliit, ad pœnitentiam: gratiam verò cooperãtem dici, quatenus efficit actus consequentes voluntatis, qui sunt, v. g. velle orare, velle sacerdotem quærere, velle bona opera facere, quos actus continuo sequũtur actus externi, ita vt gratia operans nihil aliud sit, nisi auxilium speciale efficax respectu primi actus voluntatis, gratia verò cooperans sit auxilium speciale respectu actuum sequentium.

Hæc sententia in eo, quòd gratiam operantem constituit in sola motione morali, non habet peculiarem difficultatem: in eo verò, quòd gratiam cooperantem constituit in motione physica, & coëfficientia cum libero arbitrio, videtur secum pugnare. nam gratia operans, & cooperans secundùm rem vna & eadem est gratia, differens solùm comparatione ad diuersos actus, vt infrà ex D. Ambrosio, Augustino, & D. Thoma, & aliis ostendemus. quare aut ambæ, aut neutra illarum non solùm moraliter mouent, sed etiam physicè. Præter quod cùm primus actus deliberatus voluntatis sit eiusdem naturæ cum aliis actibus consequentibus, quænam est ratio, ob quam gratia, quæ operatur primum actum, operetur illum solùm moraliter, quæ verò operatur actus consequentes, operetur illos verè physicè, & efficienter? Deinde quod ait, Deum per gratiam cooperantem non efficere primum actum deliberatum nostræ voluntatis, sed solùm actus alios consequentes, ita vt ad primum actum non requiratur gratia cooperans, non satis intelligo. quia duplici solùm ex causa videtur ad actum supernaturalem non requiri gratia cooperans. Prima est, quia ille actus non producitur effectiuè à nobis, sed à solo Deo. Secunda, quia licèt ille actus producatur effectiuè etiam à nobis, non tamen producitur cum libertate, & ex electione, in quo sensu dixit D. Thom. 1. 2. quæst. 9. primos motus voluntatis non esse ab ipsa voluntate. Verùm neutra ex causa negari potest, ad primum actum deliberatum voluntatis requiri gratiam cooperantem. non ex prima, quia talis actus est verè elicitus à voluntate. non ex secunda, quia talis actus est verè elicitus cum deliberatione, & libertate, vt supponimus. Deinde illa gratia, cui liberum arbitrium verè cooperatur, est verè gratia cooperans, vt notum est ex terminis. Cooperans enim dicitur relatiuè ad aliud cooperans: sed gratiæ Dei liberum arbitrium etiam in primo actu deliberato verè cooperatur, vt notum est ex Concilio Tridentino. Ergo.

CAPVT VII.

Nonnulla fundamenta iaciuntur ad explicandum, quid sit gratia operans, & cooperans.

I. AD humani arbitrij libertatem conciliandam cum efficacia diuinæ gratiæ non parum conferre arbitramur, probè nosse, in quonam ipsa diuinæ gratiæ vis, & efficacitas sit constituta. Ad hoc verò explicandum necesse est intelligere, quid sit gratia operans, & quid cooperans. Ad cuius rei declarationem primò

ſupponenda nobis eſt tanquam veriſſima doctrina D. Thomæ in prima ſecundæ quæſtione 111. articulo 2. vbi inquit, quòd in illo effectu, in quo mens noſtra eſt mota, & non mouet, ſolus autem Deus eſt mouens, operatio Deo attribuitur: & ſecundùm hoc dicitur gratia operans. In illo autem effectu, in quo mens noſtra, & mouetur, & mouet, operatio non ſolùm attribuitur Deo, ſed animæ: & ſecundùm hoc dicitur gratia cooperans. quæ doctrina colligitur ex D. Paulo, & Auguſtino in locis ſuperiùs citatis.

Secundò ſupponendum eſt, quidquid nonnulli reclament, gratiam operantem eſſe etiam præuenientem, & excitantem, & gratiam cooperantem ſimiliter eſſe comitantem, & adiuuantem, & ſubſequentem. Rurſus gratiam operantem, & cooperantem, præuenientem, & comitantem, vel ſubſequentem, excitantem & adiuuantem realiter identificari, & diſtingui ſolùm per comparationem ad varios illarum effectus. Et in primis gratiam præuenientem, & operantem, ſimiliter gratiam ſubſequentem, vel concomitantem, & cooperantem identificari, docet D. Thom. de veritate quæſtione 27. articulo 5. ad ſextum, & prima ſecundæ quæſtione 111. articulo 3. ſimiliter gratiam præuenientem, & operantem identificari cum gratia excitante, gratiam verò comitantem, vel ſubſequentem, & gratiam cooperantem idẽtificari cum gratia adiuuante, indicat Concil. Tridentinum. nam ſeſſ. 6. capite 5. videtur omne auxilium gratiæ diuidere in gratiam excitantem, & adiuuantem; & tamen capite 16. idem auxilium gratiæ diuidit in gratiam præuenientem, comitantem, & ſubſequentem: quare aut Concilium omiſit præcipuam diuiſionem gratiæ in operantem, & cooperantem, aut illam comprehendit ſub diuiſione gratiæ excitantis, & adiuuantis.

D.Thom. Cõcil.Trid.

II. Quòd autem gratia operans, & cooperans non realiter, ſed per ſolam comparationem ad varios effectus, quos producunt in nobis, abinuicem diſtinguantur, vt dicatur gratia operans, quatenus ſolùm influit in voluntatem & cooperans quatenus cum illa influit in liberum conſenſum, docet Auguſtinus in locis proximè allegatis, cùm ait, *Deus ſine nobis operatur incipiens, qui nobiſcum cooperatur perficiens.* & in libro de Correptione & gratia, dum inquit capite 2. eos, qui filij Dei ſunt, Spiritu Dei ita agi, non vt ipſi nihil agant, ſed vt ipſi quoque aliquid agant. & in lib. de Spiritu & litera capite 32. vbi ait: *Præuenit* (ſcilicet gratia) *vt ſanemur: ſubſequitur, vt ſanati vegetemur. præuenit, vt vocemur: ſubſequitur, vt glorificemur: præuenit, vt piè viuamus; ſubſequitur, vt cum illo ſemper viuamus.* D. Proſper Auguſtini per omnia diſcipulus in 2. de vocatione Gentium capite 26. cùm dixiſſet, gratiam Dei in iuſtificatione nos præuenire excitando, mouendo, ſuadendo, addit: *Sed etiam voluntas hominis ſubiungitur ei, atque coniungitur, quæ ad hoc prædictis eſt excitata præſidiis, vt diuino in ſe cooperetur operi, & incipiat exercere ad meritum, quod ſuperno ſemine concepit ad ſtudium.* Quæ verba indicant, eandem eſſe gratiam præuenientem, excitantem, & operantem, & hanc eandem eſſe cum gratia cooperante. alioqui non diceretur humana voluntas ſubiungi, aut cooperari eidem gratiæ excitanti, & præuenienti, ſi gratia adiuuans, cooperans, & ſubſequens non eadem eſſet cum gratia excitante, præueniente, & operante.

Auguſtin. Proſper.

D. Bernardus eandem ſententiam probat in lib. de Gratia, & libero arbitrio, cùm inquit: *Ipſa gratia liberum excitat arbitrium, cùm ſeminat cogitatum, ſanat, cùm immutat affectum, roborat, vt perducat ad actum, ſeruat, ne ſentiat defectum. Sic autem iſta tria operatur cum arbitrio, vt illud in primo præueniat, in cæteris comitetur, ad hoc vtique præueniens, vt iam ſibi deinceps cooperetur.* Poſſumus in huiuſce rei cõfirmationem adiungere D. Anſelmum citca illa verba Pauli 1. ad Corinth. 15. *Non ego autem, ſed gratia Dei mecum*, dicentem: *Notandum, quòd ſuperna pietas priùs aliquid agit in nobis ſine nobis, vt ſubſequente arbitrio noſtro bonum quod appetimus agat nobiſcum.*

Anſelm.

D. Thomas 1. 2. quæſt. 111. art. 2. apertè docet, eandem eſſe gratiam operantem, & cooperantem, & ſolùm diſtingui reſpectu effectuum, & art. 3. ad 2. ait, quòd *gratia non diuerſificatur per hoc, quod eſt præueniens, aut ſubſequens ſecundum eſſentiam, ſed ſolùm ſecundum effectum, ſicut de operante, & cooperante dictum eſt.* Conſentiunt Andreas Vega lib. 6. de Iuſtificatione cap. 5. & 7. Vaſquez 1. par. diſp. 88. cap. 9. n. 4. Aluarez diſp. 81. n. 9.

Andr. Vega. Vaſquez. Aluarez.

Idem indicat Concil. Tridentinum ſeſſ. 6. can. 4. cùm definit liberum arbitrium à Deo motum, & excitatum cooperari Deo vocanti, & excitanti. per hoc enim inuuit, gratiam, cui cooperamur, quæque eſt cooperans, eandem eſſe cum gratia mouente, & excitante. Et ratio hoc videtur ſuadere: nam non ſunt multiplicanda entia ſine neceſſitate: ſed nulla neceſſitas cogit ponere iſtas gratias realiter abinuicem diſtinctas, cùm ſufficiat eadem gratia alio, atque alio modo concepta, prout diuerſimodè refertur ad diuerſos effectus.

Hinc verò deducitur, quemadmodum duplex eſt genus gratiæ præuenientis, & excitantis, & operantis, aliud quo voluntatem Deus mouet ſolùm in genere cauſæ moralis, & obiectiuæ, aliud quo voluntatem mouet in genere cauſæ verè phyſicæ, & efficientis: ita duplex quoque eſſe genus gratiæ comitantis adiuuantis, & cooperantis, aliud per modum cauſæ moralis, aliud per modum cauſæ verè phyſicæ, & efficientis. Nam qui alium excitat ad aliquid agendum, & conſulit, & ſuadet, vt agat, dicitur etiam illi ad opus cooperari, ſiue illud bonum ſit, ſiue malum: vnde ſi quis alteri ſuadeat homicidium, & ad illud excitet, per leges punitur, ac ſi homicidium admiſiſſet, quia moraliter cooperatus eſt ad homicidium.

III. Tertiò ſupponendum eſt, in ſententia ſaltem D. Thomæ gratiam operantem non conſiſtere in ſola motione morali, & obiectiua, ſed etiam in motione phyſica, per quam Deus voluntatẽ phyſicè, & verè efficienter inclinat, mouet, & roborat ad eliciendum conſenſum eo modo, quo ſcit ipsã liberè præſtituram conſenſum. non decernimus modò, an iſte motus phyſicus ſit idem cum motu, quo Deus producit in voluntate primum motum indeliberatum, qui dicitur pia affectio, & deſiderium boni inchoatum præcedens liberum conſenſum, an verò ſit influxus ab illo diſtinctus, ſed hoc ſolùm contendimus, in ſententia D. Thomæ gratiam operantem non conſiſtere in ſola motione morali, & obiectiua, ſed etiam in motione verè phyſica, qua Deus voluntatem verè efficienter mouet, & inclinat ad liberum conſenſum. Eſſe verò hanc ſententiam D. Thomæ colligitur ex q. 3. de malo art. 3. vbi data opera diſtinguit cauſam mouentem ſolùm moraliter à cauſa mouente efficienter, ſiue, vt ipſe ait, per modum perficientis. & docet, quòd per modum efficientis ſiue perficientis nullus voluntatem mouere poteſt, niſi Deus. quia motus voluntaris nihil

D.Thom.

Digitized by Google

nihil est aliud, nisi illius inclinatio, & nullus potest voluntatem efficienter inclinare in aliquod obiectum, nisi ipsa voluntas, & Deus, qui est autor voluntatis, & illius causa efficiens. & hæc sunt illius verba: *Respondeo dicendum, quòd causa aliquid mouens multipliciter dicitur: quandoque enim dicitur causa id, quod est disponens, vel, quod est consilians, vel quod est præcipiens. Quandoque verò dicitur causa id, quod est perficiens: & hoc verè & propriè causa dicitur, quia causa est, ad quam sequitur effectus, ad actionem autem perficientis statim effectus sequitur, non autem ad actionem disponentis, vel consulentis, vel imperantis: suasio enim non cogit inuitum,* vt Augustinus ait in lib. 83. quæstionum. & infrà: *Sicut enim in formis producendis causa perficiens est, ex cuius actione directè sequitur forma, ita in actibus eliciendis causa perficiens est, ex cuius actione agens directè inclinatur ad actionem.* & infrà: *Voluntas ad aliquid inclinari dicitur dupliciter, vno modo ab exteriori, alio modo ab interiori. Ab exteriori quidem sicut ab obiecto apprehenso; nam bonum apprehensum mouere dicitur voluntatem, & per hunc modum dicitur mouere consilians, vel suadens, in quantum scilicet facit apparere, aliquid esse bonum. Ab interiori autem mouetur voluntas sicut ab eo, quod producit ipsum voluntatis actum.* & infrà: *Relinquitur ergo, quòd causa perficiens, & propria voluntarij actus sit solum id, quod operatur interiùs: hoc autem nihil aliud esse potest, quàm ipsa voluntas sicut causa secunda, & Deus sicut causa prima. Cuius ratio est, quia actus voluntatis nihil aliud est, quàm inclinatio quædam voluntatis in volitum, sicut & appetitus naturalis nihil aliud est, quàm inclinatio naturæ ad aliquid: inclinatio autem naturæ est & à forma, & ab eo quod dedit formam.* Hæc verba erant notanda, vt semel constet de qua causalitate loquatur D. Thomas, cùm ait, solum Deum mouere voluntatem, interiùs illam inclinando in aliquod obiectum, & auferendo vnam inclinationem, & aliam tribuendo, quo modo loquendi vtitur frequenter, videlicet de veritate quæstione 22. articulo 9. & lib. 3. contra Gentes capite 88. prima parte quæstione 106. articulo secundo, & quæstione 111. articulo secundo, & aliis in locis libro præcedenti capite 20. allegatis. Loquitur enim non de sola motione morali, & obiectiua, quæ qualiscunque sit, est semper vt ab extrinseco, sed de motione physica per modum causæ verè efficientis.

IV. Hoc autem fundamento iacto, quod verissimum esse nullus negare potest, facillimum erit ostendere D. Thomam gratiam operantem non in sola motione morali, sed verè physica, & efficienti constituere. Nam in primis in tertio contra Gentes capite 88. exponens illa verba Pauli, *Deus est, qui operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate*, quæ citrà controuersiam sunt intelligenda de gratia operante, deducit, solum Deum posse causare intrinsecè motum voluntatis absque eo, quod inferat voluntati aliquam violentiam. Deinde in prima secundæ quæstione 111. articulo secundo in corpore dicit, quòd gratia operans est motio, qua Deus mouet voluntatem ad actum internum, quatenus in tali actu voluntas est mota, & non mouens, & ad primum argumentum, quod erat huiusmodi. Gratia accidens quoddam est: sed accidens non potest agere in subiectum. Ergo gratia non debet vocari operans. Respondet, quòd secundùm quòd gratia est quædam qualitas accidentalis, non agit in animam effectiuè. Ergo ex sententia D. Thomæ gratia, secundùm quod est quædam motio, & actio, agit in animam effectiuè. alioquin non ad argumentum propositum respondet. & vt semel dicam, vbicunque D. Thom. dicit, Deum mouere voluntatem intrinsecè illam inclinando in obiectum, aut immutando, semper loquitur de motu per modum causæ verè efficientis, quod ex hoc conuincitur, quia tribuit Deo tanquam notam diuinitatis posse voluntatem intrinsecè mouere, vt constat ex his, quæ ille scribit in quæstione tertia de malo articulo 3. & quæstione 22. de veritate articulo 8. & primâ secundæ quæstione 9. articulo 6. quod non rectè faceret, si de motione morali loqueretur: nam constat etiam ex ipso D. Th. voluntatem ex aliis causis præter Deum moraliter moueri.

V. Sed non solus D. Thomas, nec ille primus dixit, gratiam operantem in motione physica, & verè efficienter mouente consistere. nam eandem sententiam apertè tradiderat D. Augustinus pluribus in locis, quod facilè etiam ostendemus, suppositis duobus, quæ tum in doctrina D. Augustini, tum in seipsis verissima sunt. Primum est, motum voluntatis, vt est effectiuè ab ipso Deo receptus in voluntate, aliud nihil esse, nisi inclinationem, & pondus quoddam, quod gratia imprimit voluntati, vt illa inclinetur, & moueatur in aliquod obiectum, sicut inclinatio impressa lapidi à natura est pondus, à quo fluit motus lapidis deorsum, vt D. Thomas non semel explicauit. Secundum est, per peccatum Adæ naturam humanam duplicem læsionem accepisse, alteram in intellectu, qui obtenebratus est, vt non valeat absque speciali auxilio, quod bonum & agendum est, discernere: alterâ in volũtate, quæ incuruata, vulnerata & sauciata est, & ad malũ valdè inclinata, & è cõtrario auersa à bono & à studio virtutis, ad quod non potest nisi cum maximo labore, & cum speciali Dei auxilio inclinari. De hac inclinatione ad malum, & renitentia ad id, quod bonum est agendum, quæ in natura humana post peccatum Adæ consecuta est, pleni sunt libri diuinæ Scripturæ, & sanctorum Patrum, immo etiam Philosophorum. De hac Scriptura loquitur in lib. Genes. capite 6. & Dauid in Psalm. 61. iuxta quod illa verba, *Interficitis vniuersi vos tanquam parieti inclinato*, exponit D. Basilius homil. 15. in illum Psalmum, & D. Paulus ad Roman. capite 7. Eandem innuere voluit Plato in Menone, & in Hypia, cùm ait, pulcherrimas illas Dædali statuas, quarum hieroglyphico virtutes denotabat, non nisi funibus, ac compedibus strictas apud mortales detineri. De hac duplici læsione loquitur sæpe D. Augustinus, videlicet in Enchiridio capite 3. de Spiritu, & litera capite 3. libro primo contra duas epistolas Pelagianorum cap. 2. & lib. 2. cap. 5. & lib. 3. Hypognosticon ferè per totum, vbi applicat, & explicat metaphoram illam Euangelicam hominis descendentis ab Hierusalem in Hierico, qui incidit in latrones, qui despoliauerunt illum, & plagis impositis abierunt semiuiuo relicto, & Concil. Arausicanum secundum per multos canones, & D. Thom. prima secundæ quæstione 85. articulo 3. & quæstione 109. articulo 2. de qua copiosè scribit Aluarez libro 6. de diuinis Auxiliis ferè per totum. Ob istam inclinationem ad malũ, & renitentiam ad bonum diuina Scriptura sæpe vocat peccatores seruos peccati, & venũdatos sub peccato, & Aug. lib. 3. de liber. arbit. c. 18. dixit, homines quodámodo ex necessitate peccare, cũ ait,

Basilius. Plato. Augustin. Concil. Arausic. D. Thom. Aluarez. Augustin.

Sunt etiam necessitate facta improbanda, vbi vult homo rectè facere, & non potest. Nam vnde sunt illa voces, non enim quod volo, facio bonum, sed quod nolo malum, hoc ago. & illud, *velle adiacet mihi, perficere autem non inuenio.* & illud, *Caro concupiscit aduersùs Spiritum, & Spiritus aduersùs carnem. Hæc enim inuicem aduersantur, vt non ea quæ vultis, faciatis. Sed hæc omnia hominum sunt ex illa damnatione venientium, nam si non est ista pœna hominis, sed natura, nulla ista peccata sunt.* Videatur idem Augustinus lib. de vera Religione cap. 14. & lib. 1. Retractat. cap. 9. & 13.

VI. Propter hanc duplicem læsionem ait Augustinus, ad cogitandum, & volendum bonum supernaturale in statu naturæ lapsæ necessarium esse duplex auxilium speciale diuinæ gratiæ, seu duplicem influxum supernaturalem diuinæ gratiæ, alterum in intellectum, per quem Deus immittit intellectui sanctam cogitationem: alterum in voluntatem, per quem illa sanatur, & inclinatur ad volendum id, quod bonum est, & accipit vires ad volendum, & perficiendum ipsum bonum supernaturale, qui vocatur influxus gratiæ sanantis. De primo influxu loquitur Augustinus in lib. de Prædestinatione sanctorum cap. 8. vbi exponens verba illa apud Ioannem cap. 6. *Omnis, qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me*, ita ait: *Valde remota est à sensibus carnis hac schola, in qua Deus auditur, & docet, vt veniatur ad Filium.* & alia quæ superiùs ex illo sunt citata, & in lib. 1. ad Simplicianum q. 2. vbi ait: *Quis potest credere, nisi aliqua vocatione, hoc est, aliqua rerum testificatione tangatur? quis habet in potestate tali viso attingi mentem suam, quo eius voluntas moueatur ad fidem.* & alia multa, quæ ibi sunt videnda, & clarissimè D. Paulus, cùm ait, *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis quasi ex nobis, sed omnis nostra sufficientia ex Deo est.* De secundo influxu in voluntatem loquitur idem Augustinus lib. 1. Retractationum cap. 13. cùm ait: *Ideo gratia Dei non solùm reatus omnium præteritorum soluitur in omnibus, qui baptizantur in Christo, quod fit spiritu regenerationis, verùm etiam in grandibus voluntas ipsa sanatur, & præparatur à Domino, quod fit spiritu fidei, & charitatis.* & clariùs in lib. de Spiritu & litera cap. 52. vbi ait: *In omnibus operibus supernaturalibus gratiam Dei nos præuenire, vt sanemur, & subsequi, vt sanati vegetemur.* quod etiam dixit Fulgentius lib. 1. ad Monimum cap. 11. & lib. 9. de Genesi ad literam cap. 18. *Nam quod attinet* (inquit) *ad naturam iniqua sua voluntate depranatam, recursum per semetipsum non habet, sed per Dei gratiam, qua adiuuatur, & instauratur. Neque enim desperandi sunt homines in illa sententia, in qua scriptum est: Omnes, qui ambulant in ea, non reuertentur. dictum est enim secundùm pondus iniquitatis suæ, vt quod reuertitur, qui reuertitur, non sibi tribuat, sed gratiæ Dei, non ex operibus, ne fortè extolleatur.* & in lib. de Gratia & libero arbitrio cap. 16. *Certum est* (inquit) *nos facere, cùm facimus: sed ille facit, vt faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati, qui dixit, faciam vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea obseruetis, & faciatis.* Non dissimilia habet in lib. de Correptione, & gratia cap. 8. vbi expendens illa verba, *Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua*, inquit: *Quando rogauit ergo, ne fides eius deficeret, quid aliud rogauit, nisi vt haberet in fide liberrimam, fortissimam, inuictissimã, & perseuerantissimã voluntatẽ.* & cap. 11. vbi de gratia secundi Adæ loquens ait: *Secunda ergo, scilicet gratia, plus potest, qua etiam fit, vt velit, & tantum velit, tantoque ardore diligat, vt carnis voluntatem contraria concupiscentem voluntate spiritus vincat.* & cap. 12. *Subuentum est* (inquit) *infirmitati voluntatis humanæ, vt diuina gratia indeclinabiliter ageretur: & ideo quamuis infirma, non tamen deficeret, neque aduersitate aliqua vinceretur.* Videantur verba immediatè antecedentia, & in Psalm. 77. circa illa verba: *Generatio, quæ non direxit cor suum, & non est creditus cum Deo spiritus eius.*

Fulgentius.

Quibus addere possumus testimonia eiusdem Augustini, in quibus ille docet, Deum agere voluntates humanas, & habere illas in sua potestate ad faciendum ex eis, quidquid voluerit, magis quàm habeant ipsi homines in sua potestate eisdem suas voluntates, quæ videri possunt in lib. de Gratia Christi contra Pelagium capite 32. in libro de Gratia & libero arbitrio capite 20. & 21. in libro de Correptione & gratia c. 11. 12. & 14. in Enchirid. capite 95. 96. & 100. sermon. 13. de verbis Apostoli, & in libro de Gestis contra Pelagium capite 3. cuius meminit idem Augustinus in libro 2. Retractat. capite 3. qui licèt non habeatur inter opera Augustini, quæ typis excusa circunferuntur, habetur tamen in nostra Bibliotheca Abbatiæ sancti Bartholomæi Fesularum apud Florentiam, quam Bibliothecam cum Ecclesia, & Monasterio magnificentissimè extructis, & honestis reditibus auctis magnificentiæ, pietati, ac religioni Magni Cosmi Medices nostra Congregatio Lateranensis acceptam refert, ex cuius Bibliotheca nuper in lucem fuit productus. VII.

Ac demum gratiam operantem ex sententia D. Augustini non in sola motione morali, sed verè physica, & per modum causæ verè efficientis consistere, satis euidenter videtur colligi ex libro de Gratia Christi contra Pelagium. Nam necessitatem gratiæ præuenientis, seu operantis mouentis solùm obiectiuè Pelagius tandem videtur admisisse, vt illa eius verba quæ Augustinus refert capite 7. videntur monstrare: *Adiuuat enim nos* (inquit) *Deus per reuelationem, & doctrinam suam, dum cordis nostri oculos aperit, dum nobis, ne præsentibus occupemur, futura demonstrat, dum Diabolo pandit insidias, dum nos multiformi, & ineffabili dono gratiæ cælestis illuminat.* & tamen Augustinus capite 8. hanc Pelagij tententiam reprobat ex eo, quoniam gratia, quam Pelagius admittebat, solùm proponit, & ostendit nobis, quid agere debeamus: non autem adiuuat, vt agamus, & concupiscentias malas vincamus, & iubet potiùs quàm iuuet, & docet morbum, non illum sanat. & cap. 12. docet, gratiam Christi efficere non solùm, vt facienda nouerimus, sed etiam, vt cognita faciamus, nec solùm vt diligenda credamus, sed vt credita diligamus. & cap. 13. ita ait: *Hæc gratia si doctrina dicenda est, certè sic dicatur, vt altiùs, & interiùs eam Deus cum ineffabili suauitate credatur infundere non solùm per eos, qui plantant, & rigant extrinsecus, sed etiam per seipsum, qui incrementum suum ministrat occultus, ita vt non ostendat tantummodo veritatem, verùm etiam impertiat charitatem. sic enim docet Deus eos, qui secundùm propositum vocati sunt, simul donans, & quid agant scire, & quid sciant agere.* Ex his & aliis Augustini testimoniis, quæ legentibus illius libros multa occurrent, ostenditur, gratiam operantem, non consistere in sola motione morali, sed in motione physica, qua Deus verè efficienter influit in voluntatem, illam sanãdo, erigendo, inclinando ad bonum, & vires efficacissimas illi præbendo, & indeclinabiliter agendo ita, vt quod bonum est, velit & volendo perficiat.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT VIII.

Quid ſit gratia operans, & cooperans, nonnullis propoſitionibus explicatur.

I. TActis fundamentis capite ſuperiori firmatis, quid ſit gratia operans, & cooperans, ſequentibus propoſitionibus ita videtur explicandum.

Prima propoſitio: Gratia operans, & cooperans, ſecundùm quod de ipſa loquuntur Auguſtinus, & alij Patres contra Pelagium de gratiæ neceſſitate diſputantes, non eſt donum habituale, ſed auxilium actuale. Probatur, quia vt cap. 6. dicebamus, controuerſia, quæ fuit inter Auguſtinum, & Catholicos ex vna, & Pelagium ex altera parte, non fuit de neceſſitate gratiæ habitualis, quæ vocatur à Patribus gratia remiſſionis peccatorum, nam illam Pelagius admittebat eſſe neceſ-
Auguſt. ſariam ex Auguſtino lib. de Natura & gratia cap. 25. & lib. de Gratia & libero arbitrio cap. 14. ſed fuit controuerſia de gratia, quæ eſt ſpeciale auxilium actuale ad bonum ſupernaturale inchoandum, & perficiendum. vnde per gratiam, qua inchoatur in nobis bonum ſupernaturale, quam illi vocant operantem, & gratiam, qua bonum inchoatum perficitur, quam illi vocant cooperantem, ſine dubio intelligunt auxilium actuale, non habituale.

II. Secunda propoſitio: Gratia non dicitur operans ſolùm comparatione actus interni, & cooperans ſolùm comparatione actus externi, ſed tã comparatione actus externi, quàm interni, & è contra accipienda eſt gratia tum operans, tum cooperans. Probatur. nam quòd gratia dicatur operans comparatione actus externi, docent illa verba Pauli ad Philipp. 2. *Deus eſt, qui operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate.* perficere
D. Thom. nanque denotat actum externum ex D. Thom. 1. 2. q. 111. art. 2. in corpore. Quòd autẽ gratia dicatur cooperans comparatione actus interni, probatur ex Concil. Trident. ſeſſ. 6. can. 4. nam ibi definitur, hominem per actum internum verè cooperari diuinæ gratiæ. Ergo etiam gratia verè cooperatur eidem libero arbitrio. Neque apparet vlla ratio, ob quam gratia cooperans potiùs ſit neceſſaria ad actum externum, quàm ad actum internum, cùm ſupponamus, vtrunque eſſe actum liberum prouenientem ex voluntate operante cum deliberatione, & ex electione, & vtrunque eſſe actum ſupernaturalem.

III. Tertia propoſitio: Gratia non dicitur operans ſolùm, quia cauſat in nobis intentionem ſeu voluntatem finis, & cooperans ſolùm, quia cauſat voluntatem mediorum, ſed etiam comparatione actus, qui eſt voluntas mediorum, dicitur gratia operans, & comparatione actus, qui eſt voluntas ſeu intentio finis, dicitur gratia cooperans. Probatur, quòd comparatione actus, qui eſt electio mediorum, dicatur gratia operans, nam Paulus quando inquit ad Philipp. 1. *Qui operatur in vobis opus bonum, ipſe perficiet.* & c. 2. *Deus eſt, qui operatur in nobis velle & perficere.* non de ſola intentione finis, ſed etiam de electione mediorum ſine dubio loquebatur. Secundò probatur, quòd comparatione actus, qui eſt intentio, ſiue voluntas finis, dicatur gratia cooperans. nam talis actus quoad exercitium eſt liber, & eſt actus ſupernaturalis. Ergo nulla eſt ratio, ob quam negemus, eſſe neceſſarium ad hujuſmodi actum eliciendum auxilium diuinæ gratiæ cooperantis, quæ neceſſaria eſt ad omnes actus liberos ordinis ſupernaturalis.

Gabr. Pennot. de libert. hum.

IV. Quarta propoſitio: Non dicitur gratia operãs ſolùm illa, quæ producit primum actum deliberatum voluntatis, neque cooperans ſolùm illa, quæ producit actus ſequentes: ſed etiam ad primum actum deliberatum neceſſaria eſt gratia cooperans. & probatur, quia in primo actu deliberato voluntas cooperatur gratiæ. Ergo in eodem actu gratia cooperatur voluntati. & nulla ſubeſt ratio, ob quam gratia potius dicatur cooperans in ordine ad actus ſequentes, quàm in ordine ad primum, cùm omnes ſint deliberati, & omnes ſupernaturales.

Quinta propoſitio: Non dicitur gratia operãs ſolùm, quæ producit primos motus indeliberatos intellectus, & voluntatis, ſed etiam illa, quæ producit motum deliberatum voluntatis, & multo magis. Probatur, quia Paulus, Auguſtinus, & alij cùm dicunt, Deum operari in nobis velle, & perficere, non loquuntur de ſolo velle indeliberato, ſed etiam de velle deliberato, & multo magis.

V. Sexta propoſitio: Gratia operans non eſt ſola motio moralis, & obiectiua, ſed influxus verè phyſicus in voluntatem, quo Deus ad modum cauſæ verè efficientis illam mouet, inclinatque ad conſenſum, & efficienter dicitur operari in homine ipſum velle. In hac propoſitione primò dicitur, quòd gratia operans non eſt ſola motio moralis: quia non negatur, ad gratiam operantem ſpectare etiam motionem moralem, & obiectiuam, quæ eſt vocatio, & doctrina illa congrua, alta, & ſecreta, qua Deus mentem hominis illuſtrando monſtrat, & proponit voluntati, quod bonum eſt, & appetendum, & eo modo ſuadet, vt perſuadeat, quam motionem obiectiuam nonnulli vocant gratiam excitantem, putant enim gratiam excitantem in ſola motione morali, & obiectiua conſiſtere: ſed dicimus, in hac ſola motione, & excitatione obiectiua non conſiſtere gratiam operantem, & præter illam requiri phyſicum influxum in voluntatem, quo à Deo illa ſanetur, erigatur, moueatur, & inclinetur, & viribus roboretur ad bonum ſupernaturale volendum, & eligendum, ita vt Deus faciat illam infallibiliter, & indeclinabiliter velle, ita vt gratia operans dicat totum aggregatum ex motione phyſica, ſeu efficienti, & motione morali, ſeu obiectiua.

Hæc propoſitio ſic explicata poteſt primò probari autoritatibus D. Auguſtini, & D. Thomæ, quos non eſt dubium, illam docuiſſe, vt illorum teſtimonia capite præcedenti allegata demonſtrant, ex quorum doctrina tale argumentum colligitur pro eadem aſſertione. Per peccatum Adæ non ſolùm eſt obſcurata ratio, ita vt nõ poſſimus abſque ſupernaturali Spiritus ſancti illuſtratione, quæ bona, & agenda ſunt, diſcernere, & voluntati, vt eligenda proponere, & ita proponere, vt alliciatur ad eligendum, ſed nec etiam quod bonum eſt, cogitare, vt Apoſtolus ait, ſed etiam vulnerata & proſtrata eſt voluntas, & ad malum ita inclinata, vt abſque ſpeciali auxilio, & influxu diuinæ gratiæ illam priùs ſanante, erigente, & vires efficaciſſimas præbente, & ad bonum mouente, & inclinante, & voluntatem tenente, & indeclinabiliter agente, bonum ſibi propoſitum, ſub quibuſuis circunſtantiis illud ei proponatur, & quantiſcunque ſuaſionibus ratio vtatur, illa nullo modo poſſit bonum efficaciter velle, & multo minus perficere. Ego per ſolam motionem, & excitationem moralem, ſeu obiectiuam, abſque influxu phyſico in voluntatem, illam ſanante, erigẽte, roborante,

inclinante, & ad bonum indeclinabiliter mouente, Deus non operatur in nobis velle ſupernaturale, nec facit efficaciter, vt velimus.

VI. Declaratur ſecundò huius argumenti vis. Per vocationem congruam, & doctrinam altam & ſecretam, & ſuaſionem quantuncunque efficacem, & excitationem ſolùm moralem ſeu obiectiuam quantuncunque vehementem, ac vehementiſſimam, Deus non ſanat voluntatem, nec erigit, nec vires illi confert, nec verè ad bonum mouet, aut inclinationem illi tribuit, ſed etiamſi proponat voluntati obiectum ſub illis circunſtantiis, & conditionibus, ſub quibus videt ipſam pro ſua libertate fore cõſenſuram, illa tamen ſolis propriæ naturæ viribus ſe determinat ad actum liberi cõſenſos. Ergo dicere, quòd gratia operans, qua ſcilicet Deus operatur in nobis velle ſupernaturale, conſiſtat in ſola motione morali, & obiectiua, quibuſcunque nominibus, & titulis etiam emphaticis illa vocetur, idem videtur eſſe, ac ſi dicamus, ſolum intellectum per peccatum Adæ læſum fuiſſe, non autem voluntatem, & ſolum intellectum egere ſupernaturali auxilio, voluntatem verò non indigere auxilio gratiæ ſanantis, & vires ſupernaturales præbentis, & ad bonũ inclinantis, quod videtur errori Pelagianorum anſam præbere.

Declaratur tertiò vis eiuſdem argumenti. Qui ſolùm moraliter, & obiectiuè alterum mouet, proponendo illi obiectum tali modo, quo illius voluntatem inclinet, hortando, conſulendo, & ſuadendo, propriè, & in rei veritate nullas ei præbet vires ad agendum, ſed ſolùm excitat illius vires alioquin per ſeipſas potentes, & validas ad operandum. hoc docet experientia quotidiana in actionibus humanis. Ergo ſi gratia operans, qua Deus operatur in nobis velle, vt Paulus ait, in ſola motione morali, & obiectiua conſiſtit, illa propriè, & in rei veritate nullas tribuit vires voluntati ad agendum, non verè illam ſanat, non verè erigit, non verè inclinat, non verè agit motum voluntatis illius, ſed ſolùm vires illius excitat ad agendum, quas de ſe potentes, & validas ſupponit.

Declaratur quartò vis eiuſdem argumenti. Pelagius à veritate tandẽ coactus admiſit neceſſitatem gratiæ præuenientis, & excitantis, quæ conſiſtit in motione morali, ſeu obiectiua, vt Auguſtinus fatetur lib. de Gratia Chriſti cap. 7. & tamen Auguſtinus illius ſententiam reiicit, quia præter adiutorium gratiæ illuminantis, & excitantis eſt etiam neceſſarium adiutorium gratiæ ſanantis, quæ adiuuat, vt velimus, & facit vt faciamus, non ergo gratia operans in ſola motione morali conſiſtit, ſed etiam in influxu phyſico in ipſam voluntatem. Auguſt.

VII. Declaratur quintò vis eiuſdem argumenti. Auguſtinus in lib. de Correptione & Gratia conſtituens diſcrimen inter gratiam collatam Adæ in ſtatu iuſtitiæ originalis, & gratiam, quæ modò confertur prædeſtinatis, ait, quòd illa tribuebat poſſe, hæc verò longè maior eſt, quia tribuit actu operari, & perſeuerare in bono, & Diaboli tentationes vincere, & pugnam, quam experimur cum propria concupiſcentia. Verùm ſi hæc gratia nobis collata in ſola motione morali conſiſtit, illa non eſt maior, quàm gratia collata Adæ; quia reuera nihil in nos influit, neque maiores vires nobis confert ad vincendas tentationes.

Dicetur, eos Theologos, qui gratiam operantem conſtituunt in ſola motione morali, plurimum diſtare à ſententia Pelagianorum. Primò, quia illi conſtituebant auxilium gratiæ in ſola propoſitione legis, & doctrinæ, aut ad ſummum in interiori illuſtratione mentis, non autem in ſuaſione efficaci, aut in vocatione congrua. Secundò, quia illi nullum ponebant ſeu admittebant influxum præuium in voluntatem, cauſantem in illa motum indeliberatum. Tertiò, quia illi negabant neceſſitatem gratiæ cooperantis, quæ omnia iſti Theologi admittunt, & neceſſaria eſſe fatentur ad bonum ſupernaturale volendum, & eligendum.

Reſpondeo nos hîc non intendere vllo modo eos Doctores Catholicos aliqua nota Pelagianiſmi notare, quos ab errore Pelagianorum non dubitamus plurimum diſtare, ſed ſolùm intendere monſtrare, gratiam operantem in doctrina D. Auguſtini nullo modo in ſola motione morali poſſe conſiſtere. Quòd autem gratia operans ſit non ſolùm illuſtratio mentis ad intelligendum, quid agendum, & quid fugiendum ſit, ſed etiam ſuaſio efficax, qua Deus homini ſuadet, vt bonum agat, non videtur ſufficienter hanc ſententiam diſtinguere à ſententia Pelagij. Nam vel iſta efficax ſuaſio eſt per ſolam obiecti propoſitionem, vel per realem efficientiam, & influxum in ipſam voluntatem. Si dicatur ſecundum, iam gratia operans, non erit ſola motio moralis. Si dicatur primum, iam gratia operans non erit amplius aliquid, niſi illuſtratio mentis. non enim Deus, aut homo alio modo ſuadet homini, niſi quia ſuo modo facit illi videri, hoc, aut illud obiectum habere tot rationes bonitatis, aut malitiæ, quòd voluntas, quæ de ſe ad bonum inclinatur, & malum refugit, tali obiecto taliter propoſito, aut illud appetat, aut reiiciat. Quod etiam dicitur ſecundo loco, Deum cauſare in homine motum indeliberatum piæ affectionis, ſi per motum iſtum indeliberatum intelligant motum gratiæ ſanantis, erigentis, roborantis, & mouentis, & inclinantis voluntatem ad bonum, & illam indeclinabiliter agentis, quatenus talis motus eſt natura prior ipſa deliberatione voluntatis, verum dicunt. Sed an illi velint ita intelligi, non ſatis conuenienter videntur explicare. Si verò intelligant motum indeliberatum, quem ſtatim excitat aliqua vehemens cogitatio nobis à Deo immiſſa, hoc minimè ſufficere videtur; quia per illum Deus non ſanat voluntatem, nec vires præbet, nec inclinat efficaciter ad bonum, neque voluntatem indeclinabiliter agit, faciens illam velle; vt Auguſtinus vbique dicit de gratia operante. Quod autem tertio loco addunt de gratia cooperante, minimè ſufficiens eſſe videtur. nam ad actus ſupernaturales eliciendos non ſolùm eſt neceſſaria gratia cooperans, quæ eſt concurſus, & influxus ſimultaneus cum voluntate in actionem ſupernaturalem, ſed etiam eſt neceſſaria gratia præueniens, quæ influat priùs in voluntatem, illam ſanando, erigendo, mouendo, & inclinando ad bonum, & vires illi præbendo, & indeclinabiliter agendo. Nam iſta eſt differentia inter diuinum concurſum cum voluntate humana ad actus naturales; & concurſum cum eadem voluntate ad actus ſupernaturales; quia in ordine ad actus ordinis naturalis voluntas habet vires completas in eſſe fixo, & permanenti, neque eget alio auxilio prænio, ſed eget ſola obiecti propoſitione. Cæterùm ad actus ſupernaturales non habet vires ex ſe ſufficientes, neque poteſt influere in actum ſupernatu

pernaturalem, nisi per auxilium gratiæ præueniẽtis priùs eleuetur supra ordine naturæ, & accipiat vires supernaturales. Et quòd ad eliciendũ actum supernaturalẽ sit necessarius influxus præuius diuinæ gratiæ in voluntatẽ, & nõ sufficiat influxus simultaneus cum voluntate in actionẽ. probatur, quia alioqui actio supernaturalis non esset supernaturalis, quatenus procedit à volũtate creata, neque homo diceretur verè, & propriè efficere aliquod opus supernaturale. Probatur sequela, quia influxus simultaneus gratiæ cooperantis non verè, & propriè dicitur conferre vires voluntati ad agendum supernaturaliter, neque illam vere dicitur eleuare supra ordinem naturæ: sicut si quis adiuuaret hominem viribus debilem ad ferendum pondus, quod is solo ferre non posset, propriè non diceretur contulisse illi vires, neque ille viribus debilis verè diceretur aliquid vltra suas vires egisse. Restat itaque, vt dicamus, ex sententia D. Augustini gratiam operantem non consistere in sola motione morali, seu obiectiua, sed in motione physica, & per modum causæ verè efficientis.

VIII. Nunc probatur eadem propositio autoritate Scholasticorum, & inprimis illam probant omnes discipuli D. Thomæ, inter quos præcipuus **Capreolus.** est Capreolus in 2. d. 28. q. 1. art. 3. ad 12. contra primam conclusionem, licet enim dicat, concursum Dei generalem ad actus ordinis naturalis esse solum influxum simultaneum in actionem, tamen concursum specialem ad actus ordinis supernaturalis docet esse influxum præuium in voluntatem, quo Deus illam efficienter inclinat, & applicat ad volendum, & facit, vt velit, ita tamen vt relinquat in eius libertate, posse dissentire, ne lædatur arbitrij nostri libertas. & dicit hanc fuisse mentem D. Augustini, & D. Thomæ, & Gregorij Arimin. & reuera Gregorius illam defendit in 2. d. 28. q. 1. art. 3. ad 12.

Taper. Ruardus Taper art. 7. pagina 217. & 218. eidem sententiæ apertè subscribit, neque potest dubitari, quin loquatur de motione verè efficienti, & non de sola motione obiectiua, & morali. quia ex hoc deducit, difficillimum esse nostram libertatem conciliare cum diuina motione, qua Deus operatur nostrum velle. *Quoniam difficillimum est*, inquit, *intelligere, quòd Deus operetur ipsum velle, vtens voluntate tanquam instrumento, ipsam applicans ad opus, sicut intellectum ad salutares cogitationes, sicut docent Scripturæ, ipsum tamen voluntatem sic applicatam, & motam ad vnum opus, nihilominus posse in sua potestate habere liberè eligere, & velle contrarium ac resistere opus ad quod mouetur. Nam in potestate instrumenti non est, quòd moueatur, aut quòd non moueatur, potissimum comparatione Dei, cuius potestati nemo resistere potest.* Videantur alia, quæ ibi subiungit, ob quæ videtur inferre cum Caietano, solutionem huius difficultatis non esse solubilem in hac vita. Deinde ille data opera impugnat sententiam illorum, qui efficaciam gratiæ operantis constituunt in sola motione morali, vt ibi videri potest. Quanuis infrà pagina 228. hanc opinionem indecitam relinquere videatur.

Andreas Vega lib. 6. de Iustificatione cap. 5. & 6. docet, per gratiam operantem applicari, & inflecti voluntatem ad operandum, & per illam Deum ita facere, vt nos quoque faciamus.

IX. Ludouicus Molina etsi nonnullis videatur constituere gratiam operantem in sola motione morali, tamen in 1. part. quæst. 14. art. 13. disp. 9. in principio inquit, latissimum esse discrimen inter Dei concursum generalem cum secundis causis ad earum actiones naturales, & concursum particularem gratiæ præuenientis, qua Deus liberum arbitrium ad opera supernaturalia credendi, sperandi, diligendi, & pœnitendi, vt ad salutem oportet, excitat, & coadiuuat, quod pauci animaduertunt. etenim auxilium particulare, quod gratia nuncupatur, motio quædam est, qua liberum arbitrium excitatur, & præuenitur, potẽsque redditur, vt ita adiutum libero suo influxu cooperetur vlteriùs huiusmodi supernaturales actus quibus proximè, aut remotè ad gratiam gratum facientem disponatur. & in concordia disp. 29. & 39. ponit discrimen inter concursum Dei generalem cum libero arbitrio ad actus naturales, & auxilium gratiæ præuenientis ea ex parte, qua gratia præueniens est ad actus supernaturales, quibus se ad gratiam disponit. Primò, quia concursus generalis non est in liberum arbitrium, vt causa est illorum actuum, quasi priùs suscipiat in se eum motum, cóque applicetur, & potens reddatur ad influendum in actum, sed est influxus immediatus cum libero arbitrio in actum. At verò auxilium gratiæ præuenientis ea ex parte, qua gratia præueniens est, est influxus in liberum arbitrium, quo Deus illud mouet, & excitat, potẽsque reddit, vt eo pacto motum tanquam habens iam in seipso principium efficiens actuum supernaturalium simul influendo vlteriùs eos producat. Secundò, quia influxus Dei ordinis naturalis nec tempore, nec natura antecedit influxum liberi arbitrij ad eosdem actus, sed simul sunt in eodem instanti naturæ. Cæterùm influxus gratiæ præuenientis sub ea ratione, qua præueniens est, præcedit influxum liberi arbitrij ad actus supernaturales, vel tempore, vel saltem natura, potẽstque frustrari, si liberum arbitrium non velit pro sua libertate elicere actum. & dicit hanc doctrinam esse de fide, quod probat ex Concil. Tridentino sess. 6. cap. 5. & can. 4. & ex D. Augustino lib. 3. Hypognosticon, & de bono viduitatis cap. 17. & ex D. Gregorio lib. 16. Moralium cap. 10. & lib. 24. cap. 6. Nec potest dubitari, an loquatur de influxu verè physico per modum efficientis, cùm dicat, Deum per talem influxum excitare, mouere, applicare, & potens reddere ipsum liberum arbitrium, & ponere in illo principium efficiens actuum supernaturalium, & per eundem influxum, quando liberum arbitrium simul etiam influit, vlteriùs procedere ad producendum eosdem actus supernaturales, & esse vnum numero influxum gratiæ præuenientis, & cooperantis diuersimodè consideratum. nam quatenus est influxus in liberum arbitrium, & prior natura influxu eiusdem liberi arbitrij dicitur gratia præueniens, seu operans: quatenus verò consentiente libero arbitrio, & influente in actum supernaturalem, ipsa quoque influit in eundem actum, vocatur gratia cooperans. & vt semel dicam, cùm ipse Molina conferat concursum generalem ordinis naturalis cum concursu speciali supernaturalis ordinis, & ponat discrimen inter vtrumque, quòd alter est influxus solùm simultaneus cum libero arbitrio in actionem, alter est influxus præuius in ipsum liberum arbitrium. quis dubitare poterit, illum loqui de influxu verè physico, & per modum causæ verè efficientis?

Vnde apparet controuersiã, quæ est inter Molinam ex vna, & alios quosdam Theologos ex altera parte de gratia præueniente, & operante, & de illius efficacia, non consistere in hoc, quòd ipse **X.**

Digitized by Google

dicat gratiam operantem, ſeu præuenientem in ſola motione morali, & obiectiua conſiſtere, nam conſtituit illam etiam in influxu verè phyſico in voluntatem per modum cauſæ verè, & propriè efficientis, quo liberum arbitrium mouetur, excitatur, applicatur, potens redditur, & inclinatur ad agendum, his enim terminis explicat Molina cauſalitatem gratiæ operantis, dicta diſp. 39. ſed in hoc conſiſtere controuerſiam, quia ille ait, per influxum gratiæ præuenientis, & operantis non ita moueri voluntatem, inclinari, & applicari ad agẽdum actus ſupernaturales, vt phyſicè prædeterminetur, ita vt non poſſit, ſi velit pro ſua libertate gratiam præuenientem ſuo effectu fruſtrare. Alij verò Theologi dicunt, per auxilium gratiæ præuenientis efficacis liberum arbitrium ita præmoueri, vt phyſicè prædeterminetur ad conſenſum, & vt ſtante huiuſmodi motione in ſenſu compoſito non poſſit non elicere conſenſum, licèt ſpectata voluntate ſecundùm ſe in ſenſu diuiſo, illa poſſit diſſentire, ſi velit. Gratis igitur imponitur Molinæ à nonnullis, quòd ille conſtituat gratiam operantem in ſola motione morali, & obiectiua.

XI. Tandem probari poteſt eadem propoſitio rationibus Theologicis, quarum præcipua eſt illa, quam ex D. Auguſtino deduximus, quia ſi tota efficacia gratiæ operantis conſiſtit in ſola motione morali, voluntas abſque additamento alicuius virtutis realiter in ipſa receptæ poterit operari bonum ſupernaturale, vnde ſequitur etiam, per peccatum Adæ minimè fuiſſe læſam voluntatem, ſed ſolum intellectum.

Secundò ſequitur, gratiam operantem non verè agere noſtram voluntatem, nec verè in illam influere, nec verè illam mouere ad opera ſupernaturalia, nec verè facere, vt velimus, neque noſtrũ velle operari, ſicut Auguſtinus, & alij Patres dicunt. nam motio, ſeu cauſalitas obiectiua, & moralis, de cauſalitas finalis: finis verò non verè agit, ſed ſolum metaphoricè. Quinimo potiùs ipſum efficiens eſt illud, quod ſe mouet ex deſiderio finis, vt Philoſophis notum eſt. quare omnes locutiones Auguſtini, & Patrum, in quibus dicitur Deus operari in nobis velle, & perficere, & agere motum noſtræ voluntatis, & facere, vt velimus, erunt impropriæ, & ſolùm in ſenſu metaphorico explicandæ.

Tertiò, gratia operans & cooperans ſunt in re vna, & eadem gratia, quatenus ad diuerſos effectus relationem habet: ſed gratia cooperans ex omnium ſententia eſt influxus verè phyſicus per modum cauſæ efficientis. Ergo & gratia operans.

Aliqui addunt. Si gratia operans in ſola motione morali, & obiectiua conſiſteret, non poſſet Deus per auxilium gratiæ operantis efficere, vt voluntas aliquid vellet infallibiliter, & operaretur, nam poſita quacunque ſuaſione, voluntas poteſt illam reſpuere, quia ſuaſio nõ cogit inuitum. Verùm iſta ratio non placet, quia latenter innuit, liberum arbitrium gratiam ſibi oblatam non poſſe reſpuere pro ſua libertate, quod eſt contra Cõcil. Tridentinum, & quòd efficacia diuinæ gratiæ cogat inuitos, quod ſanæ doctrinæ non dubitamus aduerſari.

CAPVT IX.

Quis ſit proprius effectus gratiæ operantis & cooperantis declaratur.

VLtima propoſitio: Gratia operans adæquatè ſumpta eſt totum aggregatum ex motione morali, & phyſica, qua Deus facit voluntatem infallibiliter velle, & elicere liberum conſenſum ſupernaturalem, quatenus natura prior eſt ipſo libero conſenſu, ſicut cauſa eſt prior ſuo effectu: gratia verò cooperans eſt eadem gratia, quatenus adiuncto ſibi libero arbitrio influit cum illo in liberam actionem ſupernaturalem. Hæc propoſitio non eget probatione, ſed ſolùm declaratione. Ad cuius intelligentiam eſt aduertendum, quòd quemadmodum in naturalibus graue mouetur deorſum, & per grauitatem ſeu pondus illi inditum à natura, ſiue à generante, & per ipſum motum deorſum, quæ duo adinuicem ſe habent ſicut prius, & poſterius, & ſicut cauſa & effectus, & ſunt abinuicem ſeparabilia, vt quando graue detinetur ſurſum, manente illius pondere, & inclinatione ad ferri deorſum: ita voluntas mouetur in obiectum & per aliquid, quod eſt in illa in actu primo, ſicut inclinatio, & pondus illam inclinans in obiectum, & per actualem motionem in actu ſecundo, quæ eſt ipſa actualis volitio; & hæc duo ſunt etiam ſeparabilia, voluntas enim habet naturalem inclinationem, & pondus in bonum, & in vltimum finem in actu primo, & tamen in actu ſecundo non ſemper appetit vltimum finem, vt quando dormit, aut non cogitat de vltimo fine. I.

Eſt autem diſcrimen inter agentia naturalia, & agentia libera, quòd poſito in agente naturali põdere, ſeu inclinatione naturali in actu primo, & nullo exiſtente impedimento, ſtatim fluit motus in actu ſecundo, nec poteſt agens naturale huiuſmodi motum in actu ſecundo continere, quin fluat. Verùm poſito in agente libero quocunque pondere quantumuis inclinante voluntatem in aliquod obiectum in actu primo, ipſum agens, quãdiu liberum manet, poteſt motum in actu ſecundo continere, & quando illud fuerit ſic inclinatum in actu primo, vt non poſſit actum ſecundum continere, amittet ſtatim rationem agentis liberi, & mouebitur modo agentis naturalis. hac cõparatione inter inclinationem agentis naturalis, & inclinationem agentis liberi vſus eſt D. Thom. de Malo q. 3. art. 3. & de veritate q. 22. art. 8. & 9. II. D. Thom.

Hinc deducitur, non eſſe indiſtinctè verum, quod nonnulli affirmant, & pro axiomate aſſumunt, non poſſe Deum voluntatem mouere in aliquod obiectum, & voluntatem non moueri. Nam Deum mouere voluntatem in aliquod obiectum ſtat dupliciter, vno modo in actu ſecundo, & hoc facit per concurſum, & influxum ſimultaneum cum ipſa voluntate in illius actionem, quæ eſt ipſa actualis volitio talis obiecti: alio modo in actu primo, & hoc facit per influxum præuium in ipſam voluntatem, quo in actu primo tribuit illi pondus, & inclinationem in tale obiectum, ſicut generans in actu primo tribuit graui pondus, & inclinationem ad moueri deorſum, in quo ſenſu dixit Ariſtot. in 8. Phyſicorum, quòd grauia, & lenia mouentur à generante. In motu igitur, quo Deus voluntatem mouet in actu ſecundo, voluntas & mouetur, & mouet. Cæterùm quando voluntatem mouet in actu primo ſolùm, illa mouetur ſolùm, & non mouet. Quare cùm dicunt, impoſſibile eſſe Deum voluntatem mouere ad aliquod obiectum, & illam non ſe mouere in idem obiectum, ſi loquuntur de motione in actu ſecundo, verum dicunt: Ariſtot.

Si

Si autem de motione in actu primo, falsum asserunt, & distinctionem tollunt, quæ est inter agés naturale, & agens liberum. Est nanque ista propria conditio agentis naturalis, vt statim atque habet à Deo vel à natura pondus, & inclinationem in actu primo, fluat ab illa motus in actu secundo: at agentis liberi naturalis proprietas, & conditio est, vt quantuncunque moueatur, & inclinetur in actu primo, quandiu in illo manet libertas, possit continere actum secundum, & eo ipso quòd non potest actum secundum continere, naturam liberi agentis amittat, vt docet D.Th. de veritate q.22.a.8.

III. Quòd autem contingat Deum voluntatem mouere per auxilium gratiæ præuenientis, & ipsam voluntatem posse non moueri in actu secundo libero, ad quem ponitur in voluntate ipsa gratia præueniens, præter quod est doctrina expressa Concilij Tridentini sess.6. c.5. & can.4. docent Ferrariens. lib.1. contra Gentes c.67. ratione 5.§. *ad primum igitur Scoti.* Caietan.1. part. q.14.art.13. ad argumenta Scoti, Ruardus Taper a.7. propositione 10. ad finem. Capreol. loco sæpe citato in 2.d.28. q.1.a.3. ad duodecimum contra primam conclusionem, dum ait, relinqui in potestate voluntatis, sequi, vel non sequi motionem primi mouentis, & loquitur ibi de motione gratiæ præuenientis, & operantis. Suarez disp.19. metaphys. sect.4. n.14. Aluarez disp.18. de Auxiliis n.2. cùm ait, quòd quanuis non sit in nostra potestate, quòd ponatur in nobis motio efficax, est tamen in nostra potestate illius terminus, qui est libera cooperatio. Hæc autem doctrina præ oculis tenenda est, quia nonnulli assumentes hoc principium: Impossibile est, Deum voluntatem mouere ad aliquod obiectum, & voluntatem non moueri ad tale obiectum: tanquam vniuersaliter, & indistinctè verum non solùm de motu in actu primo, sed etiam in actu secundo, negant motionem gratiæ operantis esse motionem verè physicam, & concedunt esse solùm motionem moralem, veriti, ne si admittant, illam esse motionem verè physicam, voluntas sic mota non possit non exire in actum secundum volitionis, necessitetúrque ad volendum. Alij verò eidem principio innixi, admittentes, gratiam operantem esse influxũ verè physicum, & præuium in ipsam voluntatem, concesserunt, voluntatem, quatenus substat actuali motioni gratiæ præuenientis, non posse non exire in actum secundum liberæ volitionis, in quo vtrique à veritate plurimum distant. Est itaque gratia operans motio illa præuia non solùm moralis, sed etiam physica, qua Deus volũtatem mouet tum proponendo illi obiectum, tum influendo in illam physicè illam sanando, erigendo, viribus roborando, & mouendo in actu primo, imprimendo illi pondus, & inclinationem ad tale obiectum, ita vt faciat eam infallibiliter quidem, sed liberè exire in actum secundum electionis, & volitionis, adeò quòd proprius ac formalis effectus gratiæ operantis est illud pondus, & illa inclinatio, quam Deus tribuit voluntati in actu primo, per quam facit voluntatem exire in actum secundum, quatenus illud pondus, & illa inclinatio natura præcedit ipsam liberam volitionem, sicut actus primus natura præcedit actum secundum, & sicut causa natura præcedit suũ effectum. Gratia verò cooperans est eadem gratia, quatenus voluntatem mouet in actu secundo, siue, vt magis propriè loquamur, quatenus adiuncta sibi humana voluntate influit cum illa in eius liberam actionem.

Concil. Trident. Ferrarienſ. Caietan. Richard. Capreol. Suarez. Aluarez.

IV. Sic verò declarata gratia operante, & cooperante, apparet omnes proprietates, & conditiones illi tributas à diuina Scriptura, & Patribus optimè illis conuenire, vt quòd gratia operans faciat nos velle, & per illam Deus operetur in nobis bonam voluntatem, & quòd comparatione gratiæ operantis voluntas sit mota, & non mouens, & similiter, quòd gratia cooperans sit illa, quæ adiuuat liberum arbitrium, & cum illo cooperatur perficiendo, quod sine illo operatur inchoando.

Neque contra nostram sententiam vllas vires habent argumenta Scholasticorum. Nam quod primò obiiciunt, Augustinum sæpe vocare gratiam operantem vocationem congruam, altam, & secretam, & doctrinam internam, qua Pater ita nos docet, vt discamus, & suasionem, qua ita suadet, vt persuadeat, nullius est momenti. Admittimus enim, hęc omnia verissima esse, sed addimus, præter ista, requiri influxum physicum gratiæ sanantis, erigentis, roborantis, inclinantis, & indeclinabiliter voluntatem mouentis, & vtranque motionem, scilicet moralem, & physicam, August. comprehendit vnico nomine vocationis congruæ.

V. Secundò potest obiici, Augustinum appellare gratiam operantem illam, quæ operatur in nobis initium bonæ voluntatis sine nobis: sed initium bonæ voluntatis non potest Deus operari in nobis sine nobis nisi moraliter, nam physicè non potest hoc efficere sine nobis, quia omnis actus voluntatis siue initiatus, siue consummatus est actus vitalis, quem Deus non potest producere in volũtate sine ipsa voluntate.

Nam respondemus, per gratiam operantem Deum producere in nobis sine nobis initium bonæ voluntatis, quia imprimit illi inclinationem in actu primo taliter, & tali modo, vt faciat illam infallibiliter exire in actum secundum liberæ volitionis. Potest etiam dici, quòd Deus per gratiam operantem, producit in nobis initium bonæ voluntatis, quatenus etiam in actu secundo producit in nobis motum quendam voluntatis indeliberatum, & imperfectum, quem idcirco dicitur causare in nobis sine nobis, non quòd voluntas effectiuè ad illum eliciendum non concurrat, sed quia illum non elicit præuia deliberatione, sed ad modum agentis naturalis, vt non semel dictum fuit. Non tamen admittimus, propter hoc solum vocari gratiam operantem, quia producit in nobis hunc motum indeliberatum, sed quia per hũc motum indeliberatum infallibiliter inclinat voluntatem ad actum liberæ electionis.

Tertiò contra id, quod diximus, gratiam cooperantem simul natura cum voluntate influere in actionem, arguunt nonnulli, qui putãt ipsam gratiam cooperantem quatenus cooperans est, priùs natura præuenire liberam cooperationem arbitrij creati. & obiiciunt autoritatem D.Thomæ 1. 2. q.111.a.2. vbi dicit, quòd in eo effectu, in quo voluntas & mouetur, & mouet, operatio non solum Deo attribuitur, sed creaturæ: & secundùm hoc dicitur gratia cooperans, & autoritatem Cõcilij Tridentini, quod docet, liberum arbitrium cooperari diuinæ gratiæ, priùs tamen à Deo motum & excitatum. D. Thom.

Respondeo, illorum sententiam neque in se veram esse, neque autoritatem D. Thomæ aut Concilij

cilij Tridentini vllo pacto eam probare. Nam esto gratia cooperans præueniat, & moueat voluntatem ad actum liberum, & meritorium, quia eadem in re est gratia operans, & cooperans, vt dictum fuit: tamen non id facit sub ea ratione, qua cooperans est. nam cooperari relatiuè ad aliud cooperans dicitur, & relatiua vt relatiua sunt, tempore & natura simul sunt, sed sub ea ratione, qua operans est. neque contrarium docuit D. Thomas, neque Concilium. Vel secundò dici potest, quòd gratia cooperans dicitur mouere voluntatem, non in actu primo, & priùs natura, quàm voluntas seipsam moueat, sed in actu secundo, & in eodem instanti naturæ, in quo voluntas seipsam mouet.

VI. Sed instant, per gratiam cooperantem, siue, vt eorum termino vtar, præoperantem Deus actiuè, & propriè, & ad modum causæ physicæ facit, quòd liberum arbitrium ponat suum influxum, & cooperationem in consensum. quod confirmant autoritate Gelasij primi in epistola 1. ad vniuersos Episcopos per Picenum, dicentis, hominem esse cooperatorem diuinæ gratiæ subsequendo. Gelas. 1.

Respondetur per gratiam præoperantem, siue quocunque alio nomine libeat illam appellare, Deum verè actiuè, & propriè facere, quòd homo adhibeat liberum influxum, & cooperationem in consensum, non tamen sub ea ratione, qua cooperans est, id enim neque Gelasius, neque vllus classicus Doctor affirmat, sed sub alia ratione, & quatenus est operans, sub qua ratione liberum arbitrium dicitur ei cooperari subsequendo. Autoritas verò D. Gelasij ad rem non facit. non enim intendit ibi definire, an gratia cooperans, sub ea ratione, qua cooperans est, præueniat liberum arbitrium, & illud eam subsequatur, id enim nunquam fortasse illi in mentem venit: sed fuit illius mens ibi reprobare sententiam Pelagianorum, qui docebant, hominem cooperari gratiæ illam præueniendo, ita vt gratia subiungatur ipsi voluntati, & voluntas sola incipiat bonum opus, & gratia opus iam inceptum adiuuet, ac perficiat. contra quos definiuit Gelasius hominem gratiæ cooperari subsequendo, quia necesse est Dei gratiam in omni bono opere nos præuenire, & voluntatem subiungi ipsi gratiæ, non autem voluntati.

VII. Tandem obiiciunt. Faustus Episcopus Rhegiensis admittebat diuinam gratiam, & liberum arbitrium pariter sociari in iis, quæ pertinent ad salutem, & dicebat, gratiam esse comitem non præuiam, & nihilominus primas partes ipsi gratiæ concedebat, & loquebatur de gratia adiuuante, siue cooperante, non negabat etiam necessitatem gratiæ excitantis ad opera pietatis: & tamen Ecclesia reprobat eius sententiam propter hoc, quia gratia adiuuans, seu cooperans nedum est comitans, sed præueniens.

Respondeo, de Fausto Rhegiensi varij variè sentiunt, alij accusant, alij defendunt. hoc tamen cuique certum esse debet, decipi, & per ignorantiam labi eos, qui dicunt in cap. Sancta Romana d. 15. à Gelasio Papa fuisse reprobata opuscula Fausti Rhegiensis. non enim ibi reprobantur opera Fausti Rhegiensis, sed Fausti Manichæi. Secundò certum est etiam, non reprobari sententiam Fausti Rhegiensis, eo quòd dicat, gratiam cooperantem, vt cooperans est, non præuenire nostras voluntates, sed in eo, quia videtur negauisse necessitatem gratiæ præuenientis, aut ad summum illam constituisse in sola propositione legis, & doctrinæ, & in eo, quia videtur dicere, quòd initium fidei sit in nobis ex nobis, quæ sunt dogmata contra fidem Catholicam meritò ab omnibus Catholicis reprobata.

CAPVT X.

Per efficaciam gratiæ præuenientis, & operantis non euerti libertatem humanæ voluntatis in operibus pietatis.

QVia diuina Scriptura, & sancti Patres frequenter dicunt, auxilium gratiæ præuenientis seu operantis de se efficax esse, & nostras voluntates indeclinabiliter agere, & efficaciter mouere, & facere, vt velimus, & faciamus. Nonnulli ex hæreticis tum antiquis, tum recentioribus deducunt, omnino esse impossibile, arbitrij nostri libertatem cum efficacitate, & energia ipsius gratiæ præuenientis, & operatis conciliare. quare sub specie extollêdi energiâ gratiæ destruunt arbitrij nostri libertatem, ad opera pietatis. Ita senserunt olim Monachi Adrumetini, quorum meminit Augustinus in epistola 46. & 47. ad Valentinum, & cum illis hæretici Prædestinati, & nouissimè ita sentiunt Caluinitæ, antiquum errorem nouis additis erroribus, nouisque argumentis locupletantes. Etsi autem lib. 2. hic error fuerit à nobis abundanter, & euidenter refutatus, non erit inutile illum nunc autoritatibus Scripturæ, & Patrum, & rationibus Theologicis iterum è radicibus conuellere, & argumenta hæreticorum confutare. I.

Igitur efficaciam, seu energiam gratiæ præuenientis, & operantis non tollere, sed potiùs firmare, & perficere arbitrij nostri libertatem, probatur primò testimoniis diuinæ Scripturæ, quibus ostenditur, diuinam gratiam relinquere humanæ voluntati suam liberam cooperationem in opere iustificationis, (de hoc enim opere est nobis præcipua controuersia cum moderatis hæreticis) & illam ex nobis desiderare, postulare, atque expectare, neque absque ipsa liberi arbitrij nostri cooperatione ipsum opus iustificationis absoluere. Primum testimonium est in 1. Regum c. 7. vbi Samuel populum hortatur præparare corda Domino. *Si in toto* (inquit) *corde vestro reuertimini ad Dominum, auferte Deos alienos de medio vestri Baalim, & Astaroth, & præparate corda vestra Domino.* Secundum est in Psal. 80. vbi Deus populum Hebræum ita alloquitur: *Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, dilata os tuum, & implebo illud.* Ex quibus locis D. Augustinus lib. 2. contra duas epistolas Pelagianorum c. 8. probat, hominem verè cooperari, & liberè cooperari diuinæ gratiæ in opere pietatis, ita scribens: *Homo præparat cor, non tamen sine adiutorio Dei, qui tangit cor.* & infrà, *Quamuis nisi adiuuante illo, sine quo nihil possumus facere, ea non possimus aperire, tamen nos aperimus illius adiutorio, & opere nostro: nam quid est præparare cor, & os aperire, nisi voluntatem præparare.* Tertium testimonium habetur Isaiæ cap. 1. vbi Deus ita peccatores alloquitur: *Lauamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, quiescite agere peruersè, discite bene facere, quærite iudicium, subuenite oppresso, iudicate pupil* II.

pupillo, defendite viduã, & venite, & arguite me. Si fuerint peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealbabuntur. Hìc apparet, Deum à nobis requirere liberam noſtram cooperationem, quæ in noſtra libera facultate ſita eſt, vt à peccatis purgemur. Quartum apud Ezechielem 18. *Facite* (inquit) *vobis cor nouum, & ſpiritum nouum. & quare moriemini populo meo.* Quintum apud Ioelem c. 2. *Conuertimini ad me in toto corde veſtro, in ieiunio, fletu, & planctu, & ſcindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra.* Sextum ad Coloſſenſ.3. *Exuite vos veterem hominem cum actibus ſuis, & induite nouum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt.* iunctis aliis ſimilibus, quæ habentur 2. Paralipom. c.6. Iob 42. Sapientiæ 12. Ieremiæ 18. Ezechiel. 33. Matth.3. Marci 1. in Actis 2. & 26. ad Roman. 2. Hi modi loquendi ſacræ Scripturæ patenter oſtendunt, hominem liberè cooperari diuinæ gratiæ ad opus iuſtificationis. nam aliàs ineptè, & ſtultiſſimè Deus nos hortaretur, nobiſque ſuaderet, mundare, præparare, ſcindere, conuertere corda noſtra, vt benè Rofenſis in confutatione articuli 36. Lutheri, & alij viri ſapientes notant. quid enim magis ineptum, & magis ſtultum, quàm illum hortari ad aliquid operandum, & conari illi ſuadere, vt agat, quod agere non poteſt, aut ad quod operandum non habet liberam facultatem? quis niſi mentè captus equum hortatur, vt currat, & aſino ſuadet, vt onus ferat? Deinde hæretici horum temporum ex hoc nituntur probare, quòd homo minimè liberè cooperetur diuinæ gratiæ in opere iuſtificationis, quia diuina Scriptura totum opus ipſius iuſtificationis Deo tribuit, & iuſtificationem aſſimilat creationi, ſicut nonnulla eiuſdem Scripturæ teſtimonia in ſequenti adducenda mõſtrant. Ergo ab oppoſito licet nobis oſtendere voluntatem noſtram liberè cooperari diuinæ gratiæ in eodem opere iuſtificationis, quia Scriptura nos docet, & hortatur præparare cor noſtrum Deo, & facere nobis cor nouum, & ſpiritum nouum, & idem opus tribuit noſtro libero arbitrio. & ſi negatio eſt cauſa negationis, etiam affirmatio erit cauſa ſaltem aliquo modo affirmationis. & ſi ex hoc colligitur, quòd noſtra voluntas non liberè cooperatur gratiæ in opere iuſtificationis, quia Scriptura totum opus tribuit gratiæ; & non ipſi voluntati, ab oppoſito colligitur, quòd voluntas liberè ad idem opus cooperatur: quia Scriptura idem opus tribuit etiam voluntati. rectiſſimè itaque Patres Concilij Tridentini ſeſſ.6.c.5. ex iſtis locis diuinæ Scripturæ ipſam arbitrij libertatem deduxerunt.

Rofenſis.

III. Secundò probatur, voluntatem liberè diuinæ gratiæ cooperari ex aliis locis diuinæ Scripturæ, ex quibus habemus, hominem pro ſua libertate poſſe diuinæ gratiæ diſſentire, ac reluctari. Iob c. 24. de reprobis ait, illos fuiſſe rebelles lumini, Dauid in Pſalm.80. impiorum duritiem ſic exaggerat: *Ego ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, dilata os tuum, & implebo illud. & non audiuit populus meus legem meam, & Iſrael non intendit mihi.* & in Pſ.94. *Hodie ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra, ſicut in exacerbatione ſecundum diem tentationis in deſerto.* quo loco vi-

Auguſt.

tur D. Auguſtinus ad hanc veritatem confirmandam in lib. de Gratia, & libero arbitrio ita ſcribens: *Ne autem putetur, nihil ibi facere homines, per liberum arbitrium, ideo in pſalmo dicitur, Nolite obdurare corda veſtra.* Salomon ex perſona Dei eandem peccatorum duritiem increpans cap.1. ait, *Quia vocaui, & renuiſtis, extendi manum meam, & non fuit, qui aſpiceret, & deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis, ego quoque in interitu veſtro ridebo.* Saluator noſter ad Ieruſalem ita loquitur Matth. cap.23. *Ieruſalem quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te miſſi ſunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti. Ideo relinquetur vobis domus veſtra deſerta.* Stephanus quoque in Actis c.7. ait, *Dura ceruice, & incircumciſis cordibus, & auribus, vos ſemper Spiritui ſancto reſtitiſtis.* Paulus ad Roman.2. *Ignoras, quòd benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit. tu autem ſecundum duritiam tuã, & impœnitens cor tuum theſaurizas tibi iram*, &c. Ergo ſi homo habet libertatem ad reſiſtendum gratiæ, habet etiam libertatem ad illi conſentiendum, & cooperandum.

IV. Tertiò probatur aliis diuinæ Scripturæ teſtimonijs, ex quibus docemur, Deum dediſſe hominibus poteſtatem agendi, quod bonum, & quod malum eſt, pro ipſorum libertate, & vt omittamus teſtimonia vulgata ex lib. Deuteronom. c.30. & Eccleſiaſtici cap.15. habemus hanc veritatem expreſſam à D. Ioanne c.1. ſui Euangelij cùm ait, *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri.* cui conſimile eſt illud apud Matth.c. 5. *Diligite inimicos veſtros*, &c. *vt ſitis filij Patris veſtri, qui in cœlis eſt.* Hoc teſtimonium expendens D. Hilarius lib.1. de Trinitate inquit, *Eſſe filios Dei non neceſſitatem eſſe voluit, ſed poteſtatem.* & D. Hieronym. in cap. quintum Matthæi: *Ergo non eſt* (inquit) *natura filius, ſed arbitrio.* & Chryſoſtomus tetigit in Gloſſa ad illum locum D. Ioannis, *Simul autem oſtendere vult, quoniam hæc gratia aduenit volentibus, & ſtudentibus. Etenim in poteſtate eſt liberi arbitrij, & gratiæ operatione filios Dei fieri.* D. Auguſtinus lib.1. Retractationum c.22. *In poteſtate quippe hominis eſt, mutare in melius voluntatem, ſed ea poteſtas nulla eſt niſi à Deo detur, de quo ſcriptum eſt: Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri. Cùm enim hoc ſit in poteſtate, quod cùm volumus, facimus, nihil tam in poteſtate, quàm ipſa voluntas eſt: ſed præparatur voluntas à Domino. Eo modo ergo dat poteſtatem.* & homil.93. in Ioannem referente Roſenſe art. 36. *Audiamus Euangeliſtam dicentem: Dedit eis poteſtatem, filios Dei fieri, ne omnino exiſtimemus, in noſtra non eſſe poteſtate, quod credimus. Veruntamen in vtroque illius beneficia cognoſcamus. Nam & agendæ ſunt gratias, quia data eſt poteſtas, & orandum, ne ſuccumbat infirmitas.* Videatur de bono perſeuerantiæ c. 8. vbi eundem locum D. Ioannis eodem modo expendit.

Hieron. Chryſoſt. Auguſt.

V. Eſt alius locus ſimilem habens ſenſum apud D. Matthæum c.12. vbi ipſe Saluator volens de hac libera facultate nos certiores reddere, comparat noſtrum voluntatem cuidam arbori, & inquit, *aut facite arborem bonam, & fructum eius bonũ: aut facite arborem malam, & fructum eius malum: Siquidem ex fructu arbor cognoſcitur. Progenies viperarum quomodo poteſtis bona loqui, cùm ſitis mali.* Hæc arbor eſt hominis voluntas, non natura, vt Auguſtinus notat lib. de Gratia Chriſti cap.18. & 19. & lib.2. de Nuptiis, & concupiſcentia cap.26. & lib 4. contra Iulianum cap.3. & in Enchirid. c.15. ſenſum autem huius metaphoræ idem Auguſtinus lib.2. de Actis cum Felice Manichęo c.4. ita interpretatur: *Audi ergo de libero arbitrio primo, ipſum Dominum, vbi duas arbores commemorat, quarum mentionem ipſe feciſti. Audi dicentem, aut facite arborem bonam, & fructum eius bonum, aut facite arborem malam, & & fructum eius malum. Cùm ergo dicit, aut hoc facite aut illud, poteſtatem indicat, non naturam. Nemo e-*

nim

nim, niſi Deus, facere arborem poteſt: ſed habet vnuſquiſque in voluntate, aut eligere, quæ bona ſunt, & eſſe arbor bona, aut eligere mala, & eſſe arbor mala. Et ne quis obſtinatus contendat, Auguſtinum ſeniorem factum ſententiam mutaſſe, legat eandem ſententiam in 1. Retractationum c.22.

VI. Quartò probatur aliis teſtimoniis diuinæ Scripturæ, ex quibus habemus, hominem diuinæ gratiæ cooperari ad ſalutem, & è contra Dei gratiam liberum hominis arbitrium adiuuare. Primum eſt apud Matth.c.20. vbi prædeſtinati vocantur operarij in vinea. *Voca*, inquit, *operarios, & redde illis mercedem.* Secundum apud Ioan.c.6 *Operamini non cibum, qui perit, ſed qui manet in vitã æternã.* Tertium in 1.ad Corinth. cap.3. *Vnuſquiſque mercedem accipiet ſecundùm ſuum laborem, Dei enim ſumus coadiutores.* Vbi notandum, illum locum ex Græco ſic eſſe legendum. *Vnuſquiſque ſecundùm proprium laborem mercedem accipiet, Dei enim ſumus cooperatores.* Ita enim legit Vatablus, & ita ſignificat dictio illa Græca συνεργοί, vt colligitur ex Euangelio Marci c.vltimo in illis verbis, *Domino cooperante*, vbi habetur eadem dictio. Quartum habetur ad Rom. 8. vbi dicitur, *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Quintum ad Philippenſes 2. *cum metu, & tremore veſtram ſalutem operamini.*

Caluinus. Neque ſatisfacit reſponſio Caluini lib.2. Inſtitutio. c.5.§.14. dum inquit, ex iſtis locis ſolùm colligi, nos non moueri à Deo tanquam ſtipites, & truncos, ſed tanquam homines mente, & ratione præditos, quamuis neceſſariò moueamur. Primò, quia niſi etiam liberè homo operetur, vanè & ineptè illi præcipitur, vt operetur, non ſæcus ac ſi quis equo præcipiat, vt currat, & aſino vt ferat onus. Secundò, quia vanè, & ineptè diceretur reddi nobis merces pro labore, non ſecus, ac ſi quis vellet mercedem equo, aut aſino pro impenſo labore ſoluere. Neque ſufficit dicere, quòd equus, & aſinus non ſunt mente, & ratione prædiri: quia ad hoc, vt operi reddatur merces, non ſufficit, vt fiat ab eo, qui mente, & ratione præditus eſt, ſed vt non ſit debitum, & ſit opus factum ab eo, qui pro ſua libertate poterat opus non præſtare: hæc enim ſola ſunt opera, pro quibus apud homines merces redditur, ſecundùm morem, & vſum omnium gentium. ob hanc enim cauſam ſeruus pro domino laborans, mercedem non accipit, liber verò pro altero laborans mercedem accipit. Aut igitur neceſſe eſt dicere, paradiſi gloriam non veram, ſed fictam eſſe mercedem, aut hominem liberè, & non ex neceſſitate cooperari ad illius aſſecutionem.

VII. Alia innumera diuinæ Scripturæ teſtimonia adduci poſſent in eiuſdem veritatis confirmationem, quale eſt inter alia, illud eiuſdem Pauli in priori ad Corinth. c.15. vbi ille ait, *Plus omnibus laboraui, non ego autem, ſed gratia Dei mecum.* Circa quod teſtimonium mendaciter ait Caluinus lib.2 Inſtitutio.cap.3.§.12. Paulum dicere, non ſe eſſe illum, qui laborauit, ſed gratiam Dei, quæ in illo erat, & totam laudem operis ſoli gratiæ tranſcribere, & non dicere, gratiã ſibi fuiſſe cooperatricẽ, ſed gratiã, quę ſibi aderat, omniũ fuiſſe effectricem. ſenſus enim verborum Pauli ex ipſo Paulo, non ex Caluino accipiendus eſt: Paulus autem dicit, ſe plus omnibus laboraſſe, & alibi vocat nos cooperatores diuinæ gratiæ; non eſt igitur hoc teſtimonium feſtuca, ſed ſolidus lapis ſufficiens ad Caluin. Caluini duritiem conterendam. Nam vt demus, pro eo, quod nos vertimus, *non ego autem, ſed gratia Dei mecum*, aliquos etiam ex Catholicis vertere, *ſed gratia Dei, quæ mihi adeſt*, quid tum? eſto Paulus totum opus gratiæ tribuat, excludítne liberam hominis cooperationem? An ex eo quòd diuina Scriptura dicit, Deum omnia in omnibus operari, excludit omnem operationem ſecundarum cauſarum? An propter hoc, quòd ſoli Deo tribuit totum opus noſtræ iuſtificationis, non requirit etiam noſtram cooperationem? minimè profectò, ſicut teſtimonia in primo argumento allegata oſtendunt. An non viderunt iſtas Caluinj grammaticationes? antiqui Patres in Græcia nati, qui cum lacte Græcum idioma biberunt, quos Caluinus arrogantiæ accuſat, quòd nomen αὐτεξούσιον vſurpauerunt? Certè Chryſoſtomus licèt illum locum eo modo legat ex interprete, ſicut legit Caluinus, tamen in ſenſu ita illum exponit, ſicut nos illum intelligimus. ita etiam Hieronymus in illum locum, & Auguſtinus in lib.de Gratia & libero arbitrio cap.15. vbi ſic ait: *Non ego, ſed gratia Dei mecum, id eſt, non ſolus, ſed gratia Dei mecum: ac per hoc nec gratia Dei ſola, nec ipſe ſolus, ſed gratia Dei cum illo.* His Doctoribus magis credendum eſt, quàm quingentis Caluinis. Hieron. Auguſt.

CAPVT XI.

Probatur veritas eiuſdem doctrinæ teſtimoniis Patrum, & ratione.

PRæter teſtimonia ex diuinis Scripturis allegata poteſt eadem veritas ex vnanimi conſenſu omnium Patrum robotari, qui diuinarum Scripturarum germanam; & legitimam interpretationem ab Apoſtolis acceptam ad nos tranſmiſerũt. I.

In primis D. Clemens Petri Apoſtoli diſcipulus, & Pauli comes in epiſtola 3. de hac re ita ſcribit: *Hæc enim via eſt vitam volentibus ingredi, & ſummum iter bonorum pergentibus ad ciuitatem ſalutis, ſi quis ſanè audiens ſermonem veri Prophetæ, velit, aut nolit recipere, & complecti onus eius, id eſt mandata vitæ, habet in ſua poteſtate, liberi enim ſumus arbitrij. Nam ſi hoc eſſet, vt videntes ea, iam non haberent in poteſtate aliud facere, quàm audierant, vis erat quædam natura, per quam liberum non erat ad aliam migrare ſententiam. Aut ſi rurſus ex audientibus nullus omnino reciperet, & hoc natura vis erat, qua vnum aliquid fieri cogeret, & alteri parti non daret locum. Nunc autem quia liberum eſt animo, in quam voluerit partem, declinare iudicium ſuum, & quam probauerit eligere viam, conſtat euidenter, ineſſe hominibus arbitrij libertatem.* Clemens Rom.

D. Ignatius in epiſtola ad Magneſianos: *Quandoquidem*, inquit, *ipſa actiones ſua habent præmia, & obedientiæ proponitur vita, mors autem inobedientiæ, & ſinguli, qui aut hoc, aut illud elegerunt, in eius, quod elegerunt, locum abituri ſunt, fugiamus mortem, & eligamus vitam*; & infrà: *Si quis pietati ſtudet, Dei homo eſt, ſi impiè agit, Diaboli eſt, non id factus per naturam, ſed per animi arbitrium.*

D. Dionyſius Areopagita lib. de diuinis nominibus cap.4. *Dixerit verò quiſpiam, infirmitatem ſupplicium non mereri, ſed veniam. Si igitur non licuiſſet obſiſtere*, &c. Sed quid moror in autoritatibus Patrum coaceruandis, quibus toti Scholaſti- II.

corum

corum libri ſunt pleni, neque ipſe Caluinus negat priſcos Patres Latinos, & Græcos ita de arbitrij libertate ad opera pietatis ſenſiſſe, cùm ait: *Apud Latinos arbitrij nomen ſemper extitiſſe, Græcos verò multo arrogantius vſurpare nomen αὐτεξούσιον, quod ſignificat ſuiipſius poteſtatem, ac ſi illa ſit penes hominẽ.* & fatetur omnes ſcriptores Eccleſiaſtic. excepto Auguſt. in dogmate de arbitrij libertate varie, & ambiguè locutos, & omnes in eodẽ dogmate ſe habere aduerſarios, vt illa eius verba oſtẽdũt, quæ habet in 2 Inſtit. c. 3. *Magnũ mihi præiudicium attulſſe forſitã videor, qui ſcriptores omnes Eccleſiaſticos, excepto Auguſtino, ita ambiguè, aut varie in hac re locutos eſſe confeſſus ſum, vt certum quidpiam ex eorũ ſcriptis haberi nequeat.* & alia, quæ ibi habet, quæ refert etiam Ruardus Taper 2. 7. pagina 267. Eſt autem ſolus conſenſus ſanctorum Patrum in hac cauſa diſtimenda per ſe ſufficiens ad Caluinum conuincẽdum, quia ſi coram Turca, vel Pagano illa ageretur, & eo iudice ea foret decernenda, & ille intelligeret, omnes viros doctos, & pios, qui Chriſtianam Religionem profeſſi ſunt, vel ab ipſis exordiis naſcentis Eccleſiæ, vſque ad tempora Caluini, vnanimi conſenſione arbitrij libertatem ad opera pietatis ad ſalutem neceſſaria probauiſſe, & ex aduerſo poſt annos mille, ac quingentos vnum Caluinũ cõtra omnes Patres, & cõtra ipſam arbitrij libertatem ſtetiſſe, Turca, & Paganus contra Caluinum abſque dubio ſententiam proferrent.

Caldin. Ruard.

III. Omiſſis igitur omnibus aliis vnus Auguſtinus proferẽdus eſt, quem ſolum recipit, & ſui dogmatis patronum Caluinus facit. & antequam vlteriùs progrediamur, ſupponendum nobis eſt, ſententiam, quam Caluinus impoſuit Auguſtino, ſcilicet illum ſenſiſſe, efficaciam diuinæ gratiæ non relinquere in homine liberum arbitrium ad opera pietatis, eidem Auguſtino impoſuiſſe olim Pelagianos, dicebant enim, Auguſtinum ſpecie diuinæ gratiæ commendandæ fatum induxiſſe, vt patet legendo libros eiuſdem Auguſtini, in quibus, reſpondet calumnijs Pelagianorum, præſertim lib. 2. contra duas epiſtolas Pelagianorum c. 5. & epiſtolam Hilarij ad Auguſtinum de erroribus Maſſilienſium. vnde retegitur impudentia Caluini lib. 2. Inſtitutionum c. 3. adducentis contra Catholicos, qui arbitrij libertatem in operibus pietatis defendunt, autoritatem D. Auguſtini, tanquam contra nouos Pelagianos, cùm ipſi antiqui Pelagiani contenderent, ſententiam Auguſtini de gratiæ efficacitate cum arbitrij libertate pugnare. Hoc ſuppoſito videamus, quomodo Auguſtinus ſeipſum defendat ab hac calumnia, & quomodo ille doceat, efficaciam gratiæ non ſolùm arbitrij libertatem nõ euertere, ſed illam neceſſariò requirere, perficere, & ſtimare. In epiſtola 89. q. 2. ita ſcribit: *Liberum arbitrium non ideo tollitur, quia iuuatur, ſed ideo iuuatur, quia non tollitur.* In epiſtola 106. *Gratia meretur augeri, vt auctla mereatur perfici, comitante, non ducente, pediſſequa, non præuia voluntate.* Scio, Caluinum reſpondere loco citato §. 7. *Sed quia reformãta opus eſt Domini, hoc perperam homini tribuitur, quod gratiæ præuenienti pediſſequa voluntate obſequatur.* At vbi ſunt illa Caluini encomia, quibus Auguſtini doctrinam extollit, vbi illa eius confeſſio, omnes Eccleſiaſticos Scriptores, vno excepto Auguſtino, in hac re ambiguè, & varie locutos fuiſſe? vbi pronuncationes illæ, quibus nos pronunciat ad audiendum Auguſtinum ſuis verbis contra noſtræ ætatis Pelagianos loquentem? vbi illud, quod lib. 3. contra Pighium ait: *Ego verò, vt minimè deiecto litem ex aliis libris poſterioribus ſi opus ſit, dirimi, ita ſit pugnandi cupiditate incaluiſſe Auguſtinum in aliis nego, quæ liquidam, & diſtinctam veri expoſitionem ſemper retinuerit.* vbi tandem illud, quod ait in ſuo opuſculo de æterna prædeſtinatione, ne in vna quidem ſyllaba ab Auguſtino diſſentire. Sed hęc leuia ſunt, ad alia pergamus.

Auguſt. Caluinus. Auguſt. Caluin.

IV. Idem Auguſtinus in Enchiridio c. 34. expendẽs illa verba Pauli, *Non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei*; mouet tale dubium: *Cum profectò dubio ſi homo eius ætatis eſſet, vt ratione tam vtatur, non poſſit credere, ſperare, diligere, niſi velit, nec peruenire ad palmam ſuperna vocationis Dei, niſi voluntate concurreret; quomodo ergo non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei.* refertque ibidem quandam reſponſionem antiquorum Patrum, tacito illorum nomine, dicentium, ideo dictum eſſe, nõ volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei, quia non ſufficit voluntas hominis, ſi non ſit etiam miſericordia Dei. Quam reſponſionem confutat ex eo, quoniam nec ſufficit etiam miſericordia Dei, ſi nõ adſit voluntas humana. Ac per hoc ſi rectè dictũ eſt, non volentis, neque currentis hominis, ſed miſerentis eſt Dei, quia id voluntas hominis ſola non implet, à pari dici poſſet, non miſerentis eſt Dei, ſed volentis, & currentis eſt hominis, quia id miſericordia Dei ſola non implet. Hæc Auguſtini ratio, quam habet etiam in lib. 1. ad Simplicianum q. 2. ſiquid virium habet, ſupponit, hominem diuinæ gratiæ verè cooperari, & liberè cooperari, ita vt poſſit, ſi velit, non cooperari. Hac itaque reſponſione confutata, ipſe aliam adhibet, ſic dicens: *Reſtat igitur, vt propterea recte dictum intelligatur, non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei, vt totum detur Deo, qui hominis voluntatem bonam, & præparat adiuuandam, & adiuuat præparatam.* In lib. de Spiritu, & litera c. 3. *Liberum*, inquit, *arbitrium euacuamus per gratiam? abſit. Sed magis liberum arbitrium ſtatuimus. Sicut enim lex per fidem ſit liberum arbitrium per gratiam non euacuatur, ſed ſtatuitur. Neque enim lex impletur, niſi libero arbitrio. Sed per legem cognitio peccati, per fidem impetratio gratiæ contra peccatum, per gratiam ſanatio animæ à vitio peccati, per animæ ſanitatem libertas arbitrij, per liberum arbitrium iuſtitia dilectio, per iuſtitiæ dilectionem legis operatio.* & c. 34. de gratia præuenienti ita ſcribit: *Nemo habet in poteſtate, quid ei veniat in mentem, ſed conſentire, vel diſſentire propriæ voluntatis eſt. His ergo modis quando Deus agit in anima rationali, vt ei credat, neque enim credere poteſt quiſlibet libero arbitrio, ſi nulla ſit ſuaſio, vel vocatio, cui credat. profectò & ipſum velle, & credere Deus operatur in homine, & in omnibus miſericordia eius præuenit nos: conſentire autem vocationi Dei, vel ab ea diſſentire, ſicut dixi, propriæ voluntatis eſt.* & in lib. 1. ad Simplician. tota quæſtione ſecunda multa habentur, quibus hæc veritas ab illo probatur, & inter alia inquit, *vt velimus, ſuũ eſſe velle, & noſtrũ, ſuũ vocando, noſtrum ſequendo.*

V. In lib. 5. de Ciuit. c. 10. ita ſcribit: *Si neceſſitas noſtra illa dicẽda eſt, qua nõ eſt in noſtra poteſtate, manifeſtum eſt, voluntates noſtras, quibus rectè, vel perperã viuitur, ſub tali neceſſitate nõ eſſe: multa enim facimus, quæ ſi nollemus, nõ vtiq; faceremus, quo pertinet ipſũ velle, nã ſi volumus eſt, & ſi nolumus nõ eſt.* & in lib. 2. cõtra literas Petiliani Donatiſtæ c. 84. *Si tibi proponã quæſtionem, quomodo Deus Pater attrahat ad filiũ homines, quos in libero dimiſit arbitrio, fortaſſis tam difficile ſolutum es. Quomodo enim attrahit, ſi dimiſit, vt quis, quod voluerit, eligat? & tamen vtrunque verum eſt, ſed intellectu hoc penetrare pauci valent. Sicut ergo fieri poteſt, vt quos in libero dimiſit arbitrio,*

attrahit tamen ad filium Pater sic fieri potest, vt ea, quæ legum coercionibus admonentur, non auferant liberum arbitrium. & in lib.2.de peccatorum meritis,& remissione c.5.*Nec ideo tamen de hac re solis votis agendum est, vt non subinferatur etiam ad bene viuendam nostra efficacia voluntatis. Adiuuat enim noster Deus dicitur, nec adiuuari potest, nisi qui aliquid sponte conatur: quia non sicut in lapidibus insensatis, aut sicut in eis, in quorum natura rationem, voluntatemque non cõdidit, salutem nostram Deus operatur in nobis.* Videãtur consimilia in lib.2.de Actis cum Felice Manichæo c.4.& in lib.de Natura,& gratia cap.32.33. & 64.

In lib.primo de Gratia Christi c.14. exponens verba illa apud Ioan.c.6. *Omnis, qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me*, inquit: *Quis autem non videat,& venire quenquam,& non venire, arbitrio voluntatis: sed hoc arbitrium potest esse solum, si non venit: non autem potest non esse adiutum, si venit,& sic adiutum, vt non soliumquod faciendum sit sciat, sed quod sciuerit, etiam faciat.* Eandem sententiam habet lib.2. contra duas epistolas Pelagianorum c.2. & in eodem libro c.5.repellit eos, qui dicunt, illum sub specie gratiæ commendandæ fatum introducere. & c.8.exponens, quid sit, hominẽ præparare cor, & os aperire,ait: *Quamuis enim nisi adiuuante illo, sine quo nihil possumus facere, os non possimus aperire, tamen nos aperimus illius adiumento, & opere nostro: implet autem illud Dominus sine opere nostro. nam quid est præparare cor,& os aperire, nisi voluntatem parare.* & in lib.de Prædestinatione, & gratia c.9. *Ita inter se atque homines Deus temporæ, officiaque distribuens ordinauit, vt vocatione ipsius bonorum principia sumeremus; vocati autem, & illuminati viam mandatorum eius boni ingenij intelligentia nosceremus, & ea libero vel eligeremus, vel relinqueremus arbitrio.* & in lib. de Prædestinatione Sanctorum c.3. *Vtrunque nostrum est, velle scilicet credere,& amare, propter arbitrium voluntatis, & vtrunque datum est per spiritum fidei, & charitatis.*& c.5.*Non quia credere & nõ credere non est in arbitrio voluntatis; sed in electis præparatur voluntas à Domino.* & in lib.de Gratia, & libero arbitrio in principio,*Quoniam sunt quidã, qui sic Dei gratiam defendunt, vt negent hominis liberum arbitrium, aut quando gratia defenditur, negari existiment liberum arbitrium, hinc aliquid scribere ad vestram charitatem Valentine frater, & cæteri, qui Deo seruitis, compellente mutua charitate curaui.* Nec in vno tantùm loco aduertit Augustinus, quæstionẽ de gratia, & libero arbitrio ita esse ad discernendum,& soluendum difficilem,vt dum vnum asseritur, alterum videatur negari, cùm tamen vnum sine altero rectè defendi nõ possit. Videri possunt consimilia lib.4. contra Iulianum c.8.& in lib. de Correptione, & gratia c.8. & lib.1. Retractationum c.22.in præfatione Psalmi 71.& tractatu 72. in Ioan. & serm.13.de verbis Apostoli. & tandem lib.3. Hypognosticon, vbi inter alia multa sic scribit: *Ipsum liberum arbitrium in hominibus esse, certa fide credimus,& prædicamus indubitanter.*& infrà: *Cum Dei misericordia se præueniente agit & ipse, scilicet homo per liberum arbitrium, quod quisquis esse negauerit, Catholicus non est, & quisquis sic esse dixerit, quod sine Deo bonum opus, id est, quod ad eius sanctum propositum pertineat, nec incipere, nec perficere possit, Catholicus est.*& infrà: *Itaque nec gratia sine libero arbitrio facit hominem habere vitam æternam, nec liberum arbitrium sine gratia.*

VI. Præter autoritates diuinæ Scripturæ, & Patrũ potest sententia Caluini validissimis rationibus Theologicis demonstratiuè confutari. Primò nãque si Dei gratia suas partes nostræ liberæ voluntati non relinquit in operibus pietatis, cur præcipiuntur nobis ipsa opera? cur peccant, qui diuina mandata opere non adimplent? Nam præcepta de illis operibus traduntur, quæ homo habet in sua potestate facere, vel non facere: neque vllus, nisi insanus, alicui præcipit id, quod facere non potest, vel necessitate, non autem libertate facit, vt quòd homo per aëra volet, vel quòd moriatur: quia homo volare non potest,& necessariò moritur.

Secundò si in operibus pietatis ad salutem spectantibus non liberè sed necessitate operamur, quidquid operamur, quid opus est nos cum tanta solicitudine, tanto labore, metu, ac tremore nostrã salutem operari? Edamus, bibamus, vitam nostram otio, & voluptatibus traducamus, Deus enim, qui omnia in omnibus operatur, si quidem voluerit nos saluare, ipse ad opera ad salutem necessaria nos impellet; sin minus, vani erunt nostri conatus, ac labores.

Demum si gratia minimè relinquit suas partes nostræ liberæ voluntati ad opera pietatis, cur reprehenduntur, cur corripiuntur, & castigantur, qui eidem gratiæ ostium cordis claudunt,& illi resistũt? cur nos monet Paulus ad Hebræos c.12.dicens. *Videte, ne quis desit gratia Dei: ne qua radix amaritudinis sursum germinans impediat?* Non ergo per efficacitatem, & energiam gratiæ tollitur humani arbitrij libertas, & cooperatio ad opera pietatis, quæ ad salutem sunt necessaria.

CAPVT XII.

Argumenta hæreticorum ex diuinis Scripturis deprompta soluuntur.

ETsi omnia argumenta, quæ hæretici ex diuinis Scripturis contra arbitrij libertatẽ deducunt, non solùm à recẽtioribus Theologis, sed à D. Aug. & aliis Patribus ante annos mille fuerint sufficiẽtissimè,& euidentissimè soluta, non erit tamen inutile, illa nunc breuiter proponere, ac soluere iuxta doctrinam eorundem Patrum. I.

Primum itaque argumentum sumunt ex verbis D.Ioannis c.6.dicentis, neminem venire ad Christum, nisi Pater traxerit eum. Est autem, inquiunt, hoc discrimen inter trahi,& duci, quòd trahimur nolentes, & ducimur volentes, iuxta sententiam Cleantis ab August.citati lib.5.de Ciuitate cap.8. *Fata volentem ducunt, nolentem trahunt.* non igitur volentes,& liberè cõsentiẽtes trahimur ad Christum, sed inuiti ac reluctantes. Cleantes.

Respondeo. Si homines inuiti, ac reluctantes ad Christũ trahũtur, vt quid illos Christus inuitat, vt quid hortatur, vt veniãt ad se, promittẽs illis refectionẽ,& requiẽ,& vitã, Matth. c.11. At nõ est nouũ istud argumẽtũ, sed vetustissimũ, cui respondẽrãt iã Aug.in lib.de Gratia Christi c.3.in lib.cõtra literas Petiliani c.84.lib.1.contra duas epist. Pelagian.c.19.in lib.de Prædest.Sãctorũ c.8. de Gratia & libero arbitrio c.5.tractatu 26. in Ioan. Chryf. in illũ locũ,& Cyrill. lib.4.in Ioan.c.5.& duobus sequentibus. Ex quorũ doctrina respõdetur, quòd duplex est tractus, alter quo quis trahitur inuitus, & nolẽs: alter quo trahitur libens, & volens suasione, promissione, voluptate,& amore. & hoc secundo modo trahit Pater homines ad filium. Neque Auguſt. Chryſoſt. Cyrillus.

Neque eſt impropria iſta locutio,qua quis dicitur trahi ſuaſione, voluptate, & amore: Nam,& Virgilius proprietatis verborū obſeruātiſſimus dixit, Virgil.

Trahit ſua quenque voluptas.

Noli (inquit Auguſtinus) cogitare , te inuitum trahi , trahitur animus & amore. nec timere debemus, qui ab hominibus,qui verba perpendunt, & à rebus,maximè diuinis intelligendis longè remoti ſunt , in hoc ſanctarum Scripturarum verbo Euangelio forſitan reprehendamur,& dicatur nobis,quomodo voluntate credo, ſi trahor ? Ego dico , parum eſt voluntate , etiam voluptate traheris.Quid eſt trahi voluptate ? Delectare in Domino , & dabit tibi petitiones cordis tui. Eſt quædam voluptas cordis, cui dulcis eſt panis ille cœleſtis. Porrò ſi Poëtæ dicere licuit,trahit ſua quẽque voluptas , non neceſſitas , ſed voluptas, non obligatio , ſed delectatio , quanto fortiùs nos dicere debemus , trahi hominem ad Chriſtum,qui delectatur veritate,delectatur beatitudine,delectatur iuſtitia, delectatur ſempiterna vita , quod totum Chriſtus eſt. Atque hunc eſſe illum tractum, de quo Saluator noſter in eo loco verba facit,probant dicti Patres ex aliis ſimilibus diuinæ Scripturæ autoritatibus, quæ habentur in 2.Paralipomenon, c.15. & lib.1.cap.28.ex quibus ipſe Aug.lib.de Gratia,& libero arbitrio c.3.oſtẽdit,hominem verè liberè ad Deum accedere;& in eodem cap.6. D.Ioannis.nam poſt illa verba; *Nemo venit ad me, niſi Pater,qui miſit me, traxerit eum*, ſtatim ſubiungit,*Omnis qui audiuit à Patre,& didicit,venit ad me.* quæ verba indicant , tractum,quo Pater homines ad filium trahit, eſſe tractum non per violentiam,ſed per ſuaſionem,& immiſſionem ſanctæ cogitationis,& piæ affectionis,quibus voluntas inclinatur , præparatur,& allicitur ad credendum.

II. Secundum argumentum ſumunt ex verbis illis apud Ezechielem c. 36. *Auferam à vobis cor lapideum, & dabo vobis cor carneum. Spiritum meum ponam in medio veſtri , & faciam , vt in præceptis meis ambuletis.* infert Caluinus. Sicut igitur in lapide nulla eſt cooperatio,ſi vertatur in carnem:ſic nulla eſt cooperatio voluntatis humanæ, cùm vertitur de mala in bonam. Reſpõdeo,ſi nulla eſt cooperatio voluntatis , quando vertitur de mala in bonam, cur inquit Deus per eundem Ezechielem c.18. *Proiicite à vobis omnes præuaricationes veſtras,in quibus præuaricati eſtis, & facite vobis cor nouum , & ſpiritum nouum.* & per Ioelem c.2. *Conuertimini ad me in toto corde veſtro , & ſcindite corda veſtra.* Non ergo ita operatur Deus in nobis cor nouum , & ſpiritum nouum , neque ita aufert cor lapideum, & dat cor carneum,vt nó etiã ipſi nos diuinę gratiæ liberè cooperemur. Quomodo verò id faciat, poterat Caluinus doceri ab Aug.in lib.de Prædeſtin.Sanctorum c.8.vbi ita ſcribit:*Quando ergo Pater intus auditur,& docet,vt veniatur ad filium, aufert cor lapideum,& dat cor carneum,ſicut Propheta prædicante promiſit.* & lib.de Gratia,& libero arbitrio c. 16.vbi ita ait:*Certum eſt, nos mandata ſeruare,ſi volumus:ſed quia præparatur voluntas à Domino , ab illo petendum eſt,vt tantum velimus, quantum ſufficit , vt volendo faciamus. Certum eſt,nos velle , cùm volumus: ſed ille facit,vt velimus bonum,de quo dictum eſt, quòd à Domino greſſus hominis dirigantur,& viam eius volet,de quo dictũ eſt,Deus eſt,qui operatur in nobis, velle & perficere. Certum eſt nos facere, cùm facimus:ſed ille facit,vt faciamus , præbendo vires efficaciſſimas voluntati,qui dixit,faciam,vt in iuſtificationibus meis ambuletis,& iudicia mea obſeruetis,& faciatis.* Cùm dicit, Auguſt.

faciam,vt faciatis,quid aliud dicit, niſi, auferam a vobis cor lapideum,vnde non faciebatis,& dabo vobis cor carneum,vnde faciatis. Ille facit,vt faciamus , cui dicit homo: Pone Domine cuſtodiam oris meo, hoc eſt enim dicere,fac vt ponam cuſtodiam oris meo , quod beneficium Dei iam fuerat conſecutus, qui dixit: Poſui oris meo cuſtodiam. Aufert itaque Deus ab homine cor lapideum, & dat cor carneum, & ponit Spiritum ſuũ in medio eius , & facit , vt ambulet in præceptis eius,non quidem ipſo homine nihil liberè cooperante,ſed voluntatem præparando,inclinando, alliciendo, vires præbendo , & præparatam adiuuando,vt liberè velit,& faciat.Neq; debebat Caluinus contra teſtimonia diuinæ Scripturæ apertiſſima tantam vim facere in metaphora lapidis ad probandum , quòd voluntas nihil cooperetur gratiæ,cùm de mala mutatur in bonam , eſt enim iſte modus ratiocinandi ex metaphoris contra apertas autoritates Scripturę, aut nimis craſſus,aut certè malignus,quo ſemel admiſſo oportebit omnes metaphoras diuinæ Scripturæ non iam metaphoricè, ſed iuxta proprietatem locutionis interpretari, & dicere cum Manichæis , Chriſtum eſſe hunc Solem viſibilem : quia ille ait , *Ego ſum lux mundi.*Præter quod non dicit Scriptura, Deũ mutare cor lapideum in cor carneum,ſed auferre cor lapideum , & præbere cor carneum , quæ diuerſa ſunt. Non ergo ratio huius metaphoræ in hoc conſiſtit,quòd ſicut lapis nihil ex ſe operatur , ita voluntas nihil cooperetur diuinæ gratiæ,quando de mala mutatur in bonam:ſed in hoc,quòd quẽadmodum lapis ſua duritie reſiſtit tangenti , caro verò ſua mollitie cedit tangenti: ita cor impij ſua obſtinatione reſiſtit diuinæ gratiæ, cor autem iuſti cedit gratiæ,& per omnia illi obtemperat.vnde auferre cor lapideum, & dare cor carneum , nihil aliud eſt,niſi cordis duritiem expellere, & voluntatem diuinis iuſſionibus obtemperantem, & obſequentem reddere,vt notat ibi Gloſſa interlineaſis,& in c.11. lib. Sapient. vbi conſimilia verba habentur. & hoc Deus facit,non auferendo arbitrij libertatẽ,vt Caluinus malè deducit,ſed efficaciſſimis ſuaſionibus , & immiſſione piarum affectionum;& vt Theodoretus adnotauit, his verbis non liberi arbitrij euerſionem declarauit ; ſed futurum ab ipſo auxilium,ſocietatẽmque ad efficiẽda bona opera ſpiritũ nouũ vocauit animę ad honeſta impetũ. cùm enim ad cõtraria propenſi ferrentur,mutationẽ in melius nouũ ſpiritũ appellauit.Et rurſus:verbis enim & operibus,& adhibitis miraculis non illis tantùm,ſed omnibus gentibus vt ad pietatem accederent,perſuaſit: nõ coëgit. & tamen quanuis non coëgerit,ſed perſuaſerit,ſe ait dediſſe animis ad meliora propenſionem. Interlineas. Theodor.

Tertium argumentum ſumũt ex autoritatibus, quibus diuina Scriptura aſſimilat opus iuſtificationis creationi,in Pſ.50.*Cor mũdũ crea in me Deus.* & Paulus ad Epheſ.2. *Ipſius enim ſumus factura,creati in Chriſto Ieſu in operibus bonis.*Sed creatura nihil cooperatur Deo in creatione. Ergo & voluntas nihil cooperatur Deo in opere iuſtificationis. III.

Reſpondeo. Si iuſtificatio propter hoc aſſimilaretur creationi, non diciſſet Paulus in priori ad Corinth. cap.6. *Adiuuantes autem exhortamur, ne in vacuum Dei gratiam recipiatis.* & ad Hebræos 12. *Contemplantes , ne quis deſit gratiæ Dei , ne qua radix amaritudinis ſurſum germinans impediat.* & Dauid in Pſ.94.*Hodie ſi vocem Domini audieritis, nolite obdurare corda veſtra.* & Ioan. in Apocalyp.3. *Ego ſto ad oſtium , & pulſo. Si quis aperuerit mihi,*

inuabo, &c. Non igitur ob hanc rationem opus iustificationis assimilatur creationi, sed ob alias rationes. quarum prima est, vt intelligamus nos nullis nostris meritis præcedentibus a Deo vocari, & iustificari, sicut creatio non est ex aliquo præiacente subiecto, aut ex termino politiuo, sed ex nihilo. & ita interpretatur illum locum D.
Augustin. Pauli Augustinus lib. de Gratia, & libero arbitrio cap.8.quæ interpretatio colligitur ex verbis eiusdem epistolæ immediatè antecedentibus. Secunda ratio est, quia terminus formalis iustificationis est gratia habitualis,quam à Deo creari ex nihilo, ostendimus lib.8.c.7. Tertia ratio. opus iustificationis appellatur creatio, ad denotandam huius operis magnitudinem, & eminentiam, vt ibi D. Hieronymus obseruat. est enim mos apud diuinam Scripturam,& etiam apud Ethnicos autores, nomina conditionis, & creationis ad ma-
Virgil. gna opera, eximiaque adaptare, iuxta illud Virgilianum.

Tanta molis erat Romanam condere Gentem.

Quo pacto dicuntur creari duces, Imperatores, Cardinales, Pontifices. Ita diuina Scriptura vocat nostram iustificationem creationem, ob tãti ope-
August. ris magnitudinem, quod teste D.August.tractatu 72.in Ioannem est maius opus, quàm creare cœlum,& terram.

IV. Quartum argumentum conficiunt ex autoritatibus Scripturæ,quæ indicant,Deum operari in nobis velle, & perficere, & totum opus nostræ iustificationis tribuunt Deo in Psal.83.*Gratiam,& gloriam dabit Dominus.* 1.ad Corinth.4. *Quid enim habes,quod non accepisti.* & cap.15. *Gratia Dei sum id, quod sum.* & epistola 2. c.3. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis, quasi ex nobis, sed omnis sufficientia nostra ex Deo est.* Ad Philipp.1. *Qui cœpit in vobis opus bonum, ipse perficiet*, & c. 2. *Deus est enim, qui operatur in vobis velle, & perficere.*

Respondeo, cùm in aliis locis diuina Scriptura vocet nos operarios, & Dei cooperatores, & coadiutores, ita testimonia non sic sunt intelligenda, vt opus nostræ iustificationis solus Deus operetur sine nobis: sed ea ratione totum ipsum opus iustificationis tribuitur Deo, quia Deus nos præuenit sua gratia, à qua omne opus bonum, & omnis sancta cogitatio tanquam initium, & omne opus bonum nobiscum operatur per gratiam cooperantem,& adiuuantem,vt sæpiùs dictum est ex D. Aug.

V. Quintum argumentum accipiunt ab autoritatibus Scripturæ, in quibus continetur, totum opus iustificationis esse opus solius Dei, & eius gratiæ. ad Roman.9. *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* 1. ad Corinth.c.4. *Quis enim te discernit? quid autem habes, quod non accepisti?* ad Ephes.2. *Gratia estis saluati per fidem, & hoc non ex vobis.*

August. Respondetur ex D. Augustino in Enchirid. c. 32.& de Gratia,& libero arbitrio c.8. cùm excluduntur nostra opera, & nostra voluntas, excludi solùm opera,& voluntatem,quæ sunt ex nobis,& ex viribus naturæ sine Dei gratia,& meritũ quod ipsam gratiam præcedit,vt omne meritum,& omnem bonam voluntatem,& omne bonum cogitatum nostrum soli gratiæ præuenienti,& adiuuanti tribuamus.

Dicetur. Si propter hoc dictum est,non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, quia homo nihil boni agere potest,aut cogitare absque gratia Dei præueniente,& adiuuante. Ergo à pari dici posset non miserentis est Dei, sed volentis, & currentis est hominis, quia gratia Dei nihil potest absque nostra cooperatione.

Respondet D. Augustinus lib.1.ad Simplician. q.2. quòd licet Deus in opere nostræ iustificationis requirat nostram liberam cooperationem, tamen verum est,non volentis, neque currentis est hominis, sed miserentis est Dei, & non è contra: quia in opere iustificationis nihil facit homo, quod non faciat Deus. At multa in homine facit Deus, quæ non facit ipse homo. nam Deus sua gratia præueniente,quam ponit in nobis sine nobis, nos præparat, & operatur in nobis velle,efficaciter faciendo,vt velimus.

Sextum argumentum sumunt ex testimoniis VI.
Scripturæ, quæ docent,gratiam efficacem nos facere indefectibiliter velle, & habentem gratiam efficacem non posse oppositum eius, ad quod illa inclinat operari.Ioan. c.6. *Omnis,qui audiuit à Patre,& didicit,venit ad me.* & epistola 1.c.3. *Omnis, qui natus est ex Deo, non peccat:quia semen Dei manet in eo.*

Respondetur, primum testimonium docere quidem,quòd habens gratiam efficacem,infallibiliter conuertitur ad Christum, non tamen, quòd non liberè conuertatur, ita vt si nollet, non posset pro sua libertate non conuerti. Secundum verò testimonium intelligendum est in sensu formali,quòd qui habet semen Dei,quod est diuina gratia in se, quatenus, & quandiu habet gratiam, & est filius Dei per gratiam, non peccat, immo nec peccare potest: implicaret enim manifestam contradictionem, hominem vt existentem in gratia, peccare. & illa verba eo modo exponenda sunt, sicut illa apud Matthæum c.7. *Non potest arbor bona fructus malos facere.*

CAPVT XIII.

Alia argumenta hæreticorum sumpta ex testimoniis Augustini, & aliorum Patrum afferuntur, & soluuntur.

PRæter autoritates diuinæ Scripturæ proferũt I.
hæretici autoritatem D. Augustini. & primò August.
profert Lutherus testimonium Augustini dicentis in 2.lib. contra duas epistolas Pelagianorum,Deũ nolentes,& reluctantes ad se conuertere, sicut in exemplo Pauli monstrauit, quem tunc conuertit, quando erat summo ardore persecutionis insanus & contrarius gratiæ.

Respondetur,nullibi dixisse Augustinum, Deũ inuitos,& reluctantes ad se cõuertere: sed Pelagianos húc errorẽ illi imposuisse, vt colligitur ex 2.libro cõtra duas epist. Pelagianorum c.7. quam calumniam ille excutiens lib.1.c.19. (ad quẽ locũ fortasse alludit Lutherus, vbi Aug. loquitur de miraculosa Pauli conuersione) ita scribit: *Quam multissimos (Christi quotidie subuenit Deus occulta gratia trahũtur ad Christũ quod verbũ si nõ ex Euãgelio posuissem,quàm de me propter hoc ipse(scilicet Iulianus) dixisset,cum etiã nunc obluctetur vt trahi,sed dilabi, quis clamat: Nemo potest venire ad me,nisi Pater qui misit me, traxerit eũ,nõ enim ait,duxerit,vt illic aliquo modo intelligamus præcedere voluntatẽ quia trahitur. si ei volebat:& tamen nemo venit nisi velit. trahitur ergo miris modis,vt velit,ab eo,qui nouit intus in ipsis hominũ cordibus operari,non vt homines,quod fieri nõ potest,nolẽtes credant:sed vt volẽtes, ex nolentibus fiant.* 8. lib.4. cap.6.

cap.6. *Quemodo enim*, inquit, *eſt hominis bonum propoſitum ſine miſerante prius Domino, cùm ipſa ſit bona voluntas quæ præparatur à Domino? Quod autem cùm dixiſſent, gratiam quoque adiuuare vniuſcuiuſque propoſitum, mox addiderunt, non tamen reluctantis ſtudium virtutis immittere, poſſet bene intelligi, ſi non ab iſtis, quorũ ſenſus notus eſt, diceretur. Reluctantes enim prius adiutos diuina vocatione ipſa Dei gratia procuratur, ac deinde in illo iàm non reluctante ſpiritus virtutis accẽditur.* Non igitur docuit Auguſtinus, Deum reluctantes ad ſe conuertere: ſed ex nolentibus, & reluctantibus facere volentes, & conſentientes, & ſic ſua gratia illos iuſtificare.

II. Secundò profert Caluinus lib. 2. Inſtitut. cap. 3. teſtimonium Auguſtini in lib. de Corrept. & Gratia dicentis, gratiã perſiſtendi in bono Adæ fuiſſe datam, ſi vellet, nobis dari, vt velimus, ac voluntate concupiſcentiam ſuperemus. Habuiſſe ergo illum poſſe, ſi vellet, ſed non velle, vt poſſet: nobis & velle dari & poſſe. Primam fuiſſe libertatem poſſe non peccare, noſtram multo maiorem non poſſe peccare; & ne de futura pòſt immortalitate loqui putaretur, ſicut perperam Lombardus eo trahit, ſe. upulum hunc paulo pòſt eximit, tanto quippe, inquit, Spiritu ſancto accenditur voluntas Sanctorum, vt ideo poſſint, quia ſic volunt, ideo velint, quia Deus operatur, vt hi velint.

Reſpondeo, iſtam non eſſe ſententiam Auguſtini, ſed coacernationẽ multorum mendaciorum à Caluino cõpoſitam. Affero verba ipſius Auguſtini in lib. de Corrept. & Gratia cap. 11. *Tale*, inquit, *erat adiutorium, quod deſereret* (ſcilicet Adam in ſtatu Innocentiæ) *cum vellet. & in quo permaneret, ſi vellet, non quo fieret, vt vellet. hac eſt prima gratia, quæ data eſt primo Adam: ſed hæc potentior eſt in ſecundo Adam. Prima eſt enim, qua fit, vt habeat homo iuſtitiam, ſi velit: ſecunda ergo plus poteſt, qua fit etiam, vt velit, & tantum velit, tantoque ardore diligat, vt carnis voluntatem contraria concupiſcentem voluntate ſpiritus vincat.* Quod verò addit Caluinus, per gratiam Chriſti quandiu ſumus in hoc curſu vitæ, fieri, vt homo non poſſit peccare, nullibi reperiet dixiſſe Auguſtinum, qui inter errores Pelagianorum notat, illos dixiſſe, quòd Sancti tam veteris, quàm etiam noui Teſtamenti poſt adeptam iuſtificationis gratiam nullum peccatum etiã veniale admiſerunt: vnde non opus habuerunt dicere Deo: Dimitte nobis debita noſtra. vt videri poteſt lib. 4. contra duas epiſtolas Pelagianorum cap. 2. ſubiungit poſtea Auguſtinus in fine illius capitis vndecimi, *Quid erit autem liberius libero arbitrio, quando non poterit ſeruire peccato, quæ futura erat homini, ſicut facta eſt Angelo, merces meriti.* Hic notandum, Auguſtinum loqui de libertate, per quam homo nõ poteſt ſeruire peccato in futuro, & dicere, quòd illa eſt libertas, quæ tribuetur, vt merces pro merito. ergo iſta libertas ex ſententia Auguſtini non habetur in hac vita, ſed in futura expectatur. quod clariùs exprimit ſequentia verba. ſubiungit. *Prima ergo libertas erat poſſe non peccare: noviſſima erit multo maior, non poſſe peccare. prima libertas erat poſſe non mori: noviſſima erit multo maior, non poſſe mori. Prima erat perſeuerantia poteſtas hominis poſſe non deſerere: noviſſima erit felicitas perſeuerantiæ, bonum non poſſe deſerere. Nondum igitur habetur hæc ſecunda libertas, ſed habebitur, & erit merces meriti cum immortalitate connexa, & felicitas perſeuerantiæ.* Ex his videri poteſt, an Lombardus verum dixerit, Auguſtinum de futura poſt hãc vitã libertate cũ immortalitate iuncta loqui.

III. Tertiò obiiciũt nobis hæretici loca Auguſtini, *Gabr. Pennot. de libert. hum.* in quibus ille docet, nihil boni eſſe in nobis ex nobis, ſed totum eſſe Deo tribuendum. lib. 2. de Peccatorum meritis & remiſſione cap. 18. lib. de bono perſeuerantiæ cap. 13.

Reſpondeo, Auguſtinus loquebatur contra Pelagianos, qui partem boni operis tribuebant libero arbitrio, partem Deo, videlicet initiu boni operis nobis, & illius conſummationem Deo. Contra quos docet non parte boni operis, ſed totum opus eſſe Deo tribuendum. Hæc reſpõſio colligitur ex D. Auguſtino in Enchiridio cap. 32. vbi ait: *Totum Deo dandum eſt, qui hominis voluntatem & præparat adiuuandam, & adiuuat præparatam; præcedit enim bona voluntas hominis multa Dei dona, ſed non omnia. quæ autem non præcedit ipſa, in eis eſt & ipſa.* Videatur lib. de Gratia, & libero arbitrio cap. 8. & ſequentibus maximè 17.

IV. Quartò obiiciunt loca Auguſtini, in quibus docit, voluntatem hominis ita à Deo adiuuari, vt nõ ſolùm ſciat, quid faciendum ſit, ſed etiã, vt faciat, & volendo appetat, & agendo perficiat, & Deum operari in nobis velle, & hoc ſine nobis. in lib. de Gratia Chriſti cap. 14. *Vtrùm ſic adiuuatur, vt non ſolum quid faciendum ſit, ſciat, ſed etiam, quod ſciuerit, faciat.* de Gratia & libero arbitrio cap. 17. *Vt velimus ſine nobis operatur. Cùm autem volumus, & ſic volumus, vt operemur, nobiſcum operatur.* In qua autoritate magnam vim Caluinus facit, & poterat alia teſtimonia ſimilia proferre ex lib. 1. ad Simplician. q. 2. & de Prædeſtinatione Sanctorum cap. 19. & de bono perſeuerantiæ cap. 13.

Reſpondeo, non dixit Auguſtinus, Deum operari in nobis ipſum velle ſine nobis, ſed operari, vt velimus, & facere vt velimus, quæ longè ſunt diuerſa. nam operari in nobis ipſum velle, eſt producere in nobis actum ipſum volendi, quod Deus non operatur in nobis ſine nobis, & ſecundùm rei veritatem, & ſecundùm Auguſtinum: nam ille dicit, Deum facere, & operari, vt nos velimus. Si autem facit, vt nos velimus, iam nos ſumus, qui ipſum velle producimus, non autem Deus ſine nobis. Cæterùm operari, & facere, vt nos velimus, eſt, Deum ſua gratia præueniente noſtram voluntatem excitare, ſuadere, mouere, & inclinare, ita vt eam faciat infallibiliter velle, quod vtique Deus in nobis ſine nobis operatur. & iſta eſt propria, & verbalis expoſitio ſententiæ D. Auguſtini, excepta ex ipſomet autore dicto lib. de Gratia & libero arbitrio cap. 17. *Certum eſt*, inquit, *nos velle, cùm volumus. Sed ille facit, vt velimus, de quo ſcriptum eſt, quod paulo antè poſui: Præparatur voluntas à Domino.* Sed miles glorioſus Caluinus ante victoriã canit triumphum.

V. Quintò obiiciunt autoritatem eiuſdem Auguſtini in lib. de Corrept. & Gratia cap. 12. vbi ait: *Subuenitur eſt ergo infirmitati voluntatis humanæ, vt diuina gratia indeclinabiliter, & inſeparabiliter ageretur. & ideo quamuis infirma non deficeret, neque aduerſitate aliqua vinceretur.* & cap. 14. *Cui volenti ſaluũ facere nullum humanũ reſiſtit arbitrium: ſic enim velle, & nolle in volentis, & nolentis eſt poteſtate, vt diuinam gratiam non impediat, nec ſuperet poteſtatem.* Similia habentur in lib. 5. contra Iulianum cap. 3. & lib. de Gratia, & libero arbitrio cap 20. & 21.

Reſpondetur, his modis loquendi Auguſtinum ſolùm velle indicare, quòd auxilium diuinæ gratiæ efficacis ponit ſuum effectum in nobis, certũ, & infallibilem: quod vt faciat, non eſt neceſſe, vt gratia impediat libertatem arbitrij noſtri: poteſt enim Deus infinitis modis noſtras voluntates ſic agere, & mouere, vt faciat illas aliquid velle in-

fallibiliter,& indeclinabiliter abſque eo, quòd illarum auferat, vel impediat libertatem. & eſt aduertendum, Auguſtinum non dixiſſe humanam voluntatem à Deo motam per auxilium gratiæ efficacis non poſſe oppoſitum velle, nam oppoſitum ille manifeſte docuerat in lib. de Natura & Gratia cap.32.33. & 64. & aliis in locis, ſed conſultò & data opera dixiſſe, voluntatem noſtram ipſi gratiæ efficaci de facto nunquam diſſentire: nam eo ipſo quòd gratia efficax eſt,denotatur, illam ſuum effectum habere in nobis. Quòd ſi aliquando occurrerit locus in D.Auguſtino,aut aliis probatis autoribus, in quo illi dicant, voluntatem non poſſe gratiæ efficaci diſſentire, quod rariſſimè euenit, debent illorum verba intelligi in ſenſu formali, & compoſito, & de impoſſibilitate ex ſuppoſitione, non autem abſoluta, vt ſit ſenſus,ſuppoſito quòd gratia ſit efficax, voluntas nõ poteſt illi diſſentire ſtante huiuſmodi ſuppoſitione: ſicut dicimus, quòd ſuppoſito, quòd homo currat, impoſſibile eſt,illum non moueri, cùm tamen abſolutè poſſit non moueri.

VI. Sextò obiicitur nobis autoritas Cœcilij ſecundi Arauſicani cap.4. vbi definiuit, Deum voluntatem noſtram non expectare, vt à peccato purgemur.

Reſpondetur, Concilium loqui contra Semipelagianos, qui dicebant, noſtras voluntates Dei gratiam præuenire, & Deum ipſas voluntates expectare, & iuxta conatum bonæ voluntatis nobis ſuam gratiam adiungere. Loquitur ergo Concilium de gratia præueniente, & non negat, Deum expectare noſtras voluntates, & illarum conſenſum,vt conferat gratiam iuſtificantem.

Verùm etſi hæc doctrina ſit Catholica,& communiter ab omnibus recepta,ac tradita,non videtur animus adhuc perfectè in illa cõquieſcere. Videtur nanque difficile admodum intelligere,quomodo gratia efficax ita noſtram voluntatem agat, vt faciat eam infallibiliter velle, & nihilominus ipſa liberè velit,& poſſit non velle. Nam vel gratia voluntatem mouet in genere cauſæ moralis tantùm, vel in genere cauſæ efficientis. Si in genere cauſæ moralis tantùm,illa ex vi ſua non habet effectum omnino certum, & infallibilem. Si in genere cauſæ efficientis, valde eſt difficile intelligere,quomodo Deus per gratiam moueat efficaciter voluntatem, & tamen illa pro ſua libertate poſſet non moueri, ſicut enim in poteſtate inſtrumenti non eſt,quãdo mouetur à cauſa principali, aliter operari, quàm velit ipſa cauſa principalis: ita in poteſtate voluntatis non videtur relictum,quando illa mouetur à Deo,per gratiam efficacem,non moueri,aut aliud velle,quàm Deus velit ipſam velle. Hoc argumentum videtur continere quidquid eſt difficultatis in hac controuerſia inter Catholicos,& hæreticos de libertate arbitrij noſtri in operibus pietatis, & ideo circa illius ſolutionem aliquantulum erit nobis inſiſtendum, vt omnibus conſpicuum fiat, per efficaciam gratiæ non impediri noſtram libertatem in operibus pietatis.

CAPVT XIV.

Referuntur tres modi, quibus nonnulli Theologi libertatem arbitrij cum efficacia diuinæ gratiæ nituntur conciliare.

I. Auguſt. D.Auguſtinus lib.3. de Peccatorum meritis,& remiſſione cùm propoſuiſſet quædam argumenta Pelagianorum contra peccatum originale, & contra neceſſitatem gratiæ cap.4 eiuſdem libri ita ſcribit: *Ego autem etſi refellere ſforum argumenta non valeam,video tamen inhærendum eſſe iis,quæ in Scripturis ſunt apertiſſima, vt ex his reuelentur obſcura, aut ſi mens nondum eſt idonea, qua poſſit ea vel demonſtrata cernere,vel abſtruſa inueſtigare,ſine vlla hæſitatione credantur.* & lib. de bono perſeuerantiæ cap.14. verba faciens de gratia efficaci ait: *Nunquid negandum eſt, quod apertum eſt, quia comprehendi non poteſt,quod occultum eſt? Nunquid,inquam, dicturi ſumus, quod ita eſſe perſpicimus non ita eſſe, quoniam cur ita ſit, non poſſumus inuenire.* Cùm igitur conſtet nobis per apertiſſima teſtimonia diuinarum Scripturarum, Deum ſua gratia efficaci noſtras voluntates ad bonum ita mouere,& inclinare, vt tamen voluntas ipſa diuinæ gratiæ & verè cooperetur, & liberè cooperetur; etiamſi voluntatis noſtræ libertatem cum efficacia diuinæ gratiæ minimè ſciremus conciliare, & eandem conciliationem rationibus demonſtratiuis conſpicuã facere,non tamen negandum eſſet, quod apertum eſt, quia comprehendi non poſſet, quod occultum eſt.

At non erit fortaſſe tam difficile, hunc nodum ſoluere, & aliqua ratione quietatiua declarare, quomodo cum efficacitate gratiæ ſtet arbitrij libertas, niſi quis data opera obſtinatus eſſe velit. quod vt faciamus, primò recenſebimus modos, ſecundùm quos nonnulli ipſam arbitrij libertatem cum efficacia gratiæ conciliant, in hoc capite. Deinde illum,quem cæteris faciliorem exiſtimamus,capite ſequenti referemus.

II. Scholaſtici tribus modis ipſam arbitrij libertatem cum efficacia diuinæ gratiæ nituntur conciliare. Primus modus eſt illorum, qui diſtinctionem gratiæ *in* ſufficientem, & efficacẽ reiciunt, & contendunt, gratiam dici efficacem ab euentu, & effectu, ita vt ex ſola arbitrij libertate pendeat, illam efficacem reddere, aut inefficacem. Hic tamen modus dicendi nullo modo videtur admittendus,quia licèt ſit in poteſtate liberi arbitrij,omnem gratiam quantumuis efficacem ſibi oblatã reſpuere, quod ſolùm autores huius opinionis fortaſſe prætendunt,licèt illorum modus loquendi aliquid plus innuat,nec placeat: tamẽ ex diuina Scriptura & Patribus habemus, primò diſtinctionem gratiæ in ſufficientem & efficacem. Secundò habemus, efficaciam diuinæ gratiæ non à ſolo euentu pendere, ſed ex diuina voluntate, & intentione: quia aliàs homo haberet ex ſe, quo ſeipſum ab homine diſcerneret. cõtra ſententiam Pauli dicentis, *Quis enim te diſcernit:* & Prædeſtinatio quæ eſt præparatio gratiæ efficacis non eſſet certa certitudine ordinis, & cauſalitatis, ſed tantùm certitudine præſcientiæ, quod D. Thom. de veritate q.6.art.3.dicit eſſe contra autoritatem diuinæ Scripturæ, & dicta Sanctorum; neque eſſet ita imperſcrutabile arcanum diuinæ prædeſtinationis. & cùm quæritur,cur Deus hunc prædeſtinauerit, non illum fruſtra prouocaret Auguſtinus ad altitudinem diuinæ ſapientiæ: haberemus enim cauſam huius diſcriminis non occultam,ſed cuique manifeſtam ex nobiſmetipſis,videlicet arbitrij noſtri libertatem,per quam alter reddit gratiam Dei efficacem, alter inefficacem, & ob hanc cauſam alter eſſet prædeſtinatus, alter non. Ideo iſta ſententia non videtur admittenda, licèt fortaſſe illius autores, cùm ſint Catholici, nec indocti, aliquem ſenſum verum, & legitimum in illa intendant.

Secun

III. Secundus modus eſt illorum, qui efficaciã gratiæ præuenientis cõſtituunt in ſola motione morali, & obiectiua. Iſti Doctores aiunt, Deum per ſcientiam mediam ab æterno infallibiliter nouiſſe, quis ſit modus aptus, & idoneus ad ſingulos homines vocandos, & ad ſuadendum ſingulis, ita vt perſuadeat, & faciat illos infallibiliter conuerti, & ſaluari: & in hoc efficaciã gratiæ conſiſtere, quòd in tempore hominem vocat eo modo, & in illis, & cum illis circunſtantiis, quo, & cum quibus ſcit, illi congruere, vt vocantem non ſpernat, ſed ſequatur, & infallibiliter conuertatur. Hoc autẽ modo explicata gratiæ efficacitate apparet, illam ponere in nobis ſuum effectum infallibilẽ, & nihilominus nullum vel minimum detrimentum inferre noſtræ libertati: quia ſuaſio non cogit inuitũ, vt Auguſtinus ait in lib. octoginta triũ quæſtionum q. 4. & experientia quotidiana demonſtrat. Hic modus dicendi videtur quidem habere fundamentum in doctrina Auguſtini, qui gratiam efficacem vbique conſtituit in vocatione congrua, alta, & ſecreta, & in ſuaſione, atque doctrina interna, qua Pater ita nos docet, & ſuadet, vt diſcamus, & veniamus ad Chriſtum, ſicut videri poteſt apud illum in lib. 1. ad Simplicianum q. 2. §. *Aliter enim Deus præſtat.* & §. *Multi vocati, pauci vero electi.* & de Spiritu, & litera cap. 34. & lib. 83 quæſtionum q. 68. & in epiſtola 107. & de Prædeſtinatione Sanctorum cap. 8. de Bono perſeuerantiæ cap. 14. de Gratia & libero arbitrio cap. 5. & tractatu 26. in Ioan. & aliis in locis ſupra hoc eodem libro allegatis. Verùm hic modus dicendi illas patitur difficultates, quas ſuprà tetigimus, cùm ageremus de quidditate gratiæ operantis, & declaratione omnino videtur indigere, nam vel illius autores ita conſtituunt efficaciam gratiæ in congrua vocatione, & motione, ſeu in cauſalitate morali, & obiectiua, vt excludant phyſicum influxum gratiæ in voluntatem, quo illa ſanetur, eleuetur, roboretur, inclinetur, moueatúrque ad bonum, & indeclinabiliter agatur, vel in vocatione congrua eundem influxum phyſicum includunt. & ſi primum dicant, non videtur illorum ſententia probanda, maximè ad mentem D. Auguſtini, propter ea, quæ ſuprà cap. 7. dicta ſunt de gratia operante. Si autem ſecundum, puto illos veriſſimè dicere: ſed tamen illorum modus dicendi hoc non ſatis videtur explicare. Deinde ea ex parte, qua gratia efficax eſt influxus phyſicus in voluntatem, verè efficienter illam mouens ad conſenſum, videtur remanere integra difficultas conciliandi libertatem arbitrij cum efficacitate ipſius gratiæ: licèt ea ex parte, qua eſt ſolùm motio moralis, nulla difficultas ſubeſſe videatur.

IV. Tertius modus eandem libertatem conciliandi cum efficacia diuinæ gratiæ eſt aliorum, qui in aliud extremum recurrentes dicunt, per auxilium gratiæ efficacis Deum noſtras voluntates mouere non ſolùm verè phyſicè, & efficienter: ſed etiam ita mouere, vt phyſicè illas prædeterminet ad liberum conſenſum prædeterminatione antecedenti liberam determinationem voluntatis creatæ ad eundem conſenſum. Imaginantur enim iſti autores inter motionem illam moralem, & liberum conſenſum voluntatis ſupernaturalem mediare quendam phyſicum influxum ſupernaturalem in voluntatem, per quam illa mouetur, inclinatur, applicatur, & phyſicè, ſeu efficienter prædeterminatur ad liberum conſenſum: quem influxum vocant motionem virtuoſam, & complementum potentiæ agentis, & phyſicam prædeterminationem ad conſenſum. & in hac phyſica prædeterminatione conſtituunt gratiam efficacem, quam cum ipſa arbitrij libertate ita conciliant. Dicunt enim, cùm diuina voluntas ſit ex ſe efficaciſſima, efficit, vt non ſolùm infallibiliter veniat, quidquid illa vult euenire, ſed etiam vt eo modo eueniat, quo modo vult illud euenire: Deus autem vult voluntatem creatam infallibiliter producere hunc actum, ad quem dat illi gratiam efficacem, & nihilominus vult, quòd voluntas illum liberè producat. Ergo ob efficaciam diuinæ voluntatis non repugnat, quòd gratia efficax faciat hominem infallibiliter exire in actum conſenſus ſupernaturalis. & nihilominus voluntas humana liberè eliciat talem actum ſupernaturalis conſenſus.

Hanc autem ſententiam quidam recẽtiores ſic rurſus declarant. licèt non ſit in poteſtate voluntatis creatæ habere in ſe auxilium prædeterminãs gratiæ efficacis, eſt tamen in eius poteſtate illius terminus, qui eſt libera cooperatio: quia voluntas creata etiam mota, & excitata per auxilium gratiæ operantis poteſt diſſentire in ſenſu diuiſo, licèt non in ſenſu compoſito.

In hoc modo dicendi duo ſunt, quæ declaratione videntur indigere. Primum eſt, quid iſti autores intelligant nomine prædeterminationis. eſt enim hoc nomen continens latentem æquiuocationẽ, nam prædeterminare poteſt idem ſignificare, quod rem de ſe indifferentem ad multa ad vnum aliquid determinatum inclinare, in quo ſenſu ſine dubio dixit D. Thom. 1. patt. quæſt. 19. art. 3. ad 5. quòd voluntas, quæ ex ſe indifferens eſt, oportet quòd ab aliquo exteriori determinetur: accipit enim ibi determinare prout ſignificat, rem ad diuerſa ex ſe indifferentem ad vnum determinatum inclinare, vt patebit illam reſponſionem conferenti cum argumento, cui ille reſpondet. Poteſt etiam ſignificare idem, quod mobile in termino ſui motus ponere, quo pacto mentis, ſeu animi noſtri deliberatio conſueuit per metaphoram appellari determinatio, ſiue definitio: quia per illam voluntas conſtituit ſeipſam in termino ſui motus. & vniuerſaliter loquendo determinare ſignificat, cuilibet rei terminos, vel fines cõſtituere. & quidem ſi iſti autores, cùm aiunt, Deum per auxilium gratiæ efficacis voluntatem non ſolùm phyſicè, ſed etiam moraliter, & è contra ad ſupernaturalem conſenſum prædeterminare, accipiant prædeterminare iuxta priorem ſignificationem, illorum ſententiam veriſſimã puto, & ipſiſſimam mentem D. Auguſtini, & D. Thom. immò & diuinæ Scripturæ. Si autem accipiant prædeterminare iuxta poſteriorem acceptionem, iſta ſententia nec videtur vera in ſe, nec conſtãs cum ſeipſa. nam cùm terminus liberæ motionis noſtræ voluntatis nihil aliud ſit, niſi liber conſenſus, ſi voluntas per gratiam efficacem phyſicè prædeterminatur ad conſenſum, antequam illa ſeipſam liberè determinet, erit in illa conſenſus, antequam conſentiat. Adhuc ſequitur, liberum conſenſum voluntatis produci à ſolo Deo antequam producatur à voluntate: & ſic aut idem actus bis produceretur, ſemel à Deo, ſemel à voluntate creata: aut voluntas ſe habebit ad illum merè paſſiuè, ſicut dixit Lutherus, qui eſt error damnatus à Tridentino ſeſſ. 6. can. 4. Adhuc terminus huius præmotionis non relinquitur ampliùs in poteſtate liberi arbitrij, vt hi autores dicunt. Adhuc nulla erit vera arbitrij libertas comparatione cuiuſcunque actus, ad quem voluntas ſic prædeterminatur.

D. Thom.

Aliud quod declaratione indiget, eſt, quid intelligant per hoc, quod eſt, voluntatem ſic prædeterminatam poſſe diſſentire in ſenſu diuiſo., licèt non in ſenſu compoſito. Si enim intelligant, quòd voluntas ſic per gratiæ auxilium prædeterminata poteſt diſſentire in ſenſu diuiſo, ideſt, ſpectata ſecundùm ſe, quatenus conſiderata illius natura, etiam quando ſubſtat actuali prædeterminationi, illi non repugnat diſſentire. In ſenſu verò compoſito, ideſt, ſi conſideretur, quatenus actu ſubſtat diuinæ motioni, & prædeterminationi, & cum illa componit, non poteſt diſſentire. hic modus dicendi non ſolùm non videtur optimus ad arbitrij libertatem conciliandam cum efficacia diuinæ gratiæ, ſed potiùs per efficaciam gratiæ ipſam arbitrij libertatem euertere videtur per ea, quæ lib. 1. cap. 29. & ſeq. & lib. præcedenti cap. 24. & 25. à nobis dicta ſunt, & capite ſequenti iterum dicemus.

CAPVT XV.

Quartus modus verior conciliandi noſtram libertatem cum efficacia diuinæ gratiæ, explicatur.

I. EST igitur alius modus ipſam arbitrij libertatẽ cum gratia efficaci conciliandi, quẽ & veriſſimũ arbitror, & ad mentẽ D. Auguſt. & D. Thomæ, qui ſequentibus propoſitionibus ita declaratur.

Prima propoſitio: Gratia præuenies efficax mouet voluntatem nõ ſolùm moraliter, ſed etiã phyſicè, & verè efficienter. Hæc propoſitio relinquitur probata ex dictis ſuperiùs de gratia operante.

Secunda propoſitio: Licèt Deus per auxilium gratiæ moueat voluntatem verè phyſicè, & ad modum cauſæ verè efficientis, non tamen phyſicè voluntatem prædeterminat antecedenter ad liberam illius determinationem.

Tertia propoſitio: Poſita in voluntate quauis gratia præueniente quantuncunque efficaci, voluntas pro ſua libertate poteſt illam reſpuere, & diſſentire, etiam in ſenſu compoſito, ſi ſenſus compoſitus accipiatur, quatenus ipſa voluntas cõponit cum auxilio gratiæ præuenientis in actu primo: licèt non vt cõponit cum gratia præueniente efficace in actu ſecundo, ſiue cũ illius effectu. Has etiam propoſitiones eſſe ad mentem D. Auguſt. & D. Thomæ, facilè oſtenditur, ſi ſuppouamus vnũ, quod omnes etiam, qui contra illas ſentiunt, nobis concedunt. illud autem eſt, ſi gratia efficax ita mouet voluntatem, vt voluntas quatenus ſubſtat diuinæ motioni, poſſit diſſentire, & illam reſpuere, ipſam voluntatem per talem motionem minimè phyſicè prædeterminari ad ipſum conſenſum. Hãc autem ſuppoſitionem oſtendo verã eſſe, & ad mentem D. Auguſtini, & primò probo, illã ex Aug. in Enchir. c. 32. & lib. 1. ad Simplicianum q. 2. vbi exponens illum locum Pauli ad Rom. 9. *Non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei*, refert expoſitionem, quæ fuit Gregorij Nazianzeni oratione trigeſima dicentis: ideo ita dictum eſſe à Paulo, quia voluntas humana ad bonum non ſufficit ſine miſericordia diuina, quam expoſitionem reiicit ex eo, quoniam à contrario poſſet dici, non eſt miſerentis Dei, ſed volentis, & currentis hominis: quia Dei miſericordia non ſufficit abſque noſtro conſenſu, & voluntaria cooperatione. Hæc ratio ſupponit, Dei miſericordiam, & gratiã efficacem, de qua non eſt dubium Auguſtinum loqui in illis locis, etiã quatenus mouet noſtram liberam volũtatem, relinquere in nobis potentiã, & facultatem ad diſſentiendum diuinæ motioni; aliàs nihil cõcluderet: quia diceret ſtatim quis pro Naz. quòd voluntas hominis non habet in poteſtate miſericordiam Dei, ita vt homine volente, & currente Deus non poſſit non miſereri: at Dei gratia ſubiicit ſibi humanam voluntatem, ita vt Deo per gratiam efficacem mouente hominis voluntatem illa non poſſit non præbere conſenſum. & ideo verũ eſſe, non eſt volentis, neque currentis hominis, ſed miſerentis Dei. & non econtra.

Auguſtin.

Rurſus in lib. de Spiritu & litera c. 34. loquens de motione gratiæ efficacis ait, quòd *nemo habet in poteſtate, quid ei veniat in mẽtem: ſed conſentire, ac diſſentire propriæ voluntatis eſt.* & infrà exponens illud Pauli, *Quid autem habes, quod non accepiſti*, eandem ſententiam repetit. & lib. 2. contra literas Petiliani c. 84 ita ſcribit, *Si tibi proponam quæſtionem, quomodo Deus Pater attrahat ad filium hominis, quos in libero admiſit arbitrio, fortaſſis eam difficilè ſoluturus es. Quomodo enim attrahit ſi dimittit, vt quis, quod voluerit eligat. & tamen vtrunque verum eſt, ſed intellectu hoc capere pauci valent. Sicut ergo fieri poteſt, vt quos in libero dimiſit arbitrio, attrahit tamen ad filium Pater: ita fieri poteſt, vt ea, quæ legum coercionibus admonentur, non auferant liberum arbitrium.* Hìc Auguſt. planè loquitur de tractu, quo Deus homines trahit per gratiam efficacem: & tamen apertè dicit, eum, qui ſic trahitur, quando trahitur, habere in ſua libera facultate, quòd voluerit eligere. vbi ſi attentè verba Auguſtini perpendamus, videbimus illum data opera confutare illorum ſententiam, qui dicunt, voluntatem quatenus trahitur per auxilium gratiæ efficacis, & quatenus componit cũ motione efficaci, non poſſe diuinæ gratiæ diſſentire. Rurſus in lib. de Prædeſtinatione, & gratia c. 9. ita ait, *Ita inter ſe atque homines Deus officia, temporaque diſtribuens ordinauit, vt vocatione ipſius bonorum principia ſumeremus: vocati autem, & illuminati vias mandatorum eius boni ingenij intelligentia noſceremus, & eas libero vel eligeremus, vel relinquẽremus arbitrio.* & in lib. de gratia & libero arbitrio c. 15. *Ne autem putetur nihil ibi facere ipſos homines per liberum arbitrium, ideo in Pſalmo dicitur: Nolite obdurare corda veſtra, & per ipſum Ezechielem: Proiecte à vobis omnes iniquitates veſtras.* Si igitur per hoc Auguſt. probat, hominem liberè cooperari diuinæ gratiæ in opere iuſtificationis, quia Scriptura dicit: *Nolite obdurare corda veſtra*, ſupponit in actu iuſtificationis, poſſe hominem, quãdo à Deo mouetur, & quatenus ſubſtat diuinæ motioni, cor ſuum obdurare. Sed longum nimis foret omnia teſtimonia Auguſtini, quibus hæc veritas probari poſſet hìc tranſcribere. huc enim tendit, quod ait, eſſe in poteſtate hominis conſtitutum, facere arborem bonam, aut malam, & fructum eius bonũ, aut malum, & Deum dediſſe hominibus poteſtatem, filios Dei fieri. Nam ex ſententia Aug. illud dicitur eſſe in noſtra poteſtate, quod ſi volumus, facimus: & ſi nolumus, non facimus, vt ille ait in lib. 1. Retractat. c. 22. & lib. de ſpiritu & litera c. 31.

II. EAndem verò fuiſſe mentem D. Thomæ, colligitur ex locis lib. præcedenti c. 24. allegatis, iunctis interpretationibus antiquorũ Thomiſtarum. Nam cùm D. Thomas negat, voluntatem humanã per diuinum concurſum prædeterminari ad actus liberos, indiſtinctè loquitur tã de actibus ordinis ſupernaturalis, quàm naturalis. Neque vllus reperietur locus in doctrina D. Thomæ, in quo oppoſitum doceat, vt valde mirum ſit, nonnullos tanta conſtantia illum facere autorem iſtarum

phyſi

physicarum prædeterminationum.fatetur D.Thomas,voluntatem ad actus supernaturales per diuinam gratiam præmoueri,inclinari,& applicari: at non dicit,illam prædeterminari. & valde diuersa hæc sunt, cùm de liberis actibus humanæ voluntatis agitur, vt dictum est, & nunc iterum dicemus, sed specialiter voluntatem non prædeterminari ad actus supernaturales per gratiã efficacem,

D.Thom. docet de veritate quæst.6.art.3.in corpore,vbi declarat, quomodo cum gratia efficaci stet arbitrij libertas,siue sub aliis terminis,quomodo cũ certitudine prædestinationis,quæ est certitudo ordinis, & causalitatis,stet hominem liberè saluari, & ita ait, *Præter certitudinem præscientiæ ipse ordo prædestinationis habet certitudinem infallibilem:nec tamen causa proxima salutis ordinatur ad eam necessario,sed contingenter,scilicet liberum arbitrium. quod hoc modo potest considerari. Inuenimus enim ordinem compossibilem esse respectu alicuius dupliciter, vno modo in quantum vna causa singularis producit effectum suum ex ordine diuinæ prouidentiæ: alio modo quando ex concursu causarum multarum contingentium, & deficere possibilium perueniunt ad vnum effectum, quarum vnaquæque Deus ordinat ad consecutionem effectus loco eius, quæ deficit,aut ne altera deficiat:sicut videmus, quod omnia singularia vnius speciei sunt corruptibilia,& tamen per successionem vnius ad alterum potest in eis secundum numerum saluari perpetuitas speciei,diuina prouidentia taliter gubernante,quod non omnia deficiant, vno deficiente. & hoc modo est in prædestinatione. liberum enim arbitrium deficere potest à salute:tamen in eo,quem Deus prædestinat,tot alia adminicula præparat, quòd vel non cadat,vel si cadat,quòd resurgat:sicut exhortationes, & suffragia orationum, donum gratiæ, & alia huiusmodi, quibus Deus adminiculatur hominis ad salutem.* Si ergo prædestinatio non est certa,in quantum vna causa singularis producit effectum suum ex ordine diuinæ prouidentiæ, & si ipsa gratia, per quam Deus hominem prædestinatum perducit ad salutem, à D.Thoma numeratur inter causas contingentes, quæ possunt deficere,licèt de facto non deficiant, vbi est gratia efficax physicè prædeterminans voluntatem, cui voluntas sic prædeterminata non potest non consentire.aut à salute deficere?Videatur alius locus apud eundem D.Thomam de veritate quæst.12.art.10. vbi docet,actus humanos liberos, quatenus sunt ex libero arbitrio, non esse ex diuina prædestinatione. & loquitur de actibus supernaturalibus,vt patet in responsione ad quartum argumentum. Præter quod ex sententia D. Thomæ actus liberi non possunt subesse certæ scientiæ etiam diuinæ, nisi quatenus, & quando sunt positi in rerum natura extra suas causas, vt lib.3.ostendimus: sed hoc minimè verum esset, si liberum arbitrium antecedenter prædeterminaretur ad actus liberos supernaturales: quia posset Deus illos nosse in huiusmodi prædeterminatione, quod licèt nonnulli ab argumento coniecti concedant,& contendant,sentire D.Thomam,nec verum est in se, neque in sententia D. Thomæ vt lib.3.probauimus.

III. Eandem esse sententiam omnium fere Scholasticorum,paucissimis exceptis, ostendunt Suarez, & Lessi in locis lib.præcedenti cap.24.allegatis,& probari potest hæc doctrina omnibus rationibus, quibus ibi cap. 25. ostendimus, voluntatem non prædeterminari ad actus ordinis naturalis: illæ namque probant, etiam voluntatem non prædeterminari ad actus supernaturales.Nam primò per istam prædeterminationem videtur tolli arbitrij nostri libertas in operibus pietatis: Concilium enim Tridentinum per hoc probat contra Caluinum, quòd homo libere consentit Deo per gratiam mouenti,& excitanti, quia potest dissentire, si velit. Ergo vbi non potest dissentire, ibi liberè non concurrit. Nec debet vllo modo admitti illa Glossa,qua nonnulli dicunt Concilium definuisse,quòd liberum arbitrium potest dissentire,si velit,sub conditione voluntatis, eo modo, quo D. Thomas de potentia quæst. 1. art.6. ad 3. explicat dictum illud Aristotelis in quarto Topicorum cap.5.*Deus,& studiosus potest prauа operari*, videlicet sub conditione voluntatis,si velit: nihil enim prohibet hanc conditionalem,Deus potest peccare,si velit,esse veram, licèt antecedens, & consequens sit impossibile. est enim Glossa à VVicleffo excogitata ad rationes Catholicorum eludendas, quando illi probabant,Deum liberè ad extra operari,quia Scriptura docet,Deum multa posse facere,quæ actu non facit, cuius ille autoritatibus sic respondebat, Deus potest plura facere, quàm faciat,si velit. Sed postea dicebat, quòd velle non potest. quam glossam Thomas VValdensis lib. 1. Th. VVald. Doctrinalis fidei cap. 15. reiicit tanquam erroneam,& contra diuinam Scripturam: quia quando Scriptura docet, Deum plura facere posse, quàm faciat,si velit, supponit, Deum posse velle. Ita à pari quando Concilium inquit, liberum arbitrium diuinæ gratiæ posse dissentire, si velit, supponit illud posse velle dissentire; alioqui nihil contra hæreticos definiuisset. quia & Caluinus, & ipse VVicleff, & quiuis alius fati assertor sine vlla contradictione admitteret hanc conditionalem, voluntas à Deo mota per gratiam efficacem potest diuinæ motioni dissentire,si velit. Sed negabunt,illam velle posse. quare debet Catholicus ab istis glossis frigidis cauere, quæ nihil prodesse possunt,& non parum obesse veritati.

Neque admittenda est alia Glossa dicens, Con- IV.
cilium loqui in sensu diuiso, non in sensu composito. non enim credibile est, mentem Concilij fuisse,solùm,definire, quòd quando voluntas mouetur à Deo per auxilium gratiæ efficacis, si illa spectetur secundùm se, & propriam illius naturam,possit illi dissentire: sed multo magis intendebat definire, quòd etiam quando mouetur per auxilium gratiæ efficacis, vt substans huiusmodi motioni,potest, si velit, dissentire. quod vel ipsemet Caluinus, contra quem huiusmodi definitio Caluinus.
fuit principaliter promulgata,intellexit, cùm ait, in eo,hallucinari Patres Tridentinos, quòd mortum nobis offerri somniant, qui mediam electionem nobis relinquat.& cùm ait, *Voluntatem mouet gratia non qualiter multis seculis traditum est, & creditum,vt nostra postea sit electionis, diuinæ motioni aut obtemperare, aut refragari:sed efficaciter illam afficiendo.*& rursum: *Nam medium motum, quem Sophistæ imaginantur,cui obsequi, vel quem repellere liberum sit, aperte excludi videmus,vbi asseritur efficax ad perseuerandum constantia.* & si Caluino concederetur, liberum arbitrium quatenus substat motioni efficaci,& cum illa componit,non posse dissentire: ille vicissim concederet nobis,liberum arbitrium spectatum secundùm se, & secundùm propriam naturam posse dissentire. Non enim dixit Caluinus, liberum arbitrium ex sua natura esse determinatum ad omnes illos assensus, quos præbet diuinæ gratiæ, neque etiam ad actus oppositos. nam & ipsa experientia monstrat,voluntatem modò ferri in vnum obiectum, modò in oppositum. Sed solùm

d by Google

lùm contendit, quando voluntas à Deo mouetur per gratiam efficacem, illam non posse diuinæ motioni dissentire,si velit.

Confirmatur ratio,nam Caluinus fatetur,suam sententiam esse contrariam sententiæ, quam multis sæculis tradiderunt Patres,& dicit,in hoc consistere istam contrarietatem,quia illi dicunt, diuinam gratiam relinquere in hominis potestate ipsi diuinæ motioni obtemperare,aut refragari.

Confirmatur secundò. Præclarissimum exemplar gratiæ efficacis fuit gratia collata Paulo Apostolo, vt ait Augustinus lib. de Gratia & libero arbitrio cap. 5. sed de illa D. Anselmus in cap. 6. Matthæi circa illa verba, *fiat voluntas tua*,ita scribit: *Licèt sit percussus Paulus, tamen voluntas eius erat libera,vt resisteret si vellet.* August. Anselm.

Adhuc si per gratiam efficacem prædeterminaretur voluntas ad consensum,sequeretur, nullam esse distinctionem auxilij in sufficiens & efficax. Probatur sequela. quia absque physica prædeterminatione homo nihil supernaturaliter operatur, & illam habere, vel non habere non est positum in eius potestate:& quando illam habet, non potest non operari. Ergo nihil boni facere potest nisi quod actu facit. & sic tollitur distinctio inter auxilium sufficiens,& auxilium efficax.Neque videtur valida responsio,quòd per auxilium efficax, quod consistit in physica prædeterminatione, Deus non confert voluntati posse operari, sed solùm actu, & de facto operari : posse verò operari confertur per auxilium sufficiens. nam vel istud auxilium efficax est voluntati necessarium tantùm in actu secundo:& sic non prædeterminat voluntatem antecedenter ad liberam determinationem voluntatis. vel est necessarium ad operandum in actu primo,tanquam illius complementum:& sic falsum est, quòd illud non tribuat homini posse operari, & quòd carens tali auxilio possit verè operari.est enim inintelligibile, quòd carens vltimo complemento necessario actus primi in ordine ad actum secundum, possit verè elicere actum secundum potentia proxima, de qua nunc est sermo.& contendere,quòd carens tali complemento habeat sufficiens principium ad operandum, est discordare in principiis. neque inter partes constare,quid intelligatur nomine principij sufficientis ad operandum.

V. Præter quod falsum est, per auxilium efficax gratiæ operantis,non tribui homini posse operari supernaturaliter, sed solùm actu operari, cùm dicat Augustinus de Gratia, & libero arbitrio c. 17. quòd per auxilium gratiæ operantis Deus facit,vt faciamus,præbendo vires efficacissimas voluntati. & alibi dicat, per huiusmodi auxilium voluntatem sanari, eleuari, roborari, inclinari,& moueri ad bonum.& sanè certum est, ad hoc, vt voluntas exeat in actum supernaturalem, necessarium esse aliquod auxilium supernaturale,quod det voluntati posse operari supernaturaliter, nisi velimus cum Pelagianis sentire, & istud auxilium dans voluntati posse operari supernaturaliter in eo,qui de facto operatur, non distinguitur ab auxilio efficaci : quia auxilium dans posse operari coniunctum cum actu secundo actualis operationis non est auxilium sufficiens,sed efficax, auxilium enim sufficiens est illud, quod dat posse operari in actu primo,non coniunctum cum actu secundo.Quare decipiuntur manifestè,& errant, qui dicunt, per auxilium efficax Deum non tribuere voluntati posse operari, sed solùm actu operari. sequeretur enim,quòd in homine operante actum supernaturalem esset actus secundus supernaturalis,sine actu primo supernaturali. August.

Demum Patres docent, in eo consistere efficaciam diuinæ gratiæ, quia Deus nos vocat eo modo,& eo tempore,quo videt nos consensuros : & ideo quosdam vocat tali tempore, & tali modo, alios verò alio tempore,& alio modo, quia videt quòd quo tempore isti consentiunt, alij tunc sic vocati minimè consentirent.de qua re videri possunt D. Augustinus in sæpe citata quæstione lib. primi ad Simplicianum,& Chrysost.homil.31. & 56.in Matthæum.Supponunt igitur, vocationem efficacem non prædeterminare physicè nostras liberas voluntates. nam si ista physica prædeterminatio facit hominem efficaciter velle,vt quatenus subsistat prædeterminationi, non possit dissentire, nihil omnino referret, quo tempore vocaretur, aut in quibus circunstantiis : nam semper diuina vocatio ex vi sua haberet infallibilem effectum,in quibuscunque circunstantiis homo esset constitutus.Neque diceret Augustinus, vocationem, quæ vni est congrua, alteri esse incongruam : omnes enim vocati vocatione physicè voluntatem prædeterminante,congruerent ipsi vocationi. VI. August. Chrysost.

Alia plura argumenta contra istas prædeterminationes afferri solent à Scholasticis, quæ prætermittimus,quòd nostro minimè deseruiant instituto.nos enim ob hoc solùm illas non probamus, quia illis admissis non solùm non videtur nobis arbitrij nostri libertas cum efficacia diuinæ gratiæ posse conciliari, sed plurimum impedimenti eidem conciliationi illas afferre. Neque arbitramur sufficere,prouocare ad efficaciam diuinæ voluntatis. quia non est quæstio de efficacia voluntatis diuinæ, an Deus potentia sua possit facere omne factibile:sed quæstio est,an implicet, voluntatem physicè prædeterminatam liberè operari. Si enim hoc implicat,Deus hoc efficere non potest : si autem non implicat, deberent Theologi aliquo pacto declarare, quomodo hoc non implicet, sicut declarant,non implicare alia mysteria fidei, quod illi non faciunt.quarę cùm per istas physicas prædeterminationes potiùs videatur hic nodus implicari magis,non autem solui,alia via enitendum est,vt illum soluamus. VII.

Quod vt efficiamus,supponimus primò,Deum infallibiliter nosse, quibus modis possit voluntatem mouere, tum moraliter, tum etiam physicè ita,vt faciat illam infallibiliter consentire, & tamen liberè consentire, ita vt illa posset dissentire, si vellet.In hoc omnes Catholici conueniunt, & nullus potest discordare catholicè sentiendo.

Supponimus secundò iuxta ea, quæ dicta sunt de gratia operante, Deum per auxilium gratiæ operantis seu præuenientis efficacis mouere efficaciter voluntatem, & facere illam indeclinabiliter velle, non esse, producere in voluntate, aut cum voluntate actum secundum volitionis, & consensus actualis, iste enim est effectus gratiæ cooperantis,& adiuuantis,non autem gratiæ operantis,& præuenientis:sed esse,Deum voluntatem excitare,allicere,inuitare, & inclinare ad liberum consensum,immittendo illi pondus quoddam, & propensionem in actu primo taliter,& tali modo, quo Deus videt,voluntatem sic inclinatam in actu primo pro sua libertate infallibiliter præstituram consensum in actu secundo.

Supponendum est tertiò, esse discrimen inter potentiam liberam,& potentiam naturalem,quòd potentia naturalis cùm fuerit sufficienter constituta, & inclinata in actu primo omnibus modis

completo,

completo,non poteſt continere actum ſecundum, ſed neceſſariò & naturaliter exit in illum.Si enim alicui bruto famelico apponatur cibus conueniés in debita propinquitate , & illud non ſit impeditum,non poterit ſe continere,quin comedat. Cæterùm potentia libera etiam omnibus modis completa,& inclinata in actu primo , ſiue per motionem moralem , ſiue etiam per influxum phyſicum, quantuncunque efficacem, poteſt , quandiu manet libera,actum ſecundum continere, aut exire in actum oppoſitum ei , ad quem eſt inclinata. hanc enim eſſe intrinſecam,& eſſentialem differétiam inter potentiam liberam,& potentiam naturalem,docent Scripturæ, & Patres , immo & Philoſophi,vt lib.1.oſtendimus. ob quam cauſam docet D. Thom. communiter à Theologis receptus in 1.part. quæſt. 83. art. 4. appetitum vltimi finis quoad ſpecificationem actus liberum non eſſe, & ad vltimum finem voluntatem non moueri , vt voluntatem liberam,ſed vt naturam. vnde videntur, qui dicunt , per auxilium gratiæ operantis, quod phyſicè mouet,inclinat,& applicat voluntatem ad conſenſum , ipſam voluntatem ſic prædeterminari,vt ſtante huiuſmodi motione, voluntas non poſſit diſſentire , non ſatis intelligere propriam cauſalitatem gratiæ operantis , nec propriam , & eſſentialem differentiam inter potentiam liberam,& potentiam naturalem. Nam cauſalitas gratiæ operantis non eſt operari noſtrum velle in actu ſecundo, ſiue non eſt influere in actũ ſecundum liberi conſenſus , ſed eſt operari noſtrum velle in actu primo tantùm,id eſt, voluntatem inclinare,& complere ad eliciendum conſenſum in actu primo tantùm, ita quòd illius terminus ſeu effectus formalis , & immediatus non eſt liber conſenſus,ſed vltimum complementum voluntatis in actu primo in ordine ad conſenſum ſupernaturalem.eſſentialis quoque differentia potentiæ liberæ eſt,vt poſita quacunque motione in actu primo , & quacunque inclinatione , & complemento illius , poſſit non exire in actum ſecundum.

VIII. Hinc ſequitur , gratiam operantem non ideo dici,& eſſe efficacem,quòd quatenus voluntas illi ſubſtat , non poſſit illi diſſentire , neque propter hoc relinquere voluntatem liberam , quia mouet illam ſolùm moraliter,& non verè efficienter , & phyſicè:ſed ideo eſſe efficacem,& tamen per illius efficaciam non impediri arbitrij libertatem , quin homo liberè conſentiat gratiæ,ita vt poſſit, ſi velit,non conſentire , quia Deus per gratiam efficacem tum moraliter , tum phyſicè ita voluntatem mouet,& inclinat ad conſenſum, quemadmodum videt,illam pro ſua libertate infallibiliter, & certiſſimè fore conſenſuram.

Hunc arbitramur verum,& legitimum modum conciliandi libertatem arbitrij cum efficacia gratiæ præuenientis , & operantis. in quo ab aliis modis diſcordamus, quia contra tertium modum tenemus, per efficaciam ipſius gratiæ voluntatem non prædeterminari phyſicè ad conſenſum ; & contra ſecundum dicimus, gratiam mouere,& inclinare voluntatem non ſolùm moraliter , ſed etiam phyſicè;& contra primum dicimus , efficaciam gratiæ operantis non pendere ſolùm ab euentu, ſed ex intentione Dei , qui confert ipſam gratiam eo modo,quo præuidet , illam infallibiliter habituram ſuum effectum,ex intentione,vt talem effectum illa pariat in nobis.Hoc modo conciliant arbitrij libertatem cum efficacia diuinæ gratiæ D. Auguſtinus & D. Thomas , & alij Doctores citati ſuprà cap.9. Eundem modum probat Andreas Vega lib. 6. de iuſtificat.nam cap. 5. ille conſtituit gratiam operantem non ſolum in motione morali, & obiectiua , ſed etiam phyſica , & verè efficienti,& nihilominus cap. 9. dicit , quòd homo poteſt idem auxilium gratiæ fruſtrare.Eundem probat Ruardus Taper art.7.pagina 217.218. & ſequentibus & pag.226. circa medium, & Gregorius Ariminenſis.nam in 2.d.28. quæſt.1. art. 3. ad 12. conſtituit efficaciam gratiæ operantis in influxu prævio in voluntatem , & applicatione eiuſdem voluntatis ad actum ſupernaturalis conſenſus.& tamen d.35. quæſt.1. art.3. dicit , Deum ſequi determinationem noſtræ voluntatis. Idem ſentit Capreol. eadem d.28.q.1.art.3. ad 12. contra primam concluſionem.Eundem probat Nazarius 1.part. quæſt.19. art.10. controuerſia vnica §. *Sed communiter* , dum ait : *Vel melius dici poteſt cum D.Thoma in 1. ſententiarum d.25.quæſt. 1. a.1. ad 3. Deum liberum arbitrium hoc modo agere,vt eidem virtutem miniſtret , & ipſo operante liberum arbitrium agat : ſed tamen determinato actionis , & finis ſit liberi arbitrij.vnde remanet illi dominium ſui actus , licet non ita ſicut primo agens.& de veritate docet, diuinum influxum non tollere indifferentiam liberi arbitrij.* & reuera D.Thom.de veritate quæſt.22. art.8.manifeſtè dicit , quòd quando inclinatio voluntatis eſt perfecta , libertatem tollit , & imponit voluntati neceſſitatem , qualis eſt inclinatio voluntatis in vltimum finem , & inclinatio qua Beati in patria inclinantur ad diligendum Deum. quando verò inclinatio eſt imperfecta , non imponit neceſſitatem , vt contingit in viatoribus. inclinatio verò quæ voluntatem phyſicè prædeterminat , perfectiſſima eſt. Ergo illa ex mente D.Thomæ tollit libertatem. Cùm itaque ſentiat D.Thomas , voluntatem per auxilium gratiæ moueri , & applicari,idem eſſe , quod illam inclinari ad conſenſum, vt centies dictum eſt,non ſentit ille,per diuinam gratiam voluntatem ſic moueri, vt ad conſenſum prædeterminetur.

Andr.Vega. Ruardus. Greg.Arim. Capreol. Nazarius. D.Thom.

Et vt ſemel dicamus , hic modus conciliandi noſtram libertatem habet euidens fundamentum in doctrina Concilij Tridentini. & ſi ille poſſibilis eſt,& ad illum nullum ſequitur abſurdum , videtur optimus , & ab omnibus ſuſcipiendus. quia per illum optimè explicari poſſunt dicta Auguſtini, & ſanctorum Patrum de gratia efficaci , & de concurſu libero noſtræ voluntatis ad actus ſupernaturales.Sed quòd modus poſſibilis ſit , probatur , quia , Deum mouere voluntatem phyſicè in actu primo , & tamen relinqui in libera poteſtate voluntatis exire , aut non exire in actum ſecundum,nullam dicit repugnantiam , neque ex parte Dei mouentis , neque ex parte voluntatis , quæ mouetur, neque ex parte ipſius motionis. Quòd enim non repugnet ex parte Dei,patet. quid enim impedit , illum hoc facere , ſi aliàs ex ſe eſt fieri poſſibile?Quòd etiam non repugnet ex parte voluntatis,probatur,quia immo eſt de intrinſeca ratione voluntatis liberæ , vt poſita in illa quacunque inclinatione in actu primo non neceſſitetur exire in actum ſecundum , ſed poſſit illum continere, & per hoc diſtinguitur à potentia naturali. & vt D.Thomas ait 1.2. q.10. art.4. ad prouidentiam Dei pertinet , naturam non corrumpere, ſed ſeruare:vnde omnia mouet ſecundùm eorum conditionem.Quòd etiam non repugnet ex parte ipſius actionis,probatur,quia actus primus liber, & actus ſecundus non ſunt ita coniuncti, vt non poſſit vnus ab altero ſeiungi, immo eſt de intrinſeca

IX. D.Thom.

ſeca illorum ratione, vt primus ſit ſeparabilis à ſecundo, licèt non è contra. Neque tandem eſt aliqua repugnantia ex parte gratiæ efficacis. quia ad hoc, vt gratia ſit efficax, ſufficit, quòd moueat voluntatem ſic, quòd faciat eam indeclinabiliter velle, & operari: ſed hoc poſſet Deus facere abſque eo, quòd per ſuam motionem voluntatem phyſicè prædeterminet, cùm ipſe ſciat, quibus modis voluntas mota, & inclinata infallibiliter præſtabit conſenſum, etiamſi motio ſit ſolùm moralis, non autem phyſica, vt quando voluntatem mouet ad actus qui ſunt ordinis naturalis, ad quos voluntas habet vires, & inclinationem de ſe ſufficientes, nec indiget niſi ſola propoſitione obiecti conuenientis, & concurſu Dei generali. Ergo ex nullo capite repugnat, Deum per auxilium gratiæ efficacis ſic mouere voluntatem etiam efficienter, vt abſque phyſica prædeterminatione illam faciat infallibiliter exire in actum liberi cõſenſus. Quòd verò hic modus cõciliandi noſtram libertatem, ſi eſt poſſibilis, ſit etiam optimus, neque ipſi hæretici negabunt. Sed negabunt potiùs illius poſſibilitatem. quòd tandem ad illum nullum ſequatur inconueniens, oſtendemus ſoluendo argumenta, quæ contra illum fieri ſolent.

CAPVT XXVI.

Argumenta contra doctrinam traditam in capite præcedenti afferuntur, & ſoluuntur.

I. CONtra hunc noſtrum modum conciliandi arbitrij libertatem cum efficacia diuinæ gratiæ, aut nulla aut certè pauca argumenta videntur militare. nam argumenta, quæ hinc inde à Scholaſticis ſolent afferri, vel probant gratiam efficacem mouere voluntatem non ſolùm moraliter, ſed etiam phyſicè, vel diuinam gratiam voluntatem phyſicè minimè prædeterminare, quorum vtrumque illis damus. Nihilominus abundantioris doctrinæ gratiæ ſit

Primum argumentum. Auguſtinus conſtituit efficaciam gratiæ operantis in vocatione cõgrua, in ſuaſione, & doctrina interna, qua Deus ſic vocat, & ſuadet, & docet, ſicut nouit, congruum eſſe, vt nos audiamus, perſuadeamur, diſcamus, & veniamus ad illum. Ergo videtur efficaciam gratiæ in motione morali, & obiectiua conſtituere, non in motione phyſica, & effectiua.

Reſpondeo, ex ſententia Auguſtini gratiam efficacem vtranque motionem moralem, & phyſicam complecti, ſicut ſuperiùs ex eodem Auguſtino non vno in loco oſtendimus.

II. Secundum argumentum. Gratia præueniens, & operans præcedit noſtrum conſenſum non ſolùm natura, ſed aliquando etiam tempore, ex ſententia D. Auguſtini: ſed influxus phyſicus, quo Deus voluntatem mouet ad conſenſum, & facit eam infallibiliter velle, non præcedit ipſum conſenſum tempore, ſed ſolùm natura. Ergo gratia operans, quæ eſt gratia efficax, non eſt influxus phyſicus in voluntatem, ſed ſola motio moralis.

Reſpondeo, nullibi dixiſſe Auguſtinum, gratiam præuenientem ſub ea ratione, qua efficax eſt, & operans, præcedere tempore ipſum actum liberi conſenſus, cuius comparatione illa dicitur efficax, & operans. Secundò dico, gratiam efficacem, & operantem dupliciter poſſe conſiderari, vno modo ſub ea ratione, qua in ſola morali excitatione, & motione conſiſtit: & hoc modo præcedere poteſt effectum liberi conſenſus non ſolùm natura, ſed etiam tempore: alio modo ſub ea ratione, qua eſt motio phyſica, & gratia efficax, & operans: & hoc modo præcedit effectum ſolùm natura, & non tempore. Quanuis non appareat ratio, ob quam etiam quatenus mouet voluntatem phyſicè in actu primo, non poſſit præcedere effectum tempore & non ſolùm natura.

Dicetur, Gratiam mouere voluntatem ſolùm in actu primo, non eſt verè & propriè voluntatem mouere: motus enim eſt actus ſecundus.

Reſpondeo, etiam illud, quod tribuit pondus, & inclinationem mobili in actu primo, dicitur mouere ipſum mobile. hoc enim modo Ariſtoteles in 8. Phyſicorum docet, grauia, & leuia moueri ad ſua loca à generante. Ita gratia operans, quia imprimit voluntati pondus, & inclinationem, ad quam infallibiliter ſequitur conſenſus in actu ſecundo, dicitur verè, & propriè mouere ipſam voluntatem, licèt moueat ſolùm in actu primo. Sed arguens decipitur, quia putat, effectum gratiæ præuenientis, & operantis eſſe motum voluntatis in actu ſecundo, ſicut quando manus proiicit lapidem deorſum. At iſte non eſt effectus gratiæ operantis, ſed cooperantis. Ariſtot.

III. Tertium argumentum probat, voluntatem per gratiam efficacem phyſicè prædeterminari ad conſenſum. Anima Chriſti fuit phyſicè prædeterminata ad bonum, quia peccare non poterat; ſimiliter voluntas Mariæ fuit prædeterminata ſaltem ad illos actus ſupernaturales, qui opus noſtræ ſalutis concernebant, aliàs ordo diuinæ prouidentiæ circa ſalutem generis humani potuiſſet per contrariam voluntatem Virginis, aut impediri, aut caſſari.

Confirmatur ratio. Conuerſio Pauli fuit miraculoſa, & inſtantanea. Ergo per phyſicam prædeterminationem abſoluta: quod innuere videntur illa verba Chriſti, *Durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare*. quod idem eſt, ac ſi dixiſſet, quantumuis libero arbitrio efficaciſſimæ Dei vocationi conaris reſiſtere, fruſtrà niteris, & nihil efficies. nam per gratiam Dei in bono firmaberis. Idem argumentum fieri poteſt de confirmatis in gratia, qui per dona ſupernaturalia ita firmantur in bono, vt excidere nequeant, ſicut dicit Auguſtinus in lib. de Correptione, & Gratia cap. 8. & 12. §. *nunc verò Sanctis*, &c.

Reſpondeo, animam Chriſti non eſſe effectam impeccabilem per phyſicam prædeterminationem, ſed per vnionem hypoſtaticam, vel per viſionem beatificam, vel per infuſionem plenitudinis gratiæ, & donorum, ſicut alibi dictum fuit. & animam Chriſti fuiſſe impeccabilem, ſemper docuit fides Catholica, & conſenſus omnium Patrũ: & tamen phyſicæ prædeterminationes ante paucos annos non ſunt auditæ in Scholis. Similiter dicendum, animam Mariæ, ſeu illius voluntatem non fuiſſe à Deo prædeterminatam ad actus ſupernaturales. Neque tamen diuinam prouidentiam circa ſalutem generis humani, & opus redemptionis impediri, aut caſſari potuiſſe: quia prouidentia ſupponit notitiam, quòd voluntas Virginis ſic præuenta per auxilium diuinæ gratiæ, & infuſionem virtutum, & donorum in gradu heroico infallibiliter eſſet volitura illos actus ſupernaturales. Rurſus licèt conuerſio Pauli fuerit miraculoſa, non tamen fuit abſoluta per phyſicam prædeterminationem. & quando Paulus agebatur illa efficaciſſima, & potentiſſima vocatione, potuiſſet

tuiſſet diſſentire, ſi voluiſſet, vt dicunt Chryſoſtomus in illum locum, & Anſelmus in caput 5. D. Matthæi circa illa verba, *fiat voluntas tua.* Neque ille eſt ſenſus verborum Chriſti, *Durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare.* quaſi ſi voluiſſet reſiſtere, non poſſet: alioqui non fuiſſet conuerſio libera. Neque concedendum eſt, ſanctos in gratia ita fuiſſe confirmatos, vt excidere non poſſent, neque hoc dixit Auguſtinus in libro de Correptione, & Gratia, aut alibi. Benè video, Caluinum libro ſecundo Inſtitutionum capite 3. hunc ſenſum exceptiſſe ex Auguſtino in eodem libro de Correptione, & gratia ad probandum, quòd per auxilium gratiæ efficacis tollatur à nobis libertas ad amplius peccandum. Quod dicit Auguſtinus, eſt hoc ſolum, quòd Sancti, quibus in hac vita confertur gratia efficax, & donum perſeuerantiæ, nunquam finaliter decidunt: ſed de facto infallibiliter ſaluantur. Et ſi dixit, illos non poſſe excidere, exponendus, & intelligendus eſt, de impoſſibilitate ex ſuppoſitione, & in ſenſu compoſito, ſicut alias dictum eſt. & tandem, quòd Sancti confirmati in gratia de facto non cadant; hoc non prouenit ex phyſica prædeterminatione, ſed quia per auxilium gratiæ efficacis Deus ita indeclinabiliter agit illorum voluntates, ſicut videt expedire, vt de facto teneantur nec cadant: quod fit per infuſionem gratiæ, & donorum in gradu heroico.

Caluin.

IV. Quartum argumentum. Auxilium, per quod Deus verè efficienter, & efficaciter facit nos operari, prædeterminat voluntatem, nam prædeterminare nihil aliud eſt, niſi efficere, vt liberum arbitrium ſe determinet, ſicut præmouere voluntatem nihil aliud eſt, niſi motione inhærente facere, vt liberum arbitrium ſe moueat: ſed auxilium efficax non ſolùm moraliter, ſed verè phyſicè facit nos operari. Ergo verè prædeterminat voluntatem ad conſenſum.

Reſpondetur, falſam eſſe maiorem propoſitionem ſic indiſtinctè prolatam. nam prædeterminare phyſicè voluntatem non eſt ſolùm facere, vt liberum arbitrium ſe determinet, ſed eſt facere, vt ſe determinet per prædeterminationem præcedentem ipſam actiuam determinationem, qua liberum arbitrium ſeipſum determinat, cui ipſum liberum arbitrium, vt ſubſtans non poteſt diſſentire. Propterea licèt admittamus, auxilium efficax gratiæ operantis mouere liberum arbitrium, non ſolùm moraliter, ſed etiam efficienter: non tamen admittimus, per illud liberum arbitrium phyſicè prædeterminari: quia ita illud mouet, vt etiam quatenus ſubſtans ipſi motioni, poſſit diſſentire, ſi velit.

V. Quintum argumentum. Auxilium, quod quoad vſum non ſubiicitur poteſtati noſtri liberi arbitrij, ſicut ſubiiciuntur habitus, quibus vtimur, cùm volumus, ſed è contrario ſubiicit ſibi liberum arbitrium, & illud obediens reddit, phyſicè prædeterminat voluntatem ad operandum: ſed huiuſmodi eſt auxilium efficax gratiæ præuenientis & operantis. Ergo illud voluntatem prædeterminat. Probatur minor, nam ſi auxilium gratiæ ſubiiceretur quoad vſum noſtræ voluntati, ſequeretur, veram eſſe illam ſententiam damnatam in Concilio Arauſicano ſecundo capite 6. quæ dicebat, diuinam gratiam ſubiungi humanæ voluntati. Secundò probatur eadem minor autoritate D. Auguſtini in epiſtola 107. ad Vitalem, vbi dicit, quòd illi contradicunt orationibus Eccleſiæ, qui

Auguſtin.

Gabr. Pennot. de libert. hum.

dicunt vocationi Dei conſentire, vel diſſentire, ita eſſe in noſtra poteſtate, vt ſi velimus fiat, ſi autem nolimus, n. hil in nobis operationem Dei valere faciamus. Tertiò, quia Auguſtinus ſæpe docet, per auxilium gratiæ operantis Deum facere ex nolentibus volentes, & ex repugnantibus conſentientes. Ergo per idem auxilium ſubiicit ſibi humanas voluntates, non autem ſubiicitur illis. Quartò, quia D. Proſper in epiſtola ad Auguſtinum, & libro primo de Vocatione Gentium capite 25. docet, gratiam ſubiicere ſibi voluntatem, & oppoſitum reputat inter errores Maſſilienſium. Quintò, quia quod eſt fortius, ſubiicit ſibi id, quod eſt debilius, & non econtrà, ſicut etiam dicit Auguſtinus de Correptione & Gratia cap. 14. Sextò, quia in hoc conſiſtit efficacia gratiæ operantis, vt cor durum frangat, emolliat, & ſibi ſubiiciat. Septimò, quia gratia applicat voluntatem ad operandum, & non econtra.

Proſper.

Reſpondeo, quod attinet ad quæſtionem, quæ in argumento implicatur, an auxilium gratiæ efficacis quoad vſum ſubiaceat poteſtati liberi arbitrij, licèt etiam illam videatur eſſe opinionum contrarietas, eam tamen fortaſſis eſſe potius de modo loquendi, quàm de re. Pro cuius ſolutione notandum eſt, quòd auxilium gratiæ operantis duobus modis poteſt cõſiderari, vno modo quoad illius entitatem: alio modo quoad effectum proprium, ad quem illud confertur nobis à Deo, qui effectus eſt libera cooperatio ſupernaturalis. Et quidem primo modo conſideratum auxilium gratiæ operantis nullo modo ſubiacet noſtræ voluntati, etiam quoad vſum. nam illius vſus n. hil aliud eſt niſi applicatio, & inclinatio voluntatis ad eliciendum actum liberum: vnde ipſa gratia potius ſubiicit ſibi liberum arbitrium, quàm illi ſubiiciatur. Et dicere, liberum arbitrium hoc modo ſubiicere ſibi auxilium gratiæ præuenientis, eſt manifeſtè ignorare vim ipſius gratiæ præuenientis, & errori Maſſilienſium adhærere: ſed nullus doctor Catholicus, quod viderim, hoc affirmat. Secundo autem modo nonnulli concedunt, auxilium gratiæ efficacis quoad vſum ſubiacere arbitrij noſtri libertati, quatenus poſito quocunque auxilio gratiæ præuenientis voluntas poteſt non exire in actum liberi conſenſus, ſicut dicit Concilium Tridentinum; etſi voluntas pro ſua libertate in actum ſecundum ipſius liberi conſenſus non exiret, neque etiam auxilium gratiæ poneret in nobis ſuum effectum, ad quem effectum datur nobis à Deo. Et hoc ſolùm intendunt, qui dicunt, auxilium gratiæ operantis quoad vſum ſubiacere arbitrij noſtri libertati. quamuis hic modus dicendi non videatur proprius, nec ſatis placeat & rectiùs dici poterit, quod eſt in poteſtate liberi arbitrij diuinæ gratiæ cooperari, vel non cooperari, ſicut dicit Caietan. prima parte quæſtione 14. art. 13. §. *Nec ſuſtinendus.* & quæſt. 19. art. 8. ad ſecundum argumentum Scoti, Scotus ipſe in 2. d. 37. quæſt. 1. §. *Ad ſolutionem iſtorum.* Capreol. in 2. d. 38. quæſt. 1. art. 3. ad 12. Vega lib. 5. de Iuſtificatione capite 7. & 8. Ruardus Taper articulo 7. pagina 221. ad finem. Cardinal. Bellarmin. libro 4. de Gratia & libero arbitrio capite 14. & 16. & alij viri docti.

Caietan. Scotus. Capreol. Vega. Ruardus. Bellarm.

VI. Quod autem ſpectat ad argumentum, diſtinguenda eſt maior hoc pacto. Auxilium, quod nullo modo ſubiicitur liberæ voluntati, neque quoad entitatem ſuam, neque quoad ſuum effectum, ſed illam ita ſibi ſubiicit, vt poſito in voluntate ipſo

auxilio voluntas non possit non ponere effectum cooperationis, physicè prædeterminat ipsam voluntatem ad consensum. auxilium verò quod ita subiicit sibi voluntatem, vt tamen relinquat in eius facultate apponere, vel non apponere consensum, non prædeterminat physicè voluntatem, auxilium itaque gratiæ operantis subiicit sibi voluntatem secundo modo, non autem primo modo. neque contrarium probat argumentum.

VII. Sextum argumentum. Auxilium, quod est de se efficax independenter ex libera cooperatione voluntatis, physicè prædeterminat ipsam voluntatem, sed auxilium gratiæ operantis est huiusmodi. Ergo. Probatur minor. nam auxilium efficax gratiæ operantis est prius cooperatione liberi arbitrij, & est illius causa. prius autem non pendet à posteriori, nec causa ab effectu, sed è contra.

Respondeo propriè loquendo auxilium gratiæ operantis esse de se efficax, neque illius efficaciam pendere à cooperatione liberi arbitrij, si nomine efficaciæ intelligamus vim efficiendi, aut etiam ipsam efficientiam, quæ est propria gratiæ præuenientis, qua præueniens est. illa enim est efficientia in voluntate, constituens illam in actu primo vltimatè completo, & prior natura, quàm sit libera cooperatio eiusdem voluntatis. vnde non potest dici nisi ab eo, qui ignoret vim, & efficaciam gratiæ præuenientis, quatenus talis est. quòd talis efficacia pendeat ex libera cooperatione voluntatis creatæ. Nihilominus ad argumentum respondetur distinguendo maiorem, nam efficaciam gratiæ operantis non pendere ex libera cooperatione voluntatis creatæ potest intelligi dupliciter, vno modo quoad suam vim, & efficientiam, quæ illi conuenit sub ea præcisa ratione, qua gratia præueniens est, non autem ratione effectus liberi consensus, ad quem datur nobis ipsa gratia operans: alio modo quoad vim efficiendi, & etiam quoad efficientiam, quæ illi conuenit in ordine ad effectum ipsius liberi consensus, quo pacto illa induit rationem gratiæ cooperantis. illud igitur auxilium, quod est de se efficax, vtroque modo independenter à libera cooperatione voluntatis creatæ physicè prædeterminat ipsam voluntatem: non autem auxilium quod est de se efficax solùm primo modo. Auxilium autem efficax gratiæ operantis est de se efficax independenter à voluntate creata primo modo tantùm, non etiam secundo modo: & ideo voluntatem physicè non prædeterminat.

VIII. Septimum argumentum. Auxilium quod secluſa scientia media inducit consensum voluntatis certò, & infallibiliter, physicè voluntatem prædeterminat: sed auxilium gratiæ operantis est huiusmodi. Ergo. Maior probatur, nam secluſa scientia media, & physica prædeterminatione intelligi nequit quomodo auxilium inducat certò, & infallibiliter suum effectum.

Respondeo, certum, & constans esse debere cuiuis doctori Catholico, antequam Deus statuat dare homini auxilium efficax gratiæ operantis, certò & infallibiliter nosse, quibus modis possit liberum hominis arbitrium mouere, tum moraliter, tum physicè, & efficienter, ita vt faciat illud liberè consentire: & tamen infallibiliter consentire. & hoc sufficit, vt Deus possit decernere homini auxilium gratiæ præuenientis, quod inducat infallibiliter effectum liberi consensus absque alia physica prædeterminatione. Quomodo verò id nouerit, nobis quidem probabiliter videtur dicendum, id Deum nouisse per scientiam mediam, per ea, quæ dicta sunt lib. 3. ad finem. quibus verò illa minimè placuerit, relinquimus hoc onus excogitandi alium modum magis aptum. Modus autem ille, quem nonnulli tradunt, dicentes, Deum nouisse, quòd per tale auxilium adducet infallibiliter effectum consensus, quia nouit, naturam ipsius auxilij talem esse, vt sua vi faciat voluntatem infallibiliter consentire, & tamen faciat illam liberè consentire, non videtur probabilis, quia explicat idem per idem. Deinde potuisset Deus secundùm istum modum dicendi præuidere liberum consensum voluntatis in sua causa, antequam esset positus in rerum natura, quod falsum esse, & contra doctrinam sanctorum Patrum, & præsertim D. Thomæ lib. 3. cap. 20. ostendimus.

IX. Octauum argumentum. Diuina prædestinatio est certa non solùm certitudine præscientiæ, sed ordinis, & causalitatis. Ergo auxilium efficax, cui ista certitudo nititur, est physicè prædeterminans voluntatem prædestinati.

Respondetur ex D. Thoma de veritate quæstione sexta art. 3. prædestinationem esse certam certitudine ordinis, & causalitatis, non quòd auxilium gratiæ prædeterminet voluntatem, hunc enim modum dicendi D. Thomas ibi euidenter impugnat, & est primus modus ex duobus ibi in corpore articuli recitatis: sed quia in eo, quem prædestinat, tot ponit media, & auxilia, quòd licèt omnia sint ex se contingentia, & defectibilia, tamen videt, quòd cum illis de facto finaliter homo non deficiet, & salutem assequetur. & videnda sunt verba sancti Doctoris, ex quibus habes, vnde illos redarguas, qui ad mentem D. Thomæ ex certitudine ordinis, & causalitatis diuinæ prædestinationis introducunt physicas prædeterminationes.

X. Nonum argumentum. Illud auxilium, cum quo non potest stare dissensus in libero arbitrio, voluntatem physicè prædeterminat: auxilium efficax gratiæ operantis est huiusmodi. Ergo.

Respondetur, cum auxilio efficaci gratiæ operantis non posse stare liberum arbitrium non consentire, duobus modis intelligi posse, vno modo considerato ipso auxilio efficaci materialiter, id est, quoad realem illius entitatem, quam ponit in voluntate in actu primo: alio modo considerato eodem auxilio formaliter, seu reduplicatiuè, & sub ea ratione formali, qua est auxilium efficax. Primo modo falsum est, & vt puto erroneum, quòd cum auxilio efficaci gratiæ operantis non possit stare in libero arbitrio dissensus, propter definitionem Concilij Tridentini sess. 6. cap. 5. & can. 4. Secundo autem modo admisso, quòd cum auxilio gratiæ efficacis non possit stare dissensus in voluntate, negatur, quòd illud auxilium, cum quo non potest hoc modo stare dissensus in voluntate, physicè prædeterminet ipsam voluntatem. Non enim ex eo repugnat cum tali auxilio stare nostrum dissensum, quòd per illud voluntas physicè prædeterminetur ad ipsum consensum, sed ex eo, quia auxilium efficax, sub ratione formali efficacis in sensu reduplicatiuo connotat esse sui effectus, qui est liber consensus, cui contradictoriè opponitur non esse eiusdem liberi consensus, & idem simul esse, & non esse est impossibile. & ideo cum auxilio gratiæ efficacis in sensu reduplicatiuo, & formali,

quem

quem vocamus ſenſum compoſitum, quo auxilium efficax componit cum eſſe ſui effectus, non poteſt ſtare non eſſe liberi conſenſus noſtræ voluntatis. cum quo tamen ſtat, quod conſiderato eodem auxilio gratiæ efficacis ſecundùm ſe, & quoad ſuam præciſam entitatem, qua ponit in actu primo, & in ſenſu diuiſo, id eſt, quatenus diuidit ab eſſe ſui effectus, poſito ipſo auxilio gratiæ efficacis, non poni neceſſariò, ſeu poſſe non poni ipſum effectum liberi conſenſus.

XI. Decimum argumentum. Niſi admittamus, noſtras voluntates phyſicè prædeterminari per auxilium efficax gratiæ operantis, neceſſe erit dicere, veram eſſe hanc propoſitionem. Ideo Deus vult nos ſaluos fieri, & conuerti, quia nos volumus conuerti, & ſaluari, ſicut verum eſt dicere, nos conuertimur, & ſaluamur, quia Deus nos vult conuerti, & ſaluari. Oppoſitum docet Auguſtinus in Enchiridio cap. 32. & lib. 1. ad Simplicianum q. 2. & lib. 3. Hypognoſticon.

Reſpondeo. Hanc propoſitionem, Deus nos conuertit, quia nos volumus conuerti, poſſe duplicem ſenſum continere, alter eſt, quòd auxilium gratiæ noſtram voluntatem expecter, & ab illa debeat præueniri, ita vt initium noſtræ ſalutis ſumendum ſit ex nobis, conſummatio verò ex Deo. hic ſenſus eſt falſus, & erroneus. & in hoc ſenſu hæc propoſitio refutatur à D. Auguſtino, & aliis, qui contra Pelagianos, & Semipelagianos ſcripſerunt. Alter eſt, quòd auxilium gratiæ quantumcunque efficax non ponat in nobis ſuum effectum, qui eſt noſtra ſalus, niſi nos etiam liberè cooperemur. & iſte eſt ſenſus verus, & catholicus. & niſi ſit occaſio, aut periculum erroris, iuxta hunc ſenſum poteſt admitti hæc propoſitio, Deus nos conuertit, quia nos volumus conuerti: quanuis ab hoc modo loquendi tutius ſit abſtinere, immo abſolutè videtur dicendum, nos conuerti, quia Deus vult nos conuertere, & non è contra, propter rationem tactam à D. Auguſtino; quia in noſtra conuerſione Deus multa operatur in nobis ſine nobis, nihil autem operatur homo, quod cum illo non etiam Deus operetur. Et ad ſummum dici poteſt, Deum hominem non conuertere, ſi homo non velit conuerti, in ſenſu negatiuo: non autem, Deum hominem conuertere, quia homo vult conuerti, in ſenſu affirmatiuo, quia multæ propoſitiones poſſunt admitti in ſenſu negatiuo, quæ non admittuntur in ſenſu affirmatiuo.

Poſtremum argumentum ſumunt ex multis au- XII.
toritatibus diuinæ Scripturæ, D. Auguſtini, & aliorum ſanctorum, qui dicunt, Deum operari in nobis velle, & perficere, immutare corda noſtra, auferre cor lapideum, dare cor carneum, facere vt velimus, & faciamus.

Reſpondeo, nullibi nos doceri, quòd Deus hoc efficiat, voluntatem phyſicè prædeterminando: facit autem inuitando, ſuadendo, alliciendo, & voluntatem etiam efficienter mouendo eo modo, quo videt cõgruum eſſe, vt cordis duritiem frangat, & præbendo vires efficaciſſimas ipſi voluntati. Hoc pacto ſunt exponendæ autoritates diuinarum Scripturarum, & Auguſtini, & aliorum ſanctorum. Atque hanc expoſitionem eſſe ex eiſdemmet autoribus exceptam facilè intelligent, qui ea, quæ in toto huius libri decurſu ex illiſmet adnotauimus, legere non grauabuntur. Hoc pacto putamus optimè ſolui poſſe hunc nodum duriſſimum, & humani arbitrij libertatem cum efficacia diuinæ gratiæ conciliari. Quæ conciliatio, quoniam eſt finis intentus à nobis in hoc nono libro, ideo eidem hîc nos quoque imponimus finem.

Digitized by Google

PROPVGNACVLI HVMANÆ LIBERTATIS

LIBER DECIMVS.

Non remoueri arbitrij libertatem per aſpectus ſiderum, & conſtitutiones corporum cæleſtium.

TRANSIVIMVS, Deo velis noſtris auras gratiæ afflante, vaſtiſſima, & inacceſſibilia maris freta, luſtrauimus Oceanum inſeruabile diuinæ Præſcientiæ: penetrauimus abdita diuinæ voluntatis, Prouidentiæ, Prædeſtinationis, & reprobationis; inde egreſſi, admirati ſumus latiſſimos campos vniuerſalis creationis, experti quoque vim ventorum diuini concurſus, quo creaturas veluti cymbas quaſdam per liquidos campos in ſuos dirigit fines, illos quidem efficaciter mouendo, ſed ſuauiter adeò, vt naturales naturaliter, liberas liberè, & contingentes contingenter dirigat. In quibus itineribus, quot ſcopulos offendere, quot Scyllas, quot Charybdes, quot ſyrtes experiti, quot congreſſus cum prædonibus, piratis, ac innumeris monſtris ſuſtinere pro tuenda humani arbitrij libertate opus fuerit, videbunt, qui eadem nobiſcum itinera percurrent. Iam tempus adeſſe videbatur, prope litora conſtitutos, ſubducere nauem, & tutos in porta quieſcere, cùm ecce nouum agmen occurrit, noua ciens bella, noua prælia tentans: offert enim ſe nobis vaniſſimum illud hominum genus, quod Mathematicorum Genethliacorum, ſiue Aſtrologorum iudiciariorum vulgò appellatur. Hi facto agmine, & inſtructa acie inuiſo, & inaudito armorum apparatu magnarum quarundam reuolutionum, horoſcoporum, Antiſiorum, Maomeriarũ, & Dodecatemoriorum non ſolùm ex remotiſſimis gentibus Chaldæorum, Ægyptiorum, & Arabum innumerabiles auxiliarios contra nos conducunt; ſed ab ipſo quoque cœlo Iouem, Saturnum, Martem, Venerem, Mercurium, Lunam, & Solem, & duodecim ſigna Zodiaci, & alia id genus monſtra accerſunt, qui iamiam aggere obducto, poſitis caſtris ex propriis domibus totuo aſpectu nos conſpicientes, humanæ libertati interitum minantur, & cladem certiſſimam denunciant. Et eſt bellum iſtud implacabile prorſus; quia non pro iniuriis vlciſcendis, aut pro imperij finibus ampliandis certatur, ſed pro pane lucrando, fame pellenda, ventre explendo, & vita redimenda. ſi quis nanque ab iſtis Planetariis, veriùs Plagiariis, percunctetur, quæ illos cauſæ iratum impellant ad hoc bellum humanæ libertati inferendum: reſpondent, nullæ prorſus; niſi quòd cùm ſint homines ad otium, & ad fruges conſumendas nati, arte opus eſt ad pecunias è diuitum locellis exprimendas, ad quod nullum inuentum aptius videtur eo, quod ſe de omnibus euentibus humanæ vitæ certò aliquid prædicere pollicetur. Cuius inuenti vnicum fundamentum hoc eſt, humanas voluntates fatalibus ſtellis eſſe alligatas, & ex illis omnes illarum propenſiones, ac motus neceſſitate ineuitabili pẽdere. hæ illorum ſunt cauſæ contra ipſam libertatem; vt illi verſus Ennij teſtantur. Enius.

Non ſunt vi, aut ſcientia, aut arte diuini:
Sed ſuperſtitioſi vates impudentéſque harioli,
Aut inertes, aut inſani, aut quibus egeſtas imperat.
Qui ſibi fomitam non ſapiunt, alteris monſtrant viam.
Quibus diuitias pollicentur, ab illis drachmam petunt.

Indigna ſanè res, pro bucella panis deſerere veritatem, & quæ non bene pro toto venditur auro, pro nummo vendere propriam libertatem. Licèt autem rationes, aut, vt rectiùs dicam, nugæ ab iſtis nugaciſſimis iudiciariis Aſtrologis excogitatæ nõ eas habeant vires contra ipſam libertatem, quæ non poſſent, ac deberent meritò contemni, & ſilentio præteriri, nihilominus, vt etiam ex hac parte omnis ad illam impugnandam aditus præcludatur, in hoc poſtremo libro cum ipſis quoque Aſtrologis iudiciariis pro arbitrij libertate tuenda congrediemur; non quidem ea mente, vt omnia mendacia, quæ illi in vulgus imperitum, & futura præſagiendi nimis cupidum, effundunt, refellamus; ſed vt in hoc opere noſtro, qualecunque illud ſit, non omittamus ea, quæ ad tuendam arbitrij libertatem, etiam ex hoc capite poterant ex nobis deſiderari. Quam ob cauſam in hoc libro quàm breuiſſimè recenſebimus primo loco errores Mathematicorum circa humani arbitrij libertatem. Secundò oſtendemus humanas voluntates à ſideribus directè non moueri. Tertiò, non poſſe ex ſiderum inſpectione futuros euentus, qui ex libera hominis voluntate proficiſcuntur, infallibiliter præuideri. Quartò aperiemus quibus modis Aſtrologi de futuris contingentibus nonnunquam vera prædicant.

CAPVT I.

Multiplex error Mathematicorum aduersùs arbitrij libertatem recenſentur.

DIuus Pater Auguſtinus libro quinto de ciuitate capite primo recenſens varios errores antiquorum de facto, duas refert ſententias illorum, qui fatum ineuitabile extra Dei præſcientiam, voluntatem, & cauſalitatem conſtituebant, alteram illorum, qui fatum dicebant eſſe aliud nihil, quàm ſeriem omnium cauſarum, à prima (Deo excepto) vſque ad vltimam, & immediatam cuiuſque effectus, ita nexu inſolubili iunctarum, vt cauſa cauſam impellente pariant neceſſariò, & ineuitabiliter ipſum effectum. hanc ſententiam veluti ſermonis gratia dictam ille contemnit; & nos etiam hoc in loco ducimus contemnendam. I. Auguſt.

Alteram

Alteram verò illorum, qui fatum locauerunt in vi, & poſitione ſiderum, qualis ea eſt ſub qua quiſque natus eſt, aut in vtero conceptus. Hæc fuit ſententia Mathematicorum Iudiciariorum, quos alij Chaldæos, alij Planetarios, alij Genethliacos, alij Aſtrologos Iudiciarios appellant, qui aiunt homines, & ſecundùm corpus, & ſecundùm animam cæleſtibus ſignis adſtrictos eſſe, & fatalibus ſtellis ita ſubiectos, vt omnes euentus humanæ vitæ neceſſitate quadam ineuitabili illis ſuccedant. Huius erroris primos authores ille ibi non refert: communis verò ſententia eſt, fuiſſe Gentem Chaldæorum. Plinius lib. 30. & author Hiſtoriæ Scholaſticæ in Geneſim cap. 39. quos omnes communiter ſequuntur, affirmant, primum vanitatis Aſtrologiæ Iudiciariæ inuentorem fuiſſe Zoroaſtrum Regem Bactrianorum, quē idem autor Hiſtoriæ ſcholaſticæ, & Beroſus Annianus contendunt fuiſſe Cham filium Noë, qui patris pudenda reuelauit. Porphyrius, referente Pico Mirandulano, narrat, Chaliſthenem ſocium Alexandri capta Babylonia ab ipſo Alexandro, tabulas & obſeruationes aſtrorum per Chaldæos factas deprehendiſſe, per annos 1903. tempora ipſius Magni Alexandri anteceſſiſſe. Hyparchus, & Ptolomæus Principes Aſtrologorum veteſtiores obſeruationes aſtrorum referunt ad tempus Nabuchodonoſoris Regis Chaldæorum. Verùm an apud Chaldæos viguerit ſola Aſtrologia naturalis, an etiam Iudiciaria, non ſatis conſtat, & Plato in Alcibiade videtur tantam Magicam Zoroaſtri ad ſolum cultum Religionis referre; quamuis qui fuerit idololatriæ autor, & dæmonibus cultum primus exhibuerit, & alios exhibere docuerit.

Plinius. Autor hiſt. Schol. Beroſus Annian. Porphyrius. Picus Miran. Hyparchus. Ptolomæus. Plato.

Iulianus Apoſtata, referente Cyrillo Alexandrino vltimo libro contra ipſum Iulianum dixit, Abrahamum Patriarcham Iudiciariā, & haruſpicinam coluiſſe, & Ioſephus Hebræus, & Euſebius Cæſarienſis fatentur, Abrahamum docuiſſe Ægyptios Aſtrologiam, & Mathematicas, quas didicerat à Chaldæis. At Cyrillus in eodem loco illum vindicat ab hac ſuperſtitione: Nō enim ſanctiſſimus ille Patriarcha vanitatis Iudiciariæ, ſed naturalis Aſtrologiæ, & aliarum Mathematicarū erat peritus. Quidam Græcus Ptolomæi interpres circa ſecundum librum Apoteleſmatū dixit, Moyſem Populi Hebræorum Ducē hac arte Hebræos per mare rubrum incolumes deduxiſſe, & alia miracula feciſſe, & peritiſſimum eiuſdem artis extitiſſe. Et eſſet error in homine pagano vtcunque tolerabilis, niſi repetirentur etiā ex illis, qui Chriſto nomen dederunt, ſimiles impietates euomentes contra apertiſſima teſtimonia Scripturæ dicētis Deuteronomij cap. 18. *Gentes iſtæ, quarum poſſidebis terram, augures, & diuinos audiunt; tu autem à Domino Deo tuo aliter inſtitutus es.* Et per Augures, Iudiciarios Aſtrologos denotari, monſtrant Septuaginta Interpretes, & etiam ipſa Hebraica vox מעוננים, vt compertum eſt peritis huius linguæ.

Cyril. Alex. Ioſeph. Hebræ. Euſeb. Cæſ.

Ex hæreticis hunc errorem Bardeſani quidam tribuit Auguſtinus hæreſi 35. Nihilominus Euſebius lib. 8. Præparationis Euangelicæ c. 8. refert, illum non ſolùm hunc errorem non docuiſſe, ſed etiam grauiſſimis ſcriptis à ſe editis impugnauiſſe. Illum verò apertè, & conſtanter docuit Priſcillianus, ſicut colligitur ex ſecundo Concilio Bracarenſi, in quo ille cum ſuis erroribus fuit damnatus. Nam cap. 3. ita ait: *Si quis animas, & corpora humana fatalibus ſtellis credit adſtringi, ſicut Pagani, & Priſcillianus dixerunt, anathema ſit.* & cap. 10. *Si qui duodecim ſigna, quæ Mathematici obſeruare ſolent, per ſingula membra corporis diſſipata credant, & nominibus Patriarcharum aſcripta dicunt, ſicut Priſcillianus dixit, anathema ſit.* Eiuſdem erroris meminit Auguſtinus hæreſi 70. illum tribuens Priſcilliano. Imò non deſunt, qui putent, Manichæos ex eodem capite abſtuliſſe humani arbitrij libertatem, fortaſſe quia dogma Priſcilliani ex dogmate Manichæorum, & Gnoſticorum videtur conflatum, & ita ſentit Picus Mirandulan. lib. 2. contra Aſtrologos cap. 5.

Auguſtin. Euſebius. Concil. Brac. Pic. Miran.

II. Non eſt autē vnus, ac ſimplex error, ſed plures adinuicem complicati. Primus enim eſt, animas humanas, & corpora humana fatalibus ſtellis ita adſtringi, vt vis ſiderum imponat humanis voluntatibus ineuitabilem neceſſitatem, quoad omnes & ſingulas actiones, quæ arbitrij libertatem euertat; & iſtud eſt præcipuum fundamentum vanitatis Aſtrologorum.

Secundus, ex conſtitutione ſiderum pendere omnes leges Hebræorum, Chriſtianorum, Sarracenorum, Paganorum; eáſque ſucceſſu temporum in mundum introductas iuxta varias planetarum coniunctiones, quæ ſucceſſu temporum ſunt factæ. Ita dixerunt Albumaſar, Abraham Iudæus, Henricus Mecliuienſis, &, quod grauius eſt, Aliacēſis, Rogerius Bacconius, & nouiſſimè Hieronymus Cardanus in lib. de ſupplemento Almanach. cap. 22.

Albumaſar. Abram Iud. Henric. Machlu. Aliacenſis. Roger. Bac. Cardanus.

Tertius, Diluuium Noëticum, eductionem Populi Iudaici per mare rubrum, & alia miracula facta tum à Moyſe, tum ab aliis viris ſanctis, & etiam ab ipſo Dei Filio in carne aſſumpta, ad vim ſiderum eſſe referenda: & idcirco Noëticum diluuium potuiſſe ex ſiderum inſpectione abſque diuina reuelatione præuideri. Ita Albumaſar in ſuo magno Introductorio tract. 6. & auctor Speculi, qui falsò Alberto Magno inſcribitur, & Græcus ille Ptolomæi Interpres proximè citatus, & Aliacenſis in lib. de legibus, & ſectis, & quæſtione 30. in Geneſim circa illa verba, *& cataractæ cæli aperta ſunt.*

Quartus, ex conſtitutione ſiderum pependiſſe aduentum Meſſiæ mundi Seruatoriæita Albumar in eodem tractatu, & autor Speculi falsò Alberto adſcripti. Abram Iudæus, Aliacenſis, & Bacconius.

Quintus, ex aſpectu, & vi ſiderum pependiſſe Chriſti vitam, & mortem, & genus mortis. Bonatus dixit Chriſtum, quando Apoſtoli conſulebant, ne iret in Iudæam, quia volebant illum Iudæi lapidare, horam ſibi elegiſſe, qua illi eum lædere non poſſent. Alij, referente Mirandulano lib. 5. c. 14. dicunt, Chriſtum virtute Prophetiæ claruiſſe, quia erat Saturnus, quando Chriſtus natus eſt, in nona cæli regione in ſigno Geminorum, vbi facit Prophetas, & Sacerdotes. Magus ille Eſculanus dixit, quòd natus eſt in ſtabulo, quia ima cæli tunc tenebat Capricornus. Alij dixerunt, illum neceſſitatem habuiſſe ſic moriendi per Crucem, quia mors erat, quando ille natus eſt, in domo mortis.

Bonatus. Eſculanus.

Sextus, ex virtute ſiderum pendere virtutem miracula faciendi, Dæmones eliciendi & prophetandi, ſacerdotia, & quod quis Religioni ſe addicat. Maternus ita ait: *Qui in cæli nona regione Martem habuerit in ſua domo, futurus eſt Dæmonibus terrori, cuius aduentum prauī dæmones fugiant, & ex eis laborantes non verbo, ſed ſola ſua liberet oſtenſione.* Hieronymus Cardanus lib. de Iudiciis Geniturarum cap. 1. inquit: *Iupiter in nona Chriſtianis*

Matern. Cardanus.

sacerdotia pollicetur, vera somnia, sacrorum scientiam. & infra : *Venus in nona facit sacerdotes magnos, præstat somnia verissima.*

Septimus, ex vi siderum orationes nostras reddi apud Deum efficaces, ita vt qui luna existente Iouis coniuncta in capite Draconis supplicationes ad Deum porrexerit ; omnia sit impetraturus. ita Albumasar apud Mirandul. lib. 4. c. 8. & Petrus de Apono ex pago Patauino, qui dicit, se tali hora preces ad Deum porrexisse ad sapientiam obtinendam, & ex eo die expertum se in ea magnopere profecisse.

Albusamar. Petrus de Apono.

Octauus, existente Saturno in Leone, qui nascitur sub quibusdam constellationibus, illius animam ex innumeris periculis ereptam à Saturno post hanc vitam in cœlum recipi, & in altera vita felicitate donari. ita Maternus apud Mirandul. lib. 4. cap. 8. Vulgatum est etiam commune Iudiciariorum assertum, duos esse Planetas felicitatis autores, Venerem eius, quæ in præsenti; Iouem illius, quæ in futura habetur vita.

Maternus.

Nonus, ex vi siderum pendere mores hominum ; inclinationésque ad homicidia, stupra, furta, & alias quasque improbitates ; ita refert Augustinus lib. 5. de Ciuitate cap. 1. & Origenes tract. 4. in Matthæum.

August. Origen.

Decimus, ex siderum inspectione, & obseruatione posse contingentes vitæ nostræ euentus, antequam sint, præuideri, etiamsi illi ex sola hominis voluntate dependeant.

Vndecimus, posse ex eorundem siderum obseruatione certò præuideri huius mundi finem, & diem futuri vniuersalis Iudicij, hic error communiter tribuitur cuidam Arnaldo de Villa noua.

Arnaldus.

Duodecimus, ex inspectione, & obseruatione siderum posse occultorum delictorum autores cognosci ; ita enim colligitur ex Decretali Alexandri Papæ huius nominis Tertij in cap. 2. de sortileg. in qua mandat Presbyterum, qui accessit ad inspiciendum Astrolabium, ad inueniendum furtum in sua Ecclesia admissum, etiamsi simplicitate ductus id fecerit, per annum ab altari arcendum esse.

c. de sortileg.

III. Hos omnes nulli viro catholicè sentienti dubium esse potest, esse non solùm errores in fide, sed tales errores, quibus admissis omnis pietas, Religio, & omnis morum recta institutio subuertatur ab ipsismet fundamentis ; de quibus Augustinus ita scribit eodem lib. 5. de Ciuit. & cap. primo : *Sed illi, qui sine Dei voluntate decernere opinantur fidera, quid agamus, vel quid bonorum habeamus, malorum patiamur, ab auribus omnium repellendi sunt, non solùm eorum, qui veram Religionem tenent, sed qui Deorum qualiumcunque, licèt falsorum, volunt esse cultores. Hoc enim opinio quid agit aliud, nisi vt nullus omninò colatur, aut rogetur Deus?* Quòd si respondeant Iudiciarij, se non fateri dispositionem siderum decernentium, qualis quisque futurus sit, & quid ei proueniat boni, vel mali : audiant eundem Augustinum ita subiungentem : *Illi verò, qui positionem stellarum quodammodo decernentium, qualis quisque sit, & quid ei proueniat boni, quidve mali accidat, ex Dei voluntate suspendunt, si easdem stellas putant habere hanc potestatem traditam sibi à summa illius potestate, vt volentes ista decernant, magnam cœlo faciunt iniuriam, in cuius velut clarissimo senatu, ac splendidissima curia opinantur scelera faciendo decerni, qualia si aliqua terrena ciuitas decreuisset, genere humano decernente fuerat euertenda. Quale deinde iudicium de hominum factis Deo relinquitur, quibus cœlestis necessitas adhibetur : cùm Dominus ille sit, & siderum, & hominum? Aut si non dicunt stellas acceptam quidem potestatem à summo Deo arbitrio suo ista decernere, sed in talibus necessitatibus ingerendis illius omninò iussa compleri ; ità ne de ipso Deo sentiendum est, quod indignissimum visum est de stellarum voluntate sentire.* hæc Augustinus.

August.

IV. Scio recentiores Genethliacos saltem Christianos verbis istas impietates execrari. Verùm ex illis duo libenter scisciterer. Primùm, an quam profitentur artem de futuris diuinandi, eadem sit cum arte veterum Mathematicorum, eisdem omnino principiis innixa, eisdem prorsus regulis vtens in futuris euentibus prædicendis : an diuersa sit ars diuersis principiis vtens, diuersis regulis incedens ? si diuersa, deberent illi hanc eius diuersitatem patefacere, si verò eadem est ars, & isdem prorsus fundamentis nixa, & per easdem regulas incedens : se quidem in arte, & in fundamentis artis, & regulis vtendi ipsa arte conuenire, in conclusionibus autem, quæ ex principiis artis deducuntur, non conuenire, puto nulli cordato, & rem assequenti facilè suadebunt. Secundò ab illis quærendum esset, an fateantur astra, voluntates nostras ita inclinare, vt necessitent ad infallibilem euentum, vel non ? si non, ergo mendacium venditant per vulgus, profitentes se certò scire futurum, quod nesciunt esse futurum ; sic tota illorum ars seipsam prodit, quòd sit mendacium ad pecunias emungendas excogitatum. Si autem dicant, astra non solùm inclinare, sed imponere euentui necessitatem, hoc est, quod contendimus esse artem damnatam euertentem humani arbitrij libertatem.

V. Vt igitur istos errores quantum ad causæ, quâ agimus, meritum spectat, breuiter refellamus, ante omnia probandum nobis erit, humanas voluntates stellis nullo pacto esse alligatas, neque sidera directè posse agere in hominis voluntatem. Verùm, quia Decanus quidam Francofordiensis, nomine Ioannes de Indagine, damnatæ memoriæ hæreticus, iactat, nullum esse, qui huic arti obstrepat, præter Romanos Pontifices, qui nihil probare solent, quod eorum quæstum diminuat ; & doctissimos Sophistas, qui semper ignorata damnant, proclamantes statim hæreticum, quod ipsi non intelligunt, & præter Thomam Aquinatem, qui nunquam in dicenda sententia constiterit. Imò inter Theologos Catholicos refert Sixtus Senensis lib. 6. Bibliothecæ annotatione 10. quendam dicentem D. Thomam multis in locis Astrologicas prædictiones comprobare, & omnes eruditos fateri, scientiam Astrologiæ esse verissimam, & optimam : & si rectè intelligatur, ac tractetur, vtilissimas futurorum prædictiones exhibere ; quibus mendaciis huius artis Professores apud ignaros nituntur sibipsis, & fidem & authoritatem comparare ; operæpretium duxi, antequam rationibus res decernatur, ostendere, quid de vanitate huius artis senserit semper Ecclesia Catholica, & totus consensus sanctorum Patrum, Philosophorum, & etiam Principum secularium.

Ioan. Indag.

Sixtus Sen.

* * *

CAPVT

CAPVT II.

Iudiciariam vanitatem ab initio nascentis Ecclesiæ omnibus Catholicis semper fuisse interdictam, à Patribus, Philosophis, & Principibus secularibus reprobatam.

I. NE criminentur nos Planetarij veluti bonarum artiũ hostes, nonénque nostrum apud vulgus proscindant, qui quod non intelligimus, damnemus, & Astrologiam à sapientibus probatam, laudatam, & vsu receptam, ex imperitia, vanam, superstitiosam, & impiam diiudicemus, ac veluti Christianæ veritati, & pietati inimicam insequamur; aut ne si absque distinctione concedamus, esse aliquod genus Astrologiæ probatum, laudatum, & humanæ vitæ conducens, ipsi e contrario glorientur, se ex nobis habere, vnde suas impietates valeant probare, & vulgus ignarum decipere. Antequam vlteriùs procedamus, duplex genus Astrologiæ dicimus esse distinguendum, alterum naturale, quod dicimus Physicum; alterum fictitium, absque vllo naturæ fundamento extructum. Inter hæc duo genera diuinatricis Astrologiæ multiplex est discrimen. Primum ex obseruatione desumptum: Nam Astrologia Physica, & naturalis in futuris euentibus prædicendis veras causas naturales obseruat, veros scilicet influxus cælestium corporum, sensu, & ratione probatos, qui potissimum sunt motus, & lumen: nam motus cælestium sphæratum causat varium accessum, aut recessum Solis & aliorum siderum; ex quo vario accessu, & recessu variæ in rebus generationes, & corruptiones proueniunt. At Astrologia fictitia causas quasdam occultas scrutatur, & obseruat, quæ nec sensu, nec ratione probari possunt, sed à quibusdam ex proprio cerebro sunt confictæ ad imperitos decipiendos. Hæ sunt occultæ illæ proprietates, quas quisque pro suo arbitratu variis astris adscribunt, imò etiam corporibus cælestibus, in quibus nullum astrum deprehendunt, vt quod Venus vim habeat excitandi ad libidinem, Mars ad furorem, Mercurius ad furta, quod Capricornus Reges faciat, Iupiter sacerdotes, & alia id genus sexcenta.

II. Secundum discrimen est, quòd naturales Astrologi vim siderum, & actiones corporum cælestium ita corporibus applicant, vt fateantur, illam solis corporibus directè, & per se applicari, animis verò non nisi per accidens, indirectè, & valdè contingentem, quatenus per physicam actionem siderum commotis, excitatisque corporeis passionibus animi sponte sua consentiant. At Iudiciarij, fictitiique Astrologi vires siderum primò, & per se applicant animis non minus quàm corporibus, & ex vi illarum applicationis decernunt hominibus omnes, & singulos vitæ euentus, longitudinem, aut breuitatem vitæ, diem occasus, itinera, bella, paces, paupertatem, diuitias, nuptias, sacerdotia, magistratus, quæ illis obuenire necessarium sit etiam nolentibus, & inuitis.

III. Tertium discrimen est in eorum prædictionibus, nam Physici Astrologi solos naturales effectus prædicunt; abstinent verò à prædictione futurorum contingentium, quæ ex hominis arbitrio proueniunt, saltem certa, & infallibili. Imò verò non omnes effectus naturales eadem certitudine futuros denunciant, sed aliquos necessariò, quippe qui causam necessariam, & infallibilem omninò habent, durante cursu, & ordine causarum naturalium. Eiusmodi sunt ortus, & occasus siderum certis temporibus, eclipses Solis, & Lunæ, imminutiones, & augmenta dierum, & noctium sibi inuicem succedentes, apud eos, qui degunt vltra, citráque lineam æquinoctialem. Aliquos verò sola probabili coniectura, & verisimili futuros prænunciant, vt sunt pluuiæ, grandines, coniurua, niues, & similia. Iudiciarij verò singulos effectus etiam contingentes, qui ex libero hominis arbitrio quomodocunque proueniunt, faustos, & infaustos, certa, & determinata asseueratione prænunciant.

IV. Primum genus Astrologiæ naturalis, & astrologicæ diuinationis, quæ ex obseruatione causarum naturalium procedit, probant non solùm Philosophi rerum naturalium periti, sed Patres, & Scholastici, & inter illos D. Thom. de hoc enim genere diuinatricis Astrologiæ intelligendum est, quod ait Augustinus lib. 5. de Ciuit. cap. 6. Non vsquequaque absurdum dici posse ad solas corporum differentias afflatus quosdam valere sidereos, sicut in solaribus accessibus, & recessibus videmus, etiam ipsius anni tempora variari, & lunaribus incrementis, atque decrementis, augeri, aut minui quædam genera rerum, sicut echinos, & conchas, & mirabiles æstus Oceani. non autem & animi voluntates positionibus siderum subdi; & quod ait D. Thom. 2.2. quæst. 95. art. 5. *Quod si aliquis vtatur consideratione astrorum ad cognoscendum futura, qua causantur ex cælestibus corporibus, puta siccitates, & pluuias, & alia huiusmodi, non erit illicita diuinatio, nec superstitiosa.* Cui consimilem sententiam habet in opusculo 25. capite 4. & in prima parte quæst. 115. art. 4. Immo satis aperte colligitur ex diuina Scriptura istud genus astrologicæ prædictionis, nimirum ex Ieremiæ cap. 8. cùm inquit: *Miluus in cælo cognouit tempus suum, turtur, & hirundo, & ciconia custodierunt tempus aduentus sui.* Si nanque animalia vsu rationis carentia solo naturæ instinctu anni varietates præsentiunt, multo magis id præuidere poterit homo ex siderum accessu, & recessu. Et ex cap. 1. lib. Geneseos, cùm dicitur, fecisse Deum luminaria in firmamento cœli, vt diuiderent diem, ac noctem, & essent in signa & tempora, & dies, & annos, quemadmodum ex eo loco deducunt Basilius homil. 6. in Genes. Ambros. lib. 4. in exaëm. cap. 4. Augustinus 2. de Genesi ad litteram c. 14. & lib. 5. de Ciuit. c. 1. Theodoret. quæst. 15. in Genes. Origen. & Glossa interlinearis in illum locum, qui Patres reiecta interpretatione illorum, qui ex eo loco deducebant veritatem Astrologiæ Iudiciariæ secundi generis, probant veritatem, & vtilitatem Astrologiæ primi generis Physicæ, & naturalis. D. Thom. Basilius. Ambrosius. August. Theodoret. Origenes. Interlin.

V. Secundum autem genus Astrologiæ diuinatricis, quam Genethliaci profitentur, de qua nunc est nobis pro defensione humanæ libertatis concertatio, non solùm Patres, aut Scholasticos, aut eruditos Philosophos nunquam probauisse; verùm vti commentum vanissimum, perniciosissimum, superstitionis, & impietatis plenum, verbis, factis, ratione, & auctoritate reiecisse, execratos fuisse, & quod in eorum viribus fuit, igni, & aqua illi, & illius patronis, ac defensoribus interdixisse, immo à Deo per diuinas Scripturas illius studium, & exercitium mortalibus prorsus interdictum, nunc breuiter sic demonstro.

Primò oſtendo illam damnari, & interdici per diuinam Scripturam veteris & noui Teſtamenti. in lib. Deuteronomij cap. 18. Deus inquit Moyſi, *Gentes iſtæ quarum poſſidebis terram, augures, & diuinos audient: tu autem a Domino Deo tuo aliter inſtitutus es.* Circa quæ verba primò notandum per Augures, iuxta veritatem textus Hebraici, intelligi Iudiciarios Aſtrologos, qui ex obſeruatione temporum profitentur ſe ſcire, & certò prædicere poſſe futuros euentus contingentes circa vitam humanam. quod probatur primò, nam vox Hebraica מְעוֹנֵן ſignificat diuinum, ſcilicet illum, qui profitetur ſe futura diuinare ex obſeruatione horarum, & temporum, vt peritiſſimi linguæ Hebraicæ obſeruant, præſertim Dauid de Pomis in ſuo Dictionario in verbo עוֹן pag. 119. Secundò, quia apud Iſaiã c. 47. Deus irridens Chaldæos iudiciariæ impietati addictos, ait, *ſaluent te augures cæli, qui contemplabantur ſidera, & ſupputabant menſes; vt ex eis annuntiarent ventura tibi.* vbi per Augures cæli, qui contemplabantur ſidera, non eſt dubium, intelligi Aſtrologos iudiciarios, tum quia Propheta alloquitur ibi filiam Chaldæorum, vt patet ex verbis antecedentibus, apud quos, & ex quibus prodiit præſertim, & creuit iſta impietas. Tum, quia ſenſus ipſe verborum Prophetæ hoc indicat manifeſtiſſimè. Tum tertiò, quia ita illum locum intelligunt D. Hieronymus, Gloſſa ordinaria & Interlinearis, & ita Septuaginta ad verbum interpretantur, in quorum contextu Græco pro his dictionibus, augures cæli, ſtant iſtæ οἱ ἀστρολόγοι τοῦ οὐρανοῦ, pro quibus interpres vertit, *ſaluent te Aſtrologi cæli.* Secundus locus, in quo Iudiciaria interdicitur, eſt in libro Leuitici cap. 19. *Non auguraberis* (inquit) *nec obſeruabitis ſomnia.* diximus enim idem eſſe augurari, & futura prædicere ex temporum, & ſiderum obſeruatione, vbi etiam animaduertendum habere idem verbum עוֹן & Dauid de Pomis Hebræus in ſuo Dictionario explicans ſignificatum huius dictionis notat, in hoc loco Leuitici prohiberi Aſtrologicam vanitatem Genethliacorum; & illum vide. Tertius locus eſt in lib. Numerorum c. 23. vbi dicit Balaam ariolus: *Non eſt augurium in Iacob, nec diuinatio in Iſrael, temporibus ſuis dicetur Iacob, & Iſraëls, quid operatus ſit Deus.* quorum verborum ſenſus legitimus eſt, non opus habuiſſe Iacob, & Iſraël auguribus, & diuinis: quia Deus per ſingula momenta illos admonebat, quid in futurum agendum illis eſſet. Quartus eſt in primo Regum cap. 28. vbi Saul quanuis nequiſſimus pœna capitali impoſita eiecit omnes Magos, & hariolos de terra. ſub nomine autem hariolorum notat idem Dauid cõprehendi etiam diuinos per Aſtrologiam iudiciariam futura vaticinantes. Quintus in 4. Regum c. 17. vbi narrat Scriptura, Deum immiſiſſe leones in habitatores Samariæ propter grauiſſima illorum peccata, inter quæ recenſet, quòd diuinationibus, & auguriis inſeruiebant. Sextus apud Iſaiam c. 44. vbi dicitur Deus irrita facere ſigna diuinorum, & hariolos in furorem vertere. Septimus apud eundem Iſaiam cap. 47. vbi irridens filiam Chaldæorum, i. Babylonem Iudiciariæ addictam ait, *Saluent te augures cæli, qui contemplabantur ſidera, & ſupputabant menſes, vt ex eis nunciarent ventura tibi.* Octauus apud Ieremiam cap. 10. *A ſignis cæli nolite timere, quæ Gentes timent, quia leges populorum vanæ ſunt.* Nonus apud eundem cap. 27. *Vos autem nolite audire Prophetas veſtros, & diuinos, & ſomniatores, & augures.*

R. Dauid. Hieronym. Gloſſ. Interlin. Septuagin. R. Dauid.

Ex nouo verò Teſtamento hanc artem diuinandi ex ſiderum inſpectione fuiſſe ab Apoſtolis & fidelibus naſcentis Eccleſiæ Euangelicæ inter Paganorum ſuperſtitioſas impietates reiectam, ac damnatam, colligitur ex Actis Apoſtolorum cap. 19. vbi ſcriptum eſt, multos credentium venientes ad Paulum, confeſſos fuiſſe peccata ſua. & ſubiungitur, *multi autem ex eis, qui fuerant curioſa ſectati, contulerunt libros, & combuſſerunt coram omnibus, & computatis pretiis illorum, inuenerunt pecuniam denariorum quinquaginta millium.* quem locum expendens D. P. Auguſtinus poſt enarrationem in Pſalm. 61. fatetur fuiſſe libros Aſtrologiæ Iudiciariæ, vt inferiùs illius verba referendo apparebit. Auguſtin.

Nunc ſecundo loco oſtendam, eandem artem cum illam exercentibus per cenſuram Eccleſiæ ſæpiùs pulſam à cœtu, & communione fidelium. In primis Epiphanius antiquiſſimus Doctor in lib. de Menſuris, & ponderibus, & ex illo Cardinalis Baronius tomo 1. Annal. ſub anno 57. n. 41. referunt, Aquilam Ponticum, cùm eſſet alioqui doctus, & eruditus, quia tamen Arti Iudiciariæ addictus, quanuis ſæpè admonitus, ab illa nolebat abſtinere, tandem ab Eccleſia, & Communione fidelium, pulſum fuiſſe. Martinus Primus Rom. Pontifex, cuius decretum extat in cap. non liceat. 26. quæſt. 5. ita decreuit: *Non liceat Chriſtianis tenere traditiones Gentilium, & obſeruare, vel colere elementa, aut lunæ, aut ſtellarum curſus, aut inanem ſignorum fallaciam pro domo facienda, aut propter ſegetes vel arbores plantandas, vel coniugia ſociandа.* vbi aduertendum, per hoc decretum non prohiberi obſeruationes naturales temporum ad ſegetes, & arbores plantandas, ſed ſuperſtitioſas influentiarum fictarum, & occultarum, quas meritò vocat inanem ſignorum fallaciam. D. Auguſtinus poſt enarrationem in Pſal. 61. Mathematicum quendam Chriſtianum ad ſuperſtitionem Aſtrologiæ Iudiciariæ relapſum noluit ad Communionem recipere, niſi impoſita illi publica pœnitentia. Præſtat hic Auguſtini verba referibere; vt diſcant nebulones quidam, & ſolo nomine Chriſtiani, ac illis Samaritanis perſimiles, qui cùm Dominum colerent, diis quoque ſuis ſeruiebant, qui Romanis Pontificibus propter interdictum huius vanitatis ſtudiũ grauiter ſuccenſent, quid olim cum iſtis Mathematicis agebant ſancti Patres *Iſte*, inquit, *ex Chriſtiano, & fideli pœnitens redit, & territus proteſtatæ Domini conuertitur ad miſericordiam Domini, ſeductus enim ab inimico, cùm eſſet fidelis, Mathematicus fuit; ſeductus ſeducens, & decertus decipiens, illexit, ſefellit, multa mendacia loquutus eſt contra Deum, qui dedit hominibus poteſtatem faciendi, quod bonum eſt, & non quod malum eſt. Iſte dicebat, quod adulterium non faciebat voluntas propria, ſed Venus, & homicidium non faciebat voluntas propria, ſed Mars, & iuſtum non faciebat Deus ſed Iupiter, & alia multa ſacrilegia non parua. Quam multos enim putatis Chriſtianis nũmes abſtuliſſe? quam multi ab eo emerunt mendacium, quibus decebamus, filij hominum uſquequò graui corde, vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Modò ſicut de illis credendum eſt, horruit mendacium, & multorum hominum interitum. ſe aliquando à Diabolo ſenſit illectum: Conuertitur ad Deum pœnitens.* Noſtris in Actibus Apoſtolorum cap. 19. eſſe ſcriptum, quia multi perditi, idoli, talium artium heroines, & doctrinarum nefariarum ſectatores, omnes codices ſuos ad Apoſtolos attulerunt: eò intereſſe libros tam multos, vt pertinerent ad ſcripturarum uſum, maximum eorum facere, & ſummam pretij conſcribere. Auguſtin.

VII.

Epiphan.

Baron.

Auguſt.

Hoc

Hæc vtique propter gloriam Dei, ne tales etiam perditi desperarent, ab illo, qui venit, quærere quod perierat. Perierat ergo iste, nunc quæsitus, inuentus adductus est, portat secum codices incendendos, per quos fuerat incendendus, vt illis in ignem missis ipse in refugerium transeat. Ante Pascha enim cœpit petere de Ecclesia medicinam: sed quia talis est ars, in qua exercuatus erat, quæ suspecta esset de mendacio, atque fallacia, dilatus est, ne tentaretur: & aliquando tamen admissus est, ne periculosius tentaretur. Hæc Augustinus; ex quibus habeas, quid ille, & sui similes illis temporibus de Mathematicis sentirent.

VIII. In Concilio secundo Bracarensi c.9. damnatur tanquam dogma Paganorum illud, quod ait, animas, & corpora humana fatalibus stellis adstringi *Siquis* (inquit) *animas & corpora humana fatalibus stellis credit adstringi, sicut Pagani, & Priscillianus dixerunt, anathema sit*, & c.10. *Si quis duodecim signa quæ Mathematici obseruare solent, per singula membra, vel corporis membra dispensata credunt, & nominibus Patriarcharum ascripta dicunt, sicut Priscillianus dixit, anathema sit.* Et damnatur etiam dogma Pris-
Cõc. Tolet. cilliani in Concil. primo Toletan. in tenore fidei ad finem. Alexander tertius in c.2. de sortilegis mandat Presbyterum, qui simplicitate ductus iuit ad videndum Astrolabium; vt sciret autorem furti in sua Ecclesia admissi per annum ab altari arcendum.

Concil. Trident. Concilium Tridentinum in Indice librorum prohibitorum, Regula tic ait: *Episcopi vero diligẽter prouideant, ne Astrologia Iudiciaria libri, tractatus, indices legantur, vel habeantur, qui de futuris contingentibus fortuitis casibus, aut iis actionibus, quæ ab humana voluntate pendent, certò aliquid euenturum affirmare audent.* Demum Sixtus Papa
Sixtus V. huius nominis quintus propria constitutione specialiter hac de re edita non solùm eandem artem iudiciariam damnauit: sed mandauit, Inquisitores hæreticæ prauitatis contra Iudiciarios Astrologos procedere, tanquam de fide malè audientes, & suspectos.

IX. Sed esto illam damnent nonnulli Pontifices Romani, habebit forsan suum testimonium à priscis Patribus, & sapientibus Philosophis, & medicæ artis Professoribus. iam audiamus, quid illi de Iudiciaria, déque illius Professoribus com-
Origenes. muni calculo censuerint. Origenes Adamantius, quem isti Planetarij, vti ignarum artis, & imperi-
Eusebius. tum reuocare non possunt, referente Eusebio Cæsariens. lib.6. Præparat. Euangelicæ c.9. dicit, admissa veritate huius artis sequi, nullam esse in nobis libertatem, nullam operationem nostram laudari, aut vituperari iure posse, & falsò à Scripturis prædicari Dei iudicium, quo alij ad æterna præmia, alij ad æterna supplicia prædestinantur: ipsâ quoque fidem, & Saluatoris nostri aduentum, & omnem laborem Prophetarum, & prædicationem Apostolorum in Ecclesijs constituendis inanem esse, nisi quis dicat, ipsum quoque Christum cælestium corporum vi coactum, fecisse, quæ fecit, & passum fuisse, quæ passus est, nec eius deitatis potentia, sed stellarum virtute cuncta euenire. Addit, quòd his impijs verbis illud quoque conficitur, vt fideles fato ducti in Christum credant. Denique vt vel nullum sit mali, vel boni discrimen, vel etiam malorum author sit Deus, nullúsque hominum propter benè, vel malè facta præmio, aut pœna dignus censeri debeat, nec orationibus, votis, & Dei obsecrationibus locus aliquis relinquatur.

S. Epiphanius libro citato de mensuris, & ponderibus testatur, Aquilam, virum alioqui doctum, propterea quòd Genethliacam artem exerceret, nec admonitus desisteret, tandem communi iudicio ab Ecclesia pulsum fuisse.

D. Basil. homil.6. in exaëmeron positiones Iudiciariorum primùm refert, deinde validissimis rationibus impugnat; & ostendit, illos impossibilia docere. tandem sic concludit, *Desidendi profectò non mediocriter esse videntur, tam hi, qui studio huius indulserunt artes, quã in ratione rerum nunquã esse constat, quam illi, qui hiantes ab illorum ore pendent intenti, perinde quasi omnia illi scire possint, quæ ipsis sunt euentura.*

D. Ambrosius lib.4. Exaëmeron cap.4. explicans verba illa: *Fiant luminaria in firmamẽto cæli, & diuidant diem, ac noctem, & sint in signa; & tempora & dies, & annos*, ait: *Denique nonnulli nativitatem tentauerunt exprimere qualitates, qualis futurus sit vnusquisque, qui natus est, cùm hoc non solum vanum, sed etiam inutile sit quærentibus, impossibile pollicẽtibus.* eam verò esse tum vanam, & inutilem quærentibus, tum impossibilem pollicentibus, multiplici ratione probat toto illo capite, quod hìc transcribere illius longitudo non sinit.

Tertullianus in libro de Idololatria dicit, Astrologiam Iudiciariam esse speciem magiæ prohibitæ, & per leges damnatæ; & ait ibi Magiam, & Astrologiam inter se societatem habere.

Eusebius Cæsariensis lib.6 præparationis Euãgelicæ cum multis rationibus, & autoritatibus sapientium sententiam Iudiciariorum, quos ibi vocat Chaldæos, perstrinxisset, tandem cap.9. sic rem concludit, verbis Origenis vtens: *Quæ omnia si quis inspiciat, facile credat, non posse ista humano ingenio penitus percipi. Vnde si quis horum rerum periculum fecerit, videbit in pluribus errare, quam veritatem assequi Genethliacos. Quamobrem Isaias etiã quasi hæc omnibus impossibilia sint, ad filiam Chaldæorum, qui maximè ista profitentur, aut: Adsim, & salnam te faciant Astrologi cæli, annuncient tibi quid tibi accidat. His enim verbis docetur, vel diligentissimos in hac re Chaldæos non posse prædicere, quæ velit Deus vnicuique genti attribuere.*

D. Augustinus, qui simili vanitate antequam Christo nomen dedisset, aliquando est seductus, quanta, & qualia contra Iudiciarios scripserit, quibus notis & titulis eam, & sui Professores signauerit, & expresserit, quibus rationibus illos perstrinxerit, quas gratias Deo egerit, quòd se ab illo errores laborauerit, videbunt, qui legent eius librum 4. Confessionum cap.3. & lib.5. cap.3. & lib.7. cap.6. lib.2. de doctrina Christiana cap.21, 22, 23, lib.2. de Genesi ad litteram cap.17. lib.5. de Ciuit. cap.1. & multis sequentibus, & lib.14. cap. 4. & in epistola ad Marcellam, vbi dicit, hanc artem non gratia veritatis, sed ambitionis, & cupiditatis fuisse inuentam, & loco suprà citato post enarrationem Psal.61. His addere possemus Origenem homil.16. in libros Numerorum, & lib.31 in Iob. Chrysostomum homil.3. in epistolam ad Chrysost. Thessalonicenses, & D. Gregorium Romanum in Greg. 2. caput D. Matthæi.

X. Ex Scholasticis placet vnum D. Thom. in medium producere, quòd mendacissimi isti Planetarij in vulgus spargere non cessent, illum eorum vanitati addictum, illam probare sua autoritate, quod à veritate quantum distet, hæc illius verba indicant, quæ scribit in 2.2.q.95.art.5. in corpo- D. Thom. re. *Si quis ergo considerationi astrorum vtatur ad præcognoscẽdos futuros casuales, vel fortuitos euentus, aut etiam ad cognoscẽdum per certitudinem futura operã homi-*

hominum, prædicit hoc ex falsa, & vana opinione; & sic operatio Dæmonis se immiscet. Vnde erit diuinatio superstitiosa, & illicita. Si verò aliquis vtatur consideratione astrorum ad præcognoscendum futura, quæ ex cælestibus causantur corporibus, puta siccitates, & pluuias, & alia huiusmodi, non erit illicita diuinatio, nec superstitiosa. Hæc D. Thomas. Eandem doctrinam prorsus habet in opusculo 25. quod rogatus à quodam amico scripsit de iudiciis astrorum.

CAPVT III.

Præcluditur Iudiciariis Astrologis euasio, & alia testimonia, & decreta sapientum, & Principum contra illos afferuntur.

I. AD supracitata Patrum testimonia duplici via occurrentes respondent recentiores quidam Planetarij; altera est, illos artem impugnasse, quòd illam ignorarent: altera dictos Patres eos solùm Iudiciarios Astrologos perstrinxisse, & impugnasse, qui ex vi stellarum fatalem necessitatem inducebant, quæ arbitrij libertatem aut funditus euerteret, aut aliqua ex parte labefactaret; non autem illos, qui sublata fati necessitate verisimilibus coniecturis ex cælorum inspectione de futuris aliquid prædicunt.

Verùm circa primam responsionem non opus est immorari, etsi enim sanctissimi, ac doctissimi illi Patres non curauerint tempus, & pecunias malè perdere in hac arte discenda: eos tamen, & doctissimos Philosophos, & ingenio acerrimos, & de Mathematicorum placitis, principiis, ac thesibus exactissimè instructos, disputationes, quas cõtra eosdem Mathematicos instituerunt, sufficientissimè demonstrant. Secunda verò responsio in hunc modum facilè reiici potest. Primò, quia aut moderni Iudiciarij eandem veterum Mathematicorum artem profitentur, & ex eisdem illorum principiis, & per easdem illorum regulas suas prædictiones deducunt: aut diuersam artem, diuersis principiis nixam, diuersis regulis vtentem. Secundum dicere non possunt. Si autem primum dicãt, seipsos produnt, nec possunt sententiam re occultare, quam verbis abscondere nituntur. Secundò quærendum est à modernis Iudiciariis, an illi fateantur, astra in animum, & in voluntatem immediatè, directéque influere, inclinareque hominum voluntates ad furta, homicidia, adulteria, & alia id genus, an non. Si non influunt in animum, & in hominis voluntatem, si Venus ad libidines non inclinat, Mars ad homicidia, Mercurius ad furta, si Iupiter ad dignitates non promouet, quid quæso illud est omne, quod ex cælestium luminum inspectione & obseruatione, de futuris hominum euentibus, dignitatibus, diuitiis, liberis, coniugiis, infortuniis, violentis internecionibus, & similibus prædicunt? Si autem admittant astra etiam in animos, & in hominum voluntates vim influendi immediatè, ac directè habere, inclinareque ad libidines, incestus, furta, homicidia, promouere ad dignitates, ad imperia, ad summa sacerdotia: iam conuincuntur se cum antiquis Mathematicis sentire, & artem profiteri, quam illi olim profitebantur, quámque sancti Patres impugnant. Patres nanque ex duplici capite potissimum iudiciariam Astrologiam reiiciebant. Primò, quia illa docebat corpora cælestia homines ad malum inclinare, vt videri potest apud Origenem ab Eusebio relatum lib. 6. Præparatio. c. 9. & apud D. Augustinum lib. 5. de Ciuit. c. 1. Secundò, quia docet, astra vim habere influendi immediate in animum, & voluntatem mouendi, vt videri potest apud D. Augustinum pluribus in locis suprà allegatis, & apud D. Thom. 1. p. q. 115. art. 4. in Corpore, vbi deducit eos, qui dicunt, corpus cæleste agere immediatè, ac directè in intellectum, aut voluntatem, & in animum, sentire, animam intellectiuam non differre à sensu, & 2. 2. quæst. 95. art. 5. suprà citato, & in prima 2. quæst. 9. art. 5. Aug. D. Thom.

Tertiò, vel recentes Astrologi fatentur, se prædicere posse effectus contingentes, qui pendent ex libera voluntate in particulari, & cum aliqua certitudine, idque ex astrorum inspectione, vel non. Si non; ergo illorum ars nihil aliud est, nisi mendaciorum confarcinatio ad imperitos decipiendos, & pecunias emungendas excogitata. Si autem id concedant, illi in errores antiquorum Mathematicorum à Patribus damnatos relabuntur. Nam Patres ex hoc capite potissimum damnant Astrologiam Iudiciariam, quòd profiteatur se futura contingentia, maximè quæ ex libero arbitrio pendent, prædicere in particulari, quod solius Dei proprium est, neque vlli creaturæ, nisi ex diuina reuelatione potest conuenire.

Demum, quòd moderni Genethliaci, licèt verbis ab erroribus antiquorum Mathematicorum recedere videantur, reipsa cum illis sentiant, ex hoc euidenter probatur, quòd & Aliacensis, & Rogerius Baconius, & Cardanus, & alij etiam illis recentiores, licèt videantur antiquorum impietatem detestari, in illam tamen quatuor pedibus recurrunt, docentes ex siderum obseruatione non solùm liberos euentus, qui pendent ab humana voluntate, sed etiam illos, qui pendẽt ex voluntate diuina supra omnem cursum, & ordinem naturæ posse præuideri, vt Noëticum diluuium, Christi D. Nostri seruatoris in carne, & secundùm carnem nativitatem.

II. His itaque refugiis præclusis, testimoniis quoque Eastherorum, & Paganorum Iudiciariam hãc vanitatem conuincamus. In primis Socrates Platonis instituto cùm in omnibus artibus liberalibus optimè esset institutus, nihilominus, teste Xenophonte in libro de dictis Socraticis apud Eusebium lib. 14. de Præparat. Euang. cap. 4. dicebat, omnino non esse curandum homini, vt per cælestia corpora futurorum, quæ in potestate diuina sunt, cognitionem acquirat. Nec enim posse homines illa cognoscere, nec diis gratum esse, si quæ illi occultarunt, ea tu diligenter inquiras. Democritus Iudiciarios Astrologos deridens, aiebat: *Quod est ante pedes, nemo spectat, cæli scrutantur plagas.* Bion insignis Philosophus dicebat, ridendos esse Astronomos, qui cùm non viderent pisces iuxta se natantes in litoribus, illos qui in cælo sunt, videre se dicant. Plato, Democritus, & Pythagoras cùm longissimas regiones Ægyptiorum, Chaldæorum, & Indorum perquisitauerint, & omnem supellectilem Ægyptiorum, & Chaldæorum scrutati fuerint, & Tripodas etiam Indorum penetrauerint, & fuerint præstantissimi Philosophi: Timæus quoque qui testimonio Platonis peritissimus erat Astrologus; nihil tamen de Iudiciaria, ac diuinatrice Astrologia vel leuiter attigerunt. Argumentum euidens, quòd Philosophi eam veluti indignam à suis scholis ablegauerunt. Aristoteles qui tanta

Xenophon. Euseb. Democrit. Bion. Plato. Democrit. Pythagoras. Timæus.

ta ſolertia cœlorum naturam, vires, influxus perſcrutatus eſt, qui de meteorologicis impreſſionibus, de natura, generatione, proprietatibus, motibuſque animalium tam copioſe ſcripſit, cui ſi Iudiciaria Aſtrologia probaretur, magno eſſe poterat adiumento ad infinitas quæſtiones ſoluendas; neque illam omiſiſſet, niſi cum nota diminutionis, & magnæ librorum ſuorum imperfectionis, nihilominus ne verbum quidem habuit de illa. Immo verò omnes cœleſtium corporum vires, influxus, & actiones in hæc inferiora ad motum, & lumen reducit; occultas autem vires, & influentias omnino contemnit. Ad hæc cœlum fatetur, cauſam eſſe vniuerſalem, quæ, vt in inferioribus determinatos, ac particulares patiat effectus, egeat à particularium cauſarum concurſu determinari. Cui conſequens eſt, vt ex illius ſententia nihil non ſolùm de humanis euentibus, qui ex libera voluntate pendent, ſed nec etiã de quibuſuis particularibus effectibus contingentibus ex concurſu cauſarum particularium prodeuntibus per cæleſtis corporis inſpectionem certi eſſe valeamus. Immo verò in quæſtionibus problematicis, ad quas ſoluendas reſponſionibus etiam popularium nonnunquam vti conſueuit, ne verbum quidem de hac diuinatrice facultate, ſine vt recèdàs dicamus, vanitate habet. Ex Peripateticis illam reiecerunt Alex. Aphrodiſæus, & Auerroes. Cicero lib. 2. de diuinatio. cùm ex aliis, tum ex hoc capite diuinatricem Aſtrologiã reiecit, quòd nec Eudoxus in Aſtrologia doctiſſimus, nec Panetius quanuis Stoicus, nec Archelaus, nec Callander, nec Schylax Halicarnaſſæus, qui omnes maximi fuerunt Aſtrologi, hoc prædicendi genere vſi fuerunt. Immo verò Eudoxus, qui ſuis Gnidiis leges ſcripſit, inter alia admonuit, ne Aſtrologis fidem adhiberent. Auicenna licèt Arabum ſcientia imbutus, tamen lib. vltimo ſuæ Metaph. dixit, non eſſe credendum Aſtrologis, qui neque cæleſtia teneant, neque naturas inferiorum ad iudicium neceſſarias: neque nitantur demõſtrationibus, ſed probationibus oratoriis, & poëticis Plotinus, qui teſte Porphyrio in libro de oraculis, multo tempore huic arti addiſcendæ, & experiundæ operam dedit, tandem deprehendens artis vanitatem, & prædictionum fallitatem, illi omnem fidem abrogauit, & eam grauiſſimis diſputationibus impugnauit, editis contra eam libris, inter quos eſt præcipuus, qui inſcribitur, An ſtellæ aliquid agãt. Porphyrius ipſe Plotini diſcipulus in eodem libro fatetur, futurorum certam notitiam, non ſolùm ex inſpectione aſtrorum haberi non poſſe, ſed illam multos Deorum latere. Quid dicemus de Phauorino apud Aulum Gellium lib. 14. noctium Atticarum, de Bardeſane apud Euſebium lib. 6. de Præparat. cap. 8. qui grauiſſimis rationibus illam perſequuntur, & ſtultam mendaciorum eſſe oſtendunt. Ptolomæus ipſe Princeps Mathematicorum in 1. libr. de Iudiciis cap. 2. nónne probat, non omnia à ſuperiꝰ cauſis in res humanas ita deriuare, vt nulla vis, quin ita eueniant, valeat obſiſtere? & in prima propoſitione Centiloquij nónne ait, fieri non poſſe, vt qui ſciens eſt, particulares rerum formas pronunciet; & ſolos numine afflatos prædicere particularia? Et propoſitione quinta, poſſe eum, qui ſciens eſt, multos ſtellarum effectus auertere, quando naturam illarum nouerit, ac ſeipſum ante illorum euentum præparauerit? vnde ortũ eſt vulgatum apophthegma, *Sapiens dominabitur aſtris.* Cui conſonat Virgilianum illud Virgil. ſecundi Georgicorum.

Felix qui potuit rerum cognoſcere cauſas,
Atque metus omnes, & inexorabile fatum
Subiecit pedibus.

& Boëtij lib. 1. de Conſolatione metro 3. Boëtius.

Quiſquis compoſitæ ſerenus aue,
Fatum ſub pedibus dedit ſuperbum.

Alex. Aphr.
Auerr.
Cicero.
Eudoxus.
Auicenna.
Plotinus.
Porphyr.
Phauorin.
Gellius.
Bardeſanes.
Ptolomæus.

Omittam Scholaſticos omnes poſt tempora Magiſtri, qui ſententiam aſſerentem, ex ſiderum aſpectu poſſe particulares euentus humanæ vitæ prædici certò, & in particulari, tanquam falſam, & à Catholica veritate alienam reiiciunt. quam ob cauſam ſententiam Aliacenſis, & Roggerij Bacconij, & Arnaldi de villa noua dicentium, ex ſiderum obſeruatione potuiſſe diluuium Noëticum, aut Chriſti ſecundùm carnem natiuitatem, aut vltimum finalis Iudicij tempus præuideri, tanquam falſam, & à Catholica veritate alienam reiiciunt. Hæc, & alia, quæ ex probatis, & fide dignis autoribus poſſent adduci, niſi ſuperfluum videretur, in re notiſſima teſtimoniis non neceſſariis abundare, cuiuis non ignaro, & cui cum ſtudio veritatis vinculum amicitiæ interceſſerit, ſufficient ſatis, ac ſuper, ad fidem faciendam, qua non ſoli Pontifices Romani turpis lucri cauſa, quibus neſcio, quid lucri ex damnatione vanitatis iudiciariæ accedat, neque ſoli Scholaſtici Theologi Aſtrologiam iudiciariam vt falſam, bonis moribus ſanctæque Religioni inimicam damnant, & proſcribunt; ſed illius damnatio in pleno Sanctorum Patrum, & Philoſophorum ſenatu, eſt acclamata. Quid dicam, illam à Pontificibus, Patribus, Scholaſticis, & Philoſophis in communi conuentu damnatam? Damnarunt illam Imperatores non ſolùm Chriſtiani, verùm etiam Pagani, & Chriſtiani nominis hoſtes ſæuiſſimi, vt Diocletianus, & Maximianus, quorum decretum aduersùs Mathematicos extat in l. artem. De maleficis; & Mathematicis cap. 9. Damnauit Conſtantius Imperator in l. Nemo, & l. & ſi excepta. eodem tit. & collatione. Damnauit Honorius in reſcripto ad Cecilianum præfectum Prætorio, quod refertur in Codice de Epiſcopal. audientia l. 10. Damnauit Valens l. 8. eod. tit. de maleficis; & Mathem. cap. 9. Damnauerat Auguſtinus, Dione referente lib. 49. Damnauerat pleriſque vicibus Romana Reſpub. vt dixerit Tacitus lib. 17. de hoc genere hominum, qui Iudiciariam profitentur. *Genus hominum potentibus infidum, ſperantibus fallax, quod in ciuitate noſtra vetabitur ſemper, & retinebitur.* quæ autem pœnæ iudiciariam profitentibus, aut exercentibus per Imperialia decreta fuerint ſtatutæ, in legibus citatis quiſque poterit videre. III.

Dion.
Tacitus.

CAPVT IV.

Diuinatricem Aſtrologiam à Romanis Pontificibus ſæculíque Principibus iure fuiſſe damnatam.

Licèt non omnium, quæ Princeps lege decernit, ratio curioſiùs ſit inquirenda, vt Iureconſultus ait in l. non omnium ff. de legibus, ne I.

ne Planetarij ſolita licentia à Pontificibus, & Principibus ſe iniuſtè damnatos conquerantur, illos iuſtiſſimè, ac ſanctiſſimè damnari nunc breuiter oſtendemus. Illud enim genus hominum iuſtè, ac ſanctè proſcribitur, quod humanæ Reipub. ad nihil eſt vtile, & è contrario cultum Religionis, & ſtudium virtutis euertit, & ipſi humanæ reipublicæ cladem intentat: eiuſmodi verò eſſe genus illud hominum, quos Iudiciarios Aſtrologos vocamus, ſic demonſtratur. In primis nanque illud genus hominum cultum ſanctæ Religionis euertit, qui deſtruunt illius fundamenta: at data veritate Aſtrologiæ diuinatricis deſtruũtur omnia fundamenta Chriſtianæ Religionis. Primum enim fundamentum eſt, IESV Chriſti Domini Noſtri in Carne aduentum, miracula ad Euangelium confirmandum edita, Sacramenta inſtituta, legem traditam, & cruentam pro ſalute mundi in cruce oblationem, ex fumma, ac ſola Dei optimi maximi erga genus humanum charitate ſupra omnem naturæ curſum, & ordinẽ creaturæ naturalem immediatè pependiſſe. hoc qui negat, vno ictu totam Chriſtianorum Religionem proſternit. Negant autem Iudiciarij Aſtrologi, qui hæc omnia cælo ſubiiciunt, & ex vi ac conſtitutione aſtrorum profecta eſſe, docere non erubeſcunt, vt c. primo oſtendimus. Ergo illi Chriſtianam Religionem vno ictu euertunt, atque proſternunt.

II. Secundum fundamentum eiuſdem Religionis eſt, omnia eiuſdem Chriſtianæ Religionis myſteria, & fidei Sacramenta multis ſeculis antequam fierent, per Prophetas fuiſſe prænuntiata. hoc fũdamento vtitur Petrus Apoſtolus ad veritatem Euangelij demonſtrandam, cùm inquit epiſtola 2. c. 1. *Habemus firmiorem propheticum ſermonem, cui benefacitis attendentes, tanquam lucerna lucenti in caliginoſo loco.* & Saluator ipſe apud Ioan. cap. 5. *Scrutamini* (inquit) *Scripturas, quoniam illæ teſtimonium perhibent de me.* Iſtud verò fundamentum euertit, qui dicit eadem myſteria per Aſtrologiam prænoſci poſſe & prædici, quod Iudiciarios Aſtrologos dicere eodem c. 1. ex illorum met dictis monſtrauimus.

Tertium eiuſdem Religionis fundamentum eſt animi noſtri immortalitas. ea nanque ſublata omnis Dei cultus, pietas, & Religio facillimo, & nullo omnino negotio ex animis mortalium eradicatur, ſicut quidam ex Caluinitis in Conuentu Geneuæ, in quo de abrogando Romano Pontificatu, Purgatorio, aliiſque dogmatibus agebatur, Lindano referente in ſuo dubitantio. fertur reſpondiſſe. *Aſſeramus* (inquit) *animam vnà cum corpore interire: ſic Purgatorium cum Miſſa, & Romano Pontifice ſimul abolebimus.* Iſtud verò fundamentum deſtrui ab iis, qui docent animam cæleſtibus influentiis directè ſubiectam eſſe, ac ſidera in illam ſua vi immediatè, ac directè agere, probat D. Th. 1. p. q. 115. a. 4. quia qui ponunt, corpora cæleſtia cauſas eſſe electionum, & actuum humanorum, neceſſariò coguntur fateri, intellectum corporeum eſſe, nec differre à ſenſu; hoc autem eſt facere intellectum eſſe formam mortalem, & cum corpore interire; ſicut intereunt aliæ formæ corporeæ. & in 2. 2. q. 95. a. 5. vbi perſequens idem argumentum ait, quòd ſubtrahuntur cauſalitati cæleſtium corporum actus liberi arbitrij, quòd eſt facultas intellectus, & rationis. Intellectus enim, ſeu ratio non eſt corpus nec virtus organi corporis, & per conſequens, nec voluntas, quæ eſt in ratione, vt patet per Philoſophum in 3. de anima. Nullum autem corpus poteſt imprimere in rem incorpoream. Vnde impoſſibile eſt, quòd corpora cæleſtia directè imprimãt in intellectum, & voluntatẽ: hoc enim eſſet ponere, intellectum nõ differre à ſenſu, quod Ariſtoteles in lib. de Anima imponit iis, qui dicebant, quòd talis voluntas eſt hominibus, qualem in die inducit Pater virorum, Deorumque, ſcilicet ſol, & cœlum.

D. Thom.

III. Quartum fundamentum eſt, Deum quædam ſupra naturalem curſum, & ordinem rerum iis, qui ſe colunt, ac diligunt, ſua munificentia, & liberalitate largiri: niſi enim talis Deus eſſet, qui rogatus, & obſequio deumctus, ſibi deuotis aliquid præ aliis concederet, quis eum coleret, quis pro Deo vellet habere? *Sin autem dij* (inquit Cicero lib. 1. de Natura Deorum) *neque poſſunt nos iuuare nec volunt, nec curant omninò, nec quid agamus animaduertunt, nec eſt, quod ab illis ad hominum vitam permanare poſſit, quid eſt, quod illos dijs immortalibus honores, cultus, preces adhibeamus?* Verùm quis non videat iſtud etiam fundamentum ſubuertere Genethliacam vanitatem, immo tectiùs dicam impietatem? quæ omnia ex virtute, aſpectúque aſtrorum vult in nos deriuare, & ita deriuare, vt etiam ex vi ſiderum pẽdeat, noſtras preces à Deo exaudiri, & poſt hanc vitam in cælis æterna felicitate potiri? Hinc rectiſſimè, & veriſſimè dixit Auguſtinus lib. 5. de Ciuit. c. 1. hac opinione (ſc. Aſtrologorum Iudiciariorum) aliud nihil agi, niſi vt nullus colatur, aut rogetur Deus. & Origenes ab Euſebio relatus lib. 6. Præparationis cap. 9. *Non ſolùm* (inquit) *Gentiles ſtellarum ex coniunctione atque aſpectu, quæ in terris ſunt, neceſſariò accidere credunt, quam vim fatum appellant: Verum etiam multi ex fidelibus conturbantur, impoſſibile aliter fieri credentes, quam ſtellarum curſus effecerit. Vnde ſequitur nullam in nobis eſſe libertatem, nullam operationem noſtram laudari, aut vituperari iure poſſe. ita prædictum Dei iudicium quo alij ad ſupplicia, alij ad æternam beatitudinem prædeſtinantur, falſò fore prædicaretur. Quid plura? ipſa quoque fides & Saluatoris noſtri aduentus, & omnis Prophetarum labor, ac Apoſtolorum in conſtituẽdis Eccleſijs prædicatio, inania erunt, niſi fortè Chriſtum quoque quis audeat dicere, cæleſtium corporum vi coactũ feciſſe, quæ fecit, paſſúmque fuiſſe, quæ paſſus eſt, nec eius deitatis potentia, ſed ſtellarum virtute cuncta eueniſſe. His impijs verbis illud etiam confictur, vt fideles ſæpè ductis in Chriſtum credant. Denique vt vel nullum ſit boni, & mali diſcrimen: vel etiam malorum autor ſit Deus, nulliſque hominum propter bene, vel malè facta præmio, aut pœna dignus cenſeri debeat, nec orationibus, votis, & Dei obſecrationibus locus aliquis relinquatur.* hæc ille.

Auguſt.

Euſebius.

IV. Iam verò per Iudiciariam Aſtrologiam non ſolùm euertit cultum Sanctæ Religionis, ſed ipſa quoque fundamenta totius moralis Philoſophiæ, vt in verbis ſtatim citatis Origenes admonebat, quis dubitabit? Cùm totius moralis Philoſophiæ fundamentum ſit, hominem libero arbitrio præditum eſſe; & ex electione, & deliberatione operari. hinc enim in actionibus humanis virtuti, & vitio, laudi & vituperationi, præmio, & ſupplicio eſt locus: hoc ablato, nec vitium, nec virtus, nec vituperium, nec laus, nec pœna, nec præmiũ eiſdem actionibus rectè tribuitur. Eos verò, qui humanas voluntates fatalibus ſtellis ſubdũt, quod faciunt Iudiciarij, arbitrij libertatem euertere, nõ ſolùm D. Th. locis proximè citatis deducũt, ſed ipſi etiam Iudiciarij reipſa non negant; etſi nonnunquam verbis ad inuidiam declinandam aliter ſe ſentire profiteantur.

Et

V. Et tandem quòd ipſi Iudiciarij Aſtrologi nil cõmodi,& vtilitatis,ſed plurima incõmoda, & dãna inferãt humanæ Reipublicæ, & ſocietati, duplex ratioſé per efficaciſſimè viſa mihi eſt ſuadere. Altera,quòd videamus ipſoſmet artis Profeſſores sẽper egeſtate, mendicitate,rerum omnium inopia, ærumnis,calamitatibus oppreſſos:quòd nullũ hactenus viderimus repetitis etiam omnibus antiquorũ hiſtoriis,cui iſta ars honori fuerit, aut vtilitati. Hæc res Aſtrologicæ vanitatis apertiſſimũ argumentũ eſt.qui enim ſibi nequam eſt, cui bonus erit? vt Sapiens ait Eccleſ.14. Qui igitur in ſumma omnium bonorũ egeſtate viuunt, coacti mendacia venditare,diuitum & potentũ domibus diuitiſſque ſemper inſidias ſtruere, vt drachmam ad famem pellendam accipiant, qua fronte, quo animo aliis diuitias pollicentur? At dices Aſtronomos diuites eſſe, boniſque affluere. quid ergo conqueruntur Mathematici, ſe à diuitibus deſtitutos fame laborare? conqueruntur autem non ignobiles, non indocti,ſed cum primis eruditi,& Mathematicorũ Protomagiſtri. Ptolomæus lib. 1.de Iudiciis c.3. Cardanus in Commentario ad eundem locum,Iunctinus, Bonatus,Bellantius, & alij plures.ipſa etiam experientia veri teſtis eſt,& magiſtra. Altera ratio eſt, quæ ſumitur ex ſenatuſconſultis,& Principũ decretis, quibus tot iteratis vicibus Mathematici pœna exilij, bonorum omniũ priuationis,& ipſius capitis impoſita,ſunt ab vrbe,& ab orbe pulſi. neque enim credendum eſt, Reſpublicas, & Romanos Imperatores orbis Dominos tot legibus armatos contra Aſtrologos ſteriſſe;niſi agnouiſſent plurima,eaque grauiſſima Reipublicæ humanæ illos afferre detrimẽta ſeditionum, ſimultatum, proditionum, diſſidiorum, qualia experti ſunt Galba, & Iuſtinianus Romanorum Imperatores, qualia Romana ipſa Reſpublica paſſa eſt ſub Claudio.Nerone, Tiberio, Caligula,& alia innumera,quę Tacitus,& alij Hiſtorici cominiſcuntur. Concludamus igitur Aſtrologiam Iudiciariam vanitatẽ a Principibus Eccleſiaſticis,& ſecularibus non ſolùm eſſe damnatam, ſed ſanctiſſimè,ac iuſtiſſimè damnatam.

CAPVT V.

Sidera hominis voluntatem directè, & immediatè non mouere: nec cauſare humanas electiones: nec ingeniorum, aut morum diuerſitates efficere.

I. PRæcipuum artis iudiciariæ fundamentũ nemo eſt,qui neſciat,hoc eſſe,ſcilicet aſtra directè,ac immediatè in hominis voluntatem agere, humanas inclinationes, & electiones cauſando, & hominum varia ingenia, & varios mores. huius verò fundaméti infirmitas,& vanitas doctè,ac ſcitè à D.Th. vt illius mos eſt, oſtenditur tum in 1.p.q.115.a.4.& 1.2.q.9.a.5.& 2.2.q.95.art.5.tum copioſè lib.3.contra Gent. c.82.83.84.& 85. primùm namque nullum agens vltra ſuas vires,& in id quod altioris eſt ordinis,agere,aut influere aliquid poteſt. non terra in cœlum, nec corpus in ſpiritum agit:ſed è contrario cœlum terram mouet,& ſpiritus corpoream molem agit. Sidera corporea ſunt,corporeas vires habẽt,corporeis actionibus agunt quicquid agũt: volũtas cùm ſit animæ rationalis portio,& facultas ſpiritus,immaterialis, & incorporea eſt. qua igitur ratione poterũt aſtra in hominis volũtatem directè & immediatè influere? niſi eò vſq; deſipiamus, vt velimus intellectu cum ſenſu confundere,& virtutẽ materialem,vt antiqui Stoici fecerunt,affirmare.

D.Thom.

Ad hæc cœlum,& aſtra cauſæ naturales ſunt, viribus naturalibus agunt,naturali modo operantur, quidquid operantur, nec poſſunt non influere, & non agere quotieſcunque ab intelligentia mouente in debita diſtantia corporibus infernis applicantur.ergo ſi aſtra in hominis voluntatẽ directò influunt,& illam agunt,& humanarum electionum ſunt cauſæ, humanæ voluntates non liberè,ſed naturaliter,& modo naturali agunt & eligunt. Verùm humanas voluntates non naturaliter agi,ſed liberè,& non naturaliter,ſed liberè eligere,quidquid eligunt, tum rationes libro ſecundo adductæ ad probandam arbitrij libertatem, tũ ipſa rerum experientia demonſtrat. Nam ſi naturales eſſent humanæ electiones, non liberæ, homines aut ſemper, aut vt in pluribus ſaltem id, quod bonum eſt,eligerent,quia quæ ſunt à natura,vt in pluribus rectè fiunt;vnde & monſtra vt in paucioribus apparent. At oppoſitum probat experientia. non ergo humanæ electiones naturales ſunt,ſed liberæ. Præterea ſi naturales eſſent hominum electiones, cùm omnes homines eiuſdẽ ſint ſpeciei,eodem modo, & eadem omnes eligerent, quemadmodum videmus omnes hirundines eodẽ modo nidificare;& omnes apes eodẽ modo mella colligere, ac ſeruare:at in humanis electionibus mira eſt diuerſitas;non ergo illa eſt à natura, ſed ex propria libertate. II.

Tertiò,ſi humanæ electiones prouenirent directè ex influentiis corporum cæleſtium, fruſtrà illæ eædem tribuerentur diuerſis habitibus virtutum,& vitiorum, quas cõmunis animi conceptio ponit principia quædam eſſe bonarum, malarúmve electionum; nec eſſet animus hominis ſtudio, ac labore virtutibus excolendus, nec ſtudium eſſet adhibendum ad prauos habitus vitiorum extirpandos, ſed ad quiduis benè vel malè eligendũ expectandus eſſet ſtellarum influxus, quæ nimia eſſet vanitas,& dementia ſcipione corrigenda, & plectenda.

Quartò, ſi ex ſiderum influentiis penderent motus humanæ voluntatis, fruſtrà dediſſet Deus homini vim intellectiuam,& appetitiuam ad conſiliandum,& deliberandum de agibilibus, fruſtrà conſulerẽt mortales de rebus agẽdis;ſed ſola cœlorum influentia ad quiduis agendum eſſet expectanda, quæ nec caſſari, nec declinari poſſet per humanam conſultationem,quia,vt Cleantes dicebant, *fata volentes ducunt, & nolentes trahunt*: rediérque antiquorum error ab Ariſtotele reprobatus lib.2.de Anima text. 150. homeriuis verſibus declaratus,cùm inquit: III. Ariſtot.

Talis enim mens ſemper ad eſt mortalibus agris,
Quales ipſa dies dat diuûm, hominumque creator.

Quintò,motus volũtatis ſunt nõ ſolùm ad bonũ,ſed ad malum: at corpora cæleſtia ad malum inclinare per ſe non poſſunt. non ergo ex influxu aſtrorum ſunt animi motus,& inclinationes. Minorem probant eleganter Origenes tractatu 4. in Matthæum,Ambroſius lib.4.exaẽmeron cap.4. & Auguſt. lib.5.de ciuit.c.1. nam cùm aſtra naturaliter influant,& agant,ſi ad malum inclinarent,ea vis ad malum inclinandi ab ipſo naturæ autore indita illis eſſet, & Deus ipſe mediante vi aſtrorum veluti inſtrumento ad furta, tyrannides,inceſtus,& ſacrilegia inclinaret,quod dicere nefas eſt. Hinc rectè Origenes loco citato illorum Auguſt.

lorum reprobat ſententiam, qui quaſdam ſtellas maleficas appellant. *Imò nulla* (inquit) *ſtella à Deo facta eſt, vt malè faciat.* Cui veritati ſubſcribēs Plotinus in lib. de fato c. 6. ita ait. *Iam verò prauitas morum quomodo à cæleſtibus, qui dij ſunt, hominibus dari poteſt?* & Iamblicus lib. de Myſteriis c. 14. *Vires cæleſtium omnes inde bonæ deſcendunt.* Pierius quoque Valerianus Hieroglyphicorum lib. 3. Platonem commendat, quòd è cælo nil mali ad nos demitti poſſe crediderit. Et ſanè ſi verum Ariſtoteles ait Meteororum lib. 1. oportere mundum inferiorem ſuperuis lationibus contiguum eſſe, vt omnis illius virtus inde gubernetur. quis niſi eius rei, de qua loquitur, prorſus neſcius, affirmabit eſſe ſidera malefica, quibus hæc ſublunaria malè afficiantur, vitientur, & corrumpantur? gubernare enim fouere eſt, atque dirigere, non inficere, vitiare, & ad malum inclinare. Et, vt Ambroſius, atque Auguſtinus argumentantur, *Quale Deo iudicium de hominum factis relinquitur, quibus cæleſtis neceſſitas adhibetur, cùm Dominus ille ſit & ſiderum, & hominū? quid peccant homines id agendo ad quod Deus, ſiue per ſiderum influxus, ſiue per ſeipſum inclinat? Quid culpantur ſerui in eo, quòd Domini mandata exequuntur? quid mirum* (ait Ambroſius) *ſi ibi inducuntur homines vbi ſigna innoxia blaſphemantur, quæ ſi natura noxia eſſe creduntur, Deus ergo ſummus arguitur, qui fecit, quod malum eſt, & fuit improbitatis autor.*

Plotinus. Iamblicus. Pierius. Val. Ariſtot. Auguſt.

IV. Sextò, eſto ageret cælum in hominis voluntatem, quod tamen concedendum non eſt, non aſſequerentur Genethliaci, quod illi contendunt: nā à cauſa vniuerſali, & indeterminata, qua talis eſt, quis neſciat, particularem, & determinatum effectum non prodire? Certè influxus, & cauſalitas cæleſtis corporis vniuerſalis eſt, & indeterminata adhunc, aut illum numero, addo etiam ſpecie, effectum: nam quis non videat, ſolem iiſdem radiis, eodem tempore, eadem actione ex hac materiæ portione vermem educere, ex illa murem: in eadem areola ex grano tritici triticum generare, & ex faba fabam procreare: & cum equo equum gignere, & hominem cum homine? Motus autem voluntatis, & hominum electiones particulares ſunt, & ad particularia obiecta hîc, & nunc determinata. Oporteret igitur eoſdem ſiderū influxus, quibus hominum voluntates mouentur, quibuſque humanæ electiones cauſantur, ab aliqua cauſa particulari ad particulare obiectum, ad particularem electionem determinari: ſed hæc nulla alia fingi poſſet præter humanum intellectum, aut ipſam voluntatem eligentem. Ergo qua ratione intellectus, & voluntas humana vim ex ſe haberent ad aſtrorum influxus ad hoc particulare obiectum, ad hanc particularem electionem determinandos, eadem ratione abſque iſtis influxibus nulla certa ratione conſiſtentibus, ad quos tanta, & tam grauia ſequuntur abſurda, poterunt intellectus, & voluntas ſe ad hoc, aut illud obiectum, ad hanc, vel illam electionem determinare.

V. Septimò ſi ex aſtrorum influentiis eſſent motus humanæ voluntatis, & humanæ electiones, inclinationes, & propenſiones, neceſſe eſſet, omnes ſub eiſdem ſignis, eodem modo, & ordine conſtitutis in lucem editos, eadem eligere, ad eadem eſſe propenſos, neque ad diuerſa vnquam inclinari. Conſequens admittent fortaſſe, & verum eſſe omninò contendent iſti Mathematici. illud tamē plus falſum eſſe, quàm quod ipſamet falſitas, probat ſubtiliſſima illa Bardeſani contra illos argumentatio in libro de Fato aduersùs Chaldęos, quam ex Euſebio lib. 6. Præpar. Euang. c. 8. ſolam hoc in loco tranſcribere decreui. *Apud Seras* (inquit) *lex eſt prohibens occidere, fornicari, & adorare ſimulachra: Vnde in illa regione nullum templum conſpicitur, nulla mulier meretrix, nulla adultera: nemo fur, nemo homicida, nec voluntatem alicuius illorum ardentiſſima ſtella Martis in medio cæli conſtituta ad eadem hominis coegit, nec Venus Martis coniuncta, vt alienam quiſpiam ſolicitaret vxorem, potuit efficere. Atqui ſingulis etiam apud eos diebus in medium cæli Martem peruenire neceſſe eſt, & in tanta regione ſingulis horis naſci homines non eſt negandum. Apud Indos autem, & Bactros multa millia hominum ſunt, qui Brachmanes appellantur. hi tam traditione Patrum, quàm legibus, nec ſimulacra colunt, nec animatum aliquid comedunt, vinum, aut ceruſiam nunquam bibunt, ab omni demum malignitate abſunt, ſoli Deo attendentes. At verò cæteri omnes Indi in eadem ipſa regione adulteriis, cædę, temulentia, ſimulachrorum cultu inuoluuntur: inueniuntúrque ibi nonnulli, immo verò gens quædam Indorum eſt in eodem climate habitans, qui homines venientes, atque ſacrificantes deuorant, nec vlli planetarum, quos felices, ac bonos appellant, à cæde, ac ſceleribus iſtis eos prohibēt. nec maligni Brachmanas pellere ad malefaciendum potuerunt. Apud Perſas lex erat, filias, ſorores, matres quoque ipſius in matrimonium ducere: nec in Perſide ſolum, verùm etiam quicunque Perſarum ad alia Climata Orbis è patria exierunt, nefanda hac diligenter matrimonia celebrarunt, quos alię gentes hoc ſcelere abominata, Magusſeos appellant; ſuntque vſque ad hodiernum diem in media Ægypto, Phrygia, Galatiáque plurimi Magusſæi ſucceſſione Patrū eiſdem ſceleribus cōtaminati. Nec dicere poſſumus in terminis, & domo Saturni cū Saturno ipſo in natiuitatibus omnium Martē aſpiciente Venerem fuiſſe. Amazones vires non habent, ſed tempore veris fines ſuos egredientes, cum vicinis cōueniūt. Vnde omnes naturali lege eodem tempore pariunt, maſculiſque interfectis ſolas fœminas alunt, bellicoſaque omnes ſimiliter ſunt, magnam exercitationis bellicæ curam gerentes. Stultum autem eſt opinari, omnes iſtiuſmodi fœminas prorſus iiſdem natalitiis aſtris eſſe genitas. Fit hoc confirmatius argumento, exemploque Iudæorum, qui vbicunque terrarum, & gentium ſint nati, aut verſantur, inuiolabili obſeruatione & infantes ſuos octauo die circuncidunt, & omnem diem ſabbati feriatum, feſtúmque religioſiſſimè agūt. Non ſunt autem Iudæi omnes ſub eadem conſtellatione procreati, nec eos à patriis legibus, & inſtitutis vlla vis, & potentia cæleſtium corporum abſtrahere poteſt. Sed quid dicemus de Chriſtianis? qui innumerabiles toto orbe ſparſi idem vitæ genus atque doctrinæ cuſtodiunt; nec a diſciplina, quam ipſis Chriſtus Dominus tradidit, vel promiſſis vllis, vel minis, aut ſupplicijs, vel latum vnguem amoueri poſſunt? An dicturi ſunt, Chriſtianos omnes eodē aſtro eſſe natos? ſed illud maximū eſt argumētum. qui ante ſuſceptam Chriſti diſciplinam, patrias leges, & inſtituta ſtudioſiſſimè, acerrimēque tenebāt, eos poſtea factos Chriſtianos illis deſertis, abiectiſq; lōge diuerſam vitā agere, diuerſos mores induere, & diuerſiſſimam Religionem, & doctrinā colere. Itaque, nec multas Parthi Chriſtiani ducūt vxores, nec Medi canibus mortuos obiciūt; nec mortuos ſuos cremāt, nec Perſæ cū ſororibus, aut filiabus nefario matrimonio miſcētur, nec Ægyptij apim, aut canē, aut hircū, aut felē colūt: ſed vbicūque ſūt, eiſdem legibus, moribus, & inſtitutis viuūt. Quid plura? ſingulis horis apud omnes Gētes homines naſcūtur, vbiq; autem leges, atque mores propter liberam hominis poteſtatem prævalere videmus. Nec natalitia ſidera nolentes Seras ad homicidium compellunt, aut Brachmanas ad eſum carnium, nec Perſas à ſceleratis nuptiis remouent, nec Medos prohibent vita defunctos canibus*

Bardeſanes. Euſeb.

exponere, nec Parthos multas ducere uxores. Singulæ namque gentes, vt volunt, & quando volunt, libertate suâ vtuntur, legibus, moribúsque obedientes. Hæc ille. Aurea sane verba per se sufficientia ad omnia, quæ de variis hominum inclinationibus ex varietate cælestium influentiarum profectis, de variis sectis, legibus, Religionibúsque ex vi, & cõstitutione siderum prouenientibus, Iudiciarij Astrologi mendaciter effutiunt, vnica argumentatione euidentissimè redarguenda, & conuincenda.

CAPVT VI.

Neque humani corporis varia temperamenta, nec varia ingenia, mores, vitæ successus, neque varios exitus ex siderum constitutione pendere.

I. RECentiores Genethliaci, vo absurda, quæ ad sententiam illorum capite superioti refutatam sequuntur, videantur vitare, hoc refugium, ad quod sese reciperent, excogitauerunt. Dicunt enim, licèt astra in hominum voluntates directè, & immediatè non agant, agere nihilominus in corpora humana variis complexionibus, & temperamentis illa afficiendo, ad quæ varia ingenia, varij mores, & variæ electiones earundem voluntatum insequuntur. Nam ad varias complexiones, & varia humani corporis temperamenta varios etiam mores, & multiplices sequi electiones, quotidie experimur, & res est tam certa, quòd nulla indigeat probatione. Esse autem astra causas diuersarum complexionum, & temperamentorum humani corporis, ad quæ varij mores, ingenia, & electiones sequuntur, concedit D. Tho. tum in opusculo 25. c. 4. tum in summa locis citatis ex 1. p. q. 115. a. 4. & 1. 2. q. 9. a. 5. ad tertium vbi ait. *Nihil prohibet, ex impressione corporis cælestis aliquos esse habiles ad iracundum, vel concupiscendum, vel aliquam huiusmodi passionem; sicut & ex complexione naturali plures hominum sequuntur passiones, quibus soli sapientes resistunt.* & in 2. 2. q. 95. a. 5. vbi dicit, *quod licèt corpora cælestia non possint esse per se causa operationũ liberi arbitrij, possunt tamen ad hoc dispositiuè inclinare, in quantum imprimunt in corpus humanum, & per consequens in vires sensitiuas; quæ sunt actiua corporalium organorum, qui inclinant ad humanos actus.* quam rem fusiùs adhuc prosequitur in 3. contra Gentes c. 85. sic scribens, *Sciendum tamen est, quòd licèt corpora cælestia non sint directè causa electionum nostrarum quasi directè in voluntates nostras imprimẽtia; indirectè tamen ex iis aliqua occasio nostris electionibus præstatur, secundum quod habent impressionem super corpora, & hoc dupliciter. Vno quidem modo, secundum quòd impressiones corporum cælestium in exteriora corpora sunt nobis causa alicuius electionis, sicut cùm per corpora cælestia disponitur aër ad frigus intensum, eligimus calefieri ad ignem, vel aliqua huiusmodi facere, quæ congruunt temporis: alio modo secũdùm quòd imprimunt in corpora, ad quorum immutationem, insurgunt nobis aliqui motus passionum, vel per eorum impressionem efficimur habiles ad aliquas passiones, sicut cholerici sunt proni ad iram, vel secundum quod ex eorum impressione causatur in nobis aliqua dispositio corporalis, quæ est occasio alicuius electionis, sicut cùm nobis infirmantibus eligimus accipere medicinam. Interdum etiam ex corporibus cælestibus actus humani causantur, in quantum ex indispositione corporis aliqui amentes efficiuntur vsu rationis priuati, in quibus proprie electio non est; sed mouentur aliquo naturali instinctu, sicut & bruta.* hæc ille. Et hæc quidem sunt loca, quibus horum temporum Iudiciarij D. Thomam sui dogmatis Patronum efficere conantur.

D. Thom.

Verùm circa hunc modum respondendi duo ex II. ipsis respondentibus quæruntur, alterum est, an corpora cælestia sic afficiendo corpora humana voluntatem ita inclinent, vt secum rapiãt, & sint ipsæ humani corporis inclinationes; & complexiones aut humorum concitationes tales causæ humanarum electionum, quæ voluntati imponãt necessitatem eligendi, quibúsque voluntas recta ratione ducente resistere, & non obedire non possit. Nam si hoc affirment, siue dicant astra directè in sola corpora humana influere, siue etiam in voluntatem, humanæ voluntatis libertatem euertunt, pro qua solùm tuenda hæc pugna cum illis suscipitur, & cõtradicũt manifestissimè ipsi D. Th. qui dictis in locis data opera animaduertit, tales occasiones electionum, quas præbent ipsa corpora cælestia, siue exteriores, siue interiores sint, non esse causas necessarias earumdem electionum: quia homo per rationẽ potest eis resistere, & non obedire: licèt pauci, & soli sapientes id faciant, qui naturales impetus frenant, nec se ab illis duci permittunt. Vi res enim sensitiuæ, in quas solas cælum directè agit, imperio rationis subduntur, & ab illa regi, & moderari possunt, & debent, vt Philosophus in 3. de Anima, & in primo Ethicorum docet. Si verò concedant, posse humanam voluntatem pro sua libertate non eligere illud, cuius eligendi cælum humores corporis excitando occasionem præbet, fateor probabilem esse illorum modum dicendi, nihilque in eo me deprehendere, contra quod sit hoc in loco pro arbitrij libertate contendendum.

Aristot.

Alterum, quod ex sic respondentibus percun- III. ctandum occurrit, est, an illi sentiant, corpora cælestia causas esse varietatis complexionum, & temperamentorum, quæ in singulis corporibus humanis cernuntur, vniuersales tamen, & indeterminatas potius ad hanc numero complexionem, quàm ad illam, ad hoc numero temperamentum, quàm ad illud causandum, determinabiles verò ad hanc numero complexionem, ad istud numero temperamentum humorum in hoc corpore causandũ, ex concursu causarum particularium, & singularium immediatarum huius, & illius corporis humani. An verò sentiant, etiam esse causas earundẽ particularium complexionum, & temperamentorum particulares ex seipsis ad tales particulares effectus causãdos determinatas, & inferiores causas particulares immediatas determinantes. Si primum faceantur, rectissimè dicent, & sentient, sicut & D. Th. & Arist. & periti quicũque Philosophorum, & Ptolomæus sentiunt, & fatentur. Verùm vtrùm ex inspectione astrorum, quæ causæ solùm vniuersales sunt, ac indeterminatæ, futuros euentus, & effectus determinatos, & in particulari illi valeant præcognoscere, viderint ipsi. Sin autem affirment, astra causas esse particulares determinatas & determinantes particularium temperamentorum, & complexionum & morum, & inclinationum cuiuslibet indiuidui, quod illi reuera, & contendunt, & constanter affirmant, quam ob causam singulis astrorũ singulas occultas vires tribuunt ad singulos effectus in rebus sublunaribus causandos, voluntariè omni-

no loquuntur contra communem conſenſum Philoſophorum, contra experientiam, & contra rationem. Et quidem voluntariè omnino nullaque ratione ſuadẽte illos occultas vires aſtris tribuere, occultóſque influxus præter illos, qui ſunt per motum, & lumen, ſatis ex eo conſtare poteſt, quòd huius illorum aſſertionis nullam adhuc vel probabilem coniecturã reddiderunt. Quod verò contra communem ſententiam Philoſophorum id aſſirment, facilè videbunt, qui vniuerſam Ariſtotelis Philoſophiam percurrent, qui corpora cæleſtia rerum ſublunarium cauſas vniuerſales tantùm eſſe, per concurſum cauſarum particularium determinabiles, ad particulares effectus producendos vbique profiterũr, & ſolo motu, ac lumine agere quidquid agunt in hæc inferiora, vt ſcitè inter recentiores Philoſophos probauit Franciſcus Picolomineus lib. de cælo c. 39. & 40. Eſſe verò contra manifeſtam experientiam hanc illorum aſſertionem, ex hoc conſtabit, quia ſi cœlum particularis cauſa eſt huius, aut illius particularis complexionis cuiuſcunque indiuidui, ſequitur, non melioris conditionis, ſiue complexionis, ac temperamenti futurum eſſe filium, qui ex patre, ac matre benè affectis viribus, ætatéque præſtantibus procreatur eo, qui ex parentibus tabe, ſenectutéque deficientibus eſt genitus, dummodo ſub eodem aſtro, in eadem parte cæli conſtituto, & eodem modo fœtum aſpiciente vterque in lucem edatur. quod quàm vanum, & riſu dignum ſit quotidiana experientia teſtatur. Videmus enim, omnes filios ex parentibus ſenibus, tabidis, & mala corporum valetudine laborantibus, obeſos naſci, debiles, infirmos; è contrario verò eos, qui ex parentibus ætate florida, viribus, & optima corporis valetudine præſtantibus naſcuntur, robuſtos eſſe, viribus firmos, & vitæ longioris ſub quibuſcunque ſiderum aſpectibus illi naſcantur: neque in ſolis hominibus, ſed in equis, canibus, aliiſque animantibus quibuſcunque id cernere licebit. Demum hanc illorum ſententiam eſſe contra manifeſtam rationem, ex eo probatur: quia etſi cõcederemus, optimas corporis complexiones, & temperamenta in cœlum vti cauſam particularem poſſe referri, tamen prauas affectiones, quæ ad prauos mores inclinant, & ad prauas electiones, in corpora cæleſtia vti cauſas particulares minimè poſſumus referre, vt c. præcedenti ratione, & autoritate Patrũ, & Philoſophorum probauimus.

IV. Verùm obſiſtunt hîc Planetarij. Sunt in rebus ſublunaribus effectus quidam admirabiles, quorum nulla cauſa poteſt aſſignari, niſi illam in corpora cæleſtia, & in occultam vim ſiderum referamus. exempli gratia, Magnes ferrum trahit, Remora paruę molis piſciculus ingẽtem ſiſtit nauem panſis velis excurrentem, Torpedo baculo tacta, ſtupefacit manum tangentis. Peonia caducis opitulatur, Amiantum igne nõ vritur; & alia ſunt in rerum natura magna, & admirabilia, quorum cauſas cùm in ſublunaribus minimè reperiamus, è cælo petere debemus. hoc præcipuum, & potiſſimum eſt fundamentum illorum, qui occultas vires aſtris tribuunt.

Sed reſpondetur, etiamſi horum effectuũ cauſas particulares ignoremus, non tamen illas in corpora cæleſtia, quæ vniuerſales tantùm ſunt cauſæ, non particulares, vt vel ipſe Ptolomæus Mathematicorum Princeps ait, à D. Th. citatus 3. cont. Gent. c. 85. in fine, nos referre debere. cùm enim opinionibus in re aliqua vti neceſſe eſt, illæ opiniones ſunt eligendæ, quæ minores habent difficultates, & ad quas minora ſequũtur abſurda; minus verò abſurdum eſt, ſi dicamus horum effectuum admirabilium cauſas proprias, ac peculiares, eſſe proprias illorũ naturas, ac vires, licèt nobis occultas, propriáſve differentias, id enim omnes Philoſophi teſtantur, cùm aiunt, vltimas rerũ ferè omnium differẽtias nos latere, quàm ſi ſpretis rerum differentiis propriis, & naturis, ad corpora cæleſtia, quæ cauſæ vniuerſales ſunt, eodem modo ad omnia ſublunaria ſe habentes, confugere velimus. Sũt igitur peculiares, propriæque horum, & ſimilium effectuum cauſæ propriæ cuiuſque rei differentiæ, quas quòd ignoramus, negare tamen nõ debemus, tales effectus producere, cùm ad quemlibet effectum particularem producendum præter cauſas vniuerſales, quales ſunt ſidera, ſua particularis, & proxima cauſa requiratur, vt Commentator ait lib. 7. Metaphyſ. com. 2.

Eodem modo ſatisfit iis, qui quærunt, vndẽnã proueniat talis, ac tanta complexionum, inclinationum, & morum varietas in hominibus. quibus facilè reſpondemus abſque eo, quòd ſidera fatigemus in tanta varietate cauſanda, poſſe nos in nobis ipſis proprias, & proximas illius cauſas reperire. illæ verò ſunt, prima ipſa ſeminum, ex quibus propagamur, affectio, ac diſpoſitio, quam cùm in dies in herbis, ſegetibus, & plantis experiamur veriſſimam, ac certiſſimam, negare non poſſumus, etiam in hominibus bonas, vel malas gignere corporum affectiones, ac complexiones. Secunda cauſa huius varietatis ſunt ea, quæ matri fœtum in vtero geſtanti accidũt, propter quæ nonnunquam læditur fœtus, & interimitur, antequam in lucem edatur: aut ſi viuus editur; paucos dies viuit. Tertia eſt nutritio, primæuaque infantis educatio, quam Philoſophi omnes naturales, morales, medici, Poëtæ, immò verò & Sancti Patres tanti ſemper fecerunt, vt dixerint, ex illa potiſſimum bonas, vel malas nati affectiones, corporis valetudinem, mores, ſtudia, ac vitæ diuturnitatem pendere: ſicut videri poteſt apud D. Hieronymũ in epiſtola ad Lætam. Ariſt. lib. 7. de hiſtor. Anim. c. 4. 10. & 12. Plato. lib. 6. de legibus, Plutarchum lib. de liberis educandis, Hippocratem lib. 4. de morbis, Galenum lib. 14. de vſu partium, Virgilium lib. 5. Æneidum, & elegantiſſimè D. Baſil. hom. 30. Quarta eſt bona vel mala conſuetudo, de qua per Ieremiam c. 13. Deus inquit, *Si mutare poteſt Æthiops pellem ſuam, & Pardus varietates pellis ſuæ: ita & vos poteritis bene facere, cùm didiceritis malum* & Sapiẽs Prouerb. 22. *Adoleſcens iuxta viam ſuam, etiam cùm ſenuerit, non recedet ab ea.* Aliæ quoque ſunt cauſæ huius varietatis, vt labor corporis, exercitatio, regimen vitæ, conditio perſonæ, ac bona fortunę. quis enim neget, vt in pluribus ſaltem, melioris eſſe temperamenti qui corpus laboribus moderatè exercent, quàm qui otio marceſcunt, & qui in victu moderamen adhibent, quàm qui ſenſibus, & voluptatibus habenas laxant; & alios eſſe mores nobilium, alios Principum, alios fabrorum, alios diuitum, alios pauperum? hæ ſunt cauſæ veræ, ac proximæ huius tantæ varietatis temperamentorum, ſeu complexionũ, affectionum, & morũ, quæ in hominibus cernitur; non occulta vis ſiderum, quam ſi neceſſe eſſet aut cauſam, aut effectũ huius varietatis, quam in hominibus videmus appellare, illa potius effectus dicenda eſſet quàm cauſa, vt lepidiſſimè ſimul, ac doctiſſimè D. Ambroſius lib. 4. exaëmeron c. 4. his verbis deducit:

V.

Hieron. Ariſtot. Plato. Plutarchus. Hipocrates. Virgil. Baſil. Ambroſ.

ducit: *Iam illud quàm ineptum, vt si quis signo arietis ortum se dicat ex vsu pecudis æstimetur præstantissimus consito, quod in grege huiusmodi emineat pecus: aut locupletior, eo quod vestium habeat aries naturalem, & quotannis lucrum capiat indumenti, eoque viro illi familiaria videantur quæstuum esse compendia. Similiter & de tauri, & piscium signis argumentantur, vt ex natura vilium animantium cæli motus, & signorum interpretandas existiment potestates. Cibus ergo noster vitiendi nobis decreta constituit, & alimenta nobis, i. aries, & taurus, & pisces morum imprimunt disciplinã? Quomodo igitur de cælo nobis causas rerum, & substantiam vitæ huius accersunt, cùm ipsis cælestibus signis causas motus sui ex qualitatibus esse vilis impertiat? Liberalem aiunt, signo ortum arietis, eo quòd lanã suam aries non inuitus deponat, & huiusmodi virtutem vilis animantis malim natura deputare quàm cælo; vnde & fœcunditas nobis fulget, & pluuia sæpe descendit,* & infrà: *Quid igitur autoritatem viuendi daturum te signorum cælestium dignitate prætendis, & de nugis quibusdam argumentum assertionis assumis? Nam si de animalibus assumpta huiusmodi morum proprietates cæli motibus imprimuntur, & ipsum videtur bestialis naturæ potestatis esse subiectum, ex qua causas vitalis substantiæ, quas hominibus impertiret, accepit.* ita D. Ambrosius illorum dementiam rectissimè cõuincit, qui arietem, taurum, pisces, causas affectionum, & proprietatum animalium hîc degentium cõstituunt, ex quorum tamen proprietatibus, & naturis illi pro suo arbitratu eadem animalia ex terrestribus ad cælestia priùs transtulerunt.

VI. Hanc rem argumentis à posteriori possumus in hunc modum confirmare. & primò quòd varietatis temperamentorum, seu complexionum, quæ reperiuntur in corporibus humanis, causæ proximæ, & particulares non sint occultæ, siue etiam patentes astrorum vires, sed in aliquas causas proximas sublunares ista varietas necessariò sit referenda, ex eo probamus, quoniam si eiusmodi varietatis sola vis siderum esset causa, quicũque sub eisdem astrorum constitutionibus aut nascerẽtur, aut conciperentur, eiusdem essent complexionis, ac temperamenti, ex quibuscunque parentibus illi nascerentur, siue iuuentute virentibus, siue senio confectis, siue sanis, siue ægris; & obesis, siue robustis, siue debilibus. Consequens verò tã est falsũ, vt qui illud admittat, potius sit ridendus, quàm ratione confutandus. Confirmari potest hęc ratio ex iis, quæ in seminũ proiectione & arborum plãtatione in dies experimur. Idẽ enim agricola eodem tempore sub eadem prorsùs cõstellatione in eodem solo, eodem iactu plura proiicit semina: ex his quædam germinant, crescunt, & vberem fructum reddunt; alia aut non germinant, aut citò moriuntur, quod natum est, aut fructum non reddit. Idem agricola eodem tempore in eodem solo, eadem proiectis duas plantat arbores; altera, quia vitalis est, radices statim figit, crescit & fructum affert; altera, quia semimortua, vix multo labore adhibito radices figit, nec fructum affert. quis huius varietatis causam, nisi detipiat prorsus, in vim astrorum, & non potius in ipsas seminum dispositiones referat? Tetigit eleganter istam rationem
Augustin. D. Augustinus lib. 2. de Genesi ad litteram cap. 17. ita scribens: *Cùm multa corpora diuersorum generũ, vel animantium, vel herbarum, aut arbustorum vno simul puncto temporis seminentur, vnóque puncto temporis innumerabiliter multiplicata nascantur; non tãtum diuersis, sed etiam eisdem terrarum locis tanta sunt varietates in progressibus, in actibus & passionibus eorum, vt verè isti, sicut dicitur, perdant sidera, si ista considerent. Quid autem insulsius, & hebetius, quàm cùm istis rebus connumerantur, dicere, ad solos homines sibi subiiciendos fatalem stellarum pertinere rationem?*

Dicent fortasse Iudiciarij, prouenire has varietates ex vitio materiæ, in qua cælestes influentiæ recipiuntur: verum qui sic dicunt, sibimet ipsis manifestè cõtradicunt. nam si ex varia dispositione agentium particularium, in quibus siderum influentiæ recipiuntur, variæ producuntur effectus, iam conuincuntur, sidera causas vniuersales esse, quæ ad particulares effectus, ex secundis causis proximis, & particularibus determinantur.

Secundò probatur, non prouenire varios hominum mores ex virtute siderum tanquam causarum particularium. sub eisdem nanque astrorum constitutionibus negari nequit, nasci homines alios nobiles, alios ignobiles, alios diuites, alios pauperes, alios ad sceptra, alios ad aratrum. Et tamen quis ambigat, alios esse mores Principis, alios rustici, alios nobilis, alios ignobilis, ac vilis, & plebeij? Adhuc quis neget sub eisdem constitutionibus siderum, sub quibus editi sunt Socrates, & Nero, alios quoque innumeros in orbe, & in eisdem regionibus natos, qui tamen moribus longè dissimiles fuerunt? VII.

Confirmari potest hæc ratio argumentatione illa ex Bardesane superiùs recitata: nam si hominum mores variãtur ex variis siderum aspectibus, & influentiis, quì fieri potest, vt omnes Christiani toto orbe consistentes sub quibuscunque siderum constitutionibus nascantur, eisdem legibus, eisdem moribus vtantur, ac viuant? & qui ante Baptismum varia, & tam diuersa inter se vitæ instituta tenebant, post Baptismum diuersam vitam agant, diuersos mores induant, & diuersissimam religionẽ colant? vt de Iudæis, Persis, Brachmanis, & aliis taceam, quos ille comminiscitur.

Tertiò probatur ex vi siderum non pendere varios vitæ successus, & euentus. Quis enim neget, sub eadem cõstitutione siderum, sub qua magnus Alexander, & Augustus nati sunt, alios infinitos homines in orbe natos, quorũ tamen nullus præter Alexandrum, & Augustum orbis Imperium obtinuit? similiter sub eadem constellatione, qua Cæsar nascitur, alios infinitos natos etiam intra Romanam Rempublicam, quorum nullus præter Cæsarem perpetuam dictaturam per vim occupauit? & è contrario, quis non videat omnes Regum primogenitos, sub quibusuis astrorum constitutionibus illi nascantur, ad Imperium natos, plurimis nihilominus fabrorum aut rusticorum filiis sub eisdem astrorum constitutionibus ortis, ad ferram, & malleum, ad ligonem, & aratrum natis? *Quis prudentium credat* (inquit Ambros. loco citato) *quòd signorum motus, qui ad diem sæpè mutantur, & multipliciter in se recurrunt; insignia deferant potestatum? Nam si ita esset, quanta ad diem regalium natiuitatum exprimerentur figura? Quotidie ergo Reges nascerentur, nec regalis in filios transmitteretur successio: sed semper ex diuerso statu qui ius imperialis æquirerent potestatis, orirentur. Quis igitur Regum genituram filij sui colligit, si ei debeatur Imperium, & non proprio successionem regni in suos transcribit arbitrio?*

Si autem dignitates, & imperia, ad quæ homines naturali quadam successione sunt destinati, non ex vi astrorum, sed aliis ex causis adipiscuntur, quanto minus ex vi astrorum pendent illæ dignitates, quæ ex libera multorũ hominum electione, voluntarióque illorum consensu obtinent, qualis est Imperialis dignitas, ac summus in Ecclesia Pontificatus Romanus? vt enim omittamus

mus Pontificiam dignitatem non ex vi aſtrorum, ſed ex ſpeciali Dei prouidentia, qua Eccleſiã ſuam gubernat, & ex ſpeciali Spiritus ſancti aſſiſtentia, qui Cardinalium animis inſpirat, vt hunc potius, quàm illum Pontificem renuntient, ex ipſiſmet Aſtrologorum principiis facillimum erit oſtẽdere, illam ex vi aſtrorum nullo modo pendere. Quod ſic declaratur. Eſt nunc in Eccleſia Dei ſummus Pontifex Chriſti Vicarius D.N. Gregorius XV. demus illum natũ Saturno in nona cæli regione exiſtente in ſigno Geminorum, qui Prophetas facit & magnos ſacerdotes, aut Ioue, aut Venere ſimiliter in nona cæli plaga cõſtitutis, aut ſub alia quauis conſtellatione ſummum Pontificatum illi denuntiante. quæretur an ille ex vi illius tantùm aſtrorum cõſtitutionis, ſub qua Gregorius XV. natus eſt, aut etiam conceptus, ſummum Pontificatũ ſit adeptus: an etiam ex vi cæleſtium conſtitutionum, ſub quibus nati ſunt, qui illum in Pontificẽ elegerunt? Primũ dici nõ poſſet; data enim quacunque quantumuis fortiſſima ſideũ conſtitutione, niſi etiam illorum cõcurriſſent vota, ad quos electio ſpectabat, nunquam ad talem, ac tantã dignitatem fuiſſet euectus. Vnde etiã apparet in electione hominum poſitum fuiſſe vanam & inutilẽ cæleſtem illam influentiam, quæ ſummum Pontificorum illi portendebat. Si autem ex vi aliarum conſtitutionum, ſub quibus ſinguli eligentiũ ſunt nati. Ergo nulla eſt certa aſtrorum cõſtitutio, quæ Gregorio XV. Põtificatum denunciare poterit: neque ex inſpectione ſolius cõſtitutionis, ſub qua ille natus eſt, potuit Aſtrologus Pontificatum illi portendere, niſi etiam inſpectis genituris, & conſtitutionibus, ſub quibus nati ſunt ſinguli eligentes. Ergo ſumma eſt hominum demẽtia, aſſerere, ex vi aſtrorum pendere pontificiam dignitatem. Quæ res adhuc magis explicatur. Contendunt Aſtrologi eiuſdem electionis eaſdẽ eſſe cauſas in corpore cæleſti, diuerſarum autem electionum diuerſas eſſe cauſas. Cùm Gregorius XV. ſummo omnium Cardinalium conſenſu eſt Pontifex renuntiatus, omnes in eãdem electionem conuenerunt. Nihilominus quis dicat illos omnes ſub eiſdem aſtrorum conſtitutionibus natos?

Dicent Aſtrologi, licèt non fuerit eadem cõſtitutio aſtrorum, ſub qua omnes nati ſunt: fuit tamẽ eadem conſtitutio, ſub qua ad eligendum conuenerunt. At ego dico, etiã omnes homines, qui tũc Romæ degebant, ſub eadem cõſtitutione reperiebantur, & tamẽ nullus præter illos elegit. Deinde ſi attendenda eſt cõſtitutio, ſub qua quis actu elegit; non autem ea, ſub qua quis naſcitur, iam vanitatis manifeſtæ conuincuntur, qui ſtellas natalitias obſeruant, vt de futuris nati euentibus prænuntient. Demum aſtra natalitia certo, ac definito tempore ſuos effectus circa natum ponunt. demus quo tẽpore aſtra natalitia ſummum Pontificatum Gregorio XV. portendebant, ſupernixiſſe alium Pontificem, quid tunc profuiſſent illi aſtra natalitia ad Pontificatum obtinendum? Aut igitur dicendum eſt Gregorium XV. ſub ea aſtrorum cõſtitutione natum fuiſſe, quæ non ſolùm illum ad Põtificatum promoueret, ſed quæ Paulo V. interitum afferret, & omnes Cardinales ad votum in perſonam Gregorij XV. conferendum inclinaret; aut ridenda, reiicienda, & prorſus refutanda eſt ſententia, quæ docet Pontificiam dignitatem ex vi conſtitutionis aſtrorum pendere.

VIII. Quinto probatur ex conſtitutione ſiderum minime pendere, qua quiſque viuat religione, aut etiam ipſas Religiones. Ad quod probandum optima eſt argumentatio illa Bardeſanis contra Chaldæos ſuperiùs narrata; quia omnes Chriſtiani toto orbe diffuſi eadem religione viuunt, quos certum eſt non eſſe omnes ſub eiſdem aſtrorum conſtitutionibus natos. è contrario etiam multos videmus in eiſdem regionibus ſub eiſdem aſtrorum cõſtitutionibus natos diuerſis legibus, & Religionibus viuere. quis enim credat ſub eiſdem conſtitutionibus, in quibus in Aſia, Africa, & America, & in Europa naſcuntur, qui Baptiſmũ ſuſcipiunt, nullum naſci Turcam, aut Iudæum, aut Paganum?

Sed ipſis etiam Religiones, quas Iudiciarij ſectas, & leges appellant, ex aſtris non pendere facilè monſtramus. Nam vel ſunt leges veræ, & bonæ, vel fictæ, & malæ. ſi de falſis, & malis agitur, illæ è cælo petendæ non ſunt, quod ad falſitatem & prauitatem minimè poteſt inclinare, vt ſuprà oſtendimus. ſi de veris, & rectis, certum etiam eſt, illas ex aſtris non pendere. Primò, quia nondum cõſtat apud Aſtrologos, quæ ſint ſidera, ex quibus Religiones oriuntur, & variãtur, aliis illarum ortus ad ſidera vtribus dominantia referentibus, aliis ad magnas coniunctiones, quas pro libito ſibi confingunt. Secundò, quia Aſtrologi ſex tantùm leges affirmant è cælo pendere, iuxta quod planetæ ſex modis tãtùm coniungi poſſunt, cùm tamen conſter, infinitas fuiſſe Paganorum idola colentiũ ſectas, & leges. Tertiò, quia vel conſtitutiones, ex quibus leges naſcuntur, ſunt vniuerſales toti orbi, vel particulares huic, aut illi regioni influẽtes. Si vniuerſales, cur nõ omnes homines in toto orbe fuerunt Iudæi, & nunc ſunt Chriſtiani? ſi particulares, cur in toto orbe ſunt Iudæi, Chriſtiani, Turcæ, Pagani? Quartò, cùm Profeſſores Aſtrologicæ vanitatis fateãtur, aſtra ſtatutis tẽporibus agere, ac variatis magnis coniunctionibus immutari leges, & ſectas, cur lex Hebræorum enolutis tot ſæculis adhuc ſeruatur? cur adueniente legẽ Chriſtianorum non eſt extincta? cur variatis tot magnis cõiunctionibus durat lex Chriſtianorum cum lege Hebræorum, & Turcarum? O ſummam hominum vanitatem non verbis, ſed verberibus caſtigandam.

IX. Tandem probatur, ex conſtitutione aſtrorum non pendere exitum humanæ vitæ. Quot enim ſunt mortalium ſub diuerſis aſtris in diuerſis orbis Regionibus nati eundem vitæ exitum habentes? An non omnes Romani qui ad Cannas, aut in campis Pharſallicis ceciderunt, eundem vitæ exitum habuerunt, licèt diuerſæ eſſent ætatis, & morum, & nationum? An exiſtentibus ſexcentis diuerſæ ætatis in eadem naui, ſi ipſa nauis ventorum vi acta ſubmergatur, nõ omnes eundem exitũ vitæ habebunt? *Quam multi homines* (aiebat apud Aulum Gelliũ lib. 14. c. 1. Academicus ille Phauorinus qui multis ſubtiliſſimis argumentationibus aſtrologicam vanitatẽ confutauit) *vtriuſque ſexus, omnium ætatum diuerſis ſtellarum motibus in vitã editi, regionibus, ſub quibus geniti ſunt, longè diſtantibus, omnes tamẽ iſti, aut hiantibus terris, aut labẽtibus tẽctis, aut oppidorum expugnationibus, aut eadem in naui fluctu obruti, eodémque genere mortis, eodémque ictu temporis interierunt? & è contrario, quot mortalium ſub eiſdem calorum conſtitutionibus natos, quot gemellos ex eodem ventre eodem temporis momento fuſos diſſar vita exitus obtinuit?* Eſt peruium, & vulgatum exemplum duorum geminorum, quo & Auguſtinus vtitur lib. 5. de Ciuit. cap. 3. & Cicero lib. 2. de diuinatione; Proclus, & Euriſthenes Lacedæmoniorũ Reges, & fratres fuerunt, & gemelli eodem partu, nati: & tamen non eadem fuit vtriuſque gloria,

nec

Aul. Gell.

nec idem vitæ exitus, ſed longè diuerſus. Iacob, & Eſau fratres fuerunt ex eodem concubitu concepti, & eodem tempore in lucem editi; & tamen ingenia, mores, ſtudia, vitæ ſucceſſus, & exitus diſſimilia prorſus habuerunt.

Neque enim ad vim huius argumenti declinãdam ſufficere poteſt reſponſio illa Nigidij Aſtrologi apud Auguſtinum loco citato dicentis, paruam illam moram intercedentem inter vtriuſque geminorum ortum, ob ſummã permicitatem motus cæleſtium ſphæratum, maximã in aſpectibus cæleſtium luminum efficere variationem, quod exemplo rotæ figuli per ſummam vim mobilitatiſſimè contortæ declarabat, quæ bis celerrimè in eodem loco atramento ſignata, ceſſante motu deprehenſa eſt, in locis non paruo interuallo diſtantibus ſignata. Hæc enim reſponſio in tantum abeſt, vt argumentum ſoluat, vt potius omnem rem iudiciariam falſitatis, aut incertitudinis euidenter conuincat. Si enim tanta eſt cæleſtium corporum pernicitas; & ſi tam breuis temporis morula ſufficit ad variandam conſtellationem, ſub qua quiſque hominum naſcitur, vt tam varios natorum mores, ingenia, ſucceſſus, & vitæ exitus portẽdat, nullus quantumuis perſpicacissimus Mathematicus, poterit tempus genituræ alicuius hominis cõprehendere. Vanæ igitur, incertiſſimæ, & inconſtantiſſimæ ſunt Aſtrologorũ prædictiones, quæ fundamento tam debili, ac incerto nituntur. Deinde,

DGregor. vt D. Gregorius argumentatur homil. 10. in Euangelia, nullus hominum erit ſub cadẽ conſtellatione ortus, cùm non totus ſimul exeat in eodem tẽporis momẽto, ſed partibiliter, & ſucceſſiuè emittat primum caput, exinde brachia, & humeros, & poſtremò pedes. Accedit quòd quamuis gemelli non eodem temporis momento fundantur, concipiuntur tamen eodem tempore, ac momento; at conceptui pluſquam natiuitati eſſe tribuendum

Ptolomæus. fatetur Ptolomæus lib. 3. Apoteleſmatum. cuius verba etiam Mirandulanus lib. 7. cap. 3. adnotauit.

Per hæc ſatis ſufficienter (ni fallor) ſublatum eſt primum Mathematicorum fundamentum cõtra humani arbitrij libertatem, quod erat humanas voluntates ſiderum vi agi, & moueri, & ex aſtrij hominum complexiones, ingenia, mores, vitæ ſucceſſus pendere. Nunc ſecundum fundamentum euertendum eſt, quo quaſi à poſteriori eandem arbitrij libertatem ex prædictionibus de futuris contingentibus oppugnant.

CAPVT VII.

Non poſſe Mathematicos futuros humanæ vitæ euentus, maximè, qui ex libera hominis voluntate pendent, certò præuidere, ac prænuntiare.

I. ALterum fundamentum, cui Mathematici nituntur ad humani arbitrij libertatem euertendam, eſt futurorum euentuum, præcipuè qui ex ipſa hominis voluntate pendent, certa notitia & prænuntiatio. Cùm enim apud omnes ſapientes pro comperto habeatur, de futuris, quorum non eſt determinata veritas, non poſſe vllam certam notitiam haberi, ſi è cõtrario ex aſtrorum inſpectione poteſt Mathematicus certò prænoſſe futuros humanæ vitæ euentus, qui ex hominum voluntate, vt proxima cauſa pendent, neceſſe erit, eoſdem euentus in eiſdem cauſis, & ex illis certã, determinatam, & ſtabilem obtinere veritatem. Si autem illi ex aſtris habent certam ac infallibilem veritatem, iam nulla relinquitur in homine libertas, qua efficere poſſit, tales effectus non euenire, ſed omnia fatali, & ineuitabili neceſſitate nobis ſuccedent. Euertendum itaque nobis eſt hoc illorum fundamentum, probãdumque, non poſſe Mathematicos ex ſiderum inſpectione de futuris cõtingentibus, quæ ex libera hominis voluntate pẽdent, aliquid certò præuidere: id verò probabitur primùm rationibus communibus, deinde rationibus propriis ſumptis ex viribus, & natura corporis cæleſtis.

Rationibus igitur cõmunibus probatur ex eo, quia futura cõtingentia neque ab homine, neque ab Angelo, ſed à ſolo Deo poſſunt cognoſci. quod colligitur manifeſtiſſimè ex diuina Scriptura, primò, quia Deuteronomij 13. Deus nos monet, ne credamus iis, qui de futuris contingentibus profitentur ſe diuinare, etiamſi id quod prædixerunt certò & infallibiliter eueniat. *Si ſurrexerit* (inquit) *in medio tui Propheta, aut qui ſomnium vidiſſe ſe dicat, & prædixerit ſignum, atque portẽtum, & euenerit, quod locutus eſt, non audies verba Prophetæ illius, aut ſomniatoris*, quo teſtimonio vtitur D. Auguſtinus ad Auguſt. hanc veritatem probandã lib. 2. de Doctrina Chriſtiana cap. 23. Salomon quoque in Prouerb. c. 27. eos carpit, qui gloriantur ſe futura prænuntiare. *Ne gloriẽris in craſtinum, ignorans, quid ſuperuentura pariat dies.* quæ verba perperam Aſtrologo dicerentur, qui ex ſiderum aſpectu ſcire poſſet, quid ſuperuentura pariat dies. adhuc clariùs in lib. Eccleſiaſtæ cap. 8. *Omni*, inquit, *negocio tempus eſt, & opportunitas; & multa hominis afflictio, quia ignorat præterita, & futura nullo ſcire poteſt nuncio.* & cap. 10. *Ignorat homo quid ante ſe fuerit: & quid poſt ſe futurum ſit, quis ei poterit indicare?*

Secũdò, quia Deus ſub grauiſſimis pœnis prohibet, ne ad hariolos, ſeu diuinos accedamus, ad interrogandum de futuris euentibus. Deuter. 18. Leuitici 19. Ierem. 27. & aliis in locis c. 2. citatis.

Tertiò, quia Scriptura ſoli Deo tribuit notitiã II. futurorum contingentium tanquam notam diuinitatis. Sapient. 8. *Scit præterita, & de futuris æſtimat. ſigna & monſtra ſcit, antequam fiant, & euentus temporum, & ſæculorum.* Iaiæ 41. *Annunciate, quæ ventura ſunt in futurum: & ſcimus quia Dij eſtis vos.* & cap. 45. *Ventura interrogate me.* & cap. 48. *Prædixi tibi ex tunc, antequam venirent indicaui tibi; ne forte diceres: Idola mea fecerunt hæc,* &c. & Dan. 2. *Sed eſt Deus in cælo reuelans myſteria, qui indicauit tibi Rex Nabuchodonoſor, quæ ventura ſunt in nouiſſimis temporibus.* quinimo Saluator ipſe comprobat ſuã diuinitatem ex prædictione futurorum. Ioan. 14. *Dixi vobis priuſquã fiat, vt cùm factum fuerit credatis.*

Quartò, quia Scripturæ indicant veritatem Euangelij ex prædictionibus Propheticis. & Chriſtus ad ſcrutinia diuinarum Scripturarum mittebat, dicens: *Scrutamini Scripturas, quia illæ teſtimonium perhibent de me.*

Quintò, quia repugnat intrinſecè naturæ effectus contingentes, qua contingens, & futurum eſt, certò, & infallibiliter cognoſci in ſua cauſa, quandiu habet eſſe in ipſa cauſa. Quamobrem dato, & non conceſſo, quòd euentus humanæ vitæ contingentes ex aſtrorum conſtitutionibus penderent, aut illi contingentes non eſſent; aut ex ſola aſtrorum contemplatione minimè ſciri poſſent, antequam ſint actu in rerum natura. Vnde rectiſſimè inferunt ſancti Patres eos, qui profitentur, ſe ex aſpectu aſtrorũ poſſe certò noſſe euentus contingentes, qui ex humana voluntate ſunt futuri, antequam fiant, & ſint in rerum na-

tura; licèt arbitrij libertatem verbis concedant, tamen reipsa, & in sensu negare.

III. Rationibus etiam propriis ex natura, viribus, & causalitate astrorum probatur non posse Mathematicos nosse futura contingentia, quæ pendent ex libera hominis voluntate. Primò, quia Astrologus non posset ex notitia astrorum accipere notitiã liberorum actuum humanorum, nisi sicut ex notitia causæ accipitur notitia effectus, vel è cõtra; at neque actus liberi humanæ voluntatis sunt effectus astrorum, neque illorum causæ. nulla igitur ratione potest Astrologus ex inspectione astrorum liberos humanæ vitæ euentus præcognoscere saltem notitia certa, & infallibili, de qua est sermo.

Secundò, qui ex notitia alicuius causæ profitetur effectum certò, & infallibiliter nosse, necesse est, vt ipsius causæ naturam, vires, & operationes optimè habeat perspectas, ignorata enim causa, necesse est effectum quoque ignorari: at Mathematici omnia ferè ignorant, quæ necesse foret illos præscire, ad hoc, vt ex astrorum inspectione, & obseruatione possent de futuris contingentibus humanæ vitæ aliquid prænuntiare. nulla ergo fides eorum prædictionibus est adhibenda. Probatur minor, nam primò certissimum est, illos corporis cælestis naturam prorsus ignorare, an sit quinta essentia ab elementis distincta, an corpus simplex, an compositum, animatum, an inanimatũ, fluidum, an solidum, cùm illi naturalis Philo-
Mirand. sophiæ admodum sint ignari, vt satis probat Mirandula. l. b. 1. contra eosdem Astrologos; & nihilominus peritissimi etiam Philosophi, inter quos
Aristot. Aristoteles lib. 2. de cælo text. 17. 36. 60. 61. fatentur, se de cæli natura, eiúsque proprietatibus differentes non demonstratiuis, sed probabilibus tãtùm sermonibus vti. Et vt testimonia Philosophorum prætermittamus, id manifestè docet Sapiens in lib. Sap. cap. 3. cùm ait, *Difficile æstimamus, quæ in terra sunt, & qua in prospectu sunt inuenimus cum labore. Quæ autem in cælis sunt, quis inuestigabit?* Secundò certum est, illos numerum omnium stellarũ ignorare, id enim docet diuina Scriptura apud Iob cap. 38. *Nunquid nosti ordinem cæli.* pro quo Philippus interpretatur. *Nunquid nosti numerum astrorum, & militia eorum ordinem.* licèt Septuaginta legant; *nunquid nosti commutationes, & conuersiones cæli.* quod non minus, immo magis facit ad id, quod contra Astrologos intendimus, probandum, & in Psal. 146. vbi tanquam prærogatiua diuinitatis Deo tribuitur numerare multitudinem stellarum, & singulas propriis nominibus vocare, i. singularum proprietates, & vires nosse; scire nanque propria nomina rebus imponere, & scire earundem rerum naturas, vnum & idem sunt, teste
Aristot. Philosophio lib. 8. Metaphys. text. 8. Neque verò vllus Astrologorũ ausus est dicere, se omnes stellas cæli numeralse, aut numerare potuisse. nã præter quod ex stellis, quæ cernuntur, multæ sunt, quæ non ita clarè cernuntur, vt distinctè cognosci valeant, sicut contingit in stellis, quæ sunt in via lactea, quid prohibet esse in cælo aliquas, im-
Plinius. mò plures stellas necdum nobis cognitas. Plinius lib. 2. cap. 26. autor est, Hipparchum stellam ante sua tempora inuisam, quasi nuper genitam deprehendisse. Superioribus etiã annis, duæ nouæ stellæ in cælo visæ sunt, quarum alterã ego quoque sæpius vidi cùm Parisij Theologicam facultatem in nostro Collegio D. Ioannis in Viridario profiterer. Et vt demus illas non fuisse veras stellas supra regionem aëris, aut ignis in sphæris cælestibus locatas, quod ego, vt rem exploratissimã semper habui, & rei euentus veritatem probauit; nulla ratio cogit nos dicere, omnes stellas octauæ sphæræ Astrologis notas esse; quæ cùm singulæ suis sint præditæ facultatibus, sintque saltẽ illæ, quæ fixæ sunt in octaua sphæra, omnes tota terra longè maiores, necesse omnino esset, Astrologos illarum quoque vires perspectas habere, qui vellent certò aliquid de futuris euentibus nosse. Tertiò certum est, numerum cælestium sphærarum Astrologis nondum compertum esse, aliis tres tãtùm affirmãtibus, aliis octo, aliis nouem, aliis decẽ. Omitto dissidia de eccẽtricis & epicyclis, aliis contendentibus, omnes sphæras esse omocentricas, & per omocentricos æquè saluari omnes apparentias, sicut per eccentricos, de quorum numero est Auerroës, quem multi Philosophi Pe- Auerr.
ripatetici sequuntur, & nouissimè Hieronymus Fracastorius Veronensis in lib. de Omocentricis: Fracastor.
aliis contrà sentientibus, non sufficere, si ponamus omnes sphæras omocentricas, ad apparentias saluandas. Omitto, nondum constare de numero sphærarum eccentricarum æquantium, deferentium, ex quibus quilibet Orbis integratur. Quartò certum est, Astrologos tantorum annorum obseruationibus nondum motus planetarum sufficienter deprehendisse, sicut maxima illa inter Astrologos pugna de anni solaris mensura indicat, de annorum æqualitate, & inæqualitate, quæ apud Mirandulanum lib. 9. cap. 9. potest Mirand.
videri. Quòd si motus ipsius Solis, qui omnium notissimus est, tantorum annorũ obseruationibus necdum satis est Astrologis compertus, quid de aliis credemus, maximè de motu Martis, quẽ Ioã Ioã de Mõte Regio.
nes de Monte Regio conqueritur Astrologis esse te Regio.
ignotum? Et tamen inter omnia scitu necessaria ad veras prædictiones, necessariissima est exacta notitia motuum planetarum. Quintò, non cõstat alias inesse vires agendi ipsis astris præter motũ, & lumen: occultæ verò illæ influentiæ, quas Astrologi astris tribuunt, & voluntariè sunt confictæ, & contra veritatẽ. Si enim occultæ vires sunt, vnde igitur norũt, illas corporibus cælestibus inesse? bellũ sanè figmentum. si enim sic liceat philosophari de rerũ viribus, & proprietatibus, quid prohibebit, nos quamlibet virtutem in qualibet re confingere, licèt nec sensu, nec ratione illa deprehendatur? præter quod cùm Astrologi constituant in astris vires non solum rebus sublunaribus beneficas, & salutares, sed etiam maleficas, tabificas, & pernicioſas, magnam iniuriam faciunt nobilissimis illis corporibus, vel potiùs Deo, qui illorum est creator. Accedit quòd fingunt Astrologi, inesse astris vires ad infrigidandum, quod experientia falsum esse deprehenditur, si nanque aliquod astrorum frigus per se posset causare, id maximè efficeret luna ex eorundem Astrologorũ consensu: verùm lunam caloris tantùm, & non et-
iam frigoris causam esse probat Aristoteles lib. 4. Aristot.
de partibus animalium cap. 5. quia noctes plenilunij calidiores sunt noctibus nouilunij. Et demum si illæ vires sunt occultæ, Astrologi eas satis perspectas habere non possunt, vt quid igitur nos ad suas tripodas vocant, vt oracula, quæ ex viribus astrorum à se perspectis fundunt, suscipiamus? Sextò, certum est figuras illas Zodiaci IV.
& alias, quas Astrologi fingunt in corpore cælesti, gratis & sine fundamento fuisse ab ipsismet excogitatas, præter quas posset quilibet fingere alias similes, vel dissimiles figuras hominum, equorum, taurorum, canum, turrium,

domo

domorum, nauium, balistarum, sclopetorum. Quis enim prohibere nos posset? An non eò vsque cunctorum cogitationes Astrologorum, vt præter octo illas, & quadraginta cælestes imagines ad exemplaria quorumdam hominum, & animalium, & aliarum rerum sublunarium depictas, tum in Zodiaco, tum extra ipsum Zodiacum, alias adhuc imagines inuisibiles illi cóhinxerint, Maomerias ab ipsis appellatas. diuidunt enim vnumquodque signum Zodiaci in partes triginta, singulis decem portionibus singulos decanos præficientes, in quolibet verò gradu cuiuslibet decani, in quo tamen nulla deprehenditur stella, vnam aliquam figuram constituunt. v.g. in primo decano Arietis, & in primo illius gradu singunt hominem dextera falcem, sinistra balistam tenentem. In secundo virum capite canino, & sic per alios gradus alias imagines distribuunt; vt non satis possimus demirari, aut illorum hoc entium in quodlibet confingendo, & ementiendo; aut aliorum dementiam, ac stoliditatem in adhibenda illis fide. Septimò, etiamsi donaremus Astrologis, illos omnes vnes singulorum astrorum exploratas habere, non sufficeret tamen ista notitia ad hoc, vt rerum euentus prædicere possent, nisi etiam nossent astrorum concursus adinuicem, accessus varios, ac recessus, ex quibus variantur influentiæ in hæc sublunaria ex cælestibus corporibus demissæ, quod nullus pertus Astrologus negabit. Verùm, vt Origenes, Eusebio referente, lib. 6. Præparatio. in fine argumentabatur. *Quæ commistione, compositione, & temperie diuersorum aspectuum fieri asserunt, profectò concedent nullo modo fieri posse. Quomodo enim quantum minuatur de læsione maligni aspectus propter aspectum benigni sideris percipies? & vtrum auferat maligno, quod à benigno conceditur, quoniam locum eius asperserit, aut mutet, aut mistura quadam inde fiat, quis percipiet? quæ omnia si quis altius inspiciat, facilè credet non posse ista humano ingenio penitus percipi. Vnde si quis harum rerum periculum fecerit, videbit in pluribus errare, quàm veritatem consequi. Genethliaco.* Octauò, admitto, quod possint Astrologi omnes concursus astrorum, & commistiones, ac temperies, quæ singulis horis, singulisve momentis fiunt, nosse, quod nunquam fecerunt, nec facient, illud tamen eos dicere oportet, eandem astrorum constitutionem, quæ semel fuit, aut nunquam amplius redire, aut non nisi post multa annorum millia, cùm & Plato, & Astrologi fateantur, octauam sphæram non nisi spacio 36000 annorum vnum integrum circulum absoluere. quid igitur illos iuuant diligentissimæ illæ obseruationes cælestium constitutionum, amplius nunquam fortasse redituràrum? Nonò, inter omnia scitu ad veras prædictiones faciendas necessaria fatentur Astrologi, summè necessarium esse horam natiuitatis, imò, & si fieri potest, momenta, & puncta diligentissimè obseruare. nam ob p[illegible]tatem cælestis motus parua temporis mo[illegible] ad astrorum aspectus, sub quibus homo nascitur, immutandos. Verùm hanc horam, [illegible] puncta Astrologi nunquam sufficienter possunt deprehendere, & illam potius diuinare, quàm certò nosse valebunt, sicut D. Basil. homil. 6. in ex. c. necnon his verbis elegantet monstrat, dicens: *Postea igitur exitu eorum, qui in lucem eduntur, videamus, obseruo, si hanc exactissimam temporis diuisionem autores bi sibi valeant conseruare. Nam simul atque editus puso est, mas, an fœmella sit, obstetrix explorat. Tum vagitum expectat infantis, primum indicium vitæ eius, qui natus recèns est. Quot hoc tempore vis sexagesima præterisse minuta? Dicit obstetrix deinde Chaldæo partem, qui editus est, quot minutissima momenta à vagitu ad obstetricis loquitur, prætercurrisse? præsertim si forte fortuna fuerit non in conclaui mulierum (balneum ille præsens sed in aditum atrio, aut vestibulo, tempus horamque reponens, &c. Cùm enim, qui definitum est diligenter tempus ac horam, exploratoria nimirum horarum percipere oporteat instrumenta, siue diurna sint, siue nocturna, quot minutorum hoc quoque tempore quæso præteruolat præteritque examen? Comperto enim esse stellam, qua tempus, horaque sit exploranda, non solum quanta in parte sit duodecima: sed etiam quam iuxta duodecima portionem partis, in quoto minuto sexagesima eorum, in quæ subdiuisa sint singula sexagesima illa prima necesse est? Atque hanc tamen adeò tenuem, subtilémque temporis inuentionem quamquam attingere nequeunt, singulis in stellis errantibus faciendam esse necessario dicunt: vt qualem cælo ad fixas stellas ipsæ dispositionem, habitudinémque haberent, qualisque ipsarum esset inter sese figura, cùm in lucem ederetur fœtus, compertum sit tandem, ac exploratum.* Decimò, si attendenda est hora natiuitatis, multo magis foret attendenda hora conceptionis, vt Ptolomæus Astrologorum Princeps ait in 3. lib. Apote[illegible]tum, vbi dicit Astrologos ideirco horam natiuitatis solitos obseruare, quia horam principis seminalis ignorant: horam verò conceptionis nullus Astronomus quantumcumque peritus scire potest. Vndecimò fatentur graues Philosophi, ac etiam Theologi, non manere eandem numero materiam in homine iuuene, & sene, sed temporis successu illam posse in totum immutari, vt videri potest apud Commentatores Aristotelis in primo de Generatione, & corruptione capite 5. & D. Thom. 1. part. quæst. vltima art. 1. superfluè igitur obseruant Astrologi influxus stellarum in hora natiuitatis; nam materia, in qua illi sunt recepti, tempore senectutis amplius non est. vnde nec illi influxus amplius permanere possent: consultúsque ageret (si influxus cælestes essent obseruandi) illos obseruare sub quibus successu temporis quilibet constituitur, aut constituendus est, sicut faciunt periti medici in vena secanda, aut medicina infirmo adhibenda, natalitios fluxus prætermittentes, qui nihil obsunt, nihil prosunt. Duodecimò, quæ circa horas natiuitatis hominum Astrologi obseruant, quæque de vi stellarum natalitiarum illi commentantur, fabulosa, & confecta esse, ex hoc conici potest, quoniam non solùm hominum, sed vrbium, & laterum natalitias stellas confingunt; & vrbium non secus, atque hominum genituras obseruant, ex quibus quæ ipsarum incolis, ac ciuibus euentura sint, prædicere se profitentur. O licentiosam nimis dicacitatem, quasi constet quo die, quo mense, quo anno quælibet non dicam ciuitas, sed castrum vel pagus sint extructa, quasi vno ritu tota ac integra ciuitas ex matris vtero fundatur: quasi aliud sit ciuitas, quàm domus iuxta domum structura: quasi non contingat vno anno vnam domum, alteram altero in eadem ciuitate fuisse extructam, vt si propter astrorum constitutionem, sub qua prior domus est ædificata, potest infortunium aliquod ciuitati imminere, illud idem infortunium ex alia contraria constitutione, sub qua aliæ domus extructæ fuerunt, non possit aut tolli, aut impedini: quasi si quis in domo sub malignis astris extructa degens, dubitet malum sibi imminere, non possit ad aliam declinando malum vitare: quasi idem sit influxus in homines & saxa, & de saxis ad homines, & ex hominibus

Origenes.

Ptolomæus.

D. Thom.

Basilius.

hominibus ad lateres excurrens; certè ineptissima sunt commenta, & indigna, in quibus refutandis plus temporis malè perdamus.

VII. Possemus hanc Astrologorum vanitatem, qui futura contingentia se scire profitentur, ex duplici etiam capite convincere, nimirum ex falsitate prædictionum. esto enim aliquando verum prædixerint, non arte, sed casu, sicut est in prouerbio, *per totam diem iaculans semel collimat*: tamen maximam partem Astrologicarum prædictionum euidentissima mendacia extitisse, omnibus seculis rei euentus comprobauit. & plurimi Astrologorum nugas contemnentes, felices successus rerum suarum habuerunt. & è contra multi huic vanitati addicti, quibus Astrologi cœlos propitios promittebant, miserrimè interierunt. Immo nec ipsimet Astrologi suis obseruationibus sibiipsis satis cauere aut potuerunt, aut scituerunt, vt multis allatis exemplis ostendunt Cicero libro secundo de diuinationibus. Aulus Gellius lib. 14. capite primo ex suo Phauorino. D. Ambrosius lib. 4. Exaëmeron cap. 7. Mirandulanus lib. 2. cap. 2. & 9. lib. 5. cap. 1. quæst. 11. 16. & 17. & nouissimè singularis vir eruditionis Alexander de Angelis in volumine quinque librorum contra Astrologos per multa capita, & ex dissidiis, ac manifestissimis contradictionibus eorundem Astrologorum ferè circa omnia huius artis theoremata, quæ sola sufficere potest ad omnem fidem iudiciariis abrogandam. Porrò omnia hoc capite à nobis narrata verissima esse, qui sunt in arte versati, facilè intelligent: ac testabuntur, nos nihil ex nobis cõfinxisse ad inuidiam, nihil Astrologis imposuisse; illos verò, qui huius artis sunt ignari, non vacat, nec nostri est instituti, illius rudimenta hîc eos docere; quod admonuerim, ne dicat aliquis, in hac nostra argumentatione nos multa contra iudiciarios supponere probanda, & petitionem principij committere.

Cicero. Aulus Gellius. Ambros. Mirand. Alexander de Angelis.

CAPVT VIII.

Occultas cordium cogitationes, & miracula, quæ sola Dei virtute supra naturæ vires, & ordinem fiunt, ex inspectione astrorum non posse præuideri.

I. NOn satis fuit Iudiciariis, iactare, se futura contingentia, quæ ex libera hominis voluntate pendent, diuinare: nisi promitterent etiam occultas cordium cogitationes, quin & ipsa diuina miracula, quæ sola Dei virtute supra omnem cursum, & omnes naturæ vires eueniunt, posse certò prænuntiare, qualia fuerunt vniuersale Diluuium, transitus Populi Hebræi sub Moyse per Mare Rubrum, Filij Dei in carne Aduentus, voluntaria illius pro salute mundi in carne oblatio, & finalis ad Iudicium aduentus; quæ esse dogmata non solùm falsa, sed impia, & contra fidem catholicam, est nunc breuiter à nobis monstrandum. Primò igitur non posse Astrologos ex inspectione Astrorum, occultas cogitationes humani cordis, sed neque Dæmones, nec bonos Angelos scrutari, ostenditur ex diuina Scriptura, quæ solius Dei hoc proprium esse aperte fatetur lib. 2. Paralipomenon cap. 6. dicens: *Tu solus nosti corda omnium filiorum hominum.* & Ieremiæ capite 17. *Prauum est cor hominis, & inscrutabile, quis cognoscet illud? Ego Dominus.* Secundò, diuina Scriptura tribuit Deo tanquam epitheton, & notam diuinitatis quòd sit scrutator cordium. Iob cap. 16. *Ecce testis meus, & conscius meus in excelsis.* in Psal. 7. *Scrutans corda, & renes Deus.* & Psalm. 43. *Ipse enim nouit abscondita cordis.* ad Rom. 8. *Deus autem qui scrutatur cor.*

Tertiò, Patres ex eo probant Christi diuinitatem, quia ille occultas cordium cogitationes penetraret. Matthæi cap. 9 *Videns autem Iesus cogitationes illorum.* Lucæ cap. 5. *Videns Iesus fidem illorum.* Ioan. 2. *Non erat ei opus, vt quis testimonium perhiberet de homine; ipse enim sciebat, quid esset in homine.* Ex quibus & aliis similibus testimoniis Patres duo colligunt, alterum est, Christi vera diuinitas; alterum quòd cognoscere occultas cordium cogitationes sit character, & nota diuinitatis. Ita Hieronymus, Euthymius, Aimo, Henricus, & Theophylactus in cap. 9. D. Matthæi. Chrysostomus homil. 30. in Matthæũ. & homil. 23. in Ioan. Cyrillus lib. 2. in Ioan. cap. 19. Ambros. lib. 5. in Lucam, Petrus Chrysologus serm. 50. Athanasius serm. 4. contra Arian. & ad Antiochum quæst. 27. Basilius lib. 3. contra Eunomium, Origenes lib. 1. in Iob. Augustinus in Psal. 7. & 33. & 63. in lib. de Diuinatione Dæmon. cap. 5. & in lib. 2. Retractat. cap. 20. Autor libri de Ecclesiasticis Dogmatibus cap. 81. D. Prosper in Psal. 141. Neque diuina Scriptura, neque Patres solùm negant, alium præter Deum posse cognoscere secreta cordium præterita, aut futura, sed etiam præsentia: indistinctè nanque loquuntur tam de præsentibus, quàm de præteritis aut futuris. & quidquid sit de ratione huius repugnantiæ, sufficiat ex diuina Scriptura nos habere, non posse vllam creaturam occultas cogitationes cordis cognoscere, quod tamen nonnullos Astrologos ex astrorum inspectione nobis promittere testatur Bartholom. Medina 1. 2. q. 9. art. 5. §. *sed quid dicendum.* Nec mirum, cùm non solùm occultas cordium cogitationes, sed etiam occulta Dei iudicia, & secreta, quæ ex sola eius voluntate supra omnem naturæ ordinem pendent, se nosse profiteantur, quorum error præter autoritates Scripturæ allegatas, potest etiam refutari omnibus rationibus cap. præcedenti contra Iudiciarios allatis. non enim ex notitia astrorum posset Astrologus accipere notitiam alicuius rei, nisi illa res se haberet ad ipsa astra, vel vt causa, vel vt effectus, quorum neutrum occultis cordium cogitationibus potest conuenire. Ex quo fundamento deducitur etiam, non posse Astrologum ex inspectione Astrolabij autores occultos criminum cognoscere: sed si aliquando id se nosse profiteatur, hoc euenire non ex inspectione astrorum, quæ humanorum actuum, præsertim malorum, causæ particulares non sunt, sed vniuersales tantùm, sed ex societate, quam sæpe huius artis professores habent cum Dæmone, vt colligitur ex cap. 2. de sortilegiis.

Hieron. Euthymius. Aimo. Henricus. Theophyl. Chrysost. Ambros. Chrysolog. Athanas. Basilius. Origenes. August. Prosper. Barthol. Medina.

II. Secundò probatur, non posse Iudiciarios ex siderum contemplatione nosse miracula, quæ supra ordinem naturæ diuina virtute fiunt, ob eandem rationem. miracula nanque illa dicuntur, quæ vires naturæ excedunt, vel quoad substantiam facti, vel quoad modum, vel rationem temporis, in quo fiunt, vel ratione subiecti, in quo similiter illa fiunt. quæ verò fiunt à corpore cælesti, vires naturæ minimè excedunt, cùm cælum, & illius vires sint intra ordinem naturæ. Cùm igitur miracula ex virtute siderum non pendeant, ridiculum est, ab Astrologis illa posse ex inspectione siderum præuideri.

præuideri. ſpecialiter verò ad ſingula deſcendendo, non potuiſſe Aſtronomos ex cæleſtium corporum conſtitutionibus abſque diuina reuelatione Diluuium Noëticum præuidere, quemadmodum
Aliacenſ. temerè, & ignoranter iactant Aliacenſis quæſt. 30. in Geneſim circa illa verba, *Cataractæ cæli apertæ ſunt.* & alij cap. 1. recitati, probatur euidentiſſimo teſtimonio diuinæ Scripturæ, quo conuincitur, tempus Diluuij, & ipſummet Diluuium ex ſiderum coniunctionibus neque pependiſſe, neque præuideri potuiſſe. Scriptura nanque docet, Deum cùm iuſſit Noe Arcam, ſeu nauem illam fabricare, in qua vniuerſum ſemen ab aquis ſeruatum eſt, conſtruere, dediſſe hominibus ſpatium vitæ centum & viginti annorum; hoc enim indicant verba illa cap. 6. lib. Geneſis. *Erúntque dies illius centum viginti anni.* nihilominus ob illorum hominum impœnitentiam abbreuiati ſunt illorum dies vſque ad annum centeſimum; ſubdit enim infrà: *Anno ſexcenteſimo vitæ Noe menſe ſecundo, ſeptimo decimo die menſis rupti ſunt omnes fontes abyſſi magnæ, & cataractæ cæli apertæ ſunt.* Et nihilominus ex c. 5. conſtat Noë cùm quingentorum iam eſſet annorum genuiſſe Sem, Cham, & Iaphet, & ex capite 6. Deũ præcepiſſe illi, vt extrueret Arcam, poſtquam genuerat tres filios. Non igitur euenit Diluuium ex aliqua magna coniunctione Iouis cum Saturno
Albumaſar. Aliacenſis. exiſtentibus vtriſque in ſigno Cancri, vt Albumaſar, & Aliacenſis mentiuntur; nam talis coniunctio certo, & determinato tempore tantum potuiſſet diluuium adducere, & non viginti annis priùs, cùm aſtra non libera voluntate, ſed naturaliter, & certo tempore influant, non priùs, neque poſteriùs. quòd ſi daremus, illa liberè in influendo agere, eſto hoc falſum eſſet, omnes Iudiciariorum prædictiones vno ictu proſternerentur. Dicet fortaſſe quis pro Aliacenſe, debuiſſe Diluuium ſequi anno cẽteſimo, & vigeſimo, à die qua præceptũ eſt Noë, vt Arcã fabricaret, illo enim tempore, & non priùs debebat effectus ſequi, ſed Deũ ſua potentia ipſum diluuium accelerauiſſe. Sed hoc eſt, quod contendimus. Diluuium non ex virtute aſtrorum, ſed virtute diuina ſupra omnes vires ſiderum euenſſe. ex quo ſequitur, illud ex vi aſtrorum minimè præuideri potuiſſe.

III. Dicetur, præuideri poterat, quia niſi Deus diluuium accelerauiſſet, illud ſtatuto tempore euenſſet. At hoc non ſatisfacit, nam vel Deus immutauit illam coniunctionem Iouis cum Saturno, quæ diluuium portendebat, vel non. Si immutauit, ſequitur, primò, factum eſſe duplex miraculum, alterum inundationis totius terræ: alterum immutationis corporum cæleſtium, quorum motus ſpatio annorum viginti ſunt accelerati, vt illi planetæ coniungerentur, quod eſt fabuloſum, & fictitium. ſequitur ſecundò, immutatas eſſe alias magnas coniunctiones eorundem Planetarum, neque ils tẽporibus factas, quibus iſti Aſtrologi illas factas comminiſcuntur. Si autem non fuit à Deo immutatus curſus aſtrorum, oportebat poſt centum & viginti annos, id eſt, poſt viginti annos à tempore primi diluuij, iterum fieri diluuium propter illam coniunctionem Iouis cum Saturno, quod tamen factum non legitur. Præterea eſto daremus illis ante diluuium præceſſiſſe illam magnam coniunctionem Iouis cum Saturno in ſigno Cancri, vnde nam probant, propter illam debuiſſe totum mundum aquis ſubmergi: cùm, vt Mirandulanus rectè argumentatur, poſt illa tempora, pluſquam decies iidem planetæ in eodem ſigno coierint; nec tamen totus mundus aquis inundauerit. Omitto quæ Aliacenſis fingit de magnis coniunctionibus ſingulis annis 960. ſuccedentibus, quæ dum apparent, ſemper magnum aliquid in mundo portendunt; de tempore in quo facta eſt magna illa coniunctio, quæ vniuerſale diluuium præſignauit, de tempore aliarum coniunctionum, de tempore, quod interceſſit inter mũdi initium, & diluuium, & inter diluuium & Chriſtum, de conſtitutione aſtrorum in exordio mundi, quæ omnia falſa, & ex ignorantia vera Chronologiæ conficta hac vnica ratione euertuntur. quia ille ſupponit, à principio mundi vſque ad diluuium excurriſſe annos 2242. à diluuio autem, vſque ad Chriſtum annos 3102. quam computationem falſam eſſe deprehendimus ex diuina Scriptura, quæ ab exordio mundi vſque ad diluuium non pluſquam annos 1656 numerat, & à diluuio non pluſquam 2400. quo ſuppoſito ruunt omnes imaginationes Aſtrologorum de magnis coniunctionibus, conuincunturque mendaciſſimi eſſe, cùm ex magnis coniunctionibus profitentur, præuideri potuiſſe vniuerſale diluuium, Meſſiæ aduentum, & alia ſimilia, quibus non magis quàm inſanis, & phreneticis ſit fides adhibenda. Videri poſſunt quæ de hac re ſcribit Miran- Mirand.
dul. lib. 5. ferè per totum, ſed præcipuè cap. 9. 10. & 11.

Tertiò probatur, Moyſem miraculo, non aſtro- IV.
rum vi Mare Rubrum aperuiſſe, & per illud Hebræos illæſos deduxiſſe. primò, quia Deuteronomij 18. Deus ipſe teſtimonium illi perhibuit, quòd in arte Iudiciaria inſtitutus non eſſet. Secundò, quia ſi ex vi ſiderum ille maris receſſus euenſſet, nõ ſtetiſſet aqua Hebræis pro muro à dextris, & à ſiniſtris; neque permiſiſſet Hebræos illæſos abire, ſuper ſolos Ægyptios recurrendo, & illos præfocando, quemadmodum facer textus ait Exodi 14.

Quartò probatur, Chriſti natiuitatem ex aſpe- V.
ctu ſiderum præuideri non potuiſſe, neque Magos per ſcientiam Aſtrologicam id nouiſſe, neque ſtellam, quam D. Matthæus dicit illos in Oriente vidiſſe, fuiſſe cõſtitutionem aliquam ſiderum Chriſti natiuitatem præmonſtrantium, ſicut dicit idem Aliacenſis. quia diuina Scriptura docet, Sacramentum Incarnationis fuiſſe myſterium abſconditum, non ſolùm hominibus & dæmonibus, ſed etiam bonis Angelis. Secundò, quia perperam probaretur Chriſti aduentus, & diuinitas ex prophetica prædictione: tantum enim abſque prophetiis de Chriſti aduentu ſcire potuiſſet Aſtrologus. & Chriſtus non miſiſſet Iudæos ad diuinas Scripturas, ſed ad Aſtrologos, vt teſtimonium perhiberent de ſe. Illam etiam ſtellam, quæ Magis in Oriente apparuit, non fuiſſe aliquam ſiderum cæleſtium conſtitutionem, ſed factitiam, ad tempus à Deo creatam, conuincunt illa Euangelij verba: *Ecce ſtella, quam viderant Magi in Oriente, antecedebat eos, vſque dum veniens ſtaret ſupra vbi erat puer*, quod de ſtellis firmamenti, aut etiam de planetis, nullus niſi in hac parte ſtupidus affirmabit. Denique quod aiunt, ex inſpectione aſtrorum potuiſſe præuideri genus mortis, quo curſum huius vitæ mortalis eſſet abſoluturus, eſt commentum etiam manifeſtè hæreticum; non enim fatali aliqua neceſſitate, ſed ſua libera voluntate Dominus noſter pro ſalute mundi ſeipſum obtulit in cruce. Sed indigna hæc ſunt nimis figmenta potius contemnenda, quàm confutanda.

Quintò probatur, non poſſe ex aſpectu aſtrorum

by Google

rum præuideri, quo tempore hic mundus sit finem habiturus. *De die enim illo nemo scit, neque filius hominis*, vt Christus apud Matthæum cap. 24. testatur: ex his apparet, quanta sit Astrologorum audacia, & impietas, & quàm vana, falsa, & hæretica sit sententia illorum, qui diuina miracula, inter quæ dubium non est, primum locum obtinere vnigeniti filij Dei in carne Oeconomiam, venditant posse Astrologica ratione, ex siderum aspectu præuideri.

CAPVT IX.

Astra non solùm non esse causas, sed nec etiam signa rerum contingentium futurarum.

I. PRæcipuum argumentum, quo Patres, & Theologi impugnant errorem Mathematicorum asserentium, ex siderum obseruatione posse futuros humanæ vitæ successus, & alia contingentia, & etiam diuina miracula præuideri, est istud, quoniam voluntas humana sideribus subiecta non est, neque illius motus ex astris pendent, & multo minus miracula, quæ supra vires naturæ à Deo solo fiunt. huius argumenti vim nonnulli vt declinarent, dixerunt, astra non esse quidem causas humanorum euentuum: sed tamen esse illorum vera, & certissima signa, quibus diligenter inspectis, ac intellectis possint iidem euentus, antequam fiant, præuideri. hanc sententiam refert Eusebius ex Origene lib. 6. præparatio. Euangelicæ cap. 9. D. Augustinus licèt suppresso nomine autoris lib. 5. de ciuitate cap. 1. Origenes enim in suis commentariis super Genesim exponens illa verba primi cap. *posuit stellas in firmamento*, dixit, stellas fuisse à Deo positas in firmamento, vt essent in signa, scilicet, vt per varios earum aspectus, & coniunctiones significarent vniuersas, & singulas humanarum rerum causas, non tamen efficerent: & depinxisse in stellis significationes omnium futurorum humanæ propagationis euentuum, vt supernorum spirituum virtutes in eis legerent, quæcunque hominibus per singula temporum interualla essent euenturæ; & illius aliquam partem hominibus stellarum obseruatoribus reuelarent. Subiungebat tamen, per hoc non lædi humani arbitrij libertatem, sicut non læditur per certitudinem diuinæ præscientiæ, & per prophetiam; quia stellæ humanorum actuum signa tantùm sunt, non causæ.

Origenes. Eusebius. August.

Eandem sententiam secuti sunt Plotinus in lib. An stellæ aliquid agant, & in lib. de fato cap. 6. & Porphyrius Plotini discipulus de suo magistro testatus est, illum ex siderum aspectu hominum mores, errata, & vitæ euentus perfectè nouisse; & cùm ipse Porphyrius de morte sibiipsi inferenda cogitasset, Plotinum cælitus id præuidisse, & à facinore prohibuisse. Iulius Sirenius lib. 9. de fato capite 35. eandem Origenis & Plotini sententiam probat, & nonnullis autoritatibus ad suum sensum accommodatis confirmat; imponitque eandem sententiam Eusebio, & Augustino. sed Eusebius solùm refert sententiam Origenis, Augustinus verò illam data opera impugnat. & subiungit Sirenius, quòd admissa huius opinionis veritate, cessabimus mirari aliqua, quæ à peritissimis Astrologis prædicta fuere; & non tantùm ex Dæmonum commercio, sed ex arte ea præcognosci potuisse fatebimur. vt illud, quod refert Suetonius in vita Iulij Cæsaris, quòd cùm lege Iulia in Colonia Capua deducti coloni ad extruendas villas sepulchra vetustissima diffoderent, idque eo studiosius facerent, quòd aliquantum vasculorum operis antiqui scrutantes reperiebant, tabula ænea in monumento, in quo dicebatur Capys conditor Capuæ sepultus, inuenta est, conscripta litteris, verbisque Græcis hac sententia. *Quando Ossa Capys detecta essent, fore vt Iulo prognatus manu consanguineorum necaretur, magnisque mox Italiæ cladibus mors eiusdem vindicaretur.* Quam rem, ne quis fabulosam, aut fictitiam putet, autor est Cornelius Balbus familiarissimus Cæsaris: atque potuisse Capym ex astrorum peritia id cognouisse, qui tamen annis mille ipsum Cæsarem anteceſſit. & eodem modo Mercurium Trimegistum multa, quæ de Christi aduentu prædixit, nosse potuisse, immo eodem modo posse aliquid sciri de occultis cordium cogitationibus.

Plotinus. Porphyrius. Iulius Sire. Sueton.

II. Quæ tamen sententia cuiuscunque sit autoris, non minus fabulosa, falsa, & erronea est, immò etiam hæretica, & humani arbitrij libertatem euertens, quàm præcedens. nam diuina Scriptura absolutè negat, vllam creaturam, siue hominem, siue dæmonem, siue Angelum posse futura contingentia, quæ ex libera hominis, aut Dei voluntate pendent, præuidere. quod non diceret, si omnes euentus humanæ vitæ in tabulis cœli, velut quibusdam libris explicatis possent videri. Et argumenta, quibus duobus capitibus præcedentibus contra Iudiciarios ostendimus, illos non posse aliquid de futuris contingentibus, multo minus de occultis cordium cogitationibus, adhuc multo minus de operibus Dei supernaturalibus, quale est ineffabile sacramentum Dominicæ Incarnationis, ex contemplatione siderum, aut alio modo præter diuinam reuelationem præuidere, æquè militant tam contra eos, qui dicunt, astra esse tantùm signa, non autem causas, quàm contra illos, qui dicunt esse causas talium effectuum; vt valde mirum sit, hominem in diuinis Scripturis mediocriter versatum has absurditates effutire.

Et certè si in stellis veluti in tabulis, aut libris conscripti, & picti essent omnes humanæ vitæ euentus, & omnia mysteria supernaturalia, nónne possent dæmones, in quibus scientia naturalis perspicacissima adhuc viget, nec est per peccatum amissa, aut læsa (saltem de speculatrice loquendo) sidera contemplando eosdem euentus præuidere? at vel ipsimet fatentur, hoc se facere non posse, vt Porphyrius in lib. de Oraculis apud Eusebium lib. 6. præparationis capite primo, ait. *In hisce autem Oraculis & diuinationibus sæpe mentitum esse Apollinem, inquit Eusebius, autor est Porphyrius: exquisitam enim futurorum cognitionem ait non hominibus modò, sed multis etiam Deorum esse incomprehensibilem. Vnde interrogati mentiuntur nonnunquam, sed non sponte. Solent enim præmonere, se tunc vera respondere non posse. homines tamen ex dementia perseuerant vrgere eos, & cogere, vt respondeant. Apollo igitur Delphicus cùm ejusmodi esset cœli, & continentis affectio, vt verum præuidere non posset, retine, dicebat per vatem, vim istam, & potentia verba hac ne proferas, falsa enim dicam, si coges.* Et in alio responso: *nihil hodie*, inquit Apollo, *stellarum mihi via dicendum præstat.* Et licèt Porphyrius, aut Apollo Delphicus hoc non dixissent, ipsa Oraculorum amphibologia, vanitas, & falsitas sufficiebat ad conuincendum, quòd dæmones ex astrorum contemplatio-

Porphyr.

ne non possunt futura contingentia, quæ pendent ex libero arbitrio, præuidere.

III. Ad hæc si vel ipsi boni Angeli in tabulis cœli potuissent, ac possent futura contingentia, & mysterium aduentus Christi in carne præuidere, prophetia non esset ex diuina reuelatione, aut saltem homines absque diuina reuelatione per solos Angelos potuissent de mysteriis gratiæ, aliisque futuris euentibus sufficienter doceri. Neque Deus ipse per Isaiam c.48. probaret, seuerum esse Deum, & non fictitium, sicut idola gentium, ex futurorum prædictione, cùm ait. *Priora extunc annunciaui, & ex ore meo exierunt, & audita feci ea. repentè operatus sum, & venerunt. sciui enim quia durus es tu, & nervus ferreus ceruix tua, & fronstuaærea. Prædixi tibi extunc, antequam venirent indicaui tibi; ne fortè diceres, Idola mea fecerunt hæc, & sculptilia mea, & conflatilia mandauerunt ista.* & alia quæ ibi sequuntur.

Rursus quis, nisi aut hæreticus, aut ignarus omnino diuinæ Scripturæ negabit, non posse mysteria gratiæ nisi per ipsam diuinam reuelationem, & fidem siue ab homine, siue ab Angelo cognosci? cùm id expressè doceat D. Paulus in Epistola prima ad Corinth. capite 2. ad longum. & D. Petrus epistola prima canonica capite primo. neque potest aliquis tergiuersando dicere, per reuelationem diuinam intelligendam esse reuelationem angelicam, quatenus iussu Dei Angeli reuelant aliquid hominibus ex iis, quæ illi inspiciendo sidera præuident: quia Scriptura docet, huiusmodi reuelationes factas per Spiritum sanctum, non per Angelos. & sanè ad hanc responsionem euertendam Spiritus sanctus in die Pentecostes in propria persona ad Apostolos accessit, vt illos de mysteriis gratiæ instrueret, cùm posset Angelos mittere; si illi eadem mysteria in tabulis cœli iam nouerant. Quidnónne D. Paulus ad Hebræos capite primo sic exorditur: *Multifariam, multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, nouissimè diebus istis locutus est nobis in Filio suo?*

Præterea hæc sententia non minus pugnat cum arbitrij libertate, quàm præcedens, immò multo magis. nam qui ponunt stellas, causas esse actuum humanorum, aliquo pacto concedunt, illarum causalitatem posse per causas inferiores impediri, quod apertè docuit Ptolomæus propositione prima, & quinta sui Centiloquij, vnde acceptum est vulgatum Apophthegma, *Sapiēs dominabitur astris.* Verùm si dicamus, stellas signa esse omnium humanorum euentuum, cùm oporteat ponere, illa esse signa non incerta, fallacia, & inania, sed certa, & infallibilia, & naturalia; non erit in potestate voluntatis, vt non eueniat, quod illa portendunt: vnde quidquid talibus signis significaretur, naturali etiam necessitate eueniret. Quæ res adhuc magis explicatur tali pacto. Vel astra signa sunt naturalia, & naturaliter significantia, vel voluntaria, & voluntariè significantia. Si sunt signa naturalia, & naturaliter significantia; ergo illorum significata naturaliter, & necessariò, non autem liberè eueniunt. Si autem sunt signa voluntaria; ergo ex illis non potest videri res signata, nisi inspecta voluntate, ex qua illa vim habent significandi, quæ est voluntas diuina, quam nulla creatura potest nosse, nisi tantum quantum Deus voluerit ipsi creaturæ manifestare.

IV. Neque sunt alicuius momenti, quæ pro sententia Origenis afferuntur tum ab ipso Origene, tum à Iulio Sirenio. afferebat enim primò testimonium cuiusdam libri, cuius erat titulus, Narratio Ioseph, eratque illius libri apud antiquos autoritas non parua. In eo libro inducitur Iacob Patriarcha ad filios suos sic dicens, *Legi in tabulis cœli, quæcunque euentura sunt vobis, & filiis vestris.* Narratio.

Verùm licèt liber, qui inscribitur, Narratio, siue oratio, siue somnium Ioseph, apud antiquos tum Hebræos, tum etiam Catholicos alicuius fuerit autoritatis, constat tamen illum inter Apocryphos reiiciendum, sicut illum reiecerunt D. Athanasius in Synopsi, Procopius Gazæus in commentariis lib. Geneseos circa caput primum, vbi etiam opinionem Origenis reprobat tanquam minimè Catholicam, & homine Christiano indignam. continet enim liber ille alios errores in fide, vt quòd Angeli descendant in corpora humana, illa sibi naturaliter vnientes, sicut animæ vniuntur corporibus; quòd Iacob fuerit Angelus in carne assumpta: quòd animæ Abraham, Isaac & Iacob fuerint simul ante mundum visibilem creatæ. quos errores Origenes complexus est. Vnde non est mirum, quòd autoritatem huius libri magnifecerit. videatur Sixtus Senensis libro secundo Bibliothecæ in verbo, Ioseph Oratio. & lib. 5. annotatio. 15. Athanas. Procopius. Sixtus Sen.

Secundò producebat Origenes testimonium Isaiæ capite 34. in quo Iulius Sirenius magnam vim facit. ait enim ibi Isaias finem sæculi prænuntians, *complicabuntur sicut liber cœli.* Si ergo complicabuntur sicut liber cœli, interea antequam complicentur, tanquam liber explicatus maneant, necesse est. Sed quorsum liber apertus permanet, nisi vt in eo legant illi, qui legere nouerunt?

Verùm neque in hac metaphora erat tanta vis, vt propterea afferendus esset error manifestus in fide. constat enim cœlum aliis quoque metaphoris explicari, vt pellis, seu cortinæ, siue fornicis, in Psal. 103. *extendens cœlos sicut pellem.* nam hæc omnia potest significare dictio Hebraica יריעה Et metaphora vestimenti in Psal. 101. *Opera manuum tuarum sunt cœli: ipsi peribunt, tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient, & velut amictum mutabis eos, & mutabuntur, & sicut vestimentum veterascent.* Et præconum, & nuntiorum, siue tubicinum in Psalm. 18. *Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum.* & infrà, *In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Quis verò sit sensus intentus sub illa metaphora libri complicati, variè exponunt Interpretes. Vt autem mysticas expositiones omittamus, duæ sunt literales huius metaphoræ interpretationes, me quidem iudice, & propriæ, & veræ, altera D. Thomæ, & Lyrani dicentium, in fine sæculorum cœlos fore complicandos ad instar libri; ne Astromantici, qui modò venditant, se in signis cælestibus legere omnes futuros humanæ vitæ successus, valeant ampliùs ex astris futura diuinare; non quòd ex astrorum inspectione reuera hæc videre possint, sed quia illi nunc iactãr, se hæc nosse. Complicabuntur itaque sicut liber cœli, quia non poterunt Iudiciarij vltrà Astromantiam exercere, & de futuris contingentibus diuinare, & homines decipere. D. Thom. Liranus.

Altera interpretatio adhuc magis litteralis est, vt dicamus, cælos in fine sæculi fore complicandos ad eum modũ, quo & dicitur in Euangelio, virtutes cœlorũ mouendas esse, & stellas de cœlo casuras. & ad eum modum quo & Ioan. in Apoc. cap. 6. ait, *Cœlum recessit quasi liber involutus.* scilicet ad denotandum inexplicabilem terrorem,

mœrorem,& dolorem gentium,de quibus ibi Isaias loquebatur.sicut apud homines in signum magnæ tristitiæ clauduntur ianuæ,complicantur aulæa, deteguntur parietes, hominésque ipsi nigris induuntur.Et ita exponit Glossa Interlin.in eo loco.Quòd ꝺ quis nondum in hac expositione conquiescat,animaduertat,libros apud Hebræos solitos non claudi,sicut nostri clauduntur, sed complicari,& conuolui,seu volui circa lignum, quod libri vmbilicum appellabant;vnde deductum apophthegma,*Ad vmbilicum perducere*, cùm dicimus, opus aliquod esse absolutum. Erant enim membranæ, ex quarum extremitate lignum, cui illæ erant implicatæ, pendebat: quæ cùm complicabantur, circa lignum, seu vmbilicum conuoluebantur.Sicut igitur latissima membrana circa vmbilicum circumuoluta, minimum occupabat locum; ita cæli tam latè expansi, quasi complicati videbuntur è loco recessisse.

Præter has expositiones sunt etiam aliæ non improbabiles; prima, Isaiam ea metaphora denotasse summam omnipotentiam Dei, qua cælos tanta facilitate potest loco mouere, & complicare,quanta quis complicare potest, quem habet librum præ manibus apertum. Altera, sicut cùm liber nobis vsui non est,illum complicamus, ac reponimus; ita quia ministerium, quod modò corpora cælestia hominibus ministrant, tunc cessabit, dicitur cælos tunc fore veluti libros complicandos. Et vt donemus, cælos esse veluti libros expensos, in quibus Dei admirabilis sapientia, & bonitas, & omn potentia aureis litteris etiam ab imperitis leguntur,vt Caietanus,& Hugo Carensis adnotarunt in illud Psal. 103. *Qui extendit cælum sicut pellem.* Chrysostom. hom. 9. ad Populum Antiochenum,August.lib.11.de Ciuit.cap.18. non tamen admittimus, nec admittere debemus, esse librum Astromanticum,in quo futura contingentia citr.. diuinam reuelationem legere possimus. sicut ex eo quòd Deus expandit coram nobis librum diuinæ Scripturæ, vt ex illo discamus, quæ sint à nobis aut credenda, aut etiam agenda, non licet nobis ex eodem libro colligere errores, quos hæretici se colligere posse fatentur.

Caietan. Hugo Card. Chryso.t. August.

V. Tertiò profert Sirenius testimonium D. Augustini lib. 2. de Genesi contra Manichæos c.21. dicentis: *Neque enim in illis corporibus cælestibus sic latere cogitationes credendum est, quemadmodum in his corporibus latent; sed sicut nonnulli motus animorum apparent in vultu, & maximè in oculis; sic in illa perspicuitate, ac simplicitate cælestium corporum omnes omnino motus animi lucere non arbitror.*

August.

Sed mihi habet ibi Augustinus, propter quod in eam sententiam,in quam Sirenius illum trahit, iure adduci possit,aut debeat.nam nomine corporum cælestium, non intelligit ibi Augustinus cœlos, in quibus fixa sunt astra,sed corpora Beatorũ glorificata per futuram resurrectionẽ: quæ vocat Augustinus corpora cælestia ad eum modũ, quo & Apostolus ait,*Primus homo de terra terrenus secũdus homo de cælo cælestis*, quia nimirum propter dotes,quas tunc obtinebunt,de quibus idẽ Paulus in priori ad Corinth.c.15. simillima erunt corporibus cælestibus, & illis præstantiora.Omitto sententiam,quàm Sirenius Augustino imponit, ipsũ Augustinum lib.5.de Ciuitate c.1.grauiter confutasse,in tantum abest, vt illam vnquam docuerit. Sed hæc sufficiant dixisse ad hanc Astrologorum vanitatem quantum instituti nostri ratio postulabat,confutandam.

CAPVT X.

Ex veris nonnullis Astrologorum prædictionibus non sufficienter veritatem artis Iudiciariæ comprobari.

PRæcipuum, & vnicum fundamentum, cui Genethliaci inhærent ad huius artis veritatem,vt illi putant,probandam, est veritas quarundam illorum prædictionum.fuerunt enim, & sunt etiam nunc Astrologi periti,quorum multas prædictiones ex ipso rerum, quas prædixerant, euentu verissimas extitisse viri probatæ autoritatis fidem fecere. Thales Milesius futuram olei vbertatem suis prædixit,& coacta pecunia hyeme adhuc vigente oleũ emit, & arrhas dedit: postea vendito oleo magnam vim pecuniarum superlucratus est, ex Aristotele 1.libro Politicorum cap.7. Diogene Laërtio in vita Thaletis,Ciceronе,Plinio,& aliis. Aristot. Nigidius Mathematicus qua hora Augustinus est natus, inspecta siderum constitutione prædixit, Dominum orbis natum,& verum fuit. Alius Mathematicus inspecta hora natiuitatis Neronis, prædixit, fore regnaturum, sed matrem interfecturum.qua renunciata Agrippinæ illius matri,illa dixit, *Regnet, & interimat*,& verum fuit. Tiberio ab Augusto in insulam Rhodum relegato Trasillus Astronomus prædixit naui,quam è litore conspiciebant aduentantem, deferri sibi litteras, quibus Romam reuocaretur,& verum fuit.Omittamus veterum exempla,quæ apud Suetonium,& Valerium Maximum videri possunt. Nostro fere sæculo Petrus Leonis Medicus Spoletanus ab Astrologis accepit,se aquis præfocandum,quod periculum, vt euitaret, Patauio discedens Florentiam se contulit: sed quadam die in puteo suffocatus repertus est, Petro Pomponatio tradente lib. 1. de fato cap. 11. Picum Mirandularum Astrologiæ otiorem Astrologi prædixerunt anno 33. suæ vitæ decessurum,& verum fuit.Ioanni Galeatio Vice Comiti Mediolanensium duci prædixerat Iudiciarius, à suo vasallo fore confodiendum, cui Astrologo cùm è contra Galeatius dixisset, an ipse præuidisset quo genere mortis esset moriturus, respondit ex casu trabis, & vtrunque verum fuit,nam & Galeatius in Ecclesia sancti Stephani à suo vasallo est occisus, & ipse Astrologus dum iussu Galeatij ad patibulum duceretur, cuncto populo spectante trabe casu lapsa super eum cum carnifice occisus fuit. Alia multa id genus exempla possent afferri, quæ sunt omnibus notissima, quibusque ipsius Astrologiæ veritas satis, superque potest comprobari. Quòd si ea quæ prædicuntur, nonnunquam minimè, vt prædicta sunt, eueniunt, id vitio Astrologorum, non artis vertendum est, sicut errores medicorum in infirmis curandis, non medicinæ, sed medicorum vitio contingunt. Sueton. Valer.Max. Pomponat.

I.

Respondemus nihilominus hæc, & similia exempla veratum prædictionum minimè sufficere ad suadendum,hanc artem veram esse;neque vt id certò credamus,neque vt probabile vllo modo suspicemur.Nam si probamus, artem Iudiciariam veram esse ex eo, quòd ex infinitis, quæ illi prædicunt futura,pauca ita quemadmodum prædixerunt futura, succedunt, cur non licebit nobis è contrario argumentari, hanc artem falsam esse,

II.

esse,& mendaciorum structuram:quia ex infinitis, quæ illi prædicunt, omnia fere aliter euenium, quàm ab Astrologis fuerint prædictæ.Et si qui semel mendacij est conuictus, etiam cùm vera dicit,fidem suis dictis minimè conciliat,quem tunc potissimum timemus mentiri,cùm vera se narrare

Augus. profitendo fidem ex nobis poscit, vt Augustinus ait libro contra mendacium cap.4. quanto minus Iudiciariis fides adhibenda est, qui cùm semel verum dixisse fuerint deprehensi, millies mendacij apertissimi sunt conuicti? vt non iure credamus eos si quid veri dicunt, non arte,aut scientia, sed casu dicere,quod nonnunquam idiotæ, & vetulæ faciunt. Demus igitur Iudiciariis, illos aliquando vera prænunciare:at non damus,ex hoc posse illos veritatem artis, quam profitentur, vnquam sufficienter probare,quod multiplici ratione sic monstramus.Si enim ex eo,quòd aliquando Astrologi Iudiciarij vera prænunciant, liceret artis veritatem inferre, eodem prorsus modo liceret inferre veram esse haruspicinam,Geomantiam,augurationem,aliasque similes diuinandi artes, quas illicitas,infamissimas, & falsissimas, vel ipsi Iudiciarij fatentur.immò veram esse artem illam diuinandi, quam modò infamissimæ nonnullæ personæ quas Zingaros vocamus, passim profitentur, cùm per illas quemadmodum per Iudiciariam nonnulla verissima illarum professores diuinauerint, ac nunc etiam diuinent,sicut multis exemplis allatis

Iulius Sire. Alex. de Angelis. ostendunt Iulius Sirenius lib.1 de fato cap. 16. & multis sequentibus, & Alexander de Angelis lib. 4.contra Astrologos cap.36.ex Cicerone, Valerio Maximo,Suetonio, & aliis, ex quibus pauca hic subiciam.Sergius Galba antequam interficeretur, ab Vmbricio Haruspice monitus est, imminere sibi periculum,& vt illud cauere; quod cùm facere neglexisset,eodem die interfectus est.Sputina Vates Cæsarem monuit, vt nonnullos dies fatales cauere, quorum vltimus erat Idus Martij, quod cùm ille contempsisset, Idibus Martij interfectus est. Agrippa Herodis nepos ab augure audiuit, se ex vinculis ad regnum assumendum; & ita venit. Deiotarus Rex Galatiæ ingressurus domum sibi paratam vitæ aquila in tectis considente ingressu abstinuit:illa nocte sequenti corruit,& solo est æquata. Extiterũt olim famosissimi augures,Haruspices,Hariolí,Sortilegi,multa verissimè prænunciantes,vaticinantes,absque iudiciaria,qualẽ apud

Homerus. Virgilius. Græcos Homerus narrat fuisse Calchantem,Virgilius apud Troianos Helenum Priami filium, quales apud Italos fuerunt olim Hetrusci & apud Gallos Druidæ, & apud Argiuos Amphiaraus, qui in bello Thebano occubuit terræ hiatu absumptus. Itaque si ex veris prædictionibus licet Iudiciariis veritatem artis iudiciariæ colligere, cur non licebit Haruspicibus,auguribus,Hariolis, diuinis,Geomantibus,hydromanticis,ac Zingaris veritatem suarum nefandissimarum artium eodem modo probare? nam & illi quemadmodum iudiciarij, quædam vera nonnunquam prædicunt. verùm nec hi, nec illi rectè deducere id possunt. vt enim ex veris Astrologorum prædictionibus illi possent veritatem artis probare, operæpretium foret, per nullam aliam artem, aut etiam sortem, & casu posse veras fieri prædictiones; nam vt probemus, hunc effectum huius causæ esse effectum, oportet nos probare, illum à nulla alia causa posse prouenire: sed etiamsi nulla esset ars Astrologiæ, & nec ipsum quidem eius nomen in orbe auditum, nihilominus aliqui vera prædixissem. ergo ex veritate suarum prædictionum Astrologi suæ ipsorum artis veritatem minimè possunt probare.

Accedit quòd vt Ptolomæus docet libro secundo Apotelesmatum siue de Iudiciis, quem omnes Mathematici sequuntur: *Fieri nequit, vt homo sciens, & prudens particulares rerum formas, & euentus pronuncies, sicut nec sensum particularem:sed generalem suscipit rerum sensibilium formam, & oportet tractantem hac rerum coniectura vti: solis autem numine afflati prædicunt particularia.* quod docet etiam propositione prima sui Centiloquij. quare particulares rerum euentus talibus circunstantiis temporis,loci,& aliorum accidentium indiuiduatos ex arte astrologica Iudiciatij minimè prænunciare possunt. Et reuera neque in cælo possunt inueniri causæ singulares huius, vel illius effectus singularis: neque cælestes influxus particulares, aut singulares sunt, sed vniuersales tantùm, ex quibus effectus in vniuersali ad summum possunt præuideri,non in particulari.v.g. poterit Astrologus (vt illi hoc demus) ex fidei nm constitutione præuidere, illum, qui sub talibus stellis natus est, futurum Principem, aut Sacerdotem? At quod futurus sit Cardinalis,aut summus Pontifex tali,aut tali tempore, hoc minimè præuidere potest: antequam enim esset in mundo Cardinalatus,& Pontificatus,erant astra,& idem, quod modò significant,etiam tunc significabant. Parimodo esto per Astrologiam præuideri possit, aliquem morte violenta interimendum,tamen quòd ab hoc potius, quàm ab illo, & à vasallo potius, quàm ab alio sit occidendus, aut casu trabis potiùs quàm tegulæ,aut lapidis, id per artem Astrologicam nullo modo præuideri potest, quæ enim sunt astra monstrantia natum sub illis fore à vasallo occidendum, aut ex lapsu trabis, aut lapidis potius,quàm tegulæ interficiendum? Cùm igitur Iudiciarij profitentur,se prædicere futuros euentus non tantùm in vniuersali, sed etiam in particulari, istis, aut illis circunstantiis indiuiduatos, non possunt illorum prædictiones, etiam si veræ sint, ex arte Astrologica deduci, neque ex consequenti per illos potest huius artis veritas probari. III. Ptolomæus.

Quod maximè ex hoc possumus confirmare, quia, tesse eodem Ptolomæo libro primo de Iudiciis capite secundo, & clariùs capite tertio,ex astrorum inspectione non potest Astronomus de vita, & morte nati, aliquid certi diuinare, quod confirmat in Centiloquio propositione quinta. Omitto quòd in gratiam Principum per impudentem adulationem dixit Iulius Firmicus libro secundo capite vltimo:Cauendum esse nequando de statu Reipublicæ, vel de vita Romani Imperatoris aliquid interroganti Astrologus respondeat. Non enim oportet, nec licet, vt de statu Reipublicæ aliquid nefaria curiositate dicat. sed & sceleratus atque omni animaduertione dignus est, si quis interrogatus, de fato dixerit Imperatoris;quia nec dici potest aliquid de eo,nec inueniri. & alia id genus nugamenta, quæ ibi habet. Ex quibus videas, iudiciariam regulam Lesbiam esse,quam Astrologi diuersis personis diuersimodè accommodant,prout fert rerum opportunitas; non autem regulam firmam,& constantem,ex qua possit aliquid certò præuideri. Hoc vnum dicam, omnes iudiciarios huius artis vtilitatem ex hoc capite potissimum nobis commendare, quòd per eam possimus vitæ pericula imminẽtia præcauere, IV. Ptolom. Iulius Firmicus.

cùm fuerint præuiſa, & fatum auertere, ac mortem declinare. id ſi verum eſt, conuincuntur Aſtrologi, omnes prædictiones, quibus prædicunt nato non amplius, quàm tot annos vitæ ſupereſſe, & tali tempore, tali die illi obeundum, etiamſi veræ ſint, non ex ipſa Aſtrologia, ſed aliunde acceptas. non ergo ſufficit, Aſtrologos aliquando verum prædixiſſe ad artis iudiciariæ veritatem probandam, quæ res, vt magis conſpicua adhuc fiat, aperiendum eſt, quibus modis fiant aliquando ab Aſtrologis veræ prædictiones.

CAPVT XL.

Quo pacto nonnunquam à Iudiciariis vera prænuncientur.

I. ETſi capite ſuperiori oſtenſum fuerit, veras, quæ aliquando contingunt Aſtrologorum prædictiones, non ex artis veritate, ſed aliis ex cauſis euenire: non tamen ſunt eiuſmodi cauſæ explicatæ, quod in hoc capite huius libri, & totius operis poſtremo breuiter aperiemus.

Septem ſunt cauſæ, ex quibus Aſtrologos aliquando verum prædicere contingit. Primò namque id efficiunt ex inſtinctu, & afflatu dæmonum, cum quibus ſocietas manifeſta, aut ſaltem occulta illis intercedit, vt Origenes, Ambroſiúſque in locis ſupracitatis aiunt, & D. Auguſtinus multis in locis, nimirum lib. 2. de Geneſi ad litteram cap. 17. lib. 2. de Doctrina chriſtiana cap. 23. lib. 5. de Ciuitate cap. 7. & lib. 4 & 7. confeſſionum. Nec cauſentur Iudiciarij, hæc à nobis, aut à Patribus illis per calumniam eſſe obiecta. Nam primos huius artis inuentores, qualem omnes ferunt fuiſſe Zoroaſtrum Bactrianorum Regem, certum eſt, Dæmonum cultores, & idololatras fuiſſe, & Magos, & cum Dæmonibus commercia habuiſſe. Diuinæ quoque Scripturæ non obſcurè indicant, Iudiciarios Aſtrologos Dæmonum auxilio, & familiaritate vſos ad diuinandum: illos enim connumerat cum Magis, Hariolis, Haruſpicibus, & Auguribus, ſicut apertè colligitur ex libro Deuteronom. c. 18. id ipſum colligitur ex decretis Principum ſæcularium, qui Mathematicam Iudiciariam numerant inter artes magicas prohibitas, & Iudiciarios cum Magis, ſortilegis, & maleficis proſcribunt, vt habetur ex Tertulliano in libro de idololatria, & ex decreto Conſtantij, quod refertur in l. etſi excepta de maleficis, & Mathematicis, & toto illo tit. Cod. lib. 9. Refert quoque Sozomenus lib. 6. hiſtoriæ cap. 35. & ex illo Card. Baronius tom. 4. ſub anno 370. n. 9. tempore Valentis Imperatoris Mathematicos, quos ille vocat Philoſophos, cùm omnia diuinandi genera experti fuiſſent, ad prænoſcendum, quis eſſe Valenti in Imperio ſucceſſurus, ad extremum Tripodem ligneum ex lauro fabricatos inuocationes Dæmonum, & verba execrabilia ſecundùm illorum morem vſurpaſſe, quos omnes Imperator fecit igne, & gladio malè vitam finire. Quid enim Ptolomæus lib. 1. de Iudiciis cap. 1. conqueritur, à Mathematicis Pyromantiam, Nigromantiam, Geomantiam, aliáſque ſecretas artes Dæmonum ſub ſyparto Aſtrologiæ occultari? quod cõfirmant Iunctinus in tractatu proœmiali, & Lucas Gauricus in Apologetico. Et Cardanus in Aphoriſmis ſectio. 3. aphoriſmo 151. nonne ait Aſtrologos, vt diuinatores homines peſſimos eſſe, deceptores, & malorum morum, & ſi quid boni habent, totum ex Philoſophia accepiſſet & Ptolomæus lib. 2. de Iudiciis nonne fatetur, ex Iudiciaria cultum impiæ religionis idolorum ortum habuiſſe? Non igitur imponimus Iudiciariis, cum dicimus, illos ex inſtinctu, & afflatu Dæmonum aliquando futura diuinare.

Auguſt. Tertul. Sozomenus. Baronius. Ptolom. Iunctinus. Gauricus. Cardanus.

II. Verùm hìc duplex inſurgere poteſt difficultas. Prima eſt, nam futura contingentia nec ipſi Dæmones noſſe poſſunt; quomodo ergo Aſtrologi ex inſtinctu Dæmonum futura contingentia nouerunt?

Reſpondetur, licèt futura contingentia abſque diuina reuelatione, nec ipſimet Dæmones valeant certò præuidere, poſſe tamen vno, aut pluribus ex ſequentibus modis aliqua ratione aliquod futurum præuidere. Primò per reuelationes ſibi factas per bonos Angelos Deo ita permittẽte. ita D. Auguſtinus 2. de Geneſi ad litteram cap. 17. & lib. 2. ad Simplicianum q. 3. Secundò, quia nouerunt propheticas reuelationes. ex eodem Auguſtino lib. 8. de Ciuitate cap. 23. Tertiò, quia ſunt aliqua facturi Deo permittente circa hominum vitam, quę reuelant antequam faciant, quo pacto lib. 1. Regum cap. 28. mulier Pythoniſſa, ſeu veriùs Dæmon prædixit Sauli interitum ſuum, & filiorum ſuorum. hoc modo reuelabant, ac prædicebant Dæmones Imperatoribus, ac Ducibus exercituum, & Ciuitatibus, & prouinciis clades, quas poteſtate à Deo illis facta ſuper nequiſſimas illas gentes ipſi parati erant inferre. Quartò ex longiſſima obſeruatione, & experientia humanorum actuum, & concitatione humorum, & affectionum, quam illi nonnunquam cauſant in nobis. ita Auguſtinus lib. de Diuinatione Dæmonum cap. 5. & 6. Quibus addimus, videri aliquando Dæmones futura contingentia prædicere, non quòd illa ſint reuera contingentia: ſed quia cauſas habent determinatas, occultas tamen, quas homines putant non eſſe. hoc modo prænidentes latentem in corpore intemperiem, quæ, niſi remedium opponatur, certiſſimam mortem eſt homini allatura, poſſunt certò prædicere, hominem tali tempore è vita deceſſurum, quomodo cùm cantum holorum audimus, illos morti vicinos intelligimus. Hoc eodem modo Dæmon prænidens domus fundamenta paulatim diſſolui, poteſt certò prædicere, domum tali tẽpore ruituram. Quæ tamen omnia quatenus? contingentia ſunt, nunquam tali, ac tanta certitudine ſcire poteſt, vt non etiam poſſint res aliter euenire. ob quam cauſam Apollinis oracula ſæpè mendacia ſunt deprehenſa, Deo poteſtatem Dæmonibus factam ſuſpendente, aut aliter ſecundùm ſuam certiſſimam prouidentiam diſponente.

III. Secunda difficultas eſt, quia multi Aſtrologi futura pronuntiant, quos tamen certum eſt, nullam cum dæmonibus habere ſocietatem; nullúmve commercium.

Reſpondet tamen Auguſtinus, etſi illi nullum habeant cum Dæmone apertum, ac manifeſtum commercium, nihilominus id fieri inſtinctu quodam Dæmonis occultiſſimo, quem neſcientes mentes humanæ patiuntur. nec id mirum alicui debet videri; quia ſicut poteſt Dæmon interna, & occulta ſuggeſtione, quam homo non aduertit, ad alia peccata illum allicere ita homini vanitati, & curioſitati nimium addicto, ad illum decipiendum, poteſt ſecretò inſtinctu aliquas veras prædictiones afflare. eſt namque hoc medium potentiſſimum ad hominem decipiendum, ſeducendum, & à recta fide alienandum, & Dæmoni ſubiicien-

dum.

dum. quòd cùm Deus facere Dæmonem permittit, non eſt dubium, id in pœnam alicuius peccati grauiſſimi præcedentis permittere, ſicut olim in pœnam grauiſſimorum ſcelerum idololatriæ, & peccati contra naturam permittebat illos à dæmonibus decipi, & illudi perfalſa miracula, & per reſponſa, quæ illi dabant ex ſimulacris, & oraculis. De qua re Auguſt. lib. 2. de doctrina Chriſtiana cap. 23. ita ſcribit: *Hinc enim ſit, vt occulto quodam iudicio diuino cupidis malarum rerũ homines tradantur illudendi, & decipiendi pro meritis voluntatum ſuarum, illudentibus eis, atque decipientibus prænuntiatoribus Angelis, quibus iſta pars mundi infima ſecũdùm pulcherrimum ordinem rerum diuina prouidentia lege ſubiecta eſt. Quibus illuſionibus, & deceptionibus euenit, vt iſtis ſuperſtitioſis, & perniciosis diuinationum generibus multa præterita, & futura dicantur, nec alter accidant, quàm dicunt; multáque obſeruantibus ſuperſtitiones ſuas obſeruationes euenant, quibus implicati curioſiores fiunt, & ſeſe magis, magiſque inſirant multiplicibus laqueis perniciosiſſimi erroris. Hoc genus ſuperſtitionis anima ſalubriter diuina Scriptura non tacuit, neque ab ea ſic deterruit animam, vt propterea talia negaret eſſe fallanda, quia falſa dicuntur à profeſſoribus eorum. Sed etiamſi dixerint vobis* (inquit), *& ita euenerit, ne credatis eis.* Et alia habet ibi videnda, legenda, & ſeruanda. Quare cùm ob alias cauſas, tum ob hanc maximè cauere debetent, & abſtinere omnes Catholici ab iſtis Iudiciatiis conſulendis, & eo ampliùs quo vident, illos nonnulla vera prænunciare: certiſſimè ſcientes, ſe tandem hac arte in laqueum trahẽdos. cuius rei fidẽ facit, quòd qui huic arti ſeſe addicunt, ſiue ipſius artis profeſſores ſint, ſiue Aſtrologorum arte, & cõſilio in rebus agendis vtẽtes, malo tandem fine omnes ferè interierunt. hæc de primo diuinandi modo.

Auguſtin.

IV. Secundus modus futura diuinandi eſt per magiam naturalem, ſiue per exactiſſimam notitiam quarundam proprietatum naturalium, quibus mira quædam in rerum natura fieri ſolent, aut per Aſtrologiam naturalẽ, quæ non eſt interdicta, ſed omnium ſapientum calculo probata. hoc modo Thales Mileſius futuram olei vbertatẽ præuidit.

Tertiò diuinant nonnunquam Aſtrologi futuras coniurationes, & ſimultates, & proditiones, quorum ipſi ſunt, aut participes, aut conſcij? quo pacto Spurinam vatem nõnulli dicunt Cęſari interitum prænuntiauiſſe. Eodem modo facillimũ erat illos Aſtrologos, qui Theodorum Valenti in imperio ſucceſſurum, per fraudem prædixerunt, verum prædixiſſe, niſi Valens illorum conſpiratione retecta dignis ſuppliciis eos affeciſſet.

Quartò prædicunt aliquando veros rerum ſucceſſus non arte, ſed caſu, & ſorte, ſicut qui pluries talos proiiciunt, numerum quem volunt, nonnunquam producunt, &, vt ait Tullius, qui per totam diem iaculatur, aliquãdo collimat, quod ſiue cum arte, ſiue ſine arte fieri videmus. Hoc pacto Zingari nonnulla etiã vera prædicunt abſque Aſtrologia: immò & vetulæ, & mẽtecapti, vt eſt in prouerbio, *ſtultus prophetauit*. ea enim eſt natura futuri contingentis, vt tam qui prædixerit illud eſſe futurum, quàm qui prædixerit non eſſe futurum, aliquando diuinet, ſeu verum dicat: aliàs ſi nunquam, aut ſemper eueniret, naturam exueret contingentis. Id verò eo faciliùs diuinat Aſtrologus eſſe futurum, quãto magis illud fuerit ad certa loca, aut certas perſonas reſtrictum. v.g. Pontificalis dignitas ſolis Cardinalibus contingit, & inter illos, nõ niſi ſeniotibus: vnus Aſtrologus hunc Cardinalem Pontificem renunciat, ille alium: neceſſe eſt aliquid diuinare. verùm tantum

Gabr. Peonet. de libert. hum.

uus Aſtrologię ignarus prouidere potuiſſet. Eſt autẽ non prætereundum, quod aliquãdo hominibus caſu, & ſorte contingit, non euenire tamen extra certiſſimam Dei prouidẽtiam, cui & caſus & ſortes, & omnes humanæ vitæ euentus ſubduntur, & per quam certiſſimè diſponuntur, etiam quando homines neſcientes futura prænuntiãt, vt Auguſtinus adnotauit lib. 4. & 7. ſuarũ confeſſionum. *Cæci enim mentes & improbæ conſultorum aliquoties ignoto quodam inſtinctu ſic agitat, vt neſcientes profe-rant, qua conſulentes vel ex eorum meritis, vel ex abyſſo diuini iudicij oportet audire.* Auguſt.

V. Quintò prædicunt nonnunquam veros euẽtus rerum, non quòd verũ ſe dicere poſſe arbitrentur; ſed quia ampliſsibologicis locutionibus ad interrogata reſpondent, nihil ſecus atque Apollinis oraculum, quæ in partem tum affirmatiuam, tum negatiuam, prout rei euentus poſtulauerit, poterunt interpretari, vt quidquid euenerit, tamẽ Aſtrologus verum dixiſſe videatur. Multa. id genus iudiciariorum oracula commemorat Alexander de Angelis lib. 4. cap. 39. ex quibus vnum referam. Ioanni Manardo Ferrarienſi Medico prædictum erat ab Aſtrologo, quòd in fouea periret. ille omnes foueas diligenter cauere cœpit, quoad ducta vxore immoderato congreſſu extinctus fuit, in quem Iouius ita luſit: Alex. de Angel.

In fouea qui te periturum dixit haruſpex,
Vates verus erat, coniugis illa fuit.

De qua re pluta apud Aulum Gellium lib. 14. c. 1. Aul. Gell.

Sextò prædicunt aliquando Aſtrologi futuros vitæ alicuius euentus, atque ſucceſſus, non tam per artem Aſtrologiæ, quàm ingenij ſagacitate, & longa rerum, & morum obſeruatione, ac experiẽtia, per quam probabiliter conijcere poſſunt, Principem, qui in ſibi ſubditos tyrannidem exerceat, ab eiſdem aliquando confodiendum; & ducem exercitus imperitum, ac temerarium ſuis cladem, hoſtibus occaſionem victoriæ allaturum. Quo pacto Annibal inſpecta temeritate, & imperitia Terentij Varrõnis, & C. Flaminij Roman. Coſſ. certam victoriam ſuis fidenter prædixit, quam prædictionem veram fuiſſe rei euentus ſtatim probauit. Eodem modo poterant Aſtrologi multorum Imperatorum ruinã, & miſerrimum vitæ exitum præuidere; quanuis non ſit dubium, multos id potius, quod optarent, quàm quod ſcirent, prænunciauiſſe, quod in perſona Claudij Neronis cernere licet, in quẽ Seneca in libello, cuius eſt Titulus, *Ludus in mortem Claudij Neronis*, non ineptè ludens, introducit Mercurium apud Parcas Claudij mortẽ procurantem, & inter alias, hac ratione apud illas vtentem. *Patere* (inquit) *Mathematicos aliquando verum dicere, qui illum poſtquam Princeps factus eſt, omnibus annis, omnibus menſibus efferunt.* Seneca.

VI. Tandem prædicunt nõnunquam Aſtrologi vera non ex arte, ſed ob nimiã confidentiam credulitatem. ea enim eſt hominum cõditio, vt ſi felices rerum euentus illis promittãtur, erigantur in ſpẽ, ea obtinend., quæ cupiunt, ob quam cauſam ardua aggrediuntur, feliciter abſoluunt, & optata adipiſcuntur. è contrario autẽ quibus aduerſa nunciantur, conſternuntur animis, ſoluuntur viribus, & nonnunquam benè cœpta turpiter deſerunt. Ob iſtam, & alias cauſas narratas poſſunt quandoque Mathematici futuros vitæ noſtræ euentus prænoſcere, & certò etiam prænunciare: non autem ex arte iudiciaria per contemplationem aſtrorum, per quam de futuris contingentibus, quæ ex libera voluntate humana, multò autem minus ex diuina pendent, nihil certi in particulari ſine diuina reuelatione poſſunt [illegible] affirmare.

tum quòd ipſa libera voluntas influentiis aſtrorum immediatè ſubiecta non ſit; tum quòd ea ſit contingentis natura, vt quandiu habet eſſe futurum in cauſa, vt ſic, per nullum intellectum certò valeat cognoſci, ſiue inſpiciendo aſtra, ſiue non inſpiciendo, etiam per intellectum diuinum, qui eatenus futura cõtingentia, vt contingentia ſunt, infallibiliter nouit, quatenus eorum eſſe præſens actualis exiſtentiæ, quod habent aliquando in rerum natura, extra ſuas cauſas infallibiliter nouit.

Videbitur fortaſſis aliquibus, non pauca ad huius cauſæ meritum hincinde ſpectantia, ex nobis hoc in loco deſiderari, ſdque nos etiam ingenuè fatemur. Verùm illos admonitos eſſe volumus, primò nos huic acti addiſcendæ, quæ ad vitam Chriſtianam inſtituendam nihil conducit, quámque omnibus Chriſtianis, maximè Sacerdotibus, diuinis, & humanis legibus nouimus interdicta, nunquam in animum veniſſe, curioſiùs operam nauare. Secundò, cauſam, quam contra Iudiciarios hîc egimus, pro ſola humani arbitrij libertate defendenda eſſe à nobis ſuſceptam, qua illæſa manente, omnia illorum iura illis relinquimus intacta. Fuit ipſa humanæ libertatis defenſio vnicus proximus finis eorum omnium, quæ in toto hoc noſtro qualicunque opere ſunt ſcripta; quem finem ſi ad votum ſumus aſſecuti, Deo optimo maximo maiores, quas poſſumus, agimus gratias, cuius honor, & gloria omnium operum vniuerſæ creaturæ eſt vltimus finis. Necnon ſacratiſſimæ Dei genitrici ſemper Virgini, D. Patri noſtro Auguſtino, ac D. Thomæ, quibus Ducibus difficillima ſanè itinera percurrimus. Si autem optatam metam curſu contingere minus licuit, non deſperamus, noſtræ imbecillitati veniam daturos, ſi qui ſunt, qui rei difficultatem ipſi quoque fuerunt experti. Omnia quæ in hoc opere, & alibi ſcripſimus, & diximus, cenſuræ, & correctioni ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Catholicæ, & Apoſtolicæ mẽte ſincera, & ex animo, & volumus, & cupimus eſſe ſubiecta. Romæ in Canonica noſtra Diuæ Mariæ de Pace. Kalendis Martij. M.DC.XXI.

FINIS.

INDEX

Digitized by Google

INDEX LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ,

QVI IN HOC OPERE, VEL EXPLICANTVR, VEL ALLEGANTVR.

Primus numerus librum, Secundus libri Caput, Tertius marginalem eiuſdem capitis numerum denotat.

EX VETERI TESTAMENTO.

Geneſis.

CAP. 1 *IN principio creauit* DEVS *Cælum, & Terram.* 8.5.4

Et ſpiritus Domini ferebatur ſuper aquas. 7.19.4

Dixítque Deus, fiat lux, & facta eſt lux. 3.13.10

Et ſint in ſigna, & tempora, & dies, & annos. 10.2.4. & 9

Germinet Terra herbam virentem, & facientem ſemen. 3.14.6

Creauítque DEVS *cete grandia, & omnem animam, &c.* 8.5.4

Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram. 5.11.3. & 8.6.5. & 9.2.6

Vidítque DEVS *cuncta, quæ fecerat, & erãt valde bona.* 3.4.1. & 7. & 3.12.8. & 5.2.5. & 8.9.1. & 8.10.2

Totum caput. 8.17.2

2. *Et requieuit die ſeptimo ab vniuerſo Opere, quod patrarat.* 8.15.4

4. *Poſſedi hominem per* DEVM. 8.6.7

Non ne ſi benè egerís recipies? ſin autem malè, ſtatim in foribus peccatum tuum aderit? 1.10.2. & 2.6.2. & 5.11.3. & 7.17.4

Sed ſub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius. 1.7.1. & 1.12.5. & 2.5.2. & 1.10.2. & 8.27.2

Maior eſt iniquitas mea, quàm vt veniam merear. 7.17.4

Egreſſúſque Cain à facie Domini habitauit profugus in Terra ad Orientalem plagam Eden. 5.11.4

6. *Non permanebit ſpiritus meus in homine in æternum.* 2.17.5. & 7.18.1

Et præcauens in futurum, & tactus dolore cordis intrinſecus, delebo, inquit, hominem, &c. 5.11.5

7. *Anno ſexcenteſimo vitæ* Noë, *menſe ſecundo, ſeptimo decimo die menſis rupti ſunt omnes fontes abyſſi magnæ.* 10.8.2

8. *Senſus enim, & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua.* 7.18.1. & ſeq.

15. *Nedum enim completa ſunt iniquitates Amorrhæorum vſque, &c.* 7.18.1

18. *Deſcendam & videbo, vtrum clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint: an non eſt ita, vt ſciam.* 3.4.7

Si inuenero in Sodomis quinquaginta iuſtos in medio Ciuitatis, dimittam omni loco propter eos. 4.3.5

24. *Igitur puella, cui dixero, inclina hydriam tuam, vt bibam, & illa reſponderit: bibe, quin etiam, &c.* 6.36.10

25. *Et deficiens mortuus eſt in ſenectute bona, prouectáque ætatis, & plenus dierũ.* 6.36.15

27. *Dominum tuum illum conſtitui; & omnes fratres eius ſeruituti illius ſubiugaui.* 2.5.3

43. *Det vobis Deus inuenire miſericordiam cõram viro.* 2.17.2

48. *Sed frater eius minor, maior erit illo.* 2.5.3

50. *Nolite timere: Num* DEI *poſſumus reſiſtere voluntati? Vos cogitaſtis de me malum: ſed* DEVS *vertit illud in bonum.* 2.17.1. & 4.13.2. & 4.19.7. & 4.22.3

Exodi.

4. & 7. *Ego indurabo cor Pharaonis.* 2.5.3. & 5.15.4

8. *Ingrauauit cor ſuum; & non audiuit eos, ſicut præceperat Dominus.* 4.19.4

9. *Indurauitque Dominus cor Pharaonis, & non audiuit eos.* 4.19.4.& 5.15.4
Idcirco autem posui te, vt ostendam in te fortitudinem meam, & narretur nomen meum, &c. 2.17.2.& 5.15.1
11. & 12. *Dabit autem Dominus gratiam Populo suo coram Aegyptiis.* 2.17.2
14. *Et subuertit rotas curruum; ferebantúrque in profundum.* 10.8.4
25. *Loquere filiis Israel, vt tollant mihi primitias: ab omni homine, qui offert vltroneus accipies eas.* 2.5.4
35. *Omnes viri, & mulieres mente deuota obtulerunt donaria vt fierent opera, quæ iusserat Dominus per manum Moysi, cuncti filij Israel voluntaria Domino dedicauerunt.* 2.6.5

Ex libro Leuitici.

19. *Nō augurabimini, neque obseruabitis somnia.* 2.10.5
22. *Homo qui obtulerit victimam pacificorum, vel vota solues, vel sponte offerens, &c.* 2.6.5

Ex libro Nume.

23. *Non est augurium in Iacob, nec diuinatio in Israel.* 10.2.5
24. *Si dederit mihi Balac plenam domum suam argenti, & auri, non potero præterire sermonē Domini Dei mei.* 2.17.1
30. *Si nouerit, & iuramento se constrinxerit, vt per ieiuninm, vel cæterarum rerum abstinentiam affligat animam suam, in arbitrio viri erit, siue faciat, siue non faciat.* 1.3.4.& 2.5.4

Ex libro Deuteronomij.

2. *Quia indurauerat Dominus Deus tuus spiritum eius, & obfirmauerat cor illius, vt traderetur in manus tuas.* 2.5.3
13. *Si surrexerit in medio tui propheta, aut qui somnium vidisse se dicat, & prædixerit signū, atque portentum, & euenerit, quod locutus est, & dixerit tibi, eamus, & sequamur Deos alienos, quos ignoras, &c.* 10.7.1
18. *Gentes istæ, quarum possidebis Terram, augures, & diuinos audiunt: Tu autem à Domino Deo tuo aliter institutus es.* 10.2.5
28. *Dabit tibi Dominus cor pauidum, & oculos deficientes.* 2.17.2
30. *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum, nec in cælo situm, &c.* 2.12.6
Considera, quòd hodie proposuerim in conspectu tuo vitam, & bonum, & econtrario mortē, & malum. 4.5.5
Testes inuoco hodie Cælum, & Terram, quod proposuerim vobis vitam, & bonum, benedictionem, & maledictionem, elige ergo vitam, vt tu viuas, & semen tuum 1.7.1.& 1.10.1. & 1.16.1.& 2.6.1.& 8.27.2
31. *Ego enim scio contentionem tuam, & ceruicē tuam durissimam.* 2.6.3
32. *Noui, recentésque venerunt, quos non coluerunt patres eorum.* 2.7.1

Ex libro Iosue.

24. *Si autem malum vobis videtur, vt Domino seruiatis, optio vobis datur: eligite hodie, quod placet.* 2.6.1

Ex libro 1. Regum.

2. *Et non audierunt vocem patris sui, quia voluit Dominus occidere eos.* 2.17.1
7. *Præparate corda vestra Domino, & seruite illi soli.* 6.16.8.& 9.10.2
16. *Spiritus Domini recessit à Saul: & exagitabat eum spiritus nequam à Domino.* 6.35.5
23. *Si tradēt me viri Ceila in manus Saul.* 3.19.1.& 3.26.2.& 3.27.2
24. *Et nunc quia scio, quod certissimè regnaturus sis, & habiturus in manu tua Regnum Israel.* 6.36.9
28. *Et quomodo eraserit magos, & hariolos de Terra.* 10.2.5
Cras tu, & filij tui mecum eritis. 10.11.2

Ex libro 2. Regum.

7. *Sed & hoc parum visum est in conspectu tuo Domine Deus, nisi loquereris etiam de domo serui tui in longinquum, &c.* 7.19.5
12. *Quare ergo contempsisti verbum Domini.* 6.35.4
Quoniam blasphemare fecisti inimicos nomen Domini, propter verbū hoc, filius qui natus est tibi, morte morietur. 7.18.4
17. *Domini autem nutu dissipatum est consilium Achitophel vtile, vt induceret Dominus super Absalon malum.* 2.17.2
24. *Et addidit furor Domini irasci contra Israel, commouitque Dauid in eis dicentē, Vade, &c.* 4.19.4
Trium tibi datur optio: elige quod vis. 1.7.1.& 2.6.1

Ex libro 3. Regum.

3. *Apparuit autem Dominus Salomoni per somnium nocte, dicens, Postula quod vis, vt dem tibi, &c.* 2.6.1
11. *Fecitque Salomon, quod non placuerat coram Domino, & non adimplenit, vt sequeretur Dominum.* 6.35.6
12. *Nō acquieuit Rex populo, quia auersatus fuerat eum Dominus.* 2.17.2
16. *Ingressus es ad me, vt rememorarentur iniquitates meæ, & interficeres filium meum?* 2.12.6
18. *Vsquequo claudicatis in duas partes? Si Dominus est Deus, sequimini eum: sin autem Baal, sequimini illum.* 2.6.2
Clamate voce maiori, Deus enim est, & forsitan loquitur, aut in diuersorio est, &c. 5.1.5.& 5.4.3
21. *Si mortuus fuerit Achab in ciuitate, comedēt eum canes.* 3.20.3
Quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus eius. 4.3.5

22. *Me ne ergo dimisit Spiritus Domini, & locutus est tibi.* 4.19.4.

Ex libro 4. Regum.

17. *Et diuinationibus inseruiebant, & auguriis, & tradiderunt se, vt facerent malum coram Domino.* 10.2.5

20. *Dispone domui tuæ, quia morieris tu, & non vines.* 3.20.3

Ex libro 1. Paralipomenon.

21. *Consurrexit autem Satan contra Israel, & incitauit Dauid.* 4.19.4

29. *Si quis sponte offert, impleat manum suam hodie, & offerat, quod voluerit Domino.* 2.6.5

Ex libro 2. Paralipomenon.

6. *Tu enim solus nosti corda omnium filiorum hominum.* 10.8.1

7. *Si clausero cælum, & pluuia non fluxerit, & mandauero, & præcepero locustæ, vt deuoret terram, &c. cõuersus autem populus meus, super quos inuocatum est nomen meum, deprecatus me fuerit, &c. & ego exaudiam de cælo, & propitius ero peccatis eorum.* 2.12.3. & 4.3.5

16. *Oculi enim Domini contemplantur vniuersam terram.* 3.4.1

Ex libro 4. Esdræ.

5. *Quoniam minori statura estis præ iis.* 8.4.1

Ex libro Iudith.

9. *Tu enim fecisti priora, & illa post illa cogitasti: & hoc factum est, quod ipse voluisti.* 4.8.6. & 5.20.1

Ex libro Esther.

13. *Non est, qui tuæ possit resistere voluntati, si decreueris saluare Israel.* 4.3.5. & 4.5.1. & 4.22.3

14. *Tribue sermonem compositum in ore meo, in conspectu leonis, & transfer cor illius in odiũ hostis nostri.* 2.5.3

15. *Conuertítque DEVS spiritum Regis in mãsuetudinem.* 2.17.2

Valdè enim mirabilis es Domine, & facies tua plena gratiarum. 9.1.1

Ex libro Iob.

1. & 2. *Egressus igitur Satan à facie Domini, &c. Tu autem commouisti me aduersus eum, vt affligerem eum frustra.* 4.19.4

9. *Deus, cuius iræ nemo resistere potest.* 4.22.3

10. *Manus tuæ Domine fecerunt me, & plasmauerunt me totum.* 8.6.2. & 8.15.3

12. *Quis ignorat, quod omnia hæc manus Domini fecerit.* 8.6.2

Qui immutat cor Principum populi terræ, & decepit eos, vt frustra incedant per inuium. Palpabunt quasi in tenebris, & non in luce; & errare eos faciet quasi ebrios. 2.5.3. & 2.17.2

13. *Obseruasti omnes semitas meas, & vestigia, &c.* 3.4.1

14. *Numerus mensium eius apud te est.* 3.16.4

16. *Ecce enim in cælo testis meus, & cõscius meus in excelsis.* 10.8.1

21. *Quare impij viuunt, subleuati sunt, confortatique diuitiis, semen eorum permanet corã eis, &c.* 5.15.5

22. *Et dicis, quid enim nouit Deus? & quasi per caliginem iudicat. Nubes latibulum eius, nec nostra considerat, & circa cardines cæli perambulat.* 5.4.2

24. *Ipsi fuerunt rebelles lumini.* 9.10.3

26. *Spiritus Domini ornauit cælos, & obstetricãte manu eius eductus est coluber tortuosus.* 5.1.5. & 8.6.2. & 8.15.3

27. *Viuit Deus, &c. quia donec supersit halitus in me, & spiritus Dei in naribus meis, non loquentur labia mea iniquitatem, &c. absit à me, vt iustos vos esse iudicem, donec deficiam non recedam ab innocentia mea.* 5.6.4

28. *Ipse enim fines Mundi intuetur: & omnia quæ sub cælo sunt, respicit.* 3.4.1

34. *Qui non accipit personas Principum, nec cognouit Tyrannum.* 6.23.4

38. *Nunquid nosti ordinem cæli, & pones rationem eius in terra?* 10.7.2

41. *Cor eius indurabitur tanquam lapis, & stringetur quasi malleatoris incus.* 7.18.2

Sub ipso erunt radij solis: & sternet sibi aurum quasi lutum. 7.9.1

Ex libro Psalmorum.

Psal. 4. *Et scitote quoniam mirificauit Dominus sanctum suum.* 6.36.1

Signatum est su per nos lumen vultus tui Domine. 9.2.5

7. *Scrutans corda, & renes Deus.* 2.5.3. & 10.8.1

15. *Dixi Domino, Deus meus es tu: quoniam bonorum meorum non eges.* 4.2.2

16. *A resistentibus dextera tua custodi me, vt pupillam oculi.* 4.22.3

18. *Cæli enarrant gloriam Dei: & opera manuũ eius, &c.* 10.9.4

20. *Quia præuenisti eum in benedictionibus dulcedinis.* 6.11.4

22. *Et misericordia eius subsequetur me omnibus diebus, &c.* 9.3.9

27. *Saluum me fecit, quoniam voluit me.* 6.11.3

28. *Totus Psalmus exponitur.* 7.19.3. & sequentibus.

Vox Domini intercidentis flammam ignis. 8.15.7

29. *Quoniam ira in indignatione eius, & vita in voluntate, &c.* 5.11.3. & 5.12.2

32. *Dominus dissipat consilia gentium: reprobat autem cogitationes populorum; & reprobat consilia principum.* 7.1.1

36. *Quia Dominus amat iudicium, & non derelinquet sanctos suos.* 5.15.10

Vidi

Vidi impium ſuperexaltatum, & elevatum ſicut cedros Libani. 7.19.5
38. *Veruntamen in imagine pertranſit homo.* 8.6.5
39. *Ego autem mendicus, & pauper ſum: Dominus ſolicitus eſt mei.* 5.1.5
42. *Emitte lucem tuam, & veritatem tuam.* 9.2.6
43. *Ipſe enim novit abſcondita cordis.* 10.8.1
44. *Diffuſa eſt gratia in labiis tuis; propterea benedixit, &c.* 9.1.1
48. *Et dominabuntur eorum iuſti in matutino: & auxilium eorum, &c.* 2.5.3
49. *Invoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me.* 5.4.7
50. *Cor mundum crea in me Deus: & ſpiritum rectum innova.* 4.12.3
53. *Voluntariè ſacrificabo tibi: & confitebor nomini tuo.* 2.6.5
57. *Lætabitur iuſtus, cùm viderit vindictam, manus ſuas lavabit in ſanguine peccatoris.* 4.13.2
58. *Et miſericordia eius præveniet me.* 6.11.4. & 9.3.9. & 9.3.1
61. *Interficitis universi vos, tanquam parieti inclinato.* 2.17.5. & 4.19.8. & 9.7.5
67. *Deus noſter Deus ſaluos faciendi.* 5.11.3
72. *Mei autem penè moti ſunt pedes, penè effuſi ſunt greſſus mei.* 5.6.3
Quia non eſt reſpectus morti eorum: & firmamentum, &c. 5.6.4. & 5.15.5. & 6.36.13
Odiſti omnes qui fornicantur abs te. 8.13.8
76. *In die tribulationis meæ Deum exquiſivi manibus meis nocte, &c.* 6.36.14
77. *Miſit in eos iram indignationis ſuæ, immiſſiones per Angelos malos.* 4.19.1
80. *Et non audivit populus meus vocem meam, Iſrael nō intendit mihi.* 2.13.1. & 9.4.6. & 9.10.3. & 2.6.3
Et dimiſi eos ſecundùm deſideria cordis eorū, ibunt, &c. 3.22.8
Si populus meus audiſſet me, Iſrael ſi in viis meis ambulaſſet. 2.6.4
83. *Elegi abjectus eſſe in domo Dei mei, magis quàm habitare in, &c.* 2.6.1
Gratiam, & gloriam dabit Dominus. 5.10.2
89. *Domine refugium factus es nobis, à generatione in generationem, priusquam montes fierent, &c.* 6.8.1
94. *Hodie ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra.* 2.6.3. & 2.13.1. & 9.4.6. & 9.10.3. & 9.12.3
95. *Quoniam omnes Dij gentium Dæmonia: Dominus autem, &c.* 8.6.2
101. *Dies mei ſicut umbra declinaverunt: & ego ſicut fœnum arui.* 8.6.5
Initio tu Domine Terram fundaſti: & opera manuum tuarum ſunt Cœli. 1.2.2
Et velut amictum mutabis eos, & mutabuntur; tu autem, &c. 10.9.4
102. *Qui coronat te in miſericordia, & miſerationibus.* 6.20.1
103. *Qui extendit Cœlum ſicut pellem: qui tegit aquis ſuperiora eius.* 10.9.4
Omnia in ſapientia feciſti: Impleta eſt Terra, &c. 5.12.1. & 5.1.6
108. *Sicut umbra cum declinat ablatus ſum, & excuſſus ſum, &c.* 8.6.5
111. *Magna opera Domini, exquiſita in omnes voluntates eius.* 4.3.5
Beatus vir, qui miſeretur, & commodat, diſponet ſermones, &c. 6.36.11
113. *Deus autem noſter in Cælo, omnia quæcunque voluit fecit.* 4.1.3. & 4.3.5
114. *Circumdederunt me dolores mortis, pericula inferni, &c.* 6.36.10
117. *Lapidem, quem reprobaverunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli.* 7.1.7
118. *Priuſquam humiliarer, ego deliqui.* 6.8.1
126. *Vanum eſt vobis ante lucem ſurgere.* 9.2.6
135. *Qui fecit Cœlos in intellectu.* 3.12.1
137. *Opera manuum tuarum ne deſpicias.* 8.6.2
138. *Non eſt occultatum os meum à te, quod feciſti in occulto.* 8.15.3
141. *Educ de cuſtodia animam meam, ad confitendum nomini tuo.* 6.36.10
146. *Qui numerat multitudinem ſtellarum, & omnibus eis, &c.* 10.7.2
143. *Non fecit taliter omni nationi.* 5.3.2. & 6.11.6

Ex libro Prouerbiorum.

1. *Quia vocani & renuiſtis, extendi manum meā, &c.* 1.16.1. & 2.6.3. & 2.13.1. & 5.3.5. & 5.11.6. & 9.4.5. & 9.10.3.
Tunc invocabunt, & non exaudiam: mane conſurgent, & non invenient me. 7.18.1
3. *Dominus ſapientia fundavit Terram: ſtabilivit Cœlos prudentia.* 3.12.1
Quem enim diligit Dominus, corripit, & quaſi pater in filio, &c. 3.16.2
6. *Et eum, qui ſeminat inter fratres diſcordias.* 6.36.12
8. *Nunquid non ſapientia clamitat, & prudentia, dat vocem ſuam.* 5.10.9
In ſummis excelſiſque verticibus, ſupra viam in mediis ſemitis ſtans. 6.11.4
Quando præparabat Cœlos, aderam, &c. cum eo eram cuncta componens. 3.12.1. & 5.1.6. & 5.4.6
Et delectabar per ſingulos dies, ludens coram eo omni tempore. 5.1.5
9. *Sapientia miſit ancillas ſuas, vt vocarent ad arcem.*

arcem. 6.11.4

16. *Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus, impium quoque ad diem malum.* 2. 16. 3. & 3.4. 1. & 4.10.12. & 5.15.1. & 7. 5.1. & 5.2.4

Cor hominis disponit viam suam: sed Domini est dirigere gressus eius. 2.16.1

18. *Impius cùm in profundum venerit peccatorũ contemnit.* 7.9.1. & 7.18.2

Mors, & vita in manibus linguæ. 4.5.5

20. *A Domino diriguntur gressus viri, quis autẽ hominum intelligere potest viam suam?* 2. 16.1

21. *Sicut diuisiones aquarum, ita cor Regis in manu Domini: quocunque voluerit inclinabit illud.* 2.5.3. & 2. 17.2. & 4.19.7

22. *Adolescens iuxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea.* 10.6.5

Qui diliget cordis munditiam, propter gratiã labiorum suorum habebit amicum Regem. 9. 1.1

24. *Qui inspector est cordis ipse intelliget, & seruatorem animæ tuæ, &c.* 3.4.1

27. *Ne glorieris in crastinum, ignorans quid superuentura parìat dies.* 6. 36. 5. & 10. 7.1

28. *Beatus homo, qui semper est pauidus.* 6. 36.5

31. *Fallax gratia, & vana est pulchritudo.* 9. 1.1

Ex libro Ecclesiastis.

7. *Nemo potest corrigere, quem ille despexerit.* 7. 9.1

8. *Multa hominis afflictio, quia ignorat præterita: & futura nullo scire potest numero.* 10. 7.1

Etenim quia non profertur citò cõtra malos sententia, absque timore vllo filij hominum perpetrant mala. 5.15.5

9. *Et tamen nescit homo, vtrùm amore, an odio dignus sit.* 6.36.3

Ex libro Sapientiæ.

1. *Quoniam Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione hominum.* 5. 11. 3. & 5. 12.2

Creauit enim, vt essent omnia, & sanabiles fecit, &c. 8.5.4

4. *Raptus est, ne malitia mutaret intellectũ eius.* 6.10.6. & seq.

6. *Non enim subtrahet personam cuiusquã Deus.* 6.23.4

7. *Et lætatus sum in omnibus, quoniam antecedebat me ista sapientia.* 6.11.4

8. *Attingit ergo à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter.* 8.15.4

Scit præterita, & de futuris æstimat. 10. 7.2

9. *Quæ autem in Cælis sunt, quis inuestigabit?* 10.7.2

10. *Ideo Iusti tulerunt spolia impiorum.* 5. 6.4

11. *Non enim impossibilis erat omnipotens manus tua, quæ creauit orbem terrarum ex materia inuisa immittere illis, &c.* 4.5.1.

Misereris omnium, quia omnia potes, & dissimulas peccata hominum propter pœnitentiã. 4.3.5

Quomodo autem posset aliquid permanere, nisi tu voluisses. 3.23. 1. & 4. 1.3. & 4. 8.6

Et virtuti brachij tui quis resistet. 4.22.3

Sed omnia in mensura, & numero, & põdere disposuisti. 5.1.6

Diligis omnia, quæ sunt, & nihil odisti eorũ, quæ fecisti. 5.11.3. & 8.13.5

12. *Illos enim antiquos inhabitatores terræ sanctæ tuæ, quos exhorruisti, quoniam odibilia opera tibi faciebant.* 5. 14. 4. & 7. 20.2

13. *A magnitudine enim speciei, & creaturæ cognoscibiliter poterit horum creator videri.* 7. 19.4. & 8.5.6

14. *Tu autem pater prouidentia ab initio cuncta gubernas.* 5.1.5. & 5.3.4. & 5.4.6

16. *Creatura enim tibi factori deseruiens exardescit.* 8.15.7

Propter hoc & tunc in omnia transfigurata, omnium nutrici gratiæ tuæ deseruiebant. 9. 1.3

Ex libro Ecclesiastici.

1. *Arenã maris, & pluuiæ guttas, & dies sæculi, quis dinumerauit.* 8.4.7

7. *Gratia enim verecundiæ illius super aurum.* 9. 1.1

8. *Non te prætereat narratio seniorum.* 2.5.3. & 2.7.1

9. *Speciem mulieris alienæ multi admirati reprobi facti sunt.* 7.1.1

11. *Bona & mala, vita & mors, paupertas, & honestas à Deo sunt.* 5.8.1

15. *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit eum in manu consilij sui.* 1.7.1. & 1. 10.2. & 1. 16. 1. & 2. 5. 4. & 8. 27.2

Si volueris mandata seruare, conseruabunt te. 2.6 4

Ante hominem vita, & mors, bonum & malum: quodcunque placuerit ei, dabitur illi. 1 7.1

Non dicas, ille me implanauit: non enim necessarij sunt ei homines impij. 4.19.12. & 5. 12.3. & 7.6.4

18. *Qui viuit in æternum, creauit omnia simul.* 8.5.4. & 8.6.5

26. *Gratia mulieris sedulæ delectabit virũ suũ.* 9.1.1

Et qui transgreditur à iustitia ad peccatum, hunc Deus parauit ad romphæam. 6. 36. 11

31. *Beatus diues, &c. qui potuit transgredi, &*

& non eſt tranſgreſſus, facere mala, & non fecit. 1.10.2.& 1.12.5.& 1.16.1.& 2.5.4.& 2.14.2

35. *Non accipiet Dominus perſonam in pauperẽ.* 6.23.4

39. *Opera vniuerſæ carnis coram illo.* 3.16.4

Ex libro Iſaiæ.

1. *Lauamini, mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum,&c. & ſi fuerint peccata veſtra vt coccinum,quaſi nix dealbabuntur.* 7.17.5.& 5.11.4.& 9.10.2

Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis. 2.6.2

Heu conſolabor ſuper hoſtibus meis,& vindicabor de inimicis meis. 5.11.5

4. *Si abluerit Dominus ſanguinem filiarum Sion, & ſanguinem Ieruſalem lauerit.* 6.36.13

5. *Quid eſt quod debui vltrà facere vineæ meæ, & non feci ei?* 2.6.3.& 9.4.5

6. *Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, &c.ne forte videat,&c.* 7.17.5.& 5.15.4.& 7.9.1

Quem mittam, & quis ibit nobis? 8.6.6

7. *Antequam ſciat puer reprobare malum, & eligere bonum.* 7.1.1

10. *Væ Aſſur virga furoris mei,& baculus ipſe eſt.* 8.18.1.& ſeq.

14. *Quomodo cecidiſti de cælo Lucifer, qui mane oriebaris.* 6.35.5

Iurauit Dominus exercituum,ſi non vt putaui ita fiet. 4.8.6.& 4.13.2

26. *Omnia enim opera noſtra operatus es in nobis.* 2.16.3.& 8.15.3

28. *Vt faciat opus ſuum, alienum opus eius.* 5.12.2

30. *Expectat Dominus, vt miſereatur veſtri: & ideo exaltabitur parcens vobis.* 6.13.4.& 7.5.7.& 7.19.5

34. *Et complicabuntur ſicut liber Cæli.* 10.9.4

40. *Omnis caro fœnum,& omnis gloria eius,quaſi flos agri.* 2.17.5

Nunquid neſcis, aut non audiſti, Deus ſempiternus Dominus. 5.6.1

41. *Annunciate, quæ ventura ſunt in futurum: & ſciemus, quia Dij eſtis vos.* 3.27.4.& 10.7.2

Benè quoque,aut malè ſi poteſtis, facite: & loquantur vt videamus ſimul. 2.16.1

43. *Non me inuocaſti Iacob, nec laboraſti in me Iſrael, &c. veruntamen ſeruire me feciſti in peccatis tuis,præbuiſti mihi laborem,&c.* 4.22.5.& 6.11.4

45. *Ego Dominus, & non eſt alter, formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem, & creans malum.* 4.13.2.& 4.19.1.& 8.13.2

Ventura interrogate me, ſuper filios meos, & ſuper opus,&c. 10.7.2.& 3.27.4

47. *Non reſiſtet mihi homo.* 4.22.3

Saluent te augures Cæli, qui contemplantur ſidera. 10.2.5

48. *Prædixi tibi ex tunc: antequam venirent,indicaui tibi.* 10.7.2.& 10.9.3

49. *Et poſuit me quaſi ſagittam electam.* 6.1.2

Ecce dedi te in lucem gentiũ, vt ſis ſalus mea, &c. 9.1.4

Quia his omnibus velut ornamento veſtieris. 6.36.13

53. *Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longæuum.* 6.30.2

65. *Inuentus ſum à non quærentibus me.* 6.10.5

Ex libro Ieremiæ.

1. *Priuſquam te formarem, in vtero noui te.* 8.15.3

3. *Vulgo dicitur. Si dimiſerit vir vxorem ſuam, & recedens ab eo duxerit virum alterum, nũquid reuertetur ad eam vltrà: Tu autem fornicata es cum amatoribus multis.* 7.17.4

7. *Tu ergo noli orare pro populo hoc, nec aſſumas pro eis laudem, & orationem, & non obſiſtas mihi: quia non exaudiam te.* 7.18.1

Argentum reprobum vocate eos,quia Dominus proiecit. 7.9.1

8. *Miluus in Cælo cognouit tempus ſuum, Turtur & hirundo,&c.* 10.2.4

Quia ecce ego mittam vobis ſerpentes regulos, quibus non eſt incantatio: & mordebunt vos. 5.11.5

10. *A ſignis cæli nolite metuere, quæ timent gẽtes.* 10.2.5

Dij qui cælum,& terram non fecerunt, pereãt de terra. 8.6.2

Scio Domine,quia nõ eſt hominis via eius: nec viri eſt, vt ambulet,& dirigat greſſus ſuos. 2.16.1

13. *Si mutare poteſt AEthiops pellem ſuam,& vos poteritis benefacere cum didiceritis malum.* 7.18.2.& 10.6.5

17. *Prauum eſt cor hominis, & inſcrutabile.* 10.8.1

28. *Nunquid ſicut figulus iſte non potero vobis facere domus Iſrael.* 2.16.3.& 4.22.5

Si pœnitentiam egerit gens illa à malo ſuo, quod locutus ſum aduerſus eam, agam & ego pœnitentiam ſuper malo, quod cogitaui, vt facerem ei. 2.6.2.& 4.3.5.& 7.17.4

19. *Et ædificauerunt excelſa Baalim,&c.quæ non præcepi.* 8.13.8

23. *Nunquid non verba mea ſunt quaſi ignis ardens,& quaſi malleus.* 7.19.5

27. *Vos ergo nolite audire prophetas veſtros, & diuinos,& ſomniatores.* 10.2.5

31. *Audiens audiui Ephraim tranſmigrantem, caſtigaſti me, & eruditus ſum.* 4.13.2

38. *Et per voluntatem ſuam erant,& creata ſunt.* 8.6.2

Digitized by Google

8.6.2

Ex libro Ezechielis.

3. *Non enim ad Populum profundi ſermonis, & ignotæ linguæ tu mitteris, &c. & ſi ad illos mitteretis, ipſi audirent te.* 6.10.7

14. *Et prophetæ cùm errauerit, & locutus fuerit verbum, ego Dominus decepi Prophetam illum.* 4.19.4

16. *Totum caput exponitur.* 6.11.4. & 7.20.4
Expandi amictũ meũ ſuper te, & operui ignominiam tuam. 5.3.4
Et requieſcet indignatio mea in te, & auferetur zelus meus à te, & quieſcam, nec iraſcar amplius. 5.15.5

18. *Nunquid voluntatis meæ eſt mors impij, dicit Dominus Deus.* 5.11.4. & 7.17.4
Si auerterit ſe iuſtus à iuſtitia ſua, & fecerit iniquitatem, &c. omnes iuſtitiæ eius, quas fecerat, non recordabuntur. 2.6.2. & 4.3.5
Cùm auerterit ſe impius ab impietate ſua, quã operatus eſt, & fecerit iudicium, & iuſtitiam, ipſe animam ſuam viuificabit. 5.11.3
Facite vobis cor nouum, & ſpiritum nouum: & quare moriemini domus Iſraël. 6.16.1. & 9.10.2. & 9.12.2

28. *Tu ſignaculum ſimilitudinis plenus ſapientia, & perfectus decore, in deliciis Paradiſi Dei fuiſti.* 6.35.5

33. *Viuo Ego, dicit Dominus, nolo mortem impij, ſed vt conuertatur impius à via ſua, & viuat.* 6.13.4. & 7.20.2
Etiam ſi dixero iuſto, quòd vita viuat, & confiſus in iuſtitia ſua fecerit iniquitatem, omnes iuſtitiæ eius obliuioni tradentur. 4.23.1

36. *Et dabo vobis cor nouum, & ſpiritum nouum ponam in medio veſtri, & auferam cor lapideum de carne veſtra, & dabo vobis cor carneum: & ſpiritum meum ponam in medio veſtri, & faciam, vt in præceptis meis ambuletis.* 9.4.9. & 9.12.2

Ex lib. Danielis.

3. *Ecce enim Deus noſter, quem colimus, poteſt eripere nos de camino ignis ardentis, & de manibus tuis, ô Rex liberare. quod ſi noluerit, &c.* 4.3.5. & 4.5.1
Et fecit fornacem ignis, quaſi ventum roris flantem. 8.15.7

4. *Septem tempora mutabuntur ſuper te, donec ſcias, quòd excelſus dominetur ſuper regnum tuum.* 4.5.1

Ex libro Oſeæ.

2. *Totum caput allegatur.* 6.11.4

11. *In funiculis Adam trahã eos, in vinculis charitatis.* 5.6.5. & 7.19.5

13. *Perditio tua ex te Iſraël: tantùm ex me auxilium tibi.* 7.6.4. & 8.13.8

Ex libro Ioëlis.

2. *Conuertimini ad me in toto corde veſtro, &c. & quare moriemini populo meus.* 6.16.8. & 9.10.2. & 9.12.2

Ex libro Amos.

7. *Super tribus ſceleribus Iſraël, & ſuper quatuor non conuertam.* 7.18.1

3. *Si erit malum in Ciuitate, quod Dominus nõ fecerit.* 4.19.1. & 8.13.2

8. *Circuibunt, quarentes verbum Domini, & non inuenient.* 7.18.1

Ex libro Habacuc.

1. *Mundi ſunt oculi tui, ne videas malum.* 3.5.4. & 8.13.5

Ex libro Ionæ.

3. *Adhuc quadraginta dies, & Ninive ſubuertetur.* 3.20.2

Ex libro Zachariæ.

1. *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos.* 6.13.4

Ex libro ſecundo Machabæorum.

7. *Peto nate, vt aſpicias ad cælum, & terram, & omnia quæ in eis ſunt, & intelligas, quia ex nihilo fecit illa Deus, & hominũ genus.* 8.5.4

EX NOVO TESTAMENTO.

Ex Euangelio Matthæi.

5. *Vos eſtis lux mundi: non poteſt ciuitas abſcondi ſupra mõtem poſita.* 9.1.4
Beati pauperes ſpiritu, &c. exponuntur octo beatitudines. 6.36.9. & ſeq.
Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam. 5.6.5
Diligite inimicos veſtros: benefacite iis, qui oderunt vos. 6.36.2. & 9.10.4
Qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos. 5.3.2

6. *Et ne nos inducas in tentationem.* 4.19.4
Nemo poteſt duobus dominis ſeruire. 6.35.10

7. *Non poteſt arbor bona fructus malos facere.* 2.16.1. & 6.35.2. & 6.35.10. & 8.10.1
Domine non ne in nomine tuo prophetauimus &, &c. 9.1.4. & 3.5.4

9. *Et videns IESVS fidem illorum, dixit paralytico: confide, &c.* 6.31.2
Et cùm vidiſſet IESVS cogitationes eorum, dixit. 10.8.1

10. *Cùm autem tradent vos, nolite cogitare, quomodo, aut quid loquamini.* 6.35.10
Nonne duo paſſeres aſſe væneunt, & vnus ex illis non cadet ſuper terram ſine patre veſtro. 2.16.3. & 3.4.1

11. *Quia ſi in Tyro & Sidone factæ fuiſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, &c.* 3.26.2. & 3.27.1. & 3.28.5. & 5.3.2. & 5.11.6. & 9.4.5. & 9.5.6

12. *Qui autem dixerit contra Spiritum ſanctum non remittetur ei, neque, &c.* 7.18.1
Aut facite arborem bonam, & fructum eius bonum, aut arborem malam, & fructum eius malũ. 1 9.1. & 1.10.2. & 6.35.10. & 9.10.5

13. *Et adimpletur in eis prophetia Iſaiæ dicens, &c.* 6.10.5
Incraſſatum enim eſt cor populi huius, & auribus graniter audierunt, & oculos ſuos clauſerunt, ne quando videant, &c. 5.15.7

18. *Non dico tibi vsque septies, sed vsque septuagies septies.* 7.17.4
19. *Facilius est camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in Regnum cælorum.* 4.5.1
20. *Simile est Regnum cælorum homini patri familias, qui exiit primo mane conducere operarios, &c. cum tota parabola.* 6.11.4
Voca operarios, & redde illis mercedem. 6.21.4. & 6.36.9. & 9.10.6
21. *Auferetur à vobis Regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius.* 6.25.4
23. *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos tuos sub alas, & noluisti? ideo relinquetur vobis domus vestra deserta.* 1.16.1. & 2.6.3. & 2.13.1. & 4.22.3. & 5.3.5. & 5.11.3. & 9.4.5. & 9.10.3
24. *Et nisi breuiati fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro.* 6.10.7
Tunc duo erunt in agro, vnus assumetur, & vnus relinquetur. 6.11.6
De die autem illa, & hora nemo scit, neque Angeli cælorum, nisi solus Pater. 10.8.5
25. *Sicut enim homo peregre proficiscens vocauit seruos suos, & vni dedit quinque talenta, &c. cum tota parabola.* 4.23.7
Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis Regnum à constitutione mundi: esurini enim, & dedistis mihi manducare. 6.21.1. & 6.24.1
26. *Omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte.* 6.35.4
Vigilate, & orate, vt non intretis in tentationem. 6.17.1
An putas, quia non possim rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò plusquam duodecim legiones Angelorum. 4.5.1
27. *Domine recordati sumus, quia seductor ille dixit, adhuc viuens.* 4.19.4
28. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine, &c.* 5.10.9

Ex Euangelio Marci.

6. *Et non poterat ibi multas virtutes facere propter incredulitatem eorum.* 4.3.5
12. *Non es longè à regno Dei.* 6.25.4
13. *De die autem illa nemo scit, neque filius hominis.* 8.4.7
Vlt. Prædicate Euãgelium omni creaturæ. 5.10.9

Ex Euangelio Lucæ.

5. *Quorum fidem, vt vidit, dixit remittuntur tibi peccata tua.* 10.8.1
8. *Vobis datum est nosse mysterium Regni Dei, cæteris autem in parabolis loquor, vt videntes, &c.* 2.12.6
10. *Quia si in Tyro, & Sidone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio, & cinere sedentes pœniterent.* 3.19.1
Appropinquauit in vos regnum Dei. 6.25.4
Homo quidam descendebat ab Ierusalem in Iericho, cum tota parabola. 9.2.6. & 9.7.5
11. *Cùm fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia, &c.* 4.19.9
Cùm immundus Spiritus exieris ab homine, &c. cum tota parabola. 7.22.2
Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. 6.5.3
12. *Si autem fœnum, quod hodie est in agro, & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit, quãto magis vos pusillæ fidei?* 3.4.1. & 8.15.3
Nolite timere pusillus grex: quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. 6.21.10.6.24.1
14. *Homo quidam fecit Cœnam magnam, & vocauit multos, cum tota parabola.* 6.11.4
Exi citò per vicos, & plateas, & compelle intrare. 5.10.9
Si quis venit ad me, & non odit patrem suũ, & matrem, &c. 5.14.2
15. *Quia ita gaudium erit in Cælo super vno peccatore pœnitentiã agente, quàm super nonaginta nouem iustis, qui non indigent, &c.* 7.17.4
16. *Quid faciam, quia Dominus meus aufert à me villicationem?* 5.14.3
Quia filij huius seculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt. 9.2.6
Vidit Abraham à longe, & Lazarum in sinu eius. 6.36.11
17. *Sic & vos cùm feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite, serui inutiles sumus.* 6.24.4. & 6.36.6
21. *Nam virtutes Cælorum mouebuntur.* 10.9.7

Ex Euangelio Ioan.

1. *Omnia per ipsam facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* 8.3.6. & 8.5.4
Quod factum est in ipso vita erat. 3.1.3
Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. 5.10.9. & 5.3.2
Dedit eis potestatem filios Dei fieri, iis qui credunt in nomine eius. 1.9.1. & 2.5.6. & 6.15.1. & 9.10.4
Gratia, & veritas per Iesum Christum facta est. 6.28.1
2. *Et quia opus non erat ei, vt quis testimonium perhiberet de homine, ipse enim sciebat, quid esset in homine.* 10.8.1
3. *Nisi quis natus fuerit denuo, non potest introire, &c.* 7.22.5
Non potest homo accipere quidquam, nisi fuerit ei datum de Cælo. 2.16.1. & 6.20.1
5. *Pater meus vsque modò operatur: & ego operor.* 8.15.3
Scrutamini Scripturas, quia illæ testimonium perhibent de me. 10.4.1
6. *Cùm cognouisset, quia venturi essent vt raperẽt eũ, & facerent eũ Regẽ, &c.* 3.27.6. & 9.13.1

Opera

Operamini cibum, non qui perit, ſed manet in vitam æternam. 6.24.2.& 9.10.6
Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum. 2.16.1.& 5.3.2.& 6.20.1.& 7.22.1.& 9.11.1

7. *Si quis voluerit voluntatem eius facere, qui miſit me, hic cognoſcet de doctrina mea, vtrũ ex Deo ſit.* 2.6.5
8. *Ego vado, & quæretis me, & in peccato veſtro moriemini.* 7.18.1
Omnis, qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati.
Qui ex Deo eſt, verba Dei audit: propterea vos non auditis, quia, &c. 6.36.14
9. *Neque hic peccauit, neque parentes eius: ſed vt manifeſtentur opera Dei in illo.* 5.14.4
10. *Propterea me diligit Pater, quia Ego pono animam meam.* 4.13.9
Oues meæ vocem meam audiunt, & ego cognoſco eas, & ſequuntur me. 6.35.2.& 6.36.14.& 7.19.3.& 9.4.9
11. *Sed cùm eſſet Pontifex anni illius prophetauit.* 9.1.4
12. *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Iſaias, excecauit oculos eorum, &c.* 7.22.3
13. *Dixi vobis priuſquam fiat, vt cùm factum fuerit, credatis.* 10.7.2
14. *Ego ſum via, veritas, & vita.* 6.28.1
15. *Si non veniſſem, & locutus eis non fuiſſem, peccatum non haberent.* 2.11.5
Quia ſine me nihil poteſtis facere. 2.17.5.& 8.15.3
Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos. 6.10.5.& 6.11.4.& 6.24.2
Si de mundo fuiſſetis, mundus quod ſuum erat diligeret. 6.36.12
17. *Quos dediſti mihi, cuſtodiui, & nemo ex eis periit.* 6.35.5
19. *Neſcis, quia poteſtatem habeo crucifigere te.* 4.5.5

Ex Actis Apoſtolorum.

1. *Tu Domine, qui corda noſti omnium, oſtende, quem elegeris.* 2.5.3
2. *Hunc definito conſilio, & præſcientia Dei traditum, &c.* 4.15.1
Certiſſimè ſciat ergo omnis domus Iſrael, quia & Dominum eum, &c. 6.4.6
4. *Conuenerunt enim verè in Ciuitate iſta aduerſus ſanctum puerum tuum IESVM Herodes &c. facere, quæ manus tua, & conſilium tuum decreuerunt fieri.* 4.15.1.& 6.4.3
5. *Nónne manens tibi manebat, & venundatum ſub tua erat poteſtate?* 2.5.6
7. *Dura ceruice &c. Vos ſemper Spiritui ſancto reſtitiſtis.* 4.22.3.& 5.15.6.& 9.4.6.& 9.10.3
9. *Saulus adhuc ſpirans minarum, & cædis in diſcipulos Domini.* 6.11.5
In veritate comperi, quia non eſt perſonarum acceptator Deus. 6.23.4
13. *Inueni Dauid filium Ieſſe virum ſecundùm cor meum.* 6.35.4
Et crediderunt, quotquot erant præordinati in vitam æternam. 6.2.3 & 6.24.1
17. *In ipſo viuimus, mouemur, & ſumus.* 1.28.2.& 8.15.3
19. *Diſputans, & ſuadens de Regno Dei.* 6.25.4
Multi autem ex iis, qui fuerant curioſa ſectati, tulerunt libros, & combuſſerunt coram omnibus. 10.2.6

Ex Epiſtola ad Romanos.

1. *Qui factus eſt ei ex ſemine Dauid ſecundùm carnem.* 6.4.6
Qui prædeſtinatus eſt filius Dei in virtute ſecundùm ſpiritum ſanctificationis ex reſurrectione mortuorum, &c. 6.4. per totum, & 6.1.5
Inuiſibilia enim ipſius à creatura mundi per ea, quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur. 7.19.4.& 8.5.6
Tradidit illos Deus in reprobum ſenſum, vt faciant ea, quæ non conueniunt. 2.13.1.& 2.16.3.& 2.17.2.& 2.9.1
2. *An ignoras quod benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit.* 5.11.6.& 5.14.4.& 5.19.3.& 7.20.4.& 9.4.6.& 9.10.3
Gloria autem, & honor, & pax omni operanti bonum. 6.23.4
3. *Per legem enim cognitio peccati.* 2.12.6
Iuſtificati gratis per gratiam ipſius. 6.19.7
5. *Iuſtificati ergo ex fide pacem habeamus ad Deum per Dominum noſtrum, per quem habemus acceſſum per fidem.* 6.28.1
Sed non ſicut delictum, ita & donum, ſi enim vnius delicto, &c. 7.21.1.& 4
Igitur ſicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem, &c. 7.21.2
Gratias autem Deo, quòd fuiſtis ſeruì peccati, &c. liberati autem à peccato, ſerui facti eſtis iuſtitiæ. 2.17.4.& 1.17.1
Gratia autem Dei vita æterna in Chriſto IESV Domino noſtro. 6.22.8.& 6.24.3.& 6.20.1
7. *Infelix ego homo, quis me liberabit.* 6.20.1
8. *Exiſtimo enim, quod non ſunt condignæ paſſiones huius temporis, &c.* 6.24.4
Prudentia carnis mors eſt. 2.17.1
Quos præſciuit, & prædeſtinauit conformes fieri imagines filij ſui, vt ſit ipſe, &c. 6.1.5.& 6.3.2.& 6.24.1
Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. 6.2.12.& 9.6.1.& 9.10.6
Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti. 6.35.12
Nihil ergo damnationis eſt iis, qui ſunt in Chriſto IESV. 7.12.4
Quoniam ſpiritus adiuuat infirmitatem noſtram. 9.3.1
Deus autem ſcrutatur cor. 10.8.1

9. *Totum caput exponitur.* lib.5.cap.14
Voluntati eius quis resistit? 4.22.3
Nunquid dicit figmentum ei, qui se finxit, quare me fecisti sic? 4.22.5
An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam? 5.2.6. & 7.4.1
Quia in hoc ipsum excitaui te, vt ostendam in te virtutem meam. 2.17.2.& 5.15.1
Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei. 2.16.1.& 6.11.4.& 9.4.9. & 9.11.4
Ergo cuius vult miseretur, & quem vult indurat. 2.16.3.& 5.15.4.& 7.8.2.& 7.9.1. & 7.11.2
Quod si Deus volens ostendere iram suam,& notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ aptata in interitum, vt ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ? 5.15.1.& 6.2.12.& 7.5.8
Non ex operibus sed ex vocante dictum est eis, quia maior seruiet minori. 6.11.3
Cùm enim nondum nati essent, aut aliquid boni egissent aut mali. 6.11.3
11. *Sic ergo, & in hoc tempore reliquiæ per electionem gratiæ saluæ factæ sunt.* 6.24.2.6. 11.17
Cæcitas ex parte contigit in Israël, donec plenitudo gentium intraret. 6.2.12
Quis prior dedit illi,& retribuetur ei? 6.11.6
Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia. 2.16.3
Dedit illis Deus spiritum compunctionis, oculos, vt non videant. 5.15.7
Tu autem fide stas, noli altum sapere, sed time. 6.36.5
Sine pœnitentia enim sunt dona, & vocatio Dei. 9.4.9
Tota Epistola ad Romanos paraphrasticè exponitur. lib.5.cap.13

Ex Epistola prima ad Corinthios.

1. *Perdam sapientiam prudentium,& prudentiam Sapientium, reprobabo.* 7.1.1
2. *Sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est,&c.* 6.4.3.& 6.1.5
Qui operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ. 1.14.5.& 2.16.3.& 3.13.1. & 4.1.3.& 4.2.2.& 4.3.5.& 5.1.6
3. *Dei enim sumus adintores.* 9.6.1.& 9.10.6
Itaque neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed,&c. 8.15.3
Vnusquisque autem propriam mercedem accipiet secundùm suum laborem. 2.17.5
Omnia enim vestra sunt: Vos autem Christi, Christus autem Dei. 6.5.1.& 6.7.3
4. *Quis enim te discernit? quid autem habes, quod non accepisti?* 6.10.5.& 6.11.5.& 6. 16.8
7. *Nam qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem: potestatem autem habens suæ voluntatis,&c.* 1.3.4.& 1.9.1.& 1.12. 5.& 1.16.2.& 2.5.6
9. *Nunquid de bobus cura est Deo? an propter nos vtique dicit?* 5.3.4
Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne cùm aliis prædicauerim, ipse reprobus efficiar. 4.24.5.& 6.3.1.& 6.32.5.& 6. 35.3.& 7.1.4
10. *Qui se existimat stare, videat ne cadat.* 6. 31.1.& 6.35.3.& 6.36.5.
Qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis: sed faciet etiam cum tentatione prouentum, vt possitis sustinere. 8.13.8
12. *Idem verò Deus, qui operatur omnia in omnibus.* 2.16.3
Hæc autem omnia operatur vnus, atque idem spiritus, diuidens singulis, prout vult. 4.3.5. & 9.1.5
13. *Videmus nunc per speculum in ænigmate.* 3. 8.3
15. *Sed abundantius illis omnibus laborauí; non ego autem, sed gratia Dei mecum.* 6.16.1.& 8.15.3.& 9.6.1.& 9.10.7
Christus surrexit à mortuis primitiæ dormiẽtium. 7.21.2
Et sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur. 7.21.4
Insipiens tu, quod seminas, non viuificatur, nisi prius moriatur,&c. Deus autem dat illi corpus, sicut vult. 8.15.3
Primus homo de Terra terrenus: secundus homo de cælo cælestis. 10.9.5
Igitur sicut portauimus imaginẽ terreni, portemus & imaginem cælestis. 9.2.6
16. *Istos mittam perferre gratiam vestram in Ierusalem.* 9.1.1

Ex Epistola secunda Corinth.

1. *Et qui vnxit nos Deus, qui & signauit nos.* 9.2.5
3. *Non quod sufficientes simus cogitare,&c. sed sufficientia nostra ex Deo est.* 6.11.5
4. *In quibus Deus huius seculi excæcauit mentes infidelium.* 5.15.4
Momentaneum & leue tribulationis nostræ, &c. æternum gloriæ pondus,&c. 6.24.4
5. *Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit.* 2.17.5.& 6.8.2.& 6. 10.7
Quoniam si vnus pro omnibus mortuus est: ergo omnes mortui sunt. 7.21.2
6. *Adiuuantes autem exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* 6.15.4.& 9. 12.3
9. *Vnusquisque prout destinauit in corde suo, non ex tristitia.* 2.6.5
10. *Qui autem gloriatur, in Domino glorietur.* 6.11.5
13. *Sed vt vos quod bonum est faciatis: nos autem*

tem vt reprobi ſimus. 7.1.1

Ex Epiſtola ad Galatas.

5. *Manifeſta ſunt opera carnis, quæ ſunt immunditia,&c.* 2.17.5

Ex Epiſtola ad Epheſios.

1. *Qui benedixit nos omni benedictione in cæleſtibus.* 6.28.2
Sicut elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem,vt eſſemus ſancti, & immaculati. 6.24.1.& 6.27.6.& 6.28.3.& 5.13.6.& 6.5.1.& 6.7.3.& 6.8.1.& 6.12.3
*Qui prædeſtinauit nos in adoptionem filiorũ per IESVM Chriſtum, in ipſum.*6.1.5.& 6.11.3
2. *Gratia enim eſtis ſaluati per fidem(& hoc non ex vobis,Dei enim donum eſt) nonex operibus,ne quis glorietur.* 6.11.5
Ipſius enim ſumus factura, creati in Chriſto IESV in operibus bonis quæ præparauit,&c. 4.15.2.& 9.12.3
Ergo iam non eſtis hoſpites, & aduenæ: ſed eſtis ciues,&c. 5.3.5
3. *Iſtius rei gratia flecto genua mea ad Patrem.* 9.1.1
4. *Et ipſe dedit quoſdam quidẽ Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas.* 9.1.5
Qui eſt caput Chriſtus, ex quo totum corpus compactum,& connexum,&c. 6.28.2
5. *Surge qui dormis,& exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus.* 9.1.4.& 9.3.1
Sacramentum hoc magnum eſt.Ego autem dico in Chriſto,& in Eccleſia. 6.6.3
6. *Serui obedite Dominis carnalibus cum timore,& tremore.* 2.5.3

Ex Epiſtola ad Philippenſes.

1. *Quia qui cæpit in vobis opus bonum,perficiet vſque in diem Chriſti IESV.* 8.15.3
Quia vobis donatum eſt pro Chriſto, non ſolùm vt in eum credatis, &c. 6.11.5.& 6.28.1
2. *Cum metu, & tremore veſtram ſalutem operamini.* 6.3.1.& 6.16.1.& 6.36.5.& 9.10.6
Deus eſt enim, qui operatur in vobis velle, & perficere. 1.28.2.& 6.11.5.& 8.15.3.& 9.6.1.& 9.8.2

Ex Epiſtola ad Coloſſenſes.

1. *Et tranſtulit in regnum filij dilectionis ſuæ.* 6.2.5.4
Qui eſt imago Dei inuiſibilis primogenitus omnis creaturæ. 6.5.1
Omnia per ipſum,& in ipſo creata ſunt. 8.3.7.& 8.5.4
2. *Qui eſt caput omnis principatus, & poteſtatis.* 6.5.3
3. *Expoliantes vos veterem hominem cum actibus ſuis: & induentes nouum,&c.* 4.2.6
Serui obedite per omnia Dominis carnalibus non ad oculum ſeruientes. 2.5.3

Ex Epiſtola prima ad Theſſalonicenſes.

2. *Vt ambuletis dignè Deo, qui vocauit vos in regnum ſuum,& gloriam.* 6.25.4

Ex Epiſtola prima ad Timotheum.

2. *Qui omnes homines vult ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* 4.20.2.& 5.10.4.& 7.21.1
Qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus. 5.10.9
4. *Cauteriatam habentium ſuam conſcientiam, & prohibentium nubere.* 8.3.6
Quia omnis creatura Dei bona eſt. 8.10.2
Qui eſt Saluator omnium hominum,maximè fidelium. 5.10.9.& 7.21.4

Ex Epiſtola ſecunda ad Timotheum.

1. *Qui nos liberauit, & vocauit vocatione ſua ſancta.* 6.8.2.& 6.11.3.& 6.24.2
Et certus ſum, quia potens eſt depoſitum meũ ſeruare. 6.21.4
2. *Non coronabitur, niſi qui legitimè certauerit.* 6.36.9
Sed firmum fundamentum Dei ſtat, habens ſignaculum hoc: nouit Dominus, qui ſunt eius. 6.32.6
In magna autem domo non ſolùm ſunt vaſa aurea,& argentea,&c. 5.6.5
Si quis ergo emundauerit ſe ab iſtis, erit vas in honorem. 5.17.4.& 6.15.2.& 6.16.8
Ne quando Deus det illis pœnitentiam ad cognoſcendam veritatem, & reſipiſcant à diaboli laqueis,&c. 2.17.4
3. *Homines corrupti mente, reprobi circa fidem.* 7.1.1
4. *In reliquo repoſita eſt mihi corona Iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus,&c.* 6.21.3.& 6.36.9

Ex Epiſtola ad Titum.

1. *Quam promiſit,qui non mentitur Deus,ante tempora ſecularia.* 8.4.7
3. *Non ex operibus iuſtitiæ,quæ fecimus nos,ſed ſecundùm ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit.* 6.10.5

Ex Epiſtola ad Philemonem.

Sine conſilio autem tuo nihil volui facere, vti ne velut ex neceſſitate bonum tuum eſſet: ſed voluntarium. 1.3.4.& 2.6.5

Ex Epiſtola ad Hebræos.

1. *Nouiſſimè locutus eſt nobis in filio,quem conſtituit hæredem,&c.* 10.9.3
Nónne omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus in miniſterium miſſi? 6.6.6
2. *In eo enim, quòd omnia ei ſubiecit, nihil dimiſit non ſubiectum illi.* 6.5.1
3. *Qui autem creauit omnia Deus eſt.* 8.6.2
Qui fidelis eſt ei,qui fecit illum,ſicut & Moyſes in omni domo eius. 6.4.6
Quæ domus ſumus nos: ſi tamen fiduciam,& gloriã ſpei vſque ad finẽ firmam,&c. 6.15.3
Participes enim Chriſti effecti ſumus:ſi tamen initium ſubſtantiæ eius vſque ad finem firmum retineamus. 6.35.3

4. *Timeamus ergo, ne fortè relicta pollicitatione introeundi in requiem eius existimetur aliquis ex vobis deesse.* 6.15.4

Festinemus ergo ingredi illam requiem, vt ne in idipsum quis incidat incredulitatis exemplum. 6.36.5

Et non est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius. omnia autem nuda & aperta sunt oculis eius. 3.4.1.& 7

6. *Impossibile est enim eos, qui semel sunt illuminati, gustauerunt etiam donum cæleste, &c. & prolapsi sunt, rursus renouari ad pœnitentiam.* 7.22.2

Terra enim sæpe venientem super se bibens imbrem, &c. proferens autem spinas, ac tribulos reproba est. 7.2.1

10. *Ideo ingrediens mundum dicit: Hostiam, & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi, &c.* 4.13.9

Voluntariè enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur pro peccatis hostia. 7.18.1.& 8

11. *Fide enim intelligimus aptata esse sæcula verbo Dei, vt ex inuisibilibus visibilia fierent.* 3.9.8

12. *Aspicientes in autorem fidei, & consummatorem IESVM, qui proposito sibi gaudio sustinuit Crucem, &c.* 6.28.1

Contemplantes, ne quis desit gratiæ Dei: ne qua radix amaritudinis sursum germinans impediat. 9.11.6.& 9.12.3

Non enim inuenit pœnitentiæ locum; quãquam cum lachrymis inquisiuisset eã. 7.18.1.& 4

Ex Epistola Iacobi.

1. *Omne datum optimum & omne donum perfectum desursum est.* 2.16.3

Deus enim intentator malorum est, ipse autem neminem tentat. 4.19.4

Vnusquisque verò tentatur à sua concupiscentia abstractus. 1.28.6.& 8.13.8

Ex Epistola Petri prima.

1. *De qua salute exquisierunt, atque scrutati sunt prophetæ, qui de futura in vobis gratia prophetauerunt.* 10.9.3

Sed precioso sanguine quasi agni immaculati Christi, & incontaminati, præcogniti quidem ante mundi constitutionem. 6.4.3

3. *Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quæ in vobis est spe, & fide.* 4.23.3

5. *Pascite qui in vobis est gregem Dei, prouidentes non coactè, sed spontanèe.* 1.6.5

Ex Epistola Petri secunda.

1. *Quapropter fratres magis satagite, vt per bona opera vestra certam vestram vocationem, & electionem faciatis.* 4.24.5.& 6.16.8.& 6.32.1

Et habemus firmiorem propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes, quasi lucernæ lucenti, &c. 10.4.2

2. *A quo enim quis superatus est, huius & seruus est.* 2.17.4

Melius enim erat illis, non cognoscere viam veritatis: quàm post agnitionem retrorsum conuerti, &c. 7.22.2

3. *Sed patienter aget propter nos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiã reuerti.* 5.11.3

Ex Epistola prima Ioannis.

1. *Quod fuit ab initio, quod audiuimus, &c.* 2.7.1

Si dixerimus, quoniã peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est &c. mendacem facimus eum, &c. 6.35.9

Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & iustus, vt remittat nobis peccata nostra. 7.17.5

2. *Sed & si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem IESVM Christum iustum.* 6.35.9.& 7.17.4

Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris; non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi. 5.10.9.& 7.21.2

Qui diligit fratrem suum, in lumine manet. 9.2.5

Ex nobis prodierunt; sed non erant ex nobis: quia si fuissent, &c. 6.35.11

3. *Omnis, qui natus est ex Deo peccatum non facit.* 6.35.2.& 9.12.6

Quoniam si reprehenderit nos cor nostrum, maior est Deus corde nostro, & nouit omnia, &c. 3.4.1

5. *Est peccatum ad mortem, non pro illo dico, vt roget quis.* 7.18.1.& 9

Scimus quoniam omnis, qui natus est ex Deo, non peccat, sed generatio Dei conseruat eum. 6.35.2

Ex Epistola secunda Ioannis.

Videte vosmetipsos, ne perdatis, quæ operati estis: sed mercedem plenã accipiatis. 6.36.5

Ex libro Apocalypsis.

2. *Sed age pœnitentiam, &c. & ferè totum cap.* 7.17.4

Et dedi illi tempus, vt pœnitentiam ageret, & non vult pœnitere. 2.6.2

3. *Tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuã.* 4.24.5.& 6.3.1.& 6.32.5.& 6.36.5

Ego quos amo, corrigo, & castigo. 7.16.2

Ecce sto ad ostium, & pulso. Si quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuã, intrabo ad illum, &c. 5.10.9.& 6.11 4.& 6.13.4.& 7.21.8.& 9.3.1.& 9.4.6.& 9.12.3

4. *Dignus es Domine Deus noster accipere gloriã, & honorem, & virtutẽ, quia tu creasti omnia, & propter voluntatẽ tuã erant, & creata sunt.* 3.13.1.& 3.23.1.& 4.1.3.& 4.8.6.& 8.6.2

6. *Cæli recesserunt quasi liber involutus.* 10.9.4

FINIS.

INDEX
RERVM NOTABILIVM,
QVÆ IN TOTO OPERE CONTINENTVR.

A.

AB præpositio denotat principium vnde motus, vel durationis. 3.17.8
Acceptatorem personarum Deum nõ esse, quo pacto sit intelligendum. 6.23.4
Accidens propria virtute substantiam posse generare, quorundam opinio. 8.8.1
Actiones humanæ etiam apud hæreticos sunt in triplici differentia. 2.5.1
Actio secundæ causæ sub ea præcisa ratione, qua est à secunda causa, non est à Deo: & hoc concedere non est error, sed negare, est causas cõfundere. 3.30.9
Actionis secundæ causæ tota entitas est à Deo, & quomodo hoc sit intelligendum. 3.30.9
Actio agentis alia est, per quam agens cõsequitur suam perfectionem: altera per quam agens suã perfectionem aliis communicat. 4.4.3
Actio transiens qualiter dicat perfectionẽ. 8.3.11
Actio secundæ causæ tota est à prima causa immediatè; & quomodo. 8.15. per totum.
Actio minus libera non est digna præmio, aut supplicio. 1.12.1
Actio potest fieri non libera de libera immutato iudicio rationis. 1.12.1
Actio primæ causæ modificatur in secundis causis. 1.12.3
Actus formalis potentiæ liberæ est electio. 1.14.1
Actus voluntatis duplex, alter naturalis, alter liber; & quomodo vterque vocetur: & inter vtrunque discrimen quadruplex. 1.14.1
Actus comparatione cuius potentiæ liber dicatur. 1.12.3
Inter Actum primum, & secundum non datur actus medius. 1.29.4
Actus voluntatis alter elicitus, alter imperatus. & quoad secundum voluntas potest impediri, & cogi: non quoad primum. 2.16.2
Actus, qui ex libera voluntate proficiscuntur, vt sic non sunt prædefiniti ex sententia Sanctorum Patrum, & D. Thomæ. 3.22.2
Actuum liberorum Deus est causa quinque modis. 3.30.8
Actus liberi ordinis supernaturalis sunt in triplici differentia. 4.14.1
Actui moraliter malo, quod tribuit rationẽ formalem, non est aliquid positiuum. 8.12.10
Actus moraliter malus materialiter est in vno genere, & formaliter in alio. 8.12.10
Actus perfectè liber, qui nec ad meritum, nec ad culpam possit imputari, an detur. 1.22.2
Affirmatio est causa affirmationis, sicut negatio negationis, quando sit verum, & quando falsum. 7.8.5
Agens eodem modo agit, quo actum agitur, quo sensu sit verum. 8.8.4
Agentia quando ita sunt proportionata, vt quantum vnius virtus minuitur, tantum alterius augeatur, si virtus vnius minuitur vsque ad nõ gradum, alterius debere augeri vsque in infinitum, propositio falsa, nec ab Aristotele intenta. 8.12.10
Agens ex necessitate naturæ duplex est. 4.2.1
Agens naturale, & liberum quomodo differant ab inuicem. 4.7.6.& 9.9.2.& 9.15.7
Aliacensis error de diluuio Noëtico. 10.8.1.& sequent.
Aluarez hallucinatus, putans Faustum Episcopum Galliarum illum esse, qui damnatus est in Cap. sancta Romana. 6.8.5
Aluarez nonnunquam sententias Doctorum detruncatas refert. 3.13.7.& 3.20.9. in quarto argumento.
Amentium actiones nec liberæ, nec dignæ laude, aut vituperio. 1.12.1
Anima rationalis immortalitas ostenditur. 5.6.6. & 8.5.7
Animam rationalem creatam ante mundum visibilem succesiuè in corpus ex quorundam opinione demitti. 6.8.1.& seq.
Animam Ideis plenam in corpus demitti, falsum esse ostenditur. 8.4.4
Anima rationalis immortalis ex sententia Aristotelis. 8.5.2.& seq.
Animam rationalem esse productam ex Dei substantia error. 8.5.4
Anima rationalis quare dicatur facta ad imaginẽ Dei. 8.6.5
Angelus quomodo ex sui natura dicatur mortalis, & possibilis. 1.1.1.& 1.2.2
Angelus est verè præditus libero arbitrio. 1.11.3
Angelus in primo instanti suæ creationis non habuit libertatem peccandi. 1.32.1
Angeli cognitio non mensuratur æuo, sed instanti temporis discreti. 3.19.6
Angelus nullus efficaciter exclusus à gloria ante præuisum peccatum. 5.12.6
Angeli sunt prædestinati. 6.3.3
Angelorum prædestinatio quomodo ex meritis Christi. 6.29.4
Angeli quomodo per Christum salutem adepti aliquorum opinio. 6.29.5

Angelos creatos ante mundum visibilem, nonnullorum sententia. 8.4.8
Opinio tamen contraria probabilior, non tamen de fide. 8.4.10
Angelorum creationem à Moyse comprehensam quotundam opinio. 8.4.10
Angelos bonos, aut malos aliquid creauisse, error damnatus. 8.6.1
Argumentum ab autoritate negatiuè quando efficax. 6.6.2
Aristoteles credidit Deum agere ad extra ex necessitate naturæ. 2.1.3.& 4.2.1
Aristoteles mentem Platonis de Ideis rectè impugnauit. 3.9.2
Aristoteles non errauit, cùm dixit, De futuris contingentibus non esse determinatam veritatem contra Vasquez. 3.11.3.& 3.24.6
Aristoteles peccauit, Deum nõ habere distinctam prouidentiam rerum sublunarium. 5.4.2
Aristotelis cum Platone controuersia, an formæ dentur secundùm merita materiæ. 6.7.4
Aristoteles, & Auer. putauerunt, Mundum habere causam verè efficientem ab æterno. 8.2.per totum.
Aristoteles, & Auerroës agnouerunt emanationem rerum à Deo, sed cum admissione multorum errorum. 8.2.7
Aristoteles videtur admisisse creationem ex nihilo, quoad spiritualia. 8.5.2
Auerroës quo sensu dixerit formas elementorum medias esse inter substantiã, & accidens. 3.25.1
Auerroës credidit, Deum agere ad extra ex necessitate naturæ. 4.2.1
Auerroës tribuit Deo veram efficientiam mundi. 8.3.12
Ars est principium proximum agendi directiuũ, non executiuum. 3.13.9
In Artificialibus duplex est motus, alter naturalis, alter secundùm artem. 8.22.5
Astrum nullum maleficium, aut malum influens. 10.5.3
Astra non influunt immediatè in hominum voluntates. 10.5.per totum.
Astrorum influxus est causa Vniuersalis, quæ ab agentibus particularibus debet determinari ad effectus particulares. 10.5.4 & 10.6.3
Astra ad humores corporis mouendos vires habent. 10.6.1. non tamen ad voluntatem necessariò inclinandam. 10.6.2
Astra nõ agunt in inferiora per vires occultas, sed tantùm per motum & lumen. 10.6.3
Astra non sunt causa effectuum particularium, quorum causas particulares ignoramus. 10.6.4
Astra non sunt causæ particulares varietatis complexionum. ibid. 5. neque varietatis morum hominum. ibid. 7. neque varietatis successuum vitæ hominum. ibidem. neque dignitatis Pontificiæ, aut Regalis. ibidem. neque procliuitatis ad Religionem, neque ex Astris pendet Religio: neque varietas exitus vitæ hominum. ibid. 8
Astrorum vires solus Deus nouit. 10.7.1
Astra non omnia ab hominibus cognita, & aliqua nuper fuisse deprehensa. ibid.
Astra non habere vim ad per se infrigidandum. 10.7.3
Astrorum constitutiones semel præteritæ, non amplius redeunt nisi spacio annorum 36000. 10.7.5
Ad motus Astrorum repræsentandos machina quædam mirabilis. 5.6.2
Astronomiæ iudiciariæ primi Inuentores. 10.1.1
Astrologia duplex, naturalis, & fictitia, & inter vtranque triplex discrimen. 10.2.1
Astrologia naturalis probata. 10.2.4
Astrologia iudiciaria damnata per sacram Scripturam Veteris Testamenti. ibid. 5. & seq. item autoritate Pontificum, & Conciliorum. ibid. 7. & seq. Propter Astrologiam Iudiciariam Aquila Ponticus eiectus de Ecclesia. ibid. 9. libri Astrologiæ ab Apostolis combusti valoris aureorum quinquaginta millium. ibidem. De Astrologia iudiciaria antiquorum Philosophorum sententia. 10.3.2
Quid Romani Imperatores de illa senserint. ibidem 3
Astrologiæ iudiciariæ veritate admissa subuertitur omnis Religio, & studium Religionis, & virtutis: & præsertim subuertuntur omnia fundamenta Religionis Christianorum. 10. 4. per totum. Data illius veritate oportet Animam rationalem esse mortalem. 10.4.2
Astrologiam Iudiciariam pernicioſam esse Principi, & Reipublicæ. 10.4.4
Astrologia Iudiciaria est regula Lesbia, quę diuersis diuersimodè pro occasione aptatur. 10.10.4
Astrologorum errores de libero arbitrio. 2.4.2.& 10.1.2
De Astrologis Iudiciariis iudicium sancti Augustini. 10.1.3
Eiusdem Augustini factum mirabile, & doctrina singularis contra Iudiciarios. 10. 2. 7. De eisdem Iudiciariis sententia Priscorum Patrũ & D. Thomæ. ibid. 9. & 10
Astrologi Iudiciarij non distinguunt inter intellectum, & sensum. 10.3.1
Ad Astrologos iudiciarios reuincendos optima ratio Bardesanis. 10.5.5
Astrologos nondum perfectè scire numerũ sphęrarum cælestium. 10.7.3
Astrologos Iudiciarios nihil certi de futuris contingẽtibus posse prædicere. 10.7. per totum, eorum prædictiones fallas deprehendi. ibid. 7
Astrologos Iudiciarios non posse nosse occultas cogitationes cordium. 10.8.1. neque occultos autores delictorum. ibidem. Neque miracula, cuiusmodi fuit Diluuium Noëticum. ibidem. 2. Neque Christi Domini Nostri Incarnationem, Natiuitatem, Vitam, & Mortem, ibid. 5. & non solùm hæc non possunt cognoscere ex Astris tanquam ex causis, sed nec etiam tanquam ex signis contra Origenem. 10.9.1.& sequent.
Astrologi Iudiciarij ex aliquibus veris prædictionibus veritatem artis probare non possunt. 10. 10.2
Astrologi Iudiciarij ex sententia Ptolomæi non possunt in particulari aliquid affirmare, præsertim circa vitam, & mortem hominum. 10. 10.4
Astrologi Iudiciarij ex afflatu dęmonis, vel manifesto, vel occulto sæpe diuinant. 10.11.1
Astrologis Iudiciariis sæpissima esse cum dæmonibus commercia vel manifesta, vel saltem occulta, etiam illis nescientibus, per quæ illi seducuntur. ibid. idque Deus permittit in pœnam improbæ illorum curiositatis. ibidem 3 Contra Astrologos Iudiciarios, & illos consulentes terribilis Diui Augustini sententia. ibid.
Astrologi Iudiciarij quomodo nonnunquam vera prædicere possint, septem causæ assignantur. 10.11.per totum.

Aſſimilatio fit vno ex tribus modis. 3.24.7
Attributa diuina variis modis concipiuntur. 3.15.3
S.P. *Auguſtinus* etiam teſte Caluino ſemper, & in omnibus liquidam, & claram veri expoſitionem tenuit. 1.16.3.& 2.8.1.& 9.11.2
Auguſtini locus in cap. Vaſis itæ. 23.q.4. à quodã moderno corruptus. 1.20.3
Auguſtini doctrinam de Prædeſtinatione, & libero arbitrio magnifacit Caluinus, & fatetur ſe ne in vna quidẽ ſyllaba velle ab ea diſcedere. 2.8.1
Auguſtinus habet illum pro Hæretico, qui liberum arbitrium negat. 2.8.2
Auguſtini libros Hypognoſticon Caluinus recipit. 2.8.2
Auguſtino tributum librũ de Eccleſiaſticis Dogmatibus Caluinus recipit, vt librum Auguſtini. 2.8.4
Auguſtini loca, quibus Caluinus nititur tollere libertatem arbitrij, legitimè explicantur. 2.9. per totum.
Ex Auguſtini doctrina deprompti Canones Conſilij Arauſicani ſecundi iubẽte Leone primo. 2.18.1
Auguſtinus quid intelligat nomine libri,& libertatis. 1.16.3
Auguſtini propoſitiones contra Pelagianos. 1.18.2
Auguſtinus nomine ſubſtantiarum,aut rerum,aut naturarum,non comprehendit operationes humanas, ſed ex inſtituto eas ab illis diſtinguit. 4.17.3
Auguſtinus conceſſit, Deum eſſe cauſam omnis ſubſtantiæ, naturæ, & rei, & non omnis actus creaturæ. 4.17.3
Auguſtini locus ex libro ſecũdo de libero arbitr. cap.20.à quodam moderno corruptè allegatus reſtitutus. 4.19.9
Auguſtini loca nonnulla difficilia in materia de Prædeſtinatione. 5.6.1
Auguſtini doctrina contra Pelagianos,& Semipelagianos, quanam ratione cenſenda ſit doctrina fidei. 5.16.2.& ſequent.
Auguſtini doctrina probata à ſum. Pontificibus. ibid.eius defenſores. ibid.3
In doctrina Auguſtini contra Pelagianos, & Semipelag. ſunt nonnulla, quæ non ab omnibus tenentur. ibid.4
Auguſtinum nonnulli moderni, qui ſe illius doctrinæ patronos faciunt, in puncto principali deſerunt. 5.16.4.& ſeq.& 5.17.2
Auguſtinus quam fidem ſibi, & ſuis dictis velit adhiberi. ibid.5
Auguſtinus ſolis Canõnicis libris vult adhiberi plenam fidem. ibid.
Auguſtini tota doctrina de Prædeſtinatione, & gratia contra Pelagianos, & Semipelagianos quatuor propoſitionibus perſtringitur. ibidem 6
Auguſtinus aut D.Tho.aut Scotus,aut &c. quidquid dixit benè dixit, eſt propoſitio, quæ non deberet admitti in ſcholis. 5.16.5
Auguſtinus contra Pelagianos,& Semipelag.multa dicit,arguendo ad hominem ex conceſſis ab aduerſario. 5.17.1
Auguſtinus perperam allegatur ad probandam electionem ad gloriam,& reprobationem ante præuiſa merita,vel peccata. 5.17.2
Auguſtini ſenſum, quem ex eius libris eliciunt modò Caluinitæ, eliciebant olim Maſſilienſes, & alij nonnulli. 5.17.3
Auguſtinus ponit cauſam prædeſtinationis ex parte reprobi. 5.17.3.& ſeq.
Auguſtini loca primo aſpectu duriſſima in materia de diuina Prædeſtinatione legitimè contra hæreticos explicata. 5.17.7
Auguſtinus nonnunquam diſputando contra hæreticos videtur in aliud extremum declinaſſe; ſed non eſt ita. 5.17.7
Auguſtinus fatetur,ſuam doctrinam de Prædeſtinatione nunquam Eccleſiam Catholicam non tenuiſſe. 6.9.5.& ſequent.
Auguſtinus proteſtatur ſe, dum gratiam extollit, liberum arbitrium non negare. 6.12.2
Auguſtini doctrina de Gratia iuſtificante elucidata. 6.19.5.& ſeq.
Auguſtini doctrinam de Prædeſtinatione eneruant, qui docent electionem ad gloriam eſſe factam ante præuiſa merita. 6.21.per totum.
Auguſtinus doctrinam a ſe traditam lib.primo ad Simplicianum q.2. nunquam retractauit. 6.22.3.& ſeq.
Auguſtini liber de Prædeſtinatione Dei ab Eraſmica cenſura defenditur. 6.22.5.& ſeq.
Auguſtinus non omnes ſuos libros retractauit. ibidem.
Auguſtinus cum Pelagianis non contendit, an electio ad gloriam eſſet ex meritis in gratia fundatis. 6.25.5
Auguſtini doctrina de Prædeſtinatione paruulorum difficilis elucidata. 6.26.5.& 7.22.5.& ſequent.
Auguſtini loca de Reprobatione elucidata. 7.4.4
Auguſtini doctrina de maſſa perditionis malè à nonnullis intellecta elucidatur. 7.12.& 13.per totum,& 7.21.7
Auguſtinus fatetur, ſe ignorare numerum omnium librorum à ſe editorum.7.20.3.eius liber de Prædeſtinatione, & Gratia defenditur. ibidem.
Auguſtini loca de natura peccati difficilia explicata. 8.11.8.& ſeq.& 8.16.4.& ſeq.
Auguſtinus videtur dicere, quòd à Deo ſint omnes naturæ,& non omnes actus,& voluntates. ibid.
Auguſtini autoritate nonnulli multipliciter abutuntur. 8.21.8
Auguſtini locus difficilis de vocatione ſufficienti expoſitus. 9.5.5
Aureoli ſententia de ſcientia Dei. 3.3.2
Auxiliorum diuinorum controuerſia inter Doctores non eſt nuper orta, ſed ante annos ducentos fere ſub eiſdem terminis inter Scholaſticos exagitata. 1.18.1.& 1.19.1:controuerſia de diuinis auxiliis inter recentiores Scholaſticos, niſi æquiuocatio lateat in verbis, potius videtur de modo loquendi,quàm de re. 1.19.10.& 4.9.9
Auxilium ſupernaturale neceſſarium ad eliciendа opera meritoria vitæ æternæ. 2.16.1
Per neceſſitatem Auxilij ſupernaturalis ad merendam vitam æternam non tollitur arbitrij libertas. 2.16.1
Auxilia ſupernaturalia ſunt in quadruplici differentia. 5.3.2
Auxilium,quod eſt naturale ſecundùm ſuam ſubſtantiam,poteſt eſſe ſupernaturale ex diuina ordinatione. 6.13.3
Auxilium ſupernaturale aliud ſufficiens, aliud efficax.

d by Google

ficax. 9.4.per totum.
Auxilium ſufficiens diſtingui ab efficaci, & dari auxilium, quod eſt verè ſufficiens, & tamen non eſt efficax, probatur. 9.4.6. & ſeq.
Auxilium ſufficiens gratiæ præuenientis ſemper homini adeſſe vt ſe conuertat ad Deum. 6. 13.5
Auxilia diuinæ gratiæ peruenientis ad ſeptem genera reducuntur,& quænam illa ſint.7.19.3. & ſequent.
Auxilia minora primò conferuntur,quibus ſi homo benè vtatur,maiora Deus tribuit. 7.19.6
Auxiliorum abuſus eſt in cauſa, quòd maiora auxilia Deus non conferat. 7.19.6
Auxilium ſufficiens proximum ad gratiam iuſtificationis non omnibus datur,ſed tamen datur omnibus remotum. 7.21.7
Auxilium ſufficiens dari omnibus momentis: & quomodo hoc ſit verum. 7.21.8
Auxilio ſufficienti ſi homo benè vteretur, Deus tribueret auxilium efficax. 7.7.4
Auxilium ſufficiens ad reſurgendum non omnibus dari, aliquorum opinio. 7. 9. per totum.
Auxilium ſufficiens ac neceſſariũ ad ſalutem omnibus datur. 7.9.3
Et nulli quantumuis peſſimo vſque ad finem vitæ denegatur. 7.20.per totum.
Auxilium ſufficiens ad reſurgendum, quod alicui non detur, non dari cauſam ex parte hominis,aliquorum opinio minus probabilis.7.10.1. & ſeq.
Auxilium ſufficiens conſtituit in potentia illud omne, quod neceſſariò requiritur in actu primo completo ad operandum. 9.4.1
Auxilium ſufficiens illud eſſe, quod Deus tribuit eo tempore,quo præuidet, liberum arbitrium non eſſe conſenſurum, in quo ſenſu ſit propoſitio vera aut falſa. 9.5.4
Auxilia diuina extenuari per reciduationem. 2. 8.5
Auxilio gratiæ adiuuantis neceſſariò ad perſeuerandum nullus deſeritur à Deo.5.15.10.& 7.6. per totum,& 7.7.per totum.
Auxiliis ſpecialibus ad perſeuerandum in gratia, & vitandum peccata hominem iuſtificatũ Deus non deſerit, niſi priùs ab homine deſeratur.3. 22.4. & ſeq.
Auxilij diuini carentia in homine non poteſt habere rationem ſimplicis negationis,vt vult Aluarez,ſed ſemper induit rationem priuationis. 3.22.6
Auxilij hominibus tradendi Deus ſe debitorem conſtituit, dum præcipit legis obſeruantiam, & perſeuerantiam in bono. 3.22.6
Auxilij diuini ſubtractio ad vincendas tentationes, non poteſt habere rationem ſimplicis negationis. 7. 7. 2. cur eiuſmodi auxilium negatur, cauſa ex parte hominis aſſignari poteſt, & debet. ibidem per totum.
Auxilium ſufficiens ad vincendas tẽtationes omnibus hominibus adeſſe.7.6. per totum. & 7.7. per totum.
Auxilium efficax quod non detur reprobo, cauſa eſt ex parte reprobi,ex Auguſtino, & aliis Patribus. 4.11.10
Auxilium efficax eſſe cauſam adæquatam noſtri conſenſus,quo ſenſu ſit propoſitio vera,vel falſa. 6.16.4
Auxilium efficax ad reſurgendum cur,& quomodo Deus homini deneget. 7.2.3.& 5
Deum homini denegare Auxilium efficax gratiæ adiuuantis, duobus modis intelligi poteſt.7.6. & ſeq.
Auxilium efficax ad perſeuerandum, cur aliqui non habeant ex D. Auguſtino,& D. Thoma.8. 21.7.& ſeq.
Auxilium efficax quid addat ſupra auxilium ſufficiens,& per quid ab illo diſtinguatur. 9.5.3.& ſeq.
Cum Auxilio efficaci non poſſe ſtare diſſenſũ volũtatis,quo pacto ſit propoſitio vera.9.16.10
Auxilium efficax eſt de antecedenter requiſitis ad conſtituendam liberam potentiam in actu primo vltimatè completo, quibus nihilominus poſitis illa poteſt non operari. 1. 29. 3. & ſeq.
Si Auxilium efficax, vt eſt de antecedenter requiſitis, ita voluntatem afficeret, vt eo poſito voluntas non poſſet non operari, eodem ablato tolleretur à voluntate non ſolum operari, ſed etiam poſſe operari.1.29. 5. & ſeq.
Auxilio efficaci ſub formali ratione efficacis poſito in voluntate, cur voluntas non poſſit non apponere conſenſum. 1.30.4
Auxilio efficaci poſito in voluntate, quatenus eſt vnum de antecedenter requiſitis ad conſtituendum voluntatem in actu primo vltimatè completo, ipſam voluntatem poſſe diſentire, definiuit Concilium Trident.ibi.5.quod intelligitur eſſe verum etiam in ſenſu compoſito. ibid.& 1.31.2
Auxilium efficax non ponit in voluntate in ratione actus primi aliquam entitatem realem, quam non ponat auxilium ſufficiens. 9.5.8
Auxilium efficax libertatem arbitrij non tollit. 2. 8.9.& 9.10. per totum.& 11.per totum. & 12. per totum.
Auxilium quantumcunque efficax poſſe abiici. 6. 14. per totum. & 15.per totum. & 16. per totum.
Auxilium diuinæ gratiæ non eſſe efficax ſine libero concurſu noſtræ voluntatis, non eſt liberum arbitrium creatum tribuere efficaciam diuinæ gratiæ, vt quidam recentiores docent. 6.16.7
Auxilij efficacitas in quo conſiſtat, & quomodo faciat,vt faciamus, nec poſſit fruſtrari ſuo effectu. 6.18.7.& ſeq.
Auxilium efficax cum arbitrij libertate conciliare D.Aug. putauit prouinciam laborioſam. 9. Proœ.
Auxilij efficacia non ex ſolo rei euentu pendet, ſed ex diuina intentione & quomodo. 9. 14.2
Per Auxilium gratiæ efficacis voluntatem moram, quatenus ſubſtat diuinæ motioni, non poſſe diſſentire ſi velit, eſt ſententia, quam D.Aug.non ſolùm non probauit,ſed data opera confutauit. 9.15.1
Auxilium efficax non prædeterminat voluntatem antecedenter in ſententia D. Thom. neque ſecundùm rei veritatem. 9. 15. 2. & ſequent.
Auxilium efficax an quoad vſum ſubiiciatur liberæ voluntati. 9.16.5
Auxilium diuinum vt ponatur in nobis, licèt non ſit in noſtra poteſtate: tamen illo in nobis poſito habemos in noſtra poteſtate eodem auxilio vti, vel non vti. 4.23.7
Cum eiſdem prorſus Auxiliis Angelos bonos ſteriſſe, & malos lapſos fuiſſe. 3.22.8

Auxilio æquali posito in duobus, quomodo vnus se ipsum ab alio possit discernere. 6.16.8
Auxilio æquali posito in duobus ambo cõuertuntur,& saluantur, vel damnantur,quomodo verum,aut falsum. 9.5.6

B.

Baptismatis Innocentia facilius obtinetur, & seruatur, quàm renouatio ad pœnitentiam. 7.12.2
Baptismus non est iterabilis. ibid.
Beatudo supernaturalis datur vt merces operum, & vt gratia,& donum. 2.12.5
A Beatitudine supernaturali nullus excluſus ante præuisum peccatum, in quo quis est finaliter moriturus. 5.10. per totum, & sequentibus.
Ad Beatitudinem supernaturalem omnes homines fuisse à Deo ordinatos voluntate saltem antecedente. 5.10.per totum,& seq.
Beza nephandæ libidinis prædicator. Præfatione Generali.
Bonum qualecunque creatum, sub qualicunque ratione propositum voluntati illam necessariò mouere non potest ad electionem. 1.23.2
Bono maiori relicto quomodo potest voluntas minus bonum eligere,& quomodo non. 1.26. per totum. & 1.27. per totum.
Bonum minus comparatum maiori bono, vt sic non habet rationem boni. 1.27.5
Brutæ quomodo vsum rationis aliqualiter participare dicantur. 1.5.4

C.

Caietani quæstio de diuina Prouidentia insolubilis,soluitur. 5.18.5
Casu vt aliquid dicatur euenire, non requiritur, vt eueniat præter intentionem agentis. 5.2.3
Casuale aut fortuitum nihil comparatione primæ causæ. 5.7.4
Caluinus admittit libertatem arbitrij:sed non veram. 1.15.2
Caluinus, & quidam alij hæretici recentiores nullam aliam necessitatem imponere videntur nostræ voluntati, nisi quæ secundùm illos oritur ex diuina Præscientia, & voluntate. 1.19.7
Caluini error non est solum quia per malam consequentiam ex efficacitate diuinæ motionis deducit, quòd voluntas à Deo efficaciter mota non manet libera: sed quia ponit liberum arbitrium à Deo per gratiam ita efficaciter moueri,vt non possit dissentire, si velit. 1.19.8. & propter hoc damnatur à Concilio, & non propter malam deductionem, vel consequentiam. ibid.
Caluinus intellexit Concilium Tridentinum illum damnare ob hoc, quia dixerat, liberum arbitrium à Deo motum per gratiam efficacem non posse dissentire si velit. 1.29.3
Caluinus fatetur, Canonem Concil. quo illius sententia damnatur, intelligendum esse in sensu composito. 1.30.3
Caluinus docet,omnia prouenire ex absoluta necessitate. 2.1.3
Tollit liberum arbitrium ex certitudine præscientiæ. 2.2.2. item ex decreto diuinæ voluntatis. 2.2.2. item ex Prouidentia. 2.2.3. item ex Prædestinatione. 2.3.2. item ex efficacia diuinæ motionis. 2.3.2. item ex efficacia diuinæ Gratiæ.2.3.3.item ex peccato Adæ. 2.4.3
Caluinus fatetur,se velle doctrinam B.Augustini quoad omnia sequi in materia de lib. arbitrio, & Prædestinatione: & B. Augustinum nunquam non retinuisse liquidam,& sinceram veri exponendi rationem. 2.8.1.& 6.34.2.& 9.11.3
Caluinianæ glossæ ad autoritates Augustini pro libero arbitrio. 2.8.1
Caluinus libenter concedit, secundas causas reuera nihil operari, sed solum Deum in illis, & ad illarum præsentiam. 3.30.9
Caluinus fatetur, se à Catholicis dissentire in astruendo diuino decreto,& motione: non ergo damnatur pro mala consequentia, sed pro malo antecedenti. 4.23.4
Caluini errores de diuina Prouidentia. 5. in Proœ.
Caluiniana interpretatio loci D. Pauli ad Rom.1. qui prædestinatus est filius Dei,&c. reiicitur.6.4.per totum.
Caluini errores de Reprobatione. 7.in Proœ.
Caluinus non docuit, Deum velle malitiam peccati. 7.3.7
Caluiniani dogmatis primus autor ab illius turpitudine conuictus illud retractauit. 7.14.1
Caluinus fatetur, per efficaciam diuinæ causalitatis secundas causas necessitari ad quiduis agendum. 8.in Proœ.
Caluini errores do causa peccati. 8.9.2
Caluinitæ horum temporum peiores Manichæis, Idololatris,& ipsom t Diabolo. 8.13.5
Caluiniani erroris asserentis,Deum peccati autorem,origo. 8.14.11
Caluini, & Catholicorum contentio de motione efficaci gratiæ. 8.25.7
Caluini impudentia in succensendo omnibus Patribus. 9.11.2
Caluinus metaphoras Scripturæ literaliter exponit. 9.11.2
Caluinus quo sensu dixerit, liberum hominis arbitrium à Deo motum,& excitatum non posse dissentire,si velit. 9.15.4
Catherini sententia de Prædestinatione malè à Soto explicata,legitimè explicatur,& reiicitur. 6.3.12.& 6.32.1.& seq.
Catherini,& Orosij, & aliorum quorundam sententia de certitudine diuinæ Prædestinationis, piè explicatur. 6.33.3.& sequent.
Causare necessariò non est nobilius, quàm causare contingenter,sed econtrà. 1.17.7
Causate necessariò ad extra non dicit perfectionem,sed imperfectionem. 4.4.4
Causa aliqua duobus modis dici potest indeterminata. ibid.
Causa duobus modis dicitur moralis. 4.18.3
Causæ secundæ etiam liberæ habent suam causalitatem,distinctam à causalitate primæ causæ. 6.16.2
Causa à qua res pendet quoad conseruationem, est causa dans esse ipsi rei. 8.2.5
Causa duobus modis dicitur instrumẽtalis. 8.7.1. & 8.8.1
Causa quæ producit aliquid ex nihilo,& quę producit res ex subiecto, non sunt ad inuicem

proportionabiles,& commenſurabiles. 8.8.6
Cauſam primam priùs naturaliter reſpicere effectum ſecundæ cauſæ,quàm ipſam ſecundã cauſam ex mente Scoti. 4.6.9
Cauſa prima plus, & prius influit quàm ſecunda, quomodo ſit verum. 8.23.10
Cauſæ ſecundæ per hoc,quòd pendent à prima in agendo, non impediuntur quin verè, & liberè operentur. 2.16.3
Cauſæ contingentes non ſunt perfectè determinatæ quandiu effectus ab illis non exeunt. 5. 20.7
Celum quare Iſaias aſſimilauerit libro complicato. 10.9.4
In Cæleſti corpore non eſſe depictos ſucceſſus vitæ hominis, quemadmodum fingebat Origenes. 10.9.per totum.
Cæli,aut cæleſtis corporis nomine B. Auguſtinus aliquando intelligit corpora noſtra glorificata. ibid.5
Cæli ſunt liber in quo Dei potentia, ſapientia, & bonitas legitur. ibi.4
Chryſoſtomi ſententia de peccato originali ab Aug. Catholicè expoſiti. 1.17.1
Chryſoſtomi doctrina de Prædeſtinatione, vt Catholica defenditur. 6.9.7
Chryſoſtomi autoritates Catholicè explicand4.6. 12.5.& ſequent.
Chriſtus Dominus Noſter quomodo liberè adimpleuit præceptum moriendi,& alia præcepta. 1. 15.5.& 4.13.2 & 4.15.1
Chriſtum habuiſſe verè præceptum ſuſtinendi mortem. 1.11.3
Chriſtum liberè paſſum etiam quoad ſubſtantiam operis. ibid.
Chriſtum non priùs habuiſſe præceptum moriẽdi, quàm præuiſus fuerit voluntariè acceptaturus crucem. 1.11.5
Chriſtus habuit neceſſitatem patiendi ex ſuppoſitione conſequente,non antecedente. 1.20.1
Chriſti paſſio quomodo ab æterno prædeſtinata. 4.13.2.& 4.15.1
Chriſti paſſio non fuit prædefinita ante præuiſam liberam acceptationem. ibid.9
Præceptum moriendi non abſtulit ab illo libertatem ſubeundi paſſionem. ibid.
Chriſti anima quare cum libertate non potuerit tranſgredi præceptum. ibid.
Chriſtus an verè fuerit prædeſtinatus, & quomodo. 6.4. per totum. locus Apoſtoli ad Rom.1. elucidatus. ibid.4.& ſeq.
Chriſtus eſt prædeſtinatus filius Dei, eſt propoſitio vera. iſta autem, Chriſtus factus eſt filius Dei,in rigore ſermonis eſt falſa. 6.4.6
Chriſtus caput Prædeſtinatorum,& quomodo. 6. 5.per totum,& 6.per totum.
Chriſtus eſt caput Prædeſtinatorum etiam vt homo. 6.6.1
Chriſti prædeſtinatio non eſt facta ante præuiſum originale. ibid.
Chriſti aduentus in carne ſola cauſa fuit hominis redemptio. ibid.
Chriſtus quomodo dicatur caput Angelorum. 6. 5.5.& 6.6.5
Chriſtus quomodo ſit caput Prædeſtinatorũ optimus modus. 6.6.11
Chriſti prædeſtinatio diuerſa à prædeſtinatione aliorum. 6.26.4
Chriſtum non meruiſſe omnibus electis prædeſtinationem opinio aliquorum minus probabilis. 6.27. per totum.
De merito Chriſti ſententia Suarez non probanda. 4.27.4
Chriſti meritum eſt fundatum in eius paſſione. 4. 27.5.quomodo potuerit eſſe cauſa æternæ prædeſtinationis. 6.27.5
Chriſti meritum eſt cauſa noſtræ prædeſtinationis non ſolùm ordine executionis, ſed etiam intẽtionis contra Suarez. 6.27.6.& 6.28.4
Chriſtum meruiſſe integrum effectum noſtræ prædeſtinationis. 6.28.per totum.
Chriſti incarnatio, & meritum ordinatur ad noſtram prædeſtinationem vti cauſa, non autem vt effectus. 6.29.2.& 6.29.7
Chriſtus aliter meruit homini prædeſtinationem,quàm vnus homo alij. ibid.
Chriſtus quomodo meruit Angelis illorum prædeſtinationem. 6.29.4
Chriſtus meruit nobis prædeſtinationem, ſed quibuſdam legibus alligatam. 6.29.6
Chriſti merita fuerunt ex impulſu Spiritus ſancti. 6.29.7
Chriſtus meruit prædeſtinatis electionem comparatiuam. 6.30.4
De Chriſto intelligendus locus Prouerbiorum c. 8.Dominus, &c. 8.6.7
Chriſti humanitas eſt cauſa noſtræ Iuſtificationis verè efficiens. 8.7.7
Chriſto qua ratione Crux fuerit pœna. 8.11. 1
Chriſtus qua ratione impeccabilis. 9.16.3
Ex *Chriſtianis* plures damnari,quam ſaluari ſententia Gregorij. 6.32.6
Cicero circa Dei prouidentiam de contingentibus turpiter lapſus. 2.1.1
Cogitatio mala, quando & cur culpabilis. 1. 6.6
Cogitationes primas in quolibet negotio immitti à Deo ſenſit Ariſtoteles. 1. 18.5. & quo pacto hoc ſit intelligendum. ibid.6
Communis omnium conſenſus naturæ vox eſt,quæ falſa eſſe nequit. 2.15.2
Concilij ſecũdi Arauſicani autoritas irrefragabilis. 4.16 8
Concurſus diuinus cum ſecundis cauſis. Vide infrà in verbo,Dei concurſus.
Conſilium duo dicit,inquiſitionem rei dubiæ,& deliberationem. 1.14.5
Concilium quomodo ſit in Deo, & in Angelis. ibid.
Conſultationes non ſunt de neceſſariis, vel impoſſibilibus;ſed ſolùm de iis,quæ aliquo modo ſunt in noſtra poteſtate. 2.13.5
Correptionis diuinæ vtilitates ex D. Auguſtino. 2. 13.1
Contingens dicitur aliquid multis modis. 1. 2. per totum.
Cõtingens alio modo accipitur in diuina Scriptura alio à Scholaſticis. 1.2.1
Contingens eſt modus entis intrinſecus, & latiſſimè ſumptum non dicit imperfectionem. ibid. 2.& 5
Contingens aliquid duobus modis dici poteſt, vel comparatione primæ cauſæ, vel comparatione aliarum cauſarum. 1.2.1
Contingens aliqua cauſa dicitur duobus modis, vel ob perfectionem, vel ob imperfectionem. 1.2.5
Contingens quomodo dicatur monſtrum. 1.2.3
Contingens in eſſendo dicitur aliquid ſex modis. 1.2.4
Contingens non dicitur ſolus effectus liber. 1. 2.4

Digitized by Google

Contingens in cauſando, quid & quotuplex. 1. 2.5
Contingens cauſa an Deus dici poſſit. 1.2.5
Contingentia eſſent in Mundo, etiamſi Deus ageret ex neceſſitate naturæ, quorundam ſententia. 1. 12.3
De Contingentibus an, & quomodo eſſe poſſit determinata veritas. 2.18.5
Contingentia alia ſunt abſoluta, alia cõditionata. 3.in Proœ.
De futuris Contingentibus non eſt determinata veritas, verè dixit Ariſto. contra ſententiam Vaſquez. 3.11.3.& ſeq.
Futura Contingentia quomodo diuinæ notitiæ ſubdantur. 3.11.5
Contingens ſecundum quod eſſe ſit certo ſcibile, vel non ſcibile. 3.15. per totum & 3.19.2. & 3. 27.3
Contingentia quanam ratione ſubſtent diuinæ cognitioni ſecundùm D.Thomam. 3.15.1. & ſeq. cuius doctrina eſt optima, & defẽditur. 3.17.10. & 3.17.18.& ſeq.
Contingentia non habent determinatam veritatẽ ratione illius eſſe, quod ſolùm habent in ſuis cauſis cõtingẽtibus, ſed ratione illius eſſe, quod aliquando habent in ſeipſis extra ſuas cauſas. 3. 18. 4. & hoc eſt verum loquendo etiam de contingentibus, ex ſuppoſitione. ibidem & 3. 24.6
Contingentia ſiue abſoluta, ſiue conditionata, non poſſunt certò ſciri etiam à Deo inſpecto ſolùm illo eſſe, quod habent in ſuis cauſis, & non etiam illo, quod habent aliquando in ſeipſis extra eaſdem cauſas. 3.24.6.& 3.27.3
Contingentium actualis exiſtentia licèt non ſit neceſſaria ad hoc, vt Deus ex illa accipiat notitiam: eſt tamen neceſſaria ad hoc, vt propoſitio de contingenti habeat determinatam veritatẽ. 3.19.3
Contingentia alia ſunt, quæ Deus nõ ponit in nobis ſine nobis: alia, quæ ponit in nobis, ſine nobis. 3.19.3
Contingentia non poſſe certò cognoſci in ſuis cauſis ex ſententia D.Thomæ. 3.10.4.& ſequentibus.
Contingentes cauſæ nunquam perfectè determinatæ quandiu effectus ab illis non emanat. 3. 20.7
Contingens non cognoſceretur certò per infinitatem eſſentiæ ſcientiæ, & luminis diuini, ſi in ſe non contineret determinatam veritatem. 3. 24.5
Contingens contradiſtinguitur à libero ex D.Th. 4.2.5
Contingentiam cum libertate nonnulli perperam confundunt. 4.6.1
Cõtingentes dicuntur effectus non ſolùm comparatione ſecundarum cauſarum, ſed etiam comparatione primæ cauſæ. 5.7.2.& ſeq.
Contingens, & liberum differunt à caſuali, & fortuito. 5.7.3
Contingens aliquid eſſe comparatione primæ cauſæ duobus modis intelligi poteſt. 5.7.3
Contingentium futurorum notitia eſt prærogatiua & nota ſolius diuinitatis. 10.7.1.& ſeq.
Contritio acquiſita quo ſenſu à nõnullis Catholicis dicatur diſpoſitio ſufficiens ad gratiam gratum facientem. 6.13.11
Cõtritio in genere cauſæ materialis eſt prior gratia iuſtificante: & in genere cauſæ formalis eſt poſterior. 7.7.9
Creatio mundi fuit libera, & quare. 1.31.5
Creationem primæ materiæ Philoſophi videntur ignoraſſe. 8.5.1
Creationem an admiſerit Ariſt. 8.5.2
Creatio non poteſt demonſtrari ratione naturali. 8.5.6. ſed tamen poteſt probari optimis coniecturis. ibidem. & rationes Philoſophorum contra creationem ſunt euidenter ſolubiles. ibidem 8.
Creationem eſſe productionem totius entis, vt ens eſt, in quo ſenſu ſit verum & falſum. 8.5.8. & 8. 8.7
Creatio ſolius diuinæ virtutis eſt opus. 8.6.2. neque poteſt virtus creandi communicari creaturæ, ſaltem vt cauſæ principali. ibid.4. tamen Creatura aſſumi à diuina virtute, vt inſtrumentum ad aliquid creandum 8.7.per totum, & 8. per totum.
Creationis & conditionis nominibus ſacra Scriptura vti ſolet ad magna opera denotanda. 9. 12.3
Creatura habet duplex eſſe, aliud in ſe, aliud in Deo. 3.2.3
Creatura in Deo concipitur contineri quinque modis. 3.1.3
Creaturæ in Deo ex mente Scoti habent eſſe cognitum diſtinctum ab eſſe ideali, & ab eſſe reali, quod habẽt in ſe ipſis: & quidnam ſit illud eſſe cognitum. 3.1.4
Creaturæ dicuntur ſpeculum Diuinitatis. 3.5.9
Creaturæ habent ſuas operationes, & non ſolus Deus in illis operatur. 3.14.7
Creaturas coexiſtere Deo ab æterno ſecundùm proprias illarum exiſtentias, eſt opinio falſa, & chimerica. 3.16.per totum.
Creaturas ſecundum eſſe actualis exiſtentiæ eſſe præſentes Deo ab æterno, in aliquo ſenſu eſt verum, & in aliquo falſum. 3.16.3.& ſeq.
Creatura non poteſt alteri coexiſtere in menſura aliena, niſi quando exiſtit in menſura propria. ibid.5.& ſeq.
Diſtinctio de coëxiſtentia Creaturarum in æternitate, & in propria menſura à nõnullis confuſa reiicitur à D.Thoma. 3.17.per totum.
Creaturas eſſe Deo coæternas in æternitate, vel eſſe ab æterno in æternitate, eſt propoſitio in rigore, & proprietatis falſa, & accedens ad errorẽ Ioannis Vuicleffi. 3.17.8
Creaturę ſunt ab ęterno Deo præſentes ſecundùm eſſe obiectiuum. 3.17.9
Creaturæ actio eſt immediatè à Deo immediatione virtutis, & ſuppoſiti. 8.16.2
Creaturæ actio eſt tota à cauſa prima, & ſecunda totalitate effectus & etiam cauſalitatis, ſed cum ſubordinatione. 8.16.2
Creaturarum poſſibilitatem nõ ſupponere Deum vt potentem producere, vel vt actu producentem, opinio Vaſquez. 3.24.8
Creaturæ ordinãtur in Deum vt in finem, non ſicut oues ad leones, aut lepores ad lupos: ſed vt diuinam bonitatem participent, & ab illa foueantur. 7.5.7
Creaturę vt creaturę repugnat eſſe ab æterno productã. 8.4.11. quare dicẽtes mundum creatũ ab æterno, latenter cõcedũt contradictoria. ibid. 12

D.

Damnatus quomodo peccet, & quorum reſpectu habeat liberum arbitrium. 1.17.5
Delectatio quando moroſa, & quando peccatum. 1. 12.1

Delectatio morosa ex praua cogitatione, etiã absque consensu, quomodo possit esse peccatum. 3.22.3

Definitio exacta debet soluere omnia dubia contingentia circa rem definitam. Præfat. Generali.

Determinatio voluntatis. Vide infrà in verbo *Voluntas*.

Determinationes Physicæ. Vide inf. in verbo *Prædeterminationes*.

Dædali Imagines ligatæ in templis quid significarent ex sententia Plat. & Arist. 2.17.5. & 4.19.8. & 9.7.5

Dæmoni Deus maiorem potestatem super hominẽ permittit in pœnam præcedẽtium peccatorum. 4.19.8

Dæmonum vires per Christum eneruatæ. ibidem 9

Dæmon Leo, & Draco. 6 Proœ.

Dæmones quo pacto futura contingentia prædicere possint, antequam eueniant. 10.11.2

Dei actio ad extra ex sententia Aristotelis, & Auerrois fluit ab eo necessariò necessitate suæ bonitatis, & immutabilitatis. 4. 2. 1. & 4. 3.3

Deus non facit quicquid potest. 2. 5. 5. & seq.

Deus est causa rerum particularium secũdùm illarum rationes particulares, quibus ab inuicem distinguuntur. 3.4.3

Dei causalitas tantum se extendit, quantum illius cognitio. 3.4.4

Deus quomodo causat res per scientiam, volũtatẽ, & potentiam. 3.13.4 & seq.

Diuinæ actionis ad extra principium proximum est diuina potentia 3.13.5. & cum hoc intellectus, & voluntas possunt dici principia immediata in suo genere. ibid. & sequent.

Deus quomodo dicatur omnia causare per suum verbum. 3.13.10

Deũ agere necessariò ad extra, & facere quidquid potest, multi hæretici dixerunt. 4 3.4. & sequentibus. qui error ibidem confutatur.

Deus multa facere potest, quæ actu non facit. 4.5. per totum.

Deus, & natura semper faciunt de possibilibus, quod melius est. 4.5.7

Deus si ageret ad extra ex necessitate naturę, nõ relinqueretur cõtingẽtia, & libertas in creaturis. 4.6.5. & seq.

Deum non esse causam immediatam entitatis naturalis actus moraliter mali, sententia quorundam Theologorum. 4.16.6

Deus etiam si non esset causa immediata actionum secundarum causarum, non sequeretur, quòd darentur plura prima principia in mũdo, 4.16.6

Deus duobus modis dicitur agere in voluntatẽ ad illam inclinandam. 4.19.7

Dei causalitatem se extendere ad omnia, ad quæ se extendit illius Prouidentia, aliqui Theologi negant. 5 9.6

Deum non esse causam omnis actionis creaturæ, opinio Durandi falsa. 8.9.4

Deus est causa omnis operationis cuiuslibet secũdæ causæ immediata immediatione virtutis, & suppositi. 8.15 per totum.

Deũ nõ posse producere actionem vitalem creatã, quo sensu sit verum aut falsum. 8.23 8

Dei concursus cum secundis causis non esset talis, qualis nũc est, si Deus ageret ad extra ex necessitate naturæ. 4 6.4

Dei concursus cum secundis causis modificatur in illis. ibidem

Dei concursus cum secundis causis, & cum earũ determinatione eundem ordinem habet in diuina Prædefinitione, quem habet cum concursu, & determinatione earundem causarum in rerum natura. 4.10.2

Deus quare offerat, & præbeat suum cõcursum ad actus malos, quos nollet à nobis fieri. 4.18.4

Dei cõcursus an sit influxus in solam actionem secũdæ causæ, an etiam in ipsam causam. 5.20.7

Dei concursus cum voluntate creata in determinando ipsam voluntatem explicatur. 5.20.4. & sequentibus.

Deum concurrere ad actionem peccati duobus modis possumus imaginari. 8.14.11. qualis sit eiusmodi concursus. ibid. 12

Dei concursus se extendit ad omnem actionem secundæ causæ, & est influxus immediatus in operationem secundæ causæ. 8.15. per totum.

Deus est causa immediata omnis actionis creatæ immediatione virtutis, & etiam suppositi. 8.16.2

Deus est causa totius entitatis actionis secundæ causæ totalitate effectus, & etiam causalitatis, cum ordine tamen. ibidem

Deus ita cooperatur creaturis, vt etiam illæ verè cooperentur, & nõ solus Deus ad illarum præsentiam. 8. 17. per totum, & 18. per totum.

Dei cõcursus cum secundis causis sensu aliquo bono potest dici causa partialis. 8. 18.6. neque id negat Aug. ibid. 8

Dei cõcursus an sit influxus in actiones, an etiam in secundas causas, opiniones Scholasticorum. 8.19. per totum.

Dei nouus influxus in voluntatem creatam ad singulas actiones ex Aristotele probari non potest. 8.19.4. & seq.

De concursu, & influxu primæ causæ cũ secundis sententia Aristotelis, & D. Aug. explicatur. 8.19. 4. & seq. item sentẽtia D. Thomæ 8.20. per totũ.

Dei concursus ad actiones liberas voluntatis creatæ, quæ sunt ordinis naturalis, non est influxus præuius in volũtatem, sed solùm in illius actionem. 8.21.2. est tamen influxus in voluntatem per modum intentionis & artis, existentis in Instrumentis Artificis Vniuersalis, qui est Deus. 8. 22. per totum.

Concursus primæ causæ modificatur in secundis, & à secundis causis ex sententia antiquorũ Thomistarum. 8.24.7

Deus cooperatur, quia voluntas operatur, est propositio Catholica habens sensum legitimum. 8.26.5

Dei concursus generalis cum voluntate humana ad actus liberos est de se indifferens: & voluntas illo vtitur, prout vult. 8.27. per totum.

Concursum diuinum generalem voluntas modificat, & determinat. 8.27.1. & 8.28.4

Dei concursum modificari, & determinari à volũtate creata, non est voluntatem creatam aliquid influere in primam causam, vel in eius actionẽ, vt quidam moderni volunt. ibidem

Dei concursus generalis à D. Thoma comparatur lumini solis, & motui cælestis corporis respectu generabilium. 8.27.3. quod debet intelligi, demptis imperfectionibus. ibid. 1

Dei concursum generalem exhiberi indeterminatum, quo sensu sit verum, & falsum. 8. 27.5

Dei concursus non exhibetur indifferens ad actus mora

moraliter bonos,& malos. 8.27.6
Dei *Decretum* reſpectu eorum,quæ non vult efficere, niſi noſtra voluntate liberè cooperante,non antecedit præſcientiam liberæ determinationis eiuſdem voluntatis. 1.20.2.& 3.19.4
Dei Decretum eſt ratio,ſine qua non,cognoſcendi omnia futura contingentia. 3.21.4.& etiam ratio proxima cognoſcendi omnia contingentia, quorum ſola Dei voluntas eſt cauſa, aut etiam creatura,vt phyſicè prædeterminata ad illorum productionem. ibidem 5.non tamen poteſt eſſe ſufficiens ratio cognoſcendi futura contingentia, quorum diuina voluntas non eſt cauſa totalis, neque voluntas creata vt phyſicè ad illa determinata à diuina voluntate. ibidem 6
Diuinum Decretum non eſt adæquata & per ſe ſufficiens ratio cognoſcendi effectus, qui liberè pendent ab humana voluntate præſcindendo à præſentialitate illorum. & hoc ex mente diui Thomæ. ibidem 7.& ſequentibus. Deum agnoſcere creaturas in ſuo Decreto, & in Ideis, non ſunt vnum, & idem. ibidem 11. Deum cognoſcere creaturas in ſuo decreto quid ſit. ibidem 12
Ponere in Deo Decretum conditionatum,& ex hypotheſi non ſunt vnum & idem:ſed valde diuerſa. 3.26.3
Decretum, quod facit ſcientiam liberam, non eſt illud, quod ponimus in Deo ſolùm ex hypotheſi, ſed quod eſt in Deo verè, & abſolutè.ibidem.
Dei Decretum circa actus liberos creaturæ duplex eſt. 3.30.2.& 4.13.2
Ex diuino Decreto multi hæretici ſuſtulerunt arbitrij libertatem. 4.Proœ.
Diuinum Decretum aliud poſitiuum,aliud permiſſiuum. 4.8.3.& ſeq.
Diuini Decreti cum arbitrij libertate conciliatio triplex. 4.23.per totum.
In diuino Decreto non eſſe potentiam ad præteritum. ibidem 2
Diuinum Decretum vt eſt in Deo, non tranſit in præteritum, ſed ſemper concipiendum vt nunc egrediens à diuina Voluntate. 4.24. 1
Diuini Decreti cum noſtra libertate conciliandi optimus modus. 4.24.per totum.
Diuina prædefinitio quid ſit. 4.8.1.& ſeq. & quomodo differat ab intentione,& permiſſione.ibi. 4.eadem multiplex eſt. ibid.1
Omnes actus humani moraliter boni, & indifferentes ſunt ab æterno prædefiniti in particulari, & abſolutè.4.8.6.& ſeq.actus tamen moraliter mali non ſunt prædefiniti decreto poſitiuo, vt fierent: ſed ſolùm decreto permiſſiuo. ibidem 9
Omnes actus humanos quãtũnis liberos fuiſſe prædefinitos ante omnem præſcientiam liberæ determinationis humanæ voluntatis ad illos, quorũdam opinio quinque modis explicata reiicitur.4.9.1.& ſeq.aliorum opinio aſſerẽs nullum actum liberum humanæ voluntatis fuiſſe antecedenter prædefinitum ad præſcientiam liberæ determinationis noſtræ volũtatis,quatuor modis explicata.ib.6.& ſeq.tertia opinio media inter ſupradictas refertur. ibi.10
Diuina prędefinitio eſt intentio efficax alicuius finis. 4.10.1
Deus non prædefinit actus liberos, quos non vult ponere in nobis ſine nobis liberè volẽtibus,ante præuiſam liberam determinationem noſtræ voluntatis.4.10.2.& 4.11.1.& ſeq. & 5. 19. per totum.
Diuina prædefinitio non infert actibus noſtris neceſſitatem antecedẽtem, ſed ſolùm comitãtẽ,ex Auguſt.5.19.3.& ſeq.& 4.11.2.& 4.12.per totũ, & 4.14.4
Diuina prædefinitio antecedens præſciẽtiam liberę determinationis noſtræ voluntatis infert neceſſitatem antecedẽtem, quæ tollit arbitrij libertatem. 4.11.2
Omnes nihilominus effectus liberi ſunt à Deo prædefiniti etiam in particulari,& quomodo id verum ſit. 4.12.4
Diuinam prædefinitionem ſe extendere ad omnia, ad quę ſe extẽdit diuina cauſalitas,aliqui Theologi negãt. 4.13.7
Actus ſupernaturales poſsũt dici prędefiniti ante præſcientiam liberi eóſenſus,vt abſolutè futuri, nó formaliter,ſed virtualiter, & per accidens in vocatione congrua. 4.14.3
Qualem ordinem habent ad inuicem diuina auxilia,& cooperatio volũtatis creatæ in rerũ natura,talem habent in æterna prædefinitione. 4.14.4
Qui ponũt,omnes actus liberos ſupernaturales fuiſſe prædefinitos ante præſciẽtiã liberæ determinationisnoſtrę volũtatis, vt abſolutè futurę, nõ euadũt à difficultatibus per ſcientiã mediam. 4.14.6
Diuina prędefinitio infert neceſſitatem nõ quãcũque ſed illam, quæ eſt cum intentione, & volitione efficaci effectus. 4.18.5
Deus nullũ deſerit auxiliis neceſſariis ad perſeuerãdum,niſi ab homine priùs deſeratur.5.15.5.& 3.22.4.& 7.6.4
Deũ diligere Iacob, & odio habere Eſau,quid ſit. 5.13.per totum.& 5.14.1.& ſeq.
Deus iure Dominij, etiãſi homines nõ naſcerentur cũ peccato originali,poſſet aliquos illorũ in æternũ damnare interitum:ſed tamen de lege ordinaria id nũquam fecit,nec faciet. 1.31.2
Deũ notitiã de rebus inferioribus nõ habere, crediderũt Epicurus,Plato,Ariſt.& Auerr.3.2.1. & ſeq.
Deum non videre creaturas in ſeipſis dixit Scotus. 3.1.3
Deus cognoſcit hęc inferiora diſtinctè, vt ſunt in ſe ipſis. 3.4.1
Deum ſcire mala, non eſt malũ, vt putauit Auerroes. 3.4.2.& 3.5.4
Deũ cognoſcere hæc inferiora,eſt veritas demonſtrabilis lumine naturali contra Sueſſan. 3.4.6
Dei cognitio terminatur ad eſſe creaturæ, quod illa habet in ſe extra Deũ.3.4.7.& 3.15.per totũ.
Diuinus intellectus quare non vileſcat, cognoſcendo hæc inferiora, & mala. 3.5.1. quomodo cognoſcat mala. 3.5.4
Deus cognoſcit creaturas mediãte diuina eſſentia, non ſolùm tãquam ſpecie, ſed tanquam forma prius intellecta. 3.6.3.& ſeq.
Deus non cognoſcit creaturas immediatè in ſeipſis. ſi in ſeipſis dicat negationem cuiuſcunque medij in ratione formæ, aut cauſæ priùs cognitæ. 3.6.6.& ſeq.
Dei ſcientia, quam habet de creaturis, quomodo fundata ſit in eius omnipotentia. 3.7.2
Deus aliquo ſẽſu legitimo dicitur cognoſcere creaturas in ſeipſis. 3.7.4
Dei notitia de poſſibilibus, quæ nunquam erunt, non poteſt dici ſcientia viſionis. 3.8.4
Dei notitia reſpectu contingentium concipitur, vt

vt ſemper actu præſens,& egrediens. 3.11.7. & ſeq.
Dei ſcientia quomodo ſit rerum cauſa. 3.12. per totum.Scientia,quæ dicitur cauſa rerum,nō eſt viſionis. ibidem 3. ſed ſcientia ſimplicis intelligentiæ. ibidem 4. & eſt ſcientia practica. ibidem 5
Dei ſcientia duobus modis dicitur practica. 3.12.5
Dei ſciētia approbationis duplex eſt.3.12.8.& quare ſcientia, quæ eſt cauſa rerum dicatur approbationis. ibid.
Dei ſcientia non eſt rerum cauſa,niſi adiuncta voluntate diuina. 3.13.1
Deum ſcire res, quia futuræ ſunt:nō autem è contra res futuras eſſe quia ſciuntur à Deo, in quo ſenſu ſit verum.3.14. per totum.
Scientia viſionis male à nonnullis diuiſa in ſpeculatiuam,& practicam. 3.14.3
Scientia, qua videntur futura vt futura, non eſt ſimplicis intelligentiæ, ſed viſionis. 3.14.4
Scientia, quæ à Patribus vocatur cauſa rerum, non eſt ſcientia viſionis. ibidem, & 3.19.6
Dei ſcientia dicitur cauſa rerum quoad illarum naturas: & econtra res dicuntur cauſæ, quòd ſciantur à Deo, quoad illarum affectiones, & operationes liberas. 3.14.6. & ſeq. futuritio licèt non ſit cauſa diuinæ ſcientiæ, eſt tamen cauſa, ſine qua res futura non videretur. 3.14.8
Dei notitia menſuratur æternitate, in qua non eſt præteritum, nec futurum, ſed omnia præſentia.3.11.7.& 3.15.per totum.terminatur ad eſſe præſens actualis exiſtētiæ rei extra ſuas cauſas. ibidem.
Deus nihil certò poteſt cognoſcere, niſi illud habeat determinatam veritatem. 3.18.2
Deum cognoſcere futura contingentia, antequam ſint in rerum natura ſcientia ſimplicis intelligentiæ dixit Molina, cuius dictum reiicitur. 3.18.7
Deus per hoc ſolum, quòd cognoſcit naturam liberi arbitrij, non cognoſcit quid illud actu ſit facturum. 3.19.2
Deus non cognoſcit effectus liberos ſecundarum cauſarum in ſuo decreto efficaci ante liberam determinationem earundem ſecundarum cauſarum ad eoſdem effectus. 3.20.9
Deus non cognoſcit actus moraliter malos in ſolo decreto ſiue poſitiuo, ſiue permiſſiuo. 3.22. per totum.
Præciſo diuino decreto vt cauſa eſſendi futuris contingentibus,ipſa non ſunt amplius cognoſcibilia:ſed tamen eodē decreto præciſo vt cauſa cognoſcendi,ipſa adhuc eſſent cognoſcibilia.3.23.2
Certitudinem diuinæ notitiæ de futuris cōtingentibus reducendam vltimatè in diuinum decretum, quorundam recentiorum ſententia minus probabilis, & cōtra D. Thomam. 3.23.4
Scientia futurorum contingentium quomodo ſubſtat imperio diuinæ voluntatis. 3.23.5
Efficacitas diuinæ ſcientiæ antecedens diuinum decretum,non eſt ratio cognoſcendi futura cōtingentia. 3.24.1
In diuina præſcientia non eſſe potentiā ad præteritum. 4.23.2
Deus non poteſt fieri de ſciente non ſciens. 4.24.8
In Deo non eſt notitia abſtractiua. 6.27.3
Dei ſcientia nullo modo poteſt dici principium proximum agendi ad extra. 3.13.7
Dei præſcientia de futuris contingētibus propriè dici poteſt præſcientia. 3.19.6
Certitudo diuinæ præſcientiæ infert neceſſitatem,quæ eſt ex ſuppoſitione conſequente, non autem antecedente. 1.20.1
Omne præſcitum à Deo eſſe neceſſarium, quomodo ſit intelligendum. 1.31.1.& 5
Conciliatio certitudinis diuinæ præſcientiæ cum noſtra libertate aliquibus Theologis viſa inintelligibilis. 3.11.1. eadem tamen legitimè poteſt explicari. ibid. 7. eadem conciliatio infidelibus viſa impoſſibilis. 3.14.5
Conciliatio certitudinis diuinæ præſcientiæ cum noſtra libertate ad mentem D. Thomæ optima. 3.15.per totum. eadem ratio D. Tho. defenditur contra Molinam. 3. 18. 6. & ſequ. in quo conſiſtat difficultas huius cōciliationis. ibid.7.quæ difficultas fortaſſe in hac vita eſt inſolubilis. ibid.8
Omne præſcitum à Deo eſſe neceſſarium, in quo ſenſu ſit verum, aut falſum. 1.31.1.& 5
Dei omnipotentia per manum ſolet in Scripturis deſignari. 2.5.5
Deus non eſt formaliter omniporens per ſuā ſcientiam. 3.13.4.& 6
In Deo non eſt potentia ad præteritum. 4.23.2. & 4.24.8
Deus habet omnimodam poteſtatem ſuper creaturam,vt illam ommibus modis ſibi ſubiiciat.2.16.3
Deum aliquid homini promittere ſub conditione omnino impoſſibili eſt ſententia Caluini. 2.6.4
Dei voluntas indifferens non ſolùm ad oppoſita obiecta creata,ſed etiam ad oppoſitos actus, & quare. 1.11.2
Deo aliquid efficaciter volente nō poteſt volitum non eſſe: & tamē quādo efficaciter vult aliquid pendēs à noſtro libero arbitrio, illud liberè, & contingenter fit. 1.31.3
Homo vult,quia Deus vult,& non econtra, eſt propoſitio vera loquendo de actibus humanis moraliter bonis,iſta vero propoſitio. Deus vult quia homo vult, & non econtra. eſt vera de actibus moraliter malis. & quare. 3.30.8
Dei voluntas non eſt per modum potentiæ, ſed actionis, & potius dicenda erit volitio. 4.1.2
Deum velle alia à ſe, optima ratio D.Tho.4.1.5.& quomodo id ſpectet ad diuinam perfectionem. ibid.6
Deus non vult creaturas,vt abſolutè futuras neceſſariò ſed liberè.4.2.2. tamen facta ſuppoſitione, quòd ſemel illas voluerit,non poteſt non velle. ibid.3. Creaturas vt poſſibiles Deus vult neceſſariò voluntate ſimplicis complacentię.ibi. Volitio creaturarum eſt perfectio libera in Deo ex mente Caietani. ibid.7
Diuina volitio libera creaturarum quid addat ſupra ſeipſam,quatenus eſt actus naturalis terminatus ad diuinam bonitatem. 4.2.8. & ſeq. ex volitione creaturarum extrinſecè accedere Deo aliquid perfectionis, quorundam opinio. ibidem 10
Deum non velle creaturas, vt per illas aſſequatur finem:ſed vt communicet illis bonitatem finis habi

habiti. ibidem
Dei voluntatem esse principium proximum agēdi ad extra, sententia Molinæ, qui dicit illam esse de fide, reticitur. 4.3.1
Dei voluntas est causa libertatis, & contingentiæ rerum, non præcisè qua efficax, sed quatenus summè libera est. 4.6.7
Voluntas Dei efficax est voluntas consequens. 4.11.8
Dei voluntas consequens supponit necessariò præscientiam nostræ liberæ determinationis. 4.11.8. & ideo Deus non potest efficaciter velle effectum dependentem à libera voluntate humana, nisi præuidendo liberam determinationem liberæ voluntatis ad eundem effectum. 4.12.5. & 4.15.4
Ista propositio. Deus vult, quia homo vult, potest habere aliquē sensum Catholicū. 4.13.8. & licet non concedatur ista. Deus vult quia homo vult: tamen ista absolutè potest, & debet concedi, Deus non vult, quia homo non vult. ibidem.
Deus non potest velle actum intrinsecè malum, vt Blasphemiæ, Odij Dei. 4.17.6
Dei voluntas alia positiua & effectiua, alia permissiua, & quomodo hæ voluntates ab inuicē differant. 4.19.11
Dei voluntas alia signi, alia beneplaciti: & quænam sit voluntas signi. 4.20.1. & 5.2.2. diuinæ voluntatis quinque signa. 4.20.1.& seq. Volūtas diuina alia absoluta, alia conditionata: ibid.2. Voluntas conditionata est formaliter in Deo. ibid. Voluntas conditionata non contradistinguitur à voluntate beneplaciti, vt nonnulli arbitrantur. ibidem. Voluntas duobus modis potest dici conditionata. ibidem. Voluntas conditionata eadem cum voluntate antecedenti. ibid.4
Dei voluntas antecedens quare dicatur voluntas secundùm quid. ibid.
Dei voluntas alia antecedens, alia consequēs. ibid. 6.& quid sit vnaquæque illarum. 4.21.per totū. & 1.19.5
Distinctio diuinæ voluntatis in antecedentem, & consequentem, non habet locum in ils, quæ Deus vult sine dependentia à libera cooperatione Creaturæ. 4.21.1
Voluntas antecedens,& consequens aliquādo sunt circa idem obiectum. ibid.3
Dei Voluntas antecedens est voluntas beneplaciti. ibid.4.& est formaliter in Deo, & non per metaphoram. ibid.5
Dei Voluntas consequens semper impletur. 4.22.3
Dei Voluntati quomodo possit homo resistere. ib. & seq.
Deus sine sui mutatione de volente fit non volens, & è contra. 4.24.6. non tamen potest fieri de sciente non sciens, & quare. ibid.8
Differentia inter obiectum diuinę Volūtatis, & diuinæ scientiæ. ibidem
Diuina Voluntas post effectum productum non potest concipi, vt actu egrediens, sicut cōcipiebatur prius, nec tamen accidit mutatio in Voluntate diuina. 4.24.8. eadem voluntas post effectum productum, est magis determinata. ibid.
Deus volēs aliquid Voluntate antecedenti, vult illud omne, sine quo res esse non potest. 5.8.5
Deus vult malum pœnæ Volūtatē consequente, non antecedente. ibidem
Deus voluntate antecedente, quæ est verè in Deo, vult omnium salūtem. 5.10.per totum. & sequētibus.
Deum velle omnes homines saluos fieri, locus D. Pauli explicatur, & falsæ illius interpretationes reiiciuntur. 5.10.5.& sequen.
Voluntas signi cur sic dicta. 5.10.9
Præter Dei voluntatem multa euenire. 5.20.1
Ordo constitutus inter actus diuinæ voluntatis sumitur ab ordine qui est inter obiecta volita, vel à natura, vel ab ipsa volūtate diuina cōstitutus. 6.6.7
Volūtas cōsequēs ex mente D. Th. includit præscientiam nostrorum operum. 6.23.2
Deus non prius est vltor, quàm homo peccator. 7.14.4
Diluuium Nocticum ex Astrorū inspectione præuideri nō potuisse ab Astrologis probatur. 10.8.2.& seq.
Dominicus Bañes inconstans. 8.8.8
Dominium in proprios actus formaliter resi.det in sola voluntate, non in intellectu. 1.7.5
Ad verum Dominiū quæ requirantur. 1.7.7.& 1.9.3
Dominium proprij appetitus esse in homine, & in proprios actus voluntatis. 2.5.2
Dominium voluntatis in proprios actus, in quibus rebus consistat. 1.12.4.& 1.13.3.& seq.

E

Lectio duplex, formalis directa, & virtualis indirecta. 1.7.9.& 1.14.7
Electio est proprius, & formalis actus potentiæ liberæ, vt talis est. 1.14.per totum.
Electio & volitio differunt, & quomodo. ibidem 1
Electio est desiderium præconsiliati. ibid.2
Electio quomodo permeat ad intellectum. ibid.4
Electio quomodo possit esse de vltimo fine. ibid.6
Electio non sequitur quodcunque iudicium rationis. ibid.5
Electionem semper supponere iudicium practicū omnibus inspectis vltimatè determinatum, nōnullorum opinio. 1.21.1.& sequent.
Eadem opinio vt minus probabilis reiicitur. ibi, & 3.4.5
Ad Electionē sufficere apprehēsionē obiecti, sub ratione conuenientis, quorundam opinio minus probabilis. 1.22.1
Electio alia formalis, alia interpretatiua: prima supponit consilium, non autem secunda. 1.22.3. & formalis est solùm de mediis. Interpretatiua verò etiam de fine. ibidem
Electio formalis supponit iudicium practicum comparatiuum. ibid.4
Electio non est de medio vnico ad finem necessario. ibidem
Electio formalis non requirit iudicium practicū factum omnibus inspectis. ibid.5
Electio interpretatiua requirit iudicium absolutū factum per solam apprehensionem obiecti sub ratione cōuenientis, aut per compositionē. ibi.6 Posito iudicio practico vltimatè cōpleto de aliquo particulari eligibili nō posse nō sequi electionē, aliquorū opinio. 1.23.1. cadē opinio reiicitur. ibid.2. Posito quocunque iudicio quantūcunq; cōpletō, posse voluntatē non ponere electionē. ibid. per totum, & 1.24 per totum, & 1.25. per totum.

Electio efficax ad gloriam non est facta ante merita præuisa. 4.15.4. & hæc est expressa sententia D. Augustini. 5.13.4
Electio differt à Prædestinatione strictè loquendo. 6.2.8
Electio duplex ex Augustino, alia ad gratiam, alia ad gloriam. ibidem. & 6.22.3. & sequent.
Electio ad gloriam non est facta ex occasione peccati. 6.6.9
Augustinus sententiam, quam docuerat in 1. lib. ad Simplicianum de electione ad gloriam nunquã retractauit. 6.22.3. & sequent.
Electio comparatiua ex sententia Suarez est facta gratis. 6.23.1
Electionem ad gloriam esse ex præscientia meritorum sentit D. Th. 6.23.2
Electio ad gloriam ex meritis constat ex diuina Scriptura: illa autem ante præuisa merita ex Scriptura non habetur. 6.23.5
Electio ad gratiam quare ab Augustino vocetur electio ad Regnum. 6.25.4
in Electione ad gloriam quis ordo in diuina volũtate. 6.26.3
Electiones humanas nõ esse naturales, sed liberas. 10.5.1
Electiones humanas non causari ex vi siderum. 10.5. per totum.
Entis natura non addit aliquid supra naturam huius. & illius entis particularis. 3.4.3
Ens per essentiam quid sit, & quæ illius conditiones. 8.3.9
Ens per participationem supponit ens per essentiã, à quo pendet. 8.3.3
inter Ens, & nihil est infinita distantia negatiua, non positiua. 8.6.10
Esse creatum est duplex. 3.1.4
Esse cognitum ad mentem Scoti quid sit. 3.1.5
Essentia diuina nõ repræsentat creaturas immediatè, sed mediante repræsentatione sui ipsius. 3.1.7. & 3.6.7
Essentia diuina est species intelligibilis repræsentans intellectui diuino seipsam, & omnes creaturas, & quomodo illas repræsentet. 3.1.7. & 3.5.9
Essentia diuina non est forma repræsentatiua creaturarum per modum verbi, 3.8.2. neque per modum speculi. ibidem 3.
Essentia diuina repræsentat creaturas per modum causæ. 3.8.3
Essentia diuina quomodo repræsentet futura contingentia naturaliter per modum Ideæ, & speciei intelligibilis. Ex Scoto. 3.10.4
Essentia diuina ex Scoto naturaliter repræsentat intellectui diuino omnes propositiones, quæ habent in se determinatam veritatem. 3.10.2. & 3.24.2
Essentia diuina est repræsentatiua creaturarum, nõ solùm in ratione speciei intelligibilis, & formę, & Ideæ, & causæ, sed etiam mensuræ continentis tempus, & omnia, quæ fiunt in tempore. 3.18.8
Essentia diuina si non esset causa contingentium, non esset ratio sufficiens illa cognoscendi quãtumcunque infinita. contra Vasquez. 3.24.7
Existentia rerum creatarum in æternitate à nonnullis ad mentem D. Thomę conficta reiicitur. 3.16 per totum.
Mensura durationis Existentiæ cuiuslibet rei non differt ab ipsa rei existentia, nisi secundùm rationem, vel conceptum formalem. ibid. 6
Æternitas licèt formaliter sit vnum nunc indiuisibile, tamen virtualiter habet partes extrinsecè, quibus potest plures partes temporis continere, & illis correspondere. 3.16.6
Æternitas eatenus est mensura rerũ, quæ tempore continentur, quatenus continet ipsum tempus, quod illarum est mensura. 3.17.2
Æuum non continet differentias nostri temporis, sicut illas continet æternitas. 3.19.6

F.

Facienti quod in se est, Deum non negare suam gratiam, quo sensu sit propositio Catholica. 6.13.3. & seq.
Facienti, quod in se est, per auxilium gratiæ præuenientis sufficiens, Deum semper dare gratiam iustificantem cõtra nonnullos recẽtiores. 6.13.3
Facultas denotat potentiam expeditam ad operãdum. 1.5.2
Fatum apud antiquos semper acceptum in malam partem. 1.4.1
Fati acceptiones ibidem, aliquãdo in bonam partem à Catholicis acceptam. ibidem 3. à voce fati Augustinus consulit nos abstinere. 1.4.3. Fati definitio ex Boetio. 5.18.1. quam Molina impugnat ibidem 2. defenditur ibidem 4.
Faustus Regiensis nõ fuit damnatus à Gelasio, vt putauit Aluarez. 6.8.5
Faustus Regiensis non reprobatur in eo, quod ait, gratiam cooperantem sub ratione cooperantis non præuenire voluntatem, sed ob alias causas. 9.9.7
Felices in hoc mundo viuere cur mali permittuntur, septem rationes explicantur. 5.6.3. & seq.
Fides supernaturalis donum Dei est & gratia. 6.11.5
Figuli, & vasorum metaphora ab Apostolo introducta hæretici horum temporum multis modis abutuntur. 5.14.5. & sequent. eadem verò ad mentem Apostoli legitimè explicata, ibidem eadem metaphora electioni ad gloriam applicari non potest, nec debet 6.20.5. eiusdem applicatio ad materiam reprobationis. 7.4.2. eiusdem applicatio secundùm Caluinum. ibidem.
Figuli, & luti metaphora, qua nonnulli etiam Catholici sæpè abutuntur, rectè explicata. 4.22.5
Finis ponit suam causalitatem non solùm super effectum, sed etiam super causam efficientem. 1.28.5
Finem qui vult alteri, vt assequendum per liberam illius cooperationem, non potest efficaciter velle ante inspectam liberam eiusdem cooperationem. 4.12.5. & 4.15.4. & 6.23.5
Finis duplex, naturalis, & supernaturalis. 5.3.1. media ad finem supernaturalem in quadruplici differentia. 5.3.2
Finem esse prius volitum quàm media, quomodo verum, aut falsum. 6.21.9
Finis & media possunt in eodem instanti esse volita. 6.21.11. & finem esse prius intentum, quàm media, est per accidens, ratione debilitatis ingenij ipsius agentis. 6.21.11
Ordinatè volens prius vult finem, quàm media, quomodo verum. 6.16.1
Prima intẽtio agentis nõ potest esse, vt res deficiant à fine: sed est ordinare res in finem. 7.1.3

Volens

Digitized by Google

Volens efficaciter finem volũtate antecedenti, vult omne illud, ſine quo finis haberi nequit. 7.3.5.& ſeq.
Finis neceſſariò infert cauſam efficientem. 8.4.5
Forma carentia in ſubiecto habente debitum habendi formam non poteſt eſſe ſimplex negatio: ſed neceſſariò induit rationem priuationis. 3.22.6
Formæ an dentur ſecundùm metita materiæ, controuerſia. 6.7.4
Forma non creatur, ſed educitur de potentia materiæ. 8.6.8
Formam educi de potentia materiæ quid ſit. ibidem 9
Forma vt dicatur educi de potentia materiæ, quid requiritur. 8.7.4
Franciſci Picolominei in D.Thom. & Scotum, & Theologos Scholaſticos lœdoria. 8.2.11
Futura contingentia præuidere eſt proprietas diuinitatis. 2.12.3.& 3.27.4
Futura contingentia conditionata quomodo cognoſcantur à Deo. 3.19.3.& ſeq.
Futurum contingens abſolutum, vt aliquid dicatur, quid requiritur. ibid.5
Futura contingentia abſoluta quomodo Deus cognoſcat. ibidem.
Futura contingentia alia ſimpliciter, alia ſecundùm quid. 3.20.1
Futura ſecundùm quid poſſunt certò cognoſci in ſuis cauſis. ibidem 2
Et quomodo Deus illa in cauſis cognoſcat. ibidem 3
Futura contingentia conditionata an Deus cognoſcat. 3.25. per totum
Propoſitiones de futuro conditionato ſunt in duplici differentia. ibid.3
Futura conditionata habent determinatam veritatem, ratione cuius ſunt cognoſcibilia, vt contingentia abſoluta. 3.29.12.& 3.30.5
De futuris contingentibus vide ſuprà verbo Contingens.

G

Generationis animalium ex putredine cauſa efficiens propinqua. 8.18.5
Gloria non eſt à Deo efficaciter volita adultis ante præuiſa merita profecta ex diuina gratia. 6.21. & ſeq.
Homines fuiſſe ordine intentionis efficaciter electos ad gloriam ante præuiſa merita, eſt enervare totam doctrinam D.Auguſtini de gratuita prædeſtinatione. 6.21.2.& ſeq.
Gloria datur ex meritis, & per merita, & propter merita. 6.21.12
Gloria non eſt homini præparata vt ſimplex donum, ſed vt præmium, & corona. 6.21. per totum.
Gloria dicitur gratia, & etiam merces. 6.21.11. & 6.22.2
Gloriam cur Apoſtolus ad Romanos vocet gratiam, tripliciter declaratur. 6.24.4
Electionem ad gloriam Auguſtinus cur dicat factam ex gratia. 6.25.1
Alia ratione nomen gratiæ dici de gloria, & de auxilio quod Deus confert homini in hac vita. 6.25.2
Gratia multiplex acceptio. 9.1.1.& ſeq.& quid nomine gratiæ intellexerit Pelagius. ibid. 2. & ſeq.
Gratiæ generalis diuiſio. ibid.4. & ſeq. quid gratia gratis data. ibid.5. illius ſpecies. ibid.
Gratia gratum faciens non ſolùm habitualis, ſed etiam actualis. 9.2.1
Gratia duobus modis dicitur ſanare animam, vt actio, & vt forma. ibid.2
Gratiæ diuiſio in operantem, & cooperantem, & de ea variæ opiniones. per totum. 9.6.
Gratia operans, & cooperans reſpectu cuius effectus dicitur. 9.7.1
Gratia operans eſt gratia præueniens, & excitans. ibidem. gratia operans, & cooperans realiter ſunt vnum, & idem, & diſtinguuntur ſolùm per comparationem ad diuerſos effectus. ibidem, & ſeq.
Gratia operans mouet voluntatem non ſolùm moraliter, ſed verè efficienter ex ſententia D. Auguſtini, & D.Thomæ. 9.7.3
Gratia operans, & cooperans, de qua patres loquuntur, non eſt donum habituale. 9.8.1
Gratia operans, & cooperans dicitur reſpectu omnis actus ſupernaturalis interni & externi. 9.8.2.& tam reſpectu mediorum, quam finis. ibidem 3
Gratia operans non eſt ſola motio obiectiua, ſed influxus verè phyſicus in voluntatem, & motio verè effectiua. ibidem 4.& ſeq.
Gratiæ operantis adæquatum eſt aggregatum ex motione morali ſeu obiectiua, & phyſica, ſeu efficiente. ibidem 5
Gratiam operantem præuenientem, & excitantem Ludouicus Molina conſtituit in motione verè efficiente contra aliquos recentiores. ibidem 9
Gratiæ operãtis proprius, & formalis effectus. 9.9.1.& ſequent.& 9.15.7. alij eiuſdem gratiæ effectus, & proprietates. ibid.4
Gratia operans tribuit non ſolùm operari, ſed poſſe operari. 9.15.5
Et quomodo dicatur eſſe de ſe efficax, ſine libero arbitrio. 9.16.7
Gratia cooperans, vt talis, non præuenit liberum influxum voluntatis creatæ, nec eſt natura prior, nec prius natura influit, quàm voluntas in liberam cooperationem. 9.9.5
Gratiam dari facienti quod in ſe eſt quomodo verum. 6.13.3
Primam gratiam nullus ſibi poteſt mereri etiã de congruo, neque ad illam per ſolas vires liberi arbitrij ſufficienter ſe præparare. 6.10.4
Prima gratia ponitur in nobis, ſine nobis. ibidem 10. & ſemper homini adeſt, vt ſe conuertat, ſi velit. 6.13.5
Primam gratiam vnus homo poteſt alteri mereri de congruo. 6.19.3
Gratia gratum faciens actualis diuiditur in excitantem, & adiuuantẽ. 9.3.1. immediatum diuiſum gratiæ in excitantem, & adiuuantem, non eſt gratia habitualis. ibid.2. gratia excitans multis nominibus appellatur à patribus, & conciliis. ibid. 3. gratia excitans, & adiuuans dicitur duobus modis. ibid.
Gratia excitans alia externa, alia interna: & interna alia eſt illuſtrans mentem, alia mouens affectum. 9.3.4.& ſeq.
Gratiam excitantem internam, quæ conſiſtit in illuſtratione mentis, Pelagius videtur admiſiſſe; non tamen illam, quæ excitat ſtupentem voluntatem. 9.3.5
Gratia excitans quid. 9.3.6. & ſeq. ſecundùm nonnullos ea eſt, quæ ſolùm moraliter mouet, &

non physicè. 9.6.7
Gratiam excitantem Patres nonnunquam comprehendunt sub nomine gratiæ adiuuantis, & quare. 9.3.3
Gratiam adiuuantem cur Deus aliquibus non tribuit, causa est in nobis, nó in Deo, ex D. Augustino. 2.8.7. ea nullus destituitur, nisi ille priùs deserat Deum. 7.6.4. per totum, & 7.7. per totum.
Gratiæ adiuuantis ad vincendas tentationes subtractio in iustificato non potest habere rationem simplicis negationis, & quare. 7.7.2
Gratiæ adiuuantis non vsus non semper est formaliter peccatum. 7.7.8
Gratia gratum faciens habitualis potest cadere sub merito de congruo per fidem, & gratiam præuenientem. 6. 19. 1. & seq. cur ab Apostolo vocetur vita æterna. 6.24.3. & à D. Augustino Regnum. 6.25.4. eam nullus se adeptum certò scire potest, sine speciali reuelatione. 6.36.3. verè creatur in anima. 8.7.3. & seq. non educitur de potentia obedientiali. ibid. 4. illius necessitatem nec Pelagius negauit. 9.2.2. illã esse formam creatam inhærentem non negat Magister sententiarum. ibid.
Gratiam iustificantem esse qualitatem inhærentem negauit Caluinus. 9. 2.2. contra quem videtur definiuisse Concilium Tridentinum. ibidem 4. & seq. eam esse qualitatem inhærentem per modum habitus docuerunt antiqui Patres ante Magistrum sententiarum. 9.2.6. ea vocatur vestis animæ, seu stola. ibid. 4
Gratiæ diuisio in præuenientem, comitantem, & subsequentem explicatur. 9.3.9. quid sit immediatum diuisum huius diuisionis. ibidem 10
Gratia sufficiens, vide supra Auxilium sufficiens.
Gratia efficax, vide supra Auxilium efficax.
Gratiam efficacem dari. 9. 4. 9. & seq. illam non tollere arbitrij libertatem. 2.8.9. neque prædeterminare antecedenter liberum arbitrium iuxta D. Thom. 9.15.1. neque etiam secundum rei veritatem. ibidem 3. & seq.
Gratiæ præparatio non est prædestinatio nisi ex intentione finis, & cum certa notitia, quòd per illam creatura assequetur finem. 6.6.3
Gratia collata Adæ in statu Iustitiæ originalis, non pertinebat ad gratiam prædestinationis. 6. 6.4
Confirmati in gratia non amittunt possibilitatem peccandi licet de facto non peccent. 6. 18.3
Grauia, & leuia moueri ad propria loca naturalia à suis formis in via D. Thom. 1.5.6. & 1.9.4. & 1. 28.4. Quare Aristoteles, & D. Thom. dicant, illa non moueri à se ipsis, sed à generante. 1.5.6. & 9.9.2

H

Hæresis quid sit. Præfa. Generali.
Hæresis negans arbitrij voluntatem omnium pessima. ibidem. eadem est bestia à Ioanne depicta Apocalyp. cap. 17. ibidem.
Hæreticorum nostri temporis vita, & mores. ibidem.
Ab Hæreticis oportet dissentire non solùm in re, sed etiam in modo loquendi ad scandalum vitandum. 4.17.1
Hæretici similes sunt Arpyis, 5. in Procæ.
Historia profanæ omnes incipiunt à diluuio Deucalionis, vel Ogigis. 8.4.3

I

Idea quid sit. 3.9.1. opinio Platonis de Ideis recte ab Aristotele impugnata. ibid. 2. Ideæ non sunt rerum imagines, lucentes in diuina essentia, vt in speculo. ibid. 3. neque Creaturæ in esse cognito. ibid. 4
Idea est diuina essentia, vt imitabilis exemplariter à creatura. ibid. 5
Idea dupliciter accipitur pro forma obiecta, & pro arte agendi. ibid. 6.
Idea accepta pro forma obiecta est ipsa diuina essentia. ibidem 7. quæ tamen ante actum diuinæ cognitionis non habet perfectam rationem Ideæ. ibid. 8
Idea vt ars siue ratio agendi est notitia diuinæ essentiæ, vt imitabilis exemplariter à creaturis, siue notitia creaturę, vt imitantis exemplariter diuinam essentiam. 3.9.8
Idea non habet completam rationem nisi adiuncto dicto decreto. ibidem. & ob hanc rationem Dionysius, & Damascenus vocant Ideas bonas voluntates rerum factiuas. ibid.
Idea secundum completam rationem non est nisi illarum rerum, quæ aliquando fient in aliqua temporis differentia. 3.9.8
De Ideis omnes opiniones Doctorum vna excepta conciliantur. ibid.
Idea confert ad notitiam futurorum contingentium accedente diuino decreto, & non ante illud. 3.10.1. & seq.
Ideas repręsentare futura contingentia naturaliter ex doctrina Scoti. ibid. 2. & 3.24.2
de Ideis opinio Suarez improbabilis. 3.10.3
In Ideis Deum cognoscere futura contingentia sentit D. Thom. ibid. 4
Ignis Inferni quomodo torqueat malos spiritus, & animas. 8.8.1
Ignorare omnem malum, quo sensu sit verum. 1.6. 3. & 1.22.4
Imperium dictatiuum rationis sequitur electionem, non autem antecedit. 1.22.5
Imperium non est actus intellectus, sed voluntatis. & dato quòd sit intellectus, non est efficax, nisi quatenus manet in eo vitius voluntatis. 3. 13.10
Imperium intellectus mouens voluntatem per modum efficientis, aut non datur, aut est posterius electione. 1.23.3
Impios Deus non facit, sed ordinat. 2.16.3
Impios quomodo dicatur Deus indurare, & tradere in reprobum sensum. 2.17.3. & 5.15.5. & 5.15.7
Incarnationis Dominicæ sacramentum fuisse Angelis Viatoribus reuelatum opinio multorum Patrum, & Scholasticorum. 6.6.3
Idem mysterium non fuisse reuelatum Angelis Viatoribus, nec Dæmonibus, sed solis Angelis beatis sentit D. Thomas. 6.6.5. & seq.
Incarnationem Verbi esse bonum occasionatum, quo sensu dicat Ecclesia. ibidem 9.
Incarnationis Verbi duplex causa. 6.7.3
Inclinatio naturalis hominis duplex est, altera totius suppositi in vniuersale bonum, & hæc dicitur voluntas: altera potentiæ particularis ad particulare obiectum, vt intellectus ad obiectum intelligibile. 1.7.6
Indifferentia duplex est, alia actiua, alia passiua: & vtraque

Digitized by Google

vtraque requiritur ad constituendam veram libertatem. 1. 7. 5. indifferentia alia in genere causæ finalis, alia in genere causæ efficientis. & hæc secũda magis est necessaria ad constituendam libertatem. ibidem.
Indifferentia requisita ad constituendam libertatem non est solius iudicij, sed multo magis ipsius voluntatis. 1.8.1.& seq.
Manente Indifferentia iudicij potest voluntas necessitari ad vnum. 1.8.3.& hoc in via D. Thomæ. ibidem 7.& 1.10.4
Indifferentia purè passiua tollit non solum rationem liberi: sed etiam spontanei. 1.9.3
Indifferentia potentiæ ad veram libertatem requisita est non solùm indifferentia in actu primo, sed etiam in actu secundo & in exercitio. 1. 10.1
Indifferentia ad peccandum, & non peccandum non est de intrinseca ratione libertatis vt sic: licèt sit conditio concomitans libertatem creaturæ saltem viatricis. 1.10.2
Indifferentia alia contrarietatis, alia contradictionis,& quid sint. 1.11.1
in Indifferentia negatiua quidam constituunt arbitrij libertatem. 4.9.9
Indifferens indifferentia actiua à se ipso potest determinari. 8.23.5
Indurare, & obcæcare peccatores quomodo Deus dicatur. 2.17.3.& 5.15.5.& 5.15.7
Infantes aliter prædestinati, quàm adulti. 6.26.5. illorum prædestinationis causa sola merita Christi. ibidem.
Bonus liberi arbitrij parẽtum, & ministrorum vsus est causa, sine qua præparatio gratiæ in illis non sortiretur effectum prædestinationis. ibidem.
Locus Augustini de illorum prædestinatione difficilis. ibidem.
Infantes morientes in vteris maternis, vel alio modo sine baptismo, non debent dici absolutè destituti auxiliis necessariis ad salutẽ. 7.21. per totum.
Pro eisdem Infantibus Christus obtulit se ipsum. ibidem.
Infantes decedentes sine baptismo quomodo per diuinam prouidentiam dicantur fuisse ordinati in finem supernaturalem beatitudinis. ibid. 6. quomodo dicantur non destituti auxiliis necessariis. 7.22.5.& seq. & quomodo se diuina Prouidentia erga illos habeat. ibidem.
Infideles si legitimè seruarent ius naturæ, & vterẽtur auxiliis, quæ Deus omnibus tradit, reciperent à Deo Prædicatores Euangelicos. 7. 22.4
Infidelis purè negatiuè quis esse potest. ibidem.
Influxus diuinus in voluntatem non determinat illam, nisi vt receptus & modificatus in illa, & existens in eius potestate, ex sententia Nazarij. 1.19.10
Influxus voluntatis in suum effectum, qui est ipsa actualis volitio, consideratus præcisè vt fluit à voluntate, non est à Deo. & hoc non est error, & nihilominus sub alia ratione est solus à Deo. Vnde nulla est entitas creata, quæ non sit à Deo. 3.30.9
Influxus diuinus cum secundis causis eundem ordinem habet in diuina præordinatione, quem habet cum determinatione secundarum causarum in rerum natura. 4.10.2
Influxus diuinus modificatur in secunda causa, & ab illa accipit suam determinationem ex Dominico Banes. 8.8.8
Influxus realis præuius in secundas causas, quoad actus naturales non datur ex sententia D. Thomæ. 8.20. per totum.& 21. per totum.
Influxus præuius in secundas causas se tenens ex parte principij dat non solùm operari, sed etiam posse operari, & quirillo caret, non potest operari. 8.21.8.& seq.
Innocentia Baptismalis faciliùs acquiritur, & seruatur, quàm semel amissa reparetur. 7.22.2
Instrumentalis causa alia est naturalis, alia voluntaria, elevata per diuinam virtutem. 8.8.1
Instrumentalis causa attingit productionem effectus agentis principalis. ibid.2
Instrumentum agere per formam sibi propriam, non semper verum. 8.8.9
Virtus causæ principalis existit in Instrumento per modum motus,& transitus. 8.8.10
in Instrumẽto duplex est motus, alter physicus, alter metaphoricus. 8.22.5
Intellectus non est verè, & formaliter dominus suorum actuum. 1.7.3. & non est formaliter liber. 1.7.15. & illius iudicium quantumcunque perfectum non mouet voluntatem nisi obiectiuè,& in ratione finis. 1.23.3
Intellectus non potest primò moueri à voluntate per solum actum voluntatis negatiuum. 1. 24.3
Intellectus,& voluntas se ad inuicem mouent, licet diuersimodè. ibid.4
Aliquis actus Intellectus potest esse coactus. 1. 7.6
Intellectualis cognitio tria requirit. 3.1.4
Intellectionis medium est multiplex. 3.1.6
Intellectus diuini obiectum motiuum est sola diuina essentia. 3.1.7
Intentio Dei efficax in secundis causis contingentibus,& liberis, non est per modum antecedentis, sed concomitantis. 3.20.6
Iudicy indifferentia est radix libertatis. 1.6.1
Iudicium duplex determinatum,& indifferens. 1. 6.2. quod duplex est, nam aliud est indifferens indifferentia actus, aliud indifferentia obiecti. 1.6.4
Iudicij indifferentia ad libertatem requisita, quæ sit. 1.6.6
Iudicium à quo determinetur, vt fiat determinata electio. ibidem.
Iudicium de obiecto eligibili est in potestate voluntatis. 1.7.7. & quomodo. 9
Ad Iudicium quomodo pertineat liberum arbitrium. 1.7.8
Iudicium aliud speculatiuum aliud practicum. 1. 7.9.& 1.21.5
Iudicium quantumcunque indifferens supponit indifferentiam voluntatis. 1.20.4
Iudicium practicum vltimatè completum omnibus inspectis non esse necessarium ad electionem. 1.21.1.& sequentibus.
Iudicium erroneum non solùm speculatiuum, sed etiam practicum, potest esse contra fidem. 1. 21.3
Iudicium aliud comparatiuum, aliud absolutum. 1.22.2
Posito quocunque Iudicio practico quantumcunque completo, voluntatem pro sua libertate posse non eligere. 1.23. & 24. & 25. per totum.
Iudicium practicum quantumcunque absolutum semper est de requisitis ad electionem antecedenter

Digitized by Google

denter,& ad conſtituendam potentiam liberam in actu primo. 1.23.1.& 4
Iudicium practicum eſt concluſio ſyllogiſmi practici. 1.23.4
Iudicium,ad quod ſequitur libera electio,neceſſariò debet eſſe liberum. 1.24.1
Varij modi, ſecundùm quos iudicium dicitur liberum, & in poteſtate voluntatis referuntur. 1.24. per totum. iudicium non poteſt dici liberum per ſolam negationem actus poſitiui. ibid. 2.& ſeq.
Iudicium practicum requiſitum ad electionem dupliciter accipitur à Theologis, pro actu intellectus præciſo, & pro aggregato ex actu intellectus, & ipſa electione determinante iudicium. 1.25.2
Iudicium neceſſitans voluntatem ad eligendum, tollit libertatem. ibid.3
Iudicij indifferentia quomodo ſit radix libertatis. 1.20.4
Iuſtitia punitiuæ oſtenſio in punitione damnatorum non eſt volita à Deo principali intentione.15.11.3. & cap.12. per totum.& 5.8.6
Deus punit impios quaſi inuitus,& coactus. 5. 11.3.& 12.per totum.
Iuſtitia punitiua non pertinet ad diuinam prouidentiam per ſe primariò,ſed per ſe ſecundariò. 5.1.4
Iuſtificationis opus cur vocetur creatio.9.12.3.&8. 7.5
Iuſtificationis opus ex Auguſtino totum eſt Dei, & totum noſtrum. 2.8.5
Iuſtificatio accipitur dupliciter, pro tota ſerie auxiliorum,& pro ſola introductione gratiæ gratum facientis. 6.19.5
Iuſtificatio quomodo fiat gratis,& ex meritis. 6. 19.7
In opere Iuſtificationis Deus ordinem generationis naturalis imitari ſolet. 7.19.6
Iuſti impiorum dominantur. 2.5. 3. permittuntur in hac vita miſeri eſſe ob ſeptem cauſas. 5.6.3. & ſeq. mereri poſſunt aliis gratiam, & prædeſtinationem de congruo.6.31.per totum.
Iuſtificatum non poſſe à gratia excidere, error Iouiniani. 6.35.1

L

Lex cur dicatur facere abundare peccata. 2.12. 6. poteſt impleri cum Dei auxilio, quod ſemper habemus paratum. ibid.
Lex diuina quare dicatur fatalis. 5.1.4
Liberum arbitrium negantes ſunt Athei. in Præfatio. Gen. & omnia fundamenta Religionis ſubuertunt,& peiores ſunt Diabolo,ex ſententia D.Auguſtini. ibid.
Liberum arbitrium quo ſenſu Caluinus concedat.1.3.2.illud tandem conceſſit Philippus Melancton. ibid.
Nomen liberi arbitrij modernis hæreticis moleſtum. 1.3.1
Libertatis,& liberi multiplex acceptio. 1.3. per totum.propria acceptio. 1.3.3.& 1.17.1. nomen liberi arbitrij ex ſacra Scriptura deductum. 1.3.4
Liberũ arbitrium non eſt actus ſecundus neque habitus,ſed potentia. 1.5.4. & non eſt potentia vniuerſalis, ſed particularis, & determinata. ibidem.
Liberum arbitrium non eſt in brutis. 1.5.4. quare vocetur ſenſus. ibidem.non eſt potentia media. ibid.5
Libertatis prima radix eſt indifferentia iudicij. 1. 6.1. & quale fuerit iudicium de eligibili, talis erit electio.ibid.& quare radix libertatis ſit indifferentia iudicij. ibid.2
Ad veram libertatem quænam iudicij, & voluntatis indeterminatio requiratur. 1.6.6
Libertas formaliter non eſt in intellectu, ſed in voluntate.1.7.1.& dicitur manus conſilij, quia regit ipſum.ibid.& ſola facit actum virtuoſum. ibid.2.& per illam homo dicitur dominus ſuorum actuum. ibid.3
Liberum arbitrium cur dicatur libera facultas iudicandi. 1.7.8
Libertatem conſiſtere in ſola reſiſtentia, vel non reſiſtentia voluntatis negatiua,qua illa ſinit,vel non ſinit ſe moueri à iudicio rationis,quorundam Doctorum opinio. 1.7.9
Libera electio duplex,alia formalis,& directa:alia virtualis, & indirecta. 1.7.9
Ad veram libertatem non ſufficere indifferentiam iudicij, ſed requiri indifferentiam voluntatis.1.8.per totum. & 1. 20.4. idque ſignificat Græca vox autexuſion,qua Scriptura & Patres vtuntur. 1.8.2
Liber actus dicitur per comparationem ad potentiam,à qua elicitur. 1.8.4. & 1.12.3
Libertate ſalua manente non poſſe voluntatem ex quocunque adiuncto etiam ex diuinis prædefinitionibus ad vnum determinari ex ſententia Nazarij. 1.8.6
Ad veram libertatem requiri non ſolùm indifferentiam paſſiuam ſed etiam actiuam.1.8.7.& 1.9.per totum.
Liber actus eſt vitalis. 1.9.3
Libertatis vſus conſiſtit in dominio,& in actione. 1.9.3
Libertatem requirere indifferentiam actiuam in actu ſecundo, & in exercitio. 1.10. per totum.
Libertas in actu primo eſt naturalis proprietas naturæ intellectualis æqualis in omnibus.1.10. 1.& 1.12.3.& 1.15.1
Ad veram libertatem non requiri potentiam ad peccandum, ſed tamen eſſe potentiam comitantem liberum arbitrium creatum. 1. 10.2
Libertati aliqua conueniunt ſecundum ſe intrinſecè,alia ratione ſubiecti in quo eſt. 1.10.3
Ad libertatem requiritur in potentia indifferentia contradictionis,& contrarietatis. 1.11. per totum.
Libertas alia quoad exercitium tantum:alia quoad exercitium, & ſpecificationem actus. 1. 11.1.
Libero arbitrio diuino ineſt indifferentia contrarietatis,& quomodo. 1.11.2
Ad libertatem non requiritur vt voluntas ſit indeterminata in inſtanti, in quo exit in actum ſecundum;ſed in inſtanti priori. 1.11.2
Ad perfectam rationem actus liberi requiritur, vt procedat,ex pleno,& perfecto iudicio,& deliberatione. 1.12.1
Ad veram libertatem requiritur perfectum dominium voluntatis in ſuos actus.1.12.4. quomodo volũtas dicatur domina ſuorum actuum. ibidem.
Liberæ potentiæ definitio.1.13.per totum.
Ad veram libertatem requiritur, vt voluntas valeat ſe ad ſuos actus determinare. 1.15.1
Libertas vera omnem abſolutam neceſſitatem excludit.

Digitized by Google

excludit. 1.16.per totum.
Nomen liberi ante exortam hæresim Caluini Catholici accipiebant nonnunquam pro voluntario, seu non coacto. 1.17.2.& seq.
Liberum arbitrium, & libera voluntas aliquando distinguuntur. 1.17.3
Liberum arbitrium stat cum seruitute peccati. 1. 17.4
Operari libere, & operari naturaliter non sunt duæ differentiæ adeò oppositæ, vt eidem conuenire non possint. 1.17.6
Liberum arbitrium duobus modis consideratum. ibid.8
Libertati repugnat omnis necessitas antecedés siue absoluta, siue respectiua etiam prouenies à prima causa. 1.18.1.& 1.19.per totum.
Libertas voluntatis non consistit in sola indifferentia negatiua. 1.24.3
Liberæ potentiæ definitio explicatur. 1.29.per totum.
Liberum arbitrium substans motioni efficaci potest dissentire, licèt de facto non dissentiat. 1. 29.3. & seq. & hoc præcipuè intendit definire Concil. Trident. contra Caluinum, teste eodem Caluino. ibid.3
Liberam potentiam esse illam, quæ positis omnibus antecedenter requisitis in actu primo potest non operari, est propositio vera non solùm in sensu diuiso, sed etiam in sensu composito. 1. 30.per totum, & hoc definiuit Concil. Trident. contra Caluin. ibid.5.& sequentibus.
Libera potentia quantumcunque completa sub ratione actus primi nullam habet repugnantiam cum esse, vel non esse actus secundi. 1. 31.7
Voluntas est libera in eodem instanti, in quo exit in actum secundum, & in eiusdem actus continuatione contra Gregorium Arimin. 1. 32.per totum.
Libertatis, & liberi arbitrij variæ definitiones. 1. 33. per totum.
Liberum arbitrium negantium errores duodecim. 2.1.& sequentibus.
Liberum arbitrium non posse ratione naturali demonstrari, quorundam error. 2.4.4
Liberum arbitrium probatur ex diuina Scriptura. 2.5.per totum.& 6.per totum.
Item ex consensu omnium Patrum, & definitione Ecclesiæ. 2.7. per totum. item autoritate D. Augustini. 2.8.per totum. item ex diuinis perfectionibus. 2.10.per totum. item ex ordine diuinæ prouidentiæ. 2. 10.5. item ex perfectione vniuersi. 2.11.1. & seq. item ex natura peccati. ibidem 3. item ex cultu sanctæ Religionis. 2.12. 1.& sequentibus. item ex legibus diuinis, & humanis. ibidem 4. item ex increpationibus, & exhortationibus diuinis. 2.13.1. item ex consultationibus oraculorum. ibidem 5. item ex studio moralis Philosophiæ. 2.14. 1.& seq. item ex studio humanarum artium. ibidem 4. item ex essentia naturæ intellectualis. 2. 15. 1. item ex communi consensu omnium hominum. ibid. 2. item ex absurdis, quæ sequuntur ad negantes libertatem arbitrij. ibid.2
Liberum arbitrium per peccatum Adæ fuit attenuatum, non ablatum. 2.8.7
Libertatem negantes omnia fundamenta Religionis euertunt. 2.12.1
Et ad omnia scelera viam sternunt. 2. 15.3
Ob libertatem arbitrij homo dicitur factus ad imaginem Dei. 2.15.1
Libertatem arbitrij non tollit seruitus peccati. 2. 17.4
Libertas quæ perierit per peccatum ex sententia D. Augustini. 2.18.2
Liberum arbitrium quid valeat sine Dei gratia ex Augustino. 2.17.5
Libertatem non tollit necessitas gratiæ. 2. 18.2
Liberum ex Augustino est illud, quod ita est in nostra potestate, vt cùm volumus, illud faciamus, & si nolumus, non faciamus, & quod possumus facere, vel non facere. 2.8.4.& seq.
Libertatem negantes negant naturam rationalem. 2.11.2
Liberum ex D. Thom. & Caiet. est quid medium inter necessarium, & contingens, & sic voluntas diuina respectu creaturarum neque est necessaria, neque contingens, sed libera. 4.2.5.& 4.4.2
Libertas arbitrij ab omnibus reputatur summa perfectio. 4.3.7
Liberum arbitrium diuinæ gratiæ posse dissentire, si velit; sed non posse velle, est Glossa Ioannis VVicleff. 4.5.2.& 9.15.3
Libertatis prima radix est diuina voluntas, quatenus libera. 4.7.1
Libertas arbitrij est perfectio simpliciter. ibidem 2
Libertatis causa proxima est natura intellectualis. ibid.4
Libertatis humanæ conciliationem cum nexu causarum per diuinam prouidentiam constituto, non esse scibilem in hac vita, dixit Caietanus: & neque in altera vita dixit Molina. 4. 8 5
Liberum arbitrium habet suum influxum, & suam causalitatem distinctã à causalitate primæ causæ, neque hoc dicere est error, sed oppositum asserere, est ignorare vim, & operationem secundarum causarum. 4.10.3
Liberum arbitrium non posse non agere stante diuina prædestinatione est totum ferè quod asserunt hæretici antiqui, & moderni. 4. 11.5
Liberi actus non attinguntur priùs in aliquo instanti à prima causa, quàm à secunda, sed sunt simul ab vtraque, licèt cum ordine, & dependentia. 4.10.3 & sunt liberi non solùm comparatione primæ, sed etiam comparatione humanæ voluntatis. in sententia Scoti. 4.10.4
Liberi arbitrij bonus vsus non est causa prædestinationis primæ gratiæ. 6.10.per totum.
Liberum arbitrium quantumcunque à Deo motum posse diuinam gratiam frustrare. 6.15. per totum.
Liberum arbitrium etiam in ordine ad actus supernaturales habet suam causalitatem distinctam à causalitate primæ causæ. 6.16.2
Liberum arbitrium nõ prædeterminatur ad actus supernaturales. ibidem.
Liberum arbitrium cùm dicitur posse dissentire Deo mouenti, & excitanti, si velit, necessariò, supponitur posse velle. 8.15.4
Libertatem arbitrij cum efficacia diuinæ gratiæ cohærere ostenditur. 9.10.& 11.& 12. per totum.
Liberum arbitrium posse diuinæ gratiæ dissentire

te in ſenſu diuiſo, non autem compoſito, eſt propoſitio quæ poteſt habere ſenſum verum,& fallum. 9.14.5
Liberum arbitrium non prædeterminari phyſicè antecedenter per diuinam gratiam in ſententia D.Thom. 9.15.2
Libertas duplex ex Auguſtino. 9.13.2. libertas arbitrij non benè conciliatur cum efficacia diuinæ gratiæ ponendo, quòd gratia efficax moueat ſolùm moraliter. 9. 14. 3. tres alij modi conciliandi libertatem arbitrij cum diuina gratia referuntur.9.14.per totum.eandem arbitrij libertatem cum gratiæ efficacia conciliandi optimus modus.9.15.7.& ſequentibus.
Locus ex Ariſtotele 9.Metaphyſ.tex.10.explicatus. 1.13.2.item alius ex 2.de anima. tex.centeſimo quinquageſimo quarto. 1. 22. 2. item alius ex tertio Ethicorum cap. tertio 1.27.4. item alius ex 7.Ethicorum cap.18.illuſtratus.1.28.4. item alius ex 8.phyſic. de motu grauium,& leuium. ibidem.
Loca ex Magiſtro ſententiarum,& D.Thoma, & Patribus, quæ ſententiæ Caluini videbantur fauere,rectè explicata.1.17.per totum.
Locus ex D. Hieronymo à Magiſtro citatus in ſecundo ſentent.d.25.cap.4.de libero arbitrio explicatus. 1.17.8
Locus ex Auguſtino à quodam moderno corruptus. 1.20.3
Locus ex D.Thoma in 8.Phyſicorum & prima ſecundæ 9.9. art.6. de motu grauium, & leuium explicatus. 1.28.4
Luti, & figuli Metaphora, qua nonnulli abutuntur, legitimè ad mentem diuinæ Scripturæ explicata. 4.22.5

M

Machina quædam mirabilis caſtrum cum defenſoribus repræſentans. 5.6.2
Maris rubri aperitio vi aſtrorum nec facta eſt,nec potuit præuideri. 10.8.4
Magiſter ſententiarum Canonicus Regularis, & autoris conciuis. 8.7.2
idem Magiſter defenditur ab errore, quem facultas Pariſienſium, & nonnulli Theologi eidem imponunt. 9.2.2
Magiſter ſententiarum cur dixerit, voluntatem liberam non eſſe in eo inſtanti, in quo exit in actum ſecundum. 1.32.1. eiuſdem magiſtri locus explicatus. 1.17.8
Malus quare dicatur omnis ignorans. 1.6.3. Mali cur permittantur in mundo fœlices viuere.5.6. 3. ſunt carnifices, & vaſa contumeliæ,quibus Deus iuſtos punit,& abluit à ſordibus. ibidem 4.compellunt iuſtos deſerere mundum,& fugere ad Deum.ibid.quare ſuſtineantur in mundo. 5.15.2. quare Deus creet, quos malos futuros præuidet. ibid.3
Mali pœnæ Deus eſt autor, illúdque prædefiniuit, etiam ſi illud per homines malos malè exercendum ſit:dummodo benè fieri poſſit. 4. 19.1. omnia mala pœnæ certiſſimæ Dei prouidentiæ ſubduntur.5.8.1.de ſe mala non ſunt. ibid.3
Malum pœnæ, quod eſt malum relatum vni, eſt bonum relatum alteri, & ad vniuerſum.5.8.4. mala pœnæ cur permittuntur. 5.8.6
Malum pœnæ, quod ſine peccato non infligitur, quomodo Deus velit, & tamen non velit peccatum. 5.8.5
Malum pœnæ non eſt de prima intentione diuinæ Prouidentiæ. 5.1.4
Malorum finis bonorum initium,& ecõtra. 5.6.4
Malum pœnæ reponitur in genere moris. 8.11.1. differt à dolore.ibidem.& debet eſſe aliquomodo inuoluntarium. ibid. & non eſt ſimpliciter,& in ſe malum, ſed ſolum extrinſecè. ibidem 2
Malum non eſt aliqua natura poſitiua,ſed priuatio bonitatis. 8.3.13
Malum multiplex,& illius multiplex acceptio, & diuiſio. 9.8.per totum.
Malum non eſt cognoſcibile per ſe,ſed per ſpeciem boni oppoſiti. 8.10.4
Malum de genere naturæ ſimpliciter in priuatione conſiſtit, & non eſt aliqua natura poſitiua. 8.10.per totum.Mali de genere naturæ quomodo Deus ſit autor.8. 13.1. & ſimiliter mali pœnæ,quod eſt pœna,& non culpæ. ibid.2
Malum non caret omni bono ex Auguſt. 8.10.4
Malum ſecundùm quid poteſt eſſe aliqua natura poſitiua. 8.10.5
Malum contrariatur bono per accidens. ibidem 6.
Malum eſt genus ſicut ens rationis, & non ſicut ens reale. ibidem.
Malum moris diuiditur in malum culpæ, & pœnæ, & quid ſit vtrunque illorum. 8. 11. 1. & ſeq.
Malum duplicter accipitur, formaliter pro malitia,& materialiter pro re, quæ denominatur mala. 8.10.4.& 8.12.2
Malum culpæ.Vide in verbo Peccatum.
Medium dicitur dupliciter per negationem, & per participationem. 3.25.1
Medium vt medium non confertur ei,qui non eſt ordinatus ad finem. 5.11.8
Meritum duplex, de condigno & de congruo, ex Auguſtino. 6.19.1. & ſequent. inter vtrunque meritum differentia notabilis. ibid. 8. meritum de congruo dari probatur. ibidem.
Meritum de condigno non facit niſi gratia gratum faciens. 6.13.4
Miraculum quid ſit. 10.8.2
Miſericordiam, & iuſtitiam in omni opere diuino reperiri,quo ſenſu dixerit D. Thom. 4.17.4
Motio Dei efficax, aliquando eſt antecedens, aliquando verò ſolùm concomitans. 1.20.3. nullam habet repugnantiam cum non eſſe liberi conſenſus noſtræ voluntatis.1.32.2.nec prædeterminat voluntatem ad ponendum liberum conſenſum.1.30.per totum. & hoc monſtratur ex mente D.Thomæ. 3.29.1
Controuerſia inter Catholicos, & Hæreticos, an voluntas,vt ſubſtans diuinæ motioni, poſſit diſſentire,ſi velit, non eſt de voluntate ſecundùm ſe conſiderata, ſed de voluntate conſiderata prout ſubſtat diuinæ motioni. 4.17.7
Motionem efficacem gratiæ præuenientis Molina noh dicit eſſe ſolùm motionem moralem, ſed verè efficientem.
Motus voluntatis,& aliarum potentiarum,& grauium, & leuium ſpecificatur à termino, ad quem,per reſpectum tamen ad terminum à quo. 1.9.6.& 8.12.4
Motus voluntatis eſt à Deo, vt à cauſa efficienti. 1. 28. 2. Motus primo primi cur dicantur ineſſe voluntati à Deo, & non à voluntate. 4
Moueri non poſſe voluntatem à Deo, abſque eo quòd

quòd illa seipsam moueat, est propositio indistinctè falsa. 9.9.2. & qui illam sine distinctione admittunt vt veram, non distinguunt voluntatem liberam ab agente naturali. ibidem. & seq.

Motus sunt in duplici differentia, quidam existentes in potestate secundæ causæ, quidam non. 1.28.2

Omne, quod mouetur, ab alio moueri, falsa propositio, & falsò Aristoteli tribuitur. 1.5.6. & 1.9.4. & 8.19.5

Motus rerum inferiorum reducendus ad vnum primum mouens immobile, quomodo sit intelligendum. 8.23.2

Mouere dicitur, quod tribuit pondus, & inclinationem ad motum. 9.16.2

Mulieris Athenienſis historia mirabilis ex Augustino. 8.10.5

Mundus an potuerit melior fieri. 4.5.7. eius pulchritudo est vox, quæ homines ad Deum inuitat. 7.19.4. est liber, & carmen, illius magnitudinem docens, & decantans. ibid.

De Mundi creatione varij errores Philosophorum. 8.1. per totum.

Mundus ex Arist. & Auer. habet causam verè efficientem. 8.2. per totum.

Mundus habet principium per veram creationem in tempore. 8.3. per totum.

Mundum in tempore creatum, probatur. 8.4. per totum.

Mundum omnes Philosophi generant. 8.4.5

Mundum incepisse in tempore, non est veritas demonstrabilis lumine naturali. 8.4.1

Per mundi creationem nihil perfectionis accessit Deo, sed diuina perfectio communicata est Mundo. 8.4.6

Mundum fuisse creatum in tempore, pertinet ad articulum fidei, secundariò, non autem primariò. ibid.

Mundi omnes partes Deus immediatè creauit. 8.6. per totum.

Mundum finem habiturum probatur. 8.4.1

Marium monstruosa quædam generatio. 8.4.4

N

Natura humana per peccatum incuruata sicut paries. 2.17.5

Naturale, vel secundùm naturam aliquid dicitur dupliciter. & benè notandum. 4.1.5. & 4.2.4. & 4.4.1

Necessarium dicitur multis modis. 1.1. per totum. aliud secundùm naturam, aliud contra naturam. 1.1.1. aliud ex suppositione. 1.1.2. & seq. & 1.18.1. necessarium ex suppositione aliquando à D.D. Thoma appellatum necessarium absolutè. 1.1.4

Necessarium in agendo quid, & quotuplex. 1.1.5. distinguitur à necessario in essendo. ibidem.

Necessarium dicitur quatuor modis. 1.1.6

Necessarium absolutè dicitur, quod transiuit in præteritum, & quare. 3.11.6

Necessarium, & contingens non opponuntur contradictoriè, ideò inter illa datur medium. 5.18.5

Necessitas duplex absoluta, & respectiua. 1.18.1. item ex suppositione antecedente, & consequente. 1.19.1. & seq. necessitas ex suppositione antecedente etiam prouueniens à prima causa tollit arbitrij libertatem. ibid. 2. & sequentibus. & 4.1.5. necessitas verò ex suppositione consequente stat cum arbitrij libertate. 1.19.2. & hæc distinctio de necessitate, ex suppositione antecedente, & consequente est fundata in doctrina Augustini. ibid.

Necessitas ex suppositione prouueniens à prima causa, est verè necessitas ex suppositione antecedente, quæ tollit arbitrij libertatem. ibidem 3

Necessitas quæ stat cum arbitrij libertate, est in potestate nostræ voluntatis. ibid. & 1.19.5

Necessitas, quæ arbitrij libertatem tollit, vel non tollit, ex mente D. Thom. ibid. 6. & quæ sit necessitas conditionata, & in sensu composito, & ex suppositione, quam D. Thomas dicit stare cum arbitrij libertate. ibid. & 1.20.5

Necessitas absoluta dicitur multipliciter, & ex multiplici capite prouenit. 2.1.1. & sequentibus.

Ex absoluta necessitate omnia in mundo prouenire qui dixerunt, & quomodo. 2.1. per totum, & 2. per totum.

Necessitas antecedens etiam non absoluta prouueniens ex diuina præscientia pugnat cum arbitrij libertate. 2.2.2

Necessitates sex ortæ in homine ex peccato Adæ, quæ nihilominus stant cum arbitrij libertate. 2.18.2

Necessitas orta ex immutabilitate, & infallibilitate diuinæ præscientiæ est necessitas ex suppositione consequente. 3.11.8

Ex necessitate antecedente diuini decreti hæretici negant arbitrij libertatem. 4.11.5

Necessitas non dicitur esse ex suppositione antecedente, vel consequente per comparationem ad primam causam, sed ad voluntatem creatam. 4.11.5

Nomina scire rebus legitimè imponere, supponit scire ipsarum rerum naturas. 10.7.2

Notitia intrinseca quomodo requirat actualem rerum existentiam. 3.5.10

Et quomodo quoad aliquos respectus rationis dicatur pendere à creaturis. 3.5.10

O

Obedientia ratio, & obiectum tollitur ablato præcepto. 1.11.3

Obdurationis, vt est denegatio auxilij ad resurgendum, & derelinqui hominem mori in peccato, non dari causam ex parte reprobi sententia aliquorum. 7.9.2. & seq. eadem opinio refellitur. ibid. & cap. 10. per totum.

Obduratio in peccato quid sit, & quæ sint illius causæ. 7.9.1

Obiectum non mouet voluntatem, nisi sub ratione boni. 1.27.1. & 5

Ex pluribus tamen obiectis diuersorum generum potest voluntas eligere minus bonum, relicto maiori bono. 1.27.1

Obiectum intellectus diuini aliud motiuum, aliud terminatiuum, & vtrũque duplex est. 3.1.5

Occultas cordis cogitationes solus Deus agnoscit. 10.8.1

Omissio vt sit verè culpabilis, tres conditiones requiruntur. 1.12.2

Omissiones negantes damnati in Concilio Niceno; & tamen affirmantes damnati in Concilio Antiocheno. & quare. 1.17.1

Digitized by Google

Opera Religioſorum omnibus numeris perfecta Deus requirit. 2.6.5
Opus moraliter bonum, aut malum non facit niſi arbitrij libertas. 2.14.1
Opus virtutis eſt contra inclinationem naturæ deprauatæ. ibidem.
Opera laudabilia omnes ſibi attribuunt, vituperabilia verò in fatum omnes reiicere volunt. ibidem 2
Opera moraliter mala Auguſtinus dicit, ita eſſe à nobis, quòd non à Deo. 3.14.7
Propter opera, quæ quis facturus eſſet, ſi diutius vixiſſet, nullus præmio, aut pœna afficitur. 6.10.10
Opus dicitur ſupernaturale tribus modis. 9.2.1
Opus vt mereatur mercedẽ, debet eſſe indebitum, & liberè factum. 9.10.6
Oratio Ioſeph liber apocryphus. 10.9.1
Origenis error de tabulis cæli reiectus. 10.9. per totum.
Originale peccatum quandoque per antonomaſiam vocatum ab Auguſtino peccatum, aut pœna peccati. 2.9.1. quomodo voluntarium. ibidem. illius damna, & effectus 2.18.3 ſub qua ratione eſt cauſa reprobationis paruulorum. 7.11.4. nõ eſt maſſa perditionis, ſed illius cauſa ex Aug. 7.13.3. ſemel per baptiſmum ritè deletum non amplius reuertitur. 7.13.1. & ſeq. læſit non ſolùm intellectum, ſed voluntatem. 9.7.5
Ordinabile aliquid dicitur quatuor modis. 5.9.5
Ordo intentionis, & executionis malè à nonnullis applicatus negotio prædeſtinationis. 6.21. per totum. diſtinctio huius duplicis ordinis perperam à quibuſdam Theologis omni negotio applicata. 6.17.4

P

P*Arabola* Euangelicæ talentorum explicatio, & applicatio. 5.15.10
Patres aliquando omittunt declarationem neceſſariam, quia cum Catholicis loquendo, Catholicè ſe intelligi arbitrantur. 1.17.1. & 3.14.5. & 6.9.8. & 6.12.1
Patres nondum ortis erroribus, vſi ſunt quibuſdam modis loquendi, à quibus abſtinuerunt poſt ortos errores, ne viderentur cum hæreticis ſentire. 1.17.1
Patres quo ſenſu dixerint, Deum noſtras voluntates non præuenire, ne lædat noſtram libertatem. ibid.
Patres confutando vnum errorem, aliquando videntur in extremum contrarium inclinare. 3.14.9
Regulæ exponendi autoritates Patrum in materia de gratia, & libero arbitrio. 6.12.1. & ſeq. per totum.
Patrum dicta cùm poſſumus, debemus catholicè interpretari. 6.13.2
Pauli loca peculiaria elucidata. 5.13.4. & per totum. & 5.14.1. & ſeq. & 6.4.4. & ſeq.
Peccati origo, & cauſa duplex neceſſariò coniuncta. 1.10.4
Peccatum in voluntate ſemper oritur vel ex ignorantia, vel inaduertentia. 1.21.4
Peccatum ignorantiæ, & malitiæ qualiter differant. ibid.
Peccatum non eſt ſine libero arbitrio. 2.8.7. eius diffinitio ex Auguſtino. ibid. 8
Peccati nomine per antonomaſiam Auguſtinus ſæpè intelligit originale. 2.9.1. quod nonnunquam vocat peccatum, & pœnam peccati. ibid.
Peccatum ideo peccatum, quia voluntarium. ibidem, & ſequentibus.
Peccata ad mundi ornatum, & perfectionem eſſentialem non facere. 2.10.2
Peccati variæ definitiones ex Auguſtino. 2.11.3
Peccata etiam in ſtatu naturæ corruptæ omnia cum Dei gratia poſſe vitari. 2.11.5. & Philoſophi naturæ viribus aliqua peccata vitauerunt. ibid. 6. & quare homo in ſtatu naturæ lapſæ dicatur habere neceſſitatem peccandi. 2.17.4. & 2.18.2. & quare iuſtè puniatur pro quibuſdam peccatis, quæ neceſſitate quadam admittit. 2.8.7
Peccati ſeruitus in quibus conſiſtit. 2.17.4
Peccata non cognoſcit Deus in decreto poſitiuo vel permiſſiuo ex ſententia D. Th. & ſanctorum Patrum. 3.22.2. & per totum.
Peccata quomodo dici poſſint ab æterno prædefinita. 4.13.2
Peccata fuiſſe prædefinita ab æterno vt fierent, quomodo doceant Caluinus, & recentiores hæretici. 4.6.3. & ſeq.
Peccata quoad illorum moralem malitiam non ſunt prædefinita vt fierent, ſed tamen eſt prædefinita illorum permiſſio. ibidem 7. & malitiam peccati eſſe à Deo volitam implicat. ibid. 6. & 9
Peccata quoad entitatem naturalem nõ ſunt prædefinita antecedenter ad præſcientiam liberæ determinationis voluntatis creatæ ad ipſos actus. ibid. 8. & ſeq.
Peccatum propriè non dicitur fieri, vel non fieri ratione moralis malitiæ, ſed ratione actus naturalis. 4.17.2. & non ſolùm moralis malitia, ſed actus naturalis, cui malitia eſt adiuncta, eſt prohibitus in diuina Scriptura. ibid. 5. actus quidam ſunt, à quibus malitia etiam per diuinam potentiam eſt inſeparabilis. ibid. 6
Peccati actus naturalis, à quo moralis malitia eſt irreparabilis, non eſt à Deo prædefinitus, vt fieret etiam ſuppoſita præſcientia liberæ determinationis voluntatis creatæ ad eundem actum. 4.18.4
Peccata etiam quoad moralem malitiam, cadunt ſub diuina prouidentia. 5.9.2. quomodo per Dei Prouidentiam ordinentur. 5.9.5. & cur illa Deus fieri permittat. ibid. 7. & 7.1.3. & ſequentibus.
Peccati permiſſio poteſt eſſe effectus Prædeſtinationis, non tamen ipſum peccatum. 6.1.12. & ſeq.
Peccati permiſſionis præcipuus, & per ſe ſufficiens finis non eſt oſtenſio diuinæ iuſtitiæ vindicatiuæ in reprobum. 7.5.3. & ſeq.
Peccati permiſſio eſt quid de ſe bonum. 7.5.5. eius præcipuus, & potiſſimus finis quis ſit. ibid. 6. & ſeq.
Peccati permiſſio propriè dicta tria requirit. 7.6.2. eius cauſam, etiam quoad lapſum in primum peccatum dari ex parte creaturæ. 7.6.4. & 7.7. per totum. permiſſionis verò ſecundi peccati cauſam eſſe prius peccatum. 7.6.2
Peccati permiſſio non potuit eſſe principaliter intenta ad oſtendendam iuſtitiam punitiuam in reprobis. 7.15.2. & ſeq. cuius prouidentiæ illa ſit effectus. ibid. 6
Peccati autorem Hæretici Deum faciunt, quorum ſententia reiicitur. 2.10.1. & ſeq.

Ad

Ad peccandum Deus nec determinare, nec mouere voluntatem potest. 2. 11. 3. & seq. neque potest voluntas necessitari etiam ex peccato originali. ibid. 5. & seq.
Peccati quoad moralem malitiam nec Caluinus Deum auctorem facere audet, sed solùm quoad illius entitatem naturalem, & quomodo. 4.16. 3. & seq.
Peccati Deum autorem sancti Patres absolutè negant non distinguentes inter materiale, & formale. 4.17.1. Quo sẽsu Augustinus dicat, Deum operari in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates in malum. 4.19.8. & quomodo peccata dicantur fieri Deo volente. ibidem 11. & quomodo ad illa diuina causalitas se extendat. 5.9.6
Peccare neminem in eo, quod vitare non potest. 7. 3.8. & 1.17.4. & seq.
Peccati actum naturalem, à quo malitia est inseparabilis, Deus non potuit prædefinire ante inspectã determinationẽ voluntatis creatæ. 7.5.4
Peccatum nullũ irremissibile in hac vita. 7.17. per totum, & 18. per totum.
Cur Scriptura vocet quædam peccata irremissibilia. 7.18. per totum.
Peccare voluntariè quid sit secundùm Apostolum. ibid. 8
Peccatum ad mortem quid sit secundùm Augustinum. ibid. 9
Peccatorum Deum esse autorem, & homines in peccata compellere multi Hæretici dixerunt. 8.9.2. & seq. quos neque audiendos, neque ferendos esse in ciuitatibus etiam Pagani, & inter illos Plato docuerunt. ibidem. Peccatorum causam Manichæi non sunt ausi facere bonum Deum, sed malum. ibidem.
Actionis peccaminosæ Deum autorem non esse dixit Durandus. ibid. 4
Peccatum qua ratione sit pœna alterius peccati. 8.11.1
Peccati ratio formalis non consistit in sola relatione rationis disconuenientiæ, vt putat Vasquez. 8.11.6. & seq.
De natura peccati loca Augustini difficilia explicata. 8.11.8.
Peccatum dupliciter accipi consueuit, pro actu, & pro habitu, qui relinquitur transacto actu secundo. 8.12.1. triplicem priuationem intrinsecè claudit. ibid. 2. vnde suam speciem desumat. ibidem 4. & seq.
Peccatum mortale, & veniale non sunt in eodem genere, ex D. Thom. ibid.
Peccati ratio formalis specificatiua in priuatione consistit. ibid. 5
Ad intrinsecam rationem peccati nõ pertinere auersionem à Deo sententia Vasquez minus probabilis. 8.12.7. eius formalem rationem Philosophi non sunt perfectè assecuti. ibidem. eius formale specificatiuum, nõ est quid positiuum. 8.12.1. Priuatio quæ constituit, & distinguit peccata, non hoc efficit solùm, quatenus excludit formam oppositam, sed quatenus excludit ab actu rectitudinem debitam inesse ipsi actui. ibid. Peccatum constituit in specie suum obiectum, non formaliter sed materialiter. ibid. 11
Peccati etiam quatenus est pœna Deus non est autor. 8.13.3. & seq. & multo minus quatenus est simplex culpa. ibid. 5. & seq.
Ad peccatum Deus nullum compellit. ibid. 10. & nullus peccat in eo, quod vitare non potest. ibidem. eius sola, & proxima causa est liberum arbitrium. ibidem 8
Peccati autorem cur Caluinus Deum faciat, ratio fundamentalis retegitur. 8.14.11
Peccati quoad entitatem naturalem, & positiuam Deum esse autorem, & tamen non esse autorem moralis malitiæ varij modi explicandi. 8.14. per totum. verus modus aperitur. ibid. 12. actus naturalis ipsius peccati Deum esse causam immediatam. 8.16.4. & seq.
Peccati Deũ autorẽ nõ esse, nec homines ad peccata cõpellere, probatur optima ratione. 8.17.2
Ad actus, quibus intrinsecè malitia est adiuncta, voluntas non potest antecedenter à Deo prædeterminari etiam quoad illorum entitatẽ naturalem. 8.25.8. & seq. & 8.26.6
Peccandi necessitati quomodo quis propria culpa se subdat. 1.17.4
Peccata omnia quomodo quis possit vitare. ibid. 5. quomodo subsitant diuinæ cognitioni. 3.19.4
Peccata nõ conferre ad perfectionem essentialem vniuersi. 5.12.5. cur Deus fieri permittat. 5.9.7
In peccato mortali existentes, & eleemosynas, & alia bona opera facientes, de lege Dei ordinaria non magis obtinere Dei gratiam, quàm illa non facientes, vt quidam modernus docet, est doctrina scandalosa. 6.13.10
Pelagianorum errores de gratuita Dei prædestinatione vigintiseptem propositionibus comprehensi. 6.8.3. & seq. quos omnes Augustinus ad quatuor reducit. ibid. eorundem Pelagianorum errores. 2.18.2
Pelagius suos errores retractauit in Concilio Palestino. ibid. 4
Pelagius si diceret, hominis prædestinatos ad gloriam ex meritis profectis ex diuina gratia, secundùm August. benè diceret. 6.21.11. & 6.22.7
Perseuerantiæ donum dupliciter accipitur. 5.15.10. quare omnibus nõ detur. ibid. est effectus Prædestinationis. 6.17. per totum. quod ponat in nobis suum effectum, aliquo modo pendet ex nobis. 6.17. per totum, & 18. per totum. & opiniones doctorum conciliantur. 6.17.3
Perseuerare vel non perseuerare in Dei gratia vsque in finem positum esse in nostra potestate. 6.17.3. & quo sensu hoc sit verum. 6.18.3
De dono perseuerantię errores Massilientiũ ab Augustino refutati. 6.18.2. ab illis distare sententiam quorundam catholicorum. ibid. 1
Quo sensu dixerit Augustinus, donum perseuerantiæ cum datum fuerit, amitti contumaciter non posse. ibid. 4. & quo sensu concedi possit, illud esse amissibile, quod fortè intendebant Massilienses. ibid. 6
Perseuerantiæ donum cadere sub merito de congruo. 6.19. per totum, & id sensit D. Th. ibid. 4
Perseuerantia vsque in finem est effectus Prædestinationis. 6.10.6
Physicæ præmotiones diuinæ vt antecedunt instans operationis creaturæ, nõ tollunt indifferentiam voluntatis ad operandum vel non operandum, neque illã determinant necessariò ad agendum, ex sententia quorundam Thomistarum. 1.29.1. & secundùm aliquos Thomistas nõ sunt actus primi, neque secundi, sed quid medium. ibid. 3
Physicæ præmotiones quantumcunque efficaces non determinant voluntatem liberam, vt necessariò exeat in actum secundum. 1.29.3. sed sunt de antecedenter requisitis ad complendam potentiam liberam, quibuspositis illa nihilominus potest exire, vel nonexire in actum secundum. ibidem. & non habent vllam

vllam repugnantiam cum non esse effectus liberi ipsius voluntatis creatæ. 1.31.2.
Physicæ præmotiones si ita essent de antecedenter requisitis, quod illis positis voluntas nunquam non ageret, & sine illis nunquam ageret, illis oblatis voluntas non esset in proxima potentia seu in actu primo completo ad operandum. 1. 29.5.& seq.
Præmouere voluntatem Physicè, & illam prædeterminare, non sunt vnum & idem. 3.30.8.
Physicæ præmotiones ad actus supernaturales non solùm sunt necessariæ, vt homo actu operetur, sed vt possit operari. 8.21.7
Physicæ prædeterminationes à nonnullis modernis excogitatæ, quoad multa sunt contra doctrinam D.Th.3.29.1.contentio tamen ista non est nuper orta, sed ferè ante ducentos annos in scholis disputata. 6.33.3
Physicæ prædeterminationes si dantur, dant non solùm operari,sed etiam posse operari supernaturaliter. 8.21.8.& 8.25.2. & seq.
Prædeterminationes diuinæ sunt in quadruplici differentia. 8.24.4
Radix controuersiæ de physicis prædeterminationibus. 8.24.7
Non prædeterminari voluntatem physicè ad actus ordinis naturalis. 8. 24. per totum,& 25. per totum,& 26. per totũ. neque verò ad actus ordinis supernaturalis. 8.26.1
Voluntatem præmoueri,& determinari,non autem prædeterminari. ibid.
Plato dixit,omnia ex absoluta necessitate euenire. 2.1.1. non est assecutus veram rationem libertatis.2.2.2.& sequent.& 2.3.2.& negauit,Deum habere distinctam prouidentiam de rebus sublunaribus. 5.4.1
Politici hæretici horum temporum Atheistæ. Præfa.Gen.3
Potentia tribus modis dicitur vniuersalis. 1.5.3
Potentia purè passiua non potest dici libera. 1. 9.3
Ad eandem potentiam spectat obiectum, & ratio obiecti. 1.5.5
Potentia peccandi non est de intrinseca natura liberi arbitrij. 1.10.2
Potẽtias metiri debemus per id quod est perfectissimum in illis, non per id, quod est imperfectum,& infimum. 1.10.3
Potentiæ liberæ quomodo à non liberis secernantur.ex Arist. 1.13.2
Potentia vna quomodo potest habere duplicem modum operandi oppositum.& quomodo operatur circa media,& circa finem. 1.17.6
Potentiæ rationales quomodo ab irrationalibus distinguantur. 1.23.5
Potentiam ad agendum vt quis dicatur habere, debet habere proximam,& expeditam. 1.29.5
Potentiæ non innotescunt, nisi ex actibus. ibidem.
Potentia proxima ad operandum,quæ sit de mente Scoti. 8.21.9.& 8.25.2.& seq.
Potentia obedientialis quid sit,& ad quam causam relatiuè dicatur. 8.7.4
Prædestinato quoad aliquos effectus facit suppositionem antecedentem, & quoad alios consequentem. 1.20.2
Prædestinatio quam necessitatem inferat prædestinato. 1.31.1. quomodo cum eius certitudine stet arbitrij libertas. ibid. 3. non facit homines bonos,sicut nec reprobatio malos.2.14.3.strictè accepta non est,nisi eorum, quæ Deus ponit in nobis sine nobis,ex Aug. Damasceno,& D.Thoma 3.28.6.& 4.15.& 2. & 6.16.2.eius certitudo in quo fundata ex sententia D.Thomæ 3.29.1. non maiorem infert necessitatem,quàm inferat præscientia ex Augustino & D.Thoma. 4.10.2. eius certitudo tandem ab Augustino resoluitur in præscientiam. 4.11.9
Prædestinatio non est concipienda per modum sententiæ ab æterno definitæ, quæ in rem iudicatam transierit,sed vt in præsenti egrediens,& non completa,donec completur vita hominis. 4. 24.2. quæ doctrina est Augustini, & sanctorum Patrum. ibid.3. & seq.
Deum de non prædestinante posse fieri prædestinantem sine sui mutatione,& econtrà. 4.24. 6.& seq.
Prædestinationem non inferre homini necessitatem,Diabolus ipse confitetur. ibid.7.
Prædestinatio non intelligitur perfecta, quandiu non sunt positi in rerum natura omnes illius effectus circa prædestinatum. ibid.10
Prædestinatio quid sit secundùm Augustinum. 5. 17. 6. nomen Prædestinationis multas habere significationes. 6.1.1.& seq. quonam pacto nomine Prædestinationis vtantur Theologi. ibidem 4. Prædestinatio distinguitur à Prouidentia,vt species à genere. ibid. 6. est actus intellectus magis principaliter, & voluntatis minus principaliter.6.2.2.& seq. quare dicatur propositum.ibidem 4.quare liber vitæ.ibid.3. est species,& pars diuinæ prouidẽtiæ. ibidem 5.illius variæ definitiones.ibid. 6. & seq. ordo actuum diuinæ prædestinationis. ibid. 7. actus diuinæ prædestinationis differt ab actu dilectionis, & electionis.ibid.8.Prædestinatio est actus practicus. ibid.10
Prædestinationis effectus.6.2.12.& seq.& inter illos numeratur peccati permissio. ibid. & 6. 7.2
Prædestinationis obiectum non soli homines, sed Angeli.6.3. per totum, & omnes, qui de facto saluantur,contra Catharinum.ibid.2.& soli illi qui de facto saluantur. ibidem.
Prædestinatio est nomen peculiare diuinæ Theologiæ,& ideò eius significatio ex sacra Scriptura est accipienda. 6.4.3
Ordo instantium dictæ Prædestinationis ex Scoto. 6.5.4.& 6.29.7
Prædestinatio hominum, & Angelorum supponit Prædestinationem Christi.6.6.4.Prædestinationem tamen Angelorum quoad gratiam, & gloriam essentialem non pendere ex prædestinatione Christi opinio probabilis. 6.6.5
Actus liberi, quos Deus non ponit in nobis sine nobis,non sunt prædestinati ante præuisam liberam determinationem nostræ voluntatis. 3. 19.5.& hæc est sententia sanctorum Patrum, & D.Thom. 3.22.2
Prædestinatio dupliciter considerata, vt actio immanens, & secundùm effectus, quos ponit in prædestinato. 6.7.1
Liber consensus hominis, & eius cooperatio à D.Thoma dicuntur prædestinati per accidens. 6.16.2
Prædestinationis effectus sunt in duplici differentia, alij quos Deus ponit in nobis sine nobis: alij quos non ponit in nobis sine nobis.ibid.3. effectus prædestinationis,qui est perseuerantia, dari causam ex parte hominis.6.17. per totum. &18.

Digitized by Google

& 18.per totum,& 19.per totum. consensus & perseuerantia quomodo sint effectus diuinæ prædestinationis. 6.17.6
Prædestinationis, & reprobationis comparatiuæ dari causam occultissimam in diuina Præscientia.sentit Augustinus. 5.17.8
Prædestinationis causæ inuestigari possunt non solùm quoad illius effectus, sed etiam vt est actio immanens.6.7.1.eius quatuor causæ.ibid. 3.formalis est Dei gloria.ibid.De causis Prædestinationis sex dubia grauissima. ibid.5
De causis prædestinationis errores Origenis, Pelagianorum, & Semipelagianorum. 6.8. per totum.
Sententia Chrysostomi, & priscorum Patrum de causis Prædestinationis defenditur contra Semipelagianos,& Vasquez. 6.9.per totum.
Prædestinationis causa non est bonus vsus lib. arbitrij præcedens primam gratiam. 6. 10. 4. & seq.neque bonus vsus lib. arbitrij concomitans gratiam.ibid.9.& seq.neque subsequés gratiam. ibid.12
Prædestinationis ad primam gratiam nullam dari causam ex parte Prædestinati probatur. 6.11. per totum.
Patrum testimonia de prædestinatione explicandi regulæ,& modi. 6.12.per totum.
Theologi pauci sunt,qui posuerint causam prædestinationis ad primam gratiam in bono vsu antecedenti. 6.13.1
Prædestinationis dari causam ex parte Prædestinati quoad secundum effectum, & quòd gratiæ præparatio sortiatur effectum prædestinationis.6.14.per totum. & 15. per totum. Dari causam ex parte hominis, ob quam ille non est prædestinatus,idque ex mente Augustini. 4.11. 9.& 6.14.5.& 7.8. per totum. quo sensu sit intelligendum dictum Augustini, non esse positum in hominis potestate,vt Deus frustra misereatur,si homo nolit. 6.16.6
Prædestinationis dari causam ex parte hominis quoad tertium effectum, qui est perseuerantia. 6.17.& duobus sequentibus per totum.
Prædestinationis ad gloriam dari causam ex parte hominis. 6.20.& quinque sequentibus.
Ordo intentionis, & executionis malè à nonnullis negotio prædestinationis ad gloriam applicatus reiicitur. 6.21.2
Dicentes, prædestinatos ante præuisa merita fuisse efficaciter electos ad gloriam, sed tamen gloriam non dari in tempore nisi ex meritis, vim doctrinæ D. Augustini de gratuita prædestinatione ad gratiam funditus euertunt.ibid.2. & seq.
De alia prædestinatione locutos sanctos Patres, & de alia Augustinum. 6.22.2. eodem ordine homines fuisse prædestinatos ad gloriam, quo ordine illam in tempore assequuntur.ex D.Fulgentio. 6.22.2
Prædestinationem aliquo modo pendere ex nobis, quomodo sit verum. 6.26.7
Propositio illa si non es prædestinatus, ora vt prædestineris, ex quonam Augustini loco eliciatur. 4.14.3
Prædestinationem precibus sanctorum posse iuuari. 6.31.per totum.
De Prædestinatione non aliter licet ratiocinari,quam ex diuina Scriptura. 7.10.1
Prædestinationis paruulorum causa sola merita Christi. 6.26.5
Causa secundùm ordinem executionis non est causa prædestinationis. 6.28.4
Prædestinationis certitudo à D.Augustino, Thoma, & aliis cùm mole difficultatum premuntur,resoluitur in diuinam præscientiam.6.33.3.
Prædestinatio est certa non solùm certitudine præscientiæ,sed etiam causalitatis siue ordinis. 6.33.8. & seq. non tamen certitudo ordinis est certitudo decreti antecedentis. ibidem 7. quæ sit eiusmodi certitudo. ibid.9
Ponentes Physicas prædeterminationes non ponunt prædestinationem esse certam ex duplici capite,ordinis & præscientiæ. ibid.11
Prædestinationis certitudinem stare cum arbitrij libertate. 6.34.per totum.& 9.16.9
Prædestinatum non posse damnari, quo sensu sit verum. 3.31.per totum.& 6.34.3
Prædestinatum non posse excidere à gratia, error confutatus. 9.35.1.& seq.
Prædestinatum non posse esse certum de sua prædestinatione sine speciali reuelatione.6.36.3. & seq. posse tamen habere aliqua signa eiusdem prædestinationis.ib.9.&quænam sint eiusmodi signa, ibid.& seq.
Prædestinatorum numerum esse certum apud Deum materialiter, & etiam formaliter. 6.32. per totum, & hoc non negasse Catharinum. ibid.2
Eundem numerum soli Deo cognitum. ibid.6.
minorem esse numero reproborum. ibid.
Prædestinati vocantur sagittæ. 6.1.2. possunt dici præ aliis destinati. ibid.3
Præsens dupliciter accipitur, vt contradistinguitur à præterito, & futuro, & vt contradistinguitur ab absente. 3.17.10
Principium aliquid faciendi simpliciter,& faciendi illud certo modo,non sunt vnum,& idem. 1. 7.8
Prima principia bonum, & malum, qui posuerunt. 8.9.1
Priuatio non dicit simplicem carentiam formæ in subiecto,sed carentiam cum debito habendi ipsam formam. 7.3.3
Priscilliani errores de libero arbitrio. 1.1.2.& 2.4.2
Prophetia quomodo sit participatio Diuinæ scientiæ. 3.20.3
Prophetia comminationis vnde certa; & quare non semper impleatur. 3.27.3
Propositio illa.Omne quod mouetur,ab alio mouetur,neque est Arist. neque vera in se vniuersaliter. 1.5.6.& 1.9.4
Propositio modalis de possibili vt sit vera, necesse est, eius aliquam de in esse aliquando esse veram. 1.29.5
Propositiones aliquæ malè sonant in sensu affirmatiuo, quæ in sensu negatiuo sunt veræ, vt ista.Deus non conuertit hominem:quia homo non vult conuerti. 9.16.11
Proprietatis naturalis causa est illud,quod dat subiecto speciem,& esse. 1.6.5
Prouidentia respectu eorum, quæ Deus non efficit sine libera cooperatione creaturæ, non facit suppositionem antecedentem. 1.20.2
Ex prouidentia diuina sunt nostræ cogitationes.ex Aristotele. 1.28.6
Ad diuinam prouidentiam quomodo spectet; quòd omnes actus humani sint ab æterno prædefiniti. 4.13.6
De Prouidentia Caluini, & aliorum errores.5. in Procem.
Prouidentia vnde dicta, & eius multiplex acceptio. 5.1.1. an sit actus intellectus, vel voluntatis

tatis.ibid.2.& ſeq.Prouidentiæ definitio. ibid. 4.& ſeq.eius finis primarius eſt rerum conſeruatio.ibid.& 5.1.9.cur dicatur ratio. ibidem. 6. quomodo diſtinguatur à Fato.ibid.de illius ratione eſt,res non ſolùm ordinare in finem, ſed etiam deducere.5.1.7. eius exacta definitio. ibidem 8.formaliter, & magis principaliter, eſt actus intellectus; & pars prudentiæ monarchicæ, & eſt ſolùm futurorum. ibidem 9. non eſt finis, ſed mediorum, & eſt immutabilis. ibidem.

Prouidentiæ, quam Deus habet de reprobis, finis principaliter intentus eſt illorum ſalus.5.2.1.& ſeq.

Prouidentiæ, ordo duobus modis dicitur certus ex ſententia D.Thom. 5.2.3

Prouidentiæ finem vniuerſalem omnes creaturæ aſſequuntur,non autem particularem.5.2.3. & 8,quis ſit finis vniuerſalis, & quis particularis? ibidem 4. & ſeq. aſſecutio finis particularis non ſpectat intrinſecè ad diuinam Prouidentiam. ibid.8

Ordinata per diuinam prouidentiam ſunt in duplici differentia. 5.3.3

Prouidentia alia naturalis, alia ſupernaturalis: & vtraque quadruplex eſt.5.3.4.& ſeq.alia approbationis,alia conceſſionis. ibid.6

Prouidentia ſupernaturalis non diuiditur immediatè per prædeſtinationem,& reprobationem. 7.15.6

De diuina Prouidentia errores antiquorum. 5. 4.1.illam exactiſſimam dari, oſtenditur multis demonſtrationibus. 5.4.3. & ſeq. de illa teſtimonium egregium Ciceronis. ibidem 4. aliud teſtimonium Galeni.ibid.aliud D.Baſilij.ibid.8. ea negata tollitur omnis Religio,& omnis virtus. 5.5.4

Ob Prouidentiam de inferioribus etiam minimis non ſolùm Deus non vileſcit, ſed illius dignitas maximè commendatur. 5.6.1

Prouidentia non imponit effectibus liberis maiorem neceſſitatem, quàm diuina Præſcientia.5. 7.5

Prouidentiam Dei, & illius cauſalitatem æqualiter extendi, negauit Nazarius, & quomodo id verum ſit. 3.9.6

Ab ordine per diuinam Prouidentiam conſtituto quomodo res poſſint exire, vel non exire. 5.18.per totum.

Prouidentiæ ordo immutabilis non fundatur in prædefinitione actuum liberorum ante omnem præſcientiam liberæ determinationis voluntatis creatæ. 5.19.per totum,& 20.per totum.

Per diuinam prouidentiam non fuiſſe actus liberos antecedenter prædefinitos. ibid.

Prouidentiæ diuinæ,& humanæ differentia. ibidem 5

De ratione prouidentiæ,ſecundùm quam dicitur Deus velle omnes homines ſaluos fieri,non eſt neceſſe,vt auferat omnia impedimenta,quæ ponunt ſecundæ cauſæ. 7.19.7.& 7.22.6

Per Dei Prouidentiam quomodo etiam malæ voluntates dirigantur. 8.22.7

Prouidere indigentiis creaturarum eſt nota diuinitatis. 5.1.5

Q

Quæſtio, quid eſt, in materia de libero arbitrio præcedere debet quæſtionem; an eſt. 1. Proœmio.

Quæſtio de gratia, & libero arbitrio ex Auguſtino,adeò obſcura,vt dum gratia defenditur, liberum arbitrium negari videatur. 6.12.2

R

Reiectionis damna. 7.22.2.& ſeq.

Relatio quomodo cauſam habere poſſit, & quæ illa ſit. 8.19.7

Reprobatio non eſt volita à Deo primaria intentione, ſed ſolùm ſecundaria ex D. Thoma. 4.11.

Reprobatio à gloria non eſt ante præuiſum peccatum. 5.13.4. illius cauſam Auguſtinus aſſignat ex parte reprobi. 5.17.3.& ſeq. Reprobationis nomen multiplicem habet ſignificationem.7.1.1. Reprobatio non eſt formaliter permiſſio deficiendi à fine ſupernaturali. ibid.2. pertinet ad diuinam prouidentiam ſecundaria intentione.ibidem 3.Quid ſit.ibid.4.à Theologis ſemper in malam partem acceptus.ibid. magis principaliter ſpectat ad intellectum. 7.2.1. quos actus intellectus, & voluntatis requirat. ibid.2.non eſt peccati permiſſio. ibid.3. neque denegatio auxilij efficacis ad reſurgendũ.ibid.4. eſt iudicium practicum quo quis reputatur indignus vitæ æternæ. ibid.5.& ſeq. eius exacta definitio. ibid.7

Reprobatio ſecundùm aliquos alia negatiua, alia poſitiua. 7.2.2

Reprobatio negatiua propriè loquendo nulla eſt. ibid. 7. primus actus diuinæ voluntatis circa reprobos non fuit voluntas illos excludendi à gloria.ibid.finis reprobationis non eſt volitus à Deo primaria intentione. ibid.

Deus ante præuiſum peccatum non habuit voluntatem efficacem excludendi reprobos à gloria,neque actum poſitiuum non admittendi illos ad gloriam.7.3.per totum.contraria ſententia à Doctoribus Catholicis grauicenſura notatur. ibid.2

Reprobatio ex Auguſtino ſupponit peccatum originale.7.4.2.eius finis non eſt æquè principaliter volitus,ſicut prædeſtinationis. ibid.3

Reprobationis dari cauſam ex parte reprobi, & quòd ille nõ fuerit prædeſtinatus.7.8.per totũ.

Reprobationis, vt eſt negatio auxilij efficacis ad reſurgendum, non dari cauſam ex parte reprobi, aliquorum opinio. 7.9.2.& ſeq. eadem ſententia reiicitur.7.10.1. & ſeq. & oſtenditur illius dari cauſam ex parte reprobi. ibid. 5. & ſeq. eiuſdem cauſa per ſe ſufficiens eſt originale.ibidem 7.per ſe autem efficiens eſt aliquando originale,aliquando abuſus auxilij ſufficientis. ibid.8

Reprobationis negatiuæ quoad integrum illius effectum dari cauſam ex parte reprobi.7.11.per totum.& ideo irrationabiliter nonnulli eam in Deum referunt. 6.12.2

Reprobationis cauſa per ſe ſufficiens in aliquibus eſt originale, in aliquibus actuale,in aliquibus vtrunque ex Auguſtino. 7.13.per totum.

Reprobationem imponere reprobo neceſſitatem ſuæ damnationis eſt aſſertio damnata in pluribus conciliis. 7.14.2

Reprobatio non eſt certa certitudine ordinis, ſed ſolùm præſcientiæ. ibid.3

Reprobationis poſitiuæ tres effectus. 7.15.1.

Reprobationis effectus non eſt permiſſio peccati.

Digitized by Google

cati.7.16.2.& seq.est tamen conditio, sine qua non esset reprobatio. ibi.6
Reprobationis effectus non est peccatum, neque vt peccatum, neque etiam vt pœna alterius peccati. 7.16.2
Reprobationis effectus non est quælibet pœna, ibid.
Reprobi ideo non sunt prædestinati, quia præuisi sunt casuri,& in peccato morituri, ex Augustino, & D. Thoma. 4. 11. 10. & 7. 8. per totum.
Voluntas non dandi eis auxilium efficax causam habet ex parte illorum ex Augustino. ibidem.
Quomodo Deus Reprobos tradere dicatur in reprobum sensum,obcæcare,& obdurare.4.19.2,& seq.
Reprobos Deum velle beatitudinem supernaturalem voluntate antecedente, quæ non est simplex voluntas signi,& est verè in Deo. 5.2.2
Reprobi cur creentur,& sustineantur. 5.14.40 aliquando possunt esse in gratia Dei. 6. 35.5. non sunt reprobati à gloria ante præscientiam malæ vsus lib. arbitrij. 6. 15.3. Voluntas excludendi illos à gloria ex quorundam opinione est posterior voluntate ostendendi in eis iustitiam punitiuam. 7.15.3
Resistentia prouenit ex virtute contraria virtuti agenti. 1.9.3.& 4.12.3
Resistentia negatiua propriè in viuentibus non datur,& si detur non sufficit ad constituendam veram libertatem. 1.24.3
Resistere diuinæ voluntati an quis possit, tres modi dicendi. 4.12.3
Resistere diuinæ voluntati,& ab ea dissentire sunt diuersa. ibid.

S.

Sacra scriptura varios habet sensus;& nonnunquam locus historicus veteris testamenti in nouo allegatur mysticè. 5.13.4. & tunc non est necesse currere omnimodam similitudinẽ, alias sequerentur absurda.5.14.3. sed inspiciendus est finis allegoriæ. ibid.
Sacra scriptura aliquando ponit verbum præsentis imperatiui pro præterito indicatiui præsertim in prophetis. 5.15.7
Sacramenta quomodo sint causa diuinæ gratiæ.8.7.5.& seq.
Salomon an sit salutem adeptus. 6.15.6.& seq.
Sancti in gratia confirmati cur non possint excidere. 9.16.3
Scientia omnis aut causa rerum, aut causata à rebus,est falsa propositio. 3.5.5
Sciẽtia practica duplex,alia in habitu,alia in actu. 3. 12. 5. Scientia practicæ conditionis. ibidem 6
Scientia futurorum conditionatorum quo sensu ab illius assertoribus vocetur scientia media. 3. 25.1.de illa variè opiniones.3.26.per totum.cõtrouersia de illa inter Scholasticos orta ad vnicum punctum redacta, ibidem 4 non maiorem, nec aliam difficultatem continet præter illam de diuinis decretis,& physicis prædeterminationibus. ibid.eam esse verè in Deo probatur.3. 27.per totum,& 28.per totum.
Scientiam futurorum conditionalium Augustinus nunquam putauit errorem Pelagianorum, sed assumpsit ad beneficium prædestinationis contra Pelagianos,& Semipelagianos commendandum.3.27.6.& seq.& 3.28.3.& 3.30.3. & qui eiusmodi scientiam negant,ex sententia D.Aug. beneficium gratuitæ prædestinationis valdè extenuant. ibid.
Scientia futurorum conditionatorum nullam maiorem sustinet difficultatẽ,quàm sustineat scientia futurorum cõtingentiũ absolutorum.3.16.3. eiusmodi scientia est verè naturalis. ibidem. illius vsus antiquissimus in Ecclesia. 3. 28.3. eadem scientia probatur testimoniis D.Augustin. 3.18.per totum, neque fundatur in aliquo decreto prædeterminandi secundas causas liberas.ibid.& 5.c. 27.6. & seq. eadem probatur ex D. Thoma,& Scholasticis.5.29. 1.& seq. & ratione Theologica. ibid.
Per scientiam mediam Suarez,& qui ponunt prædefinitiones actuum liberorum,non euadunt à difficultatibus.4.16.6.& 4.15.9. neque eiusmodi scientia sufficit ad conciliandam arbitrij libertatem cum diuinis decretis.4.15.6. Quare illa vsus nõ fuerit Augustinus contra Semipelagianos. 4.2.7
Scientia futurorum conditionatorum admittẽda. 6.6.11.eam implicitè admittunt, qui constituũt bonum vsum liberi arbitrij causam prædestinationis. ibid.10
Scientia media non sufficit ad saluandum,quòd electio ad gloriam sit ex meritis.6.25.6.neque ad saluandam arbitrij libertatem. ibid.
Scientiarum naturalium primi inuentores. 8. 4.2.
Scoti opinio de notitia, qua Deus inferiora cognoscit. 3.3.3
Scoti ordo instantium in diuina Prædestinatione. 6.5.4
Secundæ causæ quomodo habeant verè suas actiones,& nihilominus pendeant in causando à prima causa. 3.30.9.& 4.10.3
Secundæ causæ effectus licèt totus producatur à prima,non tamen secunda redundat. 8.16.2. neque prima, & secũda causa comparatione illius sunt causæ partiales, sed totales, licet subordinatæ. ibid.
Secundæ causæ verè operantur,& non solus Deus ad illarum præsentiam.8.17.per totum & 18.per totum.
Secundæ causæ cur dicantur instrumentales comparatione primæ causæ. 8.18.2.& 8.23.3
Secundis causis Deus contulit vim agendi ad illas dignificandas. 8.18.5
Secundæ causæ mouent,vt motæ,quomodo intelligendum. 8.23.2
Secundæ causæ per hoc, quòd non præmouentur, & prædeterminantur ad particulares effectus, non sequitur,quòd sint prima principia,vt quidam inferunt.8.23.6. & hoc est verum, etiamsi Deus non produceret immediatè actiones secũdarum causarum. ibid.
Sensus diuisi,& compositi acceptio,secũdum quosdam recentiores Theologos. 1.30.1.& 4.
Ad verificandam propositionem in sensu diuisio, quæ requirantur, & sufficiant. ibidem 6
Propositiones in sensu composito quare nõ possint esse veræ. ibid.7
Sensus diuisi,& compositi vera acceptio. ibi.4.& 1.31.per totum.& 8.25.7
Seruitus Peccati quam libertatem tollat, aut relinquat. 2.17.4

Singulare materiale quomodo intelligibile. 3. 5. 6
Singulare esse tale per materiam. ibid.
Speciem quod dat alicui actui, vel motui, non semper illi est intrinsecum. 1.9.6
Spiritus Sanctus non producitur liberè. 1.15.4. & 1. 17.6
Stella, quę magos duxit, non fuit astrum firmamenti, sed stella factitia. 10.8.5
Stoici veram arbitrij libertatem non admiserunt. 2. 2.1.& seq.
Substantiuum concretum formaliter, & naturaliter in recto significat naturam, connotando in obliquo suppositum, non determinando, an in proprio vel alieno, vno vel pluribus. 6.4.7
Suppositio antecedens, quæ non est in nostra potestate, tollit arbitrij libertatem, etiam ex mente S. Thomæ. 1.19.10.& 4.11.5
Suppositio triplex. 3.25.2.& seq.
Suppositio non dicitur antecedens, vel consequēs, comparatione primæ causæ, sed volūtatis creatæ. 4.11.5
Suarez dum commentatur D. Th. dicit contra illum. 6.17.5.& seq.

T

Termini significantes internum actum animæ ponunt suum significatum formale supra significatum formale termini cui adiunguntur, etiam si collocentur ex parte diuersorum extremorum. 6.4.5.& seq.
D. Thomæ locus falsò allegatus. 1.8.7.
D. Tho. distinguit liberam voluntatem à lib. arbitrio. 1.17.3
D. Thom. sententia de præsentialitate rerum in æternitate legitimè explicata. 3.15. per totum, &. 16. per totum. eadem sententia à Scoto, & aliis malè explicata. 3.16.1.& seq.
D. Thom. ratio, qua probat, Deum cognoscere futura contingentia sclua eorundem contingentia, optima. 3.17.10
D. Thom. locus ex primo cont. Gentes cap. 66. legitimè explicatus. ibid. 11
D. Thom. vel Scotum, aut alios Scholasticos, quidquid dixerunt, benè dixisse, est adulatio non ferenda. 5.16.5
D. Thom. locus obscurus de causa reprobationis elucidatus. 7.11.6
D. Thom. testimonia de præmotione, & prædeterminatione physica ad actus voluntatis liberos. 8.10.3.& 8.26.1
Thomas Vualdensis recensēt tanquam erroneam sententiam quorundam Theologorum sui temporis, ponentium in actibus humanis liberis necessitatem antecedentem prouenientem ex diuina præscientia, licèt non ponerent absolutam, sed respectiuam. 2.2.2
Tribulationes compellunt iustos deserere mundum, & appropinquare Deo. 5.6.5
Tribulationibus cur iusti à Deo subdantur in hac vita. 5. 8.6. sunt voces, quæ peccatores ad pœnitentiam vocant. 7.19.5
Trinitatis mysterium expressum Genesis cap. primo. 8. 6. 6. non potest colligi ex verbo Eloim, vt putauit Magister sententiarum. ibid.
Trinitatis mysterium Hebræi ne admittere cogantur, sacras Scripturas detruncare solent, & antiquos illarum Interpretes corrumpere. ibid.

V

Valerianus Imolensis Autoris Magister. 8. 3.12
Vasquez in allegando testimonium S. Augustini accepit dictum Aduersarij pro sententia Aug. 8.16.5
Verbum qua ratione dicatur imago, & speculum creaturarum. 3.5.9
Verbum non est notitia expressiua, sed ipsa imago expressa per notitiam. 3.8.2
Veritas quid sit. 3.18.2. alia formalis, alia aptitudinalis, & quomodo sit in rebus. ibid. 3
Verum est obiectum proprium intellectus. ibidem 2
Vetustatis testimonium validum. naturæ
Vitiositatis studium est contra inclinationem in ipsa deprauatæ, vt cursus cymbæ contra ictum minis. 2.17.5
Vitium & virtus opponuntur contrariè in genere moris. 8.1.6
Virtutis ratio formalis non est simplex respectus rationis, vt putauit Vasquez. 8.11.6
Vocatio diuina nostram inclinationem obseruat, vt illi se accommodet. 3.28. 6. & ob hanc causam vocatio, quæ vni est congrua, alteri non est congrua. ibid. & in hac proportione, quam habet diuina gratia cum propensione humanæ voluntatis, & per quam illi se ita accommodat, vt voluntas consentiat, consistit congruentia diuinæ vocationis. ibid.
Vocatio congrua. vide sup. in Verbo Dei Decretum.
Voluntas se ipsam mouet, idque ex D. Th. 1.5.6. eius obiectum est solum bonum. 1.6.1. est naturaliter inclinata ad bonum vniuersale. ibid. & non fertur nisi in obiectum præcognitum. ibidem. habet duplicem actum, naturalem, & liberum. ibid. 2.& 1.14.1. comparatione vltimi finis operatur vt natura. ibid. 2. quomodo comparatione vltimi finis dicatur à nonnullis liberè operari. ibid. 2.& 1.12.1
Voluntas fluit ab essentia animę mediante intellectu ex sententia D. Tho. 1.6.5. Per illam solam homo dicitur formaliter dominus suorū actuū non autem per Intellectum. 1.7.3
Voluntas potest à Deo determinari ad vnum manente indifferentia iudicij. 1.8.3. à quo primo determinetur ad agendū. 1.9.5.& 5.30.5. est domina suorum actuum. 1.12.5
Voluntatem propositis sibi duobus obiectis sub eisdem omnino rationibus, neutrum posse eligere, quorundam opinio. 1.26.1. & seq. opposita sententia verior. ibid. 3
Voluntatem propositis sibi duobus obiectis diuersorum generum posse eligere minus bonum relicto maiori bono, & hoc de facto contingere. 1.26.3.& 1. 27.1. non tamen posse eligere minus bonum relicto maiori eiusdem generis. ibidem.
Voluntas propositis sibi duobus obiectis eiusdem generis bonitatis, & rationis, potest sinere se moueri ab vno, & non ab alio, & eligere vnum altero relicto. 1.27.1
Voluntas humana supponit bonitatem in obiecto eligibili, & disparitatem inter obiecta: diuina autem voluntas vtrunque causat in obiecto. ibid. 5
Voluntatem mouens est duplex, aliud per modum excitantis obiectiuè, aliud per modum impel-

lentis

lentis efficienter. 1.28.1
Voluntas quoad ſpecificationem actus non mouetur, niſi ab obiecto, ſeu ab Intellectu. ibid.
Voluntas in omni actu mouetur à Deo, & à ſeipſa. ibid.3
Voluntatis actus etiam primo primi ſunt efficienter ab ipſamet voluntate. ibid.4
Voluntas quoad primum actum, quem habet circa finem, mouetur ab obiecto per modum excitantis. ibid.5
Primas bonas voluntates immitti nobis à Deo ex Ariſtotele. ibid.
Volũtas ex deſiderio finis mouet ſe ipſam ad quærenda media. ibid.
Voluntas mouetur in quolibet actu primo quoad exercitium à prima cogitatione finis vel ab eo, quod excitat primam cogitationem. ibi.6
Voluntas, & intellectus, quem ordinem habeant in ſuis actibus. ibid.7
Voluntati humanæ Deus ſolus dominatur, & illã ſcrutatur. 2.5.3
Volũtas poteſt impediri, & cogi quoad actus imperatos, non quoad actus elicitos liberos. 2. 16.2
Voluntates humanas quomodo Deus dicatur tenere. 2.17.1
Voluntates humanas poſſet Deus neceſſariò inclinare in quoduis obiectum excepto peccato. ibid.2. eas dicitur Deus duobus modis mouere moraliter & phyſicè. ibid.3.
Voluntas quomodo per peccatum ſit inclinata ad malum. ibid.5
Voluntatis obiectum duplex. 4.1.8
Voluntas humana per peccatum vulnerata, & ad malum inclinata. 4.19.8
Voluntatem Deus dicitur duobus modis inclinare, vel imprimendo illi pondus, vel aperiendo illi viam. 4.19.8
Voluntatis duplex motus effectiuus, & defectiuus, quem Auguſtinus dicit non eſſe à Deo. 4.19.9
Voluntas non prædeterminatur à Deo, eius actio non ſubiicitur diuinæ cauſalitati; vel diuina cauſalitas erit poſterior, vana, & frigida eſt illatio. 5.20.4.& ſeq.
Voluntatis cooperatio cum diuina gratia quomodo ſit tota à Deo, & tamen remaneat in poteſtate Voluntatis. 6.15.5
Voluntates malas quomodo Deus dicatur dirigere, & inclinare. 8.22.3.& quomodo illis dicatur vti vt inſtrumentis. ibid.6
Voluntatem præmoueri, & inclinari ad agendũ, quid ſit ſecundùm D. Thom. 8.20.3.& 8.23.1
Voluntas humana determinat diuinum concurſũ, & ab illo determinatur ad actiones liberas eliciendas. 8.24.5.& 8.26.5
Voluntas ſecundùm recentiores Thomiſtas habet in ſua poteſtate terminum præuiæ motionis, & impedire ſe ipſam, ne recipiat diuinam motionem. 8.24.8
Voluntatem habere in ſua poteſtate ſuum actum quid ſit. ibidem
Voluntas creata non prædeterminatur phyſicè ad actus liberos ordinis naturalis. 8.24.& 25.& 26. per totum.
Aliud eſt, voluntatem moueri, & determinari, aliud eſt prædeterminari. 8.26.1
Voluntatis applicatio ad actus naturalis ordinis nihil aliud eſt, quàm ipſum velle. 8.26.4
Voluntatis determinatio licèt ſit tota à Deo, & tota à Voluntate, tamen vt eſt à voluntate creata, non eſt à Deo. 8.26.4
Quia voluntas cooperatur, Deus operatur, eſt propoſitio, quæ poteſt habere ſenſum Catholicum. 8.26.5.& 8.27.4.& 9.16.11
Voluntas operatur, quia Deus vult illam operari, non videtur propoſitio admittenda, loquendo de actibus, quibus intrinſecè eſt annexa moralis malitia. 8.26.5
Voluntatis primi motus indeliberati ſunt efficiẽter ab ipſa voluntate. 9. 6. 5. qua ratione dicat D. Thomas Voluntatem quoad hos motus ſe habere paſſiuè. ibid.
Voluntatis motus nihil aliud eſt, niſi inclinatio Voluntatis in obiectum. 9.7.5
Voluntas duobus modis mouetur à Deo, videlicet in actu primo, & ſecundo. 9.9.2.& poteſt voluntas moueri à Deo in actu primo, & non ſe mouere in actu ſecundo. ibid.5
Quia homo vult, Deus illum conuertit, eſt propoſitio, quæ poteſt habere ſenſum Catholicum, licèt non ſit admittenda ſine explicatione. 9. 16.11
Ab Vno non prouenire niſi vnum, quomodo ſit propoſitio vera. 8.3.12
Vt in diuina Scriptura nõ ſemper denotat rei cauſam, ſed illius conſecutionem, & euentum aliquando deſignat. 2.12.6

Z

Zodiaci figuræ voluntariè ab Aſtrologis confictæ. 10.7.4
Zoroaſter primus autor Aſtrologię iudiciariæ, idem Magus, & artis magicæ inuentor. 10.1.1

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

5-5-1

Digitized by Google